



102

6. 13. 146.

Surgeon General's Office

LIBRARY

Section, ~~74~~ XV-5

No. ~~4995~~



LIBER PRIMUS
PRACTICÆ MEDICINÆ,

De

CAPITIS, CEREBRI,
ET SENSUUM
EXTERNORUM
MORBIS

&

SYMPTOMATIBUS,

DANIELIS SENNERTI D.

ab Authore

Tertium recensitus. |

ANNO M DC LIV.

LIBRARY OF THE
CITY OF BOSTON

CHARLES F. SMITH
1875

SMITHSONIAN INSTITUTION
WASHINGTON

1875




EXPERIENTIA

PRACTICÆ
MEDICINÆ
LIBER PRIMVS
Auctore.
DANIELE SENNERTO
Uratislaviensi Doctore
et Medicina in Academia Wit-
teb. Professore Publico.
cum Privileg. Caesar:
Inipensis Hæredum Doct. Tobia
Meyj et Elerti Schuc
macheri.
ANNO MDC.LIV.



RATIO





2265



ILLVSTRISSIMO ET CELSISSIMO

PRINCIPI AC DOMINO,

DN.

FRIDERICO,
Hæredi Norvvegiæ, Duci Slesuici,
Holsatiæ, Stormariæ atque Ditmarsiæ, Co-
miti in Oldenburg & Delmen-
horst, &c.

DOMINO MEQ. CLEMENTISSIMO,

Salutem & Felicitatem perpetuam

P.



Itam hominis brevem
esse, artem verò Medicam lon-
gam, tam verū est, ut hanc sen-
tentiam Aphorismorū suorum
initiū esse voluerit Hippocrates,
totius verò Medicinæ proœmiū
constitui posse, plurimi doctif-
simi Medici judicarint. Etenim si vitæ humanæ spa-
tium & curriculum perpendamus, infantia & pue-
ritia nugis, adolescentia voluptatibus maximam
partem consumitur: tantulum, quod restat, ætatis,

neque id totum, feriis negotiis impenditur, & ubi vix rectè discere incepimus, plerique è vita abripimur, & lampada aliis tradere cogimur. Ars Medica contra tam longa & ampla est, ut ferè infinita videatur. Nam, præter variarum linguarum & artium notitiam, primum illa admirabilis corporis humani fabrica, omniumque in ea partium structura, usus & officia exactè Medico cognoscenda veniunt. Morborum deinde hanc violentium & destruendum genera, eorumque causæ, cum suis signis, discenda sunt: quorum omnium tantus est numerus, ut jam ante multa secula trecenta fuisse scripserit Pli nius, exceptis generum speciebus, quarum quanta sit multitudo, facile intelligit is, qui tantum, quas Febris nomen sub se differentias comprehendat, novit. Præterea Medico vastissima illa remediorum sylva, in tres partes, fossilium & mineralium, plantarum, atque animalium distincta; perlustranda; quarum quælibet quàm latè pateat, vel plantarum innumerus numerus docere potest. Tandem cognitam & perspectam Medico esse oportet methodum, qua instructus suum cuique morbo remedium dextrè opponat, viresque corporis humani conservet: abs quo si sit, quod remedium esse debebat, venenum erit. Neque ignorare decet, qua ratione simplicia medicamèta ad usum medicum commodiorem preparanda, & ex iis composita miscenda sint. Quæ sola pars tam ampla est, ut ho-

ut hodie peculiarem quasi artem, quæ Pharmacopœia dicitur, constituerit; quæ ipsa iterum maximam Chymicæ partem, eamque satis difficilem & laboriosam, complectitur.

Quò autem vita brevior, & ars Medica longior est: eò magis annitendum ijs, qui animum ad Medicinam appulerunt, ut brevissimo isto vitæ humanæ spatio artis longissimæ, quantum fieri potest, cognitionem sibi comparent. Qua in re cum meritò ij, qui in publicis scholis, quas Universitates & Academias vocant, docent, artis Medicæ tyronibus facem præluere debeant: ego etiã, postquam, ante hos viginti sex annos, divina providentia à Serenissimo Saxonie Electore ad munus docendi publicè Medicinam in Academia hac vocatus sum, mearum partium esse existimavi, eò labores meos dirigere, ut Studiosis artis hujus monstrarem, qua ratione brevissimum vitæ spatium in arte longissima discenda benè collocare possint. Idque primò docere conatus sum in Institutionum Medicarum Opere, deinde in Introductione ad lectionem autorum Chymicorum, quam de Consensu & Dissensu Chymicorum cum Aristotelicis & Galenicis inscripsi; ut & in tractatu de Febris. E quibus si quid commodi & utilitatis ad artis Medicæ tyrones redundavit, est, quod gaudeam. Hoc certè meum propositum, hic scopus fuit. Cùm autem inventi aliqui sint, quibus ea non displicuisse anim-

animadverti, idem in Practico opere paulò ^{μεθοδικωτέρον}
& plenius conscribendo tentare cœpi. Cuius Librum
primum cum amici penes me esse intelligerent, atq;
ut eum publici juris facerem, hortarentur: ego equi-
dem mihi in mentem revocavi, multa adhuc in eo li-
ma indigere: quia tamen ex eo aliquid utilitatis ad ar-
tis Medicæ studiosos redundare posse existimarent,
ipsorum voluntati obsecutus, eum in publicum
nunc prodire patior.

Cum verò operi huic, pro more hujus seculi, Pa-
tronus aliquis quærendus esset, non præter rem me
facturum existimabam, si Illustrissimo nomini Tuo,
Celsissime Princeps, illud inscriberem & dedicarem. Nam
præterquam quod omnium interest, qui nati homi-
nes, aliquam Medicinæ cognitionem habere: tam
falsum est, servilem eam atque indignam insinuari
Principibus, quàm verum ac certum, eorum antiqui-
tus propriam fuisse. Quod (ut Poetarum fabulas, &
illorum fictos heroas præteream) satis, opinor, testa-
ri possunt tot maximorum Regum nominibus ap-
pellata medicamenta. Quid, quod Princeps bonus
quilibet boni Medici refert imaginem. Nam quid
ille aliud agit, quàm ut aut sartam tectamque servet
publicam rem, aut, si quid ea detrimenti passa sit, ma-
tura ope succurrat? Non aliter ac Medicus, cujus o-
mne officium vel in tuenda hominis sanitate, vel re-
cuperanda occupatur. Sed sunt & peculiare mihi
hujus

hujus mei instituti causſæ. Quarum prima ſingularis ille, &, ut ſic dicam, meliore quodam aſtro Celfit, T. velut impreſſus erga literas earumq; cultores Amor, & incredibilis Benevolentia, quam & pro mea virili commendandam mihi ad poſteros hac qualicunq; Dedicatione exiſtimabam. Deinde quia natum hoc opus in Electorali Saxonica Academia, jure quodam id Celf. T. cui cum ea longè Illuſtriſſima domo tam arcta intercedit cognatio atque affinitas, videbatur deberi. Accipe igitur, *Illuſtriſſime Princeps*, hoc quicquid curæ ac laboris noſtri eſt, ſerena, hoc eſt, Tua fronte, & meis conatibus bonus ades ac felix. Sic T. Celf. Deus ſemper incolumem, ſemper florentem, &, quā- tum ipſa velit, felicem præſtet. V Vittebergæ Idib. A- prilis, anno Chriſti M DC XXVIII.


Illuſtriſſ. Tuæ Celf.

Subjectiſſimus

DANIEL SENNERTVS, D.
Facult. Medicæ Profefs. & Senior, ac
Sereniſſ. Elect. Sax. Medicus.

b

Lectori



Lectori Benevolo

S.



NON eandem, Lector benevole, qui Medicinam scriptis explicandam susceperunt, methodum secuti sunt. Galenus equidem, cum plures Medicinæ partes sint, singulas seorsim explicavit, & de singulis plurimos libros edidit, de corporis humani nimirum constitutione, omnium partium natura, usu, & actione, de morborum & symptomatum differentiis ac causis, de urinis, pulsibus, morbis, & locis affectis cognoscendis, & de prognosticis, de alimentorum facultatibus, de simplicibus & compositis medicamentis, de sanitate tuenda, de methodo medendi, & hujus generis alios. Cujus vestigiis insistentes plurimi superioribus seculis & nostra ætate docti viri, ista, quæ prolixè & diffusè Galenus descripsit, in compendium redigere, quæ obscurè tradidit, explicare, quæ non satis perfectè docuit, supplere conati sunt. Alij verò, præcipue Arabes, & Latini hos secuti, prætermisiss illis generalibus methodis, secundum partium corporis ordinem à capite ad calcem omnes humani corporis præter naturam affectus, cum suis causis, signis, & curatione tradiderunt: quod genus scriptorum vulgò Practicos nominant.

Et si verò utrique suam laudem merentur: tamen non parum refert, utrorum scripta prius legat, qui ad Medicinam discendam accedit. Sunt quidem non pauci, qui se operæ compendium facturos putant, si, neglectis generalibus Methodis, mox

ad Practicorum lectionem sese conferant. Atq; hic plurimos in describendis & congerendis medicamentorum formulis præcipue occupatos videas, qui se satis instructos ad faciendam Medicinam accedere opinantur, si magnam farraginem ejusmodi formularum, Receptas dicunt, congesserint. Verum summopere falluntur, neq; si isti via insistere pergant, unquam ad solidam Medicinæ cognitionem pervenient, sed cum generalibus methodis destituantur, perpetuo fluctuabunt; & cum morbi non semper simplices facie, qua à Practicis describuntur, sed compositi, varièque complicati ac confusi sæpè occurrant, incerti hærebunt, & quid agendum sit, sæpè nescient. Neque tamen ideò Practicorum libri rejiciendi sunt. Nam cum secundum partium diversitatem ea, quæ in generalibus methodis traduntur, non parum varient, & secundum diversas partes limitentur, & determinentur; neque eadem planè sit ratio curandi inflammationem, exempli gratiâ, oculi & pedis: quæ ratione generalis doctrinæ & curandi ratio cuilibet parti applicanda sit, docendum. Quod cum Galenus integrè & absolute expeditum non dederit, neque curandi varietatem omnem, quæ à natura partium, situ, & aliis circumstantiis oritur, ostenderit (etiam si exempli loco multa attulerit) omnino id tradere & explicare necessarium est.

Quæ ratione tamen id fieri debeat, non omnes idem sentiunt. Quidam enim generalem methodum secuti, cum tria sint morborum genera, & uniuscujusq; differentia multe, singularum differentiarum curationem per se tradendam esse censent, à prima usque ad ultimam, indicando semper varietatem illam curandi, quæ à natura partium, situ, & aliis oritur. Et hæc via curandi omnes morbos rationem traditurum fuisse, nisi morte preventus fuisset.

fuiſſet, Franciſcum Friſimelicam, ſui ſeculi Medicum clariffimum, ſcribit Comes Montanus, in præfatione de morbis. Tentarunt idem cum alij noſtro ſeculo, tum Iohan. Paul. Pernumia, & Godofredus Steghius, Medici clariffimi; et ſi non planè eodem modo. Alij verò, & plures, eam, quæ hodie in Prætorum libris occurrit, Methodum uſurparunt. Eſt tamen, quod in utriſque docti viri deſiderent. Nam quamvis prior modus ^{methodum} videatur, & in ſimplicibus quidem morbis ſatis bene ſuccedat: tamen in compoſitis & complicatis affectibus, & ubi plures morbi ac ſymptomata ad unius affectus naturam conſtituendam quaſi conſpirant, nescio quid perplexitatis & obſcuritatis habere videtur; cum unus affectus, qui uno nomine in ſcholis Medicorum notus eſt, in diuerſiſſima sæpè genera diſtribuendus ſit. Vnum enim ſymptoma sæpiſſimè à plurimis & diuerſis cauſſis oritur, & affectus præternaturam non ſemper ita ſimplices, ut in doctrinâ de differentiis morborum ac ſymptomatum proponuntur, occurrunt, ſed compoſiti affectus ſeſe frequenter obijciunt. Invenias nimirum morbos & ſymptomata ab autoribus, qui hanc methodum ſequi volunt, in loſis diuerſiſſimis poſita, & quidem ijs, ubi ea, niſi indicis operâ adjuvus, nunquam quæſiveris: cum tamen in præxi Medica utile ſit, cauſſas ſymptomatum omnes in conſpectu & numeratò, ac quaſi in tabula habere. Altera verò Methodus hoc præcipuè habet incommodi, quod eadem toties repetit, & quæ ſemel ac generatim præcipi poterant, sæpius in ſpecies iterat, & quod exempli gratia affero, quæ ſemel doceri poterat ratio caput alterandi, purgandi, humores ab eo revellendi, & quæ ſunt hujus generis alia, in omnibus affectibus capitis fere repetitur.

Quæ cum ita sese habeant, commodissima Medicinã & docendi & discendi ratio videtur illa, si partes Medicinæ omnes ordine primùm ad Galeni exemplum tradantur & cognoscantur, partiumque corporis humani omnium natura, usus & officium, morborum & symptomatum differentia, causa & signa, alimenterumq; ac medicamentorum facultates & præparationes, & per hæc sanitatem præsentem conferendi, amissam verò restituendi, morbosq; omnes, eorum causas & symptomata, è corpore depellendi ratio in genere cognoscatur: deinde Verò hæc per universalia theoremata Methodus per omnes corporis humani partes diducatur, & qui in qualibet morbi, & à quibus causis oriri possint, quæq; inde symptomata proveniant, investigetur, & quæ in singulis partibus ab earum natura, situ, & alijs circumstantiis curandi occurrat Varietas, & quomodo universalis methodus singulis partibus applicanda sit, doceatur & discatur.

Priorem illam Medicinæ seu partem, seu Methodum cum in Institutionibus tradere studuerim; nunc, postquam ad Practicam Medicam scribendam animum adjeci, usitatum equidem Practicorum ordinem observabo, & ἐὰν θεός ἐθέλῃ à capite ad calcem omnes corporis humani præter naturam affectus tradam: ita tamen, ut perpetuò universalis Methodi vestigiis insistens, omnia, quantum fieri potest, ad eam revocem. Ideoq; cum symptomata à morbis & eorum causis pleraq; dependeant, & remotis, à quib. pendent, causis sponte evanescant: ordine à capite inchoato, quas qualibet pars morbos cum in simili, tum organicâ constitutione, & quæ utriq; communis est, unitate pati possit, docebo, eorumq; omnium causas, signa, curandiq; rationem tradam. Postea, quæ ex his morbis & eorum causis symptomata in qualibet parte oriuntur, monstrabo, & quomodo horum ablatio ab illorum

lorum remotione pendeat, docebo. Sicubi tamen symptoma aliquod ob vehementiam ad se curam trahere poterit, quænam ejus vel mitigandi, vel tollendi sit ratio, non præteribo. Et si verò vulgo apud Præcticos morbi solutæ unitatis, & Chirurgia quam appellant, planè omittatur: tamen cum eorum Curatio non minus, quam aliorum, à Medico requiratur, & ad eorum curationem non solum manus opera, sed & medicamenta plerumque requirantur, eos omittendos non putavi.

Commodissimè autem sex libris tota hæc tractatio absolvi posse videtur. Si nimirum agatur, In primo, de morbis cerebri & organorum sensuum externorum, & Symptomatibus, quæ sensibus cum internis, tum externis accidere possunt: In secundo, de Pectoris, pulmonis, ac cordis morbis ac Symptomatibus: In tertio, de morbis ac Symptomatibus, quæ visceribus infimi ventris accidunt: In quarto, de morbis mulierum & infantium: In quinto, de partium externarum morbis & Symptomatibus: In sexto, de Venenatis ac malignis morbis.

Quam methodum & ego sequar, & isto ordine in Præctico hoc opere scribendo progrediar, quousque Deus voluerit, vitamque & vires mihi concesserit. Tantum autem abest, ut hoc meo labore artis Medicæ Studiosos ab antiquorum & probatorum autorum lectione a vocare velim, ut potius ad illam eos adducere cupiam. Ideoq; non solum magis necessaria è probatoribus autoribus, antiquis & recentioribus selegi, sed etiam autores illos subinde citavi, ut uberiores explanationem ab ijs petere possint. Atq; hîc dissimulare non debeo, socerum meum p. m. Dn. D. Andream Schatonem, olim in hæc Academia Medicinæ Professore clarissimum, & meum Antecessorem, non pauca utilia in lectionibus in 9. Rhasis, quas tamè morte præventus non absolvit,

vit, collegisse. Quã operã cum me labore nonnullos autores legendi sublevarit, ex ijs quædam, quæ meo & aliorum usui commoda visa fuerunt, hinc inde inserui.

Ex hoc verò meo labore si, quod unice opto, aliquid commodi ad aliquos redundaverit, est, quod gaudeam. Omnibus placere impossibile est. Et licet forsan in reliquis exspectationi plerorumque satisfacerem: in materia tamen Medica me omnibus non satisfacturum, etiam non monitus, intelligo. Ita enim hodie res comparata est, ut non solum tot sint Dispensatoria, seu Antidotaria, ut appellant, quot Pharmacopolia, sed ferè quot Medici. Quamvis enim Medici de morbo eodem curando conveniant: tamen de materia medica plerumque dissentiunt; cum quisq; sua medicamenta, quæ aliis præferat, habeat. Quod an cum rei Medicæ incremento, agrorumq; commodo vel damno conjunctum sit, aliis judicandum relinquo. Deo equidem benignissimo debetur gratiæ, quod hæc etiam in parte uberem suppelletillem materiæ medicæ suppeditat: interim ambigo, an neglectis medicamentis, quæ multorum seculorum usu probata sunt, & multos à gravissimis morbis liberarunt, ad nova, & sæpè nondum satis probata, tam proclives esse deceat, & ita materiam medicam mutare, ut, si Hippocrates & Galenus, imò, qui ante hos quinquaginta annos vixerunt, Medici ad vivos redirent, vix unam nonnullorum formulam intelligerent. Rectè & prudenter Forestus, lib. 9. observ. 23. Temerarium, inquit, & insignis stultitiæ argumentum est, in ancipiti medicamento periculum facere; cum nulla cogit necessitas, & meliorum copia suppetit. Ideoq; adduci non possum, ut cum illis sentiam, qui, ubi res etiam foliis senæ vel leni aliquo medicamento transigi potest, Mercurialia & Antimonialia medicamenta usurpant.

Non

Non equidem sum nescius, à multis talia commendari, quasi puerperis & infantibus etiam innoxia sint: Verùm credat id, qui vult. Manus nostræ sunt oculatæ, credunt quod vident. Me vestigiaterrent; cum sciam, quàm multis croci metallorum nominati, & inde aquæ, quam appellant, Benedictæ, Mercurij vitæ dicti, ut horum saltem mentionem faciam, etiam diligentissimè præparatorum, usus infelicitè cessèrit, eorumq; usu aliquos non solum in vitæ discrimen coniectos, sed & planè vitâ privatos mecum multiorint. Ideoque etiam si interdum in quibusdam gravissimis morbis talia medicamenta locum habere concedam: tamen ut tam familiariter usurpanda esse credam, sicut folia sennæ, vel agaricum, imò manna, quod nonnulli faciunt, persuaderi non possum.

De formulis etiam medicamentorum aliquid monendum videtur. Et licet primò dubius essem, an ullæ, vel certè tot formulæ medicamentorum inferendæ essent; cum qui methodum mendedi callet, & materiam medicam simplicem notam habet, facile cuivis morbo accommodata remedia parare possit: tamen ut tyroxibus inservirem, non solum simplicem materiam medicamentorum, sed & certis formulis comprehensam addere volui, ut viderent artis Medicæ Studiosi, quomodo illa, quæ in Institutionibus de compositione medicamentorum tradidi, in usum trahi possint. Scio equidem, Præctico illi experientissimo, Felici Platero, vitio à quibusdam versum fuisse, quod tot formulas, & in eodem sæpè morbo varias, suæ Præcticæ inseruerit, qui idem proculdubio in me reprehendent. Sed habuit ille proculdubio sui instituti causas graves, de quibus hîc non disputo. Habui & ego easdem, & exemplum etiam Galeni, qui in libris de compositione medicamentorum fec. loca & genera, multa

antiquorum medicamenta collegit: ut de alijs Græcis, Aetio, P. Ægineta, & reliquis non dicā. Neq; enim tot formulæ ideo præscribuntur, ut quilibet quamlibet arripiat, sed ut pro re natâ, & ægri cōditione formulas variare sciat. Hoc enim præsuppositum volo in Medico, qui vel ipse formulam aliquam medicamenti præscribit, vel ab alio præscriptam mutuari volet, ut materia simplicis, & methodi medendi cognitionem habeat: qua qui instructus est, non facile magnis encomijs & titulis medicamentorum se falli patietur. Et omnino ægrorum etiam causâ formulas variare opus est. Si enim unum medicamentum, & quidem eodem modo, sapius exhibeatur, plerumque ægris nauseam conciliat.

Deinde non ignoro, non paucos futuros, quibus minus rem gratam fecisse videbor, quod inter medicamenta cum alterantia, tum purgantia, pleraque ad Galenicorum & vulgatum modum præparata proposui, cum medicamenta exspectassent, quæ paucorum granorum pondere, aut guttarum quantitate, sine nausea ægris exhiberi possint. Verum sua vitas, ubi haberi potest, ut non averfanda: ita ob suavitatem solam medicamenta non semper alijs præferenda: sed ad Indicationes semper respiciendum, & videndum, ut ijs medicamenta exactè respondeant. Contra quod peccant, qui non ad humoris peccantis naturam respiciunt, & aphorismi illius Hippocratis, qui talia, qualia opus, purgare præcipit, obliiti, si ve bilis, si ve pituita, si ve melancholia abundet, sine discrimine gummi Gotte, extractum scammonij, Antimonium, Mercurium exhibent, saltem ut palato ægri blandiantur. Ut & illi, qui, ut itidem ægro blandiantur, julebum aliquem colore rubicundo, sapore acidulo exhibent, etsi ad morbum pellendum nihil faciat, forsân etiam obsit. Et omnino sum in eâ sententia, eos minus peccare, qui medicamenta Indicationibus quidem respon-

den-

dentia, sed paulo ingratiora exhibent, quam eos, qui exhibent quidem medicamenta aegri palato non ingrata, sed suavia, verum si facultates eorum examines & cum morbo conferas, parum, vel nihil Indicationibus respondentia: et si interim non nego, ubi nausea in medicamentis evitari potest, id studiosè faciendum esse. Imo res eò hodie redijt, & quidem Medicorum nonnullorum, qui sua medicamenta ultra modum laudant, culpâ, ut aegri, si ijs consilium petentibus medicamenta, quæ morbi natura postulat, nomine, ea tanquam vulgaria fastidiant, & in morbis etiam gravissimis, arthritide, affectione hypochondriaca, hydrope, specifica saltem expetant, & quidem talia, quæ exiguâ dosi morbum radicitus statim tollant. Cum tamen, si ^{per} ^{modum} ^{indican} & non empiricorum more morbos curare libeat, nulla alia dentur specifica medicamenta, quàm quæ specificum Indicans suggerit. Aut si per specifica quis occultâ qualitate agentia accipere velit, frustra in morbis notis, & à manifestis causis pendentibus, ad occultas qualitates confugimus.

Interim verum est, in materia medica magnam esse differentiam, & medicamenta alia alijs esse efficaciora: & propterea selectissima & efficacissima semper eligenda sunt. Nec hæc etiam mea mens, quod medicamenta, quæ è vulgatis Practicorum libris, vel etiam eorum observationibus propono, semper vulgari modo preparata usurpari velim. Materiam potius medicamento- rum ab antiquis hætenus non infeliciter usurpatam, & certa proportione mixtam, propono, quam quilibet, quomodo potest, artificiosissimè præparet. A Recentioribus multa medicamentorum formæ, extracta spissiora & liquida, quæ essentia & tincturæ nominantur, aquæ artificiosius præparatæ, serupi sine longa coctione, & alia multa inventa sunt.

Exhibeo autem nunc Librum Primum hujus operis, qui equi-
dem ad nonum annum, quod poemata scripturis Horatius præci-
pit, premendus forsan, & quod ipse agnosco, multis in locis magis
exornandus videbatur. Verùm cum Vitæ summa brevis
spes nos vetet inchoare longas, & soli Deo sit notum, quid
post annum nonum vel de me, vel de alijs futurum sit, Amico-
rum, qui editionem urserunt, monitis obsequi volui. Habes, Le-
ctor Bene-vole, si nihil aliud, tamen Locos communes, in quos,
quæ lectio autorum quotidie suppedita verit, commodè & ordine
referre poteris. Quod meum institutum si Tibi non ingratum
fore intellexero, paulò post etiam librum Secundum publici juris
faciam, & nulli labori parcam, ut & reliquos libros, cum Deo, ad-
jiciam. Interim Bene Vale. VVittebergæ Cal. Martij Anno
Christi 1628.

INDEX CAPITUM
LIBRI PRIMI
PARTIS I.

De Morbis Capitis.

Cap.		pag.
I.	De Intemperie cerebri sine materia, & primò de calida,	3
II.	De Intemperie cerebri frigida,	16
III.	De Intemperie cerebri humida,	32
IV.	De Intemperie sicca; & intemperiebus compositis,	35
V.	De Intemperiebus cerebri cum materia in genere,	39
VI.	De Intemperie cerebri cum materia per consensum,	49
VII.	De Intēperie cerebri cum vapore & spiritu flatulēto,	58
VIII.	De Intemperie cerebri cum sanguine seu plethora,	64
IX.	De Intemperie cerebri cum bile;	73
X.	De Intemperie cerebri cum pituita;	80
XI.	De Intemperie cerebri cum humore seroso,	99
XII.	De Intemperie cerebri cum humore melancholico,	105
XIII.	De Intemperie cerebri cum bile atra,	112
XIV.	De Venenatis malignis, ac tota substantia cerebro contrarijs morbis,	118
XV.	De Vitijs spirituum animalium,	119
XVI.	De Morbis cōpositionis, & primò de morbis figuræ,	124
XVII.	De Morbis meatuum & cavitatum cerebri,	126
XIIX.	De Morbis in numero, & de vermibus ac calculis in capite;	132
XIX.	De Morbis magnitudinis in capite.	135
XX.	De Commotione cerebri,	ibid.

XXI.	De Morbis solutæ unitatis in capite & cerebro; & primò de Contusione capitis,	140
XXII.	De Vulneribus capitis siue cranij, membranarum, & cerebri læsione; & primò de Vulnere sine contusione,	145
XXIII.	De Soluta unitate & fractura cranij sine meningum & cerebri vulnere,	151
XXIV.	De Cranij fractura cum meningum cerebri læsione, & primò de Vulnere meningis duræ saltem,	182
XXV.	De Fungis cerebri,	198
XXVI.	De Carie cranij,	200
XXVII.	De Tumoribus cerebri; & primò de Cerebri & meningum ejus inflammatione,	201
XXVIII.	De Hydrocephalo.	215

PARTIS II.

De Symptomatibus, quæ in sensibus internis & cerebro accidunt.

Cap.		pag.
I.	De Vigilijs nimijs,	224
II.	De Somno p.n. ac Comate & Cataphora,	252
III.	De Insomnijs immoderatis,	260
IV.	De Vertigine,	263
V.	De Phantasia, Ratiocinatione, & Memoria imminuta atque abolita,	290
VI.	De Delirio in genere, & de Delirio simplici, Paraphrenitide, ac Temulentia,	314
VII.	De Phrenitide,	327
VIII.	De Melancholia in genere,	337
IX.	De Prima Melancholiæ specie, quæ fit cerebro primariò affecto,	348
X.	De Amore infano,	354
XI.	De Melancholia per consensum cordis & totius,	363
XII.	De Melancholia hypochondriaca,	380
XIII.	De Melancholia ex utero,	403

14. De

XIV.	De Melancholia errabunda, Arabibus Kutubuth dicta, & Attonita,	406
XV.	De Mania,	406
XVI.	De Rabie & hydrophobia,	429
XVII.	De Tarantatis & chorea S. Viti,	444
XIIX.	De Comate vigili, & sopore gravi atq; ecstático,	452
XIX.	De Somnambulis,	454
XX.	De Lethargó,	459
XXI.	De Lassitudine,	474
XXII.	De Pandiculatione & oscitatione,	478
XXIII.	De Inquietudine,	480
XXIV.	De Horrore & rigore,	482
XXV.	De Tremore,	489
XXVI.	De Motus impotentia in genere,	505
XXVII.	De Paralyfi,	512
XXVIII.	De Spasmo, seu convulsione & convulsivis moribus,	554
XXIX.	De Incubo,	577
XXX.	De Catache seu catalepsi,	584
XXXI.	De Epilepsia,	589
XXXII.	De Caro,	651
XXXIII.	De Apoplexia,	656
XXXIV.	De Catarrho, & cerebri excrementis & retentis.	696

PARTIS III.

SECTIONIS PRIMÆ,

De Tactulaso.

Cap.		pag.
I.	De Stupore & torpore,	728
II.	De Dolore in genere,	731
III.	De Dolore capitis.	737

PARTIS III.

SECTIONIS SECVNDÆ,

De Morbis & symptomatibus Oculorum.

Cap.		pag.
I.	Continens nomenclaturam Affectionum, quæ oculis accidunt, 749.	2, De

II.	De Tumore palpebrarum Emphysematè & Inflatione earundem,	751
III.	De Trachomate, Denfitate, Asperitate, Callositate & Scabie palpebrarum,	752
IV.	De Tuberculis, Nodis, & alijs palpebrarū tumorib.	756
V.	De Cancro palpebrarum,	760
VI.	De Palpebrarum Inversione, & Contractione,	761
VII.	De Palpebrarum inter se, & cum alijs oculorum partibus Coalitu & Cohærentia,	764
VIII.	De Pediculis palpebrarum, & Ciliorum vitijs,	765
IX.	De Palpebrarum Livore, Contusione & Percussione, Vulnerib. & alijs à causis externis læsionib.	771
X.	De Symptomatib. quę in motu palpebrarū accidunt,	772
XI.	De his, quę in oculos inciderunt. eximendis,	773
XII.	De Ophthalmia,	774
XIII.	De Ophthalmia sicca,	793
XIV.	De Ungue oculi,	794
XV.	De Tunicula annatæ, quam vulgo Pannum, Arabes Sebel nominant,	797
XVI.	De Albugine & alijs vitiosis corneæ coloribus,	800
XVII.	De Pustulis annatæ & corneæ,	805
XVIII.	De Ulceribus annatæ & corneæ,	808
XIX.	De Cancro corneæ,	811
XX.	De Vulneribus oculorum,	812
XXI.	De Ruptura corneæ,	814
XXII.	De Suggillatione oculorum,	815
XXIII.	De Dolore oculorum,	817
XXIV.	De Pure sub cornea,	819
XXV.	De Uveæ procidentia,	820
XXVI.	De Pupillæ dilatatione,	821
XXVII.	De Angustia pupillæ,	826
XXVIII.	De Suffusione,	827
XXIX.	De Vitijs tunicæ aranæ,	837
XXX.	De Ægilope & Fistulâ lachrymali,	839
XXXI.	De Encanthide & carnis lachrymalis incremento,	843

XXXII.	De Rhyade, seu carnis lachrymalis diminutione, vel absumptione,	844
XXXIII.	De Pruritu carunculæ lachrymalis,	845
XXXIV.	De Humoris aquei vitijs,	846
XXXV.	De humoris crySTALLINI vitijs,	847
XXXVI.	De Morbis humoris vitrei,	850
XXXVII.	De Nervorum opticorum vitijs,	851
XXXIIX.	De Spirituum opticorum vitijs,	853
XXXIX.	De Musculorum oculos moventium vitijs,	856
XL.	De Oculi defectu,	857
XLI.	De Oculi atrophia,	858
XLII.	De Oculi proidentia,	ibid.
XLIII.	De Strabismo,	860
XLIV.	De Cœcitate & visus debilitate,	862
XLV.	De Visus depravatione,	876
XLVI.	De Excretorum ab oculis vitijs.	884

PARTIS III.

SECTIONIS TERTIÆ

De Morbis & Symptomatibus Aurium.

Cap.		pag.
I.	De Intemperie aurium,	890
II.	De Aurium inflammatione,	894
III.	De Ulcere aurium.	897
IV.	De Vermibus & alijs quæ p. n. in auribus hærent, extrahendis,	902
V.	De Vulnere aurium,	904
VI.	De Sonitu & tinnitu aurium,	ibid.
VII.	De Gravi auditu & surditate,	913
VIII.	De Aurium dolore,	921
IX.	De Excrementis p. n. & fluxu aurium,	925

d

PARTIS

PARTIS III.
SECTIONIS QUARTÆ,
De Morbis & Symptomatibus Narium.

Cap.		pag.
I.	De Narium ulceribus & ozænis,	927
II.	De Cancro narium,	935
III.	De Polypo & sarcomate,	ibid.
IV.	De Angustia narium,	937
V.	De Vulneribus narium,	938
VI.	De Læso olfactu,	ibid.
VII.	De Fœtore narium,	942
VIII.	De Hæmorrhagia narium,	943
IX.	De Sternutatione,	956
X.	De Coryza.	958

PARTIS III.
SECTIONIS QUINTÆ,
De Morbis & Symptomatibus Lingvæ.

Cap.		pag.
I.	De lingvæ asperitate & scabritie,	959
II.	De Lingvæ magnitudine nimia, tumore, calculis,	960
III.	De Lingvæ vulneribus,	962
IV.	De Ranula sub lingua,	963
V.	De Lingvæ adstrictione,	964
VI.	De Læso gustatu,	965
VII.	De Lingvæ motu læso.	967

F. E. N. I. S.

INDEX

Index Quæstionum.

I.	A n in intemperie capitis purgandum?	pag. 6.
II.	Quot sint signa intemperiei capitis calidæ?	16
III.	An in calida intemperie capitis calida extra applicare liceat?	ibid.
IV.	An detur intemperies humida sine materia?	40 35.
V.	An pilulæ commodius, quàm aliæ formæ medicamentorum, ad caput evacuandum usurpentur?	46
VI.	Quo tempore pilulæ ad caput purgandum sint usurpandæ?	47
VII.	Cui loco ad caput evacuandum cauteria applicanda sint?	ibid.
VIII.	An cerebro consensu epatis affecto, dolor & molestia in dextra capitis parte; Lienis in sinistra; Uteri in vertice & syncipite percipiatur?	57
IX.	An coriandrum ad suppressendos vapores è ventriculo ascendentes sit usurpandum?	64
X.	Quænam vena in capitis affectibus aperienda?	67. 69
XI.	Quæ vena primò aperienda in affectibus capitis à mensium vel hæmorrhoidum suppressione ortis?	70
XII.	An arteriæ in affectibus capitis à sanguine secandæ sint?	ibid.
XIII.	An venas narium scalpello, vel hirudinibus aperire liceat?	72
XIV.	Cui loco cucurbitulæ revulsionis gratiâ sint applicandæ?	ibid.
XV.	An in intemperie cum humore bilioso etiam locum habeant discutientia & resolyentia?	79
XVI.	An acetum sinapis admiscendum?	98
XVII.	An odorata in intemperie capitis cum pituita conveniant?	99
XVIII.	An acetum melancholicis utile sit?	112
XIX.	An suturarum in capite defectus ad valetudinem conducatur?	129
XX.	An cerebri vulnera omnia sint lethalia?	184
XXI.	An opus sit in nostris regionibus tam accuratâ ratione in cranijs fracturis?	170
XXII.	An vulnera capitis per agglutinationem seu suturam; an vero per carnis generationem sananda sint?	190
XXIII.	Quo in loco contra fissuram fiat?	191

XXIV.	An cranium fissum statim & semper radendum sit?	192
XXV.	An duræ meningi denudatæ siccantia, an vero humectantia medicamenta imponenda sint?	193
XXVI.	An cranio fracto, cute verò integrâ manente, cutis secanda sit?	196
XXVII.	An in cranij fracturâ, etiam internam laminam penetrante, semper cranium aperiendum sit?	197
XXVIII.	An cerebrum inflammari possit?	202
XXIX.	An electivè purgantia in inflammatione cerebri aut membranarum ejus convenient?	209. 213
XXX.	An repellentia in inflammatione cerebri & ejus membranarum tepida vel frigida sint adhibenda?	210
XXXI.	An vertici cucurbitulæ affigendæ in cerebri tumoribus?	212
XXXII.	An vini potus in inflammatione cerebri & membranarum ejus conveniat?	214
XXXIII.	Quâ vi <i>σπασμὰ</i> & <i>ναρκοσμὰ</i> somnum concilient?	249
	Quomodo opium præparandum & corrigendum?	251
XXXIV.	Quænam comatis & cataphoræ causa sit?	258
XXXV.	An in vertigine vena secanda?	269
XXXVI.	An vomitus in vertigine per consensum à ventriculo conveniat?	284
XXXVII.	An vertiginis, quæ dantur, differentiæ sint saltem secundum gradus, an verò secundum speciem.	287
XXXVIII.	An intemperies, vel humor sine vapore vertiginem inducere possit?	288
XXXIX.	An repellentia locum habeant in vertigine per consensum partium inferiorum?	289
XL.	Quâ ratione prospectus ab alto & in profundum vertiginem excitet?	ibid.
XLI.	Quomodo, & quibus instrumentis actiones animales principes in sanis perficiantur?	291
XLII.	Quid sit Maslach Turcarum?	325
XLIII.	An læsâ phantasiâ ratio salva permanere possit?	328
XLIV.	An in omni phrenitide vena secanda sit?	332
XLV.	An in luce vel tenebris detinendi sint phrenetici?	336
XLVI.	An cerebrum, an verò membranæ ejus in phrenitide inflammationentur?	ibid.
XLVII.	An omnis inflammatio membranarum cerebri delirium afferat?	ibid.

XLVIII.	An Phrenitis fiat solum à membranarum cerebri, an verò etiam ab ipsius cerebri substantiæ inflammatione?	336.
XLIX.	An philtra amorem inducere possint?	358.
L.	An Antimonium in curatione Melancholiæ per consensum cordis & totius locum habeat?	376.
LI.	An Diuretica in melancholia hypochondriaca convenient?	396.
LII.	Qui fiat, quod maniaci & Melancholici interdum peregrinis linguis loquuntur, & futura prædicunt?	425.
LIII.	Qui fiat, quod maniaci cum tot diætæ erroribus tam diu vivant?	429.
LIV.	An & alia, præter canes, animalia in rabiem agantur?	430.
LV.	Cur canis præ reliquis animalibus sæpius in rabiem agatur?	ibid.
LVI.	An venenum Hydrophobiam inducens in corpore humano generari possit?	432.
LVII.	Cur rabidiaquam abhorreant?	433.
LVIII.	An pars demorsa à cane rabido statim amputanda?	437.
LIX.	An balneum & aquæ potus in Hydrophobia convenient?	441.
LX.	Quâ vi venenum animalium rabidorum agat?	442.
LXI.	An venæsectio in Hydrophobiâ conveniat?	ibid.
LXII.	An Purgantia in Hydrophobia convenient?	443.
LXIII.	An coma ἀρεπνον & catochus sint ijdem affectus?	454.
LXIV.	Cur non omnes homines, non singulis noctibus, instar Somnambulorum in somno ambulent?	455.
LXV.	Cur somnambuli ea agant, quæ vigilantes non possunt?	458.
LXVI.	Suffitus in Lethargicis ad excitandum ex somno an conveniat?	468.
LXVII.	An tremoris vox quandoq; etiam pro Rigore accipiatur?	500.
LXVIII.	An proxima tremoris causa sit una, facultatis motricis imbecillitas?	501.
LXIX.	An tremor ab errore externo quoque provenire possit?	504.
LXX.	Quomodo Hydrargyrum tremoris causa sit?	ibid.
LXXI.	Qui fiat, ut post Apoplexiam alterum tantum latus resolvatur, altero manente incolumi?	516.
LXXII.	An in paralyfi febrem accendere liceat?	545.
LXXIII.	An Galenus & Avicennas de causis paralyfis consentiant, & an frigus saltem densando nervos paralyfin inducat?	549.
LXXIV.	Qui humores paralyfis causa esse possint?	551.
LXXV.	An in nervos humor sese insinuare possit?	552.
LXXVI.	An sudorifera in paralyfi sint exhibenda?	553.

LXXVII.	In spasmo quæ causa musculos contrahat?	558
LXXVIII.	Cur in spasmo pars contracta immobilis maneat; in convulsivo verò motu variè agitetur?	ibid.
LXXIX.	An convulsi aquâ frigida perfundendi?	572
LXXX.	Quæ sit proxima convulsionis causa?	575
LXXXI.	An febris pro spasmo curando excitanda sit?	576
LXXXII.	An spiritus illi, qui sensui & motui inserviunt; an verò qui sensibus internis; an verò omnes spiritus animales in catalepsi congelentur?	586
LXXXIII.	An solus homo epilepsiâ laboret?	638
LXXXIV.	Quodnam sit subjectum epilepsiæ?	ibid.
LXXXV.	Quænam sit epilepsiæ causa proxima?	639
LXXXVI.	Quomodo cerebrum in epilepsiâ afficiatur, & quâ de causâ omnes sensuum actiones aboleantur?	642
LXXXVII.	An motus convulsivus in epilepsiâ fiat à facultate animali; an verò naturali?	643
LXXXVIII.	An sanguis in paroxysmo epilepsiæ sit mittendus?	645
LXXXIX.	An extra paroxysmum sanguis sit mittendus in epilepsiâ?	ibid.
XC.	Quænam vena in epilepsiâ sit aperienda?	646
XCI.	An vomitus in epilepsiâ conveniat?	ibid.
XCI.	An frictions in paroxysmo epileptico usum habeant?	ibid.
XCIII.	An in paroxysmo epileptico sternutationem ciere liceat?	647
XCIV.	An Apium epilepticis sit noxium?	ibid.
XCIV.	An Cranij humani aliquis in epilepsiâ usus sit?	648
XCVI.	Utrum amuleta possint in epilepsiâ?	649
XCVII.	An usus sanguinis humani conveniat in epilepsiâ?	650
XCVIII.	An à sola intemperie cerebri possit apoplexia generari?	684
XCIX.	An Apoplexia sit morbus hæreditarius?	685
C.	An à consumptione spirituum animalium omnimodâ fieri possit?	ibid.
CL.	Quæ sit causa apoplexiæ proxima?	686
CII.	An spiritus animalis & vitalis differant essentia?	ibid.
CIII.	In apoplexiâ cur principio nervorum affecto interni sensus lædantur?	690
CIV.	An à vapore narcotico fiat apoplexia?	691
CV.	Cur in senibus apoplexiâ in paralytin mutata nihilominus per- maneant torpidi sensus interni?	ibid.
CVI.	Apoplexia an à spiritu Vitriolato coagulante producat?	ibid.

CVII.	Apoplexiã an vapores solã cõmotione humorum excrementiorum in capite collectorum excitent?	692
CVIII.	Apoplexiã pueri cur raro corripiaatur?	693
CIX.	An aqua apoplectica statim in principio conueniant?	ibid.
CX.	An purgantia sint exhibenda in apoplexiã?	694
CXI.	An Vomitoria in paroxysmo apoplectico sint exhibenda?	ibid.
CXII.	An repellentia in apoplexiã conueniant?	695
CXIII.	An Cerota & emplastra è fimo columbino & thapsiã in catarrho calido conueniant?	724
CXIV.	Quanam forma decubitus & situs capitis in catarrho esse debeat?	725
CXV.	An omnis intemperies dolorem inducat?	734
CXVI.	An vini potus vini noxam pellat?	746
CXVII.	Ophthalmia an à solo sanguine fiat?	776
CXVIII.	Oculis an semper medicamenta actu frigida apponenda, ut vult Mesue?	781
CXIX.	Errhina an in ophthalmiã conueniant?	784
CXX.	Quo tempore topica in ophthalmiã applicanda?	788
CXXI.	An vinum in ophthalmiã conueniat?	792
CXXII.	An balneum in ophthalmiã utile sit?	ibid.
CXXIII.	An visus ictericis depravetur?	805
CXXIV.	An siccitas sit causa dilatationis pupillæ?	823
CXXV.	Visus quomodo lædatur in angustia pupillæ?	826
CXXVI.	CrySTALLINUS humor an tenuior fieri possit?	848
CXXVII.	CrySTALLINUS humor an maior vel minor fieri possit?	ibid.
CXXVIII.	An vitreus humor, à naturali constitutione defleuens, possit immediate visionem lædere, an verò saltem quia nocet crystallino?	850
CXXIX.	An nimia spirituum opticorum agitatio differat à vertigine?	853
CXXX.	An spirituum opticorum vitia per speculorum usu corrigi possint?	854
CXXXI.	Quomodo visio lædatur vitio spirituum opticorum?	865
CXXXII.	Siccitas nervorum opticorum an possit esse causa læsæ visionis?	866
CXXXIII.	Cur quidam in tenebris videant?	867
CXXXIV.	Qua ratione lumen uicæ inhærens ad visionem nocturnam concurrat?	ibid.
CXXXV.	Topica an visum confortent?	871

CXXXVI.	Conjunctionis nervorum opticorum quæ sit causa?	878
CXXXVII.	Cur vapores & humores intra oculum videantur?	883
CXXXVIII.	An ex intemperie nuda calida, à causâ externâ aures affici possint?	890
CXXXIX.	An sensus acumen sit causa tinnitus aurium?	906
CXL.	Debilitas auditus an sit causa tinnitus?	ibid.
CXLI.	Cur manu cavâ auri admota sonus percipiatur?	907
CXLII.	An sola intemperies calida sit causa doloris aurium?	921

F I N I S.



Practi-

I
ΣΥΝΘΕΣΙΣ.
BOSTON MEDICAL LIBRARY
1903

MEDICINÆ PRACTICÆ

LIBER PRIMUS.

*De Capitis, & Sensuum cùm internorum, tùm externorum,
motusq; spontanei p n. affectionibus.*

PROOEMIUM.



Vm omnium totius corporis huma-
ni præter naturam affectuum, morborum
nimirum, caussarum morbificarum & sym-
ptomatum, quæ ei præter naturam accidunt,
curandi rationem tradere, si Deus voluerit,
nobis propositum sit: usitatum Practicorum
ordinem secuti à Capite facimus initium.

Caput autem, supremo corporis loco positum, sensus & motus
organa continet, atque in cerebro, parte ejus præcipua, sensuum
internorum seu facultatum principum actiones perficiuntur,
spiritusq; animales elaborantur, & hinc in sensuum externorum
& motus organa, utpote sine quibus ij non perficiuntur, per ner-
vos distribuuntur.

Ut ergo delineatam in Præfatione methodum sequamur,
dicendum primò erit, quos morbos cerebrum patiat, quotq;ue
modis spiritus animales, qui in eo generantur & continentur, vi-
tiantur: quibus etiam morbis, quæ cerebro & tegumenti & mu-
nimenti loco sunt, meninges & cranium affici possint; & à quibus
causis morbi harum partium omnes proveniant; quâ ratione co-
gnosci, & quomodo curari queant.

Postea explicandum, quæ ab harum partium & spirituum
vitiis actiones læsæ, & symptomata ortum habeant. Et cum in

cerebro perficiantur, & ab eo originem habeant omnes sensus interni, sensus nimirum communis, ejusque affectiones, somnus & vigilia; Phantasia, ratiocinatio, item memoria ac motus animalis: dicendum primò, quæ circa somnum & vigiliam, quæ in phantasia ac ratiocinatione, quæ deniq; in motu animali symptomata & læsæ actiones occurrant, & singularum læsarum actionum causæ investigandæ.

Tandem de symptomatibus, in quibus cum sensibus internis ac ratiocinatione & motu animali etiam sensus externi, & itæ omnes vel pleræq; actiones animales læduntur, tractandum erit.

Post actiones læsas alterum symptomatum genus (nam tertium symptoma qualitarum mutatarum locum hîc non habet) explicandum, excretorum scilicet & retentorum in cerebro vitium; ubi duo symptomata præcipuè occurrunt, prius in excrementorum copiâ, quod vitium vulgò catarrhi nomine venit; & alterum in excrementorum cerebri retentione & suppressione.

Deinde similiter quot morbis sensuum externorum organa, nimirum tactus organum, oculi, aures, nares, lingua, corripitur, & qua ratione illi curari possint, tradendum. Posteaq; docendum, quæ actiones læsæ in his partibus accidant, & quæ sint earum causæ. Ubi agendum erit de Dolore in genere, & qui insignis sæpè est, de Dolore Capitis in specie; de læsionibus actionum, quæ in visu, auditu, olfactu, gustu obtingunt, & si quæ alia sunt circa has partes symptomata. Ac si aliquod symptoma ob vehementiam curationem, non minus, ut alia Indicanthæ postulet & adferat, quo modo illud tollendum vel mitigandum sit, monstrabimus.

Etsi verò & cutis capitis & capilli in eâ sua vitia habent: tamen quia cutis commune totius corporis tegumentum est, de ejus & capillorum vitijs suo loco inter externos corporis affectus dicemus.



LIBRI PRIMI

PARS I.

De morbis capitis.

CAPUT I.

DE INTEMPERIEBVS CAPITIS SINE

MATERIA, ET PRIMO DE CALIDA.



Erebrum primaria capitis pars est: id duplex membrana circumdat: Exterior quidem & Cranio propior illa, crassior & durior, quæ vulgò Dura mater; Interna verò, & proximè cerebri substantiam ambiens, tenuior, quæ vulgò Pia mater nominatur. Membranas cranii tegit: hoc pericranium: pericranium tegitur à membranâ carnosa: omnes tandem has partes cutis. De cutis morbis & vitijs, ut antea dictum, cum suo loco acturi simus, de cerebri, membranarum ejus, cranij & pericranij morbis hic agendum, & quos quælibet harum partium morbos pati possit, inquirendum.

Morbi in-
temperiei
capitis.

Sunt autem harum partium, ut & aliarum, morbi trium generum, intemperiei seu partium similarium, organici, & utrisque communes. Et primò quidem quod morbos intemperiei, & qui his partibus, quatenus similes sunt, competunt, attinet, Cranium, ut osseum & durum, quod-

que externas alterationes non ita facile admittit, vix ipsum insignem intemperiei morbum patitur, quandiu pericranio, membrana carnosâ & cute tectum est: verùm si propter vulnera sit denudatum, ab externo aëre alteratur & corrumpitur. Cerebrum verò & meninges intemperiei morbis sæpè corripuntur. Etsi verò intemperies aliqua nonnunquam inalterutra harum partium primùm excitari, & una earum plus, alia minus affici possit, & actionum quoque læsiones aliæ atque aliæ accidant, prout cerebrum & ejus membranæ plus afficiuntur: tamen quia tanta est harum partium connexio, tantusque consensus, ut si una insigni aliquâ intemperie laboret, fieri nequeat, quin & altera ejusdem fiat particeps; curandi etiam ratio ferè sit eadem: de intemperie harum partium conjunctim agemus. Si quid tamen, quod alterutri peculiare sit, occurreret, & illud attendemus.

Cum verò cum Galeno, de differ. morb. cap. 1. docuerimus, libro 2. Instit.

part. I. cap. 3. quod intemperies alia sit simplex; calida scilicet, frigida, humida, sicca; alia composita, calida humida, calida sicca, frigida humida, frigida sicca; & hæ omnes rursus vel sine vel cum materia: de his intemperiebus omnibus ordine hîc etiam inter morbos capitis dicendum. Quamquam enim intemperies sine materia raro dantur; & cum dantur, ferè à causis evidentibus & externis, (nisi morbus hæreditarius sit) ortum habent; plerumq; verò cum intemperie humor similis qualitatis conjunctus est: tamen utile est, scire, quam curationem intemperies quælibet per se & quatenus talis requirat; cum alio modo curetur intemperies sine materia, quam quæ cum materia conjuncta est. Quapropter ordine de ijs in specie agemus, si pauca quædam de morbis capitis & intemperiei in eo in genere præmiserimus.

De affectibus capitis in genere notanda.

Signa cerebri. n. affecti.

Primò omnes cerebri morbi multa signa communia habent, quæ Galenus, in *art. Med. cap. 76.* descripsit: *Quæ sunt, inquit, in cerebro dispositiones, ea cognoscuntur aut ex dementia speciebus, aut ex sensuum vel imaginationum lesionibus, aut ex actionum, quæ secundum electionem & voluntatem sunt, aut ex iis, quæ excernuntur per palatum, aures, nares, aut per differentias dolorum.*

In curatione capitis in genere.

Deinde in curatione affectuum capitis hoc in genere est notandum, cum caput supremo corporis loco

positum sit, & præterea venæ & arteriæ multæ, subtilem ac tenuem sanguinem & spiritus, quibus facillè subtilia & vaporosa excrementa permiscetur, cum pro nutritione ejus, tum pro spiritu animalium generatione deferentes cerebrum ingrediantur, atque in id desinant, cerebrumque, utpote frigidum & humidum, ac molle, vapores illos facillè imbibat, retineat, ac difficulter discutiat, imo potius condenset: in omni affectu capitis esse operam dandam, ne id à vaporibus ascendentibus lædatur. Ideoque non solum ipsum caput roborandum; sed imprimis cavendum, ne vapores in partibus inferioribus generentur, aut geniti ad caput eleventur. Quapropter in capitis affectibus abstinence æger à cibis & potu, qui multum vaporum emittunt, quale est vinum potens, ut & cerevisia fortis imprimis multo lupulo condita; & maximè vitandus talis potus ab exercitio & motu corporis vehementiore. Calefacto enim corpore caput vaporibus repletur, & corpore ab exercitio exinanito, spiritibusq; & animalibus & vitalibus deperditis, natura instaurationem eorundem appetit, & proinde fit potulenti adhuc semicrudi, in vapores resoluti, in venas & arterias raptus & translatio: unde & cerebrum vehementer turbatur, & excrementa multa cumulantur. Inter cibos, qui caput replent, est præcipuè lac, quod facillè corrumpitur in ventriculo, unde etiam Hippocrates, 5. *aphor. 64.* Lac nocere caput dolentibus, scribit. Caput

vere observanda.

Capitis nocentia.

etiam

etiam replent ipsique noxia sunt *Semen cannabis, lini, eruce, sinapi, daucus, capæ, bacca juniperi, dactyli.* Et quæ Galenus. 2. de comp. med. secund. loca cap. 1. in fin. & ex eo Aëtius, tetrab. 2. serm. 2. cap. 46. in omnibus capitis affectionibus vitare jubet, quod capitis dolorem inducât; *Viticis semen, absinthij succus, lactis potus, glandes quercinæ comestæ, olivæ nigra, arbuti fructus, mamecydon Græcis appellatus, ervum,* quod etiam articulos exfolvit, *myrrha, thus, hederæ corymbi,* & quæ mentem perturbant, *Lentisci fructus, crocus, peucedanum, cyclaminus sicca cum vino pota, syrax,* qui modicus quidem potus tristitiam discutit, multus autem turbulentos somnos efficit. Alij inter ea, quæ capite laborantibus minus commoda sunt, recentent etiam *avellanas, nuces juglandes, castaneas, schœnanthum,* quod capiti multum nocere scribit Savanorola, tract. 1. cap. 32. rubric. 1. Damnat etiam *columbas Vega,* scribitq; se observasse, eas peculiari ratione caput affligere, de quibus videatur Vallierola, Enarr. medic. lib. 5. Enar. 10. Caput quoque replet alvus conclusa, inedia. Sicut & noxium capiti est calceatis pedibus dormire.

Ne autem genitus vapor adscendat, exercitatio vehementior post cibum vitanda, vocis intentio, & spiritus efflatio vehementior, somnus meridianus in non assuetis, & statim à cibo initus, vel longior, vomitus, tussis.

De intemperiebus capitis sine materia in genere.

Postea de intemperiebus sine materiâ hæc in genere tenenda: Primò *caussæ* intemperiei sine materiâ omnia esse possunt, quæ vel extra vel intus quoquo modo cerebrum calefaciendo, refrigerando, humectando, siccâdo afficere possunt, quæ postea in specie patebunt.

Intemperies capitis sine materia.

Signa quod attinet, primò operanda, ut cognoscatur, an intemperies sit cum vel sine materia. Investigandum nimirum, an causæ aliqua evidentes præcesserint: quod si factum, intemperies plerumque est sine materiâ. Verùm potest etiam esse cum materiâ. Potest, inquam. Nam si causæ procatartica plenum corpus invenerit, aut fundendo humores, aut exprimendo, aut attrahendo intemperiem cum materia excitare potest. Si verò talis causæ absit, conjecturam facere oportet, à causâ aliqua interna malum extitisse, & ita cum materia conjunctum esse. Intemperies quoq; sine materiâ est sine sensu gravitatis, tensionis, punctiois, morsus.

Tertiò quoad *curationem,* intemperies sine materia hanc communem rationem obtinet, quòd sicut citra materiam est, & in sola qualitatum ac intemperiei mutatione consistit: Ita etiam quatenus talis ad pristinum & naturalem statum reducitur, solâ alteratione sine ullâ evacuatione. Etsi verò in intemperiebus capitis sine materiâ quandoque evacuandum sit: tamen id non postulat intemperies per se, & quatenus talis;

*In intem-
perie Ca-
pitis an
purgandū.*

neque intemperiei opponitur evacuatio : Sed ideo evacuamus, quia metuimus, ne, si corpus sanguine aut vitiosis humoribus plenum sit, caput ex intemperie debilitatum, & imbecillius redditum, abundantes in corpore humores faciliè admittat, atque ita affluentibus ad caput humoribus, ex intemperie, quæ sine materia est, intemperies cum materia evadat.

De Capitis intemperie calida sine materia.

Intemperies capitis calida.

Intemperies hæc etsi in nostris regionibus non ita frequens sit: tamen in regionibus calidioribus non infrequens est, ob æstum solis & aërem feruientem.

Causæ.

Causæ.

Quæ autem intemperiei calidæ causæ sint, lib. 2. *Instit. part. 2. cap. 10.* è Galeno, *de caus. morb. cap. 2.* docuimus. E quibus patet, cerebrum partesque vicinas in capite præter naturam calefieri posse, si homo in aëre calidiore, sub radijs Solis, præsertim nudo capite, vel in aere ab igne aut frequentia hominum calefacto commoretur, si calidis tegumentis caput supra modum vel diutius involverit; si medicamentis caput calefacientibus seu externis, ut fomentis, lotionibus, embrochis, oleis, linimentis, odoramentis & suffitibus calidis, præcipuè ambra & moschò, & hujus generis alijs, supra modum usus fuerit; seu interna usurpaverit, aut cibos & potiones calefacientes, aromatib. multis con-

ditas, vinum antiquum & generosum, Hippocraticum, mullum & id genus alia immoderatus sumpserit; si perturbationibus animi vehementioribus, vel diuturnioribus, irâ præcipuè, correptus fuerit: si diu vigilaverit; si cogitationes, quæ spiritus ad caput revocare, eosque variè movere solent, diu intenderit. Quæ causæ omnes eò facilius capiti calidam intemperiem inducere possunt, si homo cerebrum sua naturâ calidius obtineat.

Signa Diagnostica.

Percipitur calor tactu in cute capitis, præcipuè in fronte & temporibus, cutisque primâ manus injectio-
Signa Diagnostica.
ne statim aridior, quam ante apparet; intra cranium agitatio quædam percipitur & pulsatio in temporibus; facies & oculi apparent rubicundiores, lucem & splendorem refugiunt. Somnus est brevis & perturbatus, non profundus, à quo homo faciliè excitatur: vel etiam vigiliæ infestant. Æger faciliè irascitur. Inquietus est in motibus, in cogitationibus & imaginatione mutabilis; quorum utrumque ex spirituum levitate & mobilitate à calore contracta provenit. Præcesserunt causæ antea enumeratæ vel omnes, vel una. Delectant & juvant, quæ refrigerant: nocent, quæ calefaciunt & excessum caloris augent. A qua verò causâ intemperies ista contracta sit, sermones ægri docebunt. *De numero signorum intemperiei capitis calidæ controversiam vide in fine Capitis, quaestio. I.*

Progno-

*Prognostica.**Progno-
stica.*

1. Quò minor excessus caloris fuerit, eò malum tutius: quò major, periculosius: & metuendum tunc, ne inflammatio, delirium, aut alia mala atrahantur.

2. Curatio ipsa satis facilis est. In refrigerantibus tamen adhibendis cautè procedendum, ne cerebro aliquid damni afferatur; præsertim in pueris, mulieribus, & ijs, qui corpus mollius & tenerius habent, ac in otio vivunt; in senibus item, & ijs, qui catarrhis obnoxij sunt. In talibus enim corporibus medicamenta facilè penetrant, & caloris nativi vis non est tanta, ut majori frigori resistere possit: ideoque insigniter refrigerantium usu cerebrum facilè offenditur, & in contrarium malum deducitur.

*Indicationes.**Indicatio-
nes.*

Intemperies capitis calida refrigerantia indicat; & quidem major frigidiora, minor mitiora.

Et cum caloris tanta vis sit, ut etiam in corpore puro aliquid ab inferioribus sursum irahat, multo què facilis id præstet, si corpus plenum sit, atque ita caput repleatur, & intemperies, quæ à primo ortu sine materia est, in eam, quæ cum materia est, facilè transeat; ac præterea humiditates, quæ in capite sunt, à calore fundantur, partes què capitis à calore laxiores & imbecilliores reddantur: necessarium est, ut medicamenta, quæ ad refrigerandum caput in

principio adhibentur, aliquam adstringendi vim habeant. Adstringendi tamen illa facultas sit moderata. Nam si insignem vim adstringendi haberent talia medicamenta, & topicis vim ad inferiora penetrandi occluderent, & poros ac meatus adstringerent, vapores què, qui perspirare deberent, clausis meatibus retinerent, caput replerent, & malum auferent. Et si refrigerantium, quæ leviter adstringunt, copia nobis desit, ea sumamus, quæ citra adstrictionem refrigerant, & aliquid adstringentium misceamus. Et cum iste humorum versus caput raptus ac motus facilius fiat in corpore plethorico vel bilioso, sæpè sola refrigerantia & adstringentia non sufficiunt, sed ut affluxus humorum ad caput præcaveatur, necessarium est, sicut antea etiam dictum, ut sanguis, si is in corpore abundet, imminuatur, & à capite avertatur venæ sectione vel cucurbitulis: Bilis verò, si adsit, idoneis medicamentis, de quibus postea dicetur in intemperie capitis cum bile, evacuetur.

Quia verò cerebrum membrum nobile est, facultatum principum sedes, sensus & motus fons atque origo, spirituumque animalium officina, & minimam noxam facilè percipit: non licet tam audacter refrigerantia, ut in partibus ignobilibus adhibere, calorem què ejus obtundere, neq; in eorum usu diu persistere, aut ea frequenter applicare, sed per vices caput linteo sicco abstergere & siccare, aut leniter fricare oportet.

Et

Et cum ex refrigerantibus quædam stuporem inducant, ijs non utendum, nisi dolor aut vigiliæ instent. In declinatione quoque sola refrigerantia non usurpanda, præsertim in corporibus impuris, & quibus gravitatis aliquis sensus in capite percipitur. Cum enim per calorem p. n., ut dictum, caput faciliè aliquid superflui ad se, tanquam cucurbita, trahat, illud in fine resolvendum & discutendum.

Circa Topica caput refrigerantia quæ observanda.

Præterea circa externorum & topicorum utrum hîc notandum, quod, cum cerebrum cranio, ossè satis crasso, tegatur, 1. ea sunt admiscenda, quæ tenuitate substantiæ facilius penetrant, & alia medicamenta secum rapiunt, qua de causa acetum plerumque admiscetur. 2. Medicamenta eo loco applicanda, quo facilius penetrare ad cerebrum possunt: Ideoque cum cranium minus crassum sit circa frontem & tempora, & perivium etiam circa futuras: circa frontem, tempora, futuram coronalem & sinciput medicamenta topica applicanda sunt. Posteriori verò capitis parti sine fructu adhibentur refrigerantia; imò si ibi applicentur, nervos lædere possunt. 3. Et ut topica medicamenta suo munere rectius fungantur, abradere pilos sæpè utile est. Sunt quoque topica, si capitis calor sit insignior, actu frigida applicanda; Et ubi paulum incaluerint, iterum mutanda. Qua de causa etiam non crassa & multiplicia lintamina, è quibus caput incalescat, usurpanda. In corporibus verò mollibus,

in quibus fortius refrigerantia suspecta esse diximus, aliquid olei chamæmelini, anethini, sambucini admisceri potest. Topica quoque ratione ætatis moderanda, cum insigniter refrigerantia non ferant pueri, senes, & corpora mollia, ac qui catarrhis sunt obnoxij.

Neque solùm topica extra applicanda; sed cum per nares rectâ via ad cerebrum aer penetret, odoramenta quoque usurpare licet. Præterea cum magnus pedum & capitis consensus sit, pedum lotiones utiles sunt; sicut nec manuum inutiles.

Medicamenta simplicia interna.

FOLIA; *Lactuca, portulaca, plantaginis, solani,* quod fortius est & stuporem faciliè inducit. *Simplicia medica- mēta ca-*

Flores; *Rosarum, violarum, nymphææ, papav. albi, borraginis.* *put refri- gerantia*

Semina; *Lactuca, papaveris albi, melonum, cucumeris, cucurbitæ, citrulli, hordei.* *me- interna.*

Fructus; *Cucurbita, poma dulcicida, baccæ myrti & myrtillorum.*

Elignis; *Santalum.*

Quibus & alia refrigerantia commodè admiscere licet, ut: *Acetosam, endiviam, succum citri, acetum.*

Externa.

Eadem & extra adhiberi possunt:

Quibus accedunt

Folia; *Sempervivi, salicis, vitis, umbilici Veneris, myrti, cucurbitæ, nymphææ, lenticula palustris.*

Externa.

Semen; *Psyllij, lactuce, papaveris.*

Radix;

Radix; Rhodia, radix & cortex mandragora.

Succi; Foliorum salicis, vitis, semper-vivi, nymphaea, plantagin. solani.

Mucilagines; sem. psyllij, præcipuè cum aceto paratæ. De qua monet Matthæus de grad. lib. 1. pract. cap. 1. advertendum esse, ne semen rumpatur; cum ea saltem pars, quæ in superficie est, & à qua per agitationem cum aceto parum calido provenit, sit frigida & humida, intima verò acuta & ignea.
Lac.

Equibus parantur variæ medicamentorum formæ, quæ omnes capiti alterando utiles sunt, ut li. 5. Inst. part. 3. c. 1. dictum, è quib. nunc his, nunc illis, prout commodum fuerit, utemur.

De externis medicamentis etiam hoc monendum, etsi vulgò habeantur saltem pro frigidis simpliciter, tamen pauca eorum partes aliquas admittas habere calidas, quib. minima illa corpuscula calida, quæ cum intemperie calida conjuncta sunt, evocant, qualia sunt flores rosarum, violarû, nymphaeæ luteæ, sambuci, radix rhodia, semen psyllij & similia, quæ propterea etiam majore cum commodo & tutius adhibentur, quàm simplicia frigida; etiam ea de causâ, quod anodyna sunt, & dolores capitis, qui intemperie calidâ capitis laborantibus familiares sunt, mitigant.

Medicamenta composita

Interna.

Cõposita interna. Aque destillatæ; Rosarum, violarum, lactucæ, portulacæ, nymphaeæ, solani, curbitæ.

L.P.

Conservæ; Rosarum, violarum, nymphaeæ, citri.

Sirupi; Violarum, rosarum, nymphaeæ.

Condita; Caules lactucæ.

Julepi & Potiones; Julepus rosarum, violarum; & quæ fiunt ex sir. & aquis modò enumeratis: ut:

℞ Sir. violar. Unc. jß.

oxyfacher. simpl.

Julep. rosar. an. Unc. ß.

aq. hordei simplicis Unc. x.

vel aq. lactucæ

endivia

acetosa an. Unc. iij.

Misce pro duabus vel tribus dosibus.

Vel ℞. Sirup. violar. Unc. jß.

nymphaeæ

de endivia an. Drach. vj.

aq. lactucæ

cichor.

endiv. an. Unc. ij. F. Julep.

pro duabus dosibus.

Monet hic rectè Matthæus de gradib. pract. lib. 1. cap. 1. ut in dolore capitis, & febris quoque, non simus nimis parci in exhibendis sirupis & potionibus; sed in adultis ad ʒx portiones illas ex syrupis & aq. destillatis mixtas exhibeamus: cum in minore quantitate ad omnia membra & caput facillè non penetrent. Cui libenter subscribo; modò ægros obsequentes habeamus.

Emulsiones: ex sem. quatuor frig. major. papav. lactuc. ut:

℞. Sem. quatuor frig. major. excortic. Unc. ß.

papav. alb. Drach. ij.

B

Aq.

Aq. hordei ſ. ſ. ſ.

lactuca Unc. iij.

nymph. Unc. ij.

rosar. Unc. j.

F. Emulſio.

Ad le *Inlep.* vel ſir *viol.* Unc. j. ſ. M.

Species elect. de gemm. frig. diamar-
gar frigid. diatrion ſant al.

Electuaria;

℞. Conserv. violar.

rosar. an. Unc. j.

nymphææ

Lactuc. condite an. Unc. ſ.

Species diamarg. frig. Drach. ſ.

Cum ſir. violar. F. Electuar.

Vel *℞. conserv. rosar.*

borrag an Unc. ij.

sem. quatuor frig. major. excortic-
an. Drach. j.

Species diamarg. frig. Drach. ſ.

Cum ſir. violac. Fiat Electuar.

Rotulæ & Morſuli; *Diacodium al-*
bum ſolidum Auguſtanorum. Rotulæ ex ſpe-
ciebus ante enumeratis cum ſextuplo ſac-
char. in aqua convenienti diſſoluto.

Monet hæc etiam non ſine cauſſa
Matth. de Gradib. part. i. pract. cap. i.
in morbis cerebri calidis, & omnino
omnibus morbis, in quibus refrige-
ratione opus eſt, ſaccharo non niſi al-
biſſimo utendum eſſe; cum ſaccha-
rum minus purum & defecatum mul-
tum unctuofum vaporabilis & calidi par-
ticipet.

Externa.

Compoſita Epithemata, irrigationes, embrocha,
Externa. lotiones capitis ſunt ex ſimplicibus
ſupra enumeratis decoctis, vel ſuc-
cis eorum aut aquis, ut & lacte. Et

quidem liquida medicamenta, ſi fri-
gida actu applicentur, plus refrigerant.
Ac licet omnib. formis jam dictis ap-
plicari poſſint; tamen ſi à loco altiore
decidant, plus refrigerant. Ut autem
(ut & oxyrrhodina) non facile diffu-
ant, ſed diutius morentur, corona ex
panno lineo vellanâ convoluta ante-
riori capitis parti imponatur, & ita
applicetur, ut caput circumdet parte
antere, ubi capilli deſinunt, ex la-
teribus ſupra aures, in parte autè po-
ſteriore verſus occiput; quo modo ſi-
mul partes inferiores, facies & oculi,
non inquinantur, cum caput ſaltem
loco intra coronam medio irrigetur:
non verò, ut vult Altimarus, capit. 10.
juxta frontem, ubi pars piloſa deſinit,
& juxta utrumque ejus latus, locum
applicandæ coronæ lanæ, pro loco
oxyrrhodinis perfundendo ex Gale-
no malè intellecto accipiens.

Exemplgr:

℞. Flor. rosar.

nymph. an. M. ſ.

fambuci P. j.

Fol. ſalicis,

vitis,

lactucæ,

hordei an. M. j. Coq. ad conſum-
ptionem tertiz partis.

Adde *acetii* Unc. j. ſ. Coſatura frigi-
da vel tepida fronti & ſyncipiti panno
lineo imponatur, aut eâ caput per-
fundatur, aut ex alto irroretur.

Vel *℞. aq. rosar.* Unc. iij.

ol. rosar. Unc. ij.

acetii rosar. Unc. ſ.

album ovor. num. ij.

Conquaffata miſceantur & linteo
mul-

Epithema-
ta & em-
brocha
quomodo
capiti ap-
plicanda.

multiplicato fyncipiti & temporibus
imponantur.

Vel ℞. olei violar.

rosar.

nymph. an. Unc. ℞.

aq. rosar.

lactuca,

sempervivi an. Unc. ij.

aceti Unc. ℞.

Misce pro epithemate frontis.

Vel ℞. succi Lactuca,

portulaca,

soleni,

umbilic. ♀ an. Unc. ij.

sempervivi Unc. j.

Excipiantur spongia vel linteo &
fronti applicentur.

Vel ℞. aq. rosar, Unc. iiij.

fol. salic.

lactuc. an. Unc. j.

flor sambuci Unc. ℞.

olei violar.

rosar. an. Drach. vj.

aceti Unc. j. Misce.

Vel ℞. mucilag. sem. psyll. Unc. j.

olei rosac. Unc. j. ℞.

aceti Unc. ℞. M.

Valescus de Taranta, *libr. I. cap. I.*
hoc commendat:

℞. summ. vitis,

fol. salicis recent.

violar.

rosar.

nymph.

sem. papav.

lactuc.

portulac.

umbilici ♀ an. Unc. ij.

ol. viol.

rosar. an. ℞. ℞.

vini austeri Unc. iiii.

Coquantur & colentur ac li-
quer capiti Epithematis loco impo-
natur.

Oxyrrhodina hūc pertinent, quæ Oxyrrh.
antiquis in magno usu fuerunt, & o- dina.
mnib. aliis huius generis topicis præ-
feruntur à Galeno, 2. *Ἐτέπ. capite I.*
qui scribit, se ubi eius copiam habe-
ret, nullo alio usum fuisse medicamē-
to, sed hoc omnes curasse. Compo-
nuntur autem oxyrrhodina ex oleo
rosarum & parte aliquâ aceti. Oleum
autem illud sit eo anno factum, & o-
mnis alterius mixtura expers: & si ex
omphacino componatur, est in:io
morbi, quo tempore non nihil repel-
lendum, commodius; cum sit & frigi-
dus, & adstringendi aliqua facultate
præditum magis, quàm quod ex ma-
turis conficitur, quod iam caloris ali-
cuius est particeps, & in declinatione
utilius adhibetur. Additur autem a-
ceti aliquid, ut partium tenuitate fa-
ciliorem rosaceo transitū præstet, quo
in primis indiget omphacinum, quod
est crassioris substantiæ, magisq; ad-
stringit, & propterea ad penetrandum
ineptius est. Misturam autem aceti
Galenus, in *lib. de med. facil. parab. cap. I.*
definit, ut quarta pars aceti addatur;
quæ tamen mensura nō est strictè ob-
servanda, sed aliquando plus, aliquan-
do minus aceti addendum. Qui enim
tenerum & minus solidum corpus ha-
bent, in iis vehiculo multo oleum
non indiget; maiore copia verò, qui-
bus corpus densius est. In cerebro
quoque humido plus aceti tutius
admiscetur, (quia valde siccatur)

minus admiscendum in sicco. Siccat enim acetum & vigilias inducit. Dicitum etiam de oxyrrhodonis in Institut. libro 5. part. & sect. ult. cap. 39. diciturque etiam de ijs aliquid infra capit. 5.

Olea.

Olea; violarum, rosaceum, nymphaeae, myrtinum, cydoniorum, curbitae, ex floribus mali, sem. papav. quod tutius adhibetur, quam succus papaveris, sem. lactucæ, de falicibus.

Linimenta.

Linimenta; ut

℞. succi lactucæ vel plantag. Unc. ℞.

mucilag. sem. psyllij

aq. lactuc. extr. Unc. j.

ol. rosar.

violar.

nymphaeae an. Unc. jss.

Coquantur ad succorum consumptionem, Fiat linimentum.

Unguenta.

Unguenta; Rosaceum, refrigerans Galeni, populeum; album camphorat.

Vel ℞. olei violar.

rosar. an. Unc. jss.

papaveris Unc. ℞.

succisempervivi,

solani an. Unc. j.

aceti Unc. ℞.

Coquantur ad succorum consumptionem.

Adde santali albi

rubri an. Drach. ℞.

mucilag. sem. psyllij Unc. ℞.

camphora in aq. ros. dissol. gr. vj.

cera q. s. F. unguentum.

Vel ℞. cerat. albi Galeni Unc. ij.

succisolani vel cucum. Unc. i.

Ducantur simul in mortario, F. unguentum.

Vel ℞. ol. rosar. Unc. j.

mucilag. sem. psyll.

cydonior. cum aq.

ros. ext. an. Unc. ℞.

cera parum liquefacta ad ignē.

M. F. unguentum.

Vel ℞. mucilag. sem. psyllij

malv.

succ. portulac.

sempervivi an. Drach. j.

ol. rosar.

nymphaeae an. Unc. ij.

cera Drach. iij. F. Unguentum.

Vel ℞. olei rosar.

omphacin. an. Unc. iijj.

santali albi

myrtillor.

rad. rhodiae an. Drach. j.

cera alba aq. rosar. lota q. s. F.

Unguentum.

Cataplasmata: Emplastrum vel potius cataplasma Haly.

℞. Flor. rosar. rubr.

viol.

nymphaeae

sem. malvæ

farinae hordei an. Drach. iij.

santali albi & rubri

sem. papav. & cortic. papav.

sem. lactuc. an. Drach. ij.

meliloti Drach. j.

(Ad temperandum frigus reliquorum) F. pulvis. & incorporetur cum oleo rosaceo, succo lactuc. & aceto.

Vel ℞. olei violar.

rosar.

papaveris an. Unc. ℞.

farinae hordei

sem. papav. albi confusi q. s.

camphora Scr. ℞.

Miscellan-

Misceantur cum albumine ovi, Fiat cataplasma.

Vel folia psyllij contundantur & cum oleo rosaceo & pauco aceto in formam cataplasmat. misceantur.

Vel fl. violar. purpurear. rec. contusi fronti & temporibus imponantur.

Vel *Rx. Sem. papaveris albi* Unc. *℥*.

flor. rosar. rubrar. P. ij.

farina hordei Unc. *j.*

Cum lacte muliebri & oleo rosaceo, Fiat cataplasma, quod inter duo linteamina tenuia applicetur fronti.

Vel *Rx. Fol. lactuce* M. *ij.*

flor. rosar. M℥.

sem. papav. albi Unc. *℥*.

Coquantur ad mollitiem.

Contusis adde *farina hordei* Unc. *j.*

olei violar. q. s.

Fiat cataplasma.

Utile est & cataplasma ex folijs salicis & capreolis vitis cum pauco aceto.

Vulgus non incommodè placetas illas post destillationem aqu. rosar. in balneo relictas capiti applicat; quod medicamentum fit efficacius, si aq. rosar. vel alia conveniente irroretur. Nonnulli cataplasmat. loco & conservas refrigerantes usurpant, vel eas cataplasmat. admisceant; quod eo tempore tamen potest fieri, cum herbæ recentes & succi earum desunt.

Cerota & Emplastra. Cerota & Emplastra, & quæ solidiorcm formam habent, applicanda sunt abrasis capillis, & quotiescunque incaluerint, debent permutari. Tale est cerorum santalinum.

Ut *Rx. ceroti santal. diu cum lactuce succo in mortar. subacti* Unc. *j. ℥.*

F. Emplastrum.

Vel *Rx. pulv. rosar. rubrar.*

cap papav.

sem. lactuce an. Drach. ij.

camphora gr. vj.

olei violar.

cera an. q. s. Fiat cerotum.

Monet verò Trallianus, lib. i. c. 10. ut cera semper lavetur aqua frigida adjecta.

Sacculi; qui tamen, quia ex herbis *Sacculi.* & floribus exsiccatis parantur, ubi subita alteratione opus est, non ita efficaces sunt, nisi aquis refrigerantibus conspergantur; aliàs in diuturnis morbis & catarrho obnoxijis satis commodi sunt.

Ut *Rx. Flor. violar.*

nymph.

rosar.

fol. salic. ana M. ℥.

sem. papav. alb.

lactuce

santali citrini ana Drach. *j.*

Incisa & contusa crasso modo insuantur sacculo vel pileo linteo, qui capiti imponatur.

Pulveres. Licet quoque à capitis *Pulveres.* lotionem pulvere ex rosis, violis, santalo & similibus parato caput conspergere: sed & pulveres ob crassitiem tardius operantur.

Odoramenta.

Odoramenta.

Rx. Flor. rosar. p. ij.

violar.

nymph. ana p. j.

santali citrini Scr. *j.*

Ligentur in nodulo ex linteo albo vel sindone rubrà, qui aq. rosar. aut pauco aceto adspersi potest.

Vel *R. santal. citrini*
flor. rosar.

nymph. an. Drach. j.

camphora Scrup. *℞.*

Affundatur in vase angusti orificij aq. rosar. & supra ignem ebulliant, vaporq. naribus excipiat. Vel in aq. rosar. camphora dissolvatur, & aqua spongiola vel gossypium madescat, & sæpius naribus admoveatur. Camphora tamen cum per se non frigida sit, sed per accidens refrigeret, ejusq; odorem non omnes ferant, & vigiliis quandoque excitet, & caput gravet, cautè usurpanda. Quod & de alijs odoramentis accipiendum, quæ, quia talia sunt, ob vapores calidos, seu, ut Chymici loquuntur, partes sulphureas, caput facilè replere possunt; & in intemperie capitis calida, non tam frigiditatem inducendo, quam spiritus animales suaviter demulcendo, doloremq; qui calidâ capitis intemperie laborantibus familiaris est, leniendo profunt.

Globuli & Poma odorata fieri possunt ex floribus rosarum, nymphæ, sem. papav. lactuce, hyoscyami, si cum tragacantha. in aq. rosar. soluta excipiantur.

In nares quoque liquores refrigerantes actu tales attrahere utile est: Inter quos præcipuè commendatur lac muliebre cum oleo violar. nymph. vel emulsio sem. lactuc. papaver. facta cum aq. lactucæ.

Oris collutiones. *Oris collutionem fieri jubet Forestus, lib. 9. obs. 3. ex lacte ebutyrato acido incoctis prius thyrifis vitis & acetosellæ.*

Lotiones pedum & manuum.

Ut *R. Fol. violar.*

malv.

salic.

vitis

nymph. an. M. ij.

Flor. nymph.

rosar. an. M. j.

cap. papaver. num. x.

Coq. pro lotionem pedum & manuum.

Lotiones extremorum.

In declinatione, ob causam supra in indicationibus dictam, addantur ea, quæ modicè resolvunt & discutunt; ut oleum Chamæmelinum, vel solum, vel cum oleo rosar. mistum. Nam temperatum calorem obtinet, qui etiam calidis non multum obest, si actu frigidum adhibeatur; cum actuali frigiditate calidam intemperiem tollere statim possit: mox autem cum in actum deducitur à calore capitis moderato suo calore, si quid superflui est, discutere potest.

Vel *R. Mucilag. sem. althææ cum aq. flor. chamemel. extractæ, olei chamemel. an. Unc. j. rosacei Drachm. vj.*

Misce pro linimento.

Vel *Unguentum alabastrinum frõti & temporibus illitum. Videatur quoq; Galen. 2. de compos. med. c. 7. capite 1.*

Dieta.

Æger in loco frigidiusculo vel Aerem calidum cordus sit, corrigatur stratis in pavimèto foliis

rigendi
ratio.

foliis salicis, vitis, rubi, lactuca, floribus rosarum, violar. nymphaeae, & testulus ramulis earundem circumdetur; vel aq. rosar. aut communi frigida pavimentum irroretur; vel linreamina aqua frigida vel rosea madida in cubiculo suspendantur, vel aqua frigida de vase in vas transfundatur, vel flabellis aer ventiletur. Contra vitentur radij Solares, Balnea, hominum turba, quae expiratione & transpiratione aerem calefacit, & omnino aer calidior, & quae aerem calefacere possunt. Aer non sit lucidus valde, sed tenebricosus non nihil: Lumen enim spiritus, hi vero agitati humores commovent. Qua de causa vitetur quoque aspectus rerum rubrarum & aliarum coloribus lucidis praeditarum; odor aromatum & ipse noxius est. Cibi sint frigidi, ut hordeata, aut frigidis condiantur, ut lactuca, acetosa, cujus folia cum butyro cocta gratissimum praebent cibum capiti & cordi, portulaca, endivia, cichorio, sem. frigid. majoribus; succo uvarum immaturarum, citri, ceraforum, ribes, aceto, aq. rosarum. Abstineat ab omnibus ijs, quae supra caput replere, eique noxia esse diximus. Potus sit aqua simplex assuetis, cui aliquid julepi rosarum & violarum admiscerelicet: Aq. hordei, cui etiam sem. quatuor frig. majora addi possunt, vel cum aq. hordei ex ijs emulsio fiat. Adjicere etiam licet sem. papaveris, si aq. hordei somnifera expectatur, vel cerevisia hordeacea tenuis. Avicennas quoque commendat acetum cum aqua multa miltum, si aeger habeat sana viscera, sit sanguineus

natura, & assuetus aquam frigidam bibere.

Ut & acetivi vini Unc. j.

aq. frigid. Unc. v.

Misc. pro uno haustu.

Commodè aliquid julepi rosar. vel violar. addi potest.

A vino, praesertim generoso, planè abstinendum; cum praeter ceteris caput tentet & calefaciat. Alvus sit laxa, ne vapores acres ad caput adscendant, & si sit ignavior, vel cibus alvum lenientibus in prima mensa exhibitis, vel clysteribus laxetur. In secunda vero mensa cibi sumpti adstringendi aliqua vi praediti sint, ut adscensum vaporum ad caput prohibeant. Quod praestant, cum superius ventriculi orificium claudendo, ejusque vim retentricem, ne vapores & partes chyli spirituosas nimis citò defluere sinat, roborando; tum, quando crassa sua substantia se cibus immiscet, prohibendo, ne chyli spiritualescentis pars tenuior nimis citò & confertim in venas & arterias melaicas diffundatur, sed in ventriculo tamdiu moretur, donec cum crassiore chyli parte probè mixta sensim in reliquum corpus commigret. Otium, quies, aut somnus aegro utilis est. Vitentur omnia, quae spiritus & cerebrum turbant, agitant & calefaciunt; ut animi perturbationes, ira praecipue, strepitus & clamor, soniq; omnes vehementiores. Venus accorporis motus vehemens, inedia.

QUÆSTIO I.

De Signis.

*Quot sint
signa in-
temperiei
capitis ca-
lida.*

Videtur quædam diversitas in Au-
toribus in recensendis signis intem-
periei calidæ. Paulus lib. 3. cap. 4. tria
tantum signa intemperiei calidæ ponit,
cutem prima manus injectione
aridiorem, rubentes oculos, quod ju-
ventur frigidis, lædantur calidis. *Avi-
cenn. lib. 3. Fen. I. tractat. I. cap. 19.* & eum
secuti P. act. ci. plura addunt, quæ nos
etiam recensuimus. Neq; omnia calori
per se competere videntur. Verum
etfi Medicus distinguere debeat
inter communia & propria, & ea quæ
per se & per accidens fiunt: tamen omnia
Medico nota esse debent. De
quo *Costæus* in annotat. in *Avicennam*,
lib. 3. Fen. I. tract. I. cap. 23.

- QUÆSTIO II.

*An in Calida Intemperie Ca-
pitis calida extra appli-
care liceat?*

*Calida to-
pica an in
Intemperie
Capitis
Cal. con-
veniant.*

Ab Antiquioribus equidem id ten-
tatum non memini. Sunt verò ex re-
centioribus Medicis, Chymicis præ-
sertim, qui in doloribus capitis, etiam
à causa calida spiritum vini subtilissi-
mum extra adhibere jubent. Quod
etfi plurimis absurdum videatur, qui-
busdam tamen non displicet; cum
hoc modo pori aperiantur, spiritus-
que fervidi ratione similitudinis attra-
hantur. Neque res videtur esse de ni-
hilo; imprimis si à causa calida exter-
na intemperies illa inducta sit. (Neq;
enim in omni intemperie capitis ca-
lido sine periculo id fieri potest.) Nam
idem de Camphora quæri potest, quæ

etfi vulgo frigida esse statuatur: tamen
doctissimi hodie Medici rei evidentia
edocti, quiq; ejus inflammationem,
partium tenuitatem, odorem, saporem
considerarunt, calidam esse rectè sta-
tuerunt. Maximè enim inflammabilis
est Camphora partiumque summa te-
nuitate prædita, sapore acri, odore
maximè penetrante, vigilias inducit:
quæ omnia caliditatis argumenta
sunt. Quibus omnibus persuasi ad
intemperiem capitis refrigerandam
nonnulli planè ineptam censent, ve-
teresq; de alio succo vel gummi locu-
tos putant; alij verò in capitis intem-
perie calida corrigenda ideo saltè ad-
hiberi putarunt, ut partium tenuitate
reliquis medicamentis viam muniat.
Verum probabilius est, ratione simi-
litudinis calidos vapores evocare; sic-
ut combustis non frigida, sed calida,
refrigeratis tempore hyberno mem-
bris non calida, sed nix & aqua frigida
adhibentur, eadem de causa. Imo il-
lam ipsam ob causam etiam humida
humiditates è corpore evocare valét,
sicut cochlearum caro extra applicata
ex intimis quoque corporis partibus
humores evocat, ut *Galenus*, II. de
simpl. med. facult. docet; & experientia
id testatur.

CAPUT II.

*De Intemperie Frigida Ca-
pitis sine Materia.*

Causæ.

Intemperiem frigidam capiti indu-
cunt, imprimis aer frigidus, sive ob
anni tempus talis, sive ob peculia-
rem

*Camphora
tempera-
mentum.*

*Intempe-
ries Capi-
tis frigida.
rem*

rem constitutionem, ut ventos frigidos, quales sunt boreales, sive ob regionem. Is enim cum & per nares admittatur, & extra caput ambiat, illud præcipuè nudum, vel non satis coopertum alterare potest. Lotiones item & medicamenta refrigerantia extra immoderatus adhibita; Medicamenta quoque & alimenta refrigerantia, ut lactuca, portulaca, endivia, papaver &c. Nimia itè sanguinis evocationes, gaudium nimium, Venus immoderata, quæ spiritus absument; quies nimia & somnus, tristitia ac timor, quæ calorem & spiritus quasi suffocant. Nonnulli etiam lacrymarum profusionem nimiam addunt. Et facilius istam intemperiem ij contrahunt, qui antea cerebrum frigidius habent. Reliquæ causæ refrigerantes vix solam intemperiem inducunt, sed ferè materiam simul accersunt. Et facilius intemperie frigidâ capitis pars posterior afficitur, calidâ contra synciput: Unde in affectibus capitis frigidis nonnulli maxime occipiti calefacientia medicamenta adhibent.

Signa Diagnostica.

Signa Diagnostica. Caput tangenti frigidius apparet; facies pallet; venæ in fronte & temporibus minus sunt conspicuæ; oculi subtrument, non rubent, sed pallore potius deformantur: gravitas tamen capitis manifesta non adest: Alioquin simplex intemperies non esset, sed cum materia conjuncta. Eger ad somnum est propensior, animi vigor minus acris est; quia spiritus etiam refrigeran-

P.L.

tur. Eademque de causa torpor & pigritia quædam in membris motui dicatis percipitur. Præcesserunt causæ refrigerantes. Nocent frigefacientia; profunt calefacientia.

Prognostica.

I. Intemperies cerebri frigida sine materia equidem non ita difficulter curatur. Et tutius adhibetur cerebro calefacientia, quàm refrigerantia. Cavendum tamen & hîc, ne quid in excessu peccetur; cum nimium calefacientia vigiliâs, deliria, & similia mala inducant.

II. Recens tamen si sit intemperies frigida, facilius curatur, ideoque ei statim occurrendum. Nam si diutius duret, & in habitum quasi convertatur, curatur difficilior.

Indicationes.

Intemperies cerebri frigida calefacientia indicat: Et si hæc recens, levioribus. primò tractanda; Inveterata verò calidorum cõtinuatione opus habet. Tutius tamen applicantur calefacientia occipiti, ob nervos, qui eo loci habent originem, quibusque frigida inimica, calida amica, quàm syncipiti, ubi plures sunt arteriæ calidos vehementes spiritus, qui facilè incalescunt.

Si tamen corpus sit impurum, illud prius evacuandum, ut calefacientia medicamenta tutius usurpentur, & ne à cacochymia alicubi hærente affectus augeatur, & ex intemperie sine materia fiat intemperies cum materia. Quod quomodo fieri debeat, postea de intemperie capitis frigida cum pituita dicitur; Hic intem-

C

periei

periei frigidæ sine materia curatio-
nem subjungemus.

*Medicamenta simplicia caput
Calefacientia Interna.*

Caput ca-
lesfacientia.

Radices; *Pæonia* Lunâ de crescente
collectæ, *feniculi*, *ireos*, *caryophyllata*,
helenij, *aristolochia*, *angelica*, *dictamni al-
bi*, *valeriana*.

Folia; *Rorismarini*, *majorana*, *ruta*,
betonica, *salvia*, *hyssopi*, *melisse*, *calamin-
the*, *origani*, *pulegij*, *primula veris*, *euphra-
sæ saturiæ*, *scarleæ*, *feniculi*, *lavendula*,
lauri, *centaur. minoris*, quo l nervis di-
catum est, *mari*, *chemapithyos*, *thymi*,
serpilli, *ocymi*.

Stæchas.
Arabica.

Flores; *stæchad. Arabicæ*, quæ ut *Me-
sue*, *capite de stæchadè*, habet, educit
choleram nigram & phlegma, & mû-
dificat cerebrum ac nervos & organa
sensuum, ac confortat ea, & valde
confert ægritudinibus factis in ipsis,
secundum omnem modum usus ejus,
sive in potu sive in fomentis & lava-
cris, *Rorismarini*, *lavendula*, *lilij conval-
lium*, *salvia*, *scarleæ*, *betonica*, *pæonia*, *pri-
mula veris*, *tiliæ*, *tunicis*, qui contra ver-
tiginem, Epilepsiam, paralytin, con-
vulsionem & tremorem commen-
dantur.

Semina; *Pæoniæ*, *anisi*, *feniculi*, *file-
rii montani*, *carvi*, *basilici*, *coriandri præ-
parati*, *pastinacæ sylvestris*, *cumini*, *dauci*,
sinapis erucæ.

Ligna; *Aloes*, *visci querni*, *coryli*, *juni-
peri*, *fraxini*, *guajaci*.

Fructus; *bacca lauri*, *juniperi*, *ana-
cardia*, *carpobalsamum*.

Aromata; *Cubeba*, *cardamomū*, *gra-*

na paradisi, *nux moschata*, *macis*, *calamus
aromaticus seu acorus*, *caryophylli*, *cina-
momum*.

Succi & liquores; *Opobalsamum*, *vinū*,
Gummi; *Thus*, *masliche*.

Marina; *Succinum*, *ambra*.

Ab animalibus petita; *Castoreum*,
quo vix aliud inter simplicia in calefa-
ciendo cerebro efficacius & potentius
est, *moschus*, *zibethum*.

Externa.

Eadem & extra adhibere licet, qui-
bus addi possunt.

Folia; *Verbenacæ rectæ*, quam omnitū
maximè discutere & perfectè caput
roborare, maximè viridem, imò & a-
ridam cum radicibus ac simul cum
serpillo oleo incoctam, scribit *Gale-
nus*, *z. de compos. med. sec. loc. cap. 2. Lauri*,
Nicotiana, *asari*, *absinthij*.

Radices; *Asari*.

Flores; *Chamæmeli*, *meliloti*.

Semen; *Nigellæ*.

Gummi; *Juniperi*, *tacamahaca*, *euphor-
bium*.

Succi; *Ladanum*.

Animalia; *Asellos* quoque sub aquario
vasenascetes, qui millepedæ appel-
lantur, maximè prodesse, si oleo in-
coquantur, testatur *Galenus loco alle-
gato. adeps ursi*.

Ex quibus parantur & componun-
tur Interna & Externa.

Composita Medicamenta

Interna.

Decocta.

Cephalicum Langj in ep. p. 740.

R. Fol. *betonicæ*,

salviæ,

Decocta

cephalicæ

flor. calidæ

flor. stœchad. Arab. an. M. ß.
rad. pœonia,
sem. fœniculi, an. Drach. iij.
nucis mosch. Drach. ß.

Coquantur in aq. simpl. lb. ij. ad
tertix partis consumptionem: cola-
tura, si libet, dulcoretur saccharo.

Vel ß. rad pœon.

caryophyl. an. Drach. ij.
majoranae,
betonicae,
salviae ana M. j.
flor. stœchad. Arab. p. ij. |
rorismarin.
lavend. an. p. j.
sem. anisi,
fœniculi an. Drach. j.

Coquantur in aq. puræ lb. ij. ad ter-
tiz partis consumptionem. Post co-
ctionem stent horis tribus in loco ca-
lido: deinde colentur.

Colaturæ adde sacchar. Unc. iij.

Clarificentur & ad Julepi formam
coquantur.

Atque inter coquendum in nodulo
suspendantur

caryophyll.
macis,
cinamomi, an. Drach. ß.
nucis moschate, Scrup. ij.

Vel ß. radic. acori veri,

galange, an. Drach. ij.
pœonia Unc. ß.

primula veris,
salviae minor.
majoran. an. M. j.
hyssopi M. ß.
sem. anisi.

fœnicul.
seselios an. Drach. ij.

Flor. stœch Arab.
rorismarin.
salv. ana p. j.

Coq. in aq. s. Colaturæ

ß. libr. j.

Sacchar. Unc. iij.

F. potio clarificata, quæ aromati-
setur pulver. nuc. mosch. & speciæ.
diamosch. dulcis, ana Unc. ß. Sumat
æger mane Unc. iv. vel v.

Vina Medicata & Cla- reta.

Vinum melissatum, salviatum, roris- Vinum &
marini, stœchad. Arabic. betonic. Clare- claretum
tum in Instit. lib. 5. part. 3. sect. 3. c. 4. de- cephalic.
scriptum.

Vel ß. Nucis moschat.

macis.

caryophyll. an. Unc. j.

cardamomi,

cubebæ, an. Unc. ß.

sem. anisi,

fœnicul. an. Drach. ij.

conserv. rorisnarin.

bugloss. an. Unc. j.

spec. aromat. rosati

dianthos an. Drach. j.

Affunde vini albi vel Malvatici
mensuras iij. Stent per tres dies in in-
fusione: postea colentur aliquoties
per manicam Hippocratis.

Fiat Claretum.

Vel ß. Cinamom. Drach. vj.

caryophyll.

nucis mosch.

galange,

cubebæ.

cardamom.

granor. paradisi,
sem feniculi an. Unc. β.
Vvarum passarum lb. j.
rosar. rubrar. Unc. iij.
rorisfmarini,
serpilli ana Unc. ij.

Indantur sacco & suspendantur in vase capiente mensuras xx. & affundatur vinum vel mustum, si haberi potest, quod est commodius.

Cerevisia eodem modo condiri potest *Salvia*, *melissa*, *roremarino*, *betonica*.
 Ut R. *Zinziberis,*

cinanom. an. Unc. j.
rad. caryophyllata Unc. β.
helenij,
baccar. lauri an. Drach. ij.
macis,
nucis moschat. an. Drach. β.
cardamomi Drach. j.

F. pulvis, qui ligetur in nodulo raro.

Mulsam.

Mulsam
sephalicū.

R. *Cinanom. elect. Drach. j.*
caryophyll.
nuc. mosch. an. Drach. ij.
calami aromatici,
cardamomi,
granorum paradisi,
coriandri preparat. an. Drach. j.
 Affunde vini mensuras iij. vel iiij.

Mellis despumati lb. j.

Bulliant in vase clauso in balneo per dimidiam vel integram horam: postea colentur per manicam Hippocratis.

Hydromel.

R. *Mell. opt. lb. x.*

aq. pura lb. i. x.

Coquantur & despumentur s. a.

Postea in sacculo conclusa imposito.

Salvia
origani
artemisia
hormini
hyssopi
betonica an. M. j.

Item in alio sacculo, *baccarum Lauri conquassatarum lb. j.*
flor. lupuli M. iij.
bordei integr. P. ij.

Omnia coquantur & despumentur ad tertiæ partis consumptionem, donec liquor ovum in superficie sustineat. Colentur, & in vasculis liquor concipiatur, in quibus fermentetur. Fervore aliquâ parte peracto in nodulo suspendantur hæc aromata.

R. *Cinamomi*
caryophyll.
galanga
piperis
granor. paradisi an. Unc. β.

Fervore planè absoluto vascula tota repleantur, tribus mensibus elapsis mulla ad capitis affectus frigidus efficax exhibetur.

Extat etiam hydromel in *Instit. libr. 5. part. 3. sect. 3. cap. 4.*

Aqua Destillatæ & Spiritus.

Simplices; *Rorisfmarini, salvia, majorana, betonica, lavendula, melissa, primula veris, lilij convallium, flor. stœchados phalica Arab. flor. rilia, pœonia, origani, calamin. calida. thea, juniperi, serpilli, cinamomi, tunicis, angelica, caryophyllata, macis, cubearum, pulegij, ruta.*

Com.

Compositæ; Cephalica duæ in Instit.
lib. 5. part. 3. sect. 3. c. 5. Lavendula com-
pos. ibid. & aqua infusionis Lavendulae Au-
gustini Schurffij, quæ paucis mutatis ita
componitur.

℞. flor. lavendul. M. ij.
nuc. mosch.
zinzib.
cubebar. an. Drach. iij.
cin. momi opt.
galanga
macis
calami aromatici
sem. eruce an. Drach. j. β.

Infundantur in vini Rhenani libr.
iiij. per dies aliquot, postea in arena
destillantur.

Aqua Cephalica Langij, quæ hæc
est.

℞. Flor. anthos
rosar. rubrar.
majorane an. M. ij.
flor. bugloss. M. j.
spec. confect. anacardina. Unc.
ij.

aq. bugloss.
betonica
flor. tilia an. ℥. j.
lavendula ℥. β.
spiritus vini ℥. j. β.

Infundantur per mensem, postea
destillantur.

Aqua Cephalica
Quercetani.

℞. Flor. primul. veris
Rorismarin.
Majoran.
Betonic. ana. M. j.
spec. diamosch. dulc.
diambra an. Drach. vj.

confectionis anacardinae. Unc. β.

Cubebar.
Ligni aloes
nuc. mosch.
caryophyllor.
piperis longi
carpobalsami an. Drach. j.
rad. acori

aristolochie rotunda
ireos an. Unc. j. β.
gran. juniperi Drach. ij.
sem. si. ler. montani
anisi
fœnic. an. Drach. j.

aq. primul. veris
betonica

℥. salvie an. q. s.

(aut, quod commodius, vini gene-
rosi q. s.)

Infundantur diebus 8. postea de-
stillantur in cineribus calidis. Fiat a-
qua, cujus cochlear exhibeatur.

Vcl ℞. Flor. lilior. convall. M. j.

salvia Mij.
rosar. M. ij.
lavendul.

melisse an. M. ij.
nucis moschat. Drach. ij.
caryophyll. Unc. j. β.
macis Unc. β.

Affundatur vini q. s. stent in loco
frigido trib. septimanis, postea destil-
lantur.

Olea destillata; Rorisnarini, majora-
na, lavendula, melisse, salvia, caryophyll. stillata
macis, nuc. mosch. cinamom. fœniculi, an-
Cepha-
gelice, pulegij, anisi, ruta, carvi, juniperi, lica.
succini. E quibus etiam fiunt balsama,
de quibus infra.

*Tinctura
Cephalica*

Tincturæ, Extracta, Essentia Chymicis dictæ; *Rutæ, calami aromatici, pœonia, rorismarini, succini, melissa, &c.* Extractum Cephalicum *Quercetani, Matthiol. in Instit. vel Hec:*

℞. Rad. acori,
pœon.
visc. querc.
lign. aloës
bacc. junip. an. Unc. j.
sem. pœon. Drach. vj.
cinamom.
caryophyllor.
macis
cardamom.
fruct. anacard. an. Drach. ijß.
flor. anthos,
salv.
primul. veris
pœon.
calendul.
betonic.
lavendul.
stœchad. Arab.
lilij convall.
eupbrag.
tilie an. Pj.

Incidenda incidantur, contundenda contundantur, & affundatur

Spiritus vini, ut digitis quatuor emineat. Digerantur in balneo diebus 8. Inde fiat colatura, liquorque per destillationem ad extracti liquidi consistentiam separetur, cujus dosis Drach. j. Destillatum etiam pro aqua cephalicâ usurpari potest ad Unc. ß.

Sirupi Cephalici calidi. Sirupi; De *stœchad. simpl. & compos.* qui Epilepsiz, spasmo, paralyfi, tremori & omnib. cerebri & nervorum

frigidis affectibus utilis est; nisi catarhus obftet: tunc enim aliquid ex astringentibus addi debet; *Betonice, rutæ, pœonia, melissa, de calamintha, melanthosatum, anacardinum.*

Conservæ; *Betonice, salvia, lavendula, melissa, anthos, majorana flor. tilie, lilij convall. primula veris, stœchados, pœonia, tunicis.* Conservæ.

Condita; *Nux moschat. calam. aromaticus, myrobalani chebula, nux juglans, cum aromatibus radic. pyrethri, cortic. citri.* Condita.

Confecta; *Cubearum, sem. anisi, Cöfectio fœniculi, coriandr. carui, caryophyll. cinamomi* Confectio.

Rob; *Iuniperi.*

Species & Pulveres; *Diambre, diamoschi dulc. aromat. rosat. caryophyllati, diaxyloaloes, dianisi, letitie Rhasis.* Pulveres.

Vel ℞. Rad. acori Drach. iij.

flor. stœchad. Arab.
coriandri preparati,
cinamom. an. Drach. ij.
sem. fœniculi,
fileris montani, an. Drach. jß.
corall. rubr. preparat. Drach. j.
flor. rorismarini, Drach. ß.
nucis moschat.
sem. anisi,
pœon.

cardamomi an. Drach. j.
sacchari anthosati ad pondus omnium, F. pulvis.

Vel qui Langio tribuitur pulvis *calidi* *Lægij pulvis cephalicus.*

℞. *Majorana,*
salvia,
lavendul.
stœchad. arab. an. Scr. j.

cina-

cinamom.
 cubebaram,
 galanga.
 feminis callitricibi,
 caryophyll.
 zedoarie,
 sem.feniculi,
 xyls aloes, an. Drach. ℞.
 betonica,
 roris marini,
 melissa,
 nucis mosch.
 coriandri preparat. an. Drach. iij.
 cardamomi,
 piperis longi,
 granorum pæon. an. Drach. j.

macis,
 Zingiberis, an. Drach. ℞.

sacchari ℞j.

F. pulvis.

Pulvis ad omnes frigidos capitis
 affectus habetur apud Quercetanum,
 in pharmacop. dogmat. restit. c. 40.

Vel ℞ Nucis moschat.

macis,

zingib.

caryophyll.

galanga,

sem. anisi,

feniculi,

ruta,

carui,

thuris,

salvie minoris.

cinamom. an. Drach. ij.

sacchar. ℞. ℞. Fiat pulvis.

Vel ℞. Sem. cumin.

coriandr. preparat. ana
 feniculi, (Drach. ℞.

macis,

zingib.

cubebær.

radic. pæon. an. Drach. ij.

cinamom. Drach. j.

Fiat pulvis.

Vel ℞. Radic. Ireos Florent. Unc. ℞.

zingiberis,

galang.

majoran.

calam. arom. an. Drach. ℞.

piper. longi Scr. j.

sacchari albi ad pondus omnium.

Fiat pulvis, non solum caput cale-
 faciens, siccans ac confortans & ca-
 tarrhos absumens, sed & reliqua mē-
 bra roborans.

Vel ℞. Nucis moschat.

cardamomi,

cinamom.

ligni aloes, an. Drach. j.

sem. pæon.

coriandri preparat. ana

Drach. ij.

specier. diambra,

diamosch. dulcis, ana

Drach. j.

succini albi Drach. ℞.

Fiat pulvis.

Boli.

Boli.

℞. Conserv. betonicæ,

salvie, an. Unc. j.

Mithridat. Scr. ij.

Cum sacchar. Fiat Bolus, qui

divisus sumendus in introitu lecti,
 duabus vicibus.

Vel ℞. Conserv. rosar. Unc. ℞.

anthes Unc. j.

tberia

*theriaca**mithridat.* an. Scr. j.Cum *facch.* Fiat Bolus, cubituro sumendus.

Electuaria *theriaca*, *Mithridatium*, *aurea Alexandrina*, *diacorum*, *diacastoreum*, & quale habetur in *Instit.* lib. 5. part. 3. sect. 3. cap. II. *confectio alchermes.*

Langij hoc:

℞. *Diacori* Unc. j. β.*conserv. majoranae,**lavendula,**rorismarini* an. Unc. j.*stoechad. arabic.* Unc. β.*specier. diambrae,* Scr. v.*caryophyllor.**cardamomi,**cinamomi,* an. Scr. ij.*cubebae.**nucis moschat.**galange,* an. Drach. β.*visci querni* Scr. ij.*corall. rubr.* Scr. j.Cum *faccharo* in aqua *lavendulae* dissoluto F. *Electuarium.**Rotulae & morfuli.*

Rotulae & Morfuli. Fiant ex speciebus modò enumeratis, quibus & olea destillata & extracta addi possunt; ut:

℞. *Specier. aromat. rosar.**diambrae,* an. Drach. j.*olei caryophyll. gut.* iij.*facchar. in aqua lavendulae dissoluti* Unc. ij.F. *rotulae.*Vel ℞. *Sacchar. in aqua betonica dissolut.* Unc. iij.*olei anisi gutt.* vij.*rorismarin. gutt.* iij.*salvia* gutt. ij.*ambra grysea* gr. v. F. *rotulae.**Trochilci; De Gallia moschata, dianisi, de succino.*

De interiorum medicamentorum omnium usu & hoc notandum, si totum corpus simul calefacere animus est, ventriculo vacuo ea esse assumenda: Ita enim promptius in totum corpus distribuuntur. Si verò tantum caput calefaciendum, commodius sumuntur post cibum: sic enim diutius circa os ventriculi hærentia efficacius caput afficiunt. Modò non sint ex ijs composita, quæ ad distributionem cibi vehementiorem faciunt. Talia enim post cibum exhibere prohibet Galen. 4. de sanit. tuend. cap. 7.

Externa.

Inter quæ liquidiora omnia actu *Externa* calida admoveantur, & eligantur prima. modò ea, quæ minus calida sunt; quæ vehementiora calor calidiora sunt, admoveantur, dum put calidiora sunt, admoveantur, vapores sursum ad caput alluciantur.

Validiora quoque non tutò, nisi post totius corporis evacuationem, applicantur.

Epithemata, fomenta, embrocha, lotiones. Epithemata.

Exemplum est in *Institut. lib. 5. part.*

3. sect. 3. c. 41.

Vel ℞. *Flor. lavendulae**chamamel.* an. M. j.*Folior. lauri**hyssopi,**betonic,**majoran.* an. M. ij.

Coquan-

Coquantur in sufficiente q. lixivij
vel aq. pro lotionē capitis.

Vel ℞. *Flor. betonic.*

serpilli,

majorana,

origani,

lauri,

flor. chamamel. an. M. ij.

Affundatur lixivij q. f. Interlā-
vandam ulurpetur Smegma odora-
tum.

Vel ℞. *Folio. salvia,*

majorana,

rorismarini,

lauri,

calamintha an. M. B.

betonic. M. B.

flor. Chamam.

melilot.

stœchad. Arabic.

lavendul. an. P. j.

Coquantur in aq. f.

Colatura calida per clepsydrā
vel gutturnium capiti instilletur va-
cuo ventriculo. Vel decoctum per
pannum linteum vel spongiā capiti
calidè applicetur.

Epithema ex cineribus & aceto ex
Avicen. lib. 3. fen. i. tract. 2. cap. 12. com-
mendat Jacobus de Partibus scribitq;
experientia constare, illud sæpè pro-
fuisse.

℞. *cineris Unc. ij.*

aceti Unc. vj.

Misc. in forma lixivij, In quo cale-
facto intingantur panni linteī, ex-
pressiq; epithematis loco capiti ap-
plicentur.

Aquæ quoque destillatæ, & spiri-
tus, si ijs caput irroretur, potenter id

L. I.

alterant. Therma quoque sulphu-
reæ caput calefaciunt. Quæ si de-
sint, succedaneum tale parat Capivac-
cius.

℞. *Sulph. vivi ℔. j.*

salis ℔. B.

majoran.

serpill.

stœchad. arabic.

calaminth. montan.

salvia,

betonica,

rorismarini,

pulegij,

melissa an. M. j.

aquæ communis ℔. 100.

Fiat decoctio ad partis tertiæ con-
sumptionem pro stillicid. o.

Olea; præter destillata antea inter *Olea.*

Interna enumerata; Rutaceum, nardi-
num, serpillinum, costinum, sampsuchinū,
de castoreo, de euphorbio, de lateribus, o-
leum Magni Ducis Hetruria, quod veluti
miracula facere videtur, ut scribit
Capivaccius, oleum irinum, laurinum,
cui ob odorem gravem alia admiscen-
da, de pulegio, de spica.

Balsamaj magistralia & artificia-
lia, quæ temporibus & verticī illini
possunt; Arabicum seu Iudaicum, si ha-
beri potest, è Peru & Tolu; rorisma-
rini, majorana, ruta, lavendula, nucis
moschata, caryophyll. succini, Compo-
situm est in Institut. lib. 5. part. 3. sect. 3.
cap. 31.

Vel ℞. *Stœchad. Arabicæ,*

lavendul.

salvia,

rorismarini,

majoran.

D

ori

origani
fol. lauri,
serpill.
hyssopi an. M. j.
sem. anisi

fœnicul. an. Drach. ij.
rad. caryophyllat.
angelice ana Drach. iij.

Contulis adde *spiritus terebinthine,*
aquæ anisi, (℞j.
caryoph. an. g. f.

Destillentur per vesicam.

Destillatæ aquæ adde

styracis liquidis Unc. iij. Iterumq;
 destillentur.

Postea ℞. *styrac. calamitæ* Drach. ij.
myrrha,
gummi juniperi an. Unc. j.
succini albi,
thuris,
asa dulcis an. Unc. j.ß.

Quibus affunde aquam & oleum
 proximè destillatum, aut si non suffe-
 cerint, aliquid aqu. rorisinarini, gra-
 nor. juniperi, vel anisi adde, iterumq;
 destilla in cineribus.

Aquæ & oleo destillatis adde

Cubearum,
calami aromatici an. Drac. ij.
caryophyllor.
nucis moschat.
cinamomi an. Unc. ß.
croci Drach. ß. Ultimoque

destilla:

Tandem separa oleum ab aqua, &
 ferva oleum instar balsami, cujus non
 solum in externis usus est, sed etiam
 in vino vel alio liquore octo vel de-
 cem guttæ exhiberi possunt.

Vel ℞. *Terebinth. ℞. j.*

thuris Unc. j.ß.
styracis calamitæ Unc. j.
ligni aloes Unc. ß.
nucis mosch. Unc. j.
cubearum, Unc. ß.
cinamomi,
caryophyll.
sem. carvi an. Drach. vj.
flor. lavendulæ Unc. ij.
croci Drach. j.ß.
moschi, si libet, & *ambra ana*
 Scr. j.

vel *trochisc. galliæ moschatæ,*
 Drach. ß.

Affunde *spiritus vini optimi* ℞. iij.

Stent in vase diligenter clauso octo
 diebus in digestionem, postea in cine-
 ribus destillentur. Primò destillat a-
 qua cum oleo crocei coloris; Conti-
 nuetur destillatio, donec color ad ni-
 gredinem mutari incipiat, & tùm sta-
 tim mutetur recipiens: cavendum e-
 nim sedulò, ne oleum ullum ἐπιπό-
 ρεμα contrahat. Separetur oleum ab
 aqua & spiritu.

Unguenta & Linimenta; *Martia-*
tum, Aregon.

℞. *Olei rutacei,*

nardini an. Unc. ß.

nuc. mosch. express. Drach. ß.

pulv. caryophyll. Scr. j.

olei destillati majeran. gutt. iv.

Fiat linimentum, quo synciput &
 tempora inungantur.

Ubi majori calefactione opus est,
 olea calidiora eligimus, ijsque *styrac-*
cem calamitam, benzoen, euphorbium,
mithridatiū, theriacam, spir. vini admi-
 scemus, ut:

℞. Unguenti martiati Unc. ℞.
 ol. nuc. mosch. express. Drach. ℞.
 destill. lavendul. Scr. ℞.
 caryoph. gutt. iv. M.
 Cataplasmata;

℞. Farina lupinor.
 pulveris serpilli.
 flor. chamamel.
 stæchad. arabic.
 majoran. an. Drach. j.

Misc. s. a. cum vino ad ignem.

Adde Olei rutacei,
 sampsuchini an. Unc. ℞.
 Fiat cataplasma.

Vel ℞. Farina fenugraci,
 lupinor. an. Unc. j.
 fol. lauri. Unc. ℞.

Coquantur in malsa & addatur
 olei irini, sampsuchini an. q. s.
 Fiat cataplasma.

Vel ℞. Baccarum laur.
 origani an. Unc. j.
 thuris,
 mastich. an. Drach. ij.

Cum succo betonica vel ol. conveniente
 F. Cataplasma.

Commendatur & radix panacis
 contusa, & cum oleo mista applicata.
 Guainerius laudat cineres calidos
 modico vino albo conspersos cum
 panno lineo impositos. Plura Epithe-
 mata & Linimenta videantur apud A-
 vicen. lib. 3. fen. 1. tract. 2. c. 13.

Emp'altra & Cerota; de betonica; de
 euphorbio.

Fortiora tamen medicamenta ca-
 lesfacientia, quale est euphorbium, sa-
 tius est adhibere in intemperie cum
 materia, quàm in intemperie nuda &
 sine materia.

Vel ℞. gummi juniperi,
 styrac. calamita,
 thuris an. Drach. j.
 stercoris columbini Drach. ij.
 nigella parum torrefacta Drach. j.
 nucis moschat.
 caryophyll. an. Scr. j.
 olei nardini,
 terebinthina & cere q. s.

Fiat emplastrum bregmati impo-
 nendum.

Aliud ℞. Farina lupinorum,
 pulv. serpilli,
 flor. stæch. Arab.
 majoran. an. Drach. ij.
 gum. tacamahaca Drach. ℞.
 olei nardini,
 cere an. q. s.

Fiat Emplastrum.

Pulveres; post lotionem capitis
 pulveres rectè & commodè capiti in-
 spersuntur; ut:

℞. Nucis moschat.
 majoran.
 caryophyll. an. Drach. j.
 flor. stæchad. Arabie.
 roris marini,
 ligni aloes an. Scr. j.
 moschi,
 ambra an. gr. iij. Fiat pulvis.

Vel ℞. Nucis moschat.
 caryophyll.
 granorum tinctorū seu kermes
 an. Drach. j.
 cort. citri Drach. ℞.
 ligni aloes Scr. j. F. pulvis.

Si pulveres Calvariæ affricentur
 & postea aliquid spiritus vini opti-
 mi, vel potius aquæ vel spiritus ce-
 phalici inspergatur, facilius ad cere-
 brum

brum eorum vis penetrabit & id roborabitur.

Sacculi & Pilei; pulveres, si linteo aut sindone aut serico includantur, Fiunt sacculi & pilei.

Guainerius hunc commendat:

℞. Flor. chamamel.

betonica,

verbena,

majoran.

absinthij,

rosar. rubr.

flor. stæchad. Arab.

rorismar. an. P. j.

gummi juniperi Unc. ℞.

folliculor. senæ,

granor. tinctorum an. Drach. ℞.

ligni aloes Drach. iij.

ambra quantum liber.

Cum sindone rubra F. sacculus vel pileus, qui diu gestetur.

Vid. etiam Fernel. l. 5. M. M. cap. 19.

Vel ℞. Thuris Drach. j.

succini Scr. j.

majorana,

rorismarini,

betonica, an. Drach. iij.

flor. stæchad. Arab. Drach. j.

lavendula. Drach. ℞.

caryophyll.

nucis moschat. an. Scr. ij.

Cum sindone rubra F. sacculus.

℞. Rute,

serpilli,

hyssopi an. Drach. j.

majoran.

betonic. an. Drach. iij.

flor. stæchad. Arab.

lavendula, an. Drach. j. ℞.

Fiat pileus.

℞. Flor. stæch. Arab. M. ℞.

beton.

majoran.

verbena,

flor. chamamel. an. P. ij.

lavend. P. j.

nucis moschat.

caryophyll. an. Drach. ij.

gumm. juniperi Scr. ij.

thur. Drach. iij.

gall. mosch. Scr. ℞.

Contulis omnibus crasso modo
F. sacculus vel pileus.

Vel ℞. Majoran.

serpilli,

melissa,

rorismarini,

stæchad. Arabic.

lavendula an. M. ℞.

cort. citri,

granorum kermes an. Drach. iij.

cubebar.

caryophyll.

nucis mosch. an. Drach. ℞.

F. pulvis crassus & ex eo pileus.

Coronas quoque ex herbis Cephalicis, ut majorana, roremarino &c. paratas capite gestare utile est.

Smegmata; Smegmatum exempla, vide in Institutionibus, lib. 5 part. 3. sect.

3. cap. 31.

Vel ℞. Saponis Veneti Unc. ij.

ladani,

styracis calamit.

ligni aloes,

thuris an. Drach. j.

caryophyllor.

ireos an. Drach. j. ℞.

moschi,

ambra an. q. l.

Fiat Smegma.

Pulve.

Pulveres, Trochisci & candela ad suffitus; qui tamen in dolore capitis vel intermittendi vel parçè usurpandi. Pulveres & trochisci carbonibus accensis insperguntur; candelæ accenduntur. Fumus ex his & naribus attrahi & pileis nocturnis excipi potest. De quib. tamen omnibus observandum, ne flammam concipiant. Sine flamma enim suaviorem & fortiorem odorem spirant: flamma verò eorum vires & odorem faciliè absumit & dissipat. Exempla sunt in Institut. loco modò allegato.

Vel *R. Styracis calamita,*

benzoes,

ladan. an. Drach. ij.

gummi juniperi,

thuris an. Drach. ß.

gran. juniper. Drach. ij.

caryophyll. Drach. j. ß.

puly. carbonum tilie q. s.

Cum mucilagine tragacanthæ aq. rosar. extracta F. candelæ.

Vel *R. Gummi hederæ,*

thuris,

gr. juniperi an. Drach. j.

nucis moschat.

caryophyll.

styrac. calamit. an. Scr. ij.

nigellæ parum torrefactæ Drach. ß.

gallie moschatæ Scr. j.

Cum ladano & mastiche dissol. in aq. sal. F. trochisci pro fumo.

Vel *R. Gummi hederæ,*

coriandri,

nigellæ aceto macerata & siccata.
an. Drach. ß.

thuris,

mastiche,

granor. juniperi an. Drach. ij.

F. pulvis pro suffumig.

Vel *R. Salvia,*

majoran.

rosmarin.

caryophyll.

cinamomi an. Drach. j.

fol. lauri Drach. ß.

ligni aloes Scrup. j.

thuris Drach. j. ß.

gallie moschat. Drach. ß.

F. pulvis.

Pertinent huc & odora menta, quibus vel vestes conspergi, vel manus & nares illiniri possunt, quæque supra ignem in vaporem resolvuntur, ex aquis & alijs cephalicis calidis præparata, de quibus etiam in Institut. l. allegato.

Balsama; Ex oleis destillatis supra enumeratis, etiam ad odorandum, ut & tempora inungenda, ut antea dictum, balsama parari possunt, *Rorismarini, majorana, salvia, melissa, ruta, lavendula, nucis moschata, caryophyll. succini.* Compositi exemplum est in Institut. l. modò allegato.

Vel *R. Olei majoran. Scrup. ß.*

salvia,

macis,

caryophyllorum. an. gutt. vj.

melisse,

lavendula,

succini an. gutt. iij.

nucis moschat. expressi q. s.

F. balsamum.

Pemambra seu Poma odorata.

D 3

Exem-

Exemplum est in Instit. loco modo allegato.

Vel ℞. *Ladani* Drach. ij.
styrac. calamit. Unc. ℞.
nucis moschat.
mac. an. Scrup. ij.
rosar. Drach. ℞.
cinamomi,
ligni aloes an. Scrup. ℞.
zibethi,
moschi an. gr. iiij.
ambra gr. ij.
olei destillat. caryophyll. gutt. v.
mucil. tragacanth. aqu. rosar.
extract. q. s.

E. Pomamb.

Vel ℞. *Semin. nigella,*
caryophyll.
nucis moschat.
rosar. rubrar. an. Drach. j.
lavendul. Drach. ℞.
ladan. Drach. iiij.
benzoes,
styracis calamit. an. Drach. ℞.
moschi gr. v.
zibethi gr. iiij.
ambra gr. iiij.
mucilag. tragacanth. aq. rosar. &
lavend extract. q. s.

F. Pomambr.

Vel ℞. *Benzoes,*
styrac. calamit. an. Drach. ij.
cinanom.
ligni aloes an. Drach. ℞.
ol. destillat. caryophyll. gutt. iv.
nucis moschat. expressi Scrup. ij.

olei destillat. major. gutt. vj.
ambra,
mosch. ana gr. iiij.

Excipiantur ladano agitate in mortario cum oleo costino vel de spica.

Vel ℞. *Styrac. calamit.* Drach. ij.
caryophyll.
macis,
ligni aloes an. Drach. ℞.
lavend. Drach. ij.
galli. moschat. Drach. j. ℞.
moschi,
ambra, an. gr. iiij.

Cum succo majoranæ & styrac. liquida

F. Pomum.

Noduli odorati, Fernelius libr. 5. method. medend. cap. 19.

℞. *Caryophyll.* Drach. ℞.
macis Drach. j.
nigella prepar. Unc. ℞.
flor. stœchad. Arab.
majoran. an. Drach. ℞.

Ligentur in nodulo ex serico ad odorandum.

Vel ℞. *Troch. Gallie mosch.* Scrup. j.
fol. majoran.
rorismarini,
flor. stœchad. Arabic. ana
Drach. ℞.

macis Scrup. ℞.
nucis mosch.

caryophyll.
cinamomi,
ligni aloes an. Scr. j.
moschi,
ambra an. gr. ij.

F. pulvis, qui findone rubra vel serico includatur.

Moschustamen, quod semel monuisse sufficiat, in mulieribus, quæ hysteri-

hysteriis affectionibus sunt obnoxia, omittatur.

Masticatoria. Caput quoque calefaciunt, quæ masticantur: ut: *Cubebæ, aux moschatæ, cardamomum, pyrethrum, sem. eruca & similia.* Resolvuntur enim ex ijs halitus, qui ad cerebrum penetrant, idque calefaciunt.

Ut *R. Cubebæ. Unc. i.*

*cinamomi,
caryophyllor.
macis,*

nucis moschat. an. Scrup. j.

femin. carvi Unc. j.

majoranæ Drach. j.

Conciantur & contundantur crasso modo & mastice æger tantum, quantum pugillo comprehendere potest.

Auribus immissa vel applicata. Cum in auribus in actum deducuntur hæc medicamenta, in vapores resolvuntur, qui cerebrum calefaciunt; qualia sunt: *oleum rutaceum, costinum, de castoreo, moschus & similia.*

Vel, si facculi ex calidis cephalicis parati, & vino generoso calido vel spiritu vini adpersi, auribus applicentur, vapores, qui inde elevantur, per aures ad cerebrum penetrant.

Inunctiones etiam volarum pedum & manuum cum oleis calidis ad caput calefaciendum profunt, ut docet Galenus, 2. de comp. med. secundum loc. capite 1.

Phenigmi tandem in malo contumaci utiles sunt, de quibus Galenus, 1. de comp. med. secundum loc. c. 2. & nos in Institut. lib. 5. Qualis apud Trallian. est, lib. 1. cap. 16.

Vel *R. Fimi columbin. Drach. ijß.*

piper. albi Drach. ij.

castorei Drach. ß.

croci Drach. j.

Cum aceto & oleo nardino Miscantur.

Præter hæc multa medicamenta ad caput calefaciendum utilia descripsit Galenus, 2. *τὸ π. cap. 1. & 2.*

Dieta.

Vitetur aer frigidus, subterraneus, Aer ut ar- caliginosus, venti frigidi: eligatur te calefa- contra aer calidus & purus: vel pare- ciendus.

tur talis arte, stratis per conclave herbis calidis odoratis, salvia, majorana, roremarino, lavendula, pulegio, ferpillo, vel junipero, baccis juniperi: Et modò dictæ plantæ carbonibus injiciantur; aut suffitus modo antè dicto excitentur: modò his æger non offendatur, sicut hysteriæ mulieres non quosvis gratos odores ferre possunt: aut accendatur ignis ex ligno iuniperi, rorismarini, lauri, lavendulæ stipitibus. In nostris regionibus aer sat commodè in hypocauftis igne in fornace accenso alteratur. Diligenter quoque cavendum, ne manus, & inprimis pedes refrigerentur.

Cibi conciantur salvia, roremarino, maiorana, hyssopo, satureia, aromatis. Avicennas, lib. 3. fen. 1. tr. 2. cap. 12. etiam allii esum commendat. Videntur pisces. Minum bibatur albū, tenue, quod caput non replet. Et si enim antiquum & generosum ad frigidam intemperiem corrigendam esset potentius; tamen quia caput replet, & tentat,

tentat, ab eo abstinendum: vel bibatur tenue vinum medicatum, vel mulsum ac hydromel supra descriptum. Vel paretur talis cerevisia:

℞. *cinamom.*

Zinziber. an. Unc. j.

galang. Unc. ℞.

baccar. lauri Drach. ℞.

caryophyll.

nucis moschata,

granorum paradisi,

cubearum an. Drach. j.

Pulverisata includantur linteo raro, & in vas cerevisiæ amphoras ij. vel iij. capiens conjiciantur. Vigiliæ somnum superent, quemadmodum & corporis motus & exercitium, quiete. Fricentur manè crura & pedes, ac vespere cubitum iturus lavet pedes aqua, in qua herba cephalicæ calidæ coctæ sint. Venus, ut & tristitia, timor, ac sollicitudo nocent, gaudium moderatum utile est. Exemplum talis intemperiei curatæ habetur apud Forestum, *lib. 9. observ. 6. 7.*

CAPUT III.

De Intemperie Cerebri Humida sine Materia.

Causa.

Intemperies cerebri humida. **H**UMIDAM cerebri Intemperie excitant mora in aere humido, pluvia & nix, si ijs caput minus probe tectum objiciatur; præsertim si caput post lotionem & madefactionem non exsiccetur: Lunæ radij, balneum aquæ dulcis, vita otiosa & quies. Medicamenta humectantia tum externa,

tum interna: ut & cibus, ac potus plurimum humectans: Somnus longus. Atq; inducitur hæc intemperies facilius ijs, qui cerebrum natura humidius obtinent.

Verum humida intemperies capitibus diu sola non persistit, sed humores superfluos colligit, catarrhisq; caput obnoxium reddit.

Signa Diagnostica.

Frons & facies est mollis, nares humidæ, & excrementa narium & oculorum plura. Actiones animales omnes hebetantur, præcipue si adsit una frigoris excessus, memoria inprimis est labilis, adestq; in somnum pro pensio, è quo non ita facile expergiscuntur: Humiditas per se nullum delirium parit: Præcesserunt etiam causæ modò enumeratæ: Delectant & juvant siccantia, nocent humectantia.

Prognostica.

Deterior est excessus humiditatis, quam siccitatis. Facilius verò curatur humiditas cerebri, quam siccitas. Siccantia enim tutius adhibentur capiti.

Indicatio.

Cerebrum humidum siccantia requirit.

Curatio.

Quia verò humiditas plerumque frigiditati conjungitur, aut cum materia copulatur, & calefacientia cerebrum supra proposita omnia quoque idem siccare valent: Calefacientia ea etiam hic in intemperie humida profunt; & quidem omnia, si frigiditas cum humiditate conjungatur. Si verò calidi-

Cerebrum siccantia.

caliditas conjuncta sit, temperata eligend, aut calida frigidis admistis, ut, rosis, myrobalanis, coralliis, cornu cervi, smaragdo, radicibus quinquefol. tormentillæ; santalo, myrtillis, nucis cupressi, & similibus temperanda. Pauca ex ijs hîc quoq; subjungemus. De quibus & hoc notandum: non nimis odorata usurpanda esse, quæ caput vaporibus replendo *caput* inducunt.

Medicamenta Interna.

Anterna.

Plurimum hic valet decoctum ligni Guajaci & Sassafras & radicis China cum modico visci querni. (Alij in capite siccando nō minorem efficaciam tribuunt decocto radic. quinq. folij & tormentillæ, si ad modum decocti radic. Chinæ paretur & exhibeatur; ut & vino, in quo rad. pentaphylli & tormentillæ macerata fuerint) castoreum, species diambra, aromatici rosati, theriaca, Mitridat. sales theriacales, confectio anacardina.

Externa.

Externa.

Præter calefacientia supra proposta, herba & semen pastinacæ silvestr. radix Imperatoriæ, myrtus, myrtilli baccæ, cineres calidi vino madidi cōmendantur.

Lotiones.

Lotiones & Embrochæ;

℞. *Betonica,*
majoran.
rosar. rubrar.
calaminth. an. M. j.
sem. pastinacæ sylv. Unc. ℞.
radic. cyperi Drachm. ij.
flor. stæchad. Arab. Pij.

L. i.

Concludantur in sacculo, qui coquantur in lixivio pro lotionem capitis.

In primis siccant Embrochæ ex thermis sulphureis & bituminosis, quæ non solum cerebrum siccant, sed & ita roborant, ut superflui aliquid fallè non admittat. Ubi calefacientia minus tuta sunt, caput lixivio, in quo flores rosar. rubrarum & folia myrti cocta sunt, abluatur, & postea pannus fumigatus pulvere rosar. rubrarum & styrace imponatur.

Embroche

Cataplasmata; Ubi ob calorem siccantia calida adhibere non licet, cōmodissimum est cataplasma ex cochlearum carne, (licet & totas cum testis contundere) in mortario minutim contusa, addito momento thuris & myrrhæ. Cochlearum n. caro superfluitatem ab intimis ad externa evocat, & ita internas partes quocunq; humore gravatas siccant: ut etiam docuit Galen. *11. de simpl. med. facult.*

Cataplasma.

Pulveres Cephalici; qui & capiti inspergi & sacculis conficiendis materiam præbere possunt.

Ut ℞. *Pulegij,*

calamintha,
majoran.
flor. stæchad. Arab.
betonic.
cortic. citri,
gummi juniperi,
caryophyll. an. Drach. j.
F. Pulvis.

Vel ℞. *stæchad. Arabic.*
betonic.
rad. pæonia,
majoran.
ligni aloes,

E

caryo-

caryophyll.
nucis moschat. an. Drach. j.ß.
moschi.
ambra, an. gr. iij.
 F. Pulvis.

Vel *Gumm. juniper.*
tacamahac. an. Drach. j.
rosar. rubrar.
corticum thuris,
citri,

caryophyll.
mastich.
santalor. omnium;
myrtill. an. Drach. ß.
 Fiat pulvis.

Antequam Pulveres insperguntur,
 commodum est caput prius styraceli-
 quidâ inungere:

Sacculi & Pileis;

ß. *Betonica,*
majoran.
rosar.
origan. an. Drach. ß.
gummi juniperi,
tacamahaca;
thuris,
mastich. an. Drach. j.
caryophyll.
nucis moschat.
cupressi an. Drach. ß.

F. pulvis crassus & cum sindone ru-
 brâ cucupha. Ubi calefacientia lo-
 cum non habent, fiat sacculus ex rosis
 rubris, myrto, santalo rubro & coral-
 liis rubris.

Vel *Salis torrefacti, Unc. ij.*
mili torrefacti, Unc. iij.
semin. melanthij, Unc. j.ß.

Insuantur duobus sacculis lineis,
 qui capiti imponantur.

Et reliqua supra de intemper. Ce-
 rebri frigidâ proposita olea, linimen-
 ta, unguenta, emplastra, inprimis Em-
 plastrum de betonica; ceratū cephalicum;
 de euphorbio: Et quæ infra in capite
 de Intemperie cum pituita propo-
 nentur.

Dieta.

Ac̄r eligatur naturâ siccus, qualis
 est montanus, vel talis arte efficiatur.
 Idem sit lucidus & serenus: vitetur ve-
 rò humidus, crassus, nebulosus, qualis
 est in convallibus, circa paludes, & in
 locis subterraneis: caput à ventis mu-
 niatur. Inprimis venti australes viten-
 tur, qui caput replent, 3. *aphor. 17.* Vi-
 tentur & Lunæ radij,

Cibus vim siccandi habeat: eligan-
 turq; assa potius, quàm elixa: condia-
 tur aromatibus & herbis siccantibus
 cephalicis. Abstinendum à carne vi-
 tulina, agnina, & juniorum animalium,
 cerebro, fructibus fugacibus:

Potus sit paucissimus. Præstati-
 ssima est in tali capitis affectu ea vi-
 ctus ratio, quæ præscribitur ijs, qui
 decocto Guajaci, farsæ parillæ aut fas-
 safras utuntur. Imò & ipsum deco-
 ctum inutile est, cerebrumq; valde sic-
 cat. Vigiliæ, quæ insigniter siccant, &
 eâ de causa edaces ab Hippocrate, 6.
Epid. sect. 4. t. 18. alijs 20. nominantur,
 somnum, qui corpus & caput hume-
 stat, superent. Motus & exercitium
 corporis otio præferatur: Caput diu
 pectinandum. Exemplum talis in-
 temperie curatæ est apud Forest. *lib.*
2. observ. 9.

QUESTIO.

An detur intemperies humida sine materia.

De humida intemperie in genere & in specie cerebri nonnulli, ut Philoth. Alian. Montaldus, *tract. i. de dolore, cap. 15.* dubitant; an detur idq; negant; eâ ratione, quia mixtum humescere non possit, nisi humidum corpus imbibat. Verùm hi non satis capiunt, quid sit humida intemperies sine materiâ & cum materiâ. Quod explicandum. Humida enim intemperies sine materiâ non est qualitas sine subiecto, sed cum subiecto; ita tamen, ut qualitas illa sit in ipsa parte substantiæ, & à nullâ aliâ substantiâ humidâ à substantiâ partis diversa foveatur. Talis humida intemperies cerebri contrahitur, cum cerebrum nutritur alimento nimis humido, & humidum ipsum (ut sic dicam) substantificè ei unitur; vel etiam causa externâ, ut si aëre humido vel aquâ atomi humidæ cerebro communicantur: ita tamen, ut sub forma insensibilis ferè existant in ipso cerebro, nullus verò humor adsit, qui eam foveat. Et propterea nullam peculiarem curam præservatoriam instituire opus est. Humida autem intemperies cum materiâ est, ubi humida substantia à parte substantiæ diversa adest, quæ intemperiem à parte excitat & fovet. Id quod faciunt humores præternaturales.

CAPUT IV.

De Intemperie Sicca sine Materia, & Intemperiebus Compositis.

Causæ intemperiei Sicca.

Cerebrum siccant calor Solis, ignis, thermarum, cibi siccantes, omnes immoderate corporis evacuationes, per hæmorrhagias quascunq; alvi fluxum, sudorem, Venetem; vigiliæ nimix, inedia, animi perturbationes vehementiores, inprimis mæstitia & tristitia, animi intentio & studia nimia, labor, medicamenta siccantia immoderate adhibita.

Intemperies sicca cerebri.

Signa Diagnostica.

Capitis cutis est aridior, sensus acres, motus celeres, excrementa è naribus vel palato pauca profluunt, oculi cavi sunt & aridi, tempora adstricta, frons intenta; facies tota squallidior; adsunt vigiliæ: præcesserit causa cerebrum siccantes, juvant humectantia, nocent siccantia.

Prognosticum.

Siccitas cerebri, si non multum à mediocritate cecidat, cæteris intemperiebus minus damni infert, si verò magnus sit siccitatis excessus, omnium deterrimus est, & difficulter curatur.

Indicatio.

Cerebri siccitas humectantia requirit. Attendendum tamen an caliditas vel frigiditas siccitati conjungatur.

gatur, & pro qualitatibus harum ratione medicamenta varianda: simul etiam ad causam, à qua siccitas inducta est, respiciendum. Si enim à tristitia & vigilijs ortum habeat, optimè ei opitulabitur somnus & animus hilaris. ac curis vacuus: si ab inedia, Venere, vel nimia evacuatione, succurret rectissimè plenior & boni succi victus.

Curatio.

Medicamenta Interna.

Medicamenta cerebri humectantia. Folia; *Borraginis, buglossæ, lactucæ, malvæ.*
Flores; *Violarum, borraginis, buglossæ, nymphae.*
Semina; *Papaveris, quatuor frigida majora, lactucæ, malvæ.*
Fructus; *Poma dulcia & dulcicida, amygdalæ dulces.*

Externa.

Interna enumerata etiam extra adhibere licet: quibus accedunt Folia & semen *Malvæ, violariæ, althææ,* semen *Cydonior, fenigraci, lac, pinguedo gallinæ, butyrum recens sine sale.*
Medullacrurum vituli, spuma ex sero lactis, omentum agninum vel vervecinum in oleo chamemelino vel sambucino coctum & capiti impostum, pulmo arietis calens & catulus dissectus capiti impostus. Equibus liquida tepida applicentur, semel vel bis de die, manè & vesperi, pluribus diebus, prout ex vigilijs & aliis symptomatibus id opus esse conjicimus.

Equibus fiunt:

Interna.

Decocta plantis modo enumeratis.

Aque destillatæ; *Violar. borragin. buglossæ, lactucæ, nymphae.*

Syrupi; *Violar. borragin. buglossæ, nymphae, papaveris.*

Julepi; *Violarum.*

Conserve; *Violar. borragin. buglossæ, nymphae.*

Condita; *Caules lactucæ, radic. satyrij.*

Emulsiones; *Amygd. dulc. seminum quatuor frigid. major. papaver.*

Ut R. *Amygdal. dulc. Unc. ß.*

sem. quatuor frigid. major an.

Drach. j.

papaveris Drach. j. ß.

aq. hordei simplicis lb. ß.

borragin.

bugloss. an. Unc. iij.

F. Emulsio.

Cui adde Julepi viol. Unc. j. ß.

Species; *Diamargarit. frigid. diatrageæ canth. frigid.*

Electuaria,

R. *Conserv. violar.*

bugloss. an. Unc. j.

lactuca Italica condita, Unc. ß.

specierum diamarg. frigid. Scr. j.

Fiat. Electuarium.

Externa.

Equibus liquida tepida applicentur.

Epithemate; *Ex succo vel decocto malvæ, althææ, borragin. ex emulsione sem. pap. lactucæ, lacte, aquis humectantibus cephalicis.*

Ut R. *Olei viol.*

amygdal. dulc.

lactis muliebris, an. Drach. vj.

succi lactucæ Drach. iij.

Misceantur pro Epithemate frontis.

Vell

Vel ℞. *Semin. papav. albi* Drach. vj.
lactuca,
cucurb. an Drach. iij.
aq. violar. Unc. vj.
 Fiat emulsio, cui adde
Mucilag. sem. psyll. aq. viol.
 & *lactuce extracta,* Unc. ℞.

Misce.
 Vel ℞. *Olei viol.* Unc. ij.
aneth. Unc. ℞.
album. ovorum bene conquassato-
rum, num. ij.
Lactis. mulieris vel alterius
 Unc. iijj.

Misce.

Lotiones & Irrigationes; cum decoctis humectantium herbarum ante propositarum, vel etiam lacte dulci.

Non utendum hic lixivio in lotionibus capitis, quia siccatur, sed lacte potius, quod humectat.

Ut ℞. *Radic. althæe,* Unc. j.

fol. althæe,

malvæ,

violarum,

lactuce, ana M. j.

fol. Violarum,

nymphæ,

borragin.

chamamel. an. p. j.

sem. lini Unc. ℞.

papaver. Drach. vj.

Coque in aqua s. pro lotionē vel irrigatione capitis.

Oleum; *Olivarum matur. violarum,*
amygdal. dulc. nymphæe, sesaminum.

Linimenta.

Ut ℞. *Olei violar.* Unc. ℞.

amygdal. dulc. Drach. ij.!

pingued. gallin. Unc. ℞.

F. Linimentum.

Vel ℞. *Mucilag. sem. malv.*

lini,

feni grec.

psyll. an. Unc. j.

butyri recentis sine sale Unc. j. ℞.

medulle crurum vituli Unc. ij.

cera quantum satis,

Fiat unguentum molle.

Vel ℞. *Radic. althæe* Unc. ℞.

fol. violarum,

brancæ ursinæ,

malvæ ana M. j.

flor. rosar. albar.

violar.

nymphæe albæ an. p. j.

sem. cydon. Drach. ij.

Coquantur in aqua ad mollitiem, & probè contusa per setaccum trahantur.

Adde *medulle crurum vituli,*

butyri sine sale,

olei violar. ana Unc. ℞.

cera parum,

Fiat unguentum molle.

Odoramenta; *Ex florib. violar. rosarum; nymphæe.*

Errhina; ex iisdem, lacte, ol. violar.

In aures instillantur, *Oleum violar. rosar. nymphæe, amygd. dulcium, sesaminum.*

Lotiones pedum; *Ex simplicibus modo dictis decoctis.*

Diætæ.

Univerſa Diætæ ratio ad humidum vergat. Aer eligatur humidus, qualis est in convallibus juxta flumina, aut si talis naturâ non detur, plantis humectantibus sparsis concilietur.

Cibi sint boni & facili concoctio-
nis: ova forbilia, pinguis iuscula: car-
nes pullorum gallinaceorum, vituli-
næ, hædinæ, elixæ potius, quàm affæ,
pilces, butyrum recens: cibi quæ alte-
rentur lactucâ, flor. violar. borragin.
malva & similibus. Salis verò & aro-
matum condimenta, quantum fieri
potest, videntur. Conveniunt etiam
amygdalæ dulces, passulæ, pruna, ra-
pû. Vinum sit tenue & oligophorum,
vel decoctum hordei cum glycyrrhi-
za & julepo violar. aut cerevisia aliqua
humectans.

Somnus sit longior. Ut enim vigi-
liæ caput & universum corpus siccant:
ita somnus illud madefacit & hume-
ctat. Hinc non inutile fuerit, in tali
intemperie à cœna lenia somnifera
exhibere, ut lactucam, amygdalas
dulces, vel earum lac, sem. papaveris.

Nec inutile est balneum aquæ dul-
cis. Vitetur Venus, labores nimij, ira,
tristitia, nimia animi intentio: ani-
mum potius laxet æger.

Exemplum talis intemperiei habet
Forest. lib. 9. obs. 8.

De intemperiebus capitis compositis sine ma- teria.

Ut de Intemperiebus compositis
multa in specie addamus, opus nõ est:
cùm exijs, quæ de simplicibus dicta
sunt, facillè, quæ causæ, signa, curan-
di quæ ratio compositarum sine materia
sit, pateat.

De Intem-
perieb. ca. Quæ enim causæ calefaciendi &
siccandi vim simul habent, calidam &

siccam intemperiem inducunt; quæ
refrigerandi & humectandi, frigi-
dam & humidam: quæ refrigerandi &
siccandi, frigidam & siccam.

*pitis com-
positis sine
materia.*

Cognoscuntur quoque hæ Intem-
peries eodem modo ex effectibus, caus-
sis, quæ præcesserunt, dispositione ce-
rebri naturali, juvantibus ac lædenti-
bus. Nam si quis cerebrum sua natu-
ra frigidum & humidum habeat, ei quæ
causæ amplius refrigerantes & hume-
ctantes occurrant, & effectus ac sym-
ptomata adsint, quæ seorsim in utraq;
intemperie sæpè diximus. v.g. ad so-
mnum, eumque profundior, pro-
pensio, mentis stupor & ingenij tar-
ditas, sensuum quæ inertia, calefacientia
& siccantia profint, humectantia &
refrigerantia noceant: ex his facillè
colligere est, adesse cerebri humidam
& frigidam intemperiem. | Contra-
ria apparebunt, si calidum & siccum
fuerit.

Curandi quæ ratio quoque ex superio-
ribus patet. Prout enim hæ vel illæ
qualitates conjunguntur; ita medi-
camenta contrarijs qualitibus præ-
dita eligenda & miscenda sunt. Et
prout utraque qualitas vel una magis
excedit; ita contraria usurpanda,
vel quæ æqualem vim obtinent, vel
ita temperanda, ut medicamenta
contra eam qualitatem, quæ magis
excedit, magis pugnent, & reliquam
non augeat. Ideo quæ in intemperie hu-
midâ cum caliditate conjunctâ siccân-
tia calida non semper tuta sunt. Sæ-
pè tamen medicamentum unum dua-
bus qualitibus resistit simul, & quæ
calefaciunt, ferè omnia etiam siccant.

Exem-

Exemplum intemperiei cerebri frigida & humida, cum pituita habetur apud Solenandr. *sect. 1. consil. 2.*

CAPUT V.

*De Intemperiebus capitis
cum materia in
genere.*

*Intemperies
capitis cū
materia.*

PLerumque verò cum Intemperie materia conjungitur, quæ eam vel excitat, vel fovet: eaque est vel humor vel vapor.

Causse.

Materia autem hæc in capite vel generatur & cumulat, vel aliunde transmittitur. Cumulatur in capite ex imbecilla vel vitiosa nutrimenti concoctione ob cerebri partium & capitis *ἀσθένειαν & δυσπραγίαν*, quâ plura, quàm par est, excrementa proveniant. Nam etsi alimentum, quod ad caput alendum distribuitur, bonum sit: tamen si coctio in capite rectè non fiat, multa excrementa cumulantur; aut quod excrementa ob crassitiam, copiam, meatuum angustiam, expultricis debilitatem expelli non possint. Materia verò extra caput genita, seu ob cibos vitiosos, seu ob errorem coctionis primæ aut secundæ, ob quem multa excrementa generantur, ab inferioribus ad caput fertur, vel transmissa à partibus alijs robustioribus ad caput imbecillum, præcipuè frigidum & humidum; vel eò attracta à calore aut dolore, ut & vocis intentione & clamore, tubarum inflatione, vomitu, quæ omnes causse humores & vapores ad caput alliciunt, idq; replent.

Nimirum omnes ferè capitis affectus proveniunt, vel à capitis imbecillitate, vel à partium inferiorum repletione & cacochymia. Si enim caput vel à primo ortu imbecillum sit, vel ex aliquo incommodo, ut vulnere, casti, contusione, externis alijs injurijs, vigilijs, animi affectibus debilitatum sit: facillè ex affluente alimento etiam bono multa excrementa cumulat.

Deinde ob pravam victus rationem, ob viscerum, ventriculi, epatis, lienis, uteri &c. intemperiem, & hinc dependentem vitiosam alimentorum concoctionem, pravi humores in corpore cumulari solent, qui facili de causâ ad caput, præcipuè verò si debile sit, feruntur.

Quò etiam faciunt suppressæ confluxu evacuationes mentium, hæmorrhoidum, vel quod ulcus, aut fistula aliqua, quæ diu vitiosos humores effuderunt, suppressa est.

Non prætereundum & hoc de *Lunæ in cerebri morbis visis.* morbis intemperiei cum materia, cum ex Astrologorum sententia Luna cerebro maximè præsit, & ipsâ experientia teste, si cundum luminis Lunæ augmentum & decrementum, humores decrescant vel augeantur, morbos cerebri secundum Lunæ *φάσεις* non parum mutari, & nunc augeri, nunc minui.

Signa Diagnostica.

Qua ratione a. intemperies cum materia ab intemperie sine materia discer-

discerni possit, supra, *capite* 1. dictum. Forestus equid. *lib. 9. observ. 10.* etiam quædam signa communia intemperiei cum materia recenset: verum non capitilla propria sunt, sed intemperiei cum materia in toto corpore.

Signa autem, quibus an per se, an verò per consensum afficiatur cerebrum, discernere licet, nonnulli ex Galen. *1. de loc. affect. capit. 6. & 1. prorrh. comment. 1. text. 3.* ad tria capita redigunt.

An cerebrum per se, an per consensum afficiatur.

Primò considerare jubent, an omnia symptomata, quæ affectum illum comitari solent, quæq; sunt veluti characteristicæ, exactè adsint. Si enim adfuerint, proprium esse capitilla affectum indicio est: Si non omnia affuerint, per consensum esse argumento est.

Deinde considerare jubent, an ea symptomata, quæ affectum illum significant, sint perpetua & continuè molestant. Hoc enim si fiat, signum est primarium esse capitilla affectum: Si verò interdum intermiserint, per consensum caput affici significatur.

Tertiò perpendendum monent, an alia pars prius fuerit affecta, antequam caput laborare cœpit. Nam si nullus præcessit alterius partis affectus, primariò caput affici putandum est.

His tamen alia quædam addi possunt; & signa, quibus discernitur, an caput primariò, an per consensum afficiatur, omnia hæc sunt. Si per se caput afficiatur, nativa ad tale malum est propensio; nullum in alijs partibus, quæ cerebrum in consensum trahe-

re possunt, adest vitium; Antecesserunt causæ, quæ potissimum caput afficere aptæ natæ sunt; ea, quæ capiti soli adhibentur & applicantur, profunt vel nocent; & symptomata & affectus in cerebro primariò conspiciuntur; affectusque ferè continuus est. Fieri enim potest, ut, licet materia semper, causâ præsentè, præfens sit; tamen interdum quieta sit, atque ita affectus, qui inde dependet, non continuus sit; idque propterea Medicum, si ex alijs signis certus sit, intemperiem cerebri per se adesse, turbare non debet. Contrà si genita extra caput in reliquo corpore materia continuè ad caput feratur, atque inde continuus affectus excitetur, perpendendum quandiu ille affluxus duraverit. Si enim nò diu duraverit, fieri potest, ut, licet affectus continuus sit, verbi gratia, dolor capitilla in febre continuà; ipsum tamen cerebrum permanentem intemperiem nondum contraxerit; si verò diu jam duraverit, fieri non potest, quin ipsum cerebrum jam intemperie laboret, atque ita affectus complicatus sit, scilicet per se, & per consensum. Si verò antecesserunt causæ, quæ vel totum, vel partem aliquam læserint, & in toto, vel ventriculo, epate, corde, utero, vel alia parte aliquis morbus apparet, ad cujus ortum, augmentum & decrementum etiam morbus in capite initium trahit, augetur & decrescit, ac proinde non semper continuus est, sed si morbus vel remittit vel intermittit, & ipse remittit & minuitur, vel cessat, ac iisdem præsidijs & morbo capitilla

pitis, & parti in reliquo corpore affecta succurritur, & symptomata non solum in facultate animali læsa, sed & alia partis illius, à qua cerebrum in consensum trahitur, adsunt; cerebrum per consensum affici indicatur.

Notandum tamen hinc quoque, aliquando fieri posse, ut capitis affectus cum alterius partis affectu invalescat & cum eo levetur, nec tamen ab illa parte per consensum afficiatur. Quod accidere potest, si ex eadem parte & fonte materia in partes plures simul influat; dolor tamen in parte, quæ materiam mittit, non percipiatur. Ita, 6. Epid. comm. 4. tex. 4. Agelii Filia cum doleret ipsi coxædix, correpta fuit Asthmate; dolore sedato suspirium sedabatur: nulla tamē hinc inter thoracem & coxendicem fuit sympathia, sed ab eodem loco, eodem tempore, in utramque partem humor influebat, & ibidem eodem tempore dissipabatur & retrò cedebat. Ideoque hinc diligenter inquirendum, an pars illa, quæ simul cum capite affligitur, primario affecta sit, & materiam capiti comunicet, an verò illa aliunde eam suscipiat.

Observandum & hoc, non semper statim affectu, cujus consensu caput afficitur, remittente, etiam materiam & dolorem in capite evanescere. In febribus enim intermittentibus quandoque, cessante paroxysmo, nihilominus per aliquot horas adhuc dolor in capite perseverat; quod accidit, quòd propter cranij delatationem in capite tardius materia, quam in reliquo

L.P.

corpore discutitur. Summa: per essentiam, ut loquuntur, caput afficitur, si nullum extra caput est vitium, & adsunt signa capitis per se affecti; per consensum verò, si nullum vitium sit in capite, ob quod materia generetur, sed solum extra caput.

Transmittitur autem illa materia, quæ cerebrum per consensum afficitur, vel à toto corpore, ut in febribus vapores, in plethorâ sanguis, in cacochemiâ pravi humores: vel ab aliquâ parte, & frequentissimè à ventriculo, è quo per œsophagum vapores sursum ad caput ascendunt: ab epate item, corde, liene, pulmone, utero, renibus, vesicâ, intestinis; imò externis artubus per venas, arterias, nervos, & occulta quoque corporis spiracula. Caput enim veluti tectum fumo læ domui impositum, excipit quæcumque; ab imo effumant, sursumque feruntur. Cum autem materia hæc, ut dictum, sit vel humor vel vapor, & humor rursus vel sanguis vel bilis, vel pituita, vel bilis atra, vel melancholia: de ijs ordine dicemus, quatenus quidem intemperiei solum cum materiâ causæ sunt.

Nam humores cerebrum & membranas occupantes quadruplici ratione ijs damnum inferre possunt, vel ipsa saltem quasi irrigant, ac hoc modo eorum temperamentum immutant, dum scilicet per venas delati, cerebro eas, quas habent, qualitates imprimunt; vel dum humores vitiosi sanguini permisti, quando ad alendum cerebrum confluunt, ejus temperiem

F

simul

simul mutant; vel quando succo alimentario laudabili existente, ob debilitatem cerebri is non rectè coquitur. atq; inde humores excrementitij generantur, qui in cerebro subsistentes, illi suas qualitates imprimunt, & sæpè per os & nares evacuantur; vel dum magnâ copiâ extra vasa clapsi, in spatia inania & poros ac meatus cerebri & membranas ejus effusi, ea in tumorem attollunt. De postremo suo loco: jam de intemperie solùm, quam humores excitant, dicemus.

Priùs tamen generatim quædam præmittenda, & primò quidem dicendum, quâ ratione, an cum flatu & vapore, an verò cum humore sit intemperies, cognosci possit, & quæ generalis intemperiem capitum cum materia curandi ratio sit.

Cerebri à flatu affecti signa.

Primum quod attinget, si cum flatu vel vaporibus sit intemperies capitum, adest tensio capitum sine gravitate, & punctio per intervalla, sonitus aurium, & sæpè vertigo, præcessit diæta flatibus generans, ægerque ab ijs, quæ flatum discutiunt, emolumentum percipit.

Cerebri ab humore affecti signa.

Cum humore sit intemperies, percipitur sensus gravitatis, tensio est stabilis, nec ita de loco in locum movetur.

Si vapore aut flatu caput afficitur, cum is mobilis sit, ab inferioribus partibus eum capiti communicari, idque per consensum ferè affici, suspicio est: quanquam interdum etiam flatus in ipso capite, sine affectu partium inferiorum, generari possit.

Si caput ab humore crasso, pituita aut melancholia afficiatur, cum hi

humores non ita mobiles sunt, neque ab inferioribus ad superiora facile ascendunt, in ipso capite genitos fuisse & cumulos, plerumque est indicio. Tenuis verò, ut sanguis & bilis, plerumque ab inferioribus transmittuntur.

Curatio.

Curatur intemperies cerebri cum materia, materiae evacuatione, & intemperiei, seu simplex sit, seu composita, per contraria alteratione. A materia tamen evacuatione semper incipiendum: cum impossibile sit, intemperiem capitum tollere, materiâ, quæ eam fovet, adhuc in eo hærente.

Semper tamè totius corporis priùs habenda est ratio, neque caput commodè evacuatur, nisi priùs totum corpus evacuatum sit. Ideoq; à corporis universi evacuatione, si necessaria ea sit, curatio inchoanda, & vel sanguis, si abundet, imminuendus, vel cacochymia evacuanda, ne materia superflua ad caput affectum, quod facile fieri potest, affluat. Et clysteres nunquam in morbis capitum sunt præmittendi; quia non tantum fumos & vapores revellunt, sed etiam à cerebro ipso consequutione quâdam attrahunt.

De universi tamen corporis purgatione ex ijs, quæ in genere de purgatione rectè instituenda præcipi solent, hoc repetimus & monemus, semper attendendum esse, an affectus sit sine

sine febre, an verò cum febre, atq; ita cruditatem conjunctam habeat. Nam si sit sine febre, quovis tempore (præparantia tamen quædam præmittere nihil prohibet) purgantia exhibere licet, & quidem etiam paulò fortiora. Si verò febris conjuncta sit, attendendus aphor. Hippocr. 2.2. *sect. 1. Concocta medicari oportet, non cruda, nisi materia turgeat.*

Postea videndum, An materia in cerebro cumulata & genita sit, an verò aliunde transmittatur. Quid agendum sit, si a iunde transmittatur materia, sequenti capite dicitur. Si materia in ipso capite cumulata sit, primò ea ipsa evacuanda, postea caput roborandum.

Quot modis caput evacuari possit. Evacuatur autem caput privatim; aut per modum & vias sensibus manifestas, aut insensibiliter. Sensibilis evacuatio fit per duas præcipuè vias, per palatum & nares, per quas natura, quam sequi decet, & ipsa caput plerunque expurgare solet. Nam quamvis Natura quandoque etiam per aures caput purget: tamen id rarius est, & plerunque non nisi in gravissimis morbis accidit, ut in internis inflammationibus, sanguine & pure circa cerebrum collecto. De his viis omnibus Hippocr. 6. aphor. 10. *Caput, inquit, dolenti & vehementer laboranti, pus vel aqua vel sanguis per nares, aut os, aut aures effluens morbum solvit.* Observatum tamen etiam est, naturam in quibusdam per aures caput expurgasse, & citra ullum gravem morbum, nullo sanguine & pure circa cerebrum collecto quotannis aliquoties

aurium doloribus præcedentibus, notabilem ichorum copiam per eas effudisse, idque familijs quibusdam hæreditarium fuisse. Multò minus per oculos evacuare licet, quam viam naturam vel errans, vel ut majus malum præcaveat, quandoque eligit, ne cæcitatem, aut aliquod aliud visus vitium inducamus; cerebro verò partim profimus.

Inter istas tamen duas vias, nisi quid obstet, ea, quæ per palatum fit, commodior est. Natura enim ipsa solam hanc viam molita est, & in sano homine per infundibulum in palatum evacuatio cerebri ferè sufficere potest. Nasus verò nature consilio odoratus, & respirationis gratia præcipuè factus est. Ubi tamen major est excrementorum cerebri copia, natura hac via sæpè abutitur. Præterea per palatum via securior est, neque ita ista evacuatione cerebrum concutitur, ac eâ, quæ fit per nares, cerebrumq; commotum majoris sæpè mali causa esse potest, dum in cerebro evacuando aberrans natura ad partem aliquam principalem humorem transmittit.

Potentius tamen, ubi ijs tutò uti licet, errhina humores commovent, cum non solum medicamento qualitas, vel vapor, ut in apophlegmatis, sed & ipsa ejus substantia cerebrum stimulet. Neq; tamen hi duo modi caput privatim evacuandi in quovis humore, & eadem ratione locum habent. Nam apophlegmatis, ut ipsum nomen indicat, ijs affectibus imprimis competunt, qui à pituita & frigido humore ortum habet.

Idcoq; de Apophlegmatismis suo loco, ubi de intemperie capitis cum pituitâ agemus, dicetur. Hoc saltem hic in genere de ijs monemus, ut sicut ad masticatoria, sic & ad apophlegmatismos ea eligantur, quæ nec odore nec sapore sunt insuavia, nihilq; maligni habent, ne vel cerebrum vel œsophagum offendant.

Errhina verò in pluribus humoribus locum habent: alia tamen in alio, ut suo loco patebit. Quare de Errhinis hic in genere aliquid adhuc addemus.

Errhina.

Errhina.

De Errhinis autem in genere in Instit. lib. 5. part. 3. sect. 3. cap. 30. diximus: hic saltem de ijs, quatenus caput evacuandi vim habent, agendum. Evacuant verò Errhina præcipuè excrementa circa anteriorem cerebri partem hærentia, & quæ circa cerebrum ejusque meninges colliguntur; non verò ea, quæ in posterioribus ventriculis; nisi forsitan sternutatoria cerebrum totum vehementiùs concutiant. Hinc Errhina in omnibus soporosis affectibus & sensuum stupore utilia sunt, & internis doloribus profunt, & sternutatoria catarrhos, qui in fauces irruunt; potenter revelunt.

Medicamenta autem Errhina duplicia sunt: alia peculiari vi humores trahunt; alia facultatem expultricem solum irritant, ut ipsa spontè cerebro concusso humores vitiosos ejiciat, quæ in specie ptarmica & sternutato-

ria dicuntur. Prioris generis rursus duplicia sunt: quædam enim calore aperiunt funduntque humores, ac detergent, ut *succus betæ, succus calaminthæ montana, succus hederæ, semen nigellæ, majorana, pulegium*, & alia odorata. Quibus tamen utendum non est in ea catharri specie, quæ Coryza appellatur, ne dilatatione majore partibus, & tenuitate humoribus inductâ, major fiat fluxio, humorq; tenuior & acrior reddatur. Alia non solum acrimoniâ & calore, sed etiam totâ substantiâ excrementa à cerebro alliciunt, ut *agaricus, turbitih, colocinth, cyclamen, elaterium, elleborus albus & similia*. Quæ verò cerebrum irritando evacuationis causa sunt, cum dictis quidem modò multum conveniunt, acriora tamen sunt & tenuiora, ut ad ipsum cerebrum penetrare possint, qualia sunt *saponaria, radix ari, piper album, zingiber, pyrethrum, castoreum, euphorbium, helleborus albus*, qui utramque vim habet. Quomodo autem in specie parentur Errhina, in Instit. loc. alleg. dictum.

Liquida in nares ex volâ manus attrahuntur, vel supino corpore naribus infunduntur; ore tamen prius vino vel aqua impleto, ne liquor per palatum in os influat: quanquam, quod sic influit, etiam humores efficit. ter per fauces educit. Formulæ verò postea suis locis proponentur.

Cavendum tamen ab errhinorum *Ab errhinusu*, dum oculi sunt affecti, vel nares *nis quâdo* ulceri- *abstinendū*.

ulceribus obnoxia; (errhinorum scilicet, quæ vim evacuandi habent: ulce ibus enim dicata tunc profunt,) dum officia venarum in naribus laxa sunt, ut hæmorrhagia ex irritatione metienda sit, aut dum vertigini homo est obnoxius: cum sternutatorijs cerebrum vehementius concutitur, & facile vertigo excitetur; & tunc potius Apophlegmatismis utendum. Post errhinorum verò usum lacte vel oleo violarum nares eluere non inutile est, ut tollatur, si quid acridinis & acrimoniae est relictum.

Nisi tamen hæc viæ sufficiant, & málum pertinacius sit, ad materiam evacuandam adhiberi possunt sinapismi, & vesicatoria capiti applicata, quibus cutis exulceratur & sensibilibiter humor effunditur. Et tandem, ubi reliqua non sufficiunt, cauteria, quæ vel in vertice ad futuram coronalem, vel inter primam & secundam cervicis vertebra, vel medicamento caustico, vel ferro ignito excitantur. De quo mox, q. 3. dicitur. Sunt enim cauteria aut fonticuli potius per cauteria excitati materia auxiliij sensibilibiter evacuantis, quod indicatur ab humore, qui sensim gignitur & morbum diuturnum excitat. Talem materiam fonticuli continuò evacuant; modò unus, modò plures, prout materia paucior vel copiosior fuerit. Et quidem prout materia est evacuanda, vel revellenda, vel derivanda; ita etiam in hoc vel illo loco fonticulus excitandus. Nam si simpliciter revellenda est materia, in partibus infra caput, ut ca-

pite sequenti dicitur, fonticulus excitandus. Si evacuanda, & simul revellenda seu derivanda, in occipite: si simpliciter evacuanda, in futura coronali; modò id sine periculo fieri possit, de quo *quest. 3.* dicitur. Neque solum è capite materiam evacuat ulcus cauterio in occipite excitatum, sed etiam quæ ad pectus ruit, intercipere valet.

Cauterio non minorem vim evacuandi habet setaceum; imò verò majorem: cum per foramina duo plus evacuet, quàm per unum; neq; ita comòdè pila eo loci in fonticulo gestari possit. De quo in *Instit. lib. 5. part. 1. sect. 2. cap. 7.* satis dictum. Videatur Hieron. Fabr. *de operat. chirurg. titul. de setaceo parando.*

Avicennas, *lib. 3. sen. 1. tract. 2. c. 33.* etiam ad interceptionem vaporum, qui per arterias cum sanguine arterioso ascendunt, proponit incisionem arteriarum in temporibus vel aduersionem earum per cauteria, modumque & ea, quæ in tali operatione necessaria sunt, pluribus describit. Idem eodem in loco plura cauteria præscribit, & præcipit, ut tria cauteria supra medium capitis applicentur, ut à cerebro humores extrahantur; duo super tempora, quibus via humoribus & vaporibus ab inferioribus ad superiora ascendentibus intercipiatur; unum in nucha seu posteriore capitis & colli parte. Verum non sine causa addit *in comment.* Jacob. de partibus, cum plerique ægri

Setaceum.

Arteriarum incisio.

Fonticuli in morbis capitis.

vix suaves medicinas admittant, quis toties se ustulari sinet; ideoq; consultit, ne Medicus tot cauterijs uti attemptet, nisi instanter ab ægro & amicis postulentur: cum incertum sit, an eorum usu malum sit cessaturum & metuendum sit, ne sanatis ulceribus malum recrudescat.

Insensibilis capitis evacuatio fit per inconspicuos tum cutis, tum partium subje&tarum meatus, praesertim verò per futuras: sitq; adhibitis eo loci topicis remedijs, digerend, discutiendi & exsiccandi vi praeditis; quæ supra, c. 3. de Intemperie capitis humida proposita sunt. Eligenda tamen semper ea, quæ natura humoris, & intemperies conjuncta postulat: & in intemperie humidâ & frigidâ, siccantia, calida; in materiâ verò calidâ, quæ sine calore siccant, usurpanda. Atq; ita humor, qui in capite hæret, evacuandus apophlegmatismis, errhinis, sternutatorijs, sinapismis, vesicatorijs, cauterijs, reliquisq; insensibiliter discutiendus, & exsiccandus.

Tandem dū caput evacuatum est, vel etiam dum evacuatur, intemperies, quæ superest, vel quæ materiæ conjuncta est, corrigenda per contraria. Ubi semper cephalica supra proposita in intemperie sine materia eligenda, sicut eadem quoq; purgantibus immiscenda sunt. Quomodo autem capitis per contraria alteratio fieri debeat, ex superioribus quæ de intemperiebus sine materia dicta sunt, patet. Ideoq; quæ intemperiei, quatenus ta-

lis, debeatur curatio, ex superioribus petatur. In sequentibus verò præcipue, quid materia intemperiei conjuncta requirat, docebimus.

Faciemus autem initium de Intemperie capitis cum materiâ per cõsensum: ubi generales revellendi, derivandi, repellendi à capite leges trademus: reliqua, quæ materiæ in capite contentæ debetur curatio, communis est in capite genitæ vel cumulatae, & aliunde communicatae.

QUESTIO I.

An pilula commodius, quàm alia formæ medicamentorum, ad caput evacuandum usurpentur?

Vulgata apud plurimos practicos est sententia, pilulas commodius, quàm electuaria, vel potiones, in capite purgando exhiberi, quòd fortè us à capite & remotioribus attrahant, idque ideo, quod diutius in ventriculo morentur. Verùm hoc quidem concedimus, pilulas ad caput purgandum efficaciter exhiberi, sed non faciunt hoc propter formam, verùm quia è fortioribus medicamentis cõstant. Quod autem propter formam ad caput purgandum, quàm alia medicamentorum formæ utiliores sint, parùm rationi consentaneum, & ex falsâ hypothese nata est hæc opinio, quòd scilicet medicamenta in ventriculo hærentia, vitiolos

An pilula commodius è capite evacuent, quàm alia medicamenta.

tiosos humores è reliquo corpore ad se trahant. Neque enim medicamenta purgãtia ad se in ventriculo humores trahunt, (aliàs enim extra umbilico & ventri applicata, manibus tractata, aut naribus ad olfaciendum admota non purgarent) sed quia sui aliquid in corpus transmittunt, quod humores peculiari vi, & ad singulos humores determinatã fermetat quasi & quietos commouet; unde facultas expultrix irritata & stimolata humores vitiosos cum medicamento purgante per alvum expurgat. De quo videantur Institut. *libr. 5. part. I. sect. I. cap. II.*

QUÆSTIO II.

Quo tempore pilulæ ad caput purgandum sint usurpandæ?

Quo tempore pilulæ ad caput purgandum exhibendæ. Non omnium eandem de tempore exhibendi pilulas fortiores ad caput evacuandum esse sententiam, qui scripta Medicorum seculorum superiorum legit, facillè animadvertit. Pleriq; in eã fuerunt sententiã, quam etiam in praxi ipsã secuti sunt, pilulas, quæ ex capite fortius trahere debent, (nam de lenioribus, & quæ saltem prius vias evacuant, hïc quæstio non est, eãq; citra controversiam hora una ante cibum sumi debent) una atque altera hora post cœnam exhibendas esse; eã procul dubio ratione persuasi, quod crediderunt, cum cibi vaporibus vim medicamenti facilius ad caput ascendere, atque ita fortius

à capite attrahere. Verùm posteriores Medici non sine causã huic opinioni contradixerunt, & restè olim jam etiam Paulus Ægineta, *lib. 7. cap. 4.* scripsit; qui vesperi medicamentum purgans exhibent, aut à cibo, noxam inferunt; quippe alimentum corrumpunt, minusq; evacuant. Et revera, si coctio nondum sit absoluta, alimētumq; distributum, concoctio turbatur, minusq; quàm par est, operatur medicamentum, cibo, à quo ejus vis retunditur, permistum. Cibus quoq; nondum integrè coctus ad venas cum medicamento purgante rapitur, humoresq; vitiosi, qui purgante medicamento attrahuntur, chylo permiscuntur, eumq; inquinant. Ideoq; commodissimum tempus exhibendĩ tales pilulas, ut & alia purgantia medicamenta, est matutinum, ubi concoctio jam absoluta est. Neq; ratio, quæ illos movit, alicujus momenti est. Nam humores vitiosi à purgante medicamento moti ad vias evacuationis non per œsophagum, per quem vapores ad caput præcipuè ascendunt, sed per venas perveniunt: ideoq; commodissimum purgationis tempus est, si viæ illæ omnes liberæ sint, & coctio in ventriculo absoluta.

QUÆSTIO III.

Cui loco ad caput evacuandum cauteria in capite applicanda sint?

Duo loca, in quibus cauteria ad materiæ in capite evacuationem applicanda sunt.

An cauteria futura coronali adhibenda.

Plicantur, à plerisque Medicis nominantur; occiput & sinciput, seu futura coronalis; & de piore quidem loco nullalis est, etsi, ut antea dictum, fonticulus non ita commodus videatur, & setaceum ei præferendum sit. De loco verò in sincipite seu futura coronali Medici dissentiunt. Plurimi quidem fonticulos, qui in capite ad futuram coronalem, qua sagittali committitur, excitantur, multum facere ad eliciendos, revelendos, evacuandosque humores, qui intus in capite sunt, ne detenti, aut deorsum descendentes varias corporis partes afficiant, statuunt; & hinc imprimis ad capitis morbos frigidos & humidos, ut dolorem capitis, vertiginem, somnum profundum, paralyfin, & ad morbos, qui ex detentis in capite humoribus, & ex fluxu eorum ad oculos, nares, aures, columellam, fauces, dentes, pedes, articulos, generantur, utiles esse tradunt, & quidem quinque de causis, ut Hieronym. Fabricius ab Aquap. *de operat. Chirurg. cap. de fonticulo in futura coronali*, docet. Primò; quia hoc in loco facilius detinentur gestanturque fonticuli: Secundò, quia anterior capitis pars humidior est posteriore, & propterea majore humorum evacuatione indiget: Tertio, quia hic locus minus durus & ad exhalationem humorum aptior est: Quartò, quia laxior & rarior est quam ceteræ partes: Quintò; quia ibi adest vena interius per futuras penetrans, in nonnullis per calvariam, in sculpto in eâ foraminulo; & proinde calvariâ eo loci combustâ & apertâ humores multi è

penitioribus partibus profluunt: cuius rei exemplum *ibidem* adducit Fabricius, & propterea de loco illo exactè inveniendò *ibidem* pluribus agit. Alij verò, inter quos Montanus, *conf. 36. 143. 170.* Hieronym. Mercurialis, *tom. 3. consil. Fab. Pacius, in libr. 5. method. medendi, cap. 13. & in appendice ad libr. 7.* Ludovic. Septalius *animadvers. medic. libr. 6. num. 107.* (qui testatur, se 40. annis, quibus medicinam Mediolani fecit, nullum vidisse, qui ex hac cauterij applicatione quid commodi perceperit, aliquos verò in periculum, inflammatione excitatâ, coniectos fuisse.) Zechius, *in consultationibus medicis, consultat. 75.* & alij cauteria huic loco applicata improbant, ideo præcipuè, quòd cum summo periculo conjunctum sit hoc auxilium. Cum enim os hoc loco sit tenuissimum, & durior membrana per fibras, nervos, arterias, venas, pericranio connectatur, ignito ferro faciliè inflammari, & cerebrum in consensum trahi potest. Refert idem Zechius, *consultat. prima*, pistorem quendam Bononiæ ab inultione hoc loco facta, in phrenitidem eadem die incidisse, ideoque idem in loco cauterij applicandi inveniendò manus radicem summis naribus, non autem ad superciliorum intermedium applicare jubet. Secundò, quòd difficile sit, humores in capite latentes, suapte naturâ deorsum inclinantes sursum per futuras evocare. Et omninò hisce autoribus subscribo, & cum Zech. sentio, si ob evocandam ex alto materiam in cerebro hærentem, & cerebrum

brum siccandum roborandumq; de-
 stillationem, quæ *αθρωσις* in fauces aut
 thoracem ruit, cohibendam, aut sym-
 ptoma aliquod, quod subito exsiccare
 jubet, quemadmodum in apoplexia &
 lethargicis affectibus fieri solet, ustio
 necessaria sit, unicā eamq; superficia-
 riam & cutaneam sufficere; & tum ta-
 men etiam cum summā cautione, ne
 cerebrum ustione illā lædatur, institu-
 endam esse. Ubi verò fonticulum ex-
 citare, eumq; diutiùs apertum servare
 animus, quò humores vitiosi à cere-
 bro avertantur, potiùs in capitis par-
 te posteriore, inter secundā & tertiam
 vertebram cauterium applicari pot-
 est; cum eundem usum præstare possit,
 & sanè minore periculo applicari
 queat. Etenim cauteriū anteriori par-
 ti capitis applicatum, non tam ex ipso
 cerebro, quā ex illa venā, quæ eo loci
 ad cerebrum tendit, cujus mētionem
 fecit Hieron. Fabricius ab Aquapen-
 dente, evacuare, atq; ita humorum af-
 fluxum ad cerebrum potius impedi-
 re, quā è cerebro evacuare videtur.
 Cum verò idem fonticulus in occipi-
 tio, vel setaceum excitatum, & quidem
 cum minore periculo præstare possit;
 meritò ad ista potius, ubi necessitas
 postulat, confugiendum videtur.

CAPUT VI.

*De Intemperie Capitis cum
 Materia per Consen-
 sum.*

Satis autem frequens est hæc intem-
 peries, & hoc nomine omnem il-
 l. I.

lam intelligimus, ubi caput à materia
 in partibus inferioribus generata, &
 ad caput ascendente afficitur. Capi-
 ti nimirum supremo corporis loco
 posito idem accidit, ut supra quoque
 dictū, quod in tugurijs tecto, ad quod
 fumi & vapores omnes feruntur; &
 præterea per venas, arterias, ut & ner-
 vos, quos in omne corpus distribuit,
 cum omnibus ferè partib. consentit.
 Nam quicquid vaporis vel humoris
 in venis & arterijs est, vel ab alijs par-
 tibus, epate, liene, corde, utero, in eas
 effunditur, id omne liberè ad caput
 moveri potest. E ventriculo verò non
 solum per latam & patentem viam
 vapores ad caput ascendunt, sed & per
 nervos sextæ cōjugationis cerebrum
 cum ventriculo cōsensum habet ma-
 ximum. Rondeletius, *method. curand.
 morb. cap. 5* etiam per arterias & venas,
 quæ à vena porta originem trahunt,
 & exteriori ventriculi tunice inferun-
 tur, materiam ad caput ferri posse do-
 cet. Et quidem cum è ventriculo ma-
 teria cerebro cōmunicatur, fit hoc,
 vel quia cibus est copiosus, & crudus,
 vel corruptus in eo continetur, vel
 quia humores vitiosi in eo abundant,
 vel quia venenum sumptum est.

*Capitis cū
 ventriculo
 consensus.*

Ab intestinis etiam materia quan-
 doq; capiti communicatur, cum sci-
 licet vel vermes in ijs delitescunt, vel
 humores vitiosi in ijs hæret, vel feces
 & excrementa præter modum & tem-
 pus retinentur, unde vapores multi
 ad caput elevantur. A Liene per ar-
 teriam magnam imprimis materia ad
 caput transmittitur. A Renibus per
 arte-

*Cum in-
 testinis.*

Cū Liene.

*Cum Re-
 nibus.*

*Intempe-
 ries capi-
 tis per cō-
 sensum.*

Cum Pulmone. arterias & venas. E pulmone per asperam arteriam halitus & vapores ad caput ascendunt. Uterus quoque, præter vasa, per quæ cum cerebro cõsentit, vinculis spinæ dorsî robustissimis alligatur, & per ea cerebrum facîle in consensusum trahit. Consentit quoque cerebrum cum septo transverso. Ab extremis etiam partibus per nervorum ductum sæpè materia ad caput ascendit. Materiam tamen potius per vasa, venas & arterias communicari, eum verò, qui per nervos & spinalem medullam fit consensus, potius propter condolentiam fieri, nonnulli cõsent, eum pars ab acrimoniâ & multitudine humorum vellicata, eam, cum qua communicationem habet, in consensusum trahit. Quod ut facilius & expeditius fieri posse, omninò concedendum: Ita planè negandum non putarim, aliquid materiæ per nervos sextæ conjugationis & spinalem medullam cerebrum quoque communicari: eum manifestè in epilepsia id fieri videamus, in quâ aura venenata sæpè ab extremis partibus per nervos usq; ad cerebrum ascendit.

Signa Diagnostica.

Signa capitis per consensusum affecti.

Quomodo in genere, an cerebrum per consensusum afficiatur, cognosci possit, præcedenti capite explicatum est. In specie, si afficiatur consensu totius corporis, totius corporis affecti signa aderunt, ut plenitudo, & suppressa aliqua evacuatio, febris, crisis, menstrua purgatio. In hisce enim omnibus, cum humores in corpore tur-

bentur, caput aut vaporibus, aut sanguine, & sæpè cum eo vitæ osis humoribus repletur, & hisce malis sublatis capitis affectus cessat.

Si à ventriculo cerebrum in consensusum trahatur, ejus affecti signa adfunt; prava concoctio, ob ventriculi debilitatem, aut cibum ac potum vel copiosum, vel vaporosum assumptum, cibi fastidium, nausea, ructus, ventriculi morsus & conturbatio. Interdum diaphragmatis compressio & anhelus difficultas, ex materia flatulenta in ventriculo contenta. Et quidem si cibus crudus & copiosus sit in ventriculo, ex antecedente diætâ id cognoscitur. Si verò cibus corruptus sit in ventriculo, adest nauseabunda satietas, ructus fœtidus, fumosus, acidus, ventriculi morsus & circa præcordia dolor & anxietas, appetitus dejectio. Si materia biliosa sit, & in ventriculo aliundè effundatur, ut in microcholis, ascensus ille vaporum in caput sedatur humore pravo benigniore cibo depresso & mirigato. Augetur verò, cum ventriculus cibo est vacuus, & post somnum, ac præcipuè inedia, eum tum temporis bilis liberè ad ventriculum effundatur, & ad caput fumos mittat; à cibo verò vapores illi deprimantur, & acrimonia mitigetur, modò æger cibus boni succi, non acribus, qui acrimoniam bilis augere possunt, utatur. Ructus, si acidus, sunt fumosi & amari, bilis quandoque vomitu rejicitur, oculis magna ex parte interdum observantur. Qui verò à pituitâ excitatur affectus, ventriculo vacuo &

Signa cerebri à ventriculo affecti.

vacuo & per famem sedatur; cum ventriculus vacuus & à cibo liber, frigidus & crudos humores concoquere tentet; post cibum verò magis invalescit, cruditate augetà, dum ventriculus simul à cibo & pituità gravatur, & dum cibum & pituitam concoquere perfectè non valet, & debiliter in eos agit, multi vapores & flatus ad caput eleuantur, ut dum ignis debilis in viridia ligna agens multos fumos excitat. Quandoque tamen accidit, ut ventriculo vacuo & per inedia plurimi vapores ex pituita in ventriculo excitentur, & inde dolor capitis & ventriculi excitetur; quod fit, quando humor frigidus in ventriculo est copiosus, ut calor ipsum vincere & concoquere non possit, sed vapores & flatus multos ex eo excitet. Et tum cibus assumptus non integrè sedat dolorem ventriculi & capitis, ut in bile accidere solet, sed eum potius auget. Ea, quæ ventriculo profunt, etiam caput iuvant, ut vomitus & alia: & quæ ventriculi affectum augent, ea etiam capitis morbum augent. Et id, quod vomitu rejicitur, qualis humor sit, qui per consensum caput afficit, docet.

Interdum tamen accidit, ut cerebrum & stomachus simul afficiantur, & reciproca quasi fiat materiæ communicatio. Ubi diligenter attendendum, quæ pars primò afficiatur. Fieri enim potest, ut in cerebro leve aliquod, & nisi quis diligenter attendat, sensibus vix obvium vitium sit, & à cerebro debili materia in sanum ventriculum defluat, cujus continuo

affluxu ipse ventriculus tandem debilitetur, ejus coctio lædatur, unde vapores multi ad caput eleuantur, idque lædunt. In quo casu licet malo ventriculi remittente etiam caput melius habeat: tamen pars primò affecta non est ventriculus, sed cerebrum. Itaque diligenter perpendendum, an cerebri, an verò ventriculi affecti signa prius adfuerint. Si enim mali initium in capite est, principio nullum in actionibus ventriculi vitium apparuit, sed in capite potius ea præcesserunt, & capitis gravitas, somnus, vel aliarum capitis actionum debilitas vel vitium aliquod apparuit. Si materia seu causa sit in ventriculo, ejus signa aderunt, quæ suo loco proponentur. De quibus omnibus plura de morbis ventriculi dicentur. Si ex vermibus caput afficiatur, signa vermium adsunt. Si humores vitiosi in intestinis hæreant, vel feces retineantur, etiam suis signis id facillè cognoscitur.

Si ex Utero caput afficiatur, vel *Ab Utero.* menses suppressi sunt, vel viduis ac cœlibem vitam agentibus semen retinetur, & alia signa uteri affecti adsunt. Caput verò in primis in vertice afficitur, & quæ utero profunt vel obsunt, ea etiam capitis affectum minuunt vel augent.

Si ab Epate caput per consensum *Ab Epate.* afficiatur, affectus is plerumque occupat dextram partem capitis, excrementa capitis sunt salsa & calida: Epatis affecti signa adsunt, & ad epatis morbum curatum vel diminutum capitis affectus imminuitur vel tollitur.

A Liene.

Si à Liene, sinistra capitis pars magis afficitur, & dolor, si adest, magis à cibo infestat, & eadem circa lienem occurrunt. *De quo vide questionem in fine capitis.*

A Corde.

Si à Corde & arteriis caput in consensum trahatur, sanguinis fervidioris in corde & arteriis signa adsunt, & fervor in capite, & rubor in facie atque oculis apparet, & arteriæ in capite vehementius pulsant, & quæ fervorem sanguinis temperant, præcipuè profunt.

A Pulmone.

Eodem modo si à Pulmone sit affectus capitis, affecti pulmonis signa adsunt, & quæ pulmoni commoda vel incommoda sunt, eadem simul capiti profunt vel obsunt. Simul etiam, si ex vesicâ, vel renibus materia communicetur, earum partium affectarum signa aderunt.

Prognosticum.

Facilius curatur, cæteris paribus, Intemperies hæc per consensum, quam quæ per essentiam.

Indicationes & Curatio.

Capitis per consensum affecti curandi ratio.

In omni capitis per consensum affectu hoc generale præceptum est, ut partis mandantis, materiæ, quæ transmittitur, & capitis, partis recipientis ratio habeatur: nisi à crisi is proveniat. Nam si à critico humorum motu aliquis affectus in capite excitetur, si natura rectè agat & humorem vitiosum è corpore evacuare conetur, non verò errans ad caput transmittat, de consi-

lio Hippocr. I. Aphor. 20. & Galen. I. ad Glaucon. c. 15. nullo modo crisis turbanda, neque repellentia, atque alia adhibenda; sed totum negocium naturæ rectè agenti committendum. Crisi n. absolutâ affectus ille facilè evanescit: nisi forsitan ex vehènti humoris ad caput motu præsentissimum periculum, inflammationis. scil. cerebri & delirij lethalis immineat; quod ex vehèntissimo dolore, calore, & instante delirio cognoscitur. Tum n. ne ob sanguinis cum impetu ad caput ruentis copiam crisi vel nulla fiat, vel imperfecta, medio critere repellentiâ adhibere utile est, quæ affluxum humoris ad caput non tollant penitus, sed moderentur. Varius tamen hoc accidit & cautè hîc agendum. Quòd si crisi nondum sit præsens; ex motu tamen materiæ, quem natura crisin moliens instituit, vapores vel humores ad caput mittantur; perpendendum, per quæ loca natura crisin sit institutura, de quo in Instit. lib. 3. part. 3. c. 16. dictum. Et si natura sit ignavior, ei subveniendum, ut per convenientia loca humores vitiosos facilius expellat.

Si verò extra Crisin sit, & partis mandantis & capitis recipientis habenda est ratio. Curandi verò ratio semper à parte inchoanda, quæ materiam ad caput transmittit, & pars mandans vulgò appellatur; nisi affectus ipse tantus sit, ut ad se curacionem mox ab initio convertere jubeat. Nam si multa materia in toto corpore, vel in parte aliqua contineatur, à quâ ea, quæ in capite est, foveatur, nisi prius totum vel pars, quæ materiam

teriam capitis morbo subministrat, evacuatur, frustra in capite vel evacuando vel alterando laboratur.

Deinde caput non negligendum, sed ejus simul habenda ratio est, ne humores ad id affluant, vel ab eo facile recipiantur, vel in eo sedē figant.

Quod fit revulsione, derivatione, interceptione. Revulsio fit venæ sectione in brachijs vel cruribus instituta: cucurbitulis, dorso, scapulis, brachijs, coxis ac cruribus, admotis, tam scarificatis, quæ fortius revellunt, quàm non scarificatis, vel hirudinibus partibus inferioribus appositis: clysteribus injectis, purgantibus exhibitis, frictionibus crurum ante cibum, coxarum, dorfi; vinculis cruribus injectis, lotionibus extremorum, vesicatorijs collo ac cubito applicatis; fonticulis item seu cauterijs. Cauteria autem ad excitandum fonticulum applicanda cruribus quatuor digitos infra genua, si à toto corpore materia capiti communicetur. Hoc enim modo & totum corpus evacuatur, & à capite materia revellitur. Quod etiam faciendum, si à partibus intra renes obmēses vel hæmorrhoides suppressos, ad caput materia transmittatur. Nam ita & materia revellitur, & menstrua ac hæmorrhoides provocantur. Si verò partes supra renes, ut & epar & lien capiti materiam suggerant, in brachijs fonticuli excitandi, dextro quidem, si ab epate, in sinistro verò, si à liene.

Intercipienda & Intercipitur materia adstringentibus collo adhibitis.

Repellitur à capite materia, & caput, ne facile admittat, roboratur oxy rhodinis & alijs repellentibus, refrigerantibus ac adstringentibus adhibitis. Derivatur materia, quæ in cerebro & eius membranis est, apertis venis post aures, in fronte, sub lingua, in naribus. Si quæ tandem materia in cerebro sedem fixerit, evacuatur ea cum sensibiliter, tum insensibiliter, iis modis, qui capite præcedente propofiti sunt.

Quæ omnia quæ ratione fieri debeant, postea in specie patebit: de repellentibus saltem, & quæ humorum ad caput affluxum prohibent, in genere adhuc quædam addemus.

Cum revellere incipimus seu sanguinis missione, seu quocumque modo alio, statim subiungenda repellentia. Si enim & revellentia materiam à capite avertant, & repellentia eandem repellant, facilius scopum nostrum assequimur, caputque roboratur, ne tam facile affluentem aliunde materiam admittat. Excipiunt tamen aliquos casus Medici, in quibus non liceat adhibere repellentia, nimirum in febribus, cum vaporibus exitum intercludant, & dolorem capitis ita augeant; quando evaporatio fit à toto in corpore plethorico; & quando catarrhus coniungitur, ne repercussionem usus augeatur. Matthæus de Grad. tamen, in 9. *Rhasis in fin. cap. 1.* Catarrhum non semper sufficere putat ad prohibendum repellentia, sed monet, si materia biliosa ad caput tendat, ut de phrenesi sit metus, ad prohibendam phrenesin & maius malum, non

attendendum esse catarrhum, & mi-
 bus malum, quod ex repellentium u-
 su evenire possit, sed repellentia ad-
 hibenda esse. Imò & in reliquis casi-
 bus idem observandum puto, & si ex
 motu materiæ ad caput grave aliquod
 malum metuendum sit, non omitten-
 da sunt repellentia. Præstant autem
 hoc medicamenta refrigerantia &
 nonnihil adstringentia, qualia sunt
*succus portulacæ, sempervivi, polygoni, a-
 qua rosacea, cui oleum rosaceum & aceti
 aliquid admixtum sit, succus cucumeris, cu-
 curbitæ, quibus etiam aliquid aceti, vel
 alterius adstringentis medicamenti mi-
 xtum sit.* Ubi nihil aliud ad manus
 est, posca, id est, aqua frigida aceto
 mixta scopo huic satisfacere potest.
 In omnibus tamen capitis affectibus
 hic commendatur oxorrhodinum ap-
 pellatum; quod conficitur ex oleo ro-
 faceo, cui aliquid aceti admiscetur, &
 ob adstrictionem commodius ex o-
 leo recenti, & quod annum unum
 non excesserit, de quo *supra capite I.*
 plura dicta sunt, quæ & huc refe-
 rantur.

*De oxyr-
 rhodinis
 notanda.*

Hoc saltem hic addimus; in aceti
 electione hoc attendendum esse; ut in
 biliosâ & calidâ materiâ, ac ubi vigiliæ
 urgent, acetum minus acre (acre enim
 caloris particeps est) eligatur, aut
 si acre sit, minor ejus portio admiscea-
 tur: si autem materia sit crassior, acri
 & copiosiore uti licet.

Hoc quoque monendum ex Galeno,
I. de mor. c. I. Si cranium vel cerebrum,
 vel ejus membranæ vulnere aliquo
 detectæ sint, acetum planè omitten-

dum esse; quia, cum acre & mordax
 sit, excitato dolore majorem fluxum
 concitare potest. Conveniunt & alia
 refrigerantia & repellentia supra *cap.*
I. proposita.

Tandem quod in genere alibi in
 Instit. de repellentium usu dictum, id
 in affectionibus capitis omnib. quo-
 que observandum, ut inter prima ini-
 tia sola repellentia adhibeantur; post-
 ea verò cum aliquid materiæ affluen-
 tis in capite receptum, quod amplius
 repelli non potest, mixta oritur indi-
 catio; & materia, quæ adhuc fluit, re-
 pellenda, quæ verò jam influxit, dis-
 cutienda digerentibus; atque ita mi-
 xta remedia adhibenda; & quidem ubi
 à statu remotior est morbus, re-
 pellentia prævalere debent; ubi statui
 propinquior, vel in statu est, æquales
 vires habere debent medicamenta, &
 in declinatione, ac ubi materiæ jam
 amplius non affluit, sola laxantia &
 discutientia adhibenda; atque ubi flu-
 xus jam cessavit, materia, quæ in ca-
 pite substitit, iis modis, qui capite
 præcedente propositi sunt, tollenda.

Postquam hæc in genere de affe- *Materia ad*
 ctibus capitis per consensum dicta sunt, *toto ad*
 quædam adhuc in specie addenda. Pri- *caput rursus*
 mò si caput per consensum totius af- *quomodo*
 ficiatur, quod sæpè accidit in febr- *revellenda.*
 bus, unde dolor capitis & deliria ex-
 citantur: tum, quia in capite perma-
 nens causa non est, magis incum-
 bendum evacuationi & revulsioni af-
 fluentis materiæ, caputque per repel-
 lentia defendendum. Ideoque ma-
 ria ad

ria ad caput ruens venæ sectione in brachiis, vel talo & pedibus, clysteribus, purgatione, cucurbitulis, frictionibus, ligaturis, cruribus, brachiis, & dorso adhibitis revellenda; quem in finem etiam cubito extra applicantur vesicatoria ex cantharidibus & fermento; plantis pedum imponitur raphanus cum sale, ruta item confusa cum sale & fermento applicatur, ut extremitates venarum arteriarumq; laxatæ ad se vapores proliciant, & à capite retrahant.

Repellenda. Interim dum hoc modo revulsioni materiæ à capite studemus, simul repellentia & caput roborantia oxyrhodina & alia supra *cap. 1.* & modò proposita applicanda.

Intercipientia. Ad intercipientiam verò materiàm collo circa arterias & venas carotidas linteola succo lactucæ, vel aqua rosarum cum aceto madida, vel oleo rosarum, nymphææ, myrtino imbuta apponere licet.

Reliqua curatio ad ipsum principalem morbum dirigenda. Intustum ea exhibere utile est, quæ vapores, qui sursum feruntur, deprimant, conservam rosarum, rob ribes, succum citri, granatorum, species diamargariti frigidi & similia. Quæ omnia locum habent, si, ut antea dictum, affectus capitis non à criticâ evacuatione proveniat. Tum enim nihil agendum, sed totum negotium naturæ committendum. Si tamen natura nondum crisis tentaret, sed aliquam ejus significationem præmitteret, uride caput afficiatur, natura adjuvanda est, & leni aliquo medicamento ad

convenientia loca, quò natura tendit, materia ducenda.

Si ventriculo affecto caput in consensum trahatur, & quidem, si cibus vel potus plus nimio in vetriculo retundet, procuranda eius coctio, & inedia imperanda, vel si malum urgente, cibus vel potus statim vomitorio leni exhibitò per os reiiciendus; vel ut maturè per alvum descendat, clystere alvus irritanda. Ita si cibus corruptus sit in ventriculo, similiter vel vomitorio eiiciatur, vel, si homo ad vomitum aptus non est, leni purgante exhibitò, vel clystere injectò per alvum educatur. Et quantum fieri potest absq; cibo æger somno & quieti se dedat, aut si dormire non possit, leniter ambulet, donec cibus vel coquatur & à natura superetur, vel ad intestina descendat. Cibo vomitu eiecto vel per alvum evacuato, ventriculus internis & externis roboretur, & ut suo loco dicetur, curetur.

In primis verò considerandum, an in ventriculo cacochymia & cruditas sit nidorosa vel acida. Si enim nidorosa cruditas & humores biliosi ac mordaces in ventriculo abundant, & vapores congeneres ad caput inde ascendat, evacuandi illi sirupo rosarum solutiv, mannâ, cassiâ: Ad vapores verò reprimendos & extinguendos, ac præterea vias coarctandas aq. frigidæ potus in affluetis utilis est. Itè sirupus de rosis siccis, granatorum, acetositas citri, myrtillorum cum aqua plantag. lactucæ, portulacæ.

Acida cruditas re-
In acida verò cruditate & pituitosis humoribus convenit mel rosarum soluti-

Solutivum, hiera simplex Galeni, diaphanicum. Ad flatuſ verò ab hoc humore natos diſcutiendos utile eſt anifum, cuminum, chamæmelum, mentha, cortices citri, diagalanga, dianifum. Mercatuſ ad flatuſ in ventriculo diſcutiendos commendat aquam calidiſſimam, quæ præterquam, quòd maliciam humorum retùdat, coſtioni etiam plurimum proſit, ventriculolum abluat, & ad evacuationem non parum juvet, & actuali caliditate flatuſ, antequam in ventriculù irruant, mirum in modum diſcutiat. Idem in utraq; cauſa, & in quacunq; intemperie, quæ ex inferiorum viſcerum conſenſu oritur, ſe feliciter uſum fuiſſe hiſ pilulis ſcribit:

℞. Folior. ſenæ Unc. vj.
 paſſular. mundatar. Drach. iij.
 glycyrrhiz. Drach. ij.ß.
 folior. fumarie,
 borrag.
 betonic.
 cichorij,
 abſinthij, an. Drach. j.

Coque in vaſe clauſo in aqua borragin. fumar. aut abſinthij.

Decocti ℞. Unc. viij. In ijs macerato rhabarbar. Drach. j.ß.

ſchœnanth. Scr. j.

Colat. ad de ſpecier. hieræ Galeni Unc. j. agitentur donec pulveres humorem aſſumpſerint, & additâ ſirup. roſ. ſolutiv. ſ. q. F. Maſſa.

A cibo exhibeantur, quæ adſcendentes vapores reprimunt, & os ventriculi claudunt.

Ut ℞. Coriand. præparat. Unc. iij.
 cinamom.

ſem. anifi an. Unc. ß.

ſeniculi, Drach. j.ß.

cumin. acetopreparat.

carvi an. Drach. ß.

roſarum rubrar. Drach. j.

maſtich. Scr. j.

ſacchari albiſſimi vel mannaſ

Chryſti perlat. Unc. j.

F. pulvis, in cruditate acidâ & humore frigido.

Vel ℞. Conſerv. roſar. Unc. ij.

betonic.

carnis citri conditæ an. Unc. j.

myrobal. emblic. condit. Unc. ß.

diacydon. ſine ſpeciebus.

ſem. coriand. præpar. an. drach. j.

corall. rubr. præparat. Scr. ij.

maſtich. Scr. j.

Cum ſirup. cydoniorum

Fiat Electuarium, in cruditate nidoroſa.

℞. Coriand. præparat. Unc. ij.

ſem. anifi Unc. ß.

cinamom,

ſpecier. diarrhod.

glycyrrhiz. an. Drach. ij.

ſacchar. roſat. tabulat. ad pondus omnium.

Fiat pulvis poſt paſtum.

Reliqua, quæ huc faciunt, patebunt ex doctrinâ de ventriculi intemperie cum materiâ.

Vermes, ſi tetros vapores ad caput mittunt, interficiantur, & è corpore exturbentur, ut ſuo loco dicetur.

Eadem ratione & aliæ partes, à quibus cerebrum per conſenſum afficitur, epar, lien, renes, uterus, curentur, ut de ſingulis ſuo loco dicetur.

Quod

Quod dum fit, id quod antea in genere præceptum est, semper observandum, ut caput, quod pars recipiēs est, non negligatur, sed ab ipso materia revellatur, repellatur, ipsumq; ne humores & vapores admittat faciliè, roboretur, & materia, quæ in id affluit, modis antea dictis evacuetur, tãdemque intemperies, si quæ reliqua est, contrarijs alteretur.

Ab Utero.

In specie si ab Utero materia cerebro communicetur, cucurbitulæ spinæ propè anum & intra coxas versus pudenda admotæ revellendo plurimum præstant. Si materia, præcipuè vaporosa & calida in venâ cavâ & arteriâ magnâ lateat, vel per eam ascendat, spina secundum longitudinem, sub quâ trunci venæ cavæ & arteriæ magnæ latent, refrigerantibus inungenda est.

QUÆSTIO.

An cerebro consensu Epatis affecto, dolor & molestia in dextrâ capitis parte; Lienis in sinistra; Uteri in vertice

& syncipite percipiatur?

Communis ferè Practicorum sententia est, si caput Epatis consensu afficiatur, in dextra parte dolorem & molestiam magis percipi; si ob Lienem afficiatur, in sinistra; si ob Uterum, magis in vertice. Dissentit verò ab hâc sententia Rondeletius, *method. curand. morbos, c. 5. statuitq;* dolo-

P.L.

rem, qui ex consortio Epatis & Lienis in capite suboritur, non dextram potius, quàm sinistrâ partem occupare, nec aliam partem præter anteriorem ei assignandam, in qua omnis materia, quæ ab inferioribus partibus sursum fertur, subsistit, ob causas, quæ postea ex Galeno, *1. Epid. comm. 1. text. 2. afferentur*, (quo loco etsi Galenus tantum de dolore per uteri cõsensum agat, causæ tamen, quæ ab eo afferuntur, communes sunt omni dolori, qui per materiæ ab inferioribus transmissionem fit) Etsi enim ab Epate facilius per venam cavam, à Liene per arterias materia sursum ad caput feratur: tamè cum vena cava arteriaq; magna tantum juxta jugulum dividatur, dextramq; & sinistram arteriam & venam in caput mittant, causam esse nullam putat, cur, quod à jecore & liene demandatur, per hanc potius, quàm per illam viam ad caput perveniat, & in dextrâ potius, quàm in sinistrâ parte dolorem excitet; nisi forsitan casu vel aliquâ aliâ læsione pars una debilior sit quam altera, ut facilius id, quod ab inferioribus transmittitur, suscipiat. In consensu verò per uterum distinctionem adhibet. Caput in vertice & syncipite ab utero magis affici, tũ tantum verum esse putat, cum materia per arterias & venas ad caput trãsmittitur. Nam, ut Galenus, *6. Epid. comm. 1. text. 2. docet*, vapores calidi per arterias ad caput elevantur, arteriæ verò per collum ab utraq; infundibili parte rectâ in synciput discurrunt. Præterea & sanitatis tempore tenuia ac calidiora cerebri excrementa maximè per

H synci-

syncephala d' illari solent: siquidē eò loci futura: sunt laxissimæ & ipsa calvaria subtilissima, plurimisq; meatibus pervia. Adhæc multa sensu prædita corpora per futuras evadunt, quæ ad dolorem percipiendum sunt aptissima. Imò non per arterias solùm ad caput vapores mittuntur, sed & per venas, ac in syncephala & vertice sedem figunt, & distensionem faciunt, eò quòd venæ, quæ sinus duræ meningis constituunt, ibi desinant, potissimumq; tertium & quartum. Si verò cerebrum ab utero in consensum trahatur, non per fumos & vapores per vasa transmissos, sed per condolentiam, quæ fit ob connexionem spinæ cum utero, tum dolor & molestia magis in occipite percipitur; & hoc unum peculiare habent hi dolores, qui ab utero per consensum spinæ fiunt, quòd in occipite magis percipiuntur & initium faciunt, cum reliqui omnes, qui per fumos & vapores transmissos, imò & per humores in capite collectos fiunt, ob causas à Galeno modò allegatas in syncephala & vertice magis percipiuntur.

Et quidem uterum quod attinet, facile Rondeletio assentimur, & considerandum putamus, an consensus capitis & uteri fiat per venas & arterias, an per spinam. In priori enim magis verticem & syncephala, materia ad caput per venas & arterias transmissa, in posteriore occiput, capite per spinam in consensum tracto, affici putamus. Et quidem cum cerebrum per spinam consentit, quia uterus membranosa constat substantiâ & nervæ:

naturâ intextâ, seu per condolentiam nervosum genus in consensum trahere potest, seu per materiæ alicujus communicationem. Etsi enim corpus totum est *ἑνὸν ἁπλοῦς*: tamen nervosa nervosis & cerebro facilius aliquid communicant, quàm alijs partibus, ut in Epilepsia, quæ fit à partibus extremis, fieri videmus, ubi aura illa maligna per nervos cerebro, non cordi vel alteri parti communicatur.

Epar verò & Lienem quod attinet, etsi verum esse concedimus, plerumq; per vasa, arterias & venas materiam ab hisce visceribus communicari, & nò magis ad dextram quàm sinistram ferri, & inde dolorem in syncephala excitari: tamen experientia ipsa testatur, sæpissimè in dolore per consensum, nunc partem dextram, nunc sinistram affici; quod non solùm fit, quòd hæc vel illa pars debilior sit, sed ob Epatis & Lienis cum dextrâ & sinistrâ consensum. Si autem porrò queratur, quomodo ille consensus fiat, vix alia causa dari potest, quàm *ἑνὸν ἁπλοῦς* Hippocratis, quæ fit κατὰ τὴν, quæ dextra dextris, sinistra sinistris respondent.

CAPUT VII.

De Intemperie cum vapore & spiritu flatulento.

Postquam ista in genere de Intemperie capitis cū materiâ, seu in eo vapore & spiritu flatu.

Intemperie capitis à

vapore & spiritu flatu.

genitâ & cumulâtâ, seu aliunde transmissâ diximus: Proximum est, ut pro diversitate materiæ caput afficientis, ista in specie explicemus. Initium autem facere libet de Intemperie cum vapore & spiritu flatulento.

Causse.

Causse.

Flatus autem & vapores vel in ipso corpore generantur, vel extra in caput admittuntur. Primò si in corpore generatur flatus & vapor. Intemperiam hanc excitant quæcunq; flatum vel vapores gignendi aut concitandi vim habent. Flatus autem generantes causse duæ sunt: Agens, scilicet calor imbecillis, qui materiam quidem rarefacit, discutere verò nequit; & materia ad flatum generandum apta, ut cibi flatulenti & humor pituitosus ac melancholicus. Pro natura tamen humorum, è quib. eleuantur, est flatuum & vaporum differentia. Flatus equidem ex humoribus frigidis, crassis & viscidis ac glutinosis eleuantur, & propterea difficilius resolvuntur: vapores verò & à frigidis humoribus, & à calidis, sanguine & bile excitantur. Vapor verò is vel spiritus flatulèrus aliquando in ipso cerebro generatur, ob aliquam ejus intemperiam, ob quam alimentum, ex quo alendum erat, ex parte in flatum convertitur; quò etiam faciunt venti, qui per aures & nares admissi cerebrum afficiunt, ut & frigus externum: vel in reliquo corpore generatus ad caput mittitur, idque fit, vel ex toto corpore, vel aliqua parte. Humores quoq; commovet, &

ut inde vapores ad caput eleventur, facit ira, exercitium corporis nimium, aër calidior, balneum à cibo.

Secundò etiam extrinsecus flatus & vapores in caput admitti possunt. Primò quidem venti cum australes tum boreales, per aures & nares in caput admissi, id replent. Deinde vapores aliarum rerum frigidi, calidi, humidi, interdum etiam maligni, ut vapores ex locis palustribus & limosis, vapores rerum, quæ suavem quidem habent odorem, sed fortem, ut camphora, moschi, croci, scarleæ, mentha, & similia; vapores rerum foetidarum, ut alij, caulium, folior. nucum, cannabis, lini & similia; carbonum item fumus, & candelarum extinctarum; maligni, ex cadaveribus, interdum & fodinis metallicis.

Signa Diagnostica.

Cognoscitur flatus vel vapor in *Vaporum* cerebro, quòd sensus tensionis sine *& flatu* gravitate percipitur; quòd affectus, *caput aff-* quem excitat, subito nascitur & remittentium *tit*, quòd facile de loco in locum *signa.* mutat. Vapores etiam & flatus in capite præter dolorem, quem distendendo membranas pariunt, sonitum & sibilum in auribus, vertiginem, incubum, soporem, epilepsiam, apoplexiam etiam excitare possunt. Sæpè quoque venæ in collo intumescunt, & inflatæ apparent, pulsatio arteriarum capitis est fortior, maximè si in arteriis sit materia peccans; quandoque etiam imaginatio, spiritibus turbatis, corrumpitur & depravatur;

Excrementa è capite ferè nulla excernuntur, nisi vapores tãdem in humorem degenerent. Præcesserunt causæ flatus generantes modò dictæ, ut materia crassa & flatulenta, ac calor imbecilli; vini potentioris, aut cibi flatulenti aut vaporosi usus; adest febris; instat crisis vel menstrua purgatio. Quòd autem flatus vel vapor in ipso capite sit genitus, & non aliunde transmissus, ex eo cognoscitur, quòd nullus sonitus aut inflatio in ventriculo aut partibus vicinis percipitur, & neq; propter ciborum repletionem, neq; inanitionem, vel symptomatum, quæ flatus in capite excitant, remissio, vel augmentum percipitur. Præcessit capitis gravitas, & aliquis sensuum sensim læditur, leviq; de causâ malum inde excitatum recurrit. Si autem flatus & vapor ab alijs partibus ad caput feratur, partium affectarum notæ indicabunt locum, à quo flatus attollitur. Venæ in collo sæpè tenduntur, urinæ in superficie bullis repletæ sunt.

Et cum flatus non ex seipso originem habeat, videndum, quæ sit materia, à qua resolvitur, & an cum caliditate vel frigiditate sit conjunctus, id quod ex ijs cognoscitur, quæ de ipsis humoribus postea tradentur. Ipsi tamen vapores, etiam, cujus humoris soboles sint, produunt. Pituitosi enim flatus & vapores, tardius moventur: quàm biliosi, gravitas capitis major adest, cum quãdam in somnum propensione, tenebræ si oculis obortantur, diutius durant: biliosi mordaces sunt & acres, citò evanesunt: melancholici tristitiam excitant, fixi sunt:

Melancholia enim ad evaporandum minus apta. Qui à sanguine sunt, mitiores sunt, temperati caloris, & magis quantitate quàm qualitate molesti, somnum excitant.

Sunt quoque signa, quæ docet, per quas vias vapor & flatus ad caput ascendant. Nam si per partem anteriorem ascendunt, percipitur tensio thoracis, & quidem, si per arterias latentes in profundo, quasi chorda cum pulsatione tendens apparet, si per venas, sine pulsatione id fit. Si per partem posteriorem, tenduntur venæ & arteriæ in eadem parte. Si fiat ascensus per venas & arterias manifestas in collo vel facie, tensio vel pulsatio ibi deprehenditur.

Prognosticum.

Non ægrè curatur à vaporibus & flatibus orta intemperies, modò materia & pars, unde proveniunt, cognoscatur, & faciliè curari possit. Tam diu enim durant, quàm diu humor, à quo attolluntur.

Indicationes.

Materia, è qua flatus elevatur, sive sit in capite, sive in reliquo corpore, evacuanda; flatus & vapor à capite avertendus, repellendus, intercipiendus, discutiendus; caputq; alterandum & roborandum: Si tamen vaporum & flatuum commotio valdè urgeat, ut ea sedetur: quamprimum operanda: si extra flatus in caput admissus.

missus sit, is discutiendus & caput alterandum.

Curatio.

Ideoq; primum videndum, qualis materia seu in toto seu in capite abundet, & flatibus ac vaporibus materiam suppeditet, eaq; evacuada, ut sequentibus capitibus dicetur, tum venas secando, tum purgando, tum etiam particulares capitibus evacuationes instituendo.

Vapores in capite discutiendi.

Quibus expeditis, si in capite flatus sit genitus, ex materia frigida & humidâ, caput fovendum decocto *florum chamameli, anethi, ruta, folior. lauri, flor. meliloti. sem. cumini, fœniculi*, vel inungendum oleo *anethino, chamemelino, irino, rutaceo*: vel imponatur facculus ex milio, sale & dictis modò plantis.

Ut R. *Milij torrefacti M.℥.*

flor. chamam.

melilot.

roris marini,

stœchad Arabic.

pulegij, an. P. j.

sem. cumini,

anethi, an. Drach. j.

Fiat facculus.

Olfacienda exhibeantur; *Majorena, rosmarinus, radix ireos, caryophylli, castoreum, ol. salviae*. Auribus intilletur oleum *rutaceum, salviae, chamamelinum, anethinum, amygdal. amarar.* vel moschus & castoreum lanæ bombicinæ involuta auribus indantur. Et alia, quæ in Intemperie cum Pituita proponuntur, usurpentur, ubi flatus est. à materia frigida.

Si verò aliunde flatus vel vapor ad caput elevetur, curatio ab ijs inchoanda, quæ materiam, quæ flatus suppeditat, evacuant, & quæ flatus & horum materiam à capite deorsum trahunt, quæque humores & vapores ad caput tendentes repellunt. Ideoque commodissimè initio usurpantur clysteres paulò fortiores, qui materiam, quæ in intestinis & circa mesenterium est, evacuant, & ne ad caput feratur, potenter revellunt. E. g. fiat talis Clyster:

Vapores à capite avertentia.

R. *Mercurial.*

beton. an. M. ij.

flor. chamamel. M. j.

meliloti, M. ℥.

sem. fœniculi,

cumini,

carvi, an. Drach. ij.

Coquantur in aqua simplici.

Colat. R. ℞. ℞. j.

Benedicta laxat. Drach. ℥.

elect. diaphœnic.

hieræ simpl. ana Drach. ij.

olei chamamel.

anethini ana Unc. j.

Fiat Clyster.

Si Intemperies capitis calida adsit, quæ motum ad caput vaporum adjuvat, eosq; attrahit, oxyrrhodina vel alia repellentia, supra cap. i. proposita, usurpanda, quæ intemperiem capitis corrigant, idq; roborent, ne eos facile recipiat. Imò collo eadem ad inhibendum vaporum adscensum, applicare utile est. Ut & ligaturas in partibus adhibere, à quibus vaporem ascendere cognitum est.

Neq; inutile fuerit medicamenta, quæ vapores supprimunt, adhibere: inter quæ sunt conservæ rosarum, robribes, myrobal. conditæ, corallia, spiritus vitrioli, salis, & similia. Reliqua etiam curatio eo modo, qui mox de humoribus tradetur, perficienda, & humores, qui vel in ventriculo, vel venis inæbraicis, vel circa uterum, vel in habitu quoq; corporis continentur, à quibus vapores hi attolluntur, expurgandi, & unà cum vaporibus à capite avertendi sunt, per v. neg. sectionem, scarificationem, frictions, purgationes, vomitus & alia, quæ deinceps proponuntur. Hoc saltem observato, ut medicamentis ea admisceantur, quæ flatus discutunt, cuiusmodi sunt *Semen anisi, fœniculi, carvi, cammini, dauci, seseleos, ammeos, anethi, ruta, acorus conditus, cubeba, galanga, juniperi bacca, levisticum, bacca lauri: species diacalamintia, diacymini, dianisi, aromatici rosati, diamosch. amari, diagalanga,* & alia, quæ flatus crassos in intestinis & ventriculo discutunt.

Videndum tamen, qualis sit materia. Si enim sit calidior, & ab humoribus biliosis & mordacibus vapores eleventur, à caldis abstinentum, & utendum sirupo granatorum, limonum, citri, acetosellæ, quibus vaporum ad caput adscensus prohibeatur. Caput quoque oxyrhodino tunc fovendum. Tandem flatus discutendi medicamentis modò enumeratis.

Et cum ex ventriculo sæpius vapo-

res ad caput adscendant, illudque repleant, ejus tum in primis habenda ratio, ac medicamenta, quæ vapores è ventriculo adscendentes supprimunt, exhibenda: de quo *cap. precedente dictum*. De coriandro ad vapores è ventriculo adscendentes supprimendos usurpando vide paulò post *questionem*. Av. cennas *primæ tertij, tract. 2. cap. 19.* & Mesues *distinct. 12. antidotarij*, si causa mali sint flatus in ventriculo, valde commendat *oleum de kerva*, seu granis cataputiæ majoris, ut potè quod crassos flatus discutit & pãl. gma crassum attenuat, ac propterea dolori stomachi, ut & capitis, ex hâc causa orto prodest, seu ventri inunctum seu bibitum, seu clystere injectum. Av. cennas *loc. alleg.* ad flatus discutendos etiam adhibet balneum siccum, præcipuè jejuno stomacho usurpatum.

Tandem si flatus & vapor extrinsecus in caput penetraverit, & quidem si ventus causa mali sit, considerandum, an fuerit austrinus & calidus, an verò frigidus & borealis; & an per nares, an verò per aures magis ad caput penetraverit. Si calidus, in aures instilletur oleum chamæmel. anethin. cum rosac. mixtum tepidè, vel ex iisdem medicamenta naribus admoveantur. Etsi enim causa sit ventus calidus: tamen cum animus sit flatus discutere, non aures stipare & concludere, moderatè calidis utendum. Si verò ventus fuerit frigidus, calidiora adhibenda, ea scilicet, quæ supra in *Intemperie capitis frigida*, & antea in hoc

Caput ab
odoribus
repletum.

hoc ipso capite sunt proposita, & modo ibi explicatis. Si à bonis odoribus perpendendæ, & frigida calidis, humida siccis opponenda. Si verò odores mali & graveolentes fuerint, etsi fe. è calidi sint; cùm evaporabilia ad caliditatem inclinent: tamen simpliciter frigida olfacienda non sunt; cùm vapores in capite retineant, & eorum discussionem prohibeant: sed moderatam caliditatem habere debent; nisi forsan magnus caloris excessus sit: tam enim oleum cucurbitæ, violar. & similia naribus attrahenda, & aer ipse, qui inspiratur, refrigerandus, ut sup. c. 1. dictum. Si vapores maligni sint, non solum contrarijs qualitib. prædita naribus sunt attrahenda, verùm cùm maligna qualitas plerumq; altius in corpus sese insinuet, ea quoq; quæ peculiari vi malignitati illi resistunt, exhibeantur.

Caput à
vaporibus
metallicis
affectum
ut curan-
dam.

Contra vapores metallicos, mercuriales & arsenicales commendatur Zedoaria; item hoc Electuarium, de quo mane portio avellanæ magnitudine sumenda, & naribus quoque aliquid illinendum.

R. *Allij,*

nucum juglandium an. M. ß.

Contundantur & super igne cum melle despumato misceantur; addanturque

theriac optimæ Drach. ij.

zedoaria,

garyophyll.

macis an. Drach. j.

E. Electuarium.

De his vide Avicennam, *prima tertij tract. 2. cap. 20. 22. 23.*

Tandem vapores illos quod attinet, qui ex carbonibus accensis periculum suffocationis inferunt; etsi & illi intemperiem cerebri & spirituum procul dubio etiam aliquando mutant, & procul dubio narcoticam vim conjunctam habent: tamen quia etiam replendo, & angustiam pariendo nocent, dicemus quoq; de curatione, c. 17. *de angustia cerebri.*

Quantum nimirum ad curandi rationem attinet, danda opera, ut quamprimum illi vapores discutiantur. Itaque æger statim in aërem liberum deducendus. vel deportandus est, & aliqua vitæ aqua præstans, quæ vapores illos discutiat, adhibenda, cui aliquid theriacæ addi potest. Hinc vomitorium cum oxymelite exhibendum, & tandem sternutatorium naribus insuffandum & oleum destillatum, vel balsamum rutæ, salviæ, vel aliquid simile naribus inungendum; neq; omittendæ revulsiones per clysteres, frictiones & similia.

Suffocati à fumo carbonum.

Dieta.

Abstineat eger à cibis flatulentis, & ijs omnibus, quæ caput replere possunt, & supra, cap. 1. proposita sunt. Si causa aliqua evidens, quæ humoribus & spiritibus in capite & corpore commotus, vapores & flatu excitavit, adfit, ut Solis radij & æstus, motus violentus, ira, vini potentioris usus, odores vehementes, capitis agitatio, inspectio rerum, quæ velociter moventur; causæ hæ omnes removendæ sunt.

Caput

Caput muniendum à frigore, ne vapores concludantur & retineantur; fugienda crepusculi aura, & venti australes, aërq; nebulosus & crassus, lunæ ac Solis radij. Si à pituita sit flatus, cibi condiantur flatus discutientibus. Alvus servetur aperta, cœna sit frugalis, & post cibum non bibatur, nec à cœna statim dormiatur. Nihil enim æquè caput replet ac somnus & potus post cibum. A cibo studia graviaque negotia ac seriæ cogitationes omittantur, ira & tristitia vitetur. Caput sit quietum, nihilque capite inclinato agendum vel adspiciendum.

Q U Æ S T I O.

An coriandrum ad suppressendos vapores è ventriculo adscendentes sit usurpandum?

An coriandrum vapores suppressimat?

Apud plerosq; Practicos ad suppressendos vapores è ventriculo adscendentes & coctionem ventriculi adjuvãdam coriandrum dari, notissimum est. Sunt tamen quidam, inter quos P. Salius Diverlus, *in annotat. in Altim. c. 18.* qui ejus usum improbant, ideo quòd non tantum non prohibeat ascensum vaporum ad caput, sed & suã naturã maximè caput petat, vapores alios secũ ad caput ducat, & si largius sumatur, delirium inducat, ut Dioscor. *lib. 6. c. 9.* docet. Et de alijs quoq; Coriandri facultatibus Medici discrepant, alijq; calidum, alij frigidum esse putant: de quo Matthiolus, *in Diosc. lib. 3. cap. 57.* Verum enim verò si quis

odorem, saporem, aliasque coriandri qualitates perpendat, facillè animadvertet, non frigidum, sed calidum esse; de quo tamen hic controversia præcipua non est. Verum ejus vim, quã caput petit, quod attinet, est ea, si immoderatè sumatur, cum croco, nucem mosch. thure & similibus ei communis. Moderatè tamen sumptum propterea nõ rejiciendum, præcipuè preparatum. Vaporosum enim illud & volatile, ut loquuntur Chymici, quod est in Coriandro, quodq; caput immoderatè sumptum instar veneni lædit, ab aceto figitur & corrigitur, ut utile ad ventriculũ roborandum, cõcoctionem adjuvandam, cor & cerebrum mundandum fiat remedium, quod ipsa experientia testatur. Quod cum non attendunt Chymici quidam, qui oleum coriandri destillatum quasi egregium confortans exhibent, illud ipsum, quod cerebro adeo noxium esse, non sine causa scripsit P. Salius Diverlus, propinant.

CAPVT VIII.

De Intemperie Capitis cum Sanguine seu Plethora.

Causæ.

Intemperies hæc calida & humida *De intemperie calida cum sanguine* est, qualis sua natura est sanguis: Ad perie calidæ sanguinis autem in capite copiam cum mulandam faciunt omnes plethora sanguine. & sanguinis in corpore abundantia causæ, quas *lib. 2. Institut. part. 2. cap. 3.* recensuimus. Ad caput verò copiosius fertur & attrahitur sanguis calore, dolore, ira, mentis nimia intentione,

ne, corporis exercitatione nimia, vini generosi potu, acribus calidisq; fumis & odoribus; & facilius affluentem sanguinem caput admittit, si laxius sit vel debilius.

Signa Diagnostica.

Signa sanguinis in capite abundantis. Adest capitis gravitas & tensio, præcipue flante austro; vasa in capite distenduntur, oculi & facies inflantur, rubent, venæq; in ijs conspicuæ sunt; calor capitis mitior est: quæ omnia certum signum exhibent, modò non ab alia causa externa proveniât. Nam ira & erubescencia, corporis item motus vehementior, potus vini potèntioris, febris, calor externus, balnea, & quæcunq; alia sanguinem calefaciunt & fundunt, eum ad exteriora movere possunt, licet sanguis in corpore non abundet. Contra timor, mæstitia, externum frigus, sanguinem, quamvis ille subsit multus, ad interiora revocant. Ut igitur certum ex calore & colore corporis & capitis peti possit signum, expectandum, secundum Galeni consilium, donec animi & corporis motus sedentur, antequam feramus inde aliquod iudicium.

Notandum & hoc, etsi interdum sanguis in capite non peccat, sed alius humor, bilis, pituita, melancholia: tamen si à tali humore dolor diuturnior excitetur, fieri potest, ut doloris occasione tenuior sanguinis pars ad caput attrahatur, ad cuius præsentiam rubeat & caleat. Verùm symptomata isthæc tum non sunt diuturna, & quis humor adsit, ex alijs quoq; signis discernere non difficile est.

L.I.

Sanguinis etiam in cerebro copia interdum somnum longum, interdum deliria, eaq; cum risu & hilaritate aliqua, insomnia cum spectris & visis rubris: si tamen sanguis est tenuis, in vigiliis propensionem excitat, & proinde modò in somnũ ruunt, modò mox expergiscuntur; pulsus arteriarum in temporibus magnus est & plenus.

Dolor, qui adest, magis in parte anteriore percipitur, & præcipue ab hora nona noctis usq; ad tertiam diei; nõnunquam & sanguis è narib. effunditur: urinæ, si in toto simul sit plethora, sunt subruffæ & crassæ: excrementa, quæ à cerebro proveniunt, probè cocta sunt, moderatè crassa, nõ salsa, sed potius dulcia. Præcessit victus ratio sanguini copioso gignendo apta, consuetæ sanguinis evacuationis suppressio; ætas & temperamentũ ad sanguinem copiosum gignendũ apta sunt, & alia plethoræ causæ præcesserunt. Ab evacuatione sanguinis ager melius habet, ut & inediã & victus ratione frigidiore. Nocet satietas, crapula, ebrietas, sanguinis evacuationis consuetæ suppressio, & capitis ac toti calefactio:

Prognosticum.

Non contemnendum hoc malum est, sed statim curandum; etsi sit sine febre: quia facilè sanguis in ista plenitudine extra vasa lapsus inflammationem cum febre, vel graves capitis dolores, vel alias graves affectiones inducere potest. Et si pulsus invalescat, inflammationem instare indicio est.

Indicationes.

Sanguinis copia est imminuenda, & si

I

& si

& siis ab inferioribus ad caput mittatur, est revellendus, repellendus, interceptiendus; qui influxit, derivandus; evacuandus & discutendus. Intemperies verò ipsa contrarijs alteranda. Unâ sæpè tamen operâ & sanguis repellit, & intemperies emendari potest.

Curatio.

*Plethora
in capite
curatio.*

Præmissis ergo clystere, vel alvum leniente medicamento, sanguis imminuendus & revellendus. Cum verò quæ sanguinem evacuant & imminuunt, ut & revellunt, alia tardè & insensibiliter, alia subitò & sensibiliter id faciunt, ut *libro 5. Institut. part. 2. sect. 1. cap. 16.* dictum; qui verò à sanguinis copia in capite fiunt morbi, aut statim in principio sint magni, aut in magnos morbos transire facilè possunt; imminentis periculi ratio subitam requirit sanguinis evacuationem, qualis sit venæ sectione, modò vires ferant.

Itaque aperiatur cephalica vel dextra, vel sinistra, prout secundum hanc vel illam capitis partem major molestia percipitur, vel si caput totum doloræque occupet; in dextro brachio; aut etiam mediana, aut interna, prout in toto, vel aliqua parte sanguis abundare videtur. Extrahatur autem sanguis, pro ratione plenitudinis & virium, semel, aut iteratò, ut *loco alleg.* dictum. Quod si ex mensium vel hæmorrhoidum suppressione sanguis ad caput feratur, major tamè sit sanguinis copia; primùm ad plethoram minuendam vena in brachio aperiatur;

hinc revulsionis gratia in malleolo sectetur: si verò non ita magna sit sanguinis copia, unâ operâ sanguis minui, & revelli potest, venâ in talo aperiatur; deturque opera, ut consuetæ evacuationis revocetur.

Si tamen vires, etas, & alia, quæ vires definiunt; venæ sectionem prohibeant, cucurbitulæ cum scarificatione primùm lûbis, deinde scapulis & brachijs, tandem cervici imponantur; modò mensium suppressio non præcesserit; & si major sit sanguinis copia, à tibiis inchoare oportet. Sunt quidem nonnulli, qui ob solam animi mollitiem venæ sectionem remittunt, atque his quidem aliquando indulgere, & ea, quæ modò diximus, auxilia substituere possumus; modò morbus det inducias, nec oblongiorem curationem aliquod imminuat periculum: si verò morbus sit acutus, & qui, si curatio protrahatur, præsens periculum minetur, nihil ægro indulgendum; sed quod Hippocrates, *4. aphor. 10.* de purgatione monet; etiam hic locum habet. In acutis morbis eadem die, quâ incipiunt; esse medendum: si enim differatur, morbus interim naturam superabit. Non omittantur quoque aliæ revulsionis per clysteres, ligaturas & frictions extremorû, aut per lotiones crurum, & brachiorum, ante coenam institutas.

Neque inutile fuerit etiam post venæ sectionem lenes illas purgationes, præcipuè bilem spectantes, ex sirupo rosarum solutivo, manna, tamarindis &c. repetere. Et si enim sanguinem non evacuandus; tamen bilem, in quam sanguis calidior facilè degenerat, tol-

lunt.

Sunt, & intestina ac primas vias ab excrementis, à quibus vapores ad caput eleuantur, liberant. Inprimis utiles sunt myrobalani; cùm non solum bilem evacuent, sed & sanguinem alterent, utpote quæ sunt frigida in secundo, & sicca in tertio. Quod etiam præstant, simulque evacuant & alterant, tamarindi, qui sunt frigidi & sicci in secundo.

tionibus potius à vertice ad humeros deorsum factis utimur.

Materiam autem, quæ influxit, quod attinet, ea evacuanda est ex capite, quod fit prius: Sensibiliter, aut venis narium cum recentibus ramulis herbæ millefolii, flor. graminis, vel alii foliis non nihil asperis, vel fetis porcinis referatis, (nam licet quidam etiam scalpello, vel hirudinib. appositis eas referare iubeant: tamen id tutum non est, ut postea, in questione tertia, dicitur) aut venâ frontis apertâ, aut hirudinibus narium apicibus appositis, aut cucurbitulis cervici affixis: ut & errhinis ex succo betæ, majoranæ, &c.

Repellētia sanguinē ad caput fluentem. Deinde ad sanguinis ad caput motum impediendum usurpentur repellentia, potestate & actu frigida tempore ætatis, & si æger sit juvenis: potestate verò tantum frigida tempore hyberno, & in senibus. De quibus cum cap. 1. & cap. 5. dictum sit, ea hic non repetimus.

Intercipientia. Intercipientia etiam venis & arteriis temporum applicari possunt, ut;

℞. Mastich. Drach. iij.

myrtill.

corall. rubr. an Drach. β.

olei myrtini Drach. ij.

succi plantag. Drach. iij.

cera q. s.

Fiat Ceratum.

℞. Boli armeni Drach. ij.

mastich. Drach. j.

sanguin draconis Scrup. ij.

balauftiorum Drach. β.

Excipiantur albumine ovi & aqua rosarum. Applicentur temporibus.

Si verò sanguis ad caput iam fluere desiit, repellentibus opus non est; si quidem illum ibidem figerent & tenerent. Abstinentium quoque ab iis, si catarrhus adsit frigidus, quia eiusdem fluxum per compressionē cerebri magis commovent: atque tunc fri-

Intere est tamen aliquid, quæ vena aperiat. Narium n. venæ apertæ evacuant ex ipso capite, quacumque parte dolor fuerit; ex capitis parte v. posteriore laboranti rectè in frontē excurrenda.

Quæ vena incisa prodest, ut habet Hippocrates, 5 aph. 68. quæ, ut Galen. habet, in commentario, non solum vacuat, sed etiam cum revulsione vacuat; cùm antè & postè opponantur: sicut cùm anterior pars capitis laborat, in occipitio vena aperta, vel cucurbitulæ admotæ profunt. Laudantur & incisiones venarum, quæ sunt in temporibus; in dextro quidè latere, si sinistra pars sit affecta; in sinistro, si dextera. Nonnulli venas, quæ ex utraque parte colli ascendunt, & Arabib. Guidez dicuntur, aperiunt, & in extremis à sanguine ortis in capite morbis præsentaneum remedium esse scribunt. Et procul dubio plurimum commodi afferret harum venarum sectio, si non periculum

immineret, quod ob amplitudinem, & quia in valida spiritus retentione, & vocis intentione admodum tument, egrè sanguis fisti possit. Itaq; tutius est, minores ipsius ramos, cutem capitis in temporibus & fronte perreptantes, ut modò diximus, aperire. Licet & venas sub lingua aperire, quæ jugularis interioris os perreptatis sunt propagines. Galenus, Aëtius, Paulus Ægineta, Avicennas & antiqui pleriq; si sanguis calidus & vaporosus in capite morbum diuturnum, qui alijs remediis non cedit, excitet, secare jubet arterias, quæ in temporibus in fronte, & post aures sunt: eas scilicet, quæ raso capite si tangantur, calidiores apparent, & pullum majorem excitant, de quo postea, *quest.* 3. plura dicentur.

Secundo: Insensibiliter evacuant: discutientia & resolventia. Itaq; post principium addenda resolventia repellentibus usq; ad statum: in declinatione sola resolvētia, sed moderata, cum intemperies sit calida, conveniūt. Discutiunt autem medicamenta ex flor. chamæm. meliloti, sem. althææ, lini, fænigræci. Nonnulli pulmones animalium recenter mactatorum in aq. calida, vel decocto chamæmeli, meliloti, anethi applicant; alij etiam catulos vel pullos columbarum per medium discissos. Verùm hæc sæpius permutanda sunt, cum facile corrumpantur, & corrupta pravum odorem exspirent.

Dum hæc fiunt, non negligenda caput alterantia, qualia sup. *de Intemperie capit. calida sine materia*, proposita sunt, ijsque si intemperies quædam reliqua sit, ea corrigenda. E quibus

eligenda ea, quæ refrigerant & minus humectant, ut: rosa, plantago, santalum, margaritæ, corallia, & eorum solutiones.

Ceterum si his præstitis capitis gravitas & dolor adhuc perseveret, indicio est, sanguinem amplius purum nõ esse: sed bilem vel melancholiam admistam; cum sanguis copiâ peccans facile inflammetur, & quod subtile est, in bilem, quod crassum, in melancholiam vertatur. Itaq; reliqua curatio ad bilis & humoris melancholici præparationem & purgationem dirigenda, de qua postea.

Diæta.

Victus ratio & intemperiei calidæ & humidæ, & plenitudini sit contraria. Aër sit moderatè frigidus, in passivis parùm declinans ad siccitatē, qui si talis non detur, parandus, ut supra, *cap.* 1. dictum. Vitentur venti, præcipuè austrini. Cibus sit refrigerans, & tenuior, vergens ad siccitatem, & vitentur ea usq; ad declinationem, quæ plenius nutriunt, ut ova sorbilia, & carnes, quæ multum nutrimenti præbent, ut pulli gallinacei, gallinæ, capri, carnes vitulinæ, hœdinæ, vervecinæ. Vitetur quoque lac, & omnia cum lacte parata, ac multò magis ea, quæ vel ad caput effumant, idq; vaporibus replent; quales sunt fructus oleosi, cœpe & similia, supra, *cap.* 1. proposita.

Conceduntur hordeata, pisces saxatiles, pruna, & hujus generis alia: cibi condiantur refrigerantibus, sup. *c.* 1. propositis. Vino planè abstinendū, aut tenue aquosum oligophorum aut dilu-

dilatatum bibendum, aut aliquid aquæ superbibendum; ita enim vapores supermuntur: aut bibatur cerevisia tenuis, vel ab assuetis aqua. In prima mensa quæ alvū lubricam reddunt, ut pruna Damascena, juscula gallinarum aut pullorum, aut aliarum carniū, cum herbis emollientibus, spinachia, malva, borragine, lactucā parata; in secunda verò mensa fumantur quæ ascensum vaporum prohibent, claudendo os ventriculī, ut caro cydoniorum condita saccharo, pyra cocta, vel tosta, semen coriandri preparat. saccharo obductum. Æger non valde exerceatur, vitetq; iram, & animi affectiones vehementiores, & studium atq; animi intentionem à cibo. Neq; caput multis tegumentis involvatur, ne humores & vapores ab inferioribus ad superiora rapiantur. Membra inferiora fricentur post universales evacuationes, somnus non sit prolixus. Alvus, ut dictum, sit lubrica, ne ab excrementis in intestinis morantibus vapores ad caput eleventur. Exemplum talis morbi curati est apud Forestum, lib. 3. obs. 9. & seqq usq; ad 13.

QUAESTIO I.

Quenam vena in capitis affectionibus aperienda sit?

Quenam vena in affectionibus capitis aperienda. Non idem hac de re sentiunt Medici. Galenus equidem, quem reliqui Græci sequuntur, ut è *libr. de curand. rat. per venæ sectionem, c. 7.* & alibi passim videre est, venam humeralem seu cephalicam dictam, modò in conspe-

ctum veniat, aperiendam censet: Avicennas verò & alij Arabes nō sine distinctione hanc rem definiunt. Si enim abundantia sanguinis, quæ morbum in capite parit, solum in capite sit, & partibus capite vicinis, aut etiam in reliquo corpore fuerit; jam tamen ad partem affectam omnino affluerit, neq; metus ullus amplius sit, ex reliquo corpore sanguinem ad caput affluxurū, solas venas capiti proprias incidendas docent, ut venam frontis, vel in occipite, vel post aures cucurbitulas apponendas censent. Si verò etiam in reliquo corpore sanguis abundet, & fluxus adhuc duret, vel sanguinis fluxus metuatur, tunc venam cephalicam aperiendam existimant, quæ apertâ & partes capiti vicinæ evacuentur, & sanguinis ad caput affluxus revellatur: vel etiam si viscera & partes infimi ventris sint repletæ, basilicam aperiendam putant, quæ, ut Galenus, 4. *de rat. vict. in acut.* docet, præcipua membra, quæ infra collum & claviculam sunt, facilius & expeditius evacuat. Quòd si & caput & inferiora repleta videantur, venam, quæ media seu mediana dicitur, secundam statuunt, quæ ex coalitu humeralis & axillaris fit, & caput, ac sub eo partes, evacuare potest. Avicennas hoc præterea addit, si plus evacuare voluerimus, venam prope talum vel saphenam secandam esse. Mesues etiam in omnibus capitis morbis hæmorrhoidum provocationem plurimum posse scribit.

Et omnino distinctione hic quadam opus est, & quid leges evacuationis ex

toto, quid revulsionis, & ex parte affecta evacuationis requirant, attendendum. Etenim in principio morbi non solum ad caput, sed etiam ad totum corpus, & partē, à qua sit affluxus sanguinis, respiciendum, & ita venæ sectio instituenda, ut capiti prosumus, non noceamus, id est, sanguinis ad caput affluxum prohibeamus. Ideo quæ in principio talis vena aperienda, quæ simul sanguinem abundantem possit evacuare, & à capite revellere: nullo verò modo vena in ipso capite in principio aperienda: sed si plenitudo proveniat ab epate, & partibus ad illud attinentibus, & sit in toto corpore, vena interna vel mediana statim aperienda.

Si verò à mensium vel hæmorrhoidum suppressione sanguinis abundantia, & capitis morbus proveniat, quæ vena primum aperienda sit, autores dissentiant.

Alij enim statim in principio, dum fluit adhuc sanguis, venas in cruribus & pedibus secandas, aut loca illa scarificanda putant; cum, si in partibus superioribus vena aperiatur, sanguinis motus ad caput magis concitetur. Alij plenitudinem primò demere, venam communi in brachio apertam, postea sanguinis motum ad inferiora revocare, venam in pedibus sectam, jubent.

Verum hæc quantitas sanguinis abundantis, & morbi capitis hinc dependentis magnitudo attendenda. Etenim si sanguinis copia sit minor, & morbus det inducias, venas in pede primum, & quidem superius, si opus sit, aperire licet; cum venæ hæc & sangui-

nem minuunt, & revellant; si quidem vena ubicunq; aperta sanguinem imminuere potest. Cum verò hæc venæ in pedibus, ut minores, sanguinem tardius evacuent: si magna sit ejus copia, & morbus vehemens, ac praesens propterea auxilium requiratur, in cubito vena primum aperiri potest, seu externa, seu mediana. Hinc deinde danda opera, ut naturalis fluxus iterum concilietur. Si verò in toto corpore nulla, vel non magna sit sanguinis abundantia, affluxus tamen ejus ad caput metuatur, statim cephalica aperiri potest. Tandem verò & corpore evacuato, & fluxu cessante, nisi malum cesset, venas in capite aperire licet. Videatur & Jachinus, in 9. *Rhas. c. 3.* Invaluit quidem apud vulgus, & apud tonsores nostros opinio, in affectibus capitis plurimum prodesse venæ, quæ est inter pollicem & indicem, quam ideo cephalicam appellant, sectio. Verum nullis fundamentis ista opinio nititur. Nam nullus ramus ex cephalica ad manum tendit, sed omnes rami venarum in manu sunt vel rami basilicæ, vel communis.

QUÆSTIO II.

An arteria in affectibus capitis à sanguine secandæ sint?

Veteres, ut ex Galeno, 3. de loc. af-
fect. capit. 8. 6. de tuenda san. capit. 9. l. de
curand. ratione per sang. missionem, capp. sectib. ca-
duobus ultimis, Aëtio, Ægineta, Avi-
pennæ, Rhale videre est, ubi sanguis
calidior & fervidior ad caput fertur,
& in

& in eo abundat, & sæpè diuturnos capitis dolores, vertiginem & alia mala diuturna, quæque ab his remedijs non cedunt, excitat, ad arteriarum sectionem, tanquam præsentissimum remedium, accedere solebant. Et quidem in temporibus, in festantibus oculis fluxionibus calidis; post aures verò in vertiginosis maximè, & ijs, qui diuturnis doloribus capitis ac spirituosos affliguntur. Experimenta aq; comprobatum est, post varia diu frustra tentata remedia hoc auxiliij genus tandè profuisse. Verùm pleriq; hodie eam tentare metunt: 1. cum nostris chirurgis ratio eas secandi non sit cognita. 2. (quæ duæ rationes etiam à Galeno, lib. 3. de curandi ratione per sanguinis missionem, cap. 2. attinguntur) quòd difficile sit, erumpentem ex arteriis sanguinem compescere & suppressere. 3. quòd, etiam si sistatur, & vulnus ad cicatricem perducatur, nihilominus à vevēria fiat.

Verùm enim verò periculum & hæmorrhagiæ & aneurismatis vitari potest, si arteria tota præcidatur, ut ex Galeno, loc. allegat. cap. ult. patet. Aliàs enim, ut Galenus, 5. meth. med. cap. 7, docet, difficulter sanguis sisti arteriâ secta potest. Platerus prius etiam arteriam denudare jubet, ut ligari postea possit. Sed nec plaude impossibile est, etiam si tota non dissectur, sed sic ut venâ aperiatur, sanguinem sistere, modò deligatio rectè fiat, neq; ea citò solvatur, ut Ambrosius Paræus, libro 16. chirurg. c. 4. docet, qui in diuturnis capitis affectibus, à sanguine fervido, tenui & vaporoso, istam sectionem

non solum in seipso, sed & in alijs feliciter & cum commodo instituit. Verùm nisi aliis omnibus frustra tentatis, ad hanc sectionem non accedendum. Diligenter etiam perpendendum est, quibus in casibus ea necessaria sit. Plerique statuunt, id tentandum esse, cum certissimus, causam in arteriarum sanguine spirituoso esse, idq; ex arteriarum pulsu vehementiore & calore ad tactum agnoscitur: id quod verum etiam esse credimus. Quamquam enim multa hac de re arguetur Theodorus Collado, in observ. an. Holler. methodum, cap. 9. & probare conetur, primò, aliquem dolorem capitis ac oculorum pulsatilem, etiam materia fluente per arterias exteriores, non requirere hoc remedium, imò id, si adhibeatur, malum esse; secundò, in aliquo affectu seu dolore capitis aut oculorum, cujus materia fertur per venas & arterias internas, arteriotomiam utilem esse: tamen quæ asserta non magni momenti sunt. Ludite enim procul dubio & quivocatione doloris pulsatis. Neque enim credo, Hollerium, cum dicit, in omni dolore capitis pulsatis singulare remedium esse arteriotomiam, dolorem pulsatilem propriè dictum intelligere, qui est proprius partium inflammatarum, ubi ob partes inflammatas tensas pulsatio arteriæ vehementior percipitur, sed eum, qui fit sine inflammatione, cum scilicet ob sanguinem arteriosum, spirituosum & flatulentum, qui dolorem capitis diuturnum excitat, arteriæ in temporibus vehementius pulsant, & tactæ calidiores. perci-

percipiuntur, qui dolor sæpè tam pertinax est, ut nisi scètâ arteriâ vix tolli possit. Neque, quod se demonstraturum promittit, demonstrat Collado, scilicet aliquem dolorem etiam materiâ fluente per arterias externas non requirere hoc remediû; sed hoc probat, aliquem dolorem esse pulsatilem, materiâ non existente intra arterias, sed etiam aliquando intra venas: & ita concedit, materiam tum non existere intra arterias, sed venas; cum tamen se demonstraturum promiserit, materia intra arterias existente aliquâdo arteriotomiam non solum inutilem, sed etiam noxiam esse. Alterum quod attinet, contrarium statuit Galenus, & non ob quosvis capitis affectus arteriotomiam instituendam, sed ob eos solum, cum sanguis fervidus per arterias externas fertur, clarè docet, 3. de loc. aff. c. 8 cum scribit; *Non omnes hujus anxilij beneficio fuisse curatos, eos nimirû, ubi vapor ille spirituosus per arterias internas ad caput ascendit.* Addit enim: *Et enim aliæ arteriæ ijs majores ad cerebrum ex ipsius basi per retiformem plexum ascendunt per quas hujusmodi affectionem fieri consentaneum est, elato per ipsas vaporoso calidoq; spiritu.*

QUÆSTIO. III.

An venas narium scalpello vel hirudinibus aperire liceat?

An venas narium scalpello

Plurimi quidem Medici etiam venas scalpello & hirudinib. aperire jubent, sed neuter modus tutus est. Nā cum venæ illæ visui non pateant, quâ

ratione etiam scalpello aperiendæ sint, *vel hirudinibus aperire liceat,* Chirurgus non videre, & facile hic aliquid peccare, neq; etiam vulnus ita obligari potest, sicut in venis subcutaneis. Refert q; Alexand. Benedictus, in *Proœm. lib. 14 pract.* tonsorem quendam in naribus pilos incautè tondentem venulam secuisse, nec continuato sanguinis profluvio sistèdi modum fuisse, ita, ut sequenti die vulneratus exspiraret. Neq; est, ut quis arteriam vulneratam dicat. Id ipsum enim satis in naribus cavere non potest Chirurgus, nec discernere, an venam vel arteriam secet. Imò, ut ibidem monet Alexander Benedictus, in toto corpore venæ & arteriæ orificijs conveniunt. Multò minùs tutum est, hirudines naribus immittere; cum facilè penitus irrepere & pertinacius hære queât, ut non facilè extrahi, ac magnæ hæmorrhagiæ causæ esse queant: cuius rei exemplum annotavit Herc. Saxonia, lib. 1. *pract. c. 2.* de quodam Patritio Veneto, cui hirudo naribus apposta ascendit in caput, ita, ut nullo modo vel extrahi vel necari posset, unde æger nimia sanguinis effusione extinctus est. Et simile quid etiam Venetiis accidisse refert.

QUÆSTIO IV.

Cui loco cucurbitula re-vulsionis gratia sint applicanda?

Diximus cucurbitulas scarificatas, venæ sectionis vicarias, primùm lumbis, deinde scapulis & brachiis, tãdem cervici imponendas esse. Contrarium *Cui loco cucurbitula in affectibus capitis applicanda.* sentire

sentire videtur Platerus, dum, *pract. tract. 2. pag. 257.* scribit: Cucurbitulas collateribus, summo humero, scapulis, brachijs, coxis, furis, natibus quoq; applicandas esse: sensim à superiorib, versus inferiora cucurbitularū applicatione procedendo, repetēdoque eodem, vel etiam sequentib, diebus: adhibitā postmodū scarificatione, si validius à parte trahere velimus.

Verū nulla est hīc repugnantia. Nos enim tātū de cucurbitulis scarificatis locuti sumus, quas meritō primo partibus remotioribus applicamus. Platerus verō & de scarificatis & non scarificatis loquitur, & non scarificatas primō loco propinquo applicat, hīc sensim remotiori, ubi demum & ultimō scarificationem adhibet, atque ita non scarificatis saltem sanguinem versus locum scarificandum deducit.

CAPUT IX.

De Intemperie capitis cum Bile.

Causæ.

De Intemperie capitis cum bile. Intemperies hæc calida & sicca est, bilemque conjunctam habet: quam quæ causæ generent, in *Institut. lib. 2. part. 2. cap. 5.* explicatum est. Ex autem & hic locum habent: nimirum aer calidior, anni tempus calidum, vigiliæ nimia, exercitatio corporis nimia, & vite genus laboribus deditum, inedia, cibi, qui faciliè in bilem vertuntur, vinum potens, medicamenta calida & sicca, & id genus alia. Idque facilius

ista præstant, si hominis temperatura sit calidior & siccior, habitus corporis gracilis, ætas juvenilis.

Signa Diagnostica.

Sensum mordacitatis, & dolorem *Signabilis in capite.* acutum mordacem & pungentem, ob acrimoniam & fervorem totius capitis, excitat humor biliosus: unde caput totū calidum tangenti deprehenditur, dolorque, etsi vehemens, est sine insigni gravitate, quia suā tenuitate poros subit, nec inflat, dolorque magis in dextrā parte percipitur, quod procul dubio intelligendum est, cum caput ab epate *καὶ ἔτι* afficitur. Facies pallet, vel potius flavet, & ad citrinum colorem tendit, ut & oculi. Actiones cerebri potius depravantur, quam abolentur, vel imminuuntur. Aliter enim sæpè imaginantur, & ratiocinantur quàm par est, bilisque in cerebro abundans delirium sæpè, cum quadam severitate & iracundia, excitat, vigiliæ infestant, quas interdum levissimus & brevissimus somnus interruptit, observantur ante oculos, præsertim dum æger obdormiscit, imagines flammarum & incendij, pugnarum & dimicationis, volatūs. Excrementa cerebri sunt pauca, aurium verō multa, & flavescunt, adestque lingua, narium & oculorum siccitas, os amarescit. Non quiescunt ægri, sed inæqualiter variè & inordinate corpus movent: Pulsus, si in corpore reliquo bilis abundet, est magnus, velox, frequens: Urina citrina, ignea & tenuis: ac symptomata, que conjunguntur, per periodos affligunt, & plerumque circa meridiem in-

gravescunt. Refertque Jachinus, *in 9. Rhaf. c. 4.* Juvenem quendam dolorem capitis ex bile adeo gravem quotidie circa meridiem passum esse, ut fureret. Soletq; tunc accidere, sicut & in febrib; ut urine tenues & aquæ quasi mingantur, bile ad caput tendente; circa vespem verò iterum tinguntur, dum eadem in venis humoribus permiscetur, & cum urina excernitur.

Præcesserunt causæ bilem generâtes, ut epar calidum & siccum, ætas juvenilis, cibi & potus ad bilis generationem facientes, & reliquæ bilem cumulantæ causæ. Juvant quæ refrigerant, bilem evacuant, à capite avertunt, alterant, ejusq; generationem prohibent: contra nocent quæ calefaciunt, bilem generant, retinent, augēt, eamque ad caput concitant. Lux etiam vehementior molesta est.

Indicationes.

Humor biliosus est evacuandus, à capite avertendus; repellendus, si aliunde affluit. Intemperies verò tam cerebri, quam humorum conjuncta, calida & sicca, contrarijs alteranda, caputque roborandum. Et quidem si febris adsit, coctio prius expectanda; nisi materia turgat: si verò febris absit, quocumq; tempore purgationem exhibere licet, modò viæ apertæ sint. Hæ enim si apertæ non sint, aperiendæ prius, de quo in *Institut. lib. 5. part. 2. sect. 1. cap. 6.* & de febribus, *lib. 2. cap. 6.* dictum. Ideoque frustra nonnulli ad bilem digerendam multa medicamenta propinant. Etsi enim illa, quæ præscribunt, medicamenta utilia sint:

tamen potius post purgationem, ad intemperiem alterandam, quam ante purgationem, ad bilis coctionem, quæ hic, in morbo non febrili, nullius opus est, conducunt.

Curatio.

Injiciatur ergo primùm clyster ex refrigerantibus & emollientibus.

Ut *R. Fol. malvæ,*

violaris;

parietaria;

mercurialis;

betæ, an. Mj.

prunor. damasc. num. x.

hordei Mß.

Coquantur in aq. simplici.

Colat. *R. ß. j.*

castiæ vel elect. lenitivi, aut dia-

cathol. Unc. j.

olei violar. Unc. iij.

sacchari rubri Unc. ß.

salis Drach. ß.

Fiat clyster.

Vel *R. Malvæ,*

violar.

endiv.

lactuc. an. Mj.

flor. nymph. P. ij.

sem. quatuor. frigid. major.

Unc. ß.

prunor. num. xii.

Coque in aqua hord. *l.*

Colat. *R. ß. j.*

flor. castiæ Drach. vj.

elect. diacathol. Unc. ß.

olei violar. Unc. ij.

mel. rosati colat. Unc. j.

Fiat clyster.

Vel exhibeantur sirup. violar. aut

rosar.

rosar. solutiv. Unc. ij. vel iij. cum aqua
vel decoctione endiviæ, vel decocto
florum & fructuum.

Vel *R. Castia,*

elect. lenitiv. an. Unc. ß.

pulpa tamarindorum Drach. ij.

Cum saccharo F bolus.

Vel in decocto aut aqua calidos
humores alterante dissolvatur *castia*
Unc. j. & addatur *sirup. solutiv. rosar.*
aut *violar. solutiv. Unc. ß. F. hauustus.*

Postea si bilis mista sit cum sangui-
ne, utilis est sanguinis missio, sed par-
cior, ad sanguinis copiam imminuen-
dam, eundemq; refrigerandum: mit-
tendus etiam revulsionis gratia san-
guis, ubi inflammatio metuitur. Si
verò nulla copia sanguinis adsit, nihil-
que tale metuatur, venæ sectione o-
pus non est. Censent autem Medici,
venam potius in dextro, quàm in sini-
stro brachio aperiendam esse; quia se-
des bilis potissimum sit in dextro la-
tere: & aperienda est vena vel media-
na vel humeralis.

Præparã-
tia bilem
in affecti-
bus capitis.

Postea bilem præparantia exhi-
benda, quæ scilicet ejus fervorem & a-
crimoniam attemperant, ut sine mo-
lestia per convenientia loca evacuari
possit, refrigerantia scilicet, & hume-
ctantia, è quibus cephalica eligantur.
Sitamen id conditio humoris postu-
lat aliàs, & si bilis sine ullo incommo-
do evacuari potest, statim ad purga-
tionem accedendum, ut antea dictû.
Conveniunt ergo hic, si opus est, cap-
ut humectantia, & refrigerantia supra
proposita; quibus & alia bilem præpa-
rantia, ut endiviæ, acetosa, cichorium
& similia misceantur. Et si bilis sit te-

nuior & cum multis vigilijs, lactuca,
nymphæa, papaver.

R. Sirup. papav. Unc. j.

de nymphæa Unc. ß.

aq. lactuca,

violar.

nymph. an. Unc. j.

Misce.

Vel *R. Sirup. granatorum,*

de agresta,

nymph. an. Drach. vj.

aq. portulac. ana Unc. j.

lactuc.

rosar. ana. Unc. j.

Misce.

Si bilis sit crassior,

R. Aq. endiv.

cichor. an. Unc. ß.

sirup. acetos. f. Unc. j.

endiv. Drach. vj.

Misce.

Etenim natura bilis semper perpẽ-
denda. Quò enim bilis calidior, eò
fortiora refrigerantia adhibenda. Ut
si bilis sit pallida, fiant medicamenta
ex hordeo, cichorio, endivia, rosis, a-
cetosa; si flava, & præsertim vitellina,
illa scilicet ex adustione bilis pallidæ
orta, nymphæa, papaver addenda: si sit
visciditatis particeps, ut vitellina illa
Guainerij ita dicta, quæ pituitæ ali-
quid admistum habet, sirup. aceto-
sus & acetum addendum: de qua re
prolixius agit Savanarola, *pract. tra-
ctat. 4. cap. 30.*

Observandum etiam hic in usu i-
storum medicamentorum, quòd aliàs
in genere præcipitur; cùm dulcia fa-
cile

silè in bilem mutantur, sirupos & alia dulcia in parva quantitate esse usurpanda, & aquis ac decoctis refrigerantibus bene diluenda. Acida potius, præcipuè ubi incisione aliqua opus est, conveniunt, & si bilis sit crassior.

*Purgatia
bilem in
affectibus
capitis,*

Deinde purgetur humor biliosus, verùm non admodum validis & calefacientibus medicamentis, quib. sanguis magis calefit, & ad superiora fertur, sed lenioribus, & quæ simul fervorem sanguinis tollunt, blandèq; evacuant; qualia sunt *sirup. rosar. & violar. solutivus, aloë*, cui, ut fortius purget, paucillum scammonij, ad Unc. j. ß. gr. viii. vel x. prout natura corporis, & humoris copia id requirit, addi potest, & Gal. *hiera picra, myrobalani citrin. tamarindi, manna*, cui, quia facilè bilefcit, refrigerantia, & quæ ejus in bilem mutationem prohibeant, addi possunt; ut *sirup. rosar. solutiv. cremor tartari, aqua endiv. violar. &c. Rhabarbarum*. De quo tamen notandum, quod quidem ad bilem evacuandam utile, & admodum familiare est medicamentum; quia tamen siccatur ac fumosum est, & facilè exhalat, solum non dandum, sed cum aqua endiviæ, violar. & similibus frigidis, addendusq; *sirup. rosar. vel violarum solutivus, electuarium lenitivum, diaprunis lenitiv. diacatholicum*. Et fortiora; *electuar. de psyll. diaprunis solutivum, de succo rosarum, pilula aggregativa, aurea*, quæ usurpanda, si bilis sit crassior & ob lentorem pertinacius adhærescat, vel pituitæ aliquid admistum habeat:

R. Specier. decocti flor. & fructuum

Unc.ß.

sem. quatuor frigid. major. an.

Hauftus.

Drach. j.

tamarind. Unc.ß.

Coquantur in aq. simpl.

In colat. s. q. infund. rhabarb. Drach.ß.

cinamomi Scr.ß.

spica gr. vj.

Colat. R. Unc. iij.

In ijs dissolve *manna* Drach. vj.

vel Unc. j.

Iterum colentur.

Adde *sir. rosar. solutiv. Unc.ß.*

Fiat haustus.

Decoctum etiam vel sirup. flor. & fructuum hic, quod bilis fervorem reprimit, sanguinem mundat, & bilem leniter educit, utilis est.

R. Prunor. num. xli.

Sirupus.

jubarum,

sebesten, an. num. xxx.

Coque in aqu. ß. iij. ad remanentiam ß. j.

In colatura dissolv.

pulpa tamarindor.

castia extract. an. Unc. iij.

manna Unc. j.

Si libet, adde saccharum.

Fiat sirupus pro iij. dosibus, quarum qualibet scammonij gran. iij. a-cuatur.

Vel Rhabarbari Scr. iij.

cinamomi Scr. j.

flor. cordial. P. ij.

Infundantur in aq. endiviæ.

Colat. R. Unc. iij. ß. in ijs dissol.

pulpa tamarind.

el. de succo rosar. an. Drach. iij.

sirup.

sirup. violar. solut. Unc. ℞. M.

Bolus. Delicatis talis Bolus exhiberi potest:

℞. Conserv. violar. vel rosarum cum mannaparata Unc. ℞. extracti scammonij gran. vj. vel diagrydij Scr. ℞. cinamomi, macis, mastiches, an. gr. iij.
Fiat Bolus.

Vel ℞. Cassia Unc. ℞.

elect. rosar. Mes. Drach. j. rhabarbar. elect. Scr. ij. spic. gran. vj. trochis. de viol. cum scammon. scrup. j. Cum sacchar.
Fiat Bolus.

Pulvis.

℞. Rhabarbari Drach. ℞. spec. diaturbith cum rhabar. Scr. j. diagrydij gr. iij. macis, santal. citrin. an. gr. iij.
Fiat Pulvis.

Et quidem bolis & liquidis medicamentis bilis commodius purgatur; cum ijs refrigerantia & humectantia commiscere liceat, pilulæ verò magis siccant. Si tamen alicui pilulæ arri- dent, & præcipuè si bilis sit crassior, tales exhiberi possunt:

Pilula.

℞. Pilul. aggreg. Scrup. ij. de rhabarb. Scrup. i. diagryd. gr. iv. cum aq. endiv.
Fiant pil. xxx.

Vel ℞. Rhabarb. Drach. ℞.

spica gran. iij. specier. hiera f. Scrup. j. agarici trochis. Scrup. ℞.

diagrydij gr. iij.

cum sirup. violar.

Fiant Pil. xxv.

Notandumque hinc illud, quod Galenus, lib. 1. *τῆς π. capit.* 2. monet, in omni capitis morbo, à quocunque humore fiat, admiscenda esse phlegmago-

goga. Clysteres etiam refrigerantes & humorem biliosum evacuantes sæpius injicere, utile est.

Ut *℞. Malva,*

althæa, violaria, parietaria, an. M. j. hordei M. ℞.

semin. quatuor. frigid. major. ana Drach. iij.

prunor. num. x.

Coquantur in aqua simplicia

Colat. *℞. ℥. j.*

cassia pro clysteribus Unc. j.

elect. de psyll. Unc. ℞.

olei violacei Unc. ij.

mellis rosati colati Unc. j.

salis Drach. j.

Fiat Clyster.

Sibilis ad ventrem confluat, atque vomito- inde vapores ad caput eleventur, & gerq; ad vomendum facilis sit, vomitoria etiam lenia exhiberi possunt. Si verò æger ad vomendum difficilis sit, ne caput magis repleatur, omittenda vomitum cientia, & bilis per alyum educenda.

Nèq; solùm ista electivè purgantia *primaria* usurpanda, sed & ea, quæ abstergen- *cientia.* do potius eandem cum per alyum, tum vias urinæ educunt; qualia sunt

decoctum lupuli in sero lactis, & fumarica cum sero lactis exhibita.

Postquam humor biliosus ita evacuatus, qui restat, alterandus, & in temperies inducenda corrigenda contrarijs, frige facientibus scilicet & humectantibus, supra, *cap. i. & 4.* propositis, quæ hic repetere opus non est. Quibus & alia ad bilem temperandam utilia addere licet, ut *dentem leonis, sonchum, portulacam, sirup. de porculaca, de agresta, oxysaccharum,* & si vigiliæ infestent, præcipuè usurpanda *lactuca, nymphaea, papaver,* & exijs parata medicamenta. Simule etiam & postquam humor biliosus per alvum aliquo modo evacuatus fuerit, ab initio etiam hic repellentia conveniunt, quæ supra de intemperie capitis calidâ & à plethorâ proposita sunt. Et licet repellentibus opus non sit: refrigerantia tamen adhibeantur tum interna, tum externa, *cap. i.* proposita. Inter quæ odoramenta reliquis præferuntur, quod satis refrigerant, exitum tamen vaporum è capite non prohibent. Topica, quæ adhibentur, non sint humida, & sanguinem ad putrefactionem disponentia, sed eligenda adstringentia, *succ. granat. berber.* Ideoque *Forestus, lib. 9. observ. 12.* sacculis potius, quàm lotionibus utendum censet.

Camphora in affectibus capitis. Camphora tamen hæc, quia siccatur, & vigilias inducit, vel omittatur, vel cautè adhibeatur; cum somnus in hac intemperie capitis comodissimus sit. Ideoq; & quia bilis siccatur, & plerumque vigilias inducit, somnum conciliantibus sæpè opus est, ut lotionibus

pedum, medicamentis, quæ acrimoniam bilis retundunt, & cerebrum humectant, ex folijs lactucæ, flor. violar. capitibus & seminibus papaveris, & similibus, de quibus suo loco dicitur.

Neque omittantur revulsiones per cucurbitulas sine scarificatione, per frictiones, ligaturas, lotiones extremorum. Utile etiam hic est balneum aquæ dulcis.

Hinc particulares evacuationes *Evacuabilia è capite.* instituuntur. Apophlegmatismi quidem pituitæ propriè coveniunt. Manifestari tamen & hæc possunt grana mastiches cum passulis, & saliva crebro expui. Et si aliquid pituitæ admistum sit, aliquot grana piperis vel cubearum, vel parum cortic. radic. capar. addi potest. Errhina parentur ex succo betæ; aqua tamen hordei admixtâ. Vel fiat Gargarismus ex decocto hyssop. hordei & oxymel. simpl.

Vel *R. Succi rosarum Unc. ij.*
diagryd. Drach. j.
extract. rhabarb. Scrup. j.
succi betæ Unc. iij.
mellis q. s.

F. Errhinum.

Vel *R. Succiroasarum Unc. ß.*
diagryd. Scrup. j.
mellis parum. Misce.

Vel *Scammonium aut elaterium cum lacte* misceatur, quod naribus attrahatur.

Vel *R. aq. majoran. Unc. ij.*
manne Unc. ß.
Misce.

Rhi.

Rhabarbarum quoq; usurpare licet. Sternutatoria cum ex solis frigidis, utpote quæ naturam sufficienter non stimulant, parari nõ possunt, parantur, si ijs opus, ex frigidis & calidis simul mistis, ut ex succo violarum vel rosarum, quibus aliquid piperis aut helleb. addi potest. Aut vapor aceti, in quo castoreum dissolutum sit, nazibus attrahatur.

Et si bilis sanguine permixta sit, sanguisque biliosus, tenuis, fervidus ac vaporosus mali causa sit, ad arteriarum sectionem, alijs remedijs non iuvantibus, accedere quoq; necessarium est, de qua *capite precedente dictum*.

Tandem etiam digerentia, ex chamaemelo, meliloto, sem. lini, fœnigræci adhibenda; ut & unguentum alabastrinum, eodem modo, ut in Intemperie cum sanguine, de quo postea etiam *in questione*, dicitur. Et quia cochlearum caro citra calorem redundantem humorem evocat, etiam hic nonnulli cataplasma, quod paratur ex cochlearum carne contusa, cum modico thuris, commendant.

Dieta.

Aër, in quo æger degit, sit frigidus & humidus, vel talis arte paratur, ut supra, *cap. 1. dictum*. Vitu utatur æger refrigerante & humectante, sup. *eodem capite*, proposito & descripto, quo generatio bilis prohibeatur, & genita temperetur. Abstineat vino, potusq; assuetis aqua cocta & prapa-

rata, vel aqua hordei aut cerevisia tenuis. Assueti cubitum ituri haustum aquæ frigidæ bibant. Somnus sit longior: perturbationes animi & corporis motus vehementiores, ut & inedia, vitentur.

QUÆSTIO.

An in Intemperie cum humore bilioso etiam locum habeant discutientia & resolutiva?

Videntur quidem minus convenire discutientia, 1. Cum sint calida, & intemperiem augeant, ac faciliè putredinem humori inducere possint. 2. Quia attrahere valent humores ad caput. 3. Quia bilis spontè & faciliè exhalat, & vix ulla sui reliquias in capite relinquit.

Verum enim verò in declinatione non sunt planè omittenda discutientia. Si enim locum habent in inflammatione, ut docet Galen. 13. m. m. c. 6. 8. & 9. & 1. ad Glaucc, 15. & 2. & 1. c. 2. omnino etiam in humore bilioso adhiberi possunt. Tantum verò abest, ut intemperiem augeant, ut potius refrigerent. Digerentia n. ut vult Galen. 1. de medicam. facult. c. 4. & 2. ad Glaucon. cap. 2. refrigerant ex accidente, quatenus materiam calidam discutunt. Neque metus est attractionis; cum non nisi universalibus præmissis, & post usum repellentium adhibeantur; ubi verò metus adhuc est de affluxu, compositis ex repellentibus.

tibus & discutientibus utendum. Et quanquam humor biliosus sit tenuis & facile exhalet; tamen facillè fieri potest, ut in capite hærens crassescat, & hinc non totus exhalet. Interim non diffiteor, cautione opus esse in discutientibus in hac intemperie adhibendis, videndumq; esse, ne istis intemperies calida augeatur.

CAPUT X.

De Intemperie Capitis cum Pituita.

Causse.

De Intemperie capitis cum pituita.

QUE cum pituita conjuncta est intemperies, frigida & humida est. Generatur autem & cumulatur pituita in cerebro hyeme, & constitutione aëris frigida, locisq; palustribus & uliginosis, ætate senili, in primis ubi cerebrum frigidius & humidius est, vel à morbo aliquo, aut nimia Venere, aut immoderato sanguinis è naribus fluxu, debilitatum est, aut ob meatuum angustiam, excrementorum crassitiam, facultatisq; expultricis debilitatem excrementa expellere non valet. Aliunde verò ad caput transmittitur, si in universo corpore, aut determinata aliqua parte abundet, & causæ accedat, quæ ipsam ad caput allicere valent, ut dolor capitis, calor, & similia. Nō parum etiam sæpè ad hanc intemperiem generandam facit epar calidum & humidum, à quo sanguis vaporosus materiam multis vaporibus, qui in caput eleuantur, præbet, qui ibi hæretes ce-

rebrum debilitant, & materiam pituitæ præbent. Et omnino huc faciunt causæ omnes pituitam generantes, lib. 2. Institut. enumeratæ.

Signa Diagnostica.

Adest capitis gravitas & tensio, sensuum cum internorum tum externorum inertia, mentisque stupor & tarditas, in somnum propensio, idem est longior & profundior; nisi mæror & sollicitudines, vel alia causæ interrumpant, ac vigilias excitent. Somnia sunt de rebus albis, aquis, pluvijs. Cælo sereno melius habent ægri; nubilo, & aëre frigido habent pejus: circa Lunæ *φάσις* pejus, Lunâ ab aspectu Solis vacuâ melius. Si tamen in parte capitis anteriore pituita abundet, soporosus magis affectus exstat; si in medio vel posteriore, fatuitas & memoriæ læsio magis excitatur.

Os salivâ multâ humet, lingua est mollis, sitis adest nulla, & pituita copiosior è naribus & per palatum excernitur, quæ sapore est vel dulci, vel acido, vel falso, pro natura & differentia pituitæ. Facies pallet, nisi forsitan doloris vehementia aut diuturnitate tenuior sanguinis pars ad caput rapiatur, cujus præsentia id rubeat & caleat; oculi subtument. Caput si tangatur, non est ita calidum, sed potius frigidum, & quod non nisi tegumentis multis adhibitis calefieri potest. Nonnulliq; conqueruntur, se frigiditatem instar nivis & glaciæ in capite percipere. Molestia, quam parit, ferè magis in occipite sentitur, præsertim ijs horis, quibus pituita dominatur à ter-

Signa pituitæ in capite.

tia scilicet hora noctis usque ad no-
nam. Urina, si simul in reliquo corpo-
re pituita abundet, est cruda, crassa,
alba; pulsus parvus, mollis, tardus, ra-
rus, affectus, qui inde excitatur, est
diurnus. Quod si cum his tempera-
mentum ægri, ætas, anni tempus, æris
constitutio, diæta præcedens, & omni-
no causæ, quæ caput frigefacere & hu-
meſtare, ac pituitam in eo cumulare
solent, consentiant, certiora omnino
erunt ista signa. Juvant, quæ pituitam
alterant & evacuant, caputq; calefa-
ciunt & siccant; nocent quæ pituitam
nimium augent, caputq; frigefaciunt
& humeſtant.

Prognostica.

Intemperies hæc curatu non ita fa-
cilis est, & sæpè in stuporem, paraly-
sin, apoplexiam, & soporosos affectus
degenerat; & quod diuturnior est, eò
difficilius curatur, ut & in corpore se-
nili. Tempus hybernium quoq; quod
morbum augeat, minus aptum est ad
curationem; commodior est calida
& sicca æris constitutio, qualis est æ-
stiva.

Indicationes.

Cum intemperies tolli non possit,
nisi causa prius tollatur, pituita pri-
mum evacuanda, & si ad caput mo-
veatur, revellenda. Intemperies verò
frigida & humida per calefacientia &
siccantia corrigenda.

Auxilia & Curatio.

Itaq; sanguinis evacuatione ob pi-
tuitam e quidem nullâ opus est. Si ta-

L. P.

men in reliquo corpore, quod fieri
impossibile non est, præcipuè si epar
sit calidius, sanguis abundet, eum in æ-
tate florente vel consistente etiam de-
trahere inutile non est. Hoc enim
modo & vaporum ad caput exhalatio
impeditur, & superfluum alimentum
demitur, ut natura postea quicquid
crudum & pituitosum in sanguine est
facilius & exactius concoquere possit,
& medicamenta postea tutius usur-
pantur. Sanguine evacuato, aut si san-
guinis evacuatione opus non sit, sta-
tim ad ipsius humoris pituitosi eva-
cuationem se accingat Medicus.

Primò ergo, præcipuè si ab infe-
rioribus humor ad caput feratur, in-
jiciatur clyster.

Clysteres enim non solùm ex pri-
mis vijs materiam superfluum eva-
cuant, sed & à membris principalib. su-
perioribus, & maximè cerebro, hu-
mores superfluos versus inferiora
trahunt. Primò talis sufficit.

℞. *Malva,*
althæa,
betæ,
parietar.
betonic.
hyssopi, an. M. j.
flor. stæchad.
chamel.
melilot. an. p. ij.

Clysteres.

Coq. in aqua l.

Colat. ℞. ℥. j. in qua dissolve
hieræ simpl. Galen.
benedict. laxativ. an. Unc. ℞.
mellis anthosati,
rosat. colati, an. Unc. j.
succi betæ Drach. x.

L

olei

olei lilior. alb. unc. ij.

salis Drach. β.

Fiat Clyster.

Vel R. Rad. ireos,

 pœonia, an. Unc. β.

 mercurial.

 beta,

 salvia,

 ruta,

 betonica, an. M. j.

 rorismarin.

 flor. chamemel, an. p. j.

 sem. anisi,

 feniculi, an. Drach. ij.

 agarici in petia ligati Unc. β.

 Coquantur in aq. simpl.

Colat. R. ℞. j.

 adde benedict. laxat. Unc. β.

 diaphœnici Drach. ij.

 mellis rosat. solut. Unc. j.

 olei rutacei Unc. j. β.

 laurini Unc. j.

 salis Drach. j.

F. Clyster.

Si in ventriculo sit materia fluidans aut nauseam excitans, ægerq; ad vomitum facilis sit, vomitus concitetur: aliàs vomitus inutilis; cum caput repleat.

Præparantia pituitam in capite.

Præparantia pituitam in capite.

Deinde humor pituitosus, nisi sit falsus, cùm magna ex parte sit crassus & viscidus, præparandus & attenuandus incidentibus & abstergentibus, hyssopo, salvia, origano, majorana, betonica, verbenâ, quæ sive assumpta, sive extra usurpata in morbis capitis à materia frigida multum prodest, rutâ, rorem-

rino, stœchade, pœoniâ, matricariâ, in mulieribus, & aliis cephalicis calidis, sup. cap. 2. propositis, tum simplicibus tum compositis; quibus & alia medicamentâ incidentia & abstergentia addi possunt. Magna ex parte pituitam crassam & viscidam esse diximus. Quando enim pituita fluida est, & catarrhus conjunctus, ac materia evaporationi apta, quæ nimia attenuata redderetur fluidior, & plures vapores suppeditaret, usurpanda calefacientia & sistentia non nihil, atque incrassantia, salvia, mentha, absinthium, mastiche, nuxmoschata, nuces cupressi, thus, mel rosatum, & similia. Ubi verò materia est frigida, crassa, viscida, ab attenuantibus mitioribus inchoandum; qualia sunt oxymel simplex, aqua majoranæ, hyssopi, betonicæ: postea ad fortiora ascendendum; qualia sunt oxymel compositum, scilliticum, sirup. stœchad. Arabic. aq. majoranæ, rutæ, rorismarini, decoctum radicum pœoniæ, acori; & prout visciditas maior vel minor est, ita etiam incidentium & abstergentium, ut oxymel. simplicis & compositi plus vel minus admiscendum. Omnino enim in præparantibus istis medicamentis hoc observandum, ut à lenioribus incipiamus, ne, si nimis calida statim initio usurpantur, materia fundatur & morbus vehementior reddatur. Ideo Matthæus de Gradibus reprehendit eos, qui in dolore capitis à causa frigida à principio exhibent sirup. de stœchade, qui est valde calidus. Quapropter rectissimè fit, si, cùm materia est multa, primò leniora usurpentur, hinc pars materiæ

vacuetur, & postea ad fortiora fiat
progressus. Si pituita sit falsa, semper
addenda cichorium, endivia, scariola.

Potiones. Ut ℞. Radic. fœnicul. Unc. ℞.

fol. betonica,

hyssop. an. M. j.

fem. fœnicul. Drach. j.

flor. rorismarini,

stœchad. Arabic. an. p. ij.

Coquantur in aqua simplicis.

Colat. ℞. Unc. vij.

sirup. de betonica,

de stœchad. simp. an. ʒ. vj.

oxymeltris simpl. Unc. j.

Misce pro duabus dosibus.

Vel ℞. Radic. calam. aromat.

peonia,

galanga, an. Unc. ℞.

betonic.

salvia,

rorisinar. an. p. j.

fem. peon. Unc. ℞.

anisi,

fœnicul. an. Drach. ij.

flor. stœchad. Arabic.

salvia,

sambuc.

rosarum, an. p. j.

Coquantur in aqua pura.

Colat. ℞. ℥. j. ℞.

sacchari Unc. iij.

Fiat potio clara.

Quæ aromatizetur specier. diamosch.

dulcis Drach. j.

Pro 3. vel 4. dosibus,

Vel ℞. Hyssopi,

betonica,

salvia, an. M. j.

flor. stœchad. Arabic. M. ℞.

Coquantur in aqua simpl.

Colat. ℞. Unc. viij.

sirup. de hyssop.

de stœchad. simpl. an. Unc. j.

Misce pro duabus vel tribus do-
sibus.

Vel ℞. Sirup. stœchad. Unc. j.

oxymel. simpl. Unc. ℞.

decocti cephalici Unc. iij. vel iijj.

F. Haustus.

Vel ℞. Radic. fœnicul. Unc. j.

peonia,

angelic.

ireos Florentina, an. Unc. ℞.

salvia,

majorana,

betonica,

calaminthæ,

hyssopi, an. M. ℞.

fem. fœniculi,

stleris montani, an. Drach. ij.

carui Drach. j.

flor. stœchad. Arabic.

anthos,

lavendula, an. p. j.

Coquantur in aq. simplicis.

Colat. ℞. ℥. j. ℞.

(tur.

Dulcoretur saccharo & clarifice-

Adde aq. cinamomi Unc. ℞.

Fiat potus pro quatuor dosibus.

Vel ℞. Radic. fœnicul.

petrosel. an. Unc. ℞.

peonia Drach. ij.

betonic.

hyssopi,

calaminth.

capill. Veneris,

melis.

majoran. an. M. j.

flor. stœchad. Arabic. p. j.

Coq. in aqua f.

Colat. ℞. ℥. j.

mellis anthosati,
sirup. de betonica,
oxymel. s. an. Unc. j.

Fiat potio pro 4. dosibus,

Quæ aromatisetur *specier. aromas. rosat.*
Drach. ℞.

℞. Radic. fenicul.

pxonia, an. Unc. ℞.

hyssop.

calaminth.

betonic.

capill. Veneris.

majoran.

rorismarin.

stœchad. Arabic. an. M. j.

flor. sambuc. M. ℞.

sem. pxonia. Drach. j.

Coq. in s. q. aq. puræ.

Colat. adde mellis ℥. ij.

aceti scillitici ℥. ℞.

Fiat Sirupus,

Qui aromatisetur *puly. nuc. moschat.* ℥. j.

sem. pxon. Drach. ℞.

Quæ cōquassata in nodulo sub finem
decoctionis addantur.

Sirupi hujus datur Unc. j℞. cum

aq. betonic.

fenic.

hyssop. an. Unc. j.

Vel ℞. Sirup. de stœchad. simpl.

de betonica,

de hyssopo, an. Unc. j.

oxymel scillit. Drach. vj.

aq. betonica,

rorismarini,

hyssopi, an. Unc. iij. M. pro

tribus dosibus.

Et reliqua, quæ supra c. 2. de intem-
perie capitis frigida sunt proposita.

Purgantia pituitam è capite.

Postea purgatio instituat^r agari. Purgantia
co. turbith, trochisc. alhandal. folijs sena, pituitam
aloe, pilulis aureis, cochiis, Arabicis, lucis, de è capite.
agarico, assajeret, speciebus diaturbith, e-
lectuario diaphœnic. & similibus.

℞. Aloes. lotæ cum aq. majorana,

Pilulæ.

agaric. trochiscat. an. Drach. j.

mastiche,

cubebæ. an. gr. vj.

trochiscorum alhandal. Scrup. j.

Cum sir. betonicæ

Fiant pilulæ. Dos. Drach. j.

Vel ℞. Pilul. cochiar. Scrup. ij.

aurearum Scrup. j.

trochiscorum alhandal. gr. ij.

Cum aqua betonicæ.

F. Pilul. xvij. vel plures.

Vel ℞. Pil. cochiar. Drach. j.

aurear. Scrup. ℞.

trochiscor. alhandal. gr. ij.

Cum oxymel. scillit.

F. Pilul. xvij. vel plures.

Vel ℞. Pilul. cochiar. Scrup. ij.

aurear.

aleophangin. an. Drach. ℞.

agarici trochiscat. Scrup. ij.

turbith. electi gr. xv.

mastiche.

cinamom.

cubebæ. an. gr. vj.

trochiscor. alhandal. gr. vij.

Cum aq. rorismarini

F. Pilul. è Drach. j. xv. vel xvj. vel xvij.

vel quot libet. Detur Drach. j.

Vel ℞. Pilul. cochiar. Scrup. ij.

de hiera cum agarico Scr. j.

trochiscorum alhandal. gr. iij.

Cum aqua majoranæ.

Fiant Pilul. xxi.

Zechius has Pilulas laudat:

℞. *Agaric. elect.* Drach. ij.
colocynth. Drach. v. ℞.
myrobal. chebulor. Unc. j.
semin. majoran.

*ruta,**pæonia,**asar,**piperis,**zingiber.* an. Scrup. j.*nuc. moschat.**cubeb.**caryophyll.**xyloaloes,**mastich.**cardamom.**spica nardi,* an. Drach. ℞.*hellebor. nigri* Scrup. ij.*salis gemma.**nitri,* an. gr. v.*aloes hepaticæ* pondus duplum.

Fiant Pilulæ cum benedict. laxativ.

Quarum Drach. j. bisterve in mense,
vel Scrup. j. tertio quoq; die sumatur.℞. *Elect. diaphœnic.* Unc. ℞. vel

Drach. v. vel vj.

*puly. stœchados Arabic.**radic. pæonia,* an. Scrup. ℞.

Cum saccharo

Fiat Bolus.

Vel ℞. *Agarici trochisc.* Scrup. iv.*elect. diaphœnic.* Drach. ℞.*flor. stœchad. Arabic.**semin. anisi,* an. Scrup. ℞.

Cum saccharo.

Fiat Bolus.

℞. *Pulveris senæ præparatæ* Drach. j.*mechoacanna* Drach. ℞.*turbith* Scr. j.*cremor. tartari,**rad. ireos Florentina,**diagrydis,* an. gr. vj.*ambr.* gr. ij.

F. pulvis pro ij. dosibus.

Vel ℞. *Turbith elect.* Drach. j.*zingiber.**flor. stœchad. Arabic.* an. Scr. ℞.*sacchari* ad pondus omnium.

F. pulvis.

Vel iste:

℞. *Fol. senæ* Unc. ℞.*agaric. trochisc.* Drach. j. ℞.*turbith gummosi, infusi in lacte,*& *exsiccati* Drach. ij.*zingiber.**salis gemma,**mastiche,* an. Drach. ℞.*cremor. tartar.* Drach. ij.*cinamom.**cubeb.* an. Scrup. ij.*summitat. thymi* Drach. iij.*sem. violar.* Drach. ℞.*medulla sem. carthami* Drach. j.*sacchar. candi parum.*

Fiat pulvis.

Simul alterat & purgat. Dosis

Drach. ij.

Quæ dosis si videatur major, purgantia augeri poterunt.

℞. *Agaric. trochisc.* Drach. ij.

Potiones.

Zingib. albissimi Drach. j.*salis gemma* Scrup. j.

Incisa infundantur in f. q. oxymelitis simplicis horis octo. Postea ebulliant, colentur & exprimantur.

Expresso liquori adde

*decocti foliorum betonica,**hyssopi,**flor. stœchad. Arabic.*

L 3

Pro

Pro haustu, in quo dissolvantur
elect. diaphœnici Drach. ijs.
mellis anthosati Unc. s.

Iterum coletur.

Fiat haustus.

Vel R. Rad. fœnic. Unc. s.
pœonia Drach. ij.

hyssopi M. s.

agaric. Drach. j. s.

fol. senæ elect. Drach. iij.

sem carthami contusi Drach. js.

anisi,

fœniculi, an. Drach. j.

Coquantur in aq. simpl.

Colaturæ R. Unc. iv. s.

mellis rosati solutivi Unc. s

Misce.

Sed quia humor pituitosus plerū-
que contumax est, & una vice vix edu-
ci potest, ex intervallis repetere usum
præparantium & purgantium conve-
nit, sintque semper posteriora medi-
camenta prioribus fortiora: ut si pri-
mò mel rosatum exhibitum sit, post-
ea usurpetur sirupus de duabus radi-
cibus, de stœchade simplic. oxymel
simplex, tandem sirup. de stœchad. cõ-
positus, oxymel scilliticum cum deco-
ctis & aquis herbarum cephalicarum,
salviæ, rorismarini, stœchad. Si primò
exhibitæ pilulæ Assajeret, postea ex-
hibeantur pilulæ aureæ, tandem co-
chiæ, fœtidæ.

R. Rad. fœnic.

pœon. an. Unc. s.

ireos,

calami arom. an. Drach. ij

sem. carui Drach. j.

anisi,

filicis montani, an. Dra. js.

fol. betonic. M. j.

majorana,

hyssopi,

rute, an. M. s.

flor. stœchad.

rorismarin.

lavendula, an. P. j.

Coquantur in aq. simplic. ad con-
sumptionem tertiæ partis, pro sibi.

Colat. adde sirup. de hyssop.

de stœchad compos.

an. Drach. js.

mellis anthosati Unc. ij.

oxymel simpl. vel scillit. Unc. j.

aq. cinamom. Drach. iij.

M. pro quatuor dosibus.

Vel R. Betonic.

mentha,

salvia,

flor. rorismarin. an. P. j.

caryophyll.

cinamom. an. Scr. j.

Corticum citri Unc. ij.

Coq. in s. q. aq. betonicæ, ad quar-
tæ partis consumpt.

Colat. adde mellis & aceti q. s.

Fiat oxymel;

De quo manè, tribus diebus con-
tinuis, fumantur cochlear. 2. vel 3.

Hinc iterum purgatio instituat.

Ut R. Pil. cochiarum,

aurearum,

fœtidarum, an. Scr. j.

agaric trochiscat. Scr. s.

trochiscorum albandal. gr. iij.

Cum aq. salviæ F. Pil. xxj.

Vel R. Agaric. el. Drach. ij.

zingiber. Drach. s.

Infundantur in s. q. hydromelitis &
aq. hyssopi per horas septem.

Colat.

Colat. expres. ℞. Unc. iij.
In ijs dissolve super igne
electuar. diacartholice.

Indi major. an. Drach. iij.

Iterum colentur.

Adde mellis rosat. sol. Unc. ℞.
F. haustus.

Vel ℞. *Elect. diaphenic. Drach. iij.*
Indi Drach. ij.
diacarthami Drach. ℞.
pulv. flor. stœchad. Arab.
sem. pœoniae ā. Scr. ℞.

Cum saccharo. F. bolus.

Vel ℞. *Turbith. elect. Drach. j.*
agaric. trochiscat.
flor. anthos,
stœchad. Arab.
zinziber. an. Scrup. ℞.
F. pulvis.

Efficax est in hunc usum etiam me-
dicamentum, quod nonnulli Hippo-
cratis Theriacam appellant, & ita pa-
ratur:

℞. *Absinthij,*
marrubij,
stœchados,
masliches,
rhabarb.
chamæpith.
chamadryos an. ℥. iij.
hysopi Drach. j.
agarici boni ad pondus omnium.

Pulverisentur & cum melle cocto
excipiantur.

Detur manè à Drach. ij. ad Drach.
iij. in decocto stœchadis, vel alio con-
veniente liquore.

Utile etiã est sæpè clysteres repetere
& injicere, & si ab inferiorib. aliquid
adscedat, frictions, cucurbitulas, &
familia revulsoria auxilia adhibere.

Clyster fortior talis parari potest:

℞. *Rad. ireos recent-*
angelic.

pœonia, an. Unc. ℞.

fol. lauri,

rutæ, an. M. j.

origani,

calaminthe, an. M. ℞.

flor. stœchad. Arab.

anthos, an. p. j.

sem. carui,

fœniculi, an. Drach. j.

baccar. lauri,

sem. carthami,

agaric. in petia ligati, an. Drach. ij.

Coquantur in aqua pura.

Colat. ℞. ℞. j.

elect. benedict. laxativ. Unc. ℞.

hieræ diacolocynth. vel hieræ Lo-
gadij Drach. ij.

pulv. aurearum Scrup. j.

mellis anthosati,

fucci betæ, vel mercurial. an. ℥. j.

olei rutacei Unc. j.

de castoreo Drach. vi.

salis Drach. j.

Post purgationem, ut caput altere-
tur & roboretur, & purgantium noxa *caput cõ-*
eluat, sumat æger *fortantia*
Calida.

Mithridatij Scr. ii.

conserv. rosarum,

anthos, an. Drac. i. Misc.

Vel ℞. *Theriac.*

Mithrid. an. Scr. i.

conserva flor. salviæ Unc. ℞.

rosar. Unc. i.

Cum melle anthosato F. electuarium.

Dosis Drach. ii.

Aut alia caput frigidum alteran-
tia supra proposita usurpentur. Et
quia malum hoc sæpè pertinax est,

& ge-

*Decoctum Li-
gni Guajac.*

& generosis etiam remedijs non semper cedit, non inutile fuerit, corpore purgato aliquot diebus decoctum ligni Guajaci exhibere. Nam corpus & caput calefacit ac siccat, & crudos humores in universo corpore coquit, crassos attenuat, viscidos incidit, lentos abstergit, & quicquid aquosum est, per urinam educit, ac per habitum corporis digerit & discutit: ad quæ omnia multum etiam facit tenuior illa victus ratio, quæ cum potu decocti ligni adhiberi solet.

Purgationibus universalibus hisce si materia tota non tollatur, particularibus evacuationib. quod reliquum est, per convenientes vias, per nares scilicet & palatum, educere, tandem per insensibilem perspirationem resolvere, & medicamentis, quæ ex alto quoque attrahunt, discutere & dissipare necessarium est.

Per nares pituitam evacuant errhina, quorum quæ simul sternutationem cient, ptarmica dicuntur.

In os & fauces pituitam proliciunt apophlegmatissimi in genere dicti; masticatoria scilicet, collutiones oris & gargarismi, faucium seu palati illitus.

*Caput e-
vacuantia
medica-
menta.* Medicamenta hæc, quæ caput evacuant, seu per palatum, seu per nares id fiat, sunt, ut Galen. 2. $\text{Τ} \text{π}$. cap. 2. & 6. $\text{Τ} \text{π}$ cap. 1. docet, calida, tenuis substantiæ, acria, detergentia, odoris & saporis non ingrati, & malignitatis ac venenositatis expertia. Quatenus autem calida sunt, attrahunt & fundunt materiam in capite; tenuitate penetrant; acrimonia facultatem ex-

pultricem irritant; detergendo faciunt, ne materia viscida adhæreat; odore & sapore carere debent ingrato; cum ore & naribus excipiantur. Et eadē de causa; ac quia facilè aliquid ad œsophagum vel asperam arteriam pervenire potest, venenatæ qualitatis expertia sint. Si tamen aliqua vel nimia acrimonia, vel sapore, vel odore insuavi offendere possunt, corrigētia addenda; propter acrimoniam, fœnum græcum, caricæ pingues, passulæ, ol. violarum, amygdalarum dulciū; propter odorem, aromata, moschus, ambra, gallia moschata, asa dulcis, styrax calamitha; propter saporem, dulcia, mel, saccharum, vinum dulce, passulæ, caricæ. Commodissimum tamen est, ut talibus qualitibus ex se ista medicamenta prædita sint.

Sunt autem horum medicamentorum gradus quidam. Alia sunt debilia, ut: *mastiche, thus, manna, oxymel simplex*; alia mediocria, ut: *origanum, hyssopus, majorana, saponaria, nasturtium, semen nigella, radice capparum, semen eruca, sinapi, nasturtij, calamintha montana, dictamnus creticus, acorus, fol. lauri, piper, Zingiber, pyrethrum, succus beta, iridis, oxymel scilliticum*; alia fortia: ut: *purgantia, agaricus, sena, scammoniū, turbit, colocynthis, helleborus albus, niger, elaterium, euphorbiam.*

Quorum omnium cum alia sint mitiora, alia valentiora, semper à benignioribus inchoandum, & subinde paulatim vim medicamenti augendo tentandum, quantum ferre possint ægri; nihilq; incommodi habent leniora,

ora, quàm quod parùm prosût, quod tamen augendo medicamento vires corrigere possumus: contra verò valentiora incautè usurpata plurimum nocere possunt. Sensibiliter quoque evacuant vesicatoria, & cauteria. Ad insensibiliter verò resolvendam & digerendam materiam capiti applicantur lotiones, embrochæ, unguenta, cerota, emplastra, ac denique quæ ex profundo materiam attrahunt, dropaces, & sinapismi, ut supra etiam dictum.

De tempore autem errhinorum, ut & apophlegmatismorum usurpandum notandum hoc in genere: Usurpanda ea esse tempore matutino, & jejuno stomacho.

Errhina.

De Errhinorum & Ptarmicorum varietate dictum est in Institut. lib. 5. part. 3. sect. 3. cap. 39. ut & in genere supra, cap. 3.

Materiam errhinis præbent folia *majorana*, *ruta*, *Nicotiana*, flores *lil. convallium*, *sem. nigella*, *rad. betæ*, *pyrethri*, *cyclaminis*, *cucumeris sylvestris*, *hellebori*: succus *betæ*, *bliti*, *brassica*, *majorana*, *anagallidis*, *cyclaminis*: mel, *manna*, *saccharum rubrum*, *piper*, *euphorbium*, *castoreû*: aqua *majorana*, *Nicotiana*: nonnulli & *felanseris*, & aliorum animalium admiscunt.

Ut R. Caulem *betæ* vel radic. *iridis*, vel *cyclamini*, vel *gentiana*. Formentur inde styli pyramidalis figura, alligentur filo, & macerati in aqua *majoranæ* indantur in nares manè, jejuno stomacho, vel etiam vesperi, ante coenam.

L.I.

Vel R. *Ladani* Unc. ß.

puly. majoran. Drach. j. ß.

sem. nigella Drach. j.

styracis liquida q. l.

F. *Nafalia* justæ magnitudinis, & involvatur pulvere, qui sit *ex majoran.* Drach. ß. *rad. nigell.* Scrup. ß.

Vel R. *Succibetæ*,

majorana,

ruta, an. Unc. ß.

manna electa, vel *mellis anthosati*,
Unc. j. ß.

M. Attrahatur liquor in nares.

Vel R. *Succibetæ*,

majorana,

ruta, an. Unc. j.

vini albi Unc. iij.

sacchari rubri Unc. ß. M.

Addi etiam potest semen *nigellæ* torrefactum.

Vel R. *Succibetæ rubræ* Unc. ij.

aq. mellis Unc. iij.

vini albi Unc. ß.

puly. sem. nigell.

macis,

cubebæ. an. Drach. ß.

Miscpro Errhino.

Vel R. *Succicyclamin.*

betæ,

brassic.

majoran. an. Unc. ß. M.

Si herbæ vel radices virentes & succulentæ desint, è quibus succi exprimi possint, illorum decoctum vel aqua usurpetur.

Ut R. *Rad. ireos* Unc. ß.

majorana,

salvia,

ruta, an. M. ß.

rad. cyclam. Drach. j.

M

Coq.

Coq. in aq. simplicii.
 Colat. ℞. Unc. viij.
mellis rosati colati.
spiritus vini, an. Unc. j.
 Misce.

Vel ℞. Rad. pyrethri,
ireos, an. Drach. ij.
pulegij.
origani,
betonica,
majoranae, an. M℞.
agarici trochiscati Drach. j.
flor. stochad. Arab. P. j.
 Coq. in sufficient. q. aq. simpl.
 Colat. ℞. Unc. vj.
 In ijs dissolve *mellis anthosati Unc. j.*
scillitici Drach. ij.
 Misce.

Vel ℞. *Agaric. trochiscat. Unc. ℞.*
betonica,
anagallid. flore rubro, an. P. ij.
 Coq. in hydromelite pro Errhino.
 Efficacissima etiam sunt Errhina, si
 scammonij modicum admisceatur.
 Linimenti formâ:
 ℞. *Sem. nigella præpar.*
piperis albi,
myrrha, an. Scrup. ij.
rad. cucumer. sylvestr. Scrup. j.
 Trita excipiantur oleo irino. F. Lini-
 mentum.
 Vel ℞. *Piperis albi,*
cubebæ,
caryophyll.
nuc. moschat.
sem. nigella,
pyrethri, an. Scrup. j.
diagrydij,
elaterij, an. Scrup. ℞.
moschi gr. ij.

Trita excipiantur s. q. *olei irini*, &
 ducantur in formam linimenti nari-
 bus inungendi, & post illitionem aer
 attrahatur.

Frallianus, *lib. i. cap. 11.* ad varios
 capitis affectus hoc commendat:

℞. *Melanthij Drach. viij.*
salis ammoniac. Drach. j.
elaterij Drach. iv.

Trita excipiantur oleo *sicyonio* vel *irino*,
 ut cerati habeant consistentiam,
 quo nares illinantur.

Loco Errhinorum etiam usurpari
 possunt turundæ ex gossypio paratæ,
 & madefactæ succis, decoctis, vel a-
 quis supradictis, pulveribusque ido-
 neis conspersæ, & naribus immissæ.

Videatur quoque Galenus, 2. *π*
π. cap. 2. Paulus, *lib. 3. cap. 3.*

Ptarmica.

Ptarmica ex iisdem ferè medica-
 mentis sunt, ex quibus errhina, acri-
 ribus tamen, quæ suo calore & acri-
 moniâ cerebrum ita feriunt & percel-
 lunt, ut ad sensum illum molestiæ qua-
 si refugiens sese contrahat, suiq; con-
 cussione supervacanea simul cum im-
 misso medicamento à se repellat &
 extrudat.

Præstat id herba *ptarmica* ab ef-
 fectu sic dicta, solo etiâ odore, si ejus
 flores & folia terantur; & *ellebori albi*
 radix in spiritu vini macerata, si sola
 fibra radice in nares immittatur, ite-
 rumq; extrahatur. Nam pulverem so-
 lum insufflare, nisi veterno cõlopetis,
 aut apoplexia detētis, tutum non est,
 ob ingentem, quàm efficit in cere-
 bro, agitationem, *Lilii cõvallium flores*
 pulve-

Pulverifati etiam sternutationem ci-
ent.

℞. *Piper. albi,*
pyrethri,
hellebori albi,
castorei,
caryophyll. an. Scrup. j.

Trita macerentur in suff. q. hydro-
melicis; in quo intinctum linteum na-
ribus indatur.

Vel ℞. *Ellebor. albi Drach. j.*

piper. longi,
sem. staphidis agrie,
nuc. moschat. an. Scrup. j.

Cum tragacantha in aq. majoranæ
dissolutâ. F. Nasalia.

Vel ℞. *Fol. majoranæ,*

sem. nigelle,
caryophyll.
Zingiber.
rad. pyrethri,
acori,
cyclamini, an. Scrup. f.

F. Pulvis.

Vel ℞. *Sem. nigell. Scrup. ij.*

piperis albi,
ellebori albi, an. Scrup. f.
majoran. Scrup. j.

F. Pulvis sternutatorius.

Pertinet hûc & pulvis, qui hodie è
Nicotiana, macere, majorana, mo-
scho, ambra paratur.

Si catarrhus conjunctus sit, errhi-
na & ptarmica fortiora vitentur; cum
caput vehementius agitent, & humo-
res commoveant. Ac tunc potius o-
doramenta exsiccantia conveniunt.

Si post errhinorum & ptarmico-
rum usum ardor aliquis intra nares
percipitur, aquâ tepida simplici, vel

oleo violarum, vel lacte tepido attra-
cto is lenitur.

Apophlegmatismi.

De ijs actum est in Institut. libr. 5. Apophle-
sect. 3. part. 3. sect. 28. Detrahunt verò *gnatissimi.*
à capite pituitam, & è cerebro per pa-
latum in os alliciunt, gargarismi, col-
lutiones oris, masticatoria, inunctio-
nes palati. Quocunque autem modo
usurpentur, duplici ratione vim suam
exserunt.

Velenim caliditate & acrimonia
humores fundendo id præstant, vel
simul tota substantia id perficiunt.

Prioris generis sunt *semèn anethi,*
hysop. origan. rad. capparum. pyrethri, va-
leriana. sem. eruca. sinapis bacca lauri, cu-
beba, cardamomum, grana paradisi, ga-
langa, mastiche, passula, ficus.

Posterioris generis sunt quæ pur-
gant; ut *radix iridis recens, sem. staphidis*
agrie, & similia.

Ideoq; pro humoris peccantis &
affectus natura & differentia etiam
medicamentorum quendam dele-
ctum habere oportet.

Prioris generis medicamenta, ut
leniora, in affectu leviori usurpari
poterunt: ubi verò humores altius in
cerebro delitescunt, & magnum in-
stat periculum, valentiora eligere
convenit.

Cautè tamen usurpentur apophle-
gmatismi in ijs, qui fluxioni adpecto,
& tabi obnoxii. His enim magis con-
veniunt Errhina, quæ nonnulli Caput-
purgia in specie appellant: cum tamen
hoc nomen jure optimo etiam apo-
phlegmatismis competere possit.

*Masticatoria.**Mastica-
toria.*

Mastiche mansa vel sola, vel cum
passulis, blandè & leniter pituitam è
cerebro elicit: *Passule* item cum pipe-
re masticatæ.

Valentiora sunt *radix iridis*, *agari-
cus*, *semen sinapi*, *nasturtij*, *staphidis a-
gricæ*, *radix pyrethri*, *cyclamini*.

Ut *R. Mastiches* Drach. ij.

pyrethri,

staphidis agricæ, an. Drach. *ß.*

Contusa grossò modo masticetur,
crebrò expuendo, aut cum *s. q. mellis*,
vel pulpa caricarum pinguium & cera
figurentur pastilli mansiles, instar lu-
pinorum.

Vel *R. Pyrethri*,

cubebæ.

staphidis agricæ, an. Drach. *ß.*

Excipiantur *mastiche* & *cera* an. *q. s.*
F. Pastilli mansiles.

Vel *R. Agaric.* Drach. *ß.*

specier. diambæ. Scrup. *ß.*

pyrethri,

cubebæ.

ligni aloes, an. Scr. *j.*

mastiches Scr. *ij.*

Cum aqua *iridis* Fiant Trochiscii
mansiles, & in Sole siccentur, qui ma-
si manè caput purgant & roborant.

Vel *R. Piperis longi*,

nucis moschat. an. Drach. *ij.*

staphidis agricæ,

pyrethri, an. Scr. *ij.*

sem. sinap. Scr. *j.*

Cum melle F. trochisci mansiles.

Vel *R. Pvarum passerum* Drach. *ij.*

hyssopi,

pyrethri, an. Drach. *ij.*

mastiches, Drach. *ij.*

Cum melle & cera Fiant trochiscii
mansiles.

Vel *R. Cubebæ*,

piper. albi, an. Drach. *ß.*

pyrethri Drach. *j.*

mastiches Unc. *ß.*

Contusa & conclusa nodulo vel
facculo lineo raro mast. centur. Uti-
lissimum etiam est *agarici* Scr. *j.* vel *ij.*
diu masticare.

Masticatoria tamen non omnes
admittunt, ut quibus dentes cariiosi
aut exesi sunt, aut exciderunt, & masti-
care non possunt. Non quoque con-
veniunt, cum adsunt ulcera circa fau-
ces, vel tussis adest, aut affectus pul-
monum. Nam materiam vexus eas
partes trahunt. Videatur etiam *Ga-
lenus*, 2. *τ. π. cap. 2.*

Inunctiones palati.

R. Theriacæ, vel Mithridatij *q. l.*
dissolvantur *q;* in oxymelite scillitico,
& addatur aliquid sinapis vel pulveris
castorei, & mixturâ illâ palatum in-
ungatur.

Vel *R. Pulv. nuc. moschat.*

caryophyll.

sinapis,

piper. albi,

pyrethri,

zinziber. an. Scr. *ß.*

mellis anthosati Unc. *ß.*

M. & inungatur palatum.

Fortius erit medicamentum, si ali-
quid de staphide *agria*, vel *elaterio* ad-
datur.

Gar-

Gargarismi & Collutio-
nes oris.

℞. Fol. betæ,
majoran.
hyssopi,
calaminthæ, an. M.ß.
cort. rad. cappar. Drach. j.
sem. sinapis,
rad. pyrethri,
pip. alb. an. Scrup. ij.
caricarum pinguium num. iij.

Coquantur in suff. q. aqu. vel hydro-
melitis, pro ℥bj.

Colat. adde mellis anthosati,
oxymelitis, an. Unc. j.ß.
vel oxymel. scillit. Unc. ij.

Misceantur. Tepidum ore diu con-
tineatur mane ante pastum cum, vel
sine gargarificatione.

Vel ℞. Origani,
pulegij,
majorana,
betonica,
rutæ,
zingib. r.
piperis,
stæchad Arab. an. Unc. ß.
mastiches,
staphidis agriæ,
nuc. moschat. an. Drach. j.ß.
sem. sinap. Drac. vj.

Contusa coquantur in suff. q. vini
ad tertiam partis consumptionem.

Colatura usurpetur pro Gargari-
smo.

Vel ℞. Agarici trochiscat. Unc. ß.
hyssopi,
origani,
calaminthæ, an. M.ß.

Coquantur in aq. f.
Colaturæ ℞. ℥b. ß.

oxymel. simpl. Unc. j.

F. Gargarismus.

Dodonæus quoq; lac ex amygdal.
amaris, aut ex nucleis persicorū, cum
aq. pulegij factum non inutiliter apo-
phlegmatismi loco usurpari posse
scribit; cum & pituitam detrahat, &
eam expediat, præsertim erucæ & si-
napis semine addito.

Apophlegmatismi etiam in Errhi-
na mutari possūt, si capite supino na-
ribus hauriantur, ut per summum pa-
lati relabantur in fauces. Hoc enim
modo dum basin cerebri transeunt,
viam, per quam excrementa cerebri
decurrunt, abluunt, & ex ventriculis
cerebri excrementa validius extrahūt.

Ad Apophlegmatismos meritò
etiam refertur fumus ille, qui ex Ni-
cotiana accensa canalibus beneficio, à
Belgis præcipuè, per fauces & palatum
attrahi solet, & pituitam è capite eli-
cit; de qua re consulantur libelli à re-
centioribus de Nicotiana scripti. Cõ-
modiòr tamen est pulvis, cujus supra
inter ptarmica facta est mentio.

De apophlegmatismis quoque a-
git Aëtius, *tetrab. 2. serm. 2. cap. 53.* ubi
& sequentem recenset, ac de eo scri-
bit, quòd, qui eo utitur, neque capitis
dolore, neque oculorum caligine,
neque aurium & dentium affectibus
corripitur.

℞. Sampsuchi sicci.
irid. Illyrica,
pyrethri,
hyssopi,
nitri,

piperis,
semin. apij,
radic. panacis,
staphidis agricæ, an. ꝑ. Unc. ꝑ.

Si verò vim ejus intendere voles,
 adde *myrrhæ* Drach. iij.

Singula primum seorsim, deinde
 simul terito cum aqua, & formato
 pastillos, pauco melle admixto. Usus
 autem tempore melle & aq. diluito, ac
 pro gargarismo utitor.

Errhina supra, *cap. 5.* fuerunt enu-
 merata. Recenset etiam quædam Aë-
 tius, *tetrab. 2. ferm. 2. cap. 52.*

Topica.

Topica ce- Topicorum, quæ vim habent reli-
phalica in quias discutiendi, & caput roboran-
pituita. di, calefaciendi & exsiccandi, formulę
 supra, de Intemperie capitis frigidâ &
 humidâ, traditæ sunt, quæ huc trans-
 ferantur. Inter quæ cum à Galeno, 2.
de comp. medicamentor. sec. loc. c. 2. tum
 ab Aëtio, *tetrab. 2. ferm. 2. cap. 48.* val-
 dè commendatur *verbenaca recta*, ut
 quæ omnium maximè discutiat, &
 mirificè roboret, omniq; capitis do-
 lori ex frigiditate aut crassis humori-
 bus orto medeatur, præsertim viridis,
 imò & arida, cum radicib. & cum ser-
 pillo oleo incocta, & inprimis si cro-
 codiliadis maximè circa aquas na-
 scentis radix addatur.

Fomenta. *R. Vini albi fortis* Unc. v.
salis communis Unc. j.
 Liquefiat sal cum vino bulliendo.
 Postea adde *spirit. vini vel aquæ alicujus*
cephalica Unc. v.

Made fiat eo linteum, quod capiti
 imponatur.

Vel R. Fol. lauri,
majoran.
flor. stæchad. Arabic. an. M. j.
chamæmeli,
meliloti,
fol. fenæ, an. M. j.
agarici albi Drach. ij.

Coquantur in lixivio pro lotionem
 capitis.

Vel R. Lixivij ex sarmentis vitis q. s. ad
 unam lotionem.

In eo coq. *majorana,*
baccar. lauri,
pulegij,
calaminthe,
ocymi, an. M. j.
agaric. elect. Drach. ij.

Addaturq; pars tertia vini, &
 Coquatur ad quartę partis cõsum-
 ptionem.

Postea colentur, & lixivio isto ac
 sapone odorato caput lavetur.

Unguentum hoc, quod

R. euphorbij Drach. j.
cera quadrantem,
olei dulcistib. j.

Unguenta.

commendat ad temporum & frontis
 inunctionem Aëtius, *tetrab. 2. ferm. 2.*
cap. 40. & sæpè unico ejus usu ante bal-
 neum frigidæ capitis affectiones ces-
 sare scribit.

Prodest & *oleũ ex euphor.* Drach. iij.
 & *olei t̄b. j.* paratum, in aurem instilla-
 tum. Paul. Ægineta, *lib. 3. cap. 5.* valdè
 laudat unguentum ex euphorb. & ca-
 storeo. Ubi & alia externa medicamē-
 ta habet ad capitis affectiones frigi-
 das.

R. Rad. cucum. sylvest. minutim cõcisa, *Emplastra*
& crasso modo contusa Unc. j. *& cerata.*
 Coq.

Coq. in olei cheiri, Unc. x. ad consumptionem quintæ partis.

Colentur cum forti expressione.

Col. adde pulv. castorei,

absinth. an. Drach. ß.

euphorbij Drach. j.

spica nardi Scrup. ij.

Cera q. s.

F. Emplastrum.

Quo solo inveteratos capitis dolores diuturnos & internos, etiam consumacissimos, se sanasse scribit Zechconf. 3.

℞. Styrac. calamita Unc. j.

olei irini Drach. ß.

de euphorb. Drach. ij.

theriaca veteris Drach. j.

cera q. s.

Fiat ceratum.

Aliud ceratum, ejusdem Zechij, ad intemperiem cerebri frigidam & humidam, & independentes catarrhos diuturnos efficacissimum.

℞. Caryophyll.

thuris,

macis, an. Scrup. ii.

corallior. amber.

spodij,

ambari, an. Drach. ß.

nucis cupressi Drach. i.

styracis calamita,

vernici an. Drach. i. ß.

ladani Drach. vi.

resina Unc. j.

Solvatur ladanum cum resina in vino veteri, & coquantur ad justam consistentiam.

Inprimis verò ista aqua valde commendatur ad pituitam & flatum in ca-

pite absumendos, & catarrhos exsicandos ad cerebrum & memoriam roboradam, ad dolores capitis è causa frigida; si cochleare unum capiti infundatur & tempora ac frons ea il-
linantur.

℞. Salvia,

rorismarin.

betonica,

serpilli,

majoran. an. M. ij.

flor. chamemeli,

meliloti, an. M. j.

hlij convall.

lavendula,

sammit. anethi, an. Unc. j.

sem. fileris montani,

carvi,

cinamomi,

nucis moschat.

caryophyll.

granor. Paradisi,

cubebæ.

baccar. lauri, an. Unc. ß.

Concisus & contusus affundantur in vitro vini Rheman. optimi Mens. ij.

Hinc adde succi rosar. alb. plenar.

aq. fl. cheiri, an. ℥. i. ß.

Stent in digestionem octo diebus, hinc destillantur.

Aut paretur talis sacculus:

℞. Milij,

furfuris macri,

salis communis, an. Unc. ij.

sem. feniculi, Unc. j.

bacc. lauri contusarum Unc. ß.

Torrefactis omnibus in sartagine fiant sacculi duo ex linteo, qui manè capiti calidi applicentur per dimidiam

Sacculus.

Aqua cephalica ad extra.

diam horam, & pervices permutentur.

Aut *Pileolus* vel *cucupha* ita fiat:

℞. *Fior. rorismarini.*

stæchad. Arab. an. P. j.

fol. salvia,

majorana,

verbena,

origani, an. M. ℞.

macis,

nuc. moschat.

caryophyll. an. Drach. j.

Trita omnia *Pileolo* ex *lindone* rubra insuantur, qui aliquot septimanis in capite gestetur.

Eadem in medicamenta, vel his similia, sacculo lineo inclusa in lixivio coquantur, pro capitis lotionc.

Aut ℞. *Flor. chamamel.*

fol. betonic.

salvia,

asari, an. M. j.

Subjiciantur cineri sarmentorum vicis in fundo vasis, & aqu. superfusa fiat lixivium. Postea, antequam caput lixivio illo lavetur, madescat eo sacculus lineus continens *majoran. salvia, rorismarin. flor. lavendul. stæchad. Arab. rosar. rubrar. ana M℞. agarici albi* Unc. ij. Caput mane ante prandium lavetur, adhibito, si placet, sapone odorato.

Commendatur & sequens medicamentum:

℞. *Cucumeris agrestis. q. l.*

Coqu. in s. q. aq. addita parte sexta olei communis.

Colaturâ caput ungatur, & radices contusæ instar cataplasmatâ capiti applicentur.

Guainerius hoc præcipuè laudat:

℞. *Bacc. lauri,*

origani, an. Unc. j.

Fiant Pulvis, & cum succo foliorum *betonicæ* F. Cataplasma. Si addatur cera & oleum *irinum*, Fit Emplastrum.

Pulvis pro fumo ad cerebrum siccandum:

℞. *Benzoes* Unc. ℞.

styrac. calamitæ Drach. iij.

thuris Unc. ij.

flor. lavendule Drach. ij.

caryophyll. Drach. iij.

granor. juniperi Unc. ℞.

trochiscorum galliæ moschate, si libet, Scrup. j. qui in foeminis omittantur.

Fiat pulvis crassus carbonibus ignitis inspergendus.

℞. *Ligni aloes,*

costi, an. Drach. j.

galliæ mosch.

thuris,

gummi juniperi, an. Scrup. ℞.

Cum *styraceli* liquid.

Fiant pilul. vel trochisci carbonibus injiciendi.

Odoramentorum tamen usus nec continuus sit, nec frequens, verum moderatus: aliàs enim capitis gravadinem inducunt. Non etiam, nisi corpore purgato, usurpentur.

Reliqua etiam topica, quæ sup. in intemperie capitis frigida & humida, proposita sunt, etiam hîc locum habent. Inter quæ magis commendantur sacculi, & pulveres, inunctiones, cerota, emplastra, quàm fomêta, embrochæ & lotiones, quæ actuali suâ hu-

Trochisci.

miditate caput offendere possunt. Ideoq; si usurpentur, calefaciendi & siccandi vis humectandi vim actualem superet; & proinde pro aqua simplici usurpetur lixivium. Aquarum tamen & spirituum cephalicorum destillatorum usus nihil incommodi habet, sed potius plurimum utilitatis præstant, si iis caput illinatur. Exempla supra proposita sunt.

Quod si hæc non sufficiant in affectibus gravioribus, ut lethargo, carō, ad sinapismos ex sinapi, pyrethro, castoreo, euphorbio, columbarum stercore & ficibus paratos adscendendum,

Ut R. Pyrethri,
sinapi,
scillæ, an. Unc. j.
euphorbij, Unc. β.

Misce omnia cum succo asphodeli & majoranæ.

Fiat Emplastrum in lethargo & caro utile, & a somno excitans.

Vel R. Ol. nardini,
costin. an. Unc. β.
castorei,
euphorbij,
pyrethri, an. Drach. β.
scilla Unc. j. β.

F. Linimentum.

Topica talia etiam proponit Paulus Ægineta, lib. 3. cap. 5.

Interna caput roborantia.

Neque negligantur medicamenta interna caput calefacientia, supra, c. 2. enumerata, quæ intemperiem corrigunt, caput roborant, ne aut aliunde transmissa superflua recipiat, aut in-

L. I.

tra se generet & cumulet, quibusque reliquæ pituitæ consumuntur & discutuntur. Inter quæ multum laudatur decoctum rad. farfæ parillæ, Chinæ, & si maiore exsiccatione & calefactione opus sit, ligni Guajaci.

E.g. paretur tale decoctum:

R. Rad. China transversim in tenues
taleolas incisæ Unc. ij.

fol. beronica,

calaminth. an. M. i.

flor. stochad. Arab. M. β.

rad. pæon. Unc. β.

Incisa omnia infundantur in aq. ℥. xii. vase clauso, horis xiv. in loco calido.

Postea lento igne secundum artem coquantur ad dimidiæ partis consumptionem.

Sub finem adde cinamomi Unc. β.

Sumat æger quotidie manè Unc. v. horis v. ante prandium, & Unc. iv. horis ii. ante cœnam.

Bene purgato corpore etiam sudor ægro manè præcipi potest.

Quod si his omnibus tentatis & adhibitis malū perseveret, ut de cœcitate, vel aliis gravioribus malis periculum immineat, repetitis evacuationibus universalibus & particularibus, intermixtisq; roborantibus, expedit adhibere Embrochas, ex thermis naturalibus vel artificialibus actu calidis, quarum aquæ manè ex alto pluvie instar demittantur supra futurâ coronalem, ad horæ quadrantem vel semissem, continuando per septem aut plures dies, prout vires & usus ægri postulat.

Vel Sinapismi ex sinapi, stercore columbino, caprillo, ruta sylvestri, radicibus

N

cibus

Embrocha

Sinapismi

Caput calefacientia & roborantia interna.

cibus pyrethri, bryoniae, costo, euphorbio, incorporatis eū caricis pingui-
bus, vel alio modo, applicentur, inchoando semper à minoribus: de
quibus in Institut. lib. 5. p. 3. sect. 3. c. 28.
Ut & *caricarum pinguium* q. l.

Macerentur per diem in aqua. De-
inde addatur dimidium vel æquale
pondus, vel duplum sinapis, prout le-
nior, vel acrior sinapis mus expetitur.

*Acetū an
sinapi mi-
scendum.*

Monent hñc nonnulli, nec abs re,
quòd, licet antiqui quidam acetum
adhibuerint; experientia tamen do-
cuerit, sinapis vires aceto exolescere,
q̄ nō aliunde accidit, quàm quod sal
volatilis, à quo tota vis mordicandi in
sinapi & similibus pendet, ab aceto
figitur.

Cauterium.

Aut applicetur cauterium, vel ad
futuram coronalem, quā parte extre-
mitas medij digiti verticem capitis
attingit, posita radice manus circa
carpum ad radicem nasi, idq̄; exsiccationis
causa; vel, quod tutius, ad colli
vertebras, quā capiti cōmittitur, deri-
vationis gratiā. Eodem modo ad eva-
cuationem & exsiccationem materiæ
Dropax.
Setaceum. Dropax usurpari potest: & ad sensibi-
lem evacuationem Setaceum in cer-
vice, quo solo sæpè graves & diuturni
capitis affectus curantur.

Dieta.

Victus ratio ad calidum & siccum
vergat. Itaq; aër talis sit, sive natura,
sive paratus arte, ijs modis, qui supra,
cap. 2. sunt propositi. Videndum tam-
men, ne odore æger offendatur. Val-
dè etiam calidus aër cavendus; cum &
caput repleat, & humores in eo con-

tentos liquet & fundat, flatuq̄; excitet;
& sæpè malum hñc, quod latebat, de-
tegat. Hinc etiam videmus, eos, qui
hñc int̄perie cerebri laborant, si sub
Solis radijs morentur, vel caput ad i-
gnem calcferi sinant, pejus habere.
Ideoq̄; commodissimus est aër siccus,
qui in alterutra qualitate activarum
non multum excedat, ad calidum tam-
men plus quàm ad frigidum vergat.

Virandus aër crassus & nebulosus cir-
ca fluvia, stagna, lacus, paludes: in lo-
cis subterraneis non dū morandum.

Caput æstate leniter tegatur, & ra-
dijs Solis nudum non exponatur, ut
nec Lunæ radijs; hyeme bene tegatur,
sed non oneretur. Si aërem morbæ
causam fuisse constet, is mutetur.

Victus sit parvus, in primis cœna.
Alimēta sint boni succi, facili coctio-
nis, nec frigida, nec excrēmētita, nec
vaporosa, sed attenuandi vi prædita.
Alimentorum diversitas in primis vi-
tanda. Abstineat æger à multo pisciã
esui, præsertim eorum, qui carnē mol-
liorem habent; à lacte item & lactici-
nijs, carne suillã, & similibus; legumi-
nibus item, & oleribus & fructib. præ-
ter uvas. Panis sit bene fermentatus,
coctus cum semine carvi & anisi, &
modico salis: utilis est & bis coctus.
Reliqui cibi condiantur salviã, majo-
ranã, roremarino, pipere, caryophyl-
lis, cinamomo, nuce moschatã. Car-
nes asq̄ potius sint, quàm elixæ. Potus
sit parcius. Vinum post corporis pur-
gationem conceditur, sed parcè. Cō-
modissimus potus est hydromel me-
dicatum salviã, hyssopo, roremarino
&c. Corporis exercitatio sit paulò ve-
hemen-

hemētior, jejuno stomacho, & excre-
mētis prius depositis. Somnus mode-
rator, parcior potiùs, q̄ nimius, qui
horas 7. non excedat; nocturnus, non
diurnus: nec ineatur, nisi duabus à
cœna horis exactis; ante quem levis
deambulatio utilis. Decubitus in so-
mno sit in alterutrum latus, non supi-
nus. Dormiatq; æger capite elato &
tecto.

Post somnum, antequam æger è le-
cto surgat, pedes, crura, & brachia di-
ligenter fricentur, qua frictione & ca-
lor naturalis excitatur, & sit à capite
aversio. Venus vitetur, vel sit parcissi-
ma; quæ immoderata mirum in mo-
dum capiti noxia est. Animi affectus,
qui spiritus agitare, & turbidiores red-
dere possunt, vitandi, & maximè mœ-
ror, & tristitia; quæ caput frigidius
reddunt, & debilitant. In multam no-
ctem non lucubrandum. Alvus sit la-
xa, & nisi respondeat, sollicitetur sub-
inde pilula una atq; altera ex aloe an-
te cibum assumpta, aut terebinthina
Cypriâ avellana magnitudine eodem
tempore deglutita, ut primæ viæ mû-
dentur, & vapores ad caput tendentes
revellantur. Commodæ sunt in hunc
usum hæc pilulæ:

R̄. Terebinth. Cypr. vel Venetæ Unc. ℥.
aloes rosat Drach. iij.
agarich. trochisc. Drach. jss.
Piant Pilulæ mediocres.

QUÆSTIO.

*An odorata in hoc affectu con-
veniant?*

De aromatum & aliarum rerum be-
ne olentium ad olfaciendum usu alij

aliter sentiunt. Quidam ea admittunt,
quod caput exsiccet; quidam impro-
bant, quod vaporibus & exhalationi-
bus caput repleant. Mesucs, ut hanc
controversiam dirimat, dicit, immo-
deratum usum aromatû cerebro noc-
ere, moderatum verò prodesse; quia
siccet. Malim tamen dicere, odoratas
res, quæ moderatum odorem spirant,
prodesse; quod cerebrum siccant, &
spiritus animales recreant; quæ verò
vehementem odorem spirant, nocere;
quia caput repleant, & humores sæpe
fundant. Ita ambreg odor frequens ca-
piti nō nocet, sed plurimum prodest;
moschi non item, quia vehementior.

Exempla hujus intemperiei sunt
apud Montanum, *Consil.* 31. Solenan-
drum, *sect. 1. consil.* 2. Forestum, *lib. 9. ob-
serv.* 2. 7. 19. Zechium, *consil.* 12. 72.

CAPUT XI.

De Intemperie Capitis cum Humore Seroso.

ET si nō levis pituitæ & humoris se-
rosi sit cognatio; tamen nō planè *Intemperies*
ejusdem naturæ esse, vel ex ijs, quæ de *capitis* cū
naturâ serosi humoris in *Instit. libr. 2. seroso.*
part. 2. c. 7. dicta sunt, patet. Pituita e-
nim plerumq; crassior est; serum verò
tenuè & aquosum. Non tamen serum
pura pura aqua est, quod vult Carolus
Piso, qui puram putam aquam, seu a-
queam humiditatem, sive cum cibo &
potu ingestam, sive partem chyli a-
queam serum esse dicit, idq; ab ichore
discernit; qui scilicet sit cujusque hu-
moris pars fluxa, ejusdem coloris &
naturæ cum proprijs humoribus.

Quoniam autem autores quâdoque has voces discernunt, ut Ichor vel sanguis crudus, vel imperfectus sit, vel tenuior pars massæ sanguineæ corrumpat & colliquatæ; ὀρρῶν, verò, seu serum, ὀρρῶν τῆς τοφῆς; tamen duo hæc vocabula sæpè sunt synonyma, ut ostendit Dn. Caspar Hofmannus, in *collectaneis de Ichoribus, num. 12 & 13.*

Duo autem seri seu ichorosæ materiæ sunt genera: Vnum mite, quod est sanguinis pars aquea eum diluens, vel aquea humiditas cibo & potui admixta; alterum acre & salum, quod suam acrimoniam ex colliquis seu corruptis, seu quacumq; de causa falsis & acris. acquirat. Serum enim quod pura aqua sit, in corpore vix reperitur, sed quod ipse Piso, in *prefatione* fateatur, dum per vasa decurrit, ex ijs ichoribus, qui in sanguine redūdant, partem aliquam secum transportat, quocumq; fertur. Neq; etiam, ut pituita, in corporibus pituitosis tantum reperitur serum copiosius; sed in ijs precipuè, qui corpore sunt graciliore, & ad caliditatem & siccitatem vergunt, & sanguinem æstuosum atq; atrescentem habent. Atque si quis ea, quæ in nonnullis morbis accidunt, diligenter perpendat, in nullam aliã causam, quam humorem serosum, referri posse animadvertet. Affectus enim illi sæpè fugaces & momentanei sunt, ac facili de causâ recurrunt; quod neq; ex pituitoso, neque ex alio humore accidere potest, neq; aliorum humorum signatum adsunt. Vnicum verò serum ejus est naturæ, ut ubicunque in corpore redundat, faciliè hinc illic mo-

veatur, ab alieno calore effervescat & ebulliat, ac fervens atque agitatum in varias partes feratur, easque afficiat; faciliè tamen etiam discutiat & evanescat.

Vt autem in aliis partibus variorum malorum sæpè est causa humor iste serosus: ita in capite quâdoq; plura mala excitat; de qua re inter recentiores diligentius monuit Carolus Piso, in *lib. de morbis à colluvie serosa.* Cum enim *Seri in capite colle-* ad caput venæ & arteriæ plures tenentur, & per id disseminentur, ac in *tionis-* *caussa.* prius cum spiritu vitali, qui unâ cū sanguine arterioso ad caput, ad spiritum animale generandum, mittitur plurimus, etiam serum multum, quo sanguis arteriosus abūdat, ad caput mittatur, & sanguis quidem in nutrimentum capitis absumatur, serum verò ad illud ineptum sit, neq; etiam per vasa, per quæ ascendit, recurrere, neq; per partis calorem debilem transpirare insensibiliter possit, neq; ob cranii densitatem exsudare sensibiliter; vel in capite cumulat, vel pondere suo dorsum secundum ductum membranarum & nervorum descendit; unde & in capite & partibus capiti subjectis, & cum eo consentientibus, variorum affectuum causa est; doloris capitis, dentium, aurium, & aliarum partium, & præcipuè vagorum illorum in externis partibus, scapulis, dorso, thorace, brachiis, cruribus; epilepsiæ, convulsiviorum motuum, paralysis, tussis, thoracis doloris, & similia.

Causæ.

Non generatur autem serum in capite,

Seri generatio.

pite, sed præcipuè in secundæ concoctionis instrumentis, ac in primis vitio lienis in toto corpore cumulat; de quo alibi dictum, atq; inde ad caput fertur, ibiq; cumulat. Et quod major ferosi hujus humoris in toto est abundantia: eò facilius ad caput convertitur. Colligitur autem in toto vel ob nutrimentum tali humiditate abundans, vel densatis in toto habitu corporis, ut & in capite, poris cutis, ab aere frigidior, aut alia de causa, retentoque sudore; vel vitio lienis, ut jam dictum. Corrivatur autem ad caput serum, vel sensim, dum cum ipso sanguine, qui nutrimenti gratia attrahitur, & præcipuè cum arterioso, affluit, & copiosè ad caput fertur, si accedat epatis caliditas, venenosumq; genus sit amplius; vel confertim ad caput movetur ob causas, quæ fervorem in sanguine excitare possunt, & faciunt, ut tenuior & serosior sanguinis pars sursum feratur; quod fit, quâdo corpus motu, calore febrili, animi affectu, aëris æstu, vel alia de causa incalcescit; unde quoque accidere solet, ut plerumq; cum catharris & morbis à motu ferosi humoris ortum habentibus febricula conjungatur, ex agitatione & fervore feri in arterijs proveniens. Facit huc multum etiam Luna, quæ secundum *φύσιν* suas humores in corpore movere solet; præcipuè verò movent serum radij Lunares, si nudo capite excipiatur. Atq; hinc accidit, ut perturbationes & commotiones ferosi humoris, cum in toto corporis habitu, tum in capite præcipuè evenientes, instatium Lunæ *φύσεως* & mutationum tempe-

statum mox futurarum sint prænunciæ.

Signa Diagnostica.

Dolor qui inde oritur plerumque non est admodum acris aut pungens, sed gravis potius, cum tensione. Interdum tamen accidit, ut acerbissimi dolores in brachijs & cruribus ab humore seroso excitentur: ubi scilicet ille acris, ac prævæ qualitatis est particeps. Mala, quæ ab hoc humore oriuntur, non sunt continua, & sæpè locum mutant. Vapor enim & humor hic quoque versum variè moveri & impelli possunt. Vaporem tamen à sero discernere non ita difficile est. Urina plerumque est paucior, nec sudores matutini fluunt. Ea etiam, quæ de causis modò tradita sunt, in notitiam hujus humoris deducere possunt.

Indicationes.

Humor serosus è toto corpore & capite evacuandus, à capite avertendus & repellendus, intemperies adjuncta corrigenda, & partis, quæ eum generat, intemperies emendanda.

Curatio.

Primò autem evacuatio ejus per alvum instituenda est: ad quam (modò vix sint apertæ) nulla præparatio-
Evacuatio humoris serosi.
 ne opus est; cum serum per se satis fluidum sit. Ideoq; exhibenda medicamenta serosos & aquosos humores educuntia; qualia sunt manna, sirupus & mel rosarum solutivum, sirupus de spina cervina, mechoacanna, agaricus, semen carthami, ebuli, gummi gotte,

extract. esulæ, cortic. ebuli, sambuci,
flor. persicorum, prunor. sylvestrium,
folia senæ; quibus quoque rhabarbarum
& diagyridium addi possunt, quæ
bilem, feri stimulum & vehiculum, expurgant.

Ut *R. Polypod. quern.* Unc. *ß.*

cuscuta,

betonica,

summitat. lupuli,

hyssopi, an. P. ij.

fol. senæ elect. Unc. ß.

sem. carthami contusi Drach. iij.

rhabarb. Scrup. j.

passularum Unc. ß.

Coquantur in aq. simpl.

In Colat. Unc. iij. dissolve *manna*
Unc. *ß.*

Iterum coletur.

Adde *sirup. rosar. solutivi, vel de spina*
cervina, Unc. ß.

F. Haustus.

Vel fiat talis Sirupus:

R. Radic. pæonia,

ireos Florentina, an. Unc. ß.

mercurialis,

cuscuta,

capillor. Veneris,

betonic.

summitat. lupuli,

flor. sambuci, an. M. ß.

sem. ebuli,

carthami contusi, an.

Drach. vj.

fol. senæ elect. Unc. iij.

sem. fenicul. Drach. ij.

flor. bugloss.

anthoüs, an. P. ij.

Coquantur in aq. vel hydromelite.

Colaturæ *R. ß. j.*

Infundantur in ea *agarici* Unc. *ß.*

mechoacanne Drach. iij.

Zingiber.

galanga, an. Drach. j.

Iterum coletur.

Adde *sacchari* q. s.

succirosarum Unc. ij.

F. secundum artem Sirupus, de quo cochlearia tria vel quatuor manè exhibeantur.

Vel *R. Mechoacan. Scrup. ij.*

specier. diacarthami, vel diatur-
bith cum rhabarb. Scr. j.

diagyridij,

gummi gotte. an. gr. ij.

Fiat pulvis, qui sumatur in jusculo carnis, & postea superbibatur serum lactis.

Si tamen fervor aliquis sanguinis percipiatur, qui occasionem præberit, ut serum ad caput moveretur; aut sanguis copiosior sit, vel consueta evacuatio suppressa, præmissa leniente medicamento venę sectio primùm instituenda, quæ fervorem sanguinis sistit, ejusq; copiam imminuit; cum magna serosi humoris copia sæpè cum sanguine educi soleat.

His peractis reliqua serosi humoris copia per urinas & sudores evacuanda. Eligenda autè hic ex diureticis ea, quæ leni profunt, ejusq; obstructions aperiunt, & intemperiem calidam non augent, sed potius corrigunt.

In primis verò utilia sunt sudorifica. *Sudores in* ra, sudoresq; certissimum sunt & pro *morbis à* phylacticum, & curativum remedium *seroso hu-* doloris capitis, & aliorum morborum, *more uti-* qui à seroso humore à capite defluen- *lissimi.* te ortum habent. Idcoq; danda opera,

ut &

ut æger sæpè manè sponte in lecto sudet, & nisi sudores sponte proveniant, medicamentis provocandi. In quibus eligendis cavendum ab ijs, quæ valde calefaciunt & siccant; cum etiam calidæ & siccæ constitutiones seroso humore abundare possint; sed temperatiora eligenda: aut si ligno Guajaci, sarsa parilla, & similibus uti libeat, cichoracea & humectantia addenda. Utile est & vinum chamædrytes, ♂ diaphoreticum.

Deinde particulares evacuationes fiant per masticatoria è mastiche & passulis, apophlegmatismos capite præcedente propositos.

Vesicantia quoque & cauteria occipiti & brachijs, vel setaceum cervici applicetur.

Pulveres Arthritici. Ad absorbendos quoque, & exsiccandos, ut & per suum Jorem & insensibilem transpirationem discutendos serosos humores, non inutiles videntur ij pulveres, (qui tamen facillè etiam in pilulas & electuaria redigi possunt) qui quidem ad arthritidem præcipuè commendantur, sed tamen ad omnes generis affectiones ab humorib, serosis ortas utiles sunt, & quidem sub nomine Cratonis, Erausti, Monavij, Dözellini, & aliorum circumferuntur, sed, ut ex consilijs Cratonis à Scholzio collectis, *Consil.* 216. patet, medicamenta sunt à veteribus excogitata, quibus arthriticos sanari posse affirmant, si per integrum annum eorum usus continuetur, ut per Januarium mensem *Scr.* ij. per quinque dies, in Februario totidem per totidem dies, in Martio & Aprili per duos dies, in Junio uno

die, in Julio duobus, in Augusto uno, in Septembri, Octobri, Decembri duobus samantur. Quanquam putarim, neminem ad dies istos ita planè adstrictum esse, sed vel uno mense per dies viginti, aut plures, prout usus postulat, usurpari posse. Cratonis descriptio hæc est.

℞. *Aristoloch. rotund.* Unc. j.
centaur. Drach. iij.
gentiana Drach. vj.
mei Drach. v.
hyperici Drach. vj.
petroselin. Macedon. Unc. ℥.
agaric. albiss. Drach. ij.
rhapontic. veri Unc. j.
 F. Pulvis.

Alia antiqua descriptio hæc est:

℞. *Rhapontic. veri* Drach. j.
agarici Drach. ij.
valerian. Drach. iij.
petroselin. Macedonic.
mei, an. Drach. v.
gentiane,
aristolochiæ rotundæ, ana
 Drach. vij.
chamædryos Drach. ix.
 F. Pulvis.

Alia: ℞. *Chamædryos,*
dictamni Cretici,
ivæ arthetica,
centaur. minor,
gentiane,
aristolochiæ rotundæ, ana
 Unc. ij.
cort. interior. juglandium ℥. j.

F. Pulvis; cujus dosis Drach. ℥. per dies triginta vel quadraginta. Eiusdem generis est diacorallium Alexandri, quod Capivacius, de *Arthrit.* omnibus

bus in arthritide curanda antepone-
dum censet.

℞. *Corallij nostri* seu *Anagallidis*
Drach. ij. (forfan Unc. ij.)
myrrha Unc. iv.
caryophyll. Unc. ℞.
rhapontici Unc. j.
folij Unc. ℞.
aristoloch. utriusq. an. unc. ij.
spice nardi Unc. iv.

F. pulvis. Exhibetur manè, hor. 6.
ante cibum, & r. p. j. per centum dies,
postea triginta dies intermittitur;
rursus centum diebus exhibetur, ite-
rum 30. dies intermittitur; hinc per
dies centum sexaginta alternis diebus
exhibetur; inde rursus tertio quoque
die: de quo plura in doctrina de Ar-
thritide dicentur.

Cuius generis & alia ad serofos
humores absumendos, & insensibi-
lem transpirationem promovendam,
parari possunt; *ex cinerib. ossium huma-*
norum, equorum, cervorum; ex cineribus
& sale milvij, eiconia, hirundinum; ex
herbis; primula veris, pilosella, ruta, salvia,
asaro, betonica, hyperico, acoro; floribus
consolida regalis, succino, ungula alcis. De
quibus plura suo loco de Arthritide:
qualia etiam habet Platerus, *tract. 2.*
pract. pag. 721. 722.

Neque omittantur caput siccantia
& roborantia supra proposita. Qui-
bus hoc addi potest:

℞. *Mastich.*
gumm. juniperi,
nuc. mosch. parum tosta. an. Scr. i.
caryophyll. subtiliter pulverisato-
rum Scrup. ℞.
ladani puri Drach. vi.

Ducatur ladanum in mortario ca-
lido, addanturque pulveres cum pau-
xillo oleo mastich. F. Massa, quæ ex-
tendatur supra alutam, tegatur sindo-
ne rubra. F. Emplastrum vertici im-
ponendum.

Pila quoque è succino si manibus
gestetur & versetur, ut incalescat, ac
subinde naribus admoveatur, sine of-
fensione excrementitios humores in
capite absunit, idque roborat.

Dieta.

Victus ratio sit sicca, aer siccus &
calidus moderatè, & cibi tales, qui mi-
nimum aquosi & serofi humoris sup-
peditant. Cum autem, ut in *Inst. loc.*
allegato, dictum, serofus humor parti-
bus duabus constet; una aquea, altera
falsa: quando dicitur ebum siccū esse
debere, non tale alimentum intelligē-
dum, quod sicca & terræ naturæ sit;
quales sunt carnes sale & fumo indu-
ratae, pisces sale conditi, & quæ terre-
stem succū generat; (hec n. potius au-
gent falsedinē serofi humoris, quàm
minuunt) sed hic eum substantiæ mo-
dum intelligimus, & tale alimentum,
quod non multum aquosi humoris,
nec falsi, suppeditat, ideoque bonum
& utilem succum præbet; quales sunt
carnes, tum quadrupedum animaliū,
tum avium plerarumque; ut carnes
gallinæ, hædinæ, vitulinæ, perdi-
cum, & similes, quæ & bonum alimē-
tum præbent, & viscerum, præcipuè
lienis, fervorem & siccitatem corri-
gere possunt: imò hac ipsa de causa
juscūla, præcipuè carniū, non re-
jicienda, moderatè sumpta; cum sub-
stan-

stantiam alimentorum multam participant. De liquidis verò alijs non plus fumendum, quàm distributio alimèti in totum corpus, & correctio caloris & siccitatis in viscerib, præsertim lie- ne, feri plus, quàm par est, ad se trahē- te, postulat. A fructibus horarijs, pru- nis, pyris, pomis, & similib, abstinē- dum; cum serosam humiditatem au- geant. Passulæ verò utiles sunt. Vino etiam parcè utendum, ejusq; nō plus, quàm cibi concoctio & distributio requirit, bibēdum. Et si enī spiritum ardentem in se contineat: tamen is paucus est, maxima verò pars aquea; & præterea vinum serosos humores secum ad caput rapit, atq; illis, qui jam in capite hærent, fervorem inducit, eosq; commovet. Alvus aperta serve- tur, & nisi sponte officium faciat, arte laxetur. Animi motus vehementes, & meditationes atq; animi intentiones nimix vitentur; cum unà cum spiri- tibus sanguinem arteriosum, & cum eo ferum, ad caput rapiant, naturaq; me- ditationibus & cogitationib, intenta excremēta minus rectè expellat. Uti- lis verò est corporis exercitatio jeju- no corpore facta, quæ serosos humo- res discutit, vel sensibilib, sudoris forma, vel insensibilib, per ἀδηνον Ἀγπνοῖν. Vestib, ita corpus tegatur & muniatur, ut pori cutis aperti serven- tur, ijsq; patentib, vel sudor erumpat, vel vapores liberè transpirent. Qua de causa etiã corpus noctu plumeis cul- citris probè tegatur, ut sub somni finē manè sudor erumpat, quem ad præ- servandum à morbis à serosis humori- bus ortis, optimum prophylacticum

L. I.

supra diximus, ipsa astipulante expe- rientia. Venus vitetur.

CAPUT XII.

*De Intemperie capitis cum hu- more Melancholico.**Causæ.*

Intemperies, quæ cum hoc humore *Intempe-* conjungitur, est frigida & sicca. Quæ *ries capitis* autem humoris melancholici causæ *cum Me-* sint, Instit. lib. 2. part. 2. c. 6. dictum, quæ *lancho- lia.* omnes hîc locum habent: præcipuè verò in capite ipsam cumulant, & ad id trahunt, mœror, tristitia, animi sol- llicitudo, curæ, meditationes nimix, vigiliæ immoderata, medicamenta desiccantia nimium capiti adhibita.

Signa Diagnostica.

Gravitatis sensus est cum vigilijs & visis in somno tristibus, pavores sine causa; cogitationes sunt assidua, sæpè etiam deliria cum timore & mœstitia. Punctiones quasi circa oculos; facies est macilenta & horrida, maximè si humor melancholicus ad atram bilem vergat; color faciei est lividus & plum- beus: nonnunquam accidit repentina motus amissio, in qua ægri oculis a- pertis fixo obtutu res aspiciunt, ac li- cet taceant, ferè omnia animadvertūt, quæ circa ipsos fiunt; excrementa ferè nulla ejiciuntur è capite. Molestia, quæ percipitur, magis est in parte sini- stra, & sentitur illa magis horâ, quàm melancholia moveri solet; scil. ab ho- ra nonâ diei usq; ad tertiã noctis. Cum quibus si ægri temperamentum, ætas,

O

vitæ

vitz ratio, præcedens, tempus anni autumnale, & causa aliâ melancholiam generantes prægressâ consentierint, certius de hac intemperie iudicium habetur. Utilitatem adferunt quæ melancholiam evacuant, temperant, & à capite avertunt. Nocent quæ humorem hunc generant & augment.

Prognostica.

1. Longus & curatu difficilis hic morbus est, sicut omnis affectus melancholicus; præcipuè si diuturnitate temporis radices egerit: circa initia verò curatu facilior est. Ideo quæ circa initia curatio ejus non negligenda, sed maturè medicamenta adhibenda.

2. Faciliùs quoque curatur hæc intemperies cerebro per consensum laborante, quàm si per se afficiatur: modò affectus primarius, à quo dependet, sit curabilis.

3. Malum à suppressâ aliqua evacuatione profectum, reductâ illâ non ita difficulter tollitur.

Indicationes.

Melancholicus humor præparandus & evacuandus est, & si ad caput moveatur, revellendus. Intemperies frigida & sicca corrigenda, & ne humor melancholicus iterum generetur, præcavendum.

Curatio.

Itaq; si cerebrum primariò afficiatur, nihil opus est, quantum ad ipsam rationem affectus attinet, sanguinis detractione: quod si aliquando mittendus sanguis, aliqua aliâ ratione

mittendus est, ut Galenus, 3. de loc. aff. 6.7. scribit. Quæ autem illa sit, docet Aëtius ex Posidonio; si scilicet sanguis multus sit in toto, aut aliqua evacuatio consueta suppressa fuerit. Quapropter si plenitudinis cujusdam signa affuerint, & cætera consentiant, primæ viæ primùm evacuentur.

Paretur ergo & injiciatur talis clyster:

℞. Rad. althææ,

polypod. quern. an. Unc. ℞.

malvæ,

althææ,

mercurial. an. M. j.

betonica,

majoran. an. M. ℞.

fol. senæ elect. Unc. ℞.

Coqu. in aq. simpl. vel jure carnis.
Colat. ℞. ℞. j.

castia pro clysteribus Unc. j.

elect. diacathol. Unc. ℞.

mellis anthosati Unc. j.

olei chamamel. Unc. iij.

salis Drach. ℞.

℞. Clyster.

Vel exhibeatur hic Bolus:

℞. Castia recens extract. Drach. vj.

elect. diacathol. Drach. iij.

confect. Hamech. Drach. ℞.

Cum saccharo fiat Bolus. Vel dissolvatur in seri lactis Unc. iij.

℞. Haustus.

Vel purgentur primæ viæ cassiâ, sirup. rosar. vel violar. solutiv. elect. lenitivo, diacathol. fol. senæ, vel decocto fol. senæ, secundum Augustanos.

Vel ℞. Melis.

flor. borrag.

bugloss. an. P. ij.

passul. Unc. β.

fol. senæ elect. Drach. vj.

galange Drach. β.

Infundantur per noctem in f. q. aq.

Colat. Unc. iij. β. In quibus dissolve
manna Unc. β.

Iterum coletur.

Adde sirup. violar. vel ros. solutiv. Unc. j.
Miscæ.

Imò etiamsi venæ sectione opus
non sit; tamen à primarum viarum e-
jusmodi evacuatione curam inchoare
necessarium est.

Hinc, si opus, aperiatur cephalica
sinistri brachij, & sanguis ad Unc. iij.
vel plures, educatur, præsertim si niger
ille fluxerit; alioquin, si lucidus & pu-
rus, vena citò constringatur, ut Gale-
nus jubet, 3. de loc. aff. cap. 1. Quia autem
sanguis melancholicus crassior esse
solet, frictio vel corporis exercitatio,
vel brachij aquâ tepidâ fomentatio,
ut attenuetur, præmittenda, & vulnus
latius infligendum.

Si verò menses vel hæmorrhoides
suppressæ sint, vena in talo aperiatur.
Postea humor præparetur, & purge-
tur medicamentis convenientibus:
ita ut attenuantibus semper addantur
humectantia; cum humor melanco-
licus per se sit siccus & terrestris.

*Humorem melanco-
licum in capite præ-
parantia.* Præparant humorem melanco-
licum medicamenta, quæ humectant
& calefaciunt, eumq; liquant, atque
attenuant, sed non siccant admodum,
aliquot diebus continuanda: & maxi-
mè victus talis.

Radic. Buglossi, borraginis, fœniculi,
flic. polypod. gramin. cappar. helenij, gly-
cyrrhizæ, scorzoneræ.

Folia; Melissa, lupuli, scolopendr. cu-
scuta, rorismar.

Flor. Borrag. bugloss. stæchad. Arabis.
violar. rorismar.

Cortices citri.

Serum caprinum.

Unde fiunt. Sirupus de melissa, de bor-
ragine, de lupulis, de buglossa, tunicis, de
thymo, de corticib. citri, de pomis.

Conservæ; Bugloss. borragin. meliss.
malva.

Condita; Cortic. citri, caro citri.

Confectio; Alchermes, de hyacyn-
tho.

Vel Rad. fœnicul.

polypod. querni, an. Unc. j.

glycyrrhizæ Unc. β.

bugloss.

cort. rad. cappar. an. Drach. ij.

melisse,

betonica,

summitat. lupuli, an. Mij.

flor. borrag.

bugloss.

stæchad. Arabis. an. P. j.

sem. fœniculi,

citri,

ocyni, an. Drach. j.

passul. exacinar. Unc. j.

Coquantur in aq. simpl.

Colat. R. lb. j. Unc. ij.

Dulcorentur saccharo pro quatuor
dosibus.

Vel addantur sir. de pomis & de borra-
gine, an. Unc. ij.

Vel Rad. fœnicul.

asparag.

polypod. quern.

glycyrrh. an. Unc. β.

capill. ♀

rhyimi, an. M. j.*rorismar*. M. ℞.*flor. borrag.**bugloss.* an. M. j.*violar.**stæchad.* Arab. an. M. ℞.*santalor. citrinor.**cortic. citri*, an. Drach. j.*passular. minor.* Unc. i.

Coqu. in aq. f. Colentur, & cum saccharo

F. Sirupus, cujus Unc. ij. dentur cum sero lactis caprini.

Vel Colaturæ clarificatæ dentur Unc. iv. cum sirupi de pomis Unc. j. ℞. pro dosi.

Vel ℞. Rad. borrag.

*fœnicul.**cichorei,**cortic. rad. cappar.* an. Drach. ij.*radic. asari* Drach. i.*fol. meliss.**serpill.**majoran.**betonica,**chamedryos,**pulegii*, an. M. ℞.*flor. stæchad. Arabic.**schœnanth.* an. P. j.*fol. sene,**epithymi*, an. Drach. iij.*sem. anisi,**fœnicul.**cortic. citri*, an. Scrup. i.*flor. cordial.* an. P. ij.*passul. major. exacinar.* Unc. j.

Affundantur aq. ℞. iv. & coquantur in vase duplici clauso in aqua. Colaturæ adde succ. fumar. pomor. borrag. rosar. an. Unc. vj. sacch. albi ℞. j. ℞.

F. l. a. potio, de qua sumat æger manè & vesperi Unc. iv.

Purgant. *fol. sene, polypod. quern. e-*
pithym. myrobolani Ind. elleborus niger &
albus; lapis Armenus & Lazuli, de quibus videatur in Institutionibus, lib. 5. part. I. sect. i. c. II. Et cum, ut ibi dictum, Alexand. Trallianus lapidem Armenum elleboro albo præferat, auctoritate Tralliani confisus Guainerius sepius eodem usus, & diversimodè quidè, ac nunquam optato sine frustratus est, ut scribit tract. 15. cap. 6. pulverèq; quem mox subjiciam, inde parat; *electuarium diacathol. dia sene, confect. Hammech, pil. de fumar. de quinq. generibus myrobolan. Indæ, de lapide Lazuli, extractum helleboxi nigri, antimonium.*

In quorum usu observandum, ne in principio fortiora exhibeantur, ne humorem agitent, & per se pertinacem contumaciorem reddant; fortioribusq; semper blanda & leniora quædam, & humectantia admiscenda. Ideoq; medicamenta in forma liquida commodiora sunt. Et omittenda quoque sunt omnia siccantia, ut aloë, hiera, pilulæq; raro usurpandæ.

Ut ℞. Rad. fœnicul.

polypod. quern. an. Unc. ℞.*betonic.**melissæ,**capill. Veneris*, an. M. j.*ceterach.**flor. borrag.**bugloss.* an. M. ℞.*sem. anisi,**fœnicul.* an. Drach. j.*fol. sene elect.* Drach. x.*helle-*Evacuatiæ
melancholiam è capite affecto.

hellebori nigri præp. Drach. j.ß.

epithymi Drach. ij.

passul. major. enucleat. Unc. j.

glycyrrhiz. Unc. ß.

Coq. in s. q. feri lactis.

Colaturæ R. ß. j.

sirup. è stæchade simpl.

violarum solutivi,

de pomis, an. Unc. j.

Misce pro tribus dosibus.

Vel R. *Fol. senæ elect.* Unc. ß.

polypod. querni,

epithymi,

rad. gialapæ, an. Drach. j.

cremor. tartari Drach. ij.

diagrydij Scrup. j.

sem. anisi,

faenicul.

spicæ,

caryophylli.

macis, an. Scrup. ß.

Dosis Drach. j. Si libet, potest
addi saccharum.

Vel R. *Fol. senæ mundat.* Unc. j.

cremor. tartari Unc. ß.

cinamomi Drach. ii.

caryophylli.

diagryd. an. Drach. ß.

F. Pulvis. Dosis Drach. j.

Pulvis Guainerij:

R. *Lapid. Armeni* Scrup. ij.

croci Scrup. ß.

macis Scrup. j.

F. Pulvis.

Alij de lapide Lazuli talem parant:

R. *Lap. Lazuli sapius loti* Scrup. ij.

epithymi Scrup. j.

croci Scrup. ß.

sacchar. Drach. j.

F. Pulvis.

Vel R. *Elect. diacathoi.* Unc. ß.

diapena Drach. ij.

confect. Hamech. Drach. j.

Cum saccharo F. Bolus.

In morbi progressu hæc Pilulæ exhiberi possunt:

R. *Pil. Indarum* Scrup. ij.

cochiar. Scrup. j.

extract. hellebori nigri gr. vj.

Cum aq. mel. ss. F. Pilulæ xxiv.

Et quia humor hic pertinax est, & semel nunquam planè evacuatur, præparantia & purgantia repetere & continuare opus est.

Inter omnes sirupos hic primas tenere sirupum de pomis compositum, descriptum à Mesue, *cap. de soda frigida à melancholia*, scribit Rondeletius, *methód. curandor. morbor. capit. 9.* ut qui non solum concoquit, sed & educit humorem melancholicum ac pituitosum, idque sine noxa ventriculi & aliarum partium.

Paratur autem hoc modo:

R. *Capillor. Veneris,*

radicum buglossæ domestica & syl-
vestr.

florum bugloss.

polypodij,

epithymi, an. Unc. j.

folior. senæ,

chamemel.

stæchad. an. Drach. vij.

chamadryos,

schænanthi,

hellebori nigri, an. Drach. ij.

fumi terra Drach. vij.

eupatorij Drach. iv.

succi pomorum dulc. Drach. viij.

Omnia præter epithimum & suc-

cum pomorum, bulliant in ℥. iij. aqua usq; ad ℥. ij.

Deinde bulliat in ijs ebullitione una epithimum, & coletur, & cum succo pomorum ℥. ij. sacch. q. s.

Fiat Sirupus.

Non tamen usurpari debet in principio, sed in progressu morbi, & præcedentetotius capitis universali purgatione.

Jacchinus decoctio hellebori nigri utitur, hoc modo parato:

℞. Cortic. helleb. nigri Unc. ℞.

Contusi leniter infundantur in ℥. ij. aqua horis vj. Postea adde

cinamomi,

fem. dauci,

epithymi an. Drach. j.

passular. Unc. ℞.

flor. buglossi. M. j.

Coqu. ad dimidia partis consumptionem, dulcorentur saccharo, propinentur pro duabus dosibus.

Post universales istas corporis evacuationes particulares evacuationes per errhina & gargarismos supra propositos instituendæ; quibus hic polypodium, thymum, epithimum, elleborum addere commodum est.

Si morbus sit pertinax, & æger sanguine simul abundet, etiam frontis vel narium venas aperire utile est.

Per insensibilem etiam transpirationem discutienda materia: medicamentis verò, quæ hoc præstant, semper admiscenda humectantia. Utendum nimirum oleo irino, anethino, lilior. albor. amygdal. dulc. chamæmelino, unguento alabastrino; vel lotionem ex decocto florum chamæmeli, borraginis, ro-

sarum, flor. stæchad. Arab. fol. betonica, melisse, sem. anethi, fol. sena adjectis.

Decoctum hoc Embrochæ modo per plures dies capiti instillare commodum est;

℞. Folior. malvæ,

althææ,

buglossi.

Summ. aneth. an. M. ij.

fl. chamæm.

viol. an. M. j.

sambuci P. j.

capit. papav. num. vj.

Coquantur in aqua ℥. xxj.

Si humor melancholicus ab inferioribus præcipuè liene & hypochondrijs, communicetur, frictions & alia revulsionis media non omittenda; de quo plura dicentur suo loco de melancholia hypochondriaca.

Peracta purgatione, imò dum adhuc peragitur, exhibenda, quæ caput & cor alterant, roborant, & simul exhilarant: ex conservis; borraginis; buglossi, violarum, melissæ, anthous, cort. triconditis, radic. condit. helenij, quod Rondeletius, in meth. curand. morbor. cap. 9. miram vim & proprietatem ad hilaritatem & gaudium excitandum habere, & à nonnullis pro secreto haberi scribit; confect. alchermes, de hyacintho, elect. de gemmis, latificante Rhafis & Galeni, dianthous, diamofchi dulcis, item lapid. Bezoar, adversus omnes melancholicos morbos valde utili, corallius, margaritis.

Ut ℞. Conserv. buglossi.

borraginis, an. Unc. j.

rosarum Unc. ℞.

margarit. prap. Drach. ℞.

hyacinthi,

sapphiri,

smaragdi,

corallij utriusq; an. Scrup. ℞.

cinamomi,

macis,

galangæ,

nuc. moschat. an. Scrup. j.

caryophyll.

eubebar.

ligni aloes;

styrac. calamitæ,

sem. Basilici, an. Scrup. ℞.

croci Scrup. j.

moschi,

ambra, an gr. iv.

carnis uvar. passar. Unc. ij.

aq. rosarum moschata Unc. j.

sacchari q. s.

F. Electuarium.

De quo mane sumat Drach. iij. cum

aquæ buglossi. Unc. iij.

Vel ℞. Conserv. buglossi.

borragin.

melisse, an. Unc. ij.

anthous,

violarum, an. Unc. ℞.

cort. citri condit. Drach. iij.

specier. diamoschi dulcis,

letitia Galen. an. Scr. j.

confect. alchermes Drach. ℞.

Cum Sirupo tunicis.

F. Electuarium.

℞. Conserv. buglossi.

violar.

rosar. an. Unc. ℞.

tunicis Unc. j.

specier. diantbos,

diambri.

diamarg. frig. an. Drach. ℞.

Cum sirupo de pomis & corticib. citri

F. Electuarium.

Utile est & semel in septimana su-

mere Drach. ℞. vel Scrup. ij. Mithrida-

tij, cum Unc. ℞. conserv. flor. borra-

gin. vel buglossi.

Vel ℞. Conserv. buglossi.

violar. an. Unc. ℞.

meliss.

cortic. citri conditorum, an. Unc. ℞.

specier. diambri.

diamosch. dulc.

diamargarit. frigid. ana

Drach. ℞.

lapid. Bezoar. Scrup. ℞.

Cum sirupo de pomis.

Fiat Electuarium.

Vel ℞. Conserv. buglossi.

meliss.

violar. an. Unc. ij.

cortic. citri conditor. Unc. j.

specier. diambri.

diamosch. dulc.

diamargarit. calid. ana

Drach. ℞.

confect. alchermes Drach. ℞.

lapid. Bezoar. Scrup. j.

Cum sirupo de pomis.

F. Electuarium.

Dieta.

Aër ad calidum & humidum veri-

gat, sit lucidus, non tenebricosus, non

foetidus, sed suaveolens. Vitus ratio

instituatür ita, ut præter caliditatem

magis inclinè ad humidum: cibusq;

talis sit, ut bonum sanguinem suppe-

ditet.

dicit. Sæpè enim, præcipuè si malum recens sit, solâ victus ratione bonâ, quâ probus, tenuis & clarus sanguis, qui omnem humorum malitiam corrigit, gignitur, & corporis humectatione malum hoc curatur. Ad bonum sanguinem gignendum faciunt panis ex bono frumento, bene coctus, ova recentia, carnes animalium juvenum, præsertim pullorum gallinaceorum, hædorum; vinum bonum, & similia. Convenit & ptisana hordeacea. Ex oleribus conveniunt malva, buglossa, borrago. Ex fructibus, uvæ & mala dulcia, uvæ passæ. Vitet æger omnem cibum, qui succo melancholico materiam præbet, qualia sunt legumina, porrum, cæpe, caules & similia, quæ Galenus, 3. *de loc. affect. c. 9.* recensuit. Cibi quantitas etiam moderata sit, nec abstinencia se maceret æger. Vinum tenue bibat, conditum melissâ, flor. bugloss. borrag. cort. citri. Motus & exercitia corporis sint moderata, & quæ ad excrementa discutienda sufficiant, non verò corpus resolvant & exsiccent: animus à mœrore abducatur, & omnibus, quantum fieri potest, modis ad lætitiâ componatur. Somnus sit longior, omnique modo provocandus; cum in eo maxima curationis spes sit, utpote qui cerebrum maximè humectat: vigiliæ verò nimix sunt interdiciendæ. Balneum aquæ dulcis in hac intemperie utile est. Omnia, quæ metum & tristitiam conciliare possunt, vitentur. Animus contrâ, quibus potest modis, ad hilaritatem componatur.

QUÆSTIO.

*An acetum melancholicis
utile sit?*

Donatus Antonius ab Alto Mari, *de medend. corp. human. morb. capit. 7.* ex Aëtio & Paulo Ægineta, qui hoc ipsû è Posidonio mutuati sunt, extollit acetum acerrimi sorbitione post omnem cibum, ubi jam dormire velit eger; vel quod attenuet, succumq; melancholicum discutiât, vel quod sumptorum ciborum vapores humidos confestim ad caput deferat, somnumq; propterea conciliet: tantorumq; virorum, si ve his, sive alijs rationibus moti fuerint, consilium sequendum censet. Verum majoris ponderis nobis sit Hippocratis & Galeni autoritas, ratione & experientiâ munita, qui in affectibus melancholicis acetum usum improbant. Hippocrates, 3. *de ratione victus in acut. text. 38.* scribit: Nigra ab aceto fermentantur, attolluntur & multiplicantur, & exaltat nigra acetum; & Galenus, *ibid.* acetum melancholicis adversissimum esse dicit. Quæ de re etiam diximus *de Febr. lib. 2. c. 20.* vid. etiam *infra, part. 2. c. 8.*

CAPUT XIII.

*De Intemperie Capitis cum
Bile Atra.*

Causæ.

Bilem atram è sanguine, bile flava, *Intemperies*
vel humore melancholico adustis *capitis cū*
provenire, *Institut. lib. 2. part. 2. cap. 6. atra bile.*
dictum,

dictum. Eadem causæ & hic locum habent. Causæque, quæ sanguinem, vel bilem, vel melancholiam, seu in capite, seu in hypochondrijs, seu in toto adurunt, ubi ille humor adustus capiti comunicatur, intemperiei calidæ & siccæ cum materiâ, quæ est atrabilis, causa esse possunt. Unde malum hoc (quæ remotiores causæ sunt) sæpè in calefcenti melancholia succedit, & ira, mœstitia, nimia animi intentio, ac studia, sollicitudo, vigiliæ, præcedentes capitis dispositiones calidæ, inflammatioq; vini potentis nimius usus, medicamenta immoderate calefacientia, intemperiem hanc producere possunt. Præcipuè verò in biliosis, extenuatis, & ijs, qui epate ac corde calido & sicco præditi sunt: obesi verò & pituitosi ad hunc morbum minus sunt dispositi.

Signa Diagnostica.

Adest dormiendi impotentia, & vigiliæ pertinacissimæ; sæpè etiam accedit delirium. Pro humorum tamen, è quib. atra bilis gignitur, diversitate hic etiam est quædam differētia. Nam si ex sanguine adusto bilis atra sit generata, hilariores non nihil sunt, & ad risum proclives, ac præcesserunt signa sanguinis abundantis. Si ex bile flava profecta sit, ferinum est deliriū, cum iracundia & temeritate, ac quod Hippocrates, 6. aphor. 23. *μετὰ ἀρεδνῆς* appellat, audaces sunt & violenti. Si ab humore melancholico sit atra bilis, mœsti sunt & taciturni, & cum per intervalla loqui incipiunt, garruli sunt, neq; loquendi finem faciunt. Omni-

bus tamen ferè hoc commune est, ut aspectus sit horridior & truculentior; de quo suo loco de Mania plura.

Prognostica.

1. Curatu difficile hoc malum est, & tempus ad curationem satis longum requiritur. Cum enim cerebrum naturâ sit frigidum & humidum, longè à naturali sua constitutione recessit, & valentiora medicamenta, ac longius tempus, ut ad pristinum statum reducatur, postulat.

2. Facilior curatu est in juvenibus, ac mediæ ætatis hominibus: difficilis verò in senibus.

3. Melancholicis & nephriticis hæmorrhoides superveniētes bono sūt.

Indicationes.

Intemperies hæc calida & sicca refrigeranda & humectanda est. Materia ipsa eodem modo alteranda, temperanda, attenuanda & evacuanda est, ejusq; generatio inhibenda. Et quidem si humor ater proveniat à bile flava exusta, calidior est, & magis refrigerantibus indiget: si verò ab humore melancholico, minus calidus est, minusque refrigerantia requirit; uterq; tamen humida postulat. Qui autè à sanguine exusto est, mediocrem conditionem obtinet. Et si in toto, vel partibus inferioribus generetur, & ad caput transmittatur, à capite revellatur, repellatur, & quod reliquum, evacuetur. Et quò ejus generatio prohibeatur, intēperies visceris, à quo producit, corrigenda, & cum plerunque à caliditate & siccitate epatis, ut & lienis,

ortum habeat, ea viscerum intemperies refrigerantibus & humectantibus alteranda. Et quia vigilia in hoc morbo urgent, eumq; augent, danda diligenter opera, ut somnus omnimodo concilietur;

Curatio.

Itaq; primò clyster aliquis humectans, ex althæa, malva, parietaria, borrag. bugloss. violis, cum cassia, & electuario diacathol. paratus, injiciendus. Ut *R. Rad. althææ*

polypod. querni, an. Unc. ℥.

parietaria,

branca urfin.

sumaria,

lactuca,

borrag. an. M. j.

fol. fenæ Drach. vj.

prunor. num. xij.

Coquantur in aq; simpli.

Colat. *R. ℥. j.*

cassia pro clysteribus Unc. j.

elect. diacathol. Drach. vj.

olei olivar.

chamemel. an. Unc. ℥.

F. Clyster.

Hinc si ex sanguine adusto bilis atraproverit, vel in capite, aut toto sanguis adustus & fervidus redundet, communis, basilica, vel cephalica vena, prout opus, aperiatur: sanguisque missio præsentissimè in hoc morbo est remedium. Et quidem si in capite redundat sanguis, itatim cephalica aperiatur; si in toto simul, primò communis vel basilica, deinde cephalica secetur, & præcipuè in sinistro latere. Revulsionis quoq; gratiâ saphe-

na aperiri potest; præsertim in mulieribus, cum menses suppressi huic malo originem dederunt, ut & si hæmorrhoides suppressæ morbi causa sunt. Quandoque etiam in viris natura nostra per dæmonium humorem, hujus morbi causam, à capite & nobilioribus partibus ad eruales venas detrudere, & varices in cruribus excitare, morbumque hoc modo dissolvere solet.

Neq; inutile fuerit hirudines circa tempora & post aures, vel etiam anivenis applicare, si hæmorrhoides suppressæ sint.

Hinc materia præparanda refrigerantibus & humectantibus, ut: *Atram bislem in capite præparantia.* Radicibus; *Borrag. bugloss. gramin. asparagi. polypod. glycyrrhizæ.* Elorib; *Borrag. bugloss. violar. nymphææ. rosarum.*

Folijs; *Lactuca. borrag. endivia.*

Seminibus; *Quatuor frigidior. major. papav. lactuc.*

Eructibus; *Passul. jujubar. sebesten. pomor. prunor.*

Et, quæ hinc fiunt,

Aquis; *Borrag. bugloss. violar. rosar. endiv. sumaria.*

Sirupis; *Violar. de borrag. bugloss. nymphææ. byzantin. simpl.*

Conservis; *Borrag. bugloss. rosar. violar. nymphææ,* quibus cordialia obaffinitatem adjicere licet: *Conterv. Antiholis, meliss. cortic. citri;*

Et quidem medicamenta ex his, pro natura humoris, è quo humor hic ater generatus, eligenda sunt. Nam si ex sanguine fervido atra bilis sit generata, ea eligenda, quæ de intemperie capitis cum bile proposuimus; si ex humo-

humore melancholico, ea ferè con-
veniunt, quæ capite præcedente de in-
temperie cum humore melancholico
tradita sunt.

Ut R. *Aq. borrag.*

bugloss.

fumar. an. Unc. ij.

sirup. borrag.

bugloss.

violær. an. Unc. j.ß.

M. F. Potio pro ij. dosibus.

Vel R. *Rad. bugloss.*

glycyrrh.

polyp. querni, an. Drach. vj.

fumar.

ceterach. an. M.ß.

flor. cordial. M. j.

epithym. Drach. ij.

Coqu. in aq. pura.

Colat. R. *Unc. vj.*

Adde *succi pomor. Unc. vj.*

sacchari Unc. j.ß.

Ebulliant & depurentur,

vel addatur *sirup. de pomis,*

violis, an. Unc. j.

Vel R. *Conserv. bugloss.*

borrag.

violær. an. Unc. j.

nymph.

rosar. an. Unc.ß.

specier. diamarg. frig. Drach.ß.

Cum *sirupo de pomis*

F. *Electuarium.*

Atram bi- Purganda postea est materia *sirup.*
lem è capi- *violær. solut. diapruno solutiv. decocto se-*
te purgã- *na, epithymo, polypod. diacathol. quibus*
ria. *deinde hellebor. niger adjici potest, con-*
fect. Hamech & diasena, lapide Armeno,
Lazuli, pilulis de fumaria, de lapide La-
zuli. Ubi notandum, ut purgantibus

istis semper ex humectantibus & præ-
parantibus antea enumeratis aliquid
admisceatur, & purgantia non usur-
panda, nisi corpus prius humectatum
fuerit.

Ut R. *Flor. cass.*

elect. diacathol. an. Unc.ß.

confect. Hamech. Drach. j.

Cum *saccharo. F. bolus, vel dis-*

solvantur in aq. fumaricæ & bus

gloss. an. Unc. ij. & addita sirup.

violær. Unc.ß.

F. *Hauftus.*

R. *Fol. senæ Unc.ß.*

epithym. Drach. ij.

flor. violær.

borrag.

fumaria, an. P. j.

passular. exacinar.

glycyrrhizæ, an. Unc.ß.

Coqu. in aq. hordei simplici.

Colat. R. *Unc. iv.*

In ijs dissolve *manna elect. Unc. j.*

Colentur, adde *sirup. violær. solutiv. ð.ß.*

Vel R. *Rad. bugloss.*

graminis, an. Unc.ß.

polypod. querni Drach. ij.

glycyrrhiz. Unc.ß.

cortic. fraxin.

tamarisc. an. Drach. iij.

meliss.

lingua cervinæ,

ceterach,

capillor. q. an. M. j.

fol. sen. elector. Unc. ij.

epithym. Unc.ß.

hellebor. nigri prepar. Drach. ij.

sem. 4. frigid. major. an. Drach. j.

sem. portul. Drach. ij.

ocymi,

fenicul.

zedoar. an. Drach. j.

jujubar.

Sebesten, an. num. x.

passul. exacinar.

tamarind. an. Unc. j.ß.

Infundantur per noctem in aqua pura, postea ebulliant & colentur.

In colaturâ ℥. ij. infundatur

rhabarb. Unc. ß.

cinanom. Scrup. iv.

flor. cordial. an. P. ij.

Colat. adde succi pomor. Borstorfianor. vel aliorum odoratorum ℥. j.

Iterum parum coquantur, sacchariq; q. s. ad dulcorandum addatur, & clarificentur.

F. Potus ad dies 5. vel 6.

Vel addatur sacchari q. s. Coquantur ad sirupi consistentiam, de quo 2. vel 3. cochlearia propinentur.

Licet & in gravioribus malis antimonio & medicamentis ex eo præparatis uti.

Atram bilem in capite alterantia topica.

Post purgationem alterantia supra proposita repetenda, quib. addi possunt margaritæ, fragmenta lapidum pretiosorum, lapis Bezoar, corallium, bolus Armenus, quæ non solum, ut nonnulli putant, vim habent exsiccandi ichores, qui in arterias penetrarunt, sed & falsis illis ac adultis humoribus, (quo modo etiam acetum acrimoniam amittit) acrimoniam adimunt, & ita ad illa, quæ solent, symptomata excitanda ineptos reddunt, vel etiam peculiari vis spiritus defecandi & illustrandi prædita sunt.

Post sanguinis missionem & purgationem fronti & futuræ coronali frigidam humectantia applicanda sunt.

Ut oleum rosar. violaceum, nymph. amygdal. dulc. quibus oleum anethinum & chamamel. admisceri potest.

Aqua rosar. lactuc. violar. & aliar. plantar. refrigerantium.

Epithemata refrigerant. & humectantium aquis & decoctis.

Ut ℞. Ol. violar.

nymphae,

rosar. an. Unc. j.

aq. lactuce,

solani,

rosar.

aceti, an. Unc. ß. Misc.

Vel ℞. Fol. lactuce,

borrag.

endiv. an. M. j.

flor. violar.

rosar.

borrag.

bugloss.

nymph. an. P. ij.

capit. papav. cum semine num. x.

Coquantur in aq.

Colaturâ ℞. ℥. j.

Adde ol. violar.

rosar. an. Unc. ij.

M. pro Epithemate.

Vel ℞. Fol. malv.

flor. violar.

nymph. an. M. ij.

capit. papav. albi cum seminibus,

num. vj.

flor. chamamel.

melilot.

summitat. anethi, an. M. j.

fol. fenæ. Drach. ij.

Coqu.

Coq. & decocto caput abluatur, & hinc ol. viol. & de nymphæa cum lacte muliebri irrigetur: vel si ascensus vaporum metuatur, cum ol. rosaceo.

Linimentum:

R. Ol. violar.

sem. cucurbitæ, an. Unc. j.

papaver.

aneth. an. Unc. ℥.

mucilag. sem. psylli aqu. violar.

extractæ Drach. v.

sem. lactuca,

hyoscyam. an. Drach. ℥.

croci Scrup. ℥. Misc.

F. Linimentum.

Emulsiones; sem. papaver. lactuc. amygdal. dulc.

Sacculi fiunt ex rosis, flor. violarum nymph. sem. papaver.

Lotiones pedum & manuum ex refrigerantibus & humectantibus supra propositis.

Balneum aqu. dulcis utile est, cum decocto earundem plantarum paratum.

Tandem post evacuationes universales institutas & absolutas ad particulares cerebri evacuationes perveniendum, quæ fiunt apertione venarum frontis, narium, aut sublingua, aut applicatione hirudinum ad venas post aures, errhinisitem, ut capite præcedente dictum.

Si malum non cedat, Zechius, Consult. 80. ad tria tanquam generosa remedia confugiendum censet, si humor adustus in toto corpore simul redundet. Sunt autem ea, lactis serum, cum succo cichorij & fumarix largâ copia quindecim diebus hor. 5. ante

prandium haustum; aquæ thermæ, quarum minera sit ferrum, epotæ; & aquæ dulcis tepidæ balneum, pluribus diebus vespere, duabus horis ante cœnam, usurpatum: cujus usu & universum corpus humectatur, & obstructi & adstricti meatus aperiuntur.

Si reliqua nõ profint, etiam ad cauteria bregmati, modo supra explicata, nonnulli deveniendum, & cauterium per menses aliquot apertum tenendum censent. Scribitq; Guainerius, tract. II. c. 9. se nobili cuidam fœminæ mania laboranti cauterium potentiale syncipiti applicasse, quo cutis ad cranium usque absumpta sit: hinc in conjunctione Lunæ & Solis cranium trepano aperuisse, & foramen per mensem apertum servasse, atq; ita fœminam illam, quæ plus quàm duobus annis mania laboraverat, sanitati restitutam fuisse. Utilissimum etiam est ægrum in balneum aq. dulcis calidæ sæpius inducere.

cauteriū
in mania.

Dieta.

Aër in caliditate sit temperatus, ad humiditatem vergens. Cibus sit in quantitate mediocris, refrigerans & humectans, ut: ptisana, juscula carniæ, carnes pullorum gallinaceorum, gallinar. agnina, hædina, vitulina, perdicum, ova sorbilia. Abstinentum verò ab ijs, quæ bilem gignunt, ijsq; quæ crassum succum suppeditant, quales sunt, caro bubula, cervina, hircina, & fumo indurata. Ex piscibus conveniunt saxatiles & friabiles. Grædes verò pisces, duri & viscidii, falsi, & fumo vel aëre indurati nocent.

Cibi cōdiantur borrag. malva, lactuc. asparago. Panis sit simillagineus. Vino æger planè abstineat, nisi à metu aut melancholia adusta hoc malum originem habeat. Tum enim vinum album tenue concedendum, aut si fortius sit, diluendum aq. borrag. violar. endiviæ & cichorij. Hujusmodi enim vinum ad excrementa biliosa temperanda & expellenda, partiumq; solidarum siccitatem corrigendam est aptissimum. Vel bibat æger aquam hordei cum succo granatorum dulcium, aut serum lactis, in quo epithimum maceratum sit; vel etiam lac calidè emulsum cum saccharo potet. Exercitium sit mediocre. Somnus sit consueto longior, qui propterea medicamentis cùm externis, tum internis conciliandus. Alvus laxa sit, & nisi spontè officium faciat, clysteribus vel lenientibus medicamentis aperta servetur. Animus ad hilaritatem componatur, & omnes, quæ iram & tristitiam cōmovere possunt, occasiones vitentur.

CAPUT XIV.

De Venenatis & malignis, & tota Substantia cerebro contrariis morbis.

PRæter intemperies hætenus enumeratas cerebrum quoq; morbos quosdam malignos, venenatos, quos totius substantiæ vocant, quandoque patitur. Talis est illa *Ἀσθησις*, quam imprimis aura vel vapor, vel materia venenata, quæ epilepsiam excitat, seu ea in cerebro generetur, seu ab infe-

rioribus transmittatur. Tales sunt dispositiones, quas imprimunt venena cerebro peculiariter infensa; solanum furiosum, hyoscyamus, herba Sardonina, seu apium cibus, virus caninū, torpedo, mēstruus sanguis malignus, vinum fulmine tactum, cicuta, napell^o, umbra arboris juglandis, taxi, cocculi de Levante, & pisces ijs capti, aconitum, thus cum vino, sanguis humanus potus, lolii semen, flores colchici; quorum alia somnum p.n. inducūt, alia imaginationem & ratiocinationem lædunt, ac deliria excitant; nonnulla convulsiones aut paralytin inducunt. Refertur inter ea etiam cerebrum & sanguis felis; de quo memorabilis historia est apud Weinrichium, *de monstris. cap. 15.* quæ ita sese habet: Puella quædam Uratislaviæ mollior, nō multorum annorum, cùm publicè spectaret à carnifice latronem capite truncari, territa spectaculi fœditate in epilepsiam incidit. Multa, ut sit, pro remedio tentata, sed frustra omnia. Ex vulgo quispiam suavit, felium sanguinè porrigi utile esse, quo ebibito malum non difficulter cessaturum. Offertur; accipit misera infelici eventu admodum. Paulò pōst enim felis naturam induit ex intervallo, & quod id animal in ædib. solet, id illa imitatur, voce, saltu, gestu, vestigijs, cùm mures in silentio venatur in angustissimis etiam quibuscunq; potest foraminulis, idq; ita diu, dum paroxysmi vehementia remiserit. Hætenus Weinrichius. De quibus omnibus vide etiam *lib. 6. Pract. part. 6. 7. 8.* Ita in mania peculiaritatem malignitatem statuit Platerus.

Verum

*Venena
cerebro
adversa.*

Verùm enim verò cum, ut modo dictum, alia alias actiones lædant, ac de epilepsia, sopore gravi, & delirijs, quæ ab huiusmodi venenis proveniunt, suo loco dicendum sit, & vix aliquod venenum sit, quod, etiamsi cerebrum primò afficiendi vim habeat: non tamen reliqua membra in consensum trahat: in enumeratis symptomatibus de ijs aliquid dicitur; reliqua suo loco, ubi de venenis in specie agatur, explicabuntur.

CAPUT XV.

De Vitiis Spirituum
Animalium.

AN spiritus animales partes sint corporis, nec ne, hinc non disquirimus: satis est, si sciamus, eos ad actiones animales omnino necessarios esse, neque sine ijs eas perfici: & si actiones hæ rectè perfici debent, requiri, ut ipsi non minus, quàm cerebrum suam naturalem temperiem & constitutionem habeant.

Generatur spiritus animalis in cerebro, quod ejus fons & origo est; & ea de causa præter facultatem altricem, quæ ipsi cum omnibus partibus viventibus communis est, peculiarem substantiam, ab omnibus aliis corporis partibus diversam, habet, & potentias, quibus & retinet materiam, è qua spiritus animalis generatur, eamq; alterat & coquit, & in spiritum animale mutatur.

Generatur autem spiritus animalis ex subtilissima spiritus vitalis parte, &

aëre attracto, ab ipsa cerebri substantia, quæ animæ, ut agentis principalis, proximum instrumentum est, cui in toto corpore similem reperire nõ est. Ea enim animæ sedes est, non verò ventriculi, & ab ea spiritus animales elaborantur, atque in ea, non verò in ventriculis, quorum alius usus est, ut alibi dictum, continentur. Cerebri verò substantia ad actionem hanc concurrat præcipuè per suum calidum innatum & peculiarem temperiem, ac pro hujus variatione etiam spiritus animales variant. Est tamen etiam necessaria peculiaris cerebri conformatio, quæ in magnitudine, figura, & cavitatibus consistit, quæ non solum ad spirituum generationem & conservationem, sed & ad motum, necessaria est; & præterea cerebrum suâ temperiæ & calidum nativum debito modo dispositum habere debet. Hoc n. modo cerebrum constitutum spiritus animalis origo, fons & domicilium est.

Plura autem ad naturalem constitutionem spirituum requiruntur. *Spiritu animalium naturalis constitutio.* Primum ut habeant suam temperiem, quæ est quidem calida, sed longè temperatior, quàm spirituum vitalium. Secundò ut sint tenuissimi & subtilissimi: quæ de causa rerum Creator sapientissimus innumeros arteriarum plexus in cerebro collocauit, ut per minutissimarum arteriarum insensibilium orificia spiritus vitalis in cerebrum exactè tenuissimus quasi percolaretur, & à sanguine arterioso separaretur. Tertio ut sit purissimus, lucidissimus & splendidissimus: quæ de causa spiritus animalis è spiritu vitali, à sanguine arte

Spiritu
animalium
vitalis.

Spiritus
animalis
generatio.

arterioso separato, & in cerebro, omnibus ferè coloris experte, recepto gignitur, & ibi ulteriorem elaborationem adsequitur. Idem nimirum hæc fieri credendum est, quod in igne, quod magis in flamma à fumo separatur, eò fit clarior & lucidior. Quartò ut sit copiosissimus: quam ob causam cerebrum amplissimum, mollissimū, innumerisq; poris & cavitatib. præditum est, & ad illud innumeræ ferè arteriæ decurrunt. Quintò ut naturalem suum motum in cerebro habeant.

Quæ naturalis spirituum animalium constitutio si lædatur quocunq; modo, etiam actiones animales, quæ per ipsos, ut instrumentum propriū, obtinentur, vitari necesse est. Etenim si

Spiritus animales calidiores.

spiritus animales nimium incallescant & fervidiores reddantur: id quod fit in febribus acutis, & partium internarum inflammationibus, vaporibus calidis caput petentibus, spiritibusque sese permiscentibus, item in cerebri & membranarum inflammationibus, & intemperie calida p. n. in phrenitide, in mania; aut dum à causis externis, ut æstu Solis, alijsq; supra, cap. t. enumeratis, cerebrum incalcescit, vigiliæ immodicæ & deliria accedere solent. Frigidus contra spiritus animales actiones omnes hebetat, & stoliditatis ac amentię causa est.

Frigidiores.

Crassiores. Si spiritus animales suam naturalem tenuitatem nõ obtineant, sed crassiores julto sint, animales actiones quoque rectè sese non habent, sed torpidiores quasi sunt. Negat quidem Plater^o planè, ubi de læsâ visione tractat, spiritus animales crassescere; cum sint

ætherei penè, & tales mutationes non patiantur: verum id ita simpliciter admitti non potest. Etenim spiritus animales duobus modis crassiores esse possunt; vel dum tales generantur, vel dum vapores aliqui ipsis admiscètur. Primò enim si spiritus vitalis, & aer, è quibus spiritus animales generantur, crassiores sint, spiritus etiam animales inde crassiores fiunt. Atq; inde accidit, ut ob aeris & spirituum vitalium subtilitatem nonnullarum regionum incolæ ingeniosiores sint, quàm in alijs; aliarum verò stupidiores, ob aërem, in quo vivunt, crassiorem. Sic Bæoti apud antiquos stoliditatis & stupiditatis nomine malè audierunt; de quo Horatius in *Epistolis*:

Bæotum in crasso jurares aëre natum.

Si spiritus animalis tenuitas & puritas propter vaporis alieni admiscionem perturbetur, actiones animales etiam variè læduntur. Si enim vapor frigidus & humidus ipsi admisceatur, spiritus animalis quasi torpidus & iners redditur; unde sæpè post cibum, propter vaporum in cerebrum adscensum, hominem ad actiones illas cerebro proprias minus aptum esse animadvertimus. Si vapor sit obscurus & nebulosus quasi, qualis cum ab internis humoribus, tum ab aëre externo cerebro comunicatur, & spiritui animali permisceatur, homines non ita alacres, sed quodammodò tristes esse animadvertimus. Si vapores sint calidi, quales in ebrijs à vino, vel potus alterius largiore usu elevari solèt, variè animi mutationes, & quasi deliria, pro cerebri & humorum in corpore variâ dis-

Crassiores

Impuriores.

positi.

positione excitantur; de quo Horatius, *lib. 3. Carm. Od. 27.*

*O nata mecum Consule Manlio,
Seu tu querelas, sive geris, jocos,
Seurixam, & insanos amores,
Seu facilem, pia testa, somnum.*

Si enim vini vel alterius potus vim inebriandi habentis vapor cum sanguinis abundantis vapore permiscetur, jocos & hilaritatem excitat; si caput humidum sit, propensionem in somnum inducit; si vasa seminaria semine sint referta, insanum amorem producit; si spiritus caput refertum, somnum; si bilis vapor permiscetur, rixas & iram excitat; si melancholiz vapor, tristitiam & querelas.

*Tenebri-
cosi.*

Si spiritus animalis naturalem illam luciditatem & splendorem amittat, & opacus, tenebricosus, ac niger quasi evadat: quod precipue fit à vaporis melancholici admissione; metus & tristitia sine causa, & affectus melancholici excitantur. Nam ut Galenus, 2. *de sympt. de caus. cap. ult.* scribit, cum nihil eorum, quæ extra corpus sunt, nos æquè perterreat, ac tenebræ, si ex ipsi rationalis animæ parti sint circumfusæ, necesse est hominem timere, ut qui semper unà cum corpore timoris causam circumferat.

PAUCI.

Si spiritus animales sint pauciores, quam par est, & deficient, omnes animales actiones languent, & ex defectu spirituum, & causis spiritus dissipantibus, actiones principis facultatis non solum imminuuntur & abolentur, sed & depravantur quandoq; & delirium excitatur, ut docet Galenus, 7. *aph. 9.* eodem modo, quo tremores artuum.

L. I.

Ut enim dum pondus nimium facultati moventi imbecilli offertur, tremor excitatur: ita dum objectum sensibile principis facultati debili offertur, imaginatio & ratiocinatio objecto non satis proportionatæ & debiles vacillant quasi.

Deficiunt autem in cerebro spiritus animales, vel quia absunt, & non generantur in cerebro, vel quia in reliquum corpus diffunduntur. Absunt spiritus in cerebro sanguinis nimia profusio, nimia evacuatio, Venus nimia, morbi diuturni, præsertim maligni, nimia animi intentio & studia, vigilia, curæ. Non verò generantur, si spiritus vitales non suppedientur. Effunduntur etiam nonnunquam spiritus in sensuum externorum organa, ut in cerebro deficient. Ut enim in magnis animi affectibus, spiritus vitales è corde in reliquum corpus ita interdum effunduntur, ut animi deliquium inde accidat: ita quoq; spiritus animales in externorum sensuum organa effundi possunt, ut veluti attoniti homines fiant.

*Defectus
spirituum
animalium
caussa.*

Præter has causas & aliæ sæpè dantur, occultæ nimirum, spiritus maligni vi afficientes; quales sunt venena, quæ cerebro tota substantia infesta esse antea diximus, & interea, quæcunque narcosis quandam, & temulentiam quasi inducunt, ut lolium, semen hyoscyami, cortex mandragoræ, solanum, venenum canis rabidi, & quod ab aliarum quoque bestiarum venenatarum ictu communicatur.

Imò etiã vapores maligni spiritus animales afficietes intra corpus generantur.

Q

ran-

rantur: hinc in epilepsiâ agri in sine paroxysmi sopore corripuntur; & stupidi aliquandiu jacent; quod, ut Platerus docet, non accidit; quia cerebrû nimîa agitatione defatigatum est, sed quia vapores maligni, qui prius nervosam genus afficiendo convulsivos motus excitabant, cerebrum & spiritus jam labefactant, soporemq; & stupiditatem, donec discussi sint, excitât.

Agitati & moti.

Si tandem spiritus nimîu agitur; per iram, gaudium, terrorê, & alios animi affectus; vel à vaporibus ab inferioribus partibus ascendentibus, aut etiam in ipso capite, è putridis humoribus, ut in membranarum corruptione, & vermibus in capite, elevatis perturbetur; vel à nimia corporis circumgyratione & agitatione, aut rerû motarum aspectu, casu & ictu vehementi, cranij depressione, calore & Lunæ radijs, doloribus vehementioribus, cerebri intèperie calida, & ipsi agitentur, & motu quodam inordinato cicantur; vertigo & alia symptomata oriuntur.

Facit huc & simulata ac diu continuata stultitia, quæ spiritus continuo & depravatè agitans pravam dispositionem ad continuum talem motum per consuetudinem inducit, ut suo loco dicitur. Contra si non moveantur, & ut debent, in organa sensuum non influant; etiam animales actiones læduntur; quod fit in affectibus soporosis, & catalepsi.

Curatio.

Cum ergo tot sint spirituum vitia; quæ ex affectibus & symptomatibus

modò enumeratis, & signis etiam humorum cognoscuntur; non una erit spirituum vitia emendandi ratio; sed quodlibet vitium peculiari modo ad naturalem constitutionem reduci postulat. Si enim sint nimis calidi spiritus, sunt refrigerandi; si frigidi, calefaciendi; si crassi, impuri, attenuandi & purificandi, ijsq; naturalis tenuitas & claritas restituenda, & vapores, qui eos inquinant, discutiendi & ab ijs separandi. Si malignis qualitatibus inficiantur, ijs resistendum. Si desint, reficiendi.

Verùm cum ista vitia spiritibus cum cerebro sint communia, & ab humorum vitijs pendeant: plura de curatione non addimus; cum materia medica, quibus hisce indicationibus satisfieri potest, præcedentibus capitibus proposita sit. Si quæ tamen restant peculiariora, ea postea explicabuntur, ubi de actionibus læsis, quæ à spirituum horum vitio proveniunt, agetur.

Hoc saltem addimus, ad cerebrum roborandum, spiritus reficiendos & augendos, plurimum posse vinum, ut & ova sorbilia cum saccharo & cinamomo; si bonum vinum superbibatur; plurimum etiam ambram griseam orientalem, cum saccharo in jusculo vel ovo sorbili sumptam; si scilicet ad Drach. ß. ambræ addatur lb. ß. sacchari, vel rotularum manus Christi perlat. ut & moschum, hyacinthum, margaritas & aromata pleraq;. Inde ad spiritus animales roborandos & recreandos utiles sunt trochisci Moscardini dicti.

Spiritus animales roborantia & augentia.

℞. *Ambra*,
moschi, an. Drach. ij.
zibethi Drach. ℞.
tragacantha in aq. flor. naphæ
 odoratis. solut. & q. s.
sacchari ℞. iij. vel iv.

Contundantur omnia in mortario,
 & s. a. misceantur.

F. Pasta, è qua formentur pastilli
 parvi, figura rhomboide, vel aliâ, qui
 exsiccentur, quorum unus si in men-
 suram vini injiciatur, ei suavissimum
 odorem & saporem conciliat. Com-
 mendantur & lapis Armenus ac La-
 zuli, ut fuligines, quibus spiritus in-
 quinantur, discutiant; item myrobo-
 lani emblicæ & chebulæ, quod spiri-
 tuum dissipationem prohibeant.

Spiritus quoque instaurat confe-
 ctio Alchermes. Adeosdem confor-
 tandos commendatur succinum. Ma-
 gna quoque vis est, ad spiritus instau-
 randos & reficiendos, spiritus ex vino
 malvatico vel alio optimo destillati:
 & major adhuc Aquæ vitæ dictæ, quæ
 si rectè paretur, sæpè cum admiratio-
 ne vires languentes, & jam ferè colla-
 bentes reficit; quarum passim multæ
 extant descriptiones. Nobilis est illa,

Aqua Car- quæ vulgò aqua Carfunculi dicitur,
funculi. cujus descriptio in Institutionib. lib.
 5. part. 3. sect. 3. cap. 5. habetur: ut & illa
Aqua vitæ aqua, quam Matthiolus, libr. 5. in Dio-
Matthioli. scorid. cap. 7. describit, Alia minus sum-
 ptuosa:

℞. *Granorum Paradisi*,
cinamom.
cubebæ.
styrac. calamitæ, an. Unc. j.
macis,

nucis moschatæ,
cardamomi,
caryophyll. an. Unc. ℞.
flor. lilior. convall. M. ij.
rosar. rubrar. M. vj.
lavendulæ M. j.
borrag.
bugloss. an. M. ij.
melissa,
salviæ, an. M. j.
mentha crispæ M. ℞.

Contusis adde vini malvatici,

aq. rosar. an. Canth. ij.

Digerantur & destillentur suspen-
 dendo in nodulo, in collo alembici,
 ambre & moschi, an. Scrup. j. vel quan-
 tum libet.

Extant passim etiam multa ele-
 ctuaria, ad spiritus multiplicandos &
 confortandos utilia: ut illud Mesue,
 quod ad latificandum, gaudium ge-
 nerandum, juventutem conservan-
 dam, coloris pulchritudinem, & odo-
 ris bonitatem conciliandam prædi-
 catur, & ita paratur:

℞. *Rosar.* Drach. iij.
cypero Drach. ij.
caryophyll.
mastiches,
ligni aloes,
spicæ Indic.
asari, an. Drach. j. ℞.
cinamomi,
croci,
melissophylli,
ocymi minoris,
margaritar.
fol. Indi,
macis,
cardamomi minoris,

nucis moschate,
corticum citri,
gallie moschate,
doronici,

ocymi majoris, an. Drach. j.
moschi Scrup. ℞.

Cum mellis myrobalan. emblicar.
vel belliricarum quantitate ad species
quadrupla

F. Electuarium, hyeme præsertim
utile.

Velꝛ Hyacinth.

sapphir.

smaragd.

doronici,

corall. alb.

rubri, an. Scrup. j.

cinamom.

macis,

galanga,

nucis moschat. an. Drach. ℞.

caryophyll.

cubebæ.

lign. aloes,

styrac. calamita,

sem. ocymi, an. Scrup. ℞.

croci Drach. ℞.

moschi.

ambræ, an. gr. vij.

cortic. citri conditorum Unc. ℞.

glycyrrhiz. Scrup. ij.

passul. pinguium.

sacchar. candi, an. Unc. j.

conserv. bugloss.

horrag. an. Unc. j. ℞.

succi pomor. dulc. depurati

Unc. ij.

aquar. rosar. moschata Unc. j.

sacchari optimi ℞. j.

F. secundum artem. Electuarium.

Videantur etiam Aetuarij de spiritibus
animali libri duo.

CAPUT XVI.

De Morbis Compositionis, & primò de morbis figura.

Cum hæctenus morbos, qui cere-
bro, quatenus simile est, com-
petunt, explicaverimus; proximum
jam est, ut de morbis organicis ejus-
dem dicamus. Cum verò, ut ex Gale-
no, lib. de morbor. different. & Instit. lib.
2. part. 1. cap. 5. patet, morbi organici in
morbis numeri, magnitudinis, con-
formationis, compositionis, & situs
dividuntur: quinam ex his in cerebro
& capite inveniuntur, videndum.

Et primò figuram quod attinet, *Capitis fi-
naturalis capitis figura*, quæ optima *gura opti-
est, ut Galenus, lib. de ossibus, 9. de usu ma qua.
part. c. 17. & art. med. cap. 111. describit,*
sphæræ assimilatur, ad latera utrinque
leniter compressæ, quæq; in tempori-
bus rectior, & quodammodò plana; in
parte verò antica & postica plus, quàm
in sphæra, prominet: hac tamen plus
protuberat, quàm illâ; in vertice verò
sphæræ curvitatẽ servat. Quibus er-
go hæc capitis figura cum decente
magnitudine obtigit, ij vigorem & a-
lacritatem habent sensuum, pollent
ingenio, judicio & memoriâ, & ro-
bore corporis præstant.

Quæ verò capita à naturali figura *Figura ca-
recedunt, ea quæ & generaliter à Gale- pitis vi-
no vocantur, dicunturq; ita nõ solum tiosa.
ea, quæ fastigiata sunt, sed etiã in qui-
bus vel antica, vel postica, vel utraque*

ἔξοχῶς, seu eminentia, deest, vel plus, quam par est, eminent, ut vel retrò solùm, vel ante, vel sursum fastigiata capita appareant. Etenim vel synciput, seu anterior cranei pars plus iusto eminent, occipite contra quasi evanescente & non extuberante; vel occiput p.n. prominet; vel neq; antica, neque postica eminentia protuberat: & si in lateribus depressum non sit, quasi perfectam sphaeram exhibet; quod si in temporib. depressum sit, in vertice caput eminere potest, & acuminatum esse. Cujusmodi Therisitæ caput fuit, quod, ut Homerus, *Iliad. β.* scribit, ὕπερθεν φοξὸς ἔην κεφαλῶν, quod interpretes per ὄξυκίφαλον rectè explicant. Galenus eam capitis figuram, quâ longitudo in latitudinem, & latitudo in longitudinem mutetur, dari negat, & propter depravatam cerebri constitutionem talem hominem vivere posse inficiatur, quod in ea tota cerebri cōstitutio pervertatur, eaque à paucis, cum rarissima sit, animadversa. Vesalius tamen illam se vidisse, *libro I. anatom. cap. 5.* testatur, & ante eum Conciliator, *diff. 79.* & Hugo Senens. *in com. in art. med. Galen.*

Causæ.

Ortum habent figuræ hæc vitia plerumq; in utero ante nativitatem, vel ob materiæ vitium, vel ob facultatis formatricis errorem; nonnunquam & post ortum inducuntur, dum tenella infantium capita ab obstetricibus & nutricibus vario modo formantur, quando fasciis involvuntur, & manibus tractantur; aut dum, quæ in utero

vel partu contracta sunt vitia, ab ijs non rectè emendantur. Nonnunquam tamen tum pueris, tum adultis figura capitis vitiat, dum ex casu vel percussione caput deprimitur; quod & cum, & sine fractura fieri potest. De quo vitio emendando cum in Institut. *lib. 5. part. 1. sect. 2. cap. 5.* sit dictum, & suo etiam loco de fracturis cranij ejus mentio sit facienda, de eo hîc nihil addimus.

Signa Diagnostica.

Figura vitiosa visu cognoscitur, quæ etsi cranij conformationem præcipuè indicet; tamen & cerebrum, quod cranio cōcluditur, eandem figuram participare, vero consentaneum est. Effectib. tamen sese etiam prodit, & Intuitiam quibusdam innatam faciliè ex capitis figuræ vitiosa cognoscere est.

Prognostica.

Figuræ vitium, quod vel à conformatione prava, vel ex partu difficili, vel obstetricum imperitiâ inductum est, si recens sit, & non procul ab ortu, aliquantisper corrigi potest, dum adhuc ossa mollia & flexibilia sunt. In adultis verò, ubi ossa jam induruerunt, incurabile est.

Indicatio & Curatio.

Si quâ parte caput præternaturam eminent, ibi deprimendum, quod nullo alio modo fieri potest, nisi manuum operâ; ut scilicet obstetrix vel nutrix manibus caput sæpius leniter tractando, & fasciis involvendo, eam figuram, quæ præternaturalis est, abo-

cat, & eam, quæ expetitur, ipsi inducat.

De Suturis Capitis.

Suturæ
capitis.

Suturas capitis, quarum tres esse; coronalem, lambdoideam & sagittalē, ex anatomicis patet, pro varietate figurarum capitis variare, docet Hippocrates, in initio libri de vulneribus capitis. Idque aliquando quidem verum esse observationes docent, qualem & Volcherus Coiter, in observ. anatom. habet. Non tamen semper suturas variare propter eminentiarum cranij defectum vel excessum, doctissimi Anatomici testantur. Reperta quoque capita esse, quæ omnibus suturis destituta fuerunt, observatum est. Verum quia ista ipsam conformationem sequuntur, neque à Medico corrigi possunt, plura hæc addere ea de re non liber. Videantur Vesalii, de human. corp. fabr. lib. 1. c. 6. Sylvius, in comment. ad lib. Galeni de off. Columbus, lib. 1. anatom. c. 6. & l. 15. Eustachius, de off. Ambrosius Paræus, lib. 4. Chirurg. c. 3. Riolanus, anatom. c. 19. & in commentar. de offib. cap. 8. Bauhinus.

CAPUT XVII.

De Morbis meatuum & Cavitationum Cerebri.

IN superficie cerebri nulli morbi occurrunt, & si qui in cranio interdum reperiuntur, cum in fracturis interdum exasperatur, & festucæ quasi prominentes membranas comprimunt, de eo suo loco, cum de vulneribus capitis, & fracturis cranij ageretur, mentio

fiet. Sequuntur ergo morbi in meatibus cerebri.

Sunt autem cavitates & meatus hi triplices: alij in cerebro, alij ad cerebrum, alij à cerebro.

Primo n. cerebrum ipsum porosum est, & in porosa & fungosa quasi ejus substantia spiritus animales generantur, continentur & moventur; quod vel spatium illud docet, quod in mortuis inter tenuem & crassam meningem interjectum est satis magnum.

Deinde sunt in cerebro ventriculi, excrementis ejus evacuandis parati; qua de causa in ijs etiam glandulæ quædam locatæ sunt, quæ veluti spongiæ per vasa à cerebro vel cerebello eò transmissa excrementa cerebri exsugunt; ideoque omnes etiam in infundibulum, cui glandula pituitaria substrata est, desinunt. Ad corporis enim callosi latera duo superiores ventriculi cerebri tenui quodam corpore, quod speculum lucidum dicitur, inferius distincti positi sunt. Ab horum tergo apparet corpus cõcameratum seu fornix, sub quo tertius est ventriculus, ex priorum concursu proveniens, in quo duplex est meatus: anterior desinit in palatum, seu infundibulum dictum, quod finit in sellam ossis sphenoidis, ubi glandula pituitaria est, & plexus retiformis, seu rete mirabile, ut Galenus vocat; posterior verò in quartum ventriculum delabitur. Cerebello etiam suum ventriculū recentiores quidam attribuunt. De quo infra, part. 2. cap. 33. quest. 3. dicitur.

Ad cerebrum tendunt, quæ è sinibus cerebri egrediuntur venæ & arteriæ,

Meatus & cavitates in capite.

Cerebrum est porosum.

Cerebri ventriculi.

Ad cerebrum tendentia

vasa.

tiæ, quas *σφαιρα*, ductus, vulgò vocant, quæ à tenui meninge susceptæ, in ipsam cerebri substantiam disperguntur, quæq; rubra illa puncta, quæ dissecto cerebro conspiciuntur, constituent, & sanguinem arteriosum ac venosum, spiritusque vitales, cum ad cerebri nutritionem, tum ad spirituum animalium generationem, advehunt.

A cerebro & spinali medulla, quæ & ipsa à cerebro ortum habet, nervi omnes suam originem habent; quorum *σφαιρα* seu paria triginta septem, secundum vulgatam opinionem, recensentur: septem scilicet à cerebro orta, triginta à spinali medulla. Recentiores verò quadraginta numerant: decem à medulla oblongata intra cranium, triginta à spinali medulla, vulgò ita dicta, extra cranium ortum ducentia; de quibus consulantur Anatomici.

Pertinent & ad vias è cerebro futuræ cranij, per quas vapores & fuliginès è cerebro exhalant.

Causse.

Hi ergo meatus & cavitates ut ad cerebri nutritionem, spirituum animalium generationem, conservacionem, motum, & in totum corpus distributionem necessariæ sunt: ita ijs angustioribus redditis istas actiones lædi necesse est. Et si verò angustie plures causæ sint: tamen angustia meatus horum omnium provenit vel ab obstructione, vel à compressione.

Obstructio fit à vaporibus, vel humoribus. Compressio vel à cranio depresso, vel à sanguine, aut humore, aut tumore, aut ipsa cerebri substantia,

anfractus ejus & nervorum principia comprimente.

Obstructionem quod attinet, fit illa primò à vaporib. crassis. Si enim hic confertim & copiosè ad caput ferantur, meatus cerebri opplere & obstruere possunt. Tales vapores elevantur à cibo vel potu pleniore vel vaporoso, vel humidore, ab humoribus item & excrementis vaporosis in ventriculo, intestinis; à vermib. in utero, in venis cum mefaraicis, tum venæ cavæ ramis: quod non rarò in principijs & invasione febrium cum intermittentium, tum continuarum fieri solet, ubi à materia calore attenuata & agitata vapores ad caput copiosi feruntur, meatusq; obstruunt, & somnù inducunt. Possunt quoq; meatus cerebri obstruere fumi & vapores crassi extrà admissi: id quod ij, qui ex carbonibus accensis in conclavib. conclusis exhalant, præstare possunt; quibus non dissimiles sunt, qui à musto & cerevisia fervente attolluntur. Cujus rei exempla habet Marcell. Donatus. *de hist. medic. mirab. lib. 1. cap. 6.* & Platerus, *observ. lib. 1. pag. 16. 17.*

Deinde idem præstant humores crassi, qui in ipsa substantia cerebri cum ulati ejus meatus obstruunt, & precipuè si ex ortum nervorum, & vias illas, per quas spiritus animales in totum corpus influunt, occupant, & varia, pro modo obstructionis, & natura humorum, actionum læsarum genera inducunt. Si enim obstructio illa sit levior, affectus soporosi excitantur; si verò gravior & integra, apoplexia generatur.

Tertiò idem fieri potest à sanguine extra vasa sua effuso, si non inflammationem parit, sed anfractus ejus obstruit; id quod non solum in percussionibus & lapsu fieri potest, ubi interdum, cerebri substantiâ etiam non vulneratâ, vasa aperiuntur & rumpuntur; sed etiam interdum ob plethoram quoad vasa: unde & viventib. & mortuis quandoque magna sanguinis copia per os & nares erumpit.

Angustiores etiam redduntur illi meatus ad cerebrũ tendentes in φλεγμονώδεις illa diathesi; de qua postea.

*Cōpressio
meatum
cerebri, e-
jusq. causa* Compressio fit à causis vel internis, vel externis. Inter internas sunt primò humores crassi & pituitosi, qui basin cerebri, ubi nervorum principium est, occludere, & spirituum animalium in corpus reliquum distributionem impedire possunt.

Deinde sanguis ex vulnere, vel cōtusione, vel etiam sine cerebri vulnere, ex ejus vehemēti concussione, vel ex venæ alicujus, ob plethoram ad vasa, & ob sanguinis, per menses, hæmorrhoides, nares, evacuationē suppressam, ruptione, aut in cerebri substantiam, ejusque poros, anfractus & meatus, aut ad basin cerebri effusus, comprimendo sensum & motum omnem abolere potest.

Tertiò idem accidere potest, ubi vasa ad cerebrum tendentia φλεγμονώδεις & ἄσθην laborant, & ita expleantur ac distenduntur, ut sanguis ab ijs vix capi queat, & propterea substantiam cerebri, ejusq. meatus gravet, cōprimat, ac angustiores reddat, ut nec spiritus vitales liberè à corde adscēdere,

& in cerebrum distribui, nec animales liberè in cerebro moveri, & in nervos influere possint.

Quartò Platerus nervorum principium, seu basin cerebri, ab ipso etiam cerebro comprimi posse, statuit, dum scil. vel ejus substantia ab humore pituitoso in eo immoderatus cumulato, vel etiam ab aëre humido & crasso, ut vult Matth. de Gradibus, ita irrigatur, ut mollior laxiorq. facta subito subsidat, nervorumque principia comprimat; vel ventriculi seu cavitates cerebri ita subito replentur, ut nō ob obstructionem spiritibus animalibus transitum denegent, (neq. enim spiritus animales in ventriculis cerebri, sed in cerebri substantia & nervis sedem suam habere statuit) sed basin cerebri gravent, & principium nervorum comprimant.

Quintò idem addit tumorem durum, qui pondere suo meatus cerebri comprimant, & angustiores reddat.

Inter externas verò causas est cranij cerebriq. à causis externis compressio. Si enim ictu vel casu vehemētiore fractâ vel depressâ calvariâ cerebri simul comprimatur, poros & meatus in eo angustiores fieri, & hominem subito sensu & motu privatum concidere necesse est.

Suturarum angustiam quod attinet, potest illa fieri à vaporibus multis & lentis eò loci hærentibus. Interdum etiam planè deficiunt future, & inventa sunt capita omnibus futuris carentia. Quod cum antiquis, Aristoteli, de hist. animal. lib. 3. cap. 7. Herodoto & Arato notum fuit, tum recentiores pluri-

*Suturarũ
capitis de-
fectus.*

Plures idem obseruarunt. Fallopius, *in comm. in lib. Gal. de ossib. & in obseruat. anatom.* Volcher. Coiter, *in obseruat. anatom. & Chirurg.* Reald. Columbus, *lib. 1. anatom. capit. 5.* Johan. Andreas à Cruce, *lib. 1. Chirurg. sect. 1. cap. 2.*

An valetudini cõmodus sit. Capita talia sanè firmissima & à dolore tutissima esse, & quo suturæ sunt pauciores, eò capitis valetudinem commodiorem esse, scribit Celsus, *lib. 8. de med. c. 1.* Verùm etsi hæc Celsi sententia vera sit de externis injuriis, quæ capiti occurrere possunt: tamen vaporibus & fuliginibus retentis multa incommoda cerebro accidere possunt; ac si de ijs etiam accipiatur, falsissima est. Observationes enim (qualem etiã habet Reald. Columbus, *loc. alleg.*) docent, nonnullos diurno & incurabili capitis dolore fuisse vexatos, nõ al à de causa, quàm ob futurarum def. & tum, ob quem vaporibus & exhalationibus nullus datur exitus.

Signa Diagnostica.

Angustia meatuum cerebri signa. Cognoscuntur hæc meatuum cerebri vitia ex operationibus cerebri læsis, præcipuè imminutis & abolitis. Cum enim ad actiones animales liberè per cerebri substantiam moveri, & in nervos influere debeant: si angustioribus illis meatibus redditis, & occlusis liberè moveri & in nervos influere non possint, fit inde somnus nimius, stupor, apoplexia, paralysis, pro vitij magnitudine. Nam si vitij sit leuius, ob id sensus siletem aggravantur; quod fit in sopore, vel in stupore leuiore, motusq; tunc manet, etiã in sopore quiescat.

L. I.

Si verò vitium hoc magnum sit, & sensus omnes & motus aboleantur, ut in sopore & stupore graviore; caro, aphonia & apoplexia accidere solet.

A quibus verò causis meatuum hæc angustia proveniat, porrò inquirendum. Causæ externæ, ictus, percussio, lapsus, ex aliorum relatione cognoscuntur; quæ eadem etiam, an sanguis extra vasa sua effusus mali hujus causa sit, docere potest.

Internas causas quod attinet, patiente ex ijs, quæ antea de signis intemperierum capitis cum materia diximus. Si à vapore, ejus signa aderunt, & cibus ac potus vel copiosus, vel vaporosus adsumtus est; vel alius morbus vel in toto, vel parte aliquaprehenditur, ex cujus causâ agitâtâ fursum multi vapores ferri possunt. Vapores soli nisi narcoticam vim habeant, stuporè vix excitant, soporem verò frequenter pariunt, imò & apoplexiã excitare possunt, sed quæ levior est, & quæ sola corporis agitatione & concussione sanatur. Si à pituitâ proveniat angustia cerebri, cognoscitur ex præsentè corporis constitutione, atate senili, ex anni tempore, cœliq; constitutione, & aliæ causæ pituitam generantes præcesserunt: pituitæ per nares faucesq; evacuationes consuetæ suppressæ sunt, ægerq; prius de capitis gravitate ac pòdere, pigritia in motu, oculorũ obtenebratione est conquestus, & cum multo stertore dormivit.

A sanguine si ortum habeat, dolor capitis plerumque præcessit, & rubor in facie, atque alia plethoræ, tum in toto, tum in capite præcipuè, signa ad-

R

sunt,

sunt, sanguisque per os & nares interdum erumpit. Cum à tumore est angustia, vix vivente homine is satis cognoscitur; diuturnus tamen stupor adest.

Prognostica.

1. Quò minor causæ seu obstruendo, seu comprimendo angustiam parientis vis est, eò malum levius est; quò potentior, eò gravius.

2. Hinc quæ à vapore fit obstructio, levior est, & facilius vapore discussio curatur; quàm quæ ab humore.

3. Et quò major humoris copia, eò malum periculosius est. Hinc nisi pituita per emunctoria sua evacuetur, & è meatibus, quos obstruit, aut cõprimis, excutiat; vel in spinalis medullæ principium delapsa paralyin excitat; vel cetera principium nervorum hærens, motumq; auferens, cessante tandem etiam thoracis motu, & respiratione penitus sublata, ægrum suffocat.

4. Quæ à sanguine provenit angustia, si sanguis adhuc in vasis suis hæreat, faciliè curatur: si verò è vasis effusus sit, nisi per aures, nares, & os effundatur, aut tanta ejus saltem copia sit, quæ insensibiliter discuti possit; putrescit, & inflammationem, febrem, convulsionem, & tandem mortem accersit.

5. Quæ à tumore est angustia, incurabilis est; cum tumor in cerebro abditus emolli & discuti non possit, & si quid curationis admittit, ea non alia erit, quàm quæ intemperiei cum pituitâ debetur.

6. Quæ à compressione cranii fit angustia, prout ea vel major, vel minor, & cù minore, vel majore cerebri & vasorum ejus læsione conjuncta est, & prout facilius cranium elevari potest, vel non potest, eò periculosior, & difficilior, vel minus periculosa, & faciliior curatio est.

7. Defectus saturarum incurabilis.

Curatio Angustia cerebri à vapore.

Vapor, qui continens obstructio-
nis meatus cerebri causa est, discutiendus, & ne extra cerebrum generetur, & ad id mittatur, præcavendum. Ita; materia, à qua supeditatur, evacuanda, & partis mittentis ratio habenda; ut supra, cap. 7. dictum. Proinde si à venoso genere; quod in febribus accidit, & quidem mox cum febre incipiat, ad febrem præcipuè curatio dirigenda: capitis tamè & cerebri, quod vapores recipit, ratio habenda, & ea, quæ vaporum ascensum impedire possunt, eosq; deprimere, repellere, discutere valent, usurpanda, ut supra, de intemper. capit. per consens. cap. 6. & 7. dictum. Si à ventriculo, vel utero, vel alia parte vapor ille elevatur, pars illa evacuanda, roboranda, & vapores à capite revellendi, atque in eo discutendi.

Curatio eorum, qui à Carbonum fumis, & similibus vaporibus suffocantur.

*A carbonū
fumis suf-
focatio ut
curanda.*

Partinent huc & vapores illi, qui ex carbonibus accensis, ut & illi, qui è musto ac cerevisia fervescente attolluntur, & quibusdam periculum suffocationis intentârunt, quosdam planè suffocarunt. Qui qua ratione noceant, alij aliter sentiunt, ut apud Marcellum Donatum, *de histor. medic. mirab. lib. 2. cap. 6.* Forestum, *lib. 15. observ. 26.* Parzum, *tractat. de renunciationibus, & Institut. lib. 2. part. 3. sect. 2. c. 6.* videre est: quin tamen etiam crassitie suâ cerebri meatus oppleant, negari non potest.

Quantum ad curandi rationem, danda opera, ut quamprimum vapores illi discutiantur. Itaque ægri statim in aërem liberum deducendi vel deportandi sunt, & Aqua vitæ aliqua præstans, quod vapores illos discutere potest, instillanda, cui aliquid theriacæ addi potest. Hinc vomitorium cum oxymelite exhibendum, & sternutatorium naribus instandum, atq; oleum destillatum vel balsamum rutæ, salviæ, vel simile quid naribus inungendum. Neq; omittendæ revulsiones per clysteres, frictions, & similia.

Curatio Angustiae cerebri à pituita.

Si à pituita cerebri meatus obstruente sive comprimente angustia in eo fiat, & inde seu somnus gravis, seu stupor, seu apoplexia, seu paralyxis fiat, eo modo curanda, qui supra, *c. 9. de intemper. cap. cum pituita*, propositus est: nimirum ex universo corpore pituita

evacuanda, eadem à capite revellenda, per os & nares evacuanda, & medicamentis tum internis sumptis, tum extra adhibitis discutienda, caputque calefaciendum & roborandum, ut *ibid.* dictum.

Curatio Angustiae cerebri à sanguine.

Ita si à sanguine, sive obstruente, si *Angustia cerebri à* ve comprimete, angustia est, sanguis *cerebri à* venæ sectione, cucurbitulis, & alijs *sanguine* modis evacuandus & revellendus, ac *curatio.* repellendus, ut supra, *c. 8. de intemper. cum sanguine*, dictum. Et quidè si sanguis extra venas illapsus sit, & vena aliqua seu causâ violentâ, seu quocunque modo aperta; præter ea, quæ ibi tradita sunt, & venæ frontis, & nasi, & sub lingua, derivationis gratia, aperiiri possunt, sanguisq; ne confertim affluat, repellendus, & qui jam extra vasa exstitit, evacuandus & discutendus, ut postea, *cap. 20* dicetur.

Curatio Angustiae à crani nii compressione.

Si à cranij depressione sit angustia, cranium elevandum, ut Institut. *lib. 5. part. 1. sect. 2. cap. 6.* dictum, & postea etiam suo loco de fracturis & compressione cranii dicetur. Quamvis verò in infantibus etiam sine fractura deprimi possit: curandi tamen ratio est eadem.

Curatio Angustiae Sutararum,

Si Sutaræ à vaporibus vel humoribus obstruæ sint, discutendi illi fomentis ex chamæmel, meliloto, betonica,

*Angustia
cerebri à
pituita
curatio.*

nica, stœchade, serpillo, & similibus, quæ ex superioribus nota sunt. Cavendum verò hîc à repellentibus & adstringentibus, quæ malum augment.

Vt meatus & cavitates in cerebro & capite plures sint, vel majores, id non facit accidit, nisi forsitan à prima conformatione; quæ mala incurabilia sunt; quale exemplum an. 1622. Mense Augusto, in oppido vicino, Kemberga, sese obtulit; ubi infans natus est, qui in capite foramen habebat, quod ab ore furtum ad occiput patebat, ita ut ore aperto per totum caput, quasi tubum vel canalem, transpicere liceret.

CAPUT XVIII.

De Morbis in Numero, & de Vermibus ac Calculis in Capite.

MORBUS Numeri quod attinet, etsi nullos in cerebro statui vel dari nonnulli statuunt; suo tamē modo dari & concedi possunt. Nam ut de ijs, qui Bicipites nari sunt, quorum historias recenset Schenckius, *lib. 1. observ. 15. & 16.* Platerus, *observ. lib. 3. p. 550.* nihil jam dicam. Cornutos etiam natos fuisse, atque ita hęc parte in capite quosdam abundasse, idem Schenckius, *lib. 2. observ. 24.* & Guilelmus Fabricius, *cent. 2. observ. 25.* testantur. Verum cum hæc monstruosa sint à primo ortu capitis constitutiones, nec curationem admittant, eas prætermittimus. Hoc tamen prætereundum non censemus, Barthomæum Cabrolium,

observat. II. referre, se cuidam cornu in fronte natum, cujus longitudo erat dimidiatu pedis, crassities pollicis, serena ressectu fse.

Quoniam verò Galenus, *lib. de diff. morb.* inter morbos numeri refert non solum id vitium, quod à rerum naturalium, verum etiam illud, quod à præternaturalium abundantia accidit, atque inter ea etiam vermes recenset; eum secuti, inter morbos in numero, seu rerum p. n. in cerebro abundantium hîc vermes recensebimus. Etsi n. alij aliter hac de re sentiant, ut Institut. *lib. 2. part. 1. cap. 7.* dictum, & in re obscura quisvis per me quidlibet sentire possit: tamen quia de vermibus capitis commodiore loco, quàm isto, tractari vix potest, hoc capite de vermibus agemus.

Vermes in capitis parte anteriore, *Vermes in capite generati.* ad nasi radicem, ubi oves & capræ frequenter eos habent, nasci, Avicennas, *lib. 3. fen. 1. tr. 2. c. 3.* ex Medicorū Indorum relatione narrat. Idem tamen & in alijs regionib. ac seculis accidere annotatum, & cuidam Italo ex frequenti odoratu basilicę herbæ natū scorpionem in cerebro dolores vehementes & longos, & mortem denique attulisse, Hollerius, *lib. 1. de morb. inter. cap. 1.* refert. Et è capitibus eorum, qui febre Vngarica Theriodes mortui sunt, vermes confertim prorupisse, testatur Conradinus, *c. II. de febr. malign.* Quod cõfirmat Volcherus Coiter, *in append. obs. anatom. & Chirurg.* Et Corn. Gêmas, *in append. oper. Cosmocritici,* in matronæ cujusdam, pestilenti hemitritæo extinctæ, capite aperto magnam putredinem

Bicipites.

Cornuti.

dinem circa cerebri substantiam, & inter meninges cum vermiculos, tum eimicum copiam incredibilem repertam fuisse. Valefcus de Taranta quoque, *libr. 4 c. 30.* refert, se vidisse in juvene febrē habente acutam duos trēs- vē vermes, ad formam granorum pini expulsos, & juvenem sanatum fuisse. Narrat quoq; Forestus, *lib. 9. obser. 2. in schol.* Beniventis cum multi morbo quodam ignoto è vita decederent, tādē Medicos hoc morbo interentum incidisse, & in ejus cerebro invenisse vermem rubrum, brevem; quem cum multis medicamentis vermes occidē- divim habentibus occidere non possent, tandem frustra raphani incisa in vino Malvatico coxiffe, quo medicamento vermis occidebatur, atq; hoc remedio postea simili morbo, quasi epidemio, affectos omnes curasse. Refert, *ibid.* Forestus, se quendam noviffelue Gallicā infectum, qui cum longo & diuturno capitis dolore affligeretur, nec ullis remedijs curari possēt, tandē Bononiæ cranium ejus in frontis parte superiore, quā dolor hærebat, perruptum, & vermem sub eo, supra duram matrē, nigriusculum, instar gurgulionis inventum esse, quo ablato dolor cessaverit. Ita narrat Ambr. Paræus, *lib. 9. cap. 20.* cuidam ex cranii putredine & carie supra ipsam crassam meningem vermes plures natos fuisse. Notabilis quoq; est historia, quam Francisc. Hildesheimius, *specileg. lib. 1. p. 41.* recitat, de quodam, qui vermes tredecim oblongos, lanuginosos, vivos, instar erucarum seu oniscorum, quos auriculares vocant, in capite

continuit, quiq; per fauces, nares & aures prodierunt.

Causse.

Possunt quandoque in caput irrepere ejusmodi vermes; id quod servus ille apud Hildesheimium suspicatus est, qui cum sæpius bene potus in gramine dormivisset, vermem ejusmodi unum atq; alterum in aurem irrepisse, à quo reliqui deinceps generati fuerint, credidit. In capite tamen etiam generari, ex corruptione humorum, præcipuè malignorum, certum est: id quod in malignis & pestilentib. febribus, & nonnunquam in putredine ac corruptione cranij accidit.

Signa Diagnostica.

Cognoscuntur vermes ex dolore *verminum* diuturno, qui nullis remedijs cedit, *in capite* vehementi, maximo; præsertim cum *signa.* caput movetur, & ferè lancinante, fœtore, qui per nares & os exhalat, sternutatione, & frequenti vertigine, quæ agrum corripit.

Prognosticum.

Malum hoc satis periculofum est, & curatu difficile, ac quod sæpissimè agris exitium affert.

Indicationes.

Vermes seu vivi, seu mortui, exturbandi sunt ex capite. Ideoq; præmissis universalibus, vermibus adversantia, eosq; necantia, & errhina, & sternutatoria ad eorum expulsionem usurpanda.

Curatio.

Vermes è capite tolerantia. Errhina & sternutatoria ex superioribus nota sunt: ijs tamen talia admiscenda, quæ vermes hos necare peculiari comperta sunt, ut: *succus raphani, hiera, aloë, succus fol. persicorum, abrotani, absinthij, ol. amygdal. amarar. ol. persicorum.*

Vel excipiatur naribus & ore hiant talis fumus:

R. Centaur minor. marrub. betonica, an. Drach. ij. zedoaria Drach. ß. angelic. succini, an. Drach. ij. antimon. crudi Unc. j. minij Drach. jß. boli Armeni Drach. j. aristolochia rotunda Drach. ij. absinthij Drach. iij.

Fiat pulvis carbonibus iaspersendus.

Loco verò dolenti applicetur hoc Emplastrum:

R. Aloes, pulver. lumbricor. cujuscunque descript. an. Drach. ij. fellis taurini Drach. j. olei absinth. cera, an. q. s.

F. Cerotum.

Quod emplastrum cum applicavisset, & fumum naribus ter quater vé accepisset servus ille apud Hildesheimium, vermes lanuginosi vivi tredecim per fauces, nares, & aures prodierunt, atque dolores remisserunt: post

menses tamen aliquot adhuc duo prodierunt.

Marquardo tamen, *pract. lib. 1. cap. 1. corollar. 64.* suspecta est vermium interfectio. Ideoq; hoc Emplastrum imponit capiti naso:

R. Amygdal. amarar. contusar. succi folior. persicor. abrotani, absinthij, an. Unc. j.

Misce, & capiti imponatur.

Pernares verò excipiatur vapor è lacte, ut ita vermes exeant. Commendatur & Tabaci succus, & fumus naribus attractus, ad vermes in capite occidendos.

Calculos etiam quandoque in cerebro nasci, observatum est à Medicis; *capite genit. lib. 1. observ. 81.* Exemplum etiam extat apud Guilelm. Fabricium, *cent. 1. observ. 11.*

Cognoscunturque ex dolore, qui est fixus, & nullis cedit remedijs, adest gravitas, sine excrementis tamen. Sed malum id incurabile est.

Annotavit etiam Guilelmus Fabricius, *cent. 2. observ. 2.* globulum plumbeum sclopeto emissum in caput juvenis adactum fuisse, ibique, vulnere etiam sanato, sex mensibus inter cranium & duram matrem, ad latus suturæ rectæ, nullo superveniente symptomate, remansisse.

Possent & huc referri fungi cerebri: verum cum ij saltem in vulneribus cerebri nascantur, suo loco, ubi de vulneribus cerebri agemus, de ijs dicemus.

CAPUT XIX.

*De Morbis Magnitudinis
in Capite.*

AD morbos Magnitudinis vitiatæ in capite pertinet hydrocephal⁹, & tumores cerebri, ac memb. anarum ejus. Verùm cum ij morbi compositi sint, & cum magnitudine aucta concurrat intemperies cum materia; de ijs seorsim in fine hujus libri dicemus.

Pertinet huc & illa prodigiosa capitis magnitudo, quam ex Fincelio, *de miracul. refert Schenckius, lib. 1. observ. 32.* de infante quodam, cui ad quintum mensem capitis magnitudo ita aucta est, ut in circumferentia unam æquaret. Et occurrunt similia interdum etiam capita prodigiosæ magnitudinis; sed cum ista vitia à prima cõformatione sint, incurabilia sunt. Eodem modo sese res habet de nimia capitis parvitate.

De inflammatione cerebri dicitur infra, *cap. 27.*

CAPUT XX.

De commotione cerebri.

Situs totius cerebri in homine vivente mutari non potest: in partibus verò cerebri ejusmodi affectio fieri potest, ubi ob depressionem ossis, ab ictu aliquo validiore, vel etiam sine ossis depressione, ab ictu vel collisione capitis quacumq; vehementiore, partes cerebri, præcipuè superiores, quæ alioquin ab inferiorib. disjunctæ servari debent, p. n. cum ipsis conjunguntur, cerebriq; partes quasi loco natu-

rali dimoventur. Agendum ergo huc de illa affectione, quæ vulgo Cerebri commotio nominatur. Etsi verò & angustia ferè cum ea conjungatur, & nonnunquam etiam vasa quædam rumpantur, & proinde in diversis locis de ea agi posset; tamen non in cõmodè inter morbos in situ, & ante vulnera capitis, hoc loco, de ea agi posse videtur.

Facit hujus affectionis mentionem Hippocrates, *7. aph. 58.* & Galenus, *in comm. Paræus, libr. 9. Chirurg. capit. 9. & 22. Guilelm. Fabricius, cent. 1. observ. 11. 12. cent 3. observ. 9.* & alij Hippocrates de ea scribit: *Quibus occasione aliqua cerebri vehementius fuerit concussum, multos protinus fieri necessum est.* Recentiores appellant cerebri commotionem: quo nomine malum id præcipuè intelligunt, ubi sine externo aliquo vulnere, sine cranij tractura, vel depressione, ex percussione vel lapsu vehementiore, vel cranij modiolò perforatione, vel manus illusione, vel bõbardarum & tonitruï fragore talis cõsternatio accidit, ut ægri neq; loquantur, neq; agant aliquid, sed ferè a pertis oculis immoti maneant, similes ijs, qui motu & consternatione percussis sunt, atq; attoniti. Accidere ista symptomata statuit Galenus, *loc. alleg.* quia virtus animalis retracta in cerebrum cogatur, per tales affectiones cõmotione vehementiore offensa; & propterea quietè agat, & ferietur, atq; inde organa sensuû & motus suo officio non fungantur. Et quidem hoc ita sese habere, in leviori modo faciliè cõcedi potest; in graviore tamè credibile est,

non

*Capitis
magnitu-
do vitiosa.*

*Cõmotio
cerebri.*

non solum spiritus in cerebrum vocari, sed & conturbari, & ob cerebri situm mutatum, & angustiam, motu eorum impedito, symptoma ejusmodi excitari. Ubi enim cerebrum vehementius concutitur, non solum spiritus commoventur, & conturbantur, sed & cerebri partes à naturali situ d' moventur, & meatus cerebri concutuntur; imò vasa ad cerebrum tendentia, & per ejus substantiam sparsa, ut & nervi, non solum comprimi & contorqueri, sed & rumpi possunt, si vis major sit, & inde sanguis in cerebrum effundi potest: quod sanguis per os & nares sæpè effusus testatur, à quo meatus cerebri tum obstrui, tum comprimi possunt. Et quidem, ubi cranium frangitur vel deprimitur, sit hoc facilius; integro tamen etiam eodem manente, imò capite galèa ferrea recto, vehementiore ictu cerebrum gravissimè concuti, & venæ ac arteriæ in eo rumpi possunt. Ideoq; quæ hîc de isto malo dicentur, tam in commotione cerebri cum fractura cranei, quàm sine fractura ejusdem locum habent. Facilius autem ista commotio fit syncipite percusso, quam alia capitis parte, ut historia de Nerei filia, quæ mox recitabitur, docet.

Signa Diagnostica.

Ex adstantium relatione, an æger graviter percussus vel lapsus, vel simile quid passus fuerit, cognoscitur. Symptomata autem, quæ cerebri commotionem sequuntur, hæc sunt: Si concussio minus violenta est, non statim muti redduntur, sed sopore quasi cor-

ripiuntur, non adeò tamen profundo, quin excitari possint; vel vertigo corripit: sin concussio sit vehementior, *ἀφωλία & ἐκπρωξίς*, ut Hippocrates, 7. *aphor.* 14. nominat, accidit, & auditus, visus, motusque aboletur; delirium etiam quandoque accedit, sanguis per os & nares effunditur, oculi inflammantur, & sæpè instantur; plerique hoc modo affecti vomunt, consentiente cum cerebro ventriculi officio per nervos sextæ conjugationis. Et primò quidem quicquid in ejus capacitate reperitur, evomitur: hinc quicquid à vicinis partibus affluerit, in primis bilis flava, quæ ad motum aptior, vesiculâ fellis lacescit, in ventriculum infunditur. Vbi sanguis corruptus putrescere circa cerebrum & membranas ejus incipit, cerebri & membranarum ejus inflammatio excitatur, calorque cordi communicatur; unde febris continua oritur, delirium, convulsiones, & tandem, nisi materia evacuetur, cerebri corruptio & sphacelus.

Rei hujus historiam narrat Hippocrates, 5. *Epidem.* Pulchra, inquit, erat virgo, Nerei filia, & ferè an. nata viginti, cui à femina ludente latâ manu synciput percussum est. At tum quidem oculorû caligo corripuit, & sine respiratione erat, cûq; domum pervenisset, ilicò febris vehementi correpta, & capitis dolore tentata est, cum faciei rubore. Septimo autem die ad aurem dextram pus graveolens aliquantum, rubrum, sicut ho uno amplius, prodiit, meliusq; habere, & allevari visa est. Rursus invalescète e febre in somnum propensa erat, neq; loqui poterat; faciei pars dextra contrahetur,

oleo rosaceo, vel myrtino inungendum, aut tale Cataplasma capiti imponendum:

℞. *Farin. bordai,*
fabarum, an. Unc. vj.
olei rosar. Unc. iij.
aceti q. s.

Fiat Cataplasma; quod capiti applicetur, & saepius renovetur. Sicca verò, & vehementius adstringentia vitanda sunt, cum poros obstruant, & transpirationem prohibeant, ac proinde inflammationem non arceant, sed potius accersant.

Clysteres quoque injiciendi, & repetendi, & vapores à capite avertendi, atque alia revulsiones per frictiones partium extremarum, cucurbitulas scapulis appositas, instituendæ.

Die altero Paræus venam puppis, quæ supra lambdoidem est, aperit, obturatis, ut id commodius fiat, ore & naribus, & spiritu magno conatu eliso, ut membranæ cerebri hoc modo intumescant, & sanguis extrudatur: & paucis dieb. post etiam venam frontis, & sub lingua; ut sanguis omnibus vijs è capite eliciatur.

Post quartum diem repellentibus discutientia admiscenda sunt; quale est hoc Cataplasma:

℞. *Abinthij M. j.*
flor. rosar. rubr.
chamamel. an. P. j.
farina fabarum Unc. j.
sanguinis draconis Drach. ij.
munie Drach. iij.

Cum oleo rosaceo.

Est a. Cataplasma.

Vel hoc Fomentum:

℞. *Rad. althææ Unc. iij.*

ireos,

cyperi,

calami aromatici, ana

Unc. j.

fol. salvia,
majoran.
betonic.

flor. rosa rubr.
stœchab. Arab. an. M. ss.

salis communis Unc. j.

Coquantur in vino rubro, & aqua fabrorum.

Decocto spongiâ excepto foveatur caput, ut tamen non nimis incallescatur.

Intervit etiam huic scopo *Ceratum Ceratum Vigonis*, usu comprobatum, quod ita *Vigonis* paratur:

℞. *Furfuris Unc. iij.*
farina lentium Unc. ij.
rosarum,
fol. & granor. myrti, an. Unc. j.
calami aromat. Drach. x.
chamamel.
meliloti, an. M. ss.
nuc. cupress. num. vj.
olei rosacei,
chamamel. an. Unc. iij.
cera alba Unc. iij.
thuris,
massiches, an. Drach. iij.
myrrhæ Drach. ij.

Pulverisandis pulverisatis, & liquefactis oleis cum cera

F. Emplastrum.

Tandem sola discutientia usurpanda, ex radicib. althææ, cyperi, calami aromatici, fol. salviæ; majoran. betonic. flor. stœchad. chamamel. quibus
 ad ca-

ad caput roborandum flores rosarum
rubrarum addantur.

Alexander Benedictus, *lib. i. meth.*

Emplastrū med. morb. cap. 5. *Emplastrum ex gummi*
hederæ valdè commendat, eoq; senem
hederæ. decrepitum octogenarium, qui ex ca-
pitis percussione obmutuerat, præter
omnem opinionem, se sanasse refert;
idq; etiam fracta calvariæ ossa, plus-
quam credibile sit, ferruminare scri-
bit. Paratur autem hoc modo:

℞. Gummi hederæ Unc. iij.

resina pura Unc. ℞.

cera Unc. iij.

olei rosacei Unc. ij℞.

ammoniacy Unc. ij.

terebinth. Unc. iij.

succi corymb. hederæ Unc. iij.

farina fabarum q. s.

Misceantur.

Pulli quoque columbini, vel galli-
nacei, vel catuli per medium dissecti,
vel pulmões animalium calidi capi-
ti admoti insignem discutiendi vim
habent.

Dieta.

Dieta sit tenuis, & ægervino ad
diem 14. abstineat; ut & carne ferè, &
pane ac ptisanâ, vel alio tenuiore cibo
sit contentus. Acida, salsa, & acria vi-
tanda; ægerque in quiete & tranquil-
litate continendus.

Exempla videantur apud Hippo-
cratem, 5. *Epid. num. 55.* & 7. *Epid. num.*
85. Forestum, *libro 9. observat. 30. 32.*

Exempla commotionis cerebri et-
iam habet Schenkius, *lib.*

i. observ. 47.

De Cranii depressione sine fractura.

Cum hæctenus depressionis cranij *Cranium*
aliquoties mentio facta sit, & si cra- *depressum.*
nium deprimatur, cerebri, quod unà
comprimitur, meatus angustiores
reddantur, capitis figura vitietur, & in
situ etiam vitium accidat; de ea etiam
aliquid hoc loco dicendum.

Causse.

Fit autem compressio illa à causa
violenta, percussione, casu, & quidem
nunc cum fractura cranij, de quâ suo
loco, ubi de fracturis cranij agemus,
dicetur; nunc sine fractura, de qua
hoc loco. In infantibus enim, & qui
ossa cranij molliora habent, calvariæ
ossa absq; ulla fractura comprimi pos-
sunt, idemque patiuntur, quòd plum-
bea, stannea, & cuprea vasa.

Signa.

Digitis fovea & depressura depre-
henditur; & si depressio paulò sit ma-
jor, muti fiunt, vomitus bilis adest.

Modum curandi tradidimus in In- *Quomodo*
stitut. *libr. 5. part. 1. sect. 2. cap. 6.* quibus *sit curan-*
hoc addimus, in infantibus nulla vio- *dum.*
lencia opus esse, nec aliam curam re-
quiri, quàm ut de rasis capillis cera-
tum aliquod cephalicum, ad depressa
ossa elevanda idoneum, adhibeatur.
Mollia enim infantium ossa, natura
cooperante, facilè ijs in pristinam se-
dem restituantur.

Ut ℞. Resina pini,

cera flava, an. Unc. iv.

terebinth. clara,

gumi elemi, an. Unc. iij.

olei rosacei Unc. ij.
ammoniacy Unc. jß.
farina volatilis Unc. j.
vini nigri q. s.

F. Emplastrum.

Vel applicetur *Emplastrum de gummi elemi Conciatoris*, aut *Guidonis de centaureo*.

Vel hoc *R. Massiches*,

terebinth. an. Unc. j.
gummi elemi Drach. x.
colophonia,
resina pini rec. an. Unc. ß.
ammon. Drach. i.
succi betonice,

consolidæ majoris,
minoris, ana
 Unc. j.

apij Drach. vj.

vini odorati fß. ß.

Bulliant ad consumptionem succorum & vini. Postea fortiter colentur: Colaturæ adde:

cera alba,
olei mastich. an. q. s.

F. Ceratum super ignem, quod cranium depressum suum in locum reducit.

Siriasis.

Præter hanc, quæ à causâ violenta fit, cranij depressionem, alterius ad huc mentionem faciunt Autores, quæ à causâ interna ortum habet in infantibus. Aëtius, *tetrab. serm. 4. c. 13.* Siriasin appellat, quod in syncipite cavita: quædam apparet. Σιγός enim, & ut nonnulli legunt, σιγός, apud Græcos dicitur fossa ac fovea; in qua femina feruntur. Et si verò Aëtius, *loco allegato*, saltē ab inf. immat. nece. rebri. a. membrana um. id. a. cidere:

dicit: tamen & in alijs morbis os bregmatis in infantibus nonnunquam subsidet. In Germania mulieres appellant, das Blat fallen oder schiessen. Ossa enim syncipitis parte superiore, ubi coronalis & sagittalis sutura coeunt, in infantibus non dura sunt, sed cavitatem quandam efformant, quam membrana quædam, quæ omnium postrema siccescit, & ossa evadit, quamque Arabes Zeudech, nonnulli Fontanellam, Germani das Blat appellant, tegit. Id os, seu membrana potius, ut diximus, interdum in infantibus subsidet, & à mulierib. pro lethali plerumque signo habetur: quod procul dubio accidit, cum ipsū cerebrum in morbo aliquo gravi in motu deficere incipit, nec satis dilatatur.

CAPUT XXI.

De Morbis Solutæ Unitatis in Capite & Cerebro; & primò de Contusione capitis.

R Est tertium orbi genus, soluta Unitas, quæ ut plurimū à causis externis & violentis accidit: aliquando tamen à causis internis futuræ capitis, quæ aliàs contiguæ sunt, disjunguntur, ut evidens inter eas sit distantia; (nisi quis hanc futuram distantiam ad morbes compositionis referre malit) quod evenit ab humorū vel vaporum copia, qui distendendo faciunt, ut futura magno spatio distent, ut docet Paulus Ægineta. Et tale exemplum recitat Jacob. Fōtanus, *pract. l. 1. cap. 33.*

*Suturarii
 cranij solutio.*

cap. 3. de quodam Juvene Aqvensi, in
cujus capite dissecto futuræ ferè qua-
tuor digitis invicem distabant, & è
quo ingens copia serosi humoris, qui
in ventriculis & tota substantia cere-
bri continebatur, effluebat. Scripsit
etiam nuper ad me Medicus quidam
è Silesia, pestis, quæ anno 1622. in Po-
lonia grassata est, tantam fuisse savi-
tiem, ut eâ extinctis cranium rumpe-
retur. Verùm rariora hæc sunt, & in-
curabilia. Itaq; de ea unitatis solutio-
ne, quæ à causis externis & violentis
accidit, dicamus.

Sunt autem solutæ unitatis plures
differentiæ, de quibus in Institut. libr.
2. part. 1. cap. 10. dictum: hîc imprimis
dicendum erit de contusione, vulne-
re, fracturâ, & carie. Et quidem soluta
unitas in capite, est vel in cute tantum
& carne, vel simul in pericranio, vel
etiam cranium. Et quæ in cranium est, vel
cranium totum penetrat, vel non; &
quæ penetrat, est vel sine duræ matris
læsione, vel cum eâ; & quæ cum duræ
matris læsione est, aliquando ad piam
matrem & cerebrum penetrat, ali-
quando non.

Non autem hîc dicemus de vulnere
in genere, sed quæ de eo dicenda sunt,
suo loco, ubi de partium externarum,
& habit⁹ corporis morbis agetur, ex-
plicabuntur. Hîc saltem ea, quæ capi-
ti propria sunt, persequemur; sicut &
Hippocrates, in lib. de vulneribus cap. de
ijs agit. Dicemus autem primò

De Contusione.

Contusio autem est interna mem-
bri continui solutio & collisio, extrin-

feco plerumque integro apparente,
quæ fit à re gravi, dura & obtusa, quam
sequitur *ἐκχύμωσις*, seu *ἐκχύμωμα*,
sanguinis scil. subter cutem effusio.

Causse.

Hæc fit, cum caput vel fuste, vel aliâ
re obtusâ percuitur, vel ex lapsu ca-
put rei duræ, non acutæ alliditur, &
cute plerunque integrâ venæ exiguæ
sub cute aperiuntur, sanguisque ex ijs
effunditur, & inde tumor mollis, livi-
dus, absque magno dolore, excitatur.

Fit autem duplici modo; vel cum
cutis vulnere, vel sine eo. De eâ, quæ
fit cute integrâ, primò dicemus; de al-
tera cap. sequent.

Prognostica.

1. Malum hoc, si nimirum & cutis &
cranium salva sint, si rectè tractetur,
periculo vacat.

2. Si tamen muscoli temporales
contundantur, delirium, paralysis,
convulsio, & mors inde sequi potest.
Cujus rei exempla sunt apud Glâdor-
pum, in speculo Chirurg. c. 10. 11. 12.

Indicationes.

Danda autem opera, ut humorum
affluxus prohibeatur, dolorq; si adsit,
mitigetur, & sanguis, qui sub cutem
effusus est, evacuetur, & vasorum ori-
ficia iterum claudantur.

Curatio.

Ideoq; statim initio repellentia & Curatio.
adstringentia adhibenda, eaq; sapius,
ne incalêcant, removenda. Ac pro-
inde statim capillis, si in loco capillato

contusio sit, prius abrasis, adstringentia, supra, cap. 1. & cap. 8. proposita applicanda, & oleo rosaceo locus inungendus; deinde ovi albumen bene conquassatum, vel solum, vel aquâ rosaceâ & aceto mistum, & stuppâ exceptum imponendum.

Vel tale Repellens applicetur:

℞. Olei rosacei Unc. iij.
 album. ovi. Unc. ij.
 pulv. nuc. cupressi,
 balaustrorum,
 alum. rocha,
 rosarum rubrarum, ana
 Drach. j.

Misce, & imponatur.

Vel ℞. Farina hordei,
 fabarum, an. Unc. vj.
 olei rosacei Unc. iij.
 aceti q. l.
 F. Cataplasma.

Locus ipse paulo arctius ligetur, sitq; ligaturæ initium in loco affecto, & desinat eo loco, è quo fluxum imminere metus est. Ligatura enim arcta fluxiones arceat. Medicamenta autem talia sæpius renoventur.

Secundo die vinum austerum, in quo rosæ, myrtus, betonica, & aliquid florum chamæmel. cocta sint, tepidum imponatur, & si dolor aliquis appareat, medicamentum bis de die mutetur, & locus oleo rosaceo tepido foveatur.

Si contusio major sit, & ob dolorem affluxus major metuatur, vena statim aperienda, & si corpus impurum sit, medicamentum bilem purgans exhibendum, vel etiam clyster injiciendus, & tenuis victus imperandus.

Et si dolor vehementior sit, lanâ oleo rosaceo & chamæmeliuo madidâ locus fovendus, vel decocto rosarum, radice althææ, lini, fœnugræci, betonicæ, vel unguento Alabastrino inungendus.

Ubi jam dolor sedatus, & de affluxu amplius non metus est, danda opera, ut sanguis extra vasa effusus evacuetur: quod fit vel insensibiliter, per ἀ-διδον Νεσπολιω, vel sensibiliter, materiâ in pus conversâ, & tumore aperto.

Tutius verò longè est materiam insensibiliter discutere, quàm permittere, ut in pus vertatur.

Quapropter paratur tale Cataplasma:

℞. Sum. absint hij M. jß.
 rosar. rubrar.
 flor. chamæmel.
 betonica,
 fertula campanæ, an. M. ß.

Coquantur in vino ad mollitiem. Postea contundantur, & addatur farina hordei,

fabarum, an. Unc. jß.
 pulv. sem. cumin. Drach. ij.
 olei rosar. q. l.

F. Cataplasma.

Vel imponatur emplastrum, quod capite præcedente ex Alexandro Benedicto recensuimus; aut emplastrum de betonica, aut de gummi elemi, aut ceratum Isidis, descriptum à Galeno, §. 7. γένν, c. 2. ceratum de matrisylvia, emplastrum de Ianua Fernelij, emplastrum de gratia Dei Fernelij. lib. 7. method.

Vel ℞. Emplastr. diachyl. Unc. ij.
 oxycroci,
 de meliloto, an. Unc. j.
 olei

*olei chamemel.**anethini, an. Unc. ℞.*

Malaxentur. F. Emplastrum.

*Cerotum
Vigonis de
minio.* Vel usurentur *Cerotum Vigonis de
minio*, quod emollit & discutit, & ita
paratur:

℞. *Olei chamemel.**litior. albor. an. Unc. x.**massichini Unc. ij.**pingued. vervecis ℔. j℔.**lithargyri auri Unc. viij.**minij Unc. ij.**vini boni cyathum j.*

Bulliant omnia simul agitando, primum lento, hinc fortiore igne, donec massa colorem subnigrum contraxerit:

tum adde *terebinthina ℔. iij.**pulv. mastiches Unc. ij.**gummi elemi Unc. j.**cera q. s.*

Iterum eoquantur:

F. Emplastrum.

Vel Fomentum tale paratur:

℞. *Nuc. cupressi contusar. num. x.**myrsin. Unc. j.**rosar. rubr.**absinthij,**sol. saly.**majoranae,**stachad.**flor. chamemel. an. M. ℞.**aluminis rocha,**rad. cyperi,**calam. aromat. an. Unc. ℞.*Coquantur in *vini rubri ℔. iv.**lixivij communis ℔. ij.*

Decocto caput foveatur, & post fomentationem exliccetur, & emplastrum aliquod imponatur. Forestus,

lib. 9. observ. 32. hoc emplastrum Helicæi, quodd mirum in modum humiditatem in contusionibus discutiat, commendat:

℞. *Flor. rosar. rubrar.**chamemeli,**absinthij,**betonica, an. M. j.*

Coquantur ad mollitiem, & contundantur:

adde *farin. fabar. Unc. iij.**ol. rosac.**vini nigr. slyptici, an. q. f.*

F. Emplastrum, seu potius Cataplasma.

Si verò ob humoris effusi copiam is totus discuti nequeat, & suppuratio impediri non possit, medicamentis maturantibus suppuratio promovenda, ut oleo dulci tepido, vel decocto malvæ, althææ, caricarum; vel parando ex his cataplasma, cum farina hordei, adipe gallinæ, & oleo communi; vel imponendo emplastrum tripharmacum, quod fit olei dulcis parte una, aquæ communis partibus duabus, & triticæ farinæ s. q. quibus vitellum ovi addere licet.

Ubi ex dolore & loci mollitie materia in pus conversam esse cognitum fuerit, extrahenda ea, idq; ocyus faciendum, ne pericranium, & quæ ei cōnectitur, duram matrem corrumpat. Quod fit sectione factâ in loco decliviore, & ad materiæ evacuationem commodiore. Si tēporalis musculus est cōtus, sectio non in ipso musculo, sed in loco propinquo institueda; aut si in ipso musculo sectione instituere liberat, secundum longitudinem fibrarum fiat;

fiat; ferrum tamen non nimis altè alligetur: vitandique muscoli caput moventes.

Abcessu apèrto, & materiâ evacuatâ, ulcus detergendum tali, vel simili medicamento:

Rx. *Sir. de absinth. simpl.*

rosarum. an. Unc. j.

terebinth. Unc. j. ß.

pulv. iricos,

aloes,

mastiches,

myrrha,

farina hordei, an. Drach. ß.

Ulcere mundato cavitas implèda, & cicatrix inducenda. Carnis tamen excresecntia seu *Ἐπεσώκνωσις*, quæ in hisce contusionibus frequenter suppullulat, depascenda pulverib. *καθαριεργίσις*, aut liquore illo viridi, qui in *Ἐπεσώκνωσις* quacunque utiliter, & sine omni dolore, adhibetur; qui Instituit. *libr. 5. part. 1. sect. 2. cap. 13. describitur.*

De Contusione Caputum

Puerorum.

Contusio capitum puerorum. Quia verò in primis pueri & infantes, propter capitis molem, tibiariûq; imbecillitatem sæpius labuntur, caputq; graviter offendunt, & contundunt, sanguisq; ex contusione collectus sub cute tumorem excitat; de hac in puerorum capitibus contusione in specie aliquid addemus ex Julio Cæsare Arantio, qui, in *sine comment. 1. Hippocr. de vulnerib. cap.* scribit, se juniorè, minusq; exercitatum, metuisse, ne sanguis sub cutem effusus ibi putresceret, & ad membranam descenderet; &

idcirco sectionem cuti adhibuisse, ut sanguis duceretur: sed hoc modo in maximum discrimen infantes addidisse; cum & ob sanguinem effluentem vires resolverentur, & dolore, ac clamore & ejulatu infantum, fluxio, & tandem inflammatio excitaretur: ideoq; longo rerum usu se oculatiorem factum, tandem à sectione planè abstinuisse, ac sequenti curandi modo graves etiam contusiones feliciter curasse.

Ab accepta contusione protinus, *Curatio.* ubi opus, abrafo, aut, si rasio ob dolorem fieri non possit, forfice detonso capillo, linteam, vel stuppa, ovi albumine, & aceto rosaceo madida, imponèda, & deligatione factâ, integro die naturali linteam extrinsecus iisdem madefaciendum, ne exsiccetur. Ita n. humorum cõfluentium impetus prohibetur, & aliqua pars resolvitur.

Sequenti die sequens Cataplasma imponendum:

Rx. *Pulv. rosar. rubrar.*

fol. & baccar. myrti, ana

Unc. ij.

farina fabarum,

hordei, an. Unc. j.

absinthij,

betonica, an. Unc. ß.

sem. cumini Dra. h. j.

mellis albi Unc. ij.

Cum vino nigro austero F. Cataplasma.

cui adde olei rosar.

chamemel. an. Unc. j.

Hoc medicamentum, quod appellat Benedictum, bis singulis diebus tepidè imponendum est, ut non solum con-

contusam partem, sed & circumfitas complectatur; sitque ejus quantitas, quæ unâ vice adhibetur, mediocris. Si enim sit exigua, parum habet virium, & à partis calore faciliè exsiccatur si nimia, locus affectus comprimitur. Atque in istius medicamēti usu ad diem usq; nonum vel decimum perseverandum est. Indies enim partem detumescere, & collectum sanguinem resolvi, ac per poros cutis evaporare animadvertetur; ac si calyaria etiam contusa sit, ad pristinum statû reducetur.

Cum verò dies undecimus præterierit, *Emplastrum diapalma Galeni*, corio tenuissimo illitum, imponendum, & tertio quoque die immutandum.

Post vigesimum diem ad reliquias humorum absumendas, & collisam calyariam in suum naturalem statum reducendam *emplastrum Barbarum* corio illitum applicandum. Et quamvis curatio protrahatur, & collecti, & effusi sub cutem humores tardius dissipentur, tamen curatio hoc modo feliciter expeditur.

Forellus ad tumores, qui pueris ex lapsu in capite oboriuntur, *oleum anisi* commendat; si eo tumor illinatur. Vitæ interim ætati sit sufficiens, non nimis tenuis.

Eadem curatio adhiberi potest, si infanti recens nato, in partu difficili, caput contusum & tumidû, ob sanguinem effusum, sit: sed simplicior. Solum enim diaphanicum ex rosaceo confectum tumores hos discutit.

L.l.

CAPVT XXII.

De Vulneribus Capitis sine crani, membranarum & cerebri læsione.

Et primò

De Vulnere sine Contusione.

PRIMò vulneratur caput sæpè, cranio integro manente; ubi scilicet ^{vulnus cutis capitis.} solum cutis, panniculus carnosus, ^{simplex.} musculi, & nonnunquam etiam pericranium vulneratur.

Signa Diagnostica.

Signa diagnostica quod attinet, ^{signa diagnostica.} vulnera capitis, quæ partibus cranio superpositis accidunt, & cutis carnisve vulnera dicuntur, vel ipso obtutu, vel saltem specilli indagine patefunt. Cæterarum verò partium læsiones non ita faciliè innotescunt.

Prognostica.

Quæ vulnera etsi per se periculosa non sunt; præcipuè cuti & panniculo carnosio inflicta, nemoq; ex ijs, si recte tractentur, moriatur: tamen nec illud malè dicitur: nullum capitis vulnus contemnendum esse; quod Hippocrates, *in proximo libr. de vulnerib. cap.* monuit. Ideoq; in ijs curandis, quàm in aliarum partium cutaneis, & non profundis vulneribus, plus diligentia adhibendum; cum, si quid negligatur, sæpè magnum periculum accersatur. Etenim etsi cutis solum vulnerata sit:

T tamen

tamen nisi diligentia debita adhibeatur, ulcus in crudescens non parum molestiæ exhibet, & à pure partes subjectæ corrumpuntur: aliquando febris inducitur; unde Medico quidem negotium, aegro verò periculum affertur. Exemplum notabile est apud Schenckium, *lib. 1. observ. v. 35.* de Carolo, Regis Hispaniæ filio, qui ob vulnus capitis non periculosum negligenter tractatum in vitæ periculū adductus est: & alterum, *ibid. observ. 36.* de quodam, cui ob vulnus capitis etiam non grave, sed non rectè curatum, cranij os vitiatum fuit, & hinc diuturnus & longus capitis dolor exortus, ut & apud Valeriolam, *lib. 3. observ. 1.* Guilelmum Fabricium, *cent. 1. observ. 21.*

Curatio.

*Ejus cura-
tio.*

Primò ergo videndum, quousque vulnus penetret. Nam si cutis sola læsa sit, nulla alia curandi ratio est, quam quæ alijs cutaneis vulnerib. debetur. Nimirum sanguis, si copiosius fluat, sistendus, capilli circa vulnus abradendi, & labia vulneris jungenda, ac conjuncta servanda, & ne quid labijs vulneris intercidat, neq; accidens aliquod superveniat; cavendum. Quod potissimum fit, si interna causa, quæ est *δυσμετρία* partis calida & dolorifica, quæ graviora concitat symptomata, cum caloris, tum doloris vi, & humores tenues ac mobiles, à quibus *φλεγμοῦς*, metus in imis et presentissimus, attrahit, submoveatur. Submoveatur autem, si dolori & calori, attractionis causis, resistamus. Dolori succurrimus eo, qui infra exponetur, modo;

calida verò & flàmca partis affecte inciperies corrigitur refrigerantib. nē perosis rubris, plantagine, albumine ovi. è compositis autem, unguento de cerussa, unguento de alabaistro, unguento rosaceo Mes; unguento infrigidante Galeni, vel linimento simplici; quod cōfit ex equali portione unguenti rosacei Mes. & ceroti de succo solatri. Labia vulneris solâ deligatione hinc facillè conjunguntur. Si enim capitis cutis sola incisa sit, propter capitis rotunditatem vulnus non est adeò longum, (nam si longum fuerit; procul dubio cranium simul læsum erit) neq; labia ejus ita distant, ut non facillè uniri possint. Si tamen solâ deligatione hiantia vulneris labia satis conjungi non possint, futurâ incruentâ vel siccâ ad mutuam contactum adducenda. Vulneri verò usitatum aliquod medicamentum digestivum, quod vocant, imponendum; quale fit ex.

terebinth. Drach. vj.

olei hyperic. Drach. iij.

thuris pulv. Drach. j.

ovi vitello. j.

Mistis.

Vel *Resina abietina* Drach. vj.

vitellum ovi. j.

Misce.

Vel hoc, quod valde efficax:

R. Terebinth. clara,

gummi elemi, an. Unc. jss.

pingued. castrati Unc. ij.

porci antique Unc. jss.

Liquefiant ad ignem;

Fiat Unguentum:

Pute bono apparente; quod triduum vel quatuor diebus spacio accidit, digestivo addi

addi potest aliquid mellis rosati colati, ad vulnus detergendum; vel etiam mel crudum, aut despumatum; vel resinarum & thuris dosis augeri.

Vel tale Unguentum usurpetur:

℞. *Terebinth. Venetæ* Unc. ij.

sr. rosar. vel mellis rosarum

Unc. j.

pulv. aloes,

myrrh.

mastich. an. Drach. ℞.

Misc. F. Unguentum.

Hinc Sarcoticis & Epuloticis vulnus claudendum.

Interdum tamen accidit, ut capitis cuti vulnus non punctim, vel coësim infligatur, sed lapsu, vel simili violentiâ cutis pars maxima à cranio, sine ejus latione, avellatur, ut in frötem vel latera dependeat: atque tum, nisi alio modo suo in loco cötineri possit, cutem suam nihil prohibet, ut cranium ab aë defendatur. Toti verò capiti repellens cataplasma, quale *capit. præced.* propositum, imponere necessum.

Si verò vulnus usq; ad pericranium penetraverit, illudq; læserit, danda & tunc quidem opera, vt labia vulneris conjungantur; quoniam quæcunque eute deteguntur & denudantur, ægrè ad curationem perducuntur: & sæpè accidit, ut si vel pericranium, vel cranium denudetur, etsi primò simplex fuerit vulnus; partibus tamen subjectis alteratis à sua natura deegeret, & facultate alteratrice læsâ humiditates crudæ in vulnere generentur, & postea majore labore ad pus generandum opus sit. Potest tamen & hîc labiorum vulneris conjunctio solâ deligatione

feri, nec facilè futura instituëda. Cum enim pericranium arctissimè cranio cohæreat, fieri vix potest, quin læso pericranio & cranium lædatur, & vulnecrato pericranio os ab aëre alteretur. Ideoq; cum cranium deradendum sit, tum ob has causas, tum ut cranium ad exsudationem sanguinis usque derafo sanguis ad carnis generationem facilè suppeditetur, futura, ob quam derafo cranij impeditur, vix hîc locum habet. Si tamen vulnus tam amplum sit, & labia latius distent, ac magna cutis pars, sive sola, sive cum subjectis partibus, ut temporali musculo, resecta & avulla sit: si cui vulnus tale suere libeat, videat tamen, ut solam cutem suat; non verò simul subjectum pericranium, Nam cum pericranium sit membranolum, & sensus maximè particeps, magnus dolor ex futura ista excitaretur, & facilè inflammatio suboriri, ac du a mater in consensum trahi posset. Cavendum quoque, ne labia vulneris cum violentia attrahantur: quod si faciendum esset, & cum labia vulneris sint tumida, potius futura omittenda.

Attendendum & hoc in futura, ut ita instituatur, ut saniei detur liber exitus, ne supra cranium colligatur, & cranium corrumpat. De futura in vulneribus capitis vide *cap. 24. questio. 1.*

Verùm sive vulnus suatur, sive non suatur, pericranij diligens habëda est ratio. Cum enim sit substantiæ membranæ, & per sùturas duræ meningi adnexum, dolorem, inflammationè, febrem, cövulsionem, si malè habeat,

Cutis capitis vulnera non facile suenda.

Pericranium non suendum.

Vulnus cutis capitis cū pericranij læsione.

accere fere potest. Ideo q̄, universalibus corporis evacuationibus, si opus, premissis, & circa vulnus capillis, ut antea dictum, derasis, si dolor adfit, vulnus oleo rosaceo circumcirca inungendum. Vel cataplasma ex vitello ovi, & oleo rosaceo imponendum. Et cum dolor ex pericranii læsione excitari, & sanies sub eo colligi, ac cranium corrumpere possit, pericranium, nisi satis pateat, incidendum, & os radendum, ut sanguine quasi exstillante idonea carni generandæ suppeditetur materia. Temerè tamen, & sine necessitate pericranium non secandum, neque sine causa doloribus æger infestandus; sed tum solum, cum suspicio est læsi cranij, aut insignis est cõtusio, sanguinem cruentum continens. In primis in pueris non faciliè ad hanc sectionem veniendum, ne vires in eate imbecilliores dolore & sanguinis profusione deiciantur, & vasa capitis clamore & ejulatu distendantur; unde inflammatio & alia symptómata oriri possunt; sed potius Topicis materiam resolvere conandum.

Cranio denudato Cranio verò ipsi denudato & rasoque medicamentis imponenda, ut temperamento ossis simillima, ex doctrina Galeni, 6. meth. med. capit. 6. pulveres nimirum cephalici dicti, qui parantur ex aloe, thure, cortice thuris, mastiche, myrrha, sarcocolla, bolo Armeno, sangu. dracon. farina hordei, orobi, rad. irid. Florent. vel Illyrica, aristolochia. Et quidem in mollioribus corporib. minus sicca eligenda sunt, potestque solum thus sufficere: in

siccioribus magis siccantia usurpentur:

Ut R̄. Aloes,
sarcocolla,
myrrha, an. Drach. iij.
thuris Drach. ij.
sangu. dracon. Drach. ß.
F. Pulvis.

Vel R̄. Myrrha,
aloes,
cortic. thuris,
aristoloch.
ireos,
sarcocolla, an. Drach. j.
F. Pulvis.

Vel R̄. Aloes epatica Drach. iij.
myrrha Drach. j.
thuris Drach. ß.
F. Pulvis.

Vel R̄. Aloes epatica,
rad. irid.
aristoloch. rotunda, an. Drach. ij.
myrrha,
thuris, an. Drach. j.
sanguin. dracon. Drach. ß.
F. Pulvis.

Ipsis verò vulneris labijs unguentum aliquod digestivum & sarcoticum adhibendum, qualia paulò ante proposuimus. Omnino enim primis diebus, ut pericranij dolor sedetur, illico pus movendum unguentis, quæ Chirurgi digestiva vocant. Eorum tamen usus cum in omnib. tum vel maximè capitis vulnerib. ita moderandus est, ne vulnus recens & ἀπείρωτον in ulcus diutinum & fœdidum faceat. Postea vulnere satis purgato protinus ad σαρπυνοπνοά deveniendum; qualia fiunt è thure & cortice thuris, myrrha, radic.

radic. aristolochiæ, ireos Illyricæ, aloë, sanguine draconis; & vulnus, ut dictum, consolidandum, & cicatrice claudendum. Inservit huic usui & hoc Emplastrum:

℞. Olei. rosacei omphacini completi
Unc. iij.

masticbini,

myrtini. an. Unc. j.

fucci betonicae Unc. ij.

pingued. hircin. Unc. jß.

Coquantur ad succi consumptionem, & postea colentur.

Colat. adde mastiche Drach. x.

gummi elem. Drach. vj.

terebinth. Unc. ijß.

cere albe q. s.

Iterum ebulliant, & fiat Cerotum.

Historia curati vulneris, in quo tota musculoſa capitis cutis usq; ad pericranium divulsa erat, ut tota ab occipitis initio in frontem & faciem dependeret, exstat apud Ambr. Paræum, lib. 9. cap. 15.

In omnibus autem capitis vulneribus & hoc attendendum, an vulnus telo venenato inflictum sit. Si enim venenum telo vulnere illatum sit, illud extrahendum, & alexipharmacis oppugnandum & infringendum, ut suo loco de vulneribus in genere dicitur.

*De Vulnere cum partium
externarum contu-
sione.*

Vulnus ca- Sæpè etiã accidit, ut telum, vel
pitis cum aliud quid, quo eger vulneratur, simul
cutis con- obtusum & inæquale sit; & tum vul-
rusione. nus quidem infligitur, sed cum par-

tium subjectarum, cranio tamen integro manente, contusione; quæ cum in pus abeant, paulò post ulcus latum & profundum efficitur: quod genus vulneris ita curandum:

Primò diligenter dispiciendum, ne in vulnere lapillus, festuca, capilli, vel simile quid insit, & relinquatur, & an cranium salvum sit. Et si cranium sit salvum, abradis per vulneris ambitum capillis, sanguis, si immoderatiùs fluat, sistendus, atque operanda, ne pars vel dolore, vel inflammatione corripatur; cum hoc generale axioma sit: Nullum vulnus sanari posse, nisi partis, quæ vulnerata est, temperies sese rectè habeat. Itaque, si opus est, sanguis evacuandus, humores vitiosi expurgandi, & fluxio à capite avertenda, victusque tenuis imperandus, neque ægro ova, carnes, vinum concedenda, vulnusque in ambitu, ut dolor arceatur, oleo rosaceo inungendum.

In ipsum verò vulnus, quæ pus movent; digestiva appellata, imponenda, (cùm carnes contusas in pus mutari sit necessarium) ut suppuratio quamprimùm promoveatur, & cruditas illa in labijs vulneris, quæ ab aëre alterante inducta est, quæq; Medico molestiã sæpè exhibet, ægro verò periculum affert, avertatur. Omne enim ulcus exsiccationem requirit, præter id, quod contusum, quod humectari & emolliari postulat. Videndum tamen, ne medicamenta illa sint nimis humectantia & putrescentia; sed ita constituta, ut partis calorem naturalem à contusione, externo aëre, medicamentis debilitatum,

tatum, foveant, & humores in labiis vulneris congestos attenuent: quod præstant temperatæ caliditatis, & paucæ humiditatis medicamenta, & quæ alicujus absterfionis participia sunt, ac dolorem leniendi vim habent. In quem finem in principio utendum oleo rosaceo maturo, vel solo, vel cum vitello ovi, in corporibus mollioribus quod præstantissimum est medicamentum, & requisitas conditiones omnes obtinet. In durioribus verò corporibus *resina laricina*, vel aliud digestum usurpandum.

Terebinthina usus in vulneribus.

Et omninò hîc utilissimum medicamentum est Terebinthina, omnibus vulneribus commoda, præsertim partium nervosarum, qualis pericranium est. Præservat enim contusa à corruptione & putredine, ea corroborat, dolores sedat, ulcera mundat, & si acrimoniam aliquam præ se ferat, ea facillè tollitur ablutione cum aqua betonica vel consolidæ. Et cum in passivis sicca sit, siccitas temperatur humidis, ut ovi vitello, & olei rosacei modico adjecto.

Efficax est & hoc:

℞. *Olei rosacei*,
terebinthina, an. Unc. jss.
cera Unc. ℞.
croci Scrup. ℞.

Si inflammationis metus adsit, addatur *farina hordei* Unc. ℞.

Et, ut fiat sarcoticum, addatur *corricum thuris* Unc. j.
aloes Drach. ℞.

Si dolor urgeat, reliquis medicamentis cataplasma ex radicibus al-

thææ, hordei farina, floribus meliloti, oleo rosaceo, vitello ovi, & croci momento paratum imponatur.

Cocione sese ostendente, & pure optimo appacente; quod fit circa diem septimum, vulnus abstergatur melle rosato, terebinthina, succo apij, & similibus, vel per se, vel cum digestivis mistis. Ulcere purgato sarcotica ahibenda, & humida omnia dimittenda. Cui usui inserviunt pulveres cephalici. Vel usurpetur hoc unguentum, in vulneribus capitis utile:

℞. *Artemisa*,
betonica,
scabiosa,
cauda equina,
pimpinella, an. M. j.

Contundantur, & succus exprimat;

cujus ℞. Unc. vj.
olei rosacei,
massichini,
myrthini, an. Unc. ij.

Coquantur ad succorum consumptionem.

Postea adde *aloes*,
thuris,
massiches,
sanguinis draconis,
gummi elemi,
myrrhæ, an. Drach. ij.
cera q. s.

F. Unguentum.

Cicatrix tandem emplastro diapalma, vel de betonica inducatur. Si os calvariæ detectum sit, diligenter inqui-

Inquirendum, an & ipsum aliquid damni acceperit. Et si enim fractum non sit: tamen contundi potest; unde paulo post, cum sanies in eo colligitur, maculae & puncta subrubea in eo apparent, quae postea in colorem lividum & plumbeum mutantur, ipsumque cranium deinde nigrescit, non nutritur, & emoritur, ut cum eo pericranium uniri, & caro super eo generari non possit. Tum ergo abradendum os est eoque, donec rubeus color appareat. & sanguis instar lachrimarum rubearum exstillet.

Tandem unum adhuc circa ista cutis capitis vulnera monet Paræus, lib. 9. cap. 15. nimirum, si à ferarum, vel hominis etiam morsibus tale vulnus infligatur, aliter tractandū esse, quàm si à gladio, vel alio telo inferatur; & qua ratione tractandum sit exemplis ibidem docet. Statuit scilicet, omnia ferarum, imò & hominis, morsu inflicta vulnera maligni aliquid conjunctum habere: quod nisi aliquis in contusionem, quae à dentibus fit, referre velit, procul dubio à saliva conjuncta eveniet; & proinde ejus etiam rationem habendam. Quapropter etiam labia vulneris scarificat, & saniem sanguisugis extrahit, ulcusque abluit med. camento:

℞. Mithridatij Unc. j.

theriaca Unc. ij.

unguenti Aegyptiaci Unc. ℥.

aq. vite,

cardui benedicti. an. q. s. M.

De qua re infra etiam, lib. 5. part. 4. cap. 19. dicetur.

CAPUT XXIII.

De Soluta unitate cranii, sine meningum & cerebri vulnere.

HAecenus de ea continui solutio-
ne in capite eginus, in qua tan-
tum cutis & pericranium, cranio in-
tegro & salvo, læsa sunt: jam de ea agē-
dum, in qua cranium læsum est; & pri-
mò quidem de Unitate soluta, in qua
cranio læso meninges & cerebrum
salva manent.

Differentia.

Autores autem alij alter solutæ u-
nitatis in cranio differentias recēsent, *Fractura*
& alij aliis nominibus utuntur: nos *craniij*
quot.
Hippocratem, in libro de vulnerib. cap.
secuti, qui ante omnia hac de re dili-
genter cognoscendus: siquidem neq;
superfluas, & minus utiles recensuit,
nec necessarias, & quæ frequenter ac-
cidunt omisit; quinque, & quidem
Hippocratis nominibus, recensēbi-
mus, aliis tamen aliorum autorum
appellationibus non omisis: nimi-
rum, ῥωγμῶ, φλάσιν, ἑσφλάσιν, ἕδελω,
ἔνυμφω. Aegineta, lib. 6. cap. 90. plu-
res habet differentias.

Fissura.

Fissura & fissio, ῥωγμῶ & ῥηγμῶ & ῥή-
ξις, Latinis etiā rima dicitur. Accidit *craniij*
autem fissura vel fissio, cum à gravi &
contudente telo, ut lapide, ligno, ca-
su ab alto, & in rem duram impulsū,
cranium ita læditur, ut vasis testacei in
modum

modum findatur, seu rimā agat, ita tamen, ut cranium situm suum naturalem seruet, & partes ejus loco nō moveantur. Et semper quidem à re gravi & contundente rima provenit; nōnunquam tamen simul ab incidente & acuta, ut gladio acuto, sed gravi simul. Quantò verò ossa sunt duriora, tantò sunt aptiora ad rimam contrahendam; quantò molliora, ad contusionem sunt aptiora. Sunt tamen qui rimam à fissura distinguunt, & sub rima fracturam, sub fissura sedem comprehendunt.

*Fissura
cranij
quot.*

Fissurarum autem, seu rimarū rursus sunt differentia, seu modi; & quatuor præcipuè: à latitudine seu angustia: à longitudine vel brevitate: à rectitudine & curvitate; à profunditate desumpti. Aliæ enim fissuræ conspicuæ sunt, quæ osse denudato oculis conspici, & specillo tangi possunt; aliæ verò inconspicuæ & cœcæ, quæ visui obviæ non sunt; præcipuè circa initium, antequam saniem contraxerūt. Non verò cœcæ eæ dicuntur, ut nonnulli putant, quando non is, in quem ictus incidit, locus, sed alius in cranio finditur. Hæc enim alia fracturæ differentia est, ut mox dicitur: alia media, quæ capillaris, *περιχρυσίδης* *ῥωμῆς*, & *περιχρισμὸς* appellatur, angustissima & arctissima fissura, & instar capillorum sese habens, sensumq; ferè latens; quæ tamen, si ad interiora penetret, gravissimorum symptomatū, & mortis sæpè causa est. Cum enim & oculorum obtutum effugiat, nec specillo investigari queat, læsi ossis abrasio, aut perforatio negliguntur, san-

guis contra, ruptis effusus vasis, intus coercitus putrescit.

Aliæ rursus fissuræ non per totum cranium, seu utramque laminam, penetrant; aliæ totum penetrant; ubi scilicet utraque lamina ad meningem duram usque finditur; cui fissuræ interdum & hoc accedit, quod meninx ab interna calvaria separatur, ex qua separatione vasa divulsa sanguinem effundunt, qui sub cranio collectus, nisi ipsi via ad exitum patefiat, ægro exitum affert. Aliquando solùm externa lamina finditur, internâ integrâ manente; aliquandò contrâ accidit, ut externa lamina integra mâneat, interna verò rimam seu fissuram contrahat. Cujus rei exemplum recitat Fallopius, *in libr. Hipp. de vulner. capitis cap. 13.*

Aliæ rursus fissuræ breves sunt, aliæ longæ; aliæ rectæ, aliæ curvæ. Quibus addere possumus differentiam à Numero, quod nunc una rima est, nunc duæ, vel plures.

Contusio.

Secunda differentia est *φλάσις*, *Galenus*, & *Paulo Aeginetæ*, *θλάσις*, *Contusio* *cranij*. *Contusio* & *collisio*, cum sine rima & fissura, ab irruente & illiso extrinsecus violenter, aut obstante duro aliquo & obtuso corpore, os ita cōtunditur, ut, etsi externa ejus facies ad sensum permaneat integra; in profundo tamen sit continui solutio, dum os intus deprimitur, & in se cogitur, ut idem ferè offi contingat, quod carnibus, dum à re dura non acuta læduntur, accidere so-

let. φλαζν enim contundere, & contū-
dendo emollire significat; & usurpa-
tur hoc vocabulum de piscib. & carni-
bus duris, quæ plagæ emolliuntur. Et
necessarium omnino est, ut sub ipso
ictu os in seipsū impellatur, & cavum
fiat id, quod colliditur; alioquin non
collideretur; ut verò cessante ictu ca-
vum & compressum maneat, non est
necessarium. Maxima enim ex parte
mollia ad naturalem situm regrediū-
tur, ubi percussio & vis externa cessa-
verit. Itaq; eorum sententia mihi non
videtur probabilis, qui φλαζν per de-
pressionem cranij explicant, ita ut
tangētib. & intuentibus fovea ap-
pareat, remq; explicant similitudine
vasorum cupreorum, stanneorum,
plumbeorum, quæ rebus duris allisa
introrsum pellantur, absq; solutione
continui, & foveam contrahunt. Hæc
enim fracturæ cranij species non est,
neq; ad fracturas pertinet, sed figuræ
saltem sit vitium, cum nihil neque fis-
sum, neque fractum, neque collisum
sit, s. d. os solummodò depressum; etsi
quandoque fractura conjungi possit.
Clarum verò est, & ex Hippocrate ap-
paret, eum de contusione loqui, quā-
do os nunc plus, nunc minus collidi,
& nunc altius, ac totum os, nunc sal-
tem in summo statuit; quod depres-
sioni non competit, sed contusioni.
Nisi quis fortè Hippocratem utram-
que cranij læsionem, depressionemq;
& contusionem sub nomine φλασειωσ
comprehendisse dicere velit. Utrum-
que enim fieri potest, ut scilicet cra-
nium contundatur, simulq; depri-
matur.

L.I.

Atque ita duæ contusionis seu col-
lisionis cranij species constitui pos-
sunt: una, cum cranium solummodò
in seipsum cedit, ac subsidet, sicut spō-
gia, vel caro compressa, & locum, ac
figuram naturalem non mutat; alte-
ra, cum cranium simul deprimitur, &
figuram mutat, ac foveam acquirit.
Verùm contusio hæc simplex non est,
sicut & reliquæ, cum quibus læ-
siones concurrūt; & cum fractura hæc
species sæpè concidit. Interdum enim
cranium contunditur sine rima & fis-
sura, quod in puerorum capitibus,
quorum ossa sunt molliora, ferè acci-
dit; aliquando rimam contrahit. Quo-
rum enim ossa sunt duriora, in ijs vix
contundi potest cranium, quin simul
frangatur.

Contusio rursus aliquando est si-
ne eorum, quæ sunt intra cranium, læ-
sione; aliquando verò cum eorum læ-
sione. Etenim nonnunquam ex gravi
capitis contusione non solum venæ,
sed & arteriæ ac nervi, qui sunt intra
cranium, rumpuntur; quæ contusio
periculosissima est. Et quidem venulæ
& arteriæ, quæ sub cranio rumpūtur,
non semper sub loco cranij, in quo sit
contusio, rumpuntur, sed etiam in
parte contusioni opposita vel vicinâ.
Fieri quoque potest, ut cranio in una
parte contuso, vel percusso, in aliâ
parte aliqua sutura dissolvatur, & ossa,
quæ per futuram unita erant, disun-
gantur & hient; imò etiam cranium
integrum in aliâ parte rumpatur & ri-
mam contrahat.

V

Depres-

Contusionis
cranij
species.

Depressio.

Depressio
cranii.

Tertius modus, seu differentia est ἐσφλάσεως, Latinis depressio, defessio, introcessio, contrusio, effractura; Paræo; cum scilicet os finditur, sed non ut in fissura simplici, in suo loco manet, verum intrò cedit: id quod fit ex validis telorum obtusorum, lapidum, fustium ictibus, vel capitis ex lapsu ad rem duram obtusam vehemètiore alisione. Quanquam enim depressio cranij etiam dicatur, cum craniù integrum manens intrò saltem deprimitur, sicut dum cuprea, vel stannea vasa comprimuntur: tamen inter vulnera, & unitatem solutam illa læsio non est referenda, ac osse in suum locum reducto, nihil mali amplius superest. Hic verò de ea saltem cōpressione loquimur, quæ cum fractura & comminutione est conjuncta, atq; ita non simplex fractura est, sed conjuncta, cum rima vel sede.

Differentiam hanc fracturæ aliqui non rectè explicant, & plurimi ita solum fieri docent, cum os præ ictus vehementia non solum finditur, ac intrò truditur, verum in super frangitur, fragmentumq; cranij secedens sub oram, sive limbum ossis vicini integri truditur. Quod ut aliquando fieri posse cōcedimus, & unum ἐσφλάσεως modum hunc esse admittimus: ita non semper necessarium esse putamus, ut particula ossis effracti sub os, quod integrum manet, detrudatur, & sub eo lateat: Sufficit enim ad ἐσφλάσεως constituentem, ut aliquod ossis fragmentum à toto separatum interiora, & cerebri

membranas verum detrudatur, & vel aliquibus angulis & extremitatibus acutis, quasi spiculis, meningem lædat, vel planâ superficie servatâ cerebrum comprimatur, ejusq; motum impediatur. Ego hanc læsionem cranij differentiam commodissimè fracturam in specie appellari posse existimo.

Εσφλάσεως etiam peculiaris differentia est, quæ Galeno, 6. meth. medend. c. 6. Paul. Æginetæ, libr. 6. cap. 9. καμψωσις & καμψωμα dicitur: cum scilicet fragmenta cranij deorsum compulsâ simul cum telo feriente, dum illud educitur, sursum trahuntur, ac reliquis sublimiora fiunt, ita tamen, ut Galenus, loco allegato scribit, ut, quamprimum ab integris fracturæ partibus deduci cœpit ægra, intrò magis recedat, & membranæ innitatur.

Sedes.

Quarta solutæ in crânio unitatis *Sedes fracturæ cranij species* est ἔδρη, Latinis sedes, sessio, vestigium. Erotianus per Ἀγκροπλῶ explicat, & alij ἐγρηπλῶ, Ἀγκροπλῶ, καὶ ἔδρη pro eodem habent. Incisio etiam Latinis commodè dici potest. Interpretes Hippocratis etiam hic varij sunt. Planissimè rem explicari posse puto, si dicatur, ἔδρη seu sedem, & vestigiù esse, cum à telo acuto cranium læditur, ita ut aciei teli impressi vestigium; & sedes, quâ scilicet parte telum infedit, manifestè appareat. Advenit autem ἔδρη perpetuò cum cutis & pericranij vulnere.

Verum varij hujus læsionis rursum modi sunt. Primò enim hic pertinet simplex illud vulnus, cum pugione, cul-

cultro, stylo, vel alterius rei acutæ cus-
spide cranium læditur, quæ Punctu-
ra rectè appellatur, quæque nunc ex-
ternam solum, nunc utramque tabu-
lam cranij penetrat. Deinde illud
simplex vulnus, cum à telo levi, acu-
to, & bene scindente secundum lon-
gitudinem scinditur, ita ut suum na-
turalem solum adhuc retineat, & vesti-
gium in ossè inciso appareat, quæ In-
cisio appellari potest: sitq; ea nuncita,
ut extrema saltem lamina, nunc verò
ut utraque discindatur. Tertius sim-
plex modus est, si cum incisione ali-
quid ossis deperdatur, quæ *Αφροντω*
αφροντω in specie, & dedolationem
sive excisionem nominant; dum scilicet
sicut, quando asseres ascia vel do-
labella complanantur, aliquid ligni
abscinditur. ita hic etiam aliquid de
superficie cranij abscinditur. Huc re-
ferunt nonnulli etiam id vulnus, quã-
do bombardarum & sclopetorum
glandib; aliquid cranij interdum au-
fertur.

Compositi modi sunt, cum quidem
ipsum telum acutum est, sed non satis
acutum, nec leve, sed aliquo modo
obtusum, vel grave; unde accidit, ut
cranium non solum scindatur, sed et-
iam rimam contrahat, aut contunda-
tur, imò deprimatur, & cranium ef-
fringatur. Et quidem si cranium sit
durius, cum incisione facilius si actu-
ra conjungitur; si verò sit mollius,
contusio.

Feri quoque potest, ut in exte-
riore cranij superficie solum incisionis
vestigium sese ostendat; intus tamen
rima sit.

Contrafissura.

Ultima differentia est, quam Hip-
pocrates *επιφορη*, seu infortunium,
Paul. Ægineta *απ'ηχημα*, Latini cōtra-
fissuram, seu resonitum appellant. Ne-
que sine causa hoc nomē indidit huic
malo Hippocrates. Revera enim in-
felices & infortunati sunt, qui nec ipsi
sciunt, quo loco læsi sint, neque Me-
dicus satis certus hac de re fieri pot-
est, nisi cum res ferè jam desperata
est. Accidit autem contrafissura ex re-
sultu ætus in partem à plaga distantè,
& ad resistendum minus aptam. Dum
enim aer in diploë vocata, hoc est, in
meditullio cranij, seu inter utramque
laminam, conclusus vehementer ex i-
ctu alterius loci agitatur & impellitur
undique, fit, ut loco alteri calvæ solidè
allius ipsam perfringat.

Contra-
fissura
cranij.

Et si verò de hac fracturæ specie ali-
aliter sentiunt, & nonnulli eam ad op-
positam plagæ partem simpliciter re-
stringunt; alij verò, ut Paulus Ægine-
ta, lib. 6. c. 90. hoc negant, & si quid ta-
le accidat, etiam in cōtraria parte cra-
nium collisum esse dicunt, similitudi-
nemq; vitri, utpote quòd vacuum est,
rejiciunt: tamen controversia hæc fa-
cilè decidi potest, si verbis Hippocra-
tis adhæreamus, qui non in parte op-
posita semper cranium frangi dicit, sed
alio, quàm quo vulnus est, osq; nuda-
tum fuit, loco; & addit, non scire pos-
se Medicum, ubi nam malum hæreat,
& quam parte vulneratus sit æger:
cum tamen facilè id sciri posset, si in
contraria semper parte læsio esset;

Contrafis-
sura quo
loco fiat.

liquidem æger facile significare potest, quo loco percussus & læsus sit. Itaque satis est ad hanc differentiam constitutendam, si rima non in loco sit, cui ictus infl. Etus est, sed alio, seu vicino, seu opposito. Sunt quidem nonnulli in easentia, rimam nunquam egredi extra os, in quo plaga facta est: sed contrarium docet experientia. Testatur enim Nicolaus Florentinus, *serm. 7. sum. 2. tract. 4. c. 1.* se hoc observasse in quodam artifice, qui funes faciebat, qui cum in capite fuisset percussus, factâ in loco contusionis incisione, nihil læsum repertum fuit; tertiâ postea die cum febris fuisset subsequuta, apertâ parte oppositâ copiosa fanies fuit inventa. Refert quoq; Petrus Paw, in *anatomico succenturiato*, se vidisse ictû bregmatis os sinistrû, quo loco *λαμβδαειδη* jungitur, fisso syncipitis osse dextro, idq; propè bregma, loco ita vicino coronariæ futuræ, ut ipsam rimæ pars sese extenderet.

Præterea interdum accidit, ut in externam laminam cranij ictus incidat, eaque integra maneat, altera verò non solum rimam contrahat, sed & fragmenta, quæ meningem & cerebrum pungunt, de se emittat; quod malum longè periculosissimum est: imò præter cranium & venulæ cerebri ambientes ex adversâ ictus parte rumpi, & aperiri possunt. Inde sanguis effluit, & brevi in pus mutatur; cerebri substantiam putrefacit & corrumpit: id quod se deprehendisse testatur Amatus Lusitanus, *centur. 6. curat. 110.*

Ex his, quæ dicta sunt, patet, tres;

posse constitui contraffissuræ modos. Primus est, cum locus fissus & locus percussus sunt in uno eodemque osse. Secundus, cum ejusdem ossis percussa tabula externa, eaque integrâ manente, interior dehiscit. Tertius modus est, ubi os percussum ab osse fisso futurâ determinatum est.

Potest huc & alius casus referri, ut ictus scil. in aliqua parte capitis infligatur, vas autem aliquod in meningum alterutrâ, (sæpius autem in pia matre, ob vasorum ejus tenuitatem) non eâ regione, quâ ictus illatus est, sed aliâ etiam, ad quam ictus non perlegerit, disrumpatur ob concussionis vehementiam. Sic ubi occipitio graviter percusso sanguis manasset è naribus, convaluisset percussos observavit Fallopius. Et contra fronte percussâ sanguis sub occiput, ruptis vasis, effundi, egroque malum lethale afferre potest. Exempla contraffissuræ recensent Nicol. Florentinus, *serm. 7. sum. 7. tr. 4. cap. 1.* Fallopius, in *com. in lib. Hippocr. de vuln. capit. cap. 14.* Paræus, *lib. 9. c. 8.* De loco contraffissuræ vide *cap. seq. quest. 2.*

Atque hæc sunt differentia fracturæ *Fractura- rarum cranij*, quas licet alii aliter *re- rû cranii* censeant & explicent: tamen si *differentia:* Hippocratem & ipsam rei evidentiam *unde-* consulimus, res plana est.

Pendent enim, ut breviter ista contrahamus, omnes vulnerati & fracti cranij differentia tum à telorum, quibus cranium læditur, varietate; tum ab ossis, quod læditur, ratione.

Etes.

Etenim sitelum acutum sit & leve, eoq; seu punctum, seu caesum cranium vulneretur, sit simplex Incisio, quæ è δρι, & vestigium dicitur, quâ nunc cranium perforatur, quæ in specie Punctura dici potest; nunc caesum læditur, quæ Incisio dicitur; nunc etiam particula, si ad angulum obliquâ vulnus infligatur, abscinditur, quam Dedolationem appellant: cui læsioni vicina est ea, quæ sclopetorum & bombardarum sit glandibus, quibus interdum aliquid de externa lamina tollitur. Si obtusum sit telum & grave, idq; incidat in cranium mollius, vel ictus non sit admodum vehemens, cranij Contusio accidit: si verò cranium sit solidius & durius, & ictus gravior; vel rimam contrahit cranium, vel frangitur, & pars aliqua de eo abrumpitur: si autem telum non admodum acutum sit, simulq; grave, potest fieri aliqua incisio, simulq; cranium contundi, deprimi, frangi.

Causse.

*Fractura-
rum era-
nij. causse.* Cranij istæ fracturæ, & læsiones omnes à causis evidentibus & violentis ortum habent; quæ etsi Indicationibus non considerentur: nonnihil tamen in fracturis determinandis, & ad earum quantitatem, & qualitatem definiendam faciunt.

Cum enim istæ, de quibus hætenus diximus, læsiones omnes sectione, cōtusione, tensione fiant, in telo considerandum potius, prout grave vel leve; figura, prout latum vel angustum, acutum vel obtusum est. Ab acuto enim sit incisio vel punctura, à lato & ob-

tuso contusio vel fractura: quæ omnia curiosè planè persequitur Paulus Ægineta, *lib. 6. cap. 88.*

Considerandus etiam est modus ictus & læsionis, & quod de telo dictum, idem etiam sit, si lapsu ab alto caput reb. duris illidatur. Si enim id acutum est, incisio fit; si obtusum, fractura, rima, vel contusio. Et plerunque à lapsu fit contusio, rima vel fractura, eaque major vel minor, prout casus ex loco alto, vel humiliore est, resq; cui caput alliditur, dura vel minus dura. Modus, ut dictum, ictus læsionem variat. Si enim æger rectè telo occurrat, sive manu jaciatur, sive feriat, sive quid in ipsum illabatur, sive lapsus in rem duram impingat, gravius læditur; min⁹ verò graviter, si ictus obliqu⁹ sit.

Neq; hinc solum teli & ictus conditio, sed & ossis habitus consideranda. Nam licet nullum os tam firmum sit, quin à causa violenta possit frangi: plurimum tamen interest, an sit validum vel infirmum, durum vel molle. Quod enim validum est, non nisi ab ictu vehementiore, & telo graviore frangitur; quod infirmum, etiam ab ictu & telo non admodum gravi læditur: quod molle, facilius comprimitur; difficilius, quod durum. Consistit autem ossis robur in crassitie, duritie, soliditate, tegumento: quæ omnia cum clarissimè Hippocrates explicet, ea ex libro de vulnere capitis hinc recitare libet. *Calvaria, inquit, media duplex est, ossaq; ejus & in summa parte, quâ carne tegitur, & ab ima, quâ cerebrum membrana contegit, durissima sunt; maximè densa & levia, sed eum à summo ad*

ima discedis, ex durissimis & maximè densis minus densa, mollia magis, & cava invenies, usque ad anteriorem partem, quàm inter se connectuntur. Hec autem maximè cava est, mollissima, & spongia similis. Quin & universa calvaria à summo & ab imo, parte exiguâ exceptâ, spongiam representat, pleraque est caruncula similis, madentisq; quavè, si digitis teratur, in sanguinem vertitur. Discurrunt etiam in osse venulae tenues sanguinis plenas. Quod igitur ad duritiem, mollitudinem, & cavitatem, calvaria sic se habet. Quod verò ad crassitudinem & tenuitatem, ex universo calvaria osse id tenuissimum est & infirmissimum, quod inter frontem & verticem est, idemq; paucissima & tenuissima carne tegitur. Hac etiam parte plurimum cerebri subest. Quamobrem ubi vulnus & telum aequale sit, vel etiam minus, ab hac parte magis colliditur, finditur ac desidet: in quo casu res magis ad interitum precipitat, majori negotio curatur, & vitatur mors, quàm cum id incidit qualibet aliâ capitis parte. Ex pari item vulnere, pari ictu, ubi alioquin plaga lethalis sit, homo celerius moritur, cum hac parte calvaria percussus est, quàm cum aliâ quavis; quoniam cerebrum inter frontem & verticem celerrimè ac maximè sentit id malum, quod accepit os & caro: ex ceteris os temporis infirmissimum est, quod maxilla in tempore cum calvaria committatur, & sursum ac deorsum moveatur articuli modo; quod juxta sit item, per quod facultas audiendi est, quod vena cava & valida per tempus transit. Ex universa calvaria id, quod post aures & verticem est, robustius est, & carne contine-

tur copiosiore & altiore, quàm omne id, quòd à parte priorè est. Quocirca, ubi vulnera ac tela paria similiaq; omnino sunt, atque homo aequaliter, vel etiam gravius percutitur, hac parte calvaria minus finditur & colliditur. Ac si alioquin ex vulnere homini intereundum sit, noxa in posteriore parte existente diutius trahitur; cum os ob crassitudinem diuturniore tempore pus contrahat, & inferius ad cerebri transfundat. Præterea hac parte minus cerebri subest, & plerique ex iis, qui posteriore calvaria parte vulnerantur, plures mortem evadunt, quàm ex iis, qui priori, Hactenus Hippocrates.

Neque solùm ossa pro diverso situ, verùm ætatis etiam, & temperamentatione differunt; & in aliâ ætate & temperamento molliora, in alio duriora & solidiora sunt, atque hinc facilius contunduntur & franguntur.

Signa Diagnostica.

Signa hæc petuntur primò ab effectibus seu symptomatibus, quæ plagæ supervenire statim solent: secundò à causis: tertio ipse sensus consulendus. Primùm frontem quod attinet, calvaria ipsa, cum ossa planè sit, sensusq; per se expers; neque dolorem, neque aliud grave symptomata excitare potest, sed tantùm è membranarum & cerebri compressione, puncturâ, laniatione, gravia symptomata oboriri solent: de quib. Celsus, lib. 8. c. 4. Pertusa, inquit, calvaria protinus requirendum est, num bilem vomuerit, num oculi ejus obcecati sint, num obmutuerit, num per na-

Fracti crani
signa
& exploratio à
symptomatibus.

Fes aures vé sanguis ei effluxerit, num considerit, num sine sensu quasi dormiens jaauerit. Hac enim non nisi osse fracto eveniunt. Quibus addi potest oculorum rubedo, vertigo tenebricosa. Augetur suspicio, si æger in percussione aëtu stridorem quasi fracti ossis perceperit. De his sunt aphorismi Hippocratis: *Quibus divisum est cerebrum, his febrem & biliosum vomitum supervenire necesse est, 6. aphor. 50. Quibus occasione aliqua cerebrum vehementer fuerit concussum, mutos protinus fieri necesse est, 7. aphor. 58. Propter plagam in capite acceptam stupor & desipientia, malum, 7. aph. 14. Ab ossis vulnere desipientia si in vacuū usq; penetraverit, 7. aphor. 24.* Quæ symptomata omnia eveniunt cerebro & ejus membranis affectis. Etenim cum cerebrū facultatis animalis sedes sit, & ab eo spiritus animales omnia sensus & motus organa accipiant, si cerebrum comprimatur & concutitur; & spiritus animalis motum turbarij, ejusque in organa sensus & motus influxum inhiberi necesse est. Hinc ex spirituum animalium turbatione vertiginem, ex influxu ac motu denegato lapsum, & spontanei motus abolitionem, obcæcationem, obmutescentiam, stuporem, somnumq; quasi profundum fieri necesse est. Atque ubi membranae cerebri lancinantur, trahitur ventriculus in cōsensum, ob nervos sextæ conjugationis, atque facultas ejus expultrix irritatur, ut primum ea, quæ in ipso continentur, deinde bilis (quæ ad motum apertissima, vesiculâ feilis membranaccâ eadem de causâ in consensum tractâ, facile

rejicitur) evomantur. Et cū venę & arteriæ ad cerebrum tendentes violenter rumpuntur, sanguis ex ijs effunditur, qui interdum per os, aures, nares effluit. Signa tamen hæc etsi propria sint: non tamen semper sunt inseparabilia, atq; accidere potest, ut, etsi cranium fractum sit; nihil tamen istorum appareat: si scilicet fractura sit parva, caput robustum. Quædam etiam horum symptomatum statim invadunt, ut subitus in terram lapsus, vertigo, caligo oculorum, biliosus vomitus, sanguis è naribus, auribus, palato fluens, & *æpovia*: alia postea superveniunt, ut convulsiones & epilepsia, febris, delirium, torpor, paralysis.

Idcoque etiam secundus fons si *Ab ictus* *cōditione.* gnorum consulendus, & ictus conditio perpendenda. In quo consideranda: Percutiens, capitis ictum recipientis dispositio, & instrumenti conditio. Inquirendum nimirum, an is, à quo percussus fuit æger, robustus vel imbecillis fuerit; num de industria, vel de improviso, cum vehementia, vel obliquè ictum intulerit; num ex alto vel minus alio loco; num ex propinquo, vel minus propinquo percussit. Nam si, qui vulnerat, est fortior, & de industria ac præmeditatus, aut ex loco altiore & rectè percutit, is gravius ferit, & os facile rumpit, contundit; & intrò deprimat. Et qui ex loco altiore in rem duram cadentes impingunt, iis & facile os rumpitur, & contunditur, & intro cedit. Qui vero in loco plano cadit, & in rem minus duram impingit, cranium minus affligit.

A subjecto.

In ejus verò, qui percussus est, capite percedendum, an debile & robustum sit, durum vel molle, sanum, antequam percuteretur, vel morbosum fuerit; an æger sit senex, vel juvenis; itè, quâ parte vulnus inflitum sit, & inde de lètionis vehementia conjectandum, ut modò in caussis dictum fuit.

Instrumentum tandem considerandum, an nimirum lapide, ligno, ferro, telo percussus sit, & an telum leve vel grave, acutum vel obtusum, durum vel minus durum, æquale vel asperum fuerit. Tela enim rotunda, orbiculata, & plana, obtusa, dura, gravia cranium maximè rumpunt, contundunt, & intrò deprimunt. Tela verò oblonga, tenuia, acuta, & levia magis secant, quam contundunt.

Per visum.

Tertiò sensus ipse, fidelissimus testis, fracturas detegit, & hinc Hippocrates jubet, ut Medicus, antequam quid tentetur, quò ægrum & astantes sibi confidentiores reddat, primò capillos consideret. Si enim hi telo sunt diffecti, & in vulnere ipso continètur, ossis denudati & læsi signum id esse docet. Etenim à lapide, vel alio telo cadente projecto, si extremitas ejus in angulum acutum abierit, pili sæpè & conscinduntur, & in ipsâ ossis substantiam impinguntur, ut citra rimæ abrasionem evelli non possint. Deinde vulneris conditio attendèda. Nam si vulnus longum sit in syncephite, quia ibi cutis est tenuis, & os rotundum, de cranii fractura meritò suspicio suboritur. In temporibus verò etsi vulnus sit longius, tamen quia os ibi depressum & planum est, & caro mul-

ta, os ibi fractum esse, non ita facilè suspicandum.

Verùm certior explorandi modus est per specillum. Itaq; quâ plaga est, specillum immittere oportet, neque nimis tenue & acutum, ne, cum in naturalem quandam foræam inciderit, opinionem fracti ossis frustra exhibeat; neq; nimis crassum, ne exiguè rimulè fallant. Ubi specillum os attigit, si nihil asperum, sed omnia levia apparent, integrum os habetur. Si verò eò loci extra suturas asperi quid occurrat, fractum os esse indicio est. Sutura verò, quæ & ipsa aspera est, fallere potest, & pro rima haberi. Et quamvis suturæ plerumq; naturalem suum locum habeant: tamen cum is non semper sit ita planè certus, ne fallamur, & futuram pro rimâ, vel contra habeamus, tutissimum est, os nudare, & plagam diligenter explorare. Verùm si in ipsis futuris sit vulnus, longè difficilimum est fissuram cognoscere, ut pluribus docet Hippocrates, *lib. de vulnerib. cap.* & suo exemplo, qui, *l. 5. epidem.* se hòc modo deceptum, idq; cum vulnerati pernicie, ingenuè fatetur. Sutarum enim loco cranium naturâ suâ fissum est. Itaque si his locis levior inciderit fissura, facilè pro naturali suturæ fissurâ plaga habetur, seu visu, seu specillo id explores. Idèoque diligenter omnia animadvertere oportet, & teli conditionem attendere; cum à simili telo, ejusdemq; magnitudinis, aut etiam minori ictu, atq; gravi, vel etiam leviori, multò magis homo lædatur, si telum suturas attigerit, quam si alias partes.

Celsus

Celsus specillo contentus non est, & licet nec minima rima appareat, tamen si ex tali, vel ictus conditione, & symptomatibus supervenientibus de fractura cranij suspicio sit, ossi atramentum scriptorium (quod ex sola galla fieri potest, si vitrioli acrimonia metuatur) medicamento mistum inducere jubet, & postea os radere. Quod enim fissum est, quia nigrum colorem in se recipit, nigrum manet, reliquum album naturalem colorem rasurâ acquirit.

Hanc autem fissuram hoc modo deprehensam porro secundum profunditatem radere oportet. Si enim rasiore nigredo omnis eximitur, indicio est, fissuram minorem esse; si vero deleri non potest, ad profundiora pervenit. Quæ ex Hippocrate mutuatus est Celsus, *libr. 8. capit. 4.* qui vult, ut primò ossi nigrum aliquod medicamentum imponatur; secundò linteum oleo imbutum supra extendatur; tertio cataplasma ex maza superponatur, & postridiè, resolutò vulnere, calvaria radatur. Nonnulli hoc modo fracturam explorant:

℞. *Thuris,*
ladani,
cera, an. Unc. iv.
terebinthina,
farina fabarum, an. Unc. ij.

Omnia simul imponantur. Si postridiè aliquo in loco medicamentum fuit exsiccatum, ibi fracturam esse censent. Alij hoc imponunt:

℞. *Cera nova flava,*
thuris,
L.L.

santali, an. Unc. ij.

terebinthina,

aceti,

farina fabarum, an. Unc. j.

Misc. ad ignem. Fiat Emplastrum.

Fallopius scribit, eò loci, ubi cranium contusum est, quasdam maculas seu puncta alba, instar eorum, quæ in unguibus apparent, conspici. Os enim còtusum post duos vel tres dies adhuc vivit & nutritur: post tertium autem diem sanguis, qui in partibus contusis est, exhalat, ideoque cessat rubedo.

His addiderunt alij & alia. Jubent nimirum, ut æger filum vel funiculum dentibus apprehensum alterâ extremitate teneat, alterâ Chirurgus cum fortiter intendat, & intentum manu percutiat; aut ut aliquid, quod durum est, frangi tamen facile non potest, dentibus frangere conetur. (Hippocrates, *in Coacis*, caulem asphodeli, vel ferulam masticare jubet. Videatur Durerus in *Coacis, lib. 3. tract. 2. aphor. 6.*) Dum enim hoc modo vel funiculus percutitur, vel in frangenda dentibus re dura laborat æger, ipsam facile locum affectum & cranij partem fractam deprehensurum, atq; ibi stridorem, vel strepitum percepturum existimant. Scribit tamen Ambrosius Paræus, *lib. 9. cap. 2.* etsi utrumque sæpius tentaverit, signorum tamen horum veritatem experientiâ comprobare non potuisse.

Signa verò Infortunij ab Hippocrate appellati, seu còtra fissuræ *q̄* atrasissuræ. *signa còtra fissuræ.* tinet, si quis graviter percussus, velle-

pfus fit, & symptomata supra enumerata adint, rima tamen nulla in parte laxa appareat; in parte vicina vel opposita diligenter inquirendum. Etenim in alijs partibus vulnus cicatrice obducitur, in ea verò, in qua est latès fractura, nullo modo: caro quoq; ibi mollior, tumidior, & flaccidior apparet; sanies, quæ è vulnere effluit, copiosior est, quàm pro vulneris magnitudine. Per intervalla febricula quædam percipitur; & si stylus immittatur, cutis à cranio separata reperitur. Imò, etsi cutis sub loco fracto integra sit: tamen si raso diligenter capiti emplastrum ex picè, cum liquida, tum nigra, cera, terebinthina, pulvere i-reos & mastiches imponatur; locus cutis, in quo fractura est, humidior & mollior apparet; æger etiam nihil tale cogitans cogitur subinde manus ei cranij parti admovere.

An autem utraque lamina cranij fissa sit, vel externa solum, hoc modo præter rasuram, deprehenditur: Primò æger ore ac naribus obturatis spiritum comprimatur; si utraque lamina est fissa & fracta, humor, vel spiritus cum ipso mixtus per rimam egreditur; quod tamen in osse nudo saltem locum habet. In tecto verò ex auditu id cognoscitur, cum mandendo fortiter strepitus exauditur, utràque ossis parte divisâ.

Deinde jubent, ut pulvis mastiches albumine ovi excipiatur, & in linteo extensus rimæ applicetur. Si enim post tridie medicamentum ea parte, quâ rima est, sit magis, quàm alibi, sic-

cum, indicio est, rimam ad membranas cerebri penetrare; cum calor expirans medicamentum siccet. Si non penetrat, etiam tale nihil adest. Tandem si, ut dictum, atramentum scriptorium rimæ illinatur, & cranium abradatur, quamdiu nigredo apparet, facillè, quousque rima penetrat, deprehenditur.

Si dura mater sit vulnerata, aut ab aliquo officuli fragmento pungatur, præter bilis vomitum, casum, occæcationem, vertiginem, torpor accidit, mens non constat, nervorum resolutio, vel convulsio sequitur, febris adest continua. Videatur etiam Celsus, lib. 5. cap. 26.

Prognostica.

1. Si cranium quocunque modo fracturatum sit, periculo non vacat, nec rû cranium contemni vulnus debet; etiam ubi o-
prognostica.
 b tque Ambrosius Paræus, lib. 9. capit. 13. & à veteribus proditum, & experientia confirmatum esse, in cranij fractura neminem extra periculum positum censerì debere, nisi post exactum diem centesimum: quod & Hippocrates, in præmio lib. de vulnerib. capitis, monuit. Minus tamen periculi est, si externa saltem tabula laxa sit, & minus adhuc, si incisa solum: contusio verò majus periculum conjunctum habet.

2. Si verò, utraque lamina divisa sit, & tota calvaria aperta, majus periculum adest. Minus tamen periculi est, si sedes sit, aut fissura lata & ampla.
 majus,

majus, si sit angusta; adhuc majus, si sit contusio & rima; & præcipuæ si sit rima angusta; maximum, si rima sit in alia parte ab ea, quæ ictum exceperit. Etenim etsi rima sit tam angusta, ut sensum exiguitate fallat; tamen pluribus mortis causa fuit, teste Ægineta; cujus rei historiam recitat Valleriola, in *append. loc. comm. cap. 14*. Quanquam non tam ob rimam ipsam, quam ob sanguinem supra cerebrum effusum ægri periclitentur. Periculumq; auget, si non cõset, quæ in parte fractura sit, & quod sæpè osse extra integro, nihilominus ossis aliquod fragmentum ab interna tabula separatum sit, quod dum membranis pungit, gravissimorum symptomatum, & sæpè mortis causa est.

3. Majus adhuc periculum est, si præter cranium & dura mater; maximum si simul tenuis membrana & cerebrum læsa sint: & quod vulnus profundius penetrat, eò periculosius est.

4. Ut autem hæc clarius pateant, & quantum periculi quodque vulnus habeat, appareat, aëris ambientis cõditio & regio, locus vulneris, vulneris cõditio, capitis dispositio, & ea, quæ superveniunt, symptomata consideranda. Et aërem quidem quod attinet; ætate capitis vulnera sunt periculosiora, propter inflammationis imminenti metum: hyeme quidem etiam, ob frigus; quod tamen aëre igne temperato facile evitari potest. Et si homini ex vulnere moriendum est, hyeme, quam æstate vivet diutius. Calor enim tempore hyberno vegetior est, ac æstate

humores citius incalescunt, & putredinem concipiunt.

5. In humida regione plus periclitantur ægri, quam in sicca, cum cerebrum ab humidis facile offendatur. Hinc in nonnullis regionibus vulnera capitis etiam à Chirurgis nõ satis peritis feliciter curantur; id quod sæpè in Germania accidit. In alijs verò etiã à peritissimis Chirurgis tractata ferè omnia sunt lethalia; id quod Neapoli, Florentiæ, & Bononiæ accidere solet. Fracturæ etiam, & vulnera capitis in plenilunio inflicta periculosiora sunt; cum tum corpus & caput magis humoribus abundet.

6. Vulnus quod cerebro vicinius, eò periculosius: & ex cerebro vulnerato majus, quam ex ulla capitis parte, periculum imminet.

7. In occultis rimis & contusionibus etiam non parum periculi affert, quod, quæ inter duas tabulas est medulla compressa, aliquid sanguinis effundit, qui eò loci putrescens, ossis inflammationem & corruptionem affert, ut interdum non solum aliquot post acceptum ictum septimanis, sed & mensibus. nihil malè suspicans æger moriatur: cujus rei notabile exëplum habet Petr. Paw, in *comm. in lib. Hippocrat. de vulner. cap.* de quodam, poculo stanneo in capite percusso, in quo nihil fissi deprehensum est; consolidatoq; vulnere æger bene se habere persuasum habens, post decimū mensem inter deambulandū vertigine correptus concidit, neq; diu post obiit. Aperto cranio deprehensum est, os loco ictus

planè computruisse, & meningem in consensum traxisse.

8. Vulnere in sincipite & bregmate valde periculosa sunt. Nam os illud debilius & tenuissimum est, carne tegitur paucissima, & cerebrum eò loci copiosius; ut Hippocrates, *lib. de vulnerib. capit.* habet. Reverà tamen cerebrum hoc loco, quàm alio, magis abundare non videtur; sed hîc magis arcuatur & attollitur, ut convexam cranii partem repleat, (quod forsàn etiàm intellexit Hippocrates) vicinius etiam est cranio, ac proinde hoc loco facilius, quàm aliis, ab externa violentia lædi potest. Præterea quocunq; modo æger decumbat, saniei non datur commodus effluxus. In posteriore capitis parte vulnera se contrario modo habent; quia ibi os est firmitus. Quæ in anteriore sunt parte, medio modo sese habent, cæteris paribus. Licet enim & ibi cerebrum sit copiosum, os tamen satis crassum est, & præterea viæ adsunt expurgandæ materiæ per nares & aures. Ideoq; etsitela æqualia sunt, & vis æqualis; tamen semper gravius afficitur os capitis anteri⁹, quàm occiput. Et vulnerato occipite plures evadunt, quàm in aliis capitis partibus. Et si ex occipitis vulnere homini moriendum est, vitam diutius trahit. Nam propter ossis crassitiem noxa tardius cerebro communicatur, & longiore intervallo pus generatur & colligitur.

9. Sicut ipsius ossis læsione nulla periculosa sunt vulnera, quàm quæ bregmati infliguntur; ita in tem-

porib. vulnera valde periculosa sunt, ob musculos tēporales, in quib. venæ, arteriæ, & nervi disseminantur, quib. arctè cerebro tempora connectuntur; & propterea iis læsis hæmorrhagia, convulsiones, deliria, carus, & alia symptomata accidunt. Neq; propter musculos os ibi commodè nudari & secari potest. Quib. accedit, quod maxillæ inferiori detrimentum affertur, ejusq; motus impeditur, ob læsū temporalem musculum, qui maxillæ motui addictus est, & auditus organo vicino damnum facilè afferre potest. Videatur historia hujus rei apud Guilelm. Fabricium, *cent. 2. observ. 8.*

10. Sunt quoq; vulnera periculosa in futuris, cum propter cranii eo loci imbecillitatem, tum propter duram meningem, quæ fibris ibi annectitur. Et sanies per suturas è vulnere facilè in duram matrem destillat.

11. Minus periculosum vulnus est, quod cæsum factum; magis, quod puctum; maxime, quod cum contusione. Contudentia n. præterquam, quod osse depresso cavitates cerebri cōprimunt, etiam complura alia mala inferunt, quæ ob cutis integritatē oculis nō sunt obvia; qualia sunt, totius medullaris cerebri substantiæ concussio, squammulæ alicujus ex cranij interna parte, membranas cerebri pungentis, abscessus, ruptio denique nervi alicujus molliusculi, vel venæ, vel arteriæ.

12. Rima quò latior est, & statim primis diebus apparet, eò minus periculosa: angustæ verò rimæ, & quæ non apparent, magis periculosa sunt.

Et si externa saltem lamina findatur, rima periculo vacat: periculosum verò est, ubi utraque lamina fissa est; cum sanies tum in duram matrem decedere possit: periculosissimum est, si solum interna lamina findatur; cum rima illa lateat, & in conspectum non veniat; præcipuè si festuca al. qua membranas pungat. Valde etiam periculosa est fissura, si cum depressione cōjuncta sit, & ossis pars avulsa subiectum cerebrum premat. Periculosissimum vulnus est, si rima in aliâ parte sit, quàm quâ percussa est, & vas aliquod intus in parte aliqua, quam ignoramus, rumpatur.

13. Periculosæ etiam sunt cranii depressiones, & sæpè neglectæ mortem afferunt; cujus rei exempla annotavit Guilhelm. Fabricius, *cent. 2. obs. 3.* ubi etiam rectè Felicem VVirtz refutat, qui in sua Chirurgia, *cap. 7.* statuit; non multum laborandum in cranio depresso elevando, sed negotiū totum naturæ committendum esse, & parum referre, etiam si fovea remaneat. Et si enim in infantium & mollioribus capitibus hoc locum habere possit, & idoneis emplastris adhibitis, ut supra dictum, cranium naturâ coopitulante restitatur: tamen in siccoribus & durioribus ossibus omnino elevatione cranii opus est. Spatium enim inter cranium & membranam est satis exiguum, ut eo depresso & cerebrum lædi, & motus ejus impediri possit. Imò etsi ab initio graviora symptomata non superveniant: tamen curatione neglectâ, & cranio depresso in-

curvato manente, stupiditas ingenii incurabilis sequi potest: ut id observatione peculiari docuit Guilhelm. Fabricius, *cent. 3. observ. 2. 1.*

14. Majus adhuc periculum est, si præter cranium etiam dura membrana, quacunque sui parte, præcipuè autem mediâ capitis parte, ubi sinum illum sanguine refertissimum (torcular vocant) constituit, lædatur; quo loco fauciatâ omnem illam intercapedinem, quæ inter cerebrum & duram matrem interjacet, adimplet, cum præsentaneo mortis periculo.

15. An autem ex vulnere cerebri convalescitur sit æger, ex virtutis robore, & morbi vehementia judicandum. Si enim naturæ robur sit magnum, & calor innatus sese rectè habeat, sæpè etiam periculosa capitis vulnera præter spem sanantur: contra ubi vires deficient, & calor est imbecillus, malum est indicium, præsertim si prava symptomata statim accedant. Et quò pars, quæ læditur, est nobilior, & quò læsio major, eò vulnus periculosius est.

16. Quò caput, vel naturâ, vel ex morbo, vel ex ætate, est debilius, eò vulnus est periculosius. Hinc in senibus vulnera capitis sunt periculosiora; minus juvenes & mediæ ætatis periclitantur. Nam & calor in senibus est debilior; sanguisq; minus laudabilis, & serosus minus aptam unioni & agglutinationi materiam præbet. Infantes verò, & pueri, etsi ossa habent molliora, & sanguine bono humentia; ac propterea ex sese facilius sanantur: su-

pervenientium tamen symptomatum ratione, & quod putredo in corpore calido ac humido facile excitatur, satis suspecta sunt.

17. Si caput deffillationibus obnoxium, aut æger erytyelata in capite pati soleat, aut corpus lue Venereâ infectum, aut omnino cacoehymicum sit, aut hecticâ febre, vel tabe, vel alio morbo consumptum; vulnus periculo non vacat. Cum enim ad vulnus unendum naturæ robur, & bonus sanguis requiratur; urumq; deest in hecticis, & morbo vel tabe consumptis, bonus verò sanguis in cacoehymicis. Periculosum etiam est, si quis in capite post Veneris actum vulneretur.

18. Symptomata quod attinet, duorum genera sequi solent: unum eorum, quæ affectus cerebri substantiæ, & partium vicinarum sequuntur, qualia sunt, convulsio, paralysis, deliriû, sopor, stupor, febris, & similia, quæ in toto apparêt; alterum eorum, quæ ob repentinâ spirituum animalium agitationem, turbationem, & dissipationem proveniunt, qualia sunt voce privari, non videre, non audire. A quibus symptomatibus aliquando ad se redeunt ægri, sine ullis gravibus symptomatibus supervenientibus; quamdiu scilicet nec cranium fractum, nec nervus, vena, aut membrana aliqua cerebri rupta est; aliquando verò ad se non redeunt, vel si ad se redierint, in gravissima symptomata incidunt; ubi nimirum partium harum aliqua læsa est.

19. Itaque quæ initio vulneratis accidit symptomata, min^{us} terrere debent, quàm quæ perseverant, vel

postea superveniunt. Cum enim fiant saltem ob dolorem, hæmorrhagiam, aut spirituum animalium turbationem, lethale vulnus non significant.

Quæ verò vel permanent, vel quarto, septimo die, aut deinceps, quo tempore omnia in melius mutari oportebat, accidunt, periculum portendunt, & saniei collectionem, putredinem, vel simile quid adesse significat.

20. Si nullum prævum symptoma adfit, vulnus quidem periculosum dicendum est, non tamen lethale, modo Medicus & ægro adstantes singuli suum officium faciant. Et quod de alijs morbis acutis dicitur, id & hic locum habet. Si æger quiescat, mente constet, somnum capiat, facile spiret, siti non urgeatur, cibum non fastidiat, non doleat; si febris absit, vel deserit, pus album sit, leve, æquale, non fœtidi odoris, convenientis quantitatis; si ægri facies sit similis bene valentis, & sui potissimum; si membrana sit mollis, sui coloris, liberè moveatur, caro incresecens rubicunda, ac cervicis & maxillæ quietus & facilis motus: bene præsagire licet, etsi vulnus magnum sit.

21. Si per vulnere capitis initia febris oborietur quarto, aut septimo die, id à puris generatione fieri putandum est, nec adeò periculosum est. Dum enim pus fit, dolores ac febres accidunt, 2. aphor. 47. Si verò post septimum, & eo tempore, quo jam terminari debet, incidat, periculosum; cum putredinis in cerebro, meningibus, aut cranio sit indicium: præcipuè si alia etiam adsint signa, quæ
putre-

putredinem adesse simul attestentur, ut pallidus & subflavus vulneris color. Perpendendū tamē hīc, an febris sit ab erysipelate; tum enim minus periculum conjunctum. Cognoscitur autem ab erysipelate, & biliosa materie confluxu febrem ortam esse, si cum rigore invadat, tertianę typum observet, atque sudore terminetur paroxysmus; si vulneris labia subtumida sint, unaq; tota facies; si cervix & maxilla aded rigent, ut vix caput moveri, & os diduci possit; si mordicans & pungens dolor, & calor major, quā ab inflammatione.

22. Si vulnus aridum & siccum, salutarum carnis instar, appareat, & vulneris labia depressa, & non tumida sint, nihilq; saniei vulnus emittat, & lividum ac citrinum appareat, periculosum est. In vulneribus enim magnis, si tumores non superveniant, malum: Hippocrates, 5. aphor. 66.

23. Si capitis vulnere tumor superveniens statim evanescat, malum: nisi fiat id ob evacuationem al quam per purgationem phlebotomiam, aut resolutionem: Hippocr. 5. aphor. 56.

24. Si os inito nigrum evadat, mors prædicanda & timenda.

25. Propter plagam in capite acceptam stupor aut desipientia, malum, 7. aphor. 14.

26. Si os purulentum evadit, & pustule per linguam exoriuntur, linguæque præ siccitate finditur & denigratur, ex acris saniei per palati foramina in linguam delapsu, raro evadunt ægri.

27. Si æger delirat, si memoria ab-

oletur, si lingua est incontinens, si caligant & obscurantur oculi, si aures obsurdescunt, si æger in lecto jacet immobilis, vel ex eo se præcipitem vult dare, si urina & alvi excrementa supprimuntur, si paralysis aut convulsio accedit: omnia ista vulnus lethale indicant.

28. In omnibus capitis partibus facile caro regeneratur & inducitur, excepta frontis eā parte, quæ paulum est super interstitium superciliarum; ut interdum per omnem ætatem ulcus ibi maneat. Est enim eò loci cavitas, quæ ad nasi cribrosa ossa pertingit, & excrementa, quæ alioquin per nares & oculos efferuntur, eò conflunt: Ambros. Paræus, lib. 9. cap. 12.

29. Urinæ quoque perturbatæ, quales jumentorum; cum maximam humorum corruptionem ostendant; nec non albæ & perspicuæ, utpote bilis flavæ ad caput motum significantes, periculosæ sunt. Observavit etiam Joh. Andr. à Cruce, ut, tract. 2. de vuln. lib. 1. cap. 5. refert, eos, quib. diarrhœa, dysenteria sponte supervenerit, ferè omnes periclitatos fuisse; ac quàm plures etiam, qui pollutione vexantur.

Curatio.

Si cranium læsum sit, quocunque etiam modo, corpus evacuandum, in corporib. plethoricis & cacochymicis. In ejusmodi enim corporibus etiam quæ levia sunt vulnera, ob humorum copiam prava attrahunt symptomata; multo magis verò id accidit in

Cranii
fractura
ratio.

magnis. Imò in omnibus vulneribus capitis evacuatio necessària est, in quibus sectione, dilatatione, ossis abratione opus est, & causa adest, ob quam affluxus humorum metuatur.

Ideoq; primùm, & protinus primâ die vena aperienda, cephalica vel cõmunis, modò vires id permittant, ut affluxus tenuioris sanguinis ad caput impediatur; & sanguinis tantum evacuandum, quâtum ejus copia requirit, & vires ferunt, & prout ex vulnere parçè vel copiosè effluxit; aut si venam aperire non liceat, cucurbitæ scarificatæ dorso applicentur, & scapulis, vel etiam lumbis.

Deinde corpus evacuandum medicamentis idoneis, & in primis bilem ac serum, quæ, ut mobilia, facilè ad caput feruntur, purgantib. plurimùm; omnino utilitatis in vulneribus capitis purgatio rectè instituta habet. Cõveniunt hîc sirup. rosar. & violar. solutivus, pulpa tamarindor. myrobalani; præfertim citrinæ, infusæ vel decoctæ; cum humorum ad caput motum impediunt, & caput roborant. Neque inutile est rhabarb. (alioquin quidem vaporosum, & capitis affectibus minus commodum) infusum in decocto myrobolan. citrinar. & admisto sirupo rosarum solutivo, vel pulpâ tamarindorum.

Vel injiciatur hic Clyster:

℞. Rad. pæon. Unc. j.
 parietar.
 malve,
 althæa,
 betonic. an. M. j.
 sem. pæonia, Drach. ij.

flor. borragin. P. ij.

Coquantur in aq. simpl.

Colat. ℞. ℥. j.

elect. diacathol.

Indi majoris, ana

Drach. vj.

olei liliorum alborum Unc. ii.

rutacei,

mellis anthosati, an. Unc. j.

salis Drach. ℞.

F. Clyster.

Non tamen medicamenta purgãtia sint nimis lenia; cum ob humorum ad caput motum in vulneribus capitis alvus plerumque adstricta sit. Ideoq; sirupo rosarum vel violarum solutivo, & lenibus istis medicamentis in robustiorib. Drach. j. vel Drach. ij. electuarij rosati Mesuæ, vel defusco rosarum addere utile est, cum aqua vel decocto cichorei.

Clysteres quoque sæpius repetere convenit, ut vapores à capite revelantur.

Exhibenda præterea biliosos humores alterantia, & quæ calidorum vaporum ad caput motum impediunt, caputque roborant, ut *sir. rosar. myrtynus, de endivia, granatorum, de betonica*, quæ simul serum sanguinis subducit, urinamq; movet, *cum aquis vel decocto hordei, betonica, cichorij, plantaginis, conserva item rosarum.*

Ipsum verò vulnus quod attinet, potest, ut ex superioribus patet, id varijs modis fieri. Si enim vulnus fiat ab instrumento incidente, vel pungente, non potest cranium lædi, nisi cum vul-



Rhabarb.

vulnere cutis: si verò à contudente, potest id fieri etiam sine cutis capitis vulnere, & cum eo: potest quoq; vulnus utramque laminam penetrare, vel alteram tantum. De his ergo ordine dicendum.

Et primò quidem si cutis vulnerata sit, & satis pateat, labiaq; quantum opus, diduci possint, sectione nulla opus est; sed aut digito, aut unguibus, aut instrumento obtusam aciem ex altera parte habete membrana ab osse divellenda, sic, ut labia æqualiter, & quantum satis, distent.

Pericranij sectio. Si verò cutis non satis pateat, latius aperienda, donec fissura tota in conspectum veniat: & inprimis hinc cavendum, ne quid de pericranio integrum relinquatur. Terebrâ enim vel scalpello postea laceratum dolores & inflammationem excitat, & malum facile cerebro communicat. In pericranij autem sectione id monendum, tunc eam solum tentandam, cum suspicio est læsi cranij, aut insignis est contusio, sanguinem concretum continens. Alias verò non sine causâ doloribus affligi eger debet. In pueris etiam non facile hæc sectio tentanda, & sanguinis profusione ac dolore vires ea ætate debiles dejiciendæ; sed potius operanda, ut convenientibus topicis materia discutiat.

sectio cutis capitis quomodo instituenda. Sectio verò cutis ea plerunq; commo-
dissima est, si Chirurgi operâ fieri debet. (Nam quæ ex vulnere est, necessariò talem habemus, qualem accipimus) quæ duabus transversis lineis crucis, sive literæ X. figuram exprimit;

præsertim cum fractura aut depressio magna est. Alias hæc sectio non semper necessaria est, sed etiam rectam à latere vulneris, versus ipsum vulnus, ita ut anguli recti constituentur, ex linea recta ducta supra rectam, inprimis si vulnus sit rectum vel oblongum, instituere licet, hoc modo:  vel trigonam  Sanguinis postea fluxui & dolori succurrendum linamentis, vel albumine ovi, vel vino altero madidis.

In sectione autem musculi temporales vitandi, quantum fieri potest; cum & nervosissimi sint, & cerebro vicini, & inflammationes, deliria, & convulsiones afferre soleant. Vitandæ quoque sunt suturæ; cum eò loci fibræ duræ matris pertranseant: & ad latera suturarum sectio facienda. Scribit tamen Johannes Andr. à Cruce, *tract. 2. de vulnere lib. 1. cap. 11. de necessitate cogente, & in temporibus, & in futuris felici eventu sæpè sectiones molitum esse; statuitq; consultius esse, aliquid nonnullâ cū fiduciâ, vel cum periculo facere: secutusq; est hac in re Celsus, qui scribit, urgente necessitate, & si accidentium magnitudo impellat, etiam temporum incisionem faciendam, sed juxta villorum progressum.*

In vulnere etiam frontis cavendū, ne sectio fiat per transversum. Etenim si musculus, qui palpebrâ attollit, per transversum secetur, palpebra decidit, nec oculus aperiiri potest; atq; hoc modo visio læditur: sed sectio à parte inferiore sursum versus facienda. Neque etiam sectio nimis ampla facien-

da; non solum quia turpitudine ex cicatrice majore oritur, sed pars denudata etiam imbecilla redditur. Ideoque tanta solum, quanta ad plagam detegendam opus est, sectio facienda.

Hinc ad os læsum accedendum. Cum verò cranium varijs modis lædi possit, ut supra dictum, de ijs ordine dicemus;

Et primò de fissura, in qua externa solum lamina læsa, interna integra manente.

Fissura crani in externa solum lamina. Fracturâ detectâ & denudatâ, scalpulo, seu plano, seu incurvo, seu cavo os deradendum, quamdiu vestigium aliquod fracturæ apparet: de quo in Institut. lib. 5. part. 1. sect. 2. c. 8. dictum. Quia enim in rima necessariò aliqua sanies colligitur, quæ è superpositis partibus defluit, & os atq; subjctam membranam facilè corrumpere potest; deratione ossis ejusmodi saniei collectio impeditur. Deinde quia labia in osse plerumque inæqualia & aspera sunt, ac dolorem pariunt, neque caro cum ijs facilè unitur; asperitas omnis deradendo tollitur. Tertio etiam in cognitionem fracturæ pervenimus, & quàm profunda sit, radendo cognoscimus.

Vt autem de profunditate fissuræ certius cõstet, primò super os aliquod nigri coloris medicamentum liquidum, vel atramentum scriptorium imponendum, ac vulnus sicis linamentis implendum, & cataplasma dolo-

rem leniens imponendum; postridie soluto & purgato vulnere os deradendum. Tum enim fissura, quæ nigrum medicamentum in se suscepit, nigra apparet, os verò reliquum album. Os ergo tamdiu, vel unâ vice, vel pluribus vicibus deradendum, donec tota rima aboleatur, & os totum album appareat, & sanguis instar lacrymarum exillare incipiat.

Non tamen sine causa quis hic dubitare posset, an opus sit (præcipuè in nostris regionibus, in quibus capituli vulnera non ita periculosa sunt, ut in multis locis in Italia) ita curiosè semper fracturas rimari; præcipuè non penetrantes, & tam accuratè radere. Si enim, ut postea dicetur, Galenus, 6. method. med. cap. 6. rectè monet; & ipsa experientia confirmat, fragmenta ossium longius excurrentia usq; ad finem prosequenda nõ esse, cum nulla inde noxa sequatur, & tales ossium rimas natura sponte, ut in aliis ossium fracturis, consolidare soleat: cur non etiam in his fracturis, ubi non totum cranium, sed superior saltem lamina fracta est, idem fieri possit? Vid. quest. 3. cap. sequent.

Figuræ scalprorum videantur apud Johan. Andr. à Cruce, & Ambros. Paræum, lib. 9. cap. 4.

Antequàm autem os radere incipiamus, vulnerati aures aut lanâ, aut gossypio, aut carptis linamentis obturandæ sunt, ne ex rasurâ molestiam aut strepitum æger percipiat: ægri quoq; caput ab assistantibus immobile tenendû. Dum verò raditur, vulneris labia puris

Cranii in fractura quomodo radendum.

puris linamentis munienda, ne à scalpro vel aëre lædantur.

Scalprum verò, ne attritu lōgo incalcescat, & os inflammet; vel in oleum rosaceum, vel aquam roseacā, sæpius immittere, vel, quod commodius, immutare oportet; cum aliàs etiam scalpura permutanda sint. Ideoq; scalpella & numero multa, & magnitudine differentia in promptū habere oportet.

Post rasuram, & ossis & cutis vulneratę ratio habēda. Et si verò & regeneratio partis deficientis, & rimę, & cutis coalitus naturę opus sit: adjuvanda tamen ea medicamentis. Et primò quidem pulveres cephalici supra propositi imponendi, nec pingue quid cranio imponendum. Delectus tamen hęc medicamentorum habendus. In vulnere enim exiguo, & corpore humidiorē & molliorē, sufficit thus: in maiore & sicciore, manna thuris usurpanda: si vulnus sit forēdum, & corpus valde siccum, myrrha, & alia valentius siccantia usurpanda. Et tempore quidem frigidō calida usurpanda; iris, aristolochia: tempore verò æstivo sanguis Draconis, cornu cervi. Supra os pulveres, linamenta sicca imponenda: (quę etiam in principio, si pulveres illi nō in promptu sint, semper cranio imponenda) supra linamenta verò tandem digestiva unguenta dicta, cutis & labiorum vulneris gratiā, applicanda; in primis verò in capitibus vulneribus laudatur resina abietina cum modico oleo rosaceo: & sunt supra etiam talia proposita.

Vt verò post rasionem inflammatione aliqua non excitetur, interdum a-

nodynīs uti oportet; & proinde partes circa vulnus oleo rosaceo calido fovere: deinde linteum vino calido, in quo rosę & betonica cocta sint, madidum imponendum, quod totā partem oleo inunctam cōplectatur. Aut, si inflammatio jam immineat, cataplasma ex farina hordei & rosis cum posca imponendum. Apparente jam pure ad detergendum unā & alterā vice melle rosaceo, vel solo, vel cum dicto unguento misto, utendum, prout puris major vel minor copia est. Nam si copiosum sit pus, solo melle rosaceo utendum. Vulnere deterfo sarcoticum medicamentum supra pulveres imponendum, ut unguentum Basilic. de betonica, de matrisylvia.

Tandem vulnere carne repleto, vel siccis linamentis, vel emplastro diapalma, vel alio convenienti cicatrix inducenda.

Curatio fracturę Cranii, quę utramq; laminam penetrat, sine tamen membranarum læsione.

Si verò major sit cranii læsio, quàm ut externa solum lamina fissa sit; vidēdum, qualis sit fractura. Potest enim tantum esse fissura, vel simul ossis depressio & fractura; vel etiam contusio. Si sit simplex utriusq; laminę fissura, sed sine membranarum & cerebri læsione, curanda est ut mox dicitur. Si v. cranii simul depressum sit, elevandum, ut in *Inst. tut. libr. 5. part. 1. sect. 2. c. 5. dictum*, & *Ambr. Paræus, lib. 9. c. 5.*

tradit. Si ossis aliquid effractum, & in multas testas defractum sit, & ita avulsus, ut facile eximi possit, forcipe vel volvelâ extrahendum: si pertinacius autem adhæreat; & præcipuè si membranas pungat, vel premat, velleis, forcipibus, excisoriis, scalpris eximendum: de quibus Paræus, *libr. 9. cap. 6.*

In ossibus tamen extrahendis nulla violentia adhibenda; sed si extractioni resistent, opus totum naturæ committendum; (modò ab ijs membranæ non lædatur) quæ id, quod instrumentis nullis consequi licet, facile suo tempore expedit. Multò minus cranii pars, quæ cuti vel pericranio adhuc cohæret, (etsi à reliquo cranio avulsa sit) extrahendâ, & cerebrum ac membranæ ejus, suo tegumento spoliata, nuda relinquenda, sed suo loco restituenda, & naturæ negotium committendum, quæ ipsa vel separabit, vel reliquis ea agglutinabit. Ut Paræus, *lib. 9. cap. 7.* monet, & historia curationis comprobat.

A fractura cranii quæ pericula imminuant. Si verò simplex rima sit, sed sine cerebri & membranarum læsione, ita curatio instituenda. Duo pericula hæc præcipuè imminēt. Primum est, quod sanies ad durâ matrem destillat. Cum enim ex fractura os debile effectum sit, alimentum affluens debito modo concoquere non potest; unde excrementitia quædam humiditas in loco fissuræ nascitur, & etiam in partibus incumbentibus, quæ per rimâ in membranam duram destillat: unde metuendum, ne humor hic putrescens membranam corrumpat, & inflammet; un-

de febres, convulsiones, deliria, & sæpè mors ipsa sequitur: atq; hæc vulgatissima interitus eorum, qui ex vulnere capitis moriuntur, causa est. Secundò interdum accidit, ut festuca quasi, & frustulum ossis intus separetur, ac duram membranam pungat, unde dolores acutissimi, & convulsiones oriri possunt. Itaq; præcipuus hic curationis scopus est, ut saniei huic exitus pateat, vel paretur, & si festuca aliqua cerebrum pungat, illa dematur. Ac proinde si foramen inflictum vulnere expurgando & curando non sufficiat, vel quia ex depressione ossis nimium comprimitur membrana dura, vel quia nigrescit; alterum foramen adhuc, priori vicinum, molendum est, prominentibus interstitiis cuspidibus resectis.

Quapropter curandum, ut cutis loco affecto, vel ex vulnere pateat, vel dicto antea modo aperiatur. Si verò fractura tam ampla non sit, ut per eam sanguis vel sanies, quæ ab osse & cute continuè separantur, inque duram matrem destillant, evacuari possint; cranium maturè, & quàm potest fieri, citissimè aperiendum, ut saniem expurgare, & duram membranam ab eâ mundare liceat.

Quomodo verò cranium aperiendum sit, Institut. *lib. 5. part. 1. sect. 2. c. 8.* quomodo dicitur; & tractat hac de re diligenter *Cranium aperiendū.* Joh. Andr. de Cruce, *de vulnere. libr. 1. tr. 2. cap. 13.* Aperitur autem cranium vel scalpris, vel terebra, vel modiolis. Neque enim, ut verbis Petri Paw, *in comm. in Hippocr. de vulnere capitis, utar, sem-*

semper per pristinam exsecutio, quæ trepano fit, intelligenda. Tentandum delere fissuram; planandæ ossis fracturæ; si angustæ sint valde rimæ, dilatandæ, ut superfluis exitus detur; idq; accommodatorum scalprorû usu. Ab radentes scalpri si non suffecerint, etiam ad cycliscum accedendum. Breuiter: omnia tentanda, priusquâ modiolus in usum trahatur. Periculo enim non vacat. Unde nisi summâ urgente necessitate eo non utendum. Nimirum scalpri locum habent, ubi magna fractura est, & ossa fracta vacillant, ut & in ossibus mollioribus: si verò os firmiter sit, terebr. à vel modiolus opus est. Si enim os non solum fractum, sed & effractum & depressum sit, nec terebram, nec modiolum adhibere convenit, ne osse magis compresso subjectæ membranæ lædantur; sed sano osse tunc; proximè tamen, quantum fieri potest, versus fracturam, imponenda, & cranium, quantum ad sanie exitum necessarium est, aperiendum, ossisque quàm minimum eximendum, ne membranæ valde denudatæ aliquid incommodi patiantur; sed satis est, si, quod membranas pungebat, eximatur.

Monet & hoc hinc Galenus, 6. meth. med. cap. 6. Si ossium fragmenta quædam longius excurrant, ne ea usque ad finem prosequamur; cum nulla ex eo, modò reliqua rectè peragantur, noxa sequatur, ipsâ experientia teste; ad quam etiam provocat Amatus Lusitanus, cent. 6. curat. 100. qui tales ossium rimas longius procurrentes consolidari & ferruminari vidit. Ut enim

in alijs ossibus; ita etiam in cranio natura callum obducere solet.

In scalpri verò eligendis hinc alio modo res sese habet, ac in rima, quæ externam tantum cranij laminam penetrat. Ibi enim latiora scalpri primò usurpanda, deinde strictiora & angustiora: hinc verò ab angustioribus incipiendum, & ad latiora progrediendum.

Notandum etiam hinc, quod observavit Guilelmus Fabricius, libr. 1. ob-
ter *quan-*
servat. 7. duram matrem, inter quam, *doq.* *ape-*
 & cranium plerunque spacium est, *rienda*
 quandoque arctè totam cranio adherere: quo in casu perforatio ferè inutilis est; cum sanguis non inter ipsum & membranam duram, sed infra duram membranam, seu matrem, quam vulnerare ita non licet, continetur. Si tamen necessitas id postulet, ea ipsa potius aperienda, quam perimitendum, ut æger sine auxilio moriatur. Cujus rei historia extat apud Glandorpium, in *speculo Chirurgiæ, observ.* 4. de quodâ pugili, cui cum graviter in capite vulnerato tertia die gravia symptomata supervenirent, ut suspicio esset, materiâ intrâ cranium collectam esse, cranium apertum est; verum nihil effluxit, sed dura mater in tumorem elata in conspectum venit, quæ cum scalpello incurvato, ne pia mater læderetur, aperiretur, maxima copia sanie effluxit, quæ non intra cranium & piam matrem, sed intra duram & piam matrem latuerat; quæ evacuata, & idoneis medicamentis adhibitis, æger sanitatem recuperavit.

*Quo loco
aperien-
dum.*

In apertione cranij & hoc obser-
vandum, ut in decliviori, quantum li-
cet, parte apertio fiat, (modò per fu-
turas aut per ossis tenuitatē aut cras-
sitiem liceat, & cerebrum vulneratum
non sit, quod tunc per decliviora loca
aperta exire solet) ut saniei faciliùs
exitus detur. Neque etiam perforatio
in futuris facienda est: nam quia eò lo-
ci venæ & membranæ transeunt, fer-
ro facilè lædi possunt. Et quia cra-
nium ibi imbecillius est, facilè fieri
posset, ut in terebrando ferrum præ-
ter opinionem descenderet, & mem-
branam, ac cerebrum læderet. Præter-
eà futuræ factæ sunt, ut per eas vapo-
res capitis exhalarent: si ergo callus
ibi post apertionem generaretur, ex-
spiratio impediretur. Si tamen aliter
evacuatio saniei fieri non potest, mi-
nus periculi è futurarum apertione,
quàm ex retentione saniei est. Nec
etiam in osse temporum, ctsi id læsum
sit, perforatio instituenda; cum mu-
sculos temporales secare non liceat,
ob pericula *prognost. 9.* proposita. Nec
tamen æger sine auxilio relinquendus,
sed, si necessitas id postulet, loco vici-
no, in osse sincipitis, sectio instituenda;
ut docet Galenus, *6. meth. med. cap. ult.*
& Ambros. Paræus, *lib. 9. cap. 15.* Imò si
necessitas summa ex postulet, etiam
tempora dividere, & ægrum omni o-
pe non destituere jubet Petr. Paw, *in
comm. in Hippocr. de vuln. cap. refert q;* se
vidisse alâ molæ puero ita contulum
tempus dextrum, ut aliquot ossis per-
tusi fragmenta per vulnus eximeren-
tur; nihil tamen incommodi toto cu-

rationis tempore patiente puero; imò
tempora aperi manu Chirurgi non
semel vidisse, absque ullo symptoma-
te. Duo tamen monet: primum, ut nō,
nisi summa exposcente necessitate,
tempora dividantur; deinde ut nova-
cula semper secundum ductum fibra-
rum temporalis muscoli ducatur.

Tempus aperiendi quod attinet,
dierum numero id definiri non po-
test; sed quò citius, eò melius, & si fic-
ri potest, ante quartum aperiatur.
Neque expectandum, donec gravia
symptomata superveniant; sed si ma-
lum tantum sit, ut gravia superventu-
ra symptomata metuendum sit, quā-
primum apertio cranij instituenda.
Si tamen Medicus in principio non
vocatus, vel alia de causa apertio di-
lata sit, quando cunq̄ue opus & neces-
sitas id postulat, apertio instituenda;
cū experientia docuerit, sæpè satis
longo, ab accepto vulnere, tempore,
cranium feliciter fuisse apertum,
& ægros à gravissimis symptomati-
bus liberatos. Et satiùs est, tardius
occurrere remediis malo, quàm iis
omissis sine auxilio ægrum mori sine-
re. Itaque quantum fieri potest ci-
tissimè, vel ante quartum diem, a-
pertio instituatur; præcipuè tempo-
re æstivo, quo humores facilius pu-
tredinem concipiunt. Imò Celsus
nec tertium diem expectari voluit;
cum humores interea temporis ad
membranam descendentes, & exitum
non habentes, gravissima symptoma-
ta excitent.

Si tamen fractura ita pateat, ut sa-
nicm

*Tempus a-
periendi
cranii.*

niem per eam evacuari posse spes sit: vel si materia exigua & benigna fuerit, quæque à calore nativo facile regi & discuti possit, regioque sit temperata, aer non æstuans, ægri constitutio robusta, nec is pravis humorib. scateat, neq; accidens ullum appareat; potest apertio nonnihil differri, an fortean naturæ operâ, sine sectione, æger conualescere possit.

Post perforationem si sanguis copiosius fluat, medicamento aliquo sanguini sistendo apto cohibendus: quale est, quod à Galeno, *5. meth. med. capit. 4.* describitur, quod paratur ex thuris parte una, aloes parte una & dimidia; & cum utendi tempus instat, ovi albumine ad mellis crassitiæ subigitur, & mollissimis leporis pilis excipitur, ac vulnere imponitur. Et oræ foraminis radendæ ac lævigandæ sunt instrumento lenticulari, ne asperitas in carne succrescente aliquem dolorem excitet; & si quid scobis in dura membrana collectum est, id omne detergendum.

Osse patente vel aperto, ut jam faciei exitus dari possit, de medicamentis idoneis dispiciendum, quæ patenti jam duræ membranæ imponenda sunt. De quibus Medici, cum antiqui, tum recentiores, valde dissentiunt; ut postea, in *questione 4. post caput sequens*, dicetur. Ut igitur rem in pauca contrahamus, feliciter vulnera talia curantur, ipsâ experientiâ teste; ut ex *Vallerioli, libr. 4. observat 19. libr. 5. observ. 9. lib. 6. observ. 2.* Guilemi Fabricio, *cent. 4. observ. 4.* & aliis videre est, si mel, vel

sirupum rosaceum (pauillo olei rosacei addito, si dolor urgeat) panno sericeo vel syndoni illitum membranæ imponamus, vulnus verò cephalico aliquo unguento repleamus, cranioque pulverem cephalicum inspergamus, tandemq; emplastro de betonica, vel simili cephalico id muniamus, caput verò totum oleo rosaceo inungamus. Sedato dolore & inflammatione, melli rosaceo, quod membranæ imponendum, guttula una atq; altera aquæ vitæ admisceri potest.

Cephalicum Conciliatoris celeberrimum, quod, *different. 181.* describitur, unguentum ita paratur:

- ℞. Gummi elemi Unc. iij.
- resina pini ℞. Unc. iv.
- cera Unc. vj.
- ol. rosac. Unc. iij ℞.
- ammoniac. Unc. ij.
- terebinth. Unc. iij.

F. Unguentum.

Aliud ejusdem:

- ℞. Gummi elemi Unc. iij.
- opopanax. Unc. ij.
- Bdellii Unc. ℞.
- resina pini Unc. j.
- cera q. s.

F. Unguentum.

In primis enim in capitis vulneribus utile est gummi elemi, quod, ut, *ibidem*, Conciliator scribit, attrahit, dolorem mitigat, malam intemperiem propter familiaritatem, quam cum corpore habet, corrigit.

Guilelmus Fabricius hoc primò utitur:

*Vagueria
Et Empla-
stra ad
vulnera
capitis.*

*Gummi
elemi uti-
lit as.*

℞. ℞.

*Capitis
vulnera,
patente
membrana,
quomodo
suranda.*

℞. Terebinth. aq. beton. & saly. lotæ.

Unc. j.

olei rosac. Unc. j. β.

è vitell. ovorum Drach. j.

gumm. elemi cum oleo super igne
lento dissoluti & colati Unc. β.

croci Scrup. j.

vitellos ovorum num. ij.

Misce.

Utile est & hoc:

℞. Resina pini ℔. β.

terebinth. Unc. iij.

cera,

thuris,

gummi elemi, an. Unc. β.

Misce.

F. Vnguentum.

Dolore sedato ad mundificationem hoc utitur:

℞. Pulv. caryophyllat.

angelic.

aristolechia rotunda,

ireos Florentin. an. Drach. j.

extract. salvia,

betonica, an. Drach. ij.

gummi elemi, oleo rosaceo dissolut.

Drach. ij.

mellis rosati q. s.

aquæ vitæ parum,

Misce in mrotario,

F. Vnguentum.

Emplastrū Emplastrum de betonica ita paratur:

de betoni-
ca.

℞. Betonica M. ij.

matri sylvia,

salvia,

hyperici,

millesfolij,

pilosella,

consolid. minor, an. M. j.

centaur. minor.

major.

pimpinell.

verbena, an. M. β.

terebinth. clara Unc. xx.

olei rosac. Unc. x.

resina pini,

gummi elemi, an. Unc. j. β.

Herba contundantur & terantur, ac affundantur vini albi ℔. ij. Digerantur per dies viij. vel plures, ac quotidie agitentur. Hinc coq. ad tertiam partis consumptionem, colentur, exprimantur. Post reliqua, & ceræ q. s. addantur, & f. a.

Fiat Emplastrum.

Alij hac descriptione Emplastri de betonica utuntur:

℞. Betonica viridis,

pimpinella,

agrimon.

salvia,

pulegii,

millesfol.

consolida majoris,

matri sylvia, an. Unc. vj.

thuris,

mastich. an. Drach. iij.

ireos,

aristoloch. rotund. an. Drach. vj.

cera alba,

terebinth. an. Unc. viij.

gummi elem. Unc. ij.

resina pini Unc. vj.

ol. abietini,

vini albi, an. q. s.

Herbæ in mortario confusæ octo diebus in vino albo maccantur, & sepius agitentur, tandemque ebulliant.

Ex-

Expressum & colatum vinum co-
quatur ad tertie partis consumptionem,
& addatur ol. abietinum, postea
cera liquata, & hac fusâ, resina & gum-
mi, deinde terebinthina, quibus pau-
lum refrigeratis reliqua trita, & creta:
& manibus assidue subigantur, dum
totus humor exeat. Tandem ad for-
mandam massam additur lac capril-
lum, iterumq; manibus continenter
medicamentum subigitur.

Emplastrū cephalicū Basilicum
ita paratur:
Bz. Herbar. viridium; betonica,

*plantag.
matri sylv.
pimpinell.
rorismarin.
an. M. ℞.*

Contusa macerentur per diem
in olei rosac. Unc. iij.
*mastich. Unc. j.
pinguedinis recentis vitulina,
porcina, an. Unc. ij.*
Deinde adde vini Unc. vj. Coquan-
tur ad vini consumptionem.
Colentur. Postea adde
*mastich.
gummi elemi,
resina pini,
lithargyri, an. Unc. ℞.*

Rursum coquantur, donec subni-
grum acquirant colorem, semper agi-
tando, tandemq; addantur
*terebinth. clara Unc. ij.
cera q. s.*
Fiat Emplastrum.
Guilelm. Fabricius tale parat:
Bz. Emplastri de betonica Unc. iij.

*gummi elemi oleo rosaceo dissol.
Unc. j.*

*puly. rosar. rubr.
myrtillor. an. Drach. j.
mastiches,
calami aromatici,
angelica,
caryophyllor. an. Unc. j.
olei & cera q. s.
F. Emplastrum.*

Emplastrum Fr. Arcæi:
*Bz. Olei rosac. omphacini & completi
Unc. ij.*

*mastich.
myrtin. an. Unc. j.
pingued. hirci Unc. j. ℞.
succu betonic. Unc. j.
Coqu. ad consumptionem succi.
Adde mastiches Drach. x.*

*gummi elemi Drach. vj.
terebinth. Unc. ij. ℞.
cera alb. q. s.
Iterum ebulliant,
F. Emplastrum.*

Est & hoc utile:
*Bz. Gummi elemi,
resina pura, an. Drach. ij.
cera Unc. j. ℞.
ol. rosac. Drach. vij.
ammoniac. Unc. ℞.
terebinth. Drach. vj.
succu betonic. Drach. x.
F. s. a. Emplastrum.*

Habet & hic locum Emplastrum
Alexandri Benedicti, quod lib. I. cap. 5.
describit, quod supra, cap. 20. propo-
suimus.

Felix Wirtz hoc suum laudat Un-
guentum.

℞. *Serpicervini*,
mellis despumati, an. Unc. ℞.
aloes hepatica pulverisat.
 Drach. j.

Misce.

Johan. Andr. à Cruce hoc feliciter
 usus est:

℞. *Vini* Unc. xx.
succi betonic. Unc. iv.
calaminthæ Unc. ij.
myrrhæ,
thuris,
aloes,
sanguinis draconis,
centaur. minor.
granor. hyperic. an. Drach. j.

Pulverisanda pulverisentur, ac omnia
 misceantur, & per biduum maceren-
 tur.

Postea lento igne ad tertiæ partis
 consumptionem coquantur;

Addantur *mellis rosæ*. Unc. iv.

Iterum parum bulliant: vase ab igne
 remoto adde *aquæ vitæ*, vel *spiritus vini*:
 Unc. vj. Colentur:

Tandem adde *olei terebinth.* Unc. iv.
 & in vase vitreo clauso ferventur.

De betonica Unguentum Hieron.
 Fabricij ab Aquapendente:

℞. *betonic. viridis* M. viij.

Contundantur: contusis addan-
 tur

ol. communis ℞. iv.

cera,

terebinth. an. ℞. j.

Coquantur & exprimantur.

Expresso succo iterum adde
betonic. viridis contusæ M. viij.

Iterum coquantur. & exprimantur.

Plura talia unguenta & emplastra
 videantur apud Andream à Cruce, lib.
de vulner. tract. 2. cap. 16.

Sunt nonnullis, præcipuè ubi do- *Aquæ*
 lor & inflammatio non adest; (Nam *spiritus ad-*
 dum pars præter naturam calêt, & *vulnera*
 sanguis ac spiritus ad locum affectum *capitis.*
 confluunt, non ita tutò adhibentur)
 aquæ vitæ in usu; & quod Galenus de
 Eudemi medicamento testatur; idem
 etiam multi de aquis & spiritibus istis
 prædicant, quæ propterea apud plu-
 res nationes in usu sunt, videnturque
 membranarum cerebri naturæ sicæ
 optimè convenire; ideoq; unam & al-
 teram formam adscribemus.

Johannis de Vigo hæc est:

℞. *Aq. ardentis* seu *spiritus vini*
 Unc. x.

myrrhæ Unc. j.

aloes Unc. ij.

sarcocollæ,

thuris, an. Drach. ij.

croci Scrup. j.

Misce.

Limum vulneris linamento isto li-
 quore imbuto repleatur, & hinc em-
 plastrum de betonica, vel aliud appli-
 cetur.

Jacob. Carpentis hæc est:

℞. *Aq. vitæ* ℞. v.

vini Malvatici ℞. ij. ℞.

aloes,

myrrhæ,

thuris, an. Unc. j. ℞.

puly. rad. consolid. major. Unc. ij.

centaur. minor. Unc. i. ℞.

hyperici Unc. ℞.

terebinth. clara ℞. j.

Omnia

Omnia misceantur, & per mensem stent in vase vitreo optimè obturato. Postea colentur & exprimantur. Expressum usui fervetur, in quo lintea pura madefiant, & vulneri imponantur.

Alia: ℞. *Spiritus vini* Unc. iß.
aloes hepatic. Unc. j.
myrrha Drach. iij.

Super lento igne misceantur.

Alia: ℞. *Spiritus vini rectificati* ℥. ij.
massiches,
myrrhe,
thuris,
gummi elemi,
hedera,
ammoniac.
popanac.
bdellij,
matrisylv.
betonic. an. Drach. j.
theriaca Unc. j.

Contundenda contundantur, & omnia misceantur, simulq; stent in infusione vitro clauso per triduum; inde destillentur in B. M. Destillatum usui fervetur: vel potius, ubi in spiritu vini soluta fuerint solvéda, colétur. In destillato, seu liquore, linteamina pura madefiant, ijsq; vulnus repleatur; & deinde emplastrum de betonica, aut de matrisylv. imponatur.

Monet híc etiam Ambros. Paræus, *lib. 9. cap. 18.* quod os, quod terebra attingit, vel aër afflavit, squammas semper emittit; ad quam desquaminationem celerius promovédam adspergit pulverem ex eruca, pœonia, cucumere sylvestri, & aristolochia. Prohibet ved, ne squammam detrahat Chirur-

gus, sed totum negotium naturæ committat. Delquamato ossi cephalicum pulverem adspergit.

Neq; solum vulneris, sed & partium vicinarum habenda ratio est. Ideoq; in principio opus est repellentibus & exsiccantibus, ut materiæ influxus prohibeatur, & quod influxit, exsicceatur, partesq; vicinæ roborentur.

In hunc usum Hippocrates, *libr. de vulner. capit.* cataplasma componit ex farina hordei, & oleo rosaceo; quod omnibus medicamentis reliquis ultimo, ut & vulnus, & partes vicinas complectatur, superponendum.

Vel fiat tale, tempore ætatis;

℞. *Farin. hordei* Unc. viij.
olei rosacci Unc. iv.
posca, seu oxycrati q. s.
 F. Cataplasma.

Hyeme verò farinæ hordei & oleo rosar. addantur *puly. rosar.* Unc. ij. & cum vino formetur cataplasma.

Si contusio aliqua adsit, ea, quæ supra proposita, usutpanda, vel tale Cataplasma:

℞. *Farin. hord.* Unc. vj.
myrtill Unc. ij.
olei rosac. Unc. iv.
puly. betonic. Drach. vj.
oxymel. simpl. Unc. iij.
vini albi generosi q. s.
 F. Cataplasma.

Simul utile fuerit caput magnâ ex parte, ut & cervicem & collum, & imprimis venas jugulares, oleo rosaceo calido inungere, ad dolorem, si adsit, leniendum, & ad sanguinem, qui ad caput affluit, moderatè refrigerandum & repellendum.

*Defensiva
in vulne-
rib. capi-
tis.*

Notandum & hoc, quod monet Joh. Andreas à Cruce, quod post calvariæ perforationem membrana intacta colore non movetur, nec ob id aliud novum symptoma supervenit: paucis post diebus superficies ejus alba & tenuis admodum in squamas resolvit incipit, & pellicula quædam præ tenuis araneæ tele modo elevatur, & inde nova caro oriri incipit. Ut enim ob aëris externi, & medicamentorum topicorum contactum externa cranij superficies emoritur, & ab humido suo nativo derelictum, ab ossæ reliquo separatur, & quasi piscium squamas de se emittit: ita duræ matri idem iisdem de causis evenit: & Chirugos nõ exercitatos sæpè timidos reddit, ut membranam illam corruptum iri metuât; cum tamen nihil periculi subsit, sed superficialis illa corruptio solo melle rosacco amoveatur. Cui si non cedit, hoc Unguentum imponendum:

Duræ meningem mundificantiæ.

℞. *Terebinth. clara, vin. alb. lota.*

Unc. ij;

mellis rosati,

aq. vitæ,

farin. hordei cribratæ, an. Unc. j.

myrrhæ,

aloës,

sacchari albi, an. Drach. ij.

Misce.

F. Unguentum; quo utere donec membrana iterum pura & sui coloris appareat.

Solet interdum & scætor quidam in separatione istius membranæ apparere, qui tamen nihil periculi conjun-

ctum habet; cum saltem in externâ superficie sit vitium; nisi alia prava symptomata adsint.

Neq; sine fructu est, si cephalicæ interna etiã exhibeantur, nunc calidiora, nunc frigidiora, & temperatiora; prout febris, & alia, quæ conjuncta sunt, id requirunt. Valleriola etiã aureæ Alexandrinæ, vel Mithridatij Drach. j. cū diamoscho dulci, & pœonia semine exhibet. Ipsum vero cranium quod attinet, et si rimæ coalitus, & cranij per callum ferruminatio, vt capite præcedente dictum, naturæ opus est: adjuvanda tamen ea medicamentis, & cranio pulveres cephalici, ita veterib. dicti, quod cranij fracturis sint idonei, supra enumerati, inspergantur & imponantur. Callus autem, quo cranij ossa ferruminantur, ferè 40. aut 50. dierum spatio perfectionem suam acquirit: quanquam propter corporum diversam constitutionem ita certus dierum numerus definiri non possit; cum in juvenib. citius, in senioribus tardius absolvatur.

Exemplum talis vulneris curati est *Callij* apud Guilelm. Fabricium, *cent. 4. ob. cranio geserv. 4.* Glandorpium, *spec. chirurgor. c. neratio. 20. observ. 3.*

De Cranii fractura, cute integra manente.

Interdum accidit, ut cranium fracturatur, cute ad sensum integrâ manente. *fractura te.* Eri enim contusio etiã tantum in *cute integra sit: ejustamen externa superficies gra manente.* est integra, nullumq; vulnus in ea apparet. Nam cum sit mollior, *cedere potest,*

potest, ut non vulneretur: os verò subjectum, quia durum, ictui resistit, & ab impetu ejus frangitur; id quod ex ictu ratione, supervenientibus symptomatibus, tactu dignoscitur. Tum ergo inquirendum, an fracturæ cranij aliquid annexum sit, quod neque à natura, neque à medicamentis curari possit; quorum tria præcipuè sunt: nimirum magna sanguinis copia intra cranium & membranam cerebri effusa, ossis particula vel festuca membranam pungens, & ossis depressio, cerebrum comprimens. Sanguinis effusio copia cognoscitur ex sanguine per nares & aures etiam effuso, ex capitis gravitate, ex sopore, stupore. Os depressum tactu cognoscitur, & fovea digito deprehenditur. Cerebrum comprimi & pungi ex eo colligitur, quod, dum æger nasum emungit, puncturam percipit: aut post puncturæ signum succedit delirium.

Si itaque horum aliquod adsit, omnino cranium aperiendum, & si depressum sit, elevandum, & sanguis è venis effusus evacuandus, ac fragmentum cranij eximendum. Si verò horum nihil adsit, & symptomata mala absint, præmissa venæ sectione, & medicamento purgante bilem exhibito, ea ferè curatio instituenda, quæ *cap. 21. de contusione capitis* proposita est, Nimirum capiti raso tale Repellens imponendum:

℞. Farina hordei ℥ss.

ladani,

pulv. rosar.

myrtill.

masticæ, an. Drach. j.

olei rosar.

oxyerati, an. q. s.

F. Cataplasma, quod manè & vespere renovetur.

Particulares quoque capitis evacuationes instituuntur: quarto die gargarismus paretur ex decocto hordei, in quo passulæ & hyssopus cocta sint, & mel rosatum dissolutum. Nares quoque intus oleo amygdal. dulcium inungantur. Post quartum diem usque ad septimum caput hoc unguento illinatur:

℞. Pulv. rosar. rubrar.

myrtill.

nuc. cupressi,

santal. rubr.

albi,

absinth.

ladani,

schoenanthi,

asari, an. Drach. j.

olei rosati completi,

myrtini, an. Unc. iij.

cera Unc. ij. s.

F. Unguentum.

Post septimum vel nonum dissolventia sive discutientia applicentur, ut emplastrum de betonica, cerot. de gummi elemi, emplastrum sacrum, cum æquali portione diapalmæ. Utile est & hoc Emplastrum:

℞. Opoponac. Unc. s.

gummi hedere Drach. vj.

bdellij Unc. s.

resina Unc. ij.

ol. rosar. Unc. iij.

terebinthin. Unc. vj.

ammoniacy Unc. ij.

cera q. s.

F. c. a. Emplastrum.

Linimentum extrahens sanie[m] &
materiam contentam sub cranio:

Vel. ℞. *Ol. lentisci,*
laurini,

gummi eleini,
resinæ pini, an. Unc. iij.

succi salviæ Unc. ij.

ammoniaci,

opopanax.

galbani, an. Unc. ℞.

Dissolvatur gummi in aceto, postea bulliant in succo salviæ ad succi consumptionem, & refrigerentur.

Si verò post septimum mala accidentia superveniant, quæ sanie[m] collectam indicent, tunc cranium aperiendum, & producendum ut sup. dictum. Videatur etiam infra post *caput seq. cap. 5.*

Facta etiam inter solutæ unitatis in cranio differentias contusionis mentio. Verùm ad eam curandam eadem ferè medicamenta usurpanda, quæ supra, *capit. 21.* de contusione capitis, proposuimus: quibus saltem hoc multiplici usu probatū, è 59. *epist.* à Scholtz. *collect.* addimus:

℞. *Farinæ hordei,*

fabarum, an. Unc. ij.

puly. betonica,

chamameli,

meliloti,

rosar. an. Drach. j.

calami aromat. Drach. ℞.

oxymel. Unc. j.

olei rosar.

hyperici, an. Unc. ℞.

vini boni q. s.

Misce. F. Cataplasma.

CAPVT XXIV.

De Cranii Fractura cum meningum & Cerebri læsione:

Et primò

De Vulnere meningis duræ saltem.

SI vulnus tam altum sit, ut etiam simul dura meninx sit læsa, vulnus hoc id peculiare habet, ut sanguis copiosè effluat; cum plurima vasa per eam disseminentur, & dolor in parte membranosa valde urgeat; ac proinde sanguis sistendus, & dolor leniendus. Et quia cum membranâ & cranium & cutis læsa sunt, quæ & cutis & cranij vulnus requirunt, peragenda, & videndum, ne membrana ex sanie ab hisce partibus destillante lædatur; tandemq; vulnus duræ matris sanandum.

Ideoq; si sanguis copiosè fluat, os, nisi antea ex vulnere pateat, statim aperiendum, & membrana detegenda. Osse aperto statim imponendum aliquod medicamentum sanguinem sistens; in primis illud celebre Galeni, quo *s. m. m. cap. 4.* se ad sistendum sanguinem, etiam in vulnere capitis, & sanguine à dura matre fluente, feliciter usum scribit: quod ex aloë, thurè, & ovi albumine, mollissimisq; pilis leporis componitur.

Nonnulli tamen ante hoc medicamentum imponunt prius pulverem ex aloë, & manna thuris compositum.

Addo-

*Dolorem
lenientia
in vulne-
ribus me-
ningis.*

Ad dolorem leniendum, ne inflam-
matio & convulsio excitetur, nihil
commodius est oleo rosarum tepido,
quod & leniendi & repellendi vim ha-
bet. Alij instillant sanguinem ex alâ
turturis & columbæ recens effusum:
in quibus sanguinibus præter doloris
mitigationem etiam vis deterforia in-
esse deprehenditur; & illam curatio-
nem ad septimum diem continuant.

Johan. Andr. à Cruce ita in curan-
do progreditur. Præmissis universali-
bus in secunda visitatione hoc medi-
camentum imponit:

*Rx. Olei terebinth. Unc. j.
spiritus vini,
sir. de rosis sic. an. Unc. j.
Misc.*

Postea totum vulnus tali pulvere
replet:

*Rx. Myrrh.
aloes,
mastich.
sangu. dracon.
rhaharb.
corall. rubr. an. Drach. ij.*

F. Pulvis subtilis, qui per pannum
lineum rarum trajiciatur; & impona-
tur emplastrum de betonicâ. Et quia
hic autor oleo terebinthinæ spiritum
vini miscet, possent etiam hic aquæ
cephalicæ, *cap. præcedente* descriptæ, lo-
cum habere, ut & unguenta cephalica
ibidem proposita.

*Dura me-
ningis cor-
ruptio.* Si autem corrumpi & purulenta e-
vadere incipiat membrana, detergen-
da, ne putrescat, melle rosato, vel mel-
le cum farina hordei, & succo apij. Jo-
han. Andr. à Cruce etiam Isisidis medi-
camento utitur ad incipientem mem-

branæ corruptionem; ut & Ægyptia-
co unguento initium sphaceli feliciter
curasse se scribit.

Matthioli oleum è vitellis ovo-
rum ad membranas cerebri putrescē-
tes commendat, & eas putrilagine
confectas à sanis mirum in modum
separare, idq; se in quam plurimis ma-
gno cum honore expertum esse, testa-
tur. Ambros. Paræus, *lib. 9. capit. 2.* hoc
Joh. de Vigo proponit:

*Rx. Aquæ vite Unc. iij.
mell. rosar. Drach. ℥.*

Quod sileniore isto remedio con-
tumacius malum corrigi nequeat,
hoc utitur:

*Rx. Aq. vite Unc. ij.
mell. rosar. Unc. j.
pulver. mercur. Drach. ij.
Misc super ignem.*

*Rx. Aq. vite Unc. i℥.
sirup. absinth.
mell. rosar. an. Drach. ij.
unguent. Ægyptiac. Drach. i℥.
sarcocolla,
myrrhæ,
aloes, an. Drach. j.
vini albi boni Unc. j.*

Bulliant leniter, & colentur.

Quod si putredinis tanta vis sit, ut
istis remedijs non cedat, Ægyptiaco
cum aqua plantaginis, aceti loco, cō-
posito, solo ad id profligandum uti-
tur, vel solo Mercurij pulvere, vel cum
alumine misto.

Quod si dolor nō valde urgeat, aur
jā mitigatus sit, ut materia, quæ è vul-
nere segregatur, reætè cōcoquatur, o-
leū hyperici, mastichinum, vel abietini-
num imponendum, vel cephalicum a-
liquod unguentum, Pure

Pure laudabili apparente olea o-mittenda, & ad detergendum sirupo vel melle rosato utendum.

Tandem ipsam duram matrem quod attinet, vulnus quidem ejus unionem postulat, sed quia & dura est. & labia ejus adduci nequeunt, unio ejus per carnis, vel substantiæ ei analogæ generationem procuranda. Archigenes in hunc usum succum calaminthæ supra duram matrem effundit, & farinam mili inspergit, ut vulnus siccetur, detergatur, & caro generetur. Habent & hic locum medicamenta cephalica. Reliquis partibus vulneratis pulveres, unguenta, & emplastra cephalica imponenda.

Dura meningis contusio.

Pertinet huc & duræ matris contusio. Nonnunquam enim membrana dura, ut crassior, contusa, & concreto sanguine resperfa est. Et tum sanguis concretus abstergendus est *oxymelite s. sirup. rosato, melle rosato, sirup. de absintho. sirup. de marrubio*, quibus resina terebinthina, aut abjetina, vel sanguis colubinus immisceri queunt.

De vulnere tenuis meningis, & cerebri.

Cerebri & tenuis meningis vulnus.

Tandem si pia mater, seu tenuis membrana, cum cerebro, cui arctissime annexa est, vulneretur; & sanguinis profluvium, & inflammatio metuenda est, propter innumera vasa, quæ per tenuem meningem disseminantur, & propter utriusque membranæ sensum exquisitum.

Quæ de caussa etiam vulnera capitatis valde periculosa sunt, si non solum

cranium, & dura membrana, sed simul & tenuis, & cerebrum læsa sint: & quò vulnus profundius penetrat, eò periculosius est. Cerebrum enim aëri expositum facillè corrumpitur, & à sanie defluente læditur, ac putrescit. De quo Hippocrates, 6. aph. 18. *Vesica discissa, aut cerebro, aut corde, aut septo transverso, aut aliquo ex tenuibus intestinis, aut ventriculo, aut jecore, lethale est.* Vbi, ut Galenus, in comment. monet, lethale non mortem necessariò inferens significat, sed etiam periculosum.

Neque enim omnia vulnera cerebri necessariò mortem afferunt; sed vulnera o-
*An cerebri vulnera o-
lea solum, quæ profundiora sunt. Ac omnia sunt
ut in alijs, ita etiam in capitis vulneri-
bus sæpè quasi miracula fiunt, & qui
planè desperati videbantur, præter
spem convalescunt. Ideo quæ vulnerati
sine auxilio nunquam relinquendi.
nec deserendi. Vidit ipse Galenus
vulnera talia curari, 8. de usu part. 10. 6.
aph. 18. Exempla quoque habentur apud
Valleriolam, lib. 4. observ. 10. lib. 5.
observ. 9. lib. 6. observ. 4. Guilelm. Fabricium,
cent. 4. observ. 1. 2. 3. Et longum
catalogum Medicorum, qui vulnera
cerebri sanata viderunt, recenset Joh.
Andr. à Cruce, de vulnerib. lib. 1. tract. 2.
2. cap. 14. de cerebro sauciato. Imò ob-
servatum est, particulâ cerebri amissâ
ægrum nihilominus convaluisse: cu-
jus rei historia variæ annotatæ à Me-
dicis, Anton. Musa Brassavola. comment.
in Hipp. aphor. 18. libr. 6. Nicolao Massa,
lib. 1. epist. 11. Fallopio, de curand. vuln.
c. 45. Francisco Arcæo, de curand. vul-
ner. libr. 1. cap. 6. Johan. Andr. à Cruce,
libr.*

libr. 1. de vuln. tract. 2. capit. 14. Ambrosio Paræo, *lib. 9. cap. 22.* & alijs, quæ pleraq; collegit Schenckius, *lib. 1. obser. 40. 42.* Notatu etiã dignæ sunt historiz de periculosissimis cerebri vulneribus, quæ extant apud Cabrolium, *obser. 16. 22. & 34.* Henric. Petræum, *tom. 2. Disput. harmoniac. disp. 36. quest. 10.* Dũ hæc scribo, offertur mihi & Chirurgus faber lignarius curandus, qui in osse sinistro, ad futuram coronalem, securis ex alto projectæ acie vulnus pollicis ferè longitudine in cerebrum penetrans acceperat, ita ut particula cranij effracta statim eximi posset, & cerebri portio nucis juglandis ferè magnitudine propenderet. Convaluit tamẽ, cerebri illa portione extra propendente sensim abscedente. Et, quod mirum est, toto morbi decursu nec de dolore capitis, nec de ullo symptomate conquestus est, & ambulare sine ullo impedimento potuit. Ad vulnus curandum usurpatum unguentum Guilelmi Fabricij, quod infra describitur, cui Chirurgus aliquid interdum pulveris cephalici admisit, & emplastrum de betonicâ.

Curatio.

Curationem quod attinet, ut sanguis sistatur, medicamentũ ex Galeni *5. meth. c. 4.* antea propositum, cui bolus Armenus addi potest, vel aliud cõveniens, vsurpandum. Et si quid cranij fractum, quod evelli queat, mature extrahendum: si verò sine violentiã evelli nequeat, naturæ totum negotium committendum, ne, si violentia adhibeatur, eger in manibus Chirurgi moriatur, atq; ita ægro Medicus nihil proffit, sibi verò infamiam pariat.

L.I.

Hinc cavendum, ne sanies ex partibus cerebro incumbentibus vulneratis in cerebrum descendens, illud, utpote frigidum & humidum, labefactet, alteret, & corrumpat: ideoque sanies illa quamprimum absumenda & exsiccanda; ad quam rem calore & siccitate opus est, & proinde digestiva humida hîc locum non habent, & omnia oleaginosa, unctuosa, pingua, etsi potentia sicca sint, fugienda; cum cerebri corpus molle ab ijs facile corrumpatur; sed siccantia usurpanda. Nonnulli quidem oleum abjetis, ol. terebinthinæ destillatum, balsamum Orientalem adhibere solent: sed ista proprè pingua non sunt.

Quapropter dum vulnus solvitur, aër cubiculi calidus sit; vel candelis circa ægrum accensis, aut simili modo alteretur, & linteola vno Cretico, vel alio potenti, in quo rosæ & betonica cocta sint, imponenda, aut sanguis columbæ calidus instillandus. In siccioribus etiam corporibus, & tempore hyberno, aquis vitæ supra descriptis uti licet. Alij succum nepethæ laudant: alij thuris purissimi pulvere utuntur, usq; ad septimum, donec caro incipiat succrescere.

Hieron. Fabricius ab Aquapendente se in magno cerebri vulnere felicissimo successu hoc usum scribit: *lib. 2. Chirurg. cap. 20.*

Rx. Farin. milij Unc. ℞.

olei Hispani Unc.

Mithridatij Drach. vj.

balsam. nigri, quod è Portugalia affertur, Drach. iij.

Aa

aq vi.

aq. vitæ Drach. v.
olei de calchanto Drach. j.ß.
 (quod ego tamen non faciliè adde-
 rem)

Misce.

Supra verò imponit hoc Empla-
 strum:

℞. *Farina hordei* Unc. viij.
puly. flor. chamemeli Unc. iv.
spica,
schœnanth. an. Drach. iij.
betonic.
stœchad an. Unc. ß.
olei mastich. ℥. ß.
rosac. complet. Unc. iij.
oxymelir. simpl. Unc. v.
vini albi q. s.
 ad emplastrum formandum.

Oleum autem Hispanum, quod ad
 vulnera brevissimo tempore sananda
 valde commendatur, ita paratur:

℞. *Olei vetustissimi* Unc. iij.
terebinth. puræ Unc. ij.
frumenti, id est, tritici integri
 Unc. j.ß.
hyperic. Unc. ij.
rad. cardui benedict.
valerian. an. Unc. j.
thuris pulverisat. Unc. ij.

Rad. & herbæ crasso modo con-
 tundantur, & in vino immergantur, &
 per biduum macerentur. Hinc oleum
 & frumentum adjiciatur, & coquatur
 ad vini consumptionem, & colentur:
 Colaturæ addantur terebinth. & thus,
 & iterum parum ebulliant.

Johan. Andr. à Cruce cum sindone
 rubra imponit oleum terebinth. cum
 melle rosato mistum. Reliquum vul-
 neris replet tali medicamento:

℞. *Myrrh.*

Aloes,

mastich.

sanguin. dracon. an. Drach. ij.

terebinth. Unc. ij.

spiritus vini Unc. j.

Misce.

Vel ℞. *Terebinth. aqu. consolida lotæ*
 Unc. ij.

spiritus vini,

sirupi rosacei, an. Unc. j.

puly. thuris.

mastich.

myrrhæ, an. Drach. ij.

mumia ex cranio.

sem. hyperic.

sang. dracon. an. Drach. j.

Misce.

His emplastrum de betonica, vel
 gummi elemi imposuit, totūq; caput
 oleo rosaceo omphac. inunxit, super-
 positis splenijs vino, in quo rosæ & be-
 tonic. cocta fuere, madidis. Puellam
 quoque, quæ cuspidē falcis vulnus in
 capite cum cerebri læsione acceperat,
 atq; è cujus capite cranio aperto no-
 tabilis portio cerebri exierat, curavit:
 ad diem usq; 14. solo oleo terebinth.
 & aq. vitæ, vel spiritu vini mistis: inde
 in vulnus guttatim instillavit istum
 liquorem:

℞. *Vini* Unc. xx.

succi betonic. Unc. iv.

calamint. Unc. ij. |

myrrhæ,

thuris,

aloes,

sanguin. dracon.

centaur. minor.

granorum hyperici, an. Drach. j.

Con-

Contusis contundendis infundantur per triduum vase clauso. Postea coquantur ad tertiam partem consumptionem, & addantur

mellis rosacei Unc. iv. iterumque parum ebulliant. Ab igne remotis addatur

Spiritus vini Unc. j. Colentur;

Colaturæ addantur

ol. terebinth. Drach. iv.

Et in vase vitreo diligenter clauso usui seruentur.

Reliquum vulnus replevit pulvere cephalico, & emplastrum cephalicum imposuit.

Feliciter etiam ad vulnera cerebri sananda usurpatur balsamum Orientale; cui & artificiale hoc substitui potest:

Rx. Terebinth. clara ℥. ij,

resina pini Unc. iij.

thuris,

myrrha,

mastiches, an. Unc. j. ℥.

gummi elemi Unc. j.

D. stillentur s.a.

Quod si dolor & hinc urgeat, oleum rosaceum cum vino miscendum, & imponendum. Extra verò, dum dolor molestus est, convenientia fomenta imponenda; in primis emplastrum vel cataplasma de farina hordei.

Potiones Vulnerariæ in Capitis Vulneribus.

Potiones vulnerariæ in vulneribus capitis. Potionum vulnerariarum nonnullum usum esse, in Institut. libr. 5 part. 1. sect. 1. cap. 9. dictum, & docet id experientia. Non tamen eadem in omnibus partibus æquè conveniunt; sed

secundum partium diversam materiam varianda sunt. In vulneribus capitis ergo, si cranium, vel cerebrum, aut ejus membranæ vulneratæ sint, eligendæ plantæ, quæ aliàs captivæ conveniunt, ut *betonica, primula veris, artemisia, liliū convallium, caryophyllata, salvia, carduus benedictus, hypericū, nux mouchata*, quib. *plantago, veronica*, & alia loco allegato enumeratæ addi. possunt: quæ coquenda sunt in vino, vel, si vinum locum non habet, in vino & aqua, aut cerevisiâ, & sumitur plerumq; pulveris ex plantis Unc. ℥. vel paulò plus, & coquitur in vini vel cerevisiæ mens. i. ad tertiam vel quartam partem consumptionem. Et colatura, si libet, melle vel saccharo edulcoratur, & exhibentur manè & vesperi Unc. ij. vel paulò plus.

Ut *Rx. Betonica,*

primul. veris,

cardui benedicti,

pyrolæ,

consol. Sarracenic.

artemisia rubra,

sanicula. an. Unc. ℥.

Pulverisatis omnibus, *Rx. tantum*, quantum cochleari capi potest. Coquantur in vini vel cerevisiæ mens. i. ad partem tertiam consumptionem, dulcorentur melle vel saccharo, & vesperi & manè Unc. ij. propinentur.

Vel *Rx. Plantag.*

rosar. rubrar.

caryophyllat.

hyperic.

veronic, an. Unc. ℥.

Coquantur in vino:

Colaturæ addantur

magisterij oculorum cancri Scr. ij.

Vel *R. Artemisia rubra,*
betonica,
primula veris,
verbena,
rad. caryophyll. an. Unc. β.
 Coq. in mensura vini una.

Vel *R. Sanicula,*
artemif.
betonic.
veronica, an. Unc. j.
conserv. rosar. rubrar. Unc. ij.
caryophyllat. Unc. β.
tormentil. Drach. ij.

Coqu. in aq. puræ, & vini Rhena-
 ni, an. ℥. ij. vase clauso, in B. M. Co-
 lentur per manicam Hippocratis.

Vel *R. Fol. aquilegia M. vj.*
consolida Sarracenic. M. iv.
beta M. ij.
betonica M. ij.

Omnia viridia concindantur &
 contundantur, & in vase duplici clau-
 so, nullo liquore addito, in balneo
 bulliente coquantur horis 4. Postea
 sponte sinantur refrigerari, & liquor
 percoletur: de quo mane & vesperi æ-
 gro duo cochlearia exhibeantur.

Potionum loco quoque conservæ
 exhiberi possunt, vel pulveres.

Ut *R. Conserv. betonic.*
primul. veris,
rosar. rubrar. an. Unc. j.
margarit. prepar.
oculor. cancri prepar.
macis, an. Scrup. j.

Cum *sirupo. betonica* Fiat Electua-
 rium, de quo mane & vesperi Unc. β.
 detur.

Vel *R. Nuc. mosch. Unc. β.*
oculor. cancri prepar. Unc. iij.

F. Pulvis. Detur Drach. j.
 Vel *R. Corall. rubr. prepar.*
margar. prepar. an. Drach. j.
spodu Drach. ij.
oculor. cancri Drach. j.
 F. Putvis; cujus dosis Drach. j.

Dieta.

Ær sit temperatus, ad calidum ver-
 gens, & nifitalis sit, arte paretur; ita
 tamen, ut ignis longius ab ægro ac-
 cendatur. Calidum enim, ut est 5. aph.

22. fo. in ulcere pus movet, & maximum
 securitatis præbet indicium, cutem e-
 mollit, extenuat, dolorem lenit, rigo-
 res, convulsiones mitigat, capitis gra-
 vitationem solvit, ossibus fractis pluri-
 mum prodest, maxime si nudata, mul-
 toq; magis, si in capite. Ær. verò fri-
 gidus in vulneribus capitis, præsertim
 cum cranij fracturâ, & meningum læ-
 sione, vitandus. Frigus enim convul-
 siones, tetanos, rigores ac horrores
 febriles affert: Hippocrates, 5. aph. 17.
 Proinde vulnus diligenter tegendum,
 ær cubiculi temperandus, & dum
 vulnus detegitur, calefaciendus. Simò,
 ut Ambr. Paræus, lib. 9. cap. 13. testatur,
 multi ex vulneribus capitis sauciati
 frigore imprudenter admissio in dif-
 ferimen vitæ adducti sunt.

Ær tamen nimis calidus, æquæ ac
 frigidus, vulneribus capitis inimicus.
 Ideoq; etiam plumis, linteaminibus,
 fasciis, pellibus, medicamentis calidis,
 alijsq; calorem augmentibus caput non
 est onerandum, sed, ut Hippocrates,
 de offic. Medici, ait, fasciæ mundæ sint,
 levés, molles, tenues, ne locus vulne-
 ratus oneretur, ne vè vaporum trãspi-

Dieta in
 vulneribus
 capitis.

ratio prohibeatur, & calor augeatur. Imò si magnus æstus sit, qualis sub Canicæ, & tempore æstivo, ac etiam refrigerandus, ut supra, *cap. 1.* dictum. Aër quoque sit obscurior, non valde lucidus, qui spiritus commovet, & dolorem augeat.

Victus sit tenuior, ne vapores multi ad caput ascendant, & humores ad caput moveantur. Et si sanguinem, humoresq; tenues ad partem vulneratam affluxuros metus sit, cibus refrigerans, & sanguinem non nihil incrassans, ac vasa contringens esse debet. Ideoq; ægri primùm panatellâ, vel pitisanâ hordeaceâ sunt alendi. Non improbantur tamen etiâ cichoracea, malva, hœtuca, quæ & somnum conciliant, & vapores calidos caput petentes temperant ac incrassant.

In mensa vltima cydonia utilia sũt. Nonnulli hîc cerebrum gallinarum commendant; vt quod ob substantiæ similitudinem cerebro vulnerato multum proffit. Scribit quidem Joh. Andr. à Cruce, *de vulnere lib. 1. tr. 2. c. 6.* se nunquam ob cerebri gallinarũ exhibitionem cerebrum vulneratum sanitati restitutum videre potuisse; licet interdum ob tenuem victum, & medicamẽta idonea id acciderit: Ad negandum tamen hoc non sufficit. Scribit e contra Cardanus, gallinæ cerebrũ & memoriam iuvare, adeoque, vt aliquos, qui delirare inceperint, respiciere fecerit. Amygdalas dulces quidam etiam non exhibendas censent; quòd caput grauent.

Vini potus ad diem 14. vsq; planè intermittendus; cum caput perat, &

vaporib. repleat, nervisq; noceat: sed cerevisia tenuis, & aq. hordei bibẽda. Si sitis molesta est, succus malorũ granatorum utilis est. Fervorem enim bilis reprimit. Somnus sit moderatus. Interdiu æger non dormiat; quoniam caput somnus diuturnus replet; nisi noctu non dormiverit. Si tamen phlegmon e cerebrũ aut meninges invaserit, etiam interdium, præsertim ab aurora ad meridiem, somnum inire suadet Ambr. Paræus, *lib. 9. c. 14.* cum eâ diei parte sanguis in corpore dominetur; qui cum per vigiliis in habitum & superficiem corporis effundatur, somno cõtrâ intrò ad partes corporis nobiles, cor & par revocetur: si cum ortu Solis in habitũ corporis effunditur, etiam vigiliarum motu magis magisq; effunderetur, inflammatioq; augetur. Si vigiliæ sint immoderatae, somnus concilietur leniorib. medicamentis, ut *part. 2. cap. 1.* d cetur. Decubitus sit in ea parte, quæ minus dolet, donec pus sit genitum; postea in affecta parte æger jaceat, ut pus effluat, nisi dolor prohibeat. Quies animi & corporis imperanda. Exercitij, tamen loco frictions in partib. inferiorib. ante cibum. instituuntur. Oculorum acies non intendenda; & proinde, ut dictum, lumen intensum vitandum, & potiùs mediocres tenebræ eligendæ.

Vitandus quoque sonus & strepitus vehemẽs, ut tympanorum, tubarum, ferrarũ, & similes. Compertum enim est & hunc quibusdam mortem attulisse, ut refert Guilel. Fabricius, *cent. 1. observ. 20.* Æger pauca loquatur, ab-

stineat risu, clamore, & imprimis stertutionem caveat: nihil duri etiam masticandum.

Animi symptomata, vehementiora præsertim, ira & metus, valde capite vulneratis noxia sunt, ut mortē quandoq; afferant; sicut id observavit Guiliel. Fabricius, *cent. 1. observ. 17.*

Nocētissima quoque est Venus, adeo, ut quidam penè sanitati restituti ex usu Veneris mortui sint. Exemplum annotavit idem Fabricius, *cent. 1. observ. 249.*

Alvus singulis diebus reddatur, & nisi spontè officium faciat, arte movenda, ne fœces retentæ vapores ad caput mittant.

QUÆSTIO I.

An vulnera capitis per agglutinationem seu futuram, an verò per carnis generationem sananda sint?

An vulnera capitis sananda sint per futuram, an per carnis generationem.

Intèr chîrurgos agitur controversia de curatione vulnerum capitis sine crani fractura, an capitis cutis vulnerata per futuram & agglutinationem, ut loquuntur; an verò per carnis generationem curanda sit. Alij enim per agglutinationem curari volunt, eâ de causâ, ne caput ab externo aère offendatur: alij verò vulnera capitis consui nolunt: 1. quia cutis capitis durior, & ut aliarum partium, non agglutinatur. 2. quod periculum imminet, ne sanies sub futura retinea-

tur, & retêta, pericranium & cranium corrumpat, & dolorem, inflammationem, & alia mala excitet. 3. quod metuendum sit, ne suendo pericranium lædatur. Ab externis verò aëris injurijs, etiam sine futura, tegumentis caput defendi posse ajunt.

Verum enim verò quod ipsam futuram attinet, dictum jam ante est, omitterendam omnino esse, nisi necessitas summa id postulet, & ubi necessaria est, cavendum, ne pericranium simul lædatur. Et præstantissimi chirurgi ferè eam omittunt: potestq; alteratio capitis ab aère frigidus tegumentis caveri. Et si tota cutis incisa est, omnino metuendum, pericranium simul læsum esse; quo vulnerato tutius est futuram omittere, quàm adhibere. Malè verò puto opponi futuram carnis generationi, atq; curationem per agglutinationem & futuram pro eodem haberi. Et si negandum non sit; cum experientia id testetur, etiam cutem capitis (quavis tardius, cum crassior sit & siccior) conglutinari: tamen vix fieri posse puto, ut illa agglutinatione fiat sine omnis carnis generatione; præsertim cum longiore tempore ad cutis agglutinationem opus sit. Et licet tardè generetur: omnino tamen & conglutinationem cutis fieri necessarium est; cum non ex carne cutis, neque ex cute caro crescat, aut cutis per carnem conglutinetur; sed ex cute solum cutis generetur, & cutis per cutem seu cicatricem coalescat. Ideoque satis esse puto, si chirurgus de hoc primùm sollicitus sit, ut necessaria medica-

dicamenta adhibeat, & vulneris labia per deligationem conjungat, reliquum naturæ committat. Nam ut simul aliquid carnis succrescat, ipse vix prohibere poterit: cum nō sit possibile, ut sine omnis puris generatione & proventu tale vulnus finetur. Alteratur enim tum à telo, tum ab aëre externo, cruditatemque quandam contrahit, quæ non nisi coctione, & puris aliquâ generatione emendatur. Unde in ejus, quæ in pus vertitur, locum alia nova succrescat necesse est.

Vulnera frontis an sint suenda. Vulnera frontis nonnulli etiam per suturam conjungi debere docent, ut deformitas vitetur; idque idem, quod primò statim sutura sicca, vel per glutinum adhiberi nō possit; quapropter suendum censent vulnus, & secundo & tertio die suturam removendam, & glutinum adhibendū putant. Verum hoc modo deformitas non evitatur. Puncta enim semel facta conspiciuntur; neque futura usque ad vulneris consolidationem durat. Neque refert, etiamsi in prima deligatione sutura sicca non adhibeatur. Sufficit, si in secunda id fiat:

QUÆSTIO II.

Quo in loco contrafractura fiat?

Contrafractura quo in loco fiat. De contrafracturæ loco non omnes idem scribere, supra dictum est. Nonnulli in eâ sunt sententia, fieri hæc fracturam in aliâ quidem ossis parte ab ea, quæ ictū excepit, in eodem tamen

osse, nullo modo in opposita parte. Sententiæ hujus est Paulus Ægineta *lib. 6. c. 90.* ubi adversus Soranum disputat: cui assentiuntur Guido de Cauliaco, Vidus Vidius, Gabriel Fallopius. Idque ex usu futurarum probare conatur, quas inter alias causas ideo etiam datas voluit, ut si parte aliquâ cranium frangeretur, reliqua indemnis servaretur, terminusque læsionis esset futura ipsa. Ideoque etsi vitra & cucurbita exciccata in parte oppositâ frangantur: in cranium tamen aliter se rem habere statuunt. Vitrea enim vasa & cucurbita exciccata vacua sunt, & agitato percussione in ijs aëre, nec exitum inveniunt, in aliâ, vel oppositâ parte fit fractura: cranium verò vacuum non est. Vitra etiam & cucurbita continua corpora sunt; cranij verò partes inter se saltem contiguæ, & futuris distinctæ.

Alij verò, & quidē ipsâ experientiâ edocti, in aliâ cranij, quam quæ percussa est, parte; imò in oppositâ fracturâ fieri posse statuunt. Dux horum procul dubio Hippocrates. qui in *lib. de vulnerib. capit. scribit*: Frangitur calvaria sub vulnere aliâ parte, quam ubi plaga est. Idem post Hippocratē Soranus, *lib. 8. de affect. c. 4.* & Cornelius Celsus, *lib. 8. c. 4.*; Galen. *lib. 6. meth. med. c. ult.* Avicennas, *quarta quart. tr. 3.* Nicol. Florentinus, Johan. de Vigo, Joh. Andr. à Cruce, statuunt, qui omnes in aliâ, quam ubi plaga est, cranij parte fracturam fieri posse asserunt, & observarunt. Ideoque ob rationes quasdam sensum dimittere non licet, ut Aristoteles, *1. de generat. & corrupt. text. 58.* habet;

habet; & in morbis externis sensus omnibus rationibus præferendus. Neque experientia hæc elidi potest, quod Amatus Lusitanus, *cent. 3. curat. 42.* & alij quidam asserunt, fieri posse, ut unâ parte calvariæ læsâ, alia longè distans afficiatur, nõ quod os fissum sit, sed quod sub eo cerebri meningũ venula aliqua rupta sit, ex qua sanguis effluit, & sanies fit, ac putredo oritur. Experientia enim contrarium docet, observatumq; , ut ex locis allegatis patet, non solùm venas, sed ipsum craniũ in parte opposita, vel distanti ruptum fuisse. Et quamvis craniij ossa non cõtinua sint, sed contigua saltem: tamen quod alijs corporibus accidit, & cranium accidere potest. Dum enim aër in cranium ex ictu commovetur, & per totam craniij substantiam fertur, ubi in concursu craniij parti oppositæ alliditur, renitens frangit. Et sit sanè, quod etiam Galenus, *9. de usu partium c. 17.* vult, ut hanc quoq; futuræ utilitatem habeant, ne, si fractura accidat, ea nimis longè protrahatur, sed ad futuram terminetur: tamen nihil obstat, quin in oppositâ etiam aliâ parte fractura fieri possit, ob causam modò dictam. Fracturæ quidem ad proximum os continuationem prohibent futuræ: ut verò in alio osse fractura peculiaris fiat, prohibere non possunt. Non tamen necessarium est, ut quoque supra diximus, ut contra fissura semper fiat in parte oppositâ, sed satis est, si fiat in aliâ, quàm quæ percussa est.

QUAESTIO III.

An cranium fissum statim & semper radendum sit?

Celsus, *lib. 8. cap. 4.* quo de vulneribus capitis diligenter tractat, antiquiores quidem Medicos in omni fissio fractovè osse protinus ad ferramentum, quibus id exciderent, venisse scribit. Ipse verò melius esse putat, antè emplastra experiri, quæ calvariæ causâ componuntur, eorumq; aliquod ex acetato mollium per se supra fissum fractumq; os imponere, deinde super id aliquanto latius, quàm vulnus est, eodem medicamento illitum linteolum, & præterea succidam lanam aceto tinctam imponere jubet, & hoc modo usq; ad diem quintum curare. Quod si caruncula increescere cœperit, & febricula aut soluta erit, aut levior, & cupiditas cibi reverterit, satisq; somni accedat, in eodem medicamento perseverandum esse censet. Hac enim ratione sæpè rimas callo quodam, qui veluti ossis cicatrix est, impleri scribit; qui callus aliquanto melius sit velamentum cerebro, quàm caro, quæ ex scisso osse increscit. Si verò sub prima curatione febris intenditur, brevesq; somni, & iidem per insomnia tumultuosi sunt, ulcus madet, neque alitur, & in cervicibus glandulæ oboriuntur, magni dolores sunt, cibiq; semper fastidium increscit: tum demum ad manum scalprumq; veniendum censet.

Cranium fissum an semper radendum sit?

Hieron. Fabricius ab Aquapendente verò, *lib. 2. chirurg. cap. 17*, Celsi sententiam, quam etiam Petrus Paw, *in comment. in hunc locum*, paradoxam appellat, improbat, ob sequentes rationes: 1. quia in vulneribus capitis, quæ suâ naturâ admodum periculosa sunt, pessimum est, expectare prava symptomata, ac tum demum providere, cum forsan occasio præterijt. 2. quia, si rimâ non deradatur, ut plurimum nigritiem contrahit, ob quam deinde ad os radendum cogimur. 3. quia cranium, etiam non læsum, si denudatum sit, deradendum est, ut rasurâ saniei collectio, quæ ad subjectam membranam destilare potest, & eam corrumpere, præcaveatur. Labia, quæ in osse incisa sunt, inæqualia & aspera læviganda sunt, & rasurâ, in exactam cognitionem profunditatis rimæ perveniendum.

Verùm enim verò Celsi, utpote viri in Chirurgia peritissimi, sententiam, præsertim ubi externa saltem lamina fissa est, non planè rejiciendam puto. Etsi enim in ijs regionibus, ubi periculosa sunt capitis vulnera, nemini suaserim, ut rationem differat: tamen in nostris, & alijs regionib. ubi minus periculosa sunt capitis vulnera, ex Celsi sententia curationem institui posse puto; cum certum sit, & experiëntia id testetur, naturam, ut in alijs partibus, ita & in capite, sæpè ossa consolidare, sine omni rasura; quod vel fissuræ illæ, quæ longius procedunt, testantur, quas ad extremum usq; investigare, Galenus, *6. m. m. c. 6.* & omnes Medici prohibent, quasq; natura sine

L. I.

rasurâ sanat. Itaq; hic vulneris conditio diligenter perpendenda. Si enim ejus labra non sint aspera & inæqualia, & vulnus tale sit, ut non sit metuendū, gravia symptomata superventura naturæ negotium committere. & pulveres cephalicos, atque alia necessaria medicamenta adhibere licet. Et quavis negari non possit, multos satis comode vivere, quibus magna pars cranij dempta est; tamen quod Celsus habet negari non potest; in lius & fortius velamen cerebro esse callum, qui in rimâ concrevit, quàm carnem, quæ concrevit, ubi os derasum est. Potest etiam sine rasionem vulnus mundari. Si verò vulnus sit inæquale & asperum, aut ob gravia symptomata imminentiâ malum metuimus, ad rasuram statim accedendum. Neque hic semper ad septimum vel octavum usque diem naturæ negotium committendum, & gravissima symptomata expectanda sunt; sed quid sub primâ curatione, ut Celsus loquitur, & primis statim diebus fiat, attendendum. Facile enim ex signis à Cello traditis cognosci potest, an morbus in pejus vel melius vergat.

QUÆSTIO IV.

An duræ meningi denudatæ siccantia, an verò humectantia medicamenta imponenda sint?

Non eadem medicamēta membranæ duræ denudatæ chirurgos, vel olim, imposuisse, ex Galeno, *6. m. m. c. 6.* etiam imparet; sed aliquos blandissima, quæ hodie

Bb

An duræ meningi siccantia an humectantia imponenda.

hodiè digestiva vocantur; alios vehementer siccantia. Meges Sidonius, ut, *ibidem*, refert Galenus, vehementissimis siccantibus utebatur, ut & civis quidam ipsius, Eudemius, vir satis exercitatus in hac artis parte, sic, ut emplastrum, quod Isin vocant, nudatæ membranæ imponerent, & super hanc foris ozymel. Emplastrum autem Isis cephalicum *libr. 5. de comp. medicamentorum sec. gener. cap. 2.* describitur, paraturq; ex cera Drach. 100. terebinth. Drach. 200. *squammæ eris rubri, aruginis rase, aristoloch. rotund. thuris, salis Ammoniac. eris ussi, rad. dracunculi*, ana Drach. viij. *aluminis ussi* Drach. xij. *olei veter.* Unc. x. Terenda terantur, adjecto aceto acerrimo, &, ut convenit, coquantur, quousque non inquinentur manûs, & fiant pastilli, manibus aceto acerrimo intinctis, qui per decem dies in aceto acerrimo macerentur. Nullum verò alium his usum se vidisse scribit Galenus: hoc tamen testatur, magis sanatos fuisse eos, qui ab Eudemo illo curabantur, quàm ab alijs, qui blandis utebantur. Neque ea curandi ratio Galeno displicet, hanc ob causam, quod auditorius meatus, qui non solum usq; ad duram cerebri membranam pertingit, sed etiam nervum attingit; qui in ipsum à cerebro descendit, etiam vehementissima medicamenta tolerat: qualia propterea etiam duræ membranæ, ut naturâ siccissimæ, convenire possunt, atque ita Eudemi curationem approbare videtur Galenus. Eandem curandi rationem & Celsus observavit, qui perforatione peractâ duram matrem aceto a-

cerrimo vult inspergi, ut, si cruor alius quis super ipsam sit, concretus, discutiat. Deinde usurpat emplastrum viride, vel Judæum, quæ valdè siccant, & ab eo *lib. 5. cap. 19.* describuntur. Atque hæc curandi ratio petita videtur ab Hippocrate, qui, *lib. de vulnerib. capit. jubet*, ut exciso offe, & membranâ patefactâ, valdè siccantibus & detergentibus ea purgetur, ne diutius mandens sub alijs medicamentis hebescat, & putrescat.

Ex posteriorib. verò Medicis sunt, qui membranæ duræ denudatæ spiritum vini, seu aquam vitæ aliquam, præcipuè cum cephalicis, vel solam, vel cum melle rosaceo, aut terebinthina, aut unguentis cephalicis siccis mistam imponunt. Neque hic curandi modus per siccantia rationibus destitui videtur. Primò enim ulcera omnia exsiccatione indigent; anodyna verò & humida facile putredinem excitant. 2. Oleum est nervis inimicum. Meninx autem dura est nervosæ substantiæ 3. Frigida sunt nervis inimica; quale est oleum rosaceum, quod plerique adhibent.

Qui verò Romæ vivebant Medici tempore Galeni, contrariam rationem sequebantur, ac humectantibus, & præcipuè oleo rosaceo utebantur: alij columbæ sanguinem calidum supra membranam instillabāt. Et de oleo rosaceo quidem scribit Galenus, *11. de simpl. medic. facult. cap. 2. de sanguine columb.* se sexcentos novisse eorum, quibus Romæ persanata fuerint capitis ossa, nec quidquam ab usu rosacei citra columbæ sangui-

niem offensos: statuitque, nihil melius inveniri posse, quam ut esse perforato optimo rosaceo utaris. Galeno ad stipulatur Aetius, *lib. 2. cap. 85.* & Paulus Ægineta, *lib. 6. cap. 90.* Sequuntur hanc curandi rationem & hodie plurimi, qui cum oleo rosaceo, cum digestivis medicamentis utuntur, scribuntque, non dari aliquod medicamentum, quod ita nobis similis temperaturę naturalem & innatum calorem toveat & corroboret, fluxiones inhibeat, intemperiem removeat, causis dolorem parientibus resistat: & proinde cum præcipua cura Medici esse debeat, inflammationem prohibere; nihil verò magis ad inflammationem excitandam faciat, quam dolor, medicamenta dolorem sedantia, & præcipuè oleum rosaceum, semper esse necessaria. Præterea quia vulnus in crudescens non parum molestię exhibet; in crudescit autem siccis medicamentis: potiora putant humectantia & lenientia.

Sunt tandem, qui utramque curandi rationem probant, ac parùm referre putant, utram sequamur.

Verum enim verò cum siccantia & humectantia medicamenta valde differant, & contrarios planè effectus edant, non parùm refert, an his, an verò illis utaris. Itaque hac in re & vulneris, & corporis, & regionis conditio consideranda. Etenim si membrana sine inflammatione sit alba, illa sa, ac pura appareat, dolorque absit, medicamenta sicca cephalica usurpanda. Accidit verò sæpè hoc, ubi à telo membrana detecta est: quæ si mollis, illa-

sa, alba, & pura appareat, mel rosatum, vel solum, vel cum siccante aliquo mistum adhiberi potest. Scribitque Johannes Andreas à Cruce, se longo experimento compertum habere, in athleticis, & exercitatis corporibus mel rosatum cum guttis iv. aquæ vitæ imo vulneri, seu membrana detecta feliciter cum sindone imponi, & residuum vulnus pulvere vel unguento cephalico repleti. Neque omnino aquæ vitæ illa in tali vulnere planè rejiciendæ videntur; cum nervosis partibus amicae sint, à putredine præservent, & in omnia vulneribus ulceribusque detergendis, ficcandis, & ad bonum exitum perducentis, mirabilem vim habent: id quod quadraginta annorum experientia se observasse scribit Valleriola, *lib. 5. observ. 8.* Si verò dolor & inflammatio metuatur, & membrana non planè illa sit; id quod plerumque accidit, cum artificis manu ac instrumēt scranium aperitur, & vel agitatione nimia, vel ossis eminentia, vel quocumque modo membrana læditur, & non rectè sese habet: commodissimum est oleum rosaceum omphacinum, quod ex immaturis olivis expressum est, & cum rosis non planè apertis paratur, quod & adstringendi vi aliquâ roborat, & temperatâ frigiditate inflammationes prohibet, & suppurationem, quæ in principio vulneris statim procuranda, citat. Cum enim inflammationem penitus evitare non possimus, mitiorem eam fore docet Hippocrates, *lib. de ulcerib.* si quam celerrimè vulnus suppurare fecerimus.

Spiritus vini in vulneribus, que à putredine præservandis utilis.

Non tamen nimis diu, & ultra septimam, præter propter, quod fit tertio d. e. deligationem, (neque enim cento dierum numero hoc definiri potest) in hujus usu persistendum, ne putredo aliqua ex. itetur, & membrana tum à frequenti oleorum impositione, tum è puris longiore morâ hebes fiat; præsertim aestate, quo tempore citius pus generatur: hyeme autem ad septimum usque diem nonnunquam, medicamentis suppuratorijs utendum. Ideo quæ quamprimum pus bonum apparere incipit, oleo rosaceo incl. rosaceum addendum, aut sirupus rosaceus, veletiam oleum de vitellis ovorum. Hinc ad magis siccantia accedendum, & cranio pulveres cephalici inspergendi. Ad quam rem Mege S. donius Ifide solo utebatur in capitibus Persarum durissimis & robustissimis, & his, qui in Asia debebant. Itali non nisi duplo rosaceo. adjecto uti audent. Neq; verò siccantia ejusdem planè modi in omnibus corporibus usurparunt antiqui; sed in mollioribus corporibus utebantur emplastro, seu unguento Ifidis, à Galeno. descripto; quod fit ex vna parte emplastri Ifidis, & duabus partibus cerati rosacei: in mediocri temperamento, unguento composito ex æquali horum portione. In robustissimis corporibus, qualia sunt nautarum, agricolorum, emplastrum Ifidis solum locum habere potest.

Eodem modo temperaturæ & corporis constitutionis ratio habenda est: in lenioribus, & anodynis illis adhi-

bendis. Etenim in corpore molliore & humidore, qualia puerorum, sufficit solum oleum rosaceum. Sin caput sit siccus, ut in adultis, & præcipuè crispas capillos habentibus, resina abietina admiscenda, vel oleum hyperici. Sin adhuc siccus, plus resine, quàm olei rosarum sumendum. Ita & aestate utilius est oleum rosaceum, hyeme resina abietina.

Hodiè ferè utuntur unguentis cephalicis, de gummi elemi, de betonic. de matrisylv. quæ ita plerq; sunt composita, aut aliorum admixtione ita facile temperari possunt, ut dolorem leniant, inflammationem prohibeant, putredinem a. ceant. Ubi majore siccatione opus est, adhibent, vel admiscunt aquas vitæ supra propositas. Exemplum talium curationum videantur in locis supra allegatis.

QUÆSTIO V.

An Cranio fracto, cute verò integrâ manente, cutis secanda sit?

Est Pauli Æginetæ, Celsi, & plerorumq; Chirurgicorum opinio, si cranium fractum, cutis verò integra sit, cutem capitis secandam esse, ut fractura pateat, & reliqua, quæ debent, commodè peragi possint. Refert tamen Vidus Vidius, in comment. in lib. Hippoc. de vulneribus capit. Jacobum Perusinum, Romæ Medicum & Chirurgum suo tempore celebrem, longo usu observasse, eos magis servari, qui sine cutis

cutis incisione, partim lenientibus, partim siccantibus medicamentis curantur, quàm quibus cutis inciditur, & os aperitur; atq; is longè aliam effèrationè cranij fracti denudati, quàm cute intecti docet. Etenim si cranium detectum sit, si absque sectione relinquatur, humor, qui supra membranam cerebri delapsus est, à calore, qui expirat, discutit non potest; quocirca putrescens hominem jugulat. Ubi verò cutis integra est, calor non expirat; ideoque saniem digerere, & ossa solidare potest; id quod in alijs etiam fracturis, quæ carne & cute teguntur, quotidie fieri videmus.

Verùm sententia hæc absolutè vera non est. Facile quidem eam recipimus, si neque magna sanguinis copia sub cranium effusa sit, neque os fractum membranas pungat, neque cranium depressum cerebrum cõprimat, ut supra dictum. Ut enim alia ossa fracta à natura consolidantur: ita in cranio idem accidit; sicut manifestè in fracturis longius progredientibus evenit, quas ad extremum usque investigare Galenus prohibet. Et si nec vasa nec cutis valdè læsa sit, sanies illa exigua à natura facile discutitur.

Verùm si sanguinis magna copia sub cranium effusa sit, & partium subditarum corruptio à pure metuatur, membrana ab osse fracto, vel depresso pungatur, aut comprimatur; id quod ex signis supra traditis, & symptomatibus gravibus supervenientibus apparet: cùm natura ista vitia corrigere non possit, omnino cutis sectio, & cranij apertio necessaria est. Præ-

terea cum cutis sectione neglecta nec fractura ossis, neq; modus ejus, neque terminus satis cognosci possit, cautus hinc sit Medicus, ne in aliquod periculum ægrum conjiciat. Et sit, ut saniem per cutem exhaurire possit: ossicula tamen & squammæ in profundo hærentes non ita facile extrahuntur.

QUAESTIO VI.

An in cranij fractura, etiam internam laminam penetrante, semper cranium aperiendum sit?

Communis est opinio, quam supra proposuimus, si cranij utraque lamina fissa sit, cranium aperiendum esse; ut saniei, quæ colligitur, & deliquatione non exprimi, nec alio modo evacuari potest, exitus patefiat. Sunt tamen nonnulli, qui contrarium sentiunt, & brevius aut tutius emplastris, ceratis, & alijs medicamentis extra appositis, quàm manuum & ferri operâ cranium hoc modo fractum curari posse putant; ideò, quòd 1. per medicamenta nihil amplius destruitur; quod fit manuû opera, sed quod fractum est statim reficitur. 2. quod cranij apertione sæpè inflammationes & alia symptomata accerluntur.

3. quod membranarum cerebri inflammationes solis medicamentis, non verò manuum operâ sanantur. 4. quod dantur medicamenta, quæ sagittas, spinas, & alia è corpore extrahunt, quorum sylvæ est apud Galenum, 6. de compos. med. sec. gen. Scribonium

nium Largum, de compos. med. cap. 201. Celsum, lib. 5. cap. 9. quib. etiam sanies sub cranio contenta extrahi posse videtur. Et tandem, quod ipsa experientia testatur, plurimos sola medicamentorum applicatione, sine manuum operâ, sanatos fuisse.

Verum enim verò eadem ferè hujus quæstionis solutio est, quæ tertia. Et enim si certò constet, neque cranium depressum esse, neque quicquam effractum, à quo cerebrum lædatur, & saniei tam parvam copiam esse, ac naturæ robur tantum, ut medicamentis adjuncta sanies absumere & dissipare possit; id quod ex symptomatibus apparet: apertione cranij opus non est. Verùm si sanies sit paulò copiosior, aut à cranio cerebrum, aut membranz ejus lædantur; nullo modo omittenda sectio. Et cum semper satis certi esse non possimus, quanta saniei copia collecta sit sub cranio, & quantum naturæ robur sit: tutius fere semper videtur, maturè cranium aperire, antequam symptomata gravia superveniant, quæ postea apertionem difficiliorem & periculosiorem reddunt. Neque enim, si utraque lamina rupta sit, per medicamèta semper sanies omnis discati, neque membrana abstergi, & à corruptione servari potest. Et quamvis in partibus carnosis ad extrahendum aliena talia medicamenta adhibeantur: tamen quia id tardius præstant, & interea temporis inflammatio, & alia mala excitari possunt; his solis non fidendum. Inflammationum etiam membranarû cerebri sine vulnere & fractura cranii alia ratio est,

quàm ejus, quam hîc metuimus. Ibi enim humor adhuc invenis, & partium poris est, non verò extra partem incumbit; & propterea faciliùs à naturâ regi potest; hic verò, extra partem incubens, si putrescat, eam necessariò corrumpit. Neque etiam omnes à membranarum cerebri inflammationibus convalescunt. Et quamvis interdum in robustioribus naturis, in quibus sepè invulneribus quasi miracula fiunt, fracturæ tales sine cranii apertione curentur; tamen idem de aliis omnibus polliceri non licet.

CAPUT XXV.

De Fungis Cerebri.

FMembranis cerebri vulneratis *Fungi cerebri.* interdum caro quædam mollis, & radice subnixâ, instar fungi, pullulat; quæ idcirco etiam fungus appellatur. Ut enim per arborum cortices interdum humor quidam vitiosus exstillat, qui in fungum concrevit: ita si membranz cerebri lædantur, humor quidam exstillans in carnem mollem, quæ fungi instar est, mutatur, & brevi tempore sæpè magnum incrementum sumit. Natura enim nunquam otiosa est, ac si humores affluentes, ob eorum ineptitudinem, vel etiam partis debilitatem, in ejus alimentum vertere non possit, in eam, quam potest, naturam convertit; quo modo etiam alibi in corpore verruæ & similia generantur.

Subjectum, ut in *Epist. ad Guilelm. Fabric. cent. 2. observ. 35.* scripsi, membra

Branam esse puto, eamque non integram, sed vulneratam, seu contusam, ita ut humores affluentes ex eâ læsâ exsillent, & in talem fungosam ac mollem substantiam convertantur. Ideoq; non solum in cerebro, sed etiam in alijs partibus membranosis contusis, tales fungi oriuntur.

Discernendos autem esse puto istos fungos, propriè ita dictos, à carne illâ utili, quam natura provida interdum ad cerebrum & membranas nudatas regendas ex utili alimento, ex humoribus secundarijs, quos vocant, generat, quamque nonnulli etiam fungum appellant. De quo procul dubio intelligendum est; quod Volcher. Coiter, in *observ. anat.* scribit, se in omnibus capitibus vulneribus; quæ tum ipse curavit; tum à Fallopio, & Julio Cæsare Arantio securata vidit, animadvertisse, substantiam quandam fungosam, durumam, & ita tenaciter partibus subjectis annexam; ut spatulâ auferri nequivisset, suppullulasse. Fungos enim propriè dictos; qui plerumque lethales sunt, in capitibus vulneribus, ita frequenter nasci, credibile non est. Ista quoque caro non ita subito generatur, nec valdè extuberat. Fungi verò propriè dicti ex humoribus vitiosis affluentibus, instar fungorum, citissimè generantur; ut sæpè uno die magnitudine ovi gallinacei excrescant; & licet aliqua pars dematur, paulò post major repullulat.

Symptomata & Signa.

Visu facillè hujusmodi vitium cognoscitur. Ex contusa enim, seu vul-

neratâ membranâ cerebri breviter temporis spatio fungosa pallida caro subito excrescit & pullulat; ut sæpè etiam supra cranium & cutem emineat.

Prognosticum.

Fungi hi periculosi sunt, & plerumque lethales; cum ab humorum vitiosorum ad cerebrum affluxu proveniant, & tandem putrescentes gangranam attrahant.

Indicationes.

Cùm ab humorum vitiosorum ad cerebrum affluxu gignantur fungi; humores illi è corpore evacuandi, & è capite revellendi sunt. Ipse verò fungus siccantibus & exedentibus medicamentis absumendus; acriora tamen hinc vitanda. Excisio verò, quæ ferro fit; ut & quæ ligaturâ, & filo serico; adeò tuta non est; cum gravia symptomata supervenire soleant. Si tamen fungus nimium incrementum sumat, filo serico ad radicem ligandus arctius, ut decidat; reliquum medicamentis siccantibus absumendum. Si etiam durities aliqua, & malignitas adsit, quæ canceri naturam referat, tum lenioribus medicamentis non cedit fungus; acrioribus verò magis irritatur; & proinde nisi radicitus excindatur, vix tuto, citò, & sine dolore curari potest, ut sentit Guilelm. Fabricius.

Curatio.

Quaratione corpus universum à vitiosis humoribus evacuari debeat, ex *Fungorum cerebri superioribus patet. Ad fungum verò curatio.* exciccandum & absumendum inserviunt sabina, hermodactyli combusti, rad. caryo-

ca yophyllat. angelicæ, aristoloch. rotunda, irid. Florent. rosmarinus.

Ambrosius Paræus hoc pulvere utitur:

℞. Sabine Drach. ij.

ochræ Drach. j.

F. Pulvis.

Guilelm Fabricius isto:

℞. Rad. caryophyll.

angelic.

calami arom. an. Drach. ℞.

aristolochiæ rotunda,

iridis Florentin.

ligni Guajaci, an. Drach. ij.

flor. saly.

summ. majoran.

flor. rosmarin. an. P. j.

F. Pulvis subtilissimus.

Deinde hoc Emplastrum imponit:

℞. Emplastri de betonic. Unc. iv.

gumm. elemi dissol. in ol. ros. Unc. j.

pulv. rosar.

myrtill.

mastiches,

calami arom. an. Drach. j. ℞.

Cum s. q. olei rosarum. M.

Videatur Paræus, lib. 9. c. 19. Guilelm. Fabricius, cent. 1. obs. 14. 15. cent. 2. observ. 35 36.

CAPUT XXVI.

De Carie Cranii.

Cranij
cories.

Continui solutio in ossibus, quam Cerosio ab humoribus acribus gignit, caries appellatur. Ea quandoq; etiam cranio accidit; cum scilicet per vulnera aut ulcera sanies defluens ossis substantiam corrumpit. In quo humore interdum est peculiaris proprietates, quæ ossi adyeratur, ut obser-

vatum sit, cranium corruptum & cariosum evasisse, cute capitis integrâ manente.

Signa Diagnostica.

Cognoscitur visu, & os nudatum à naturali colore in lividum & nigrum mutatum est; tactu quoq;, specillo immisso, deprehenditur: cum scilicet inæquale & asperum quid occurrit, & specillum leviter adactum, in ossis substantiam, tanquam lignum cariosum penetret. Cariem ossis indicat etiam sanies liquidior, tenuior, & fœtidior, quàm quæ à simplice carnis ulcere provenire possit. Caro in super est laxa & mollis, ulcusq;, sicut accidit, est rebelle, nec facillè cicatricem contrahit.

Prognosticum.

Si caries nō admodum magna sit, & medicamēta, vel ferrū commodè adhiberi possit, malū incurabile non est.

Curatio.

Quicquid ossis corruptum est, à sano separandum. Fit hoc dupliciter: medicamentis, vel manus operâ. Si enim caries minus profunda sit, sufficiunt medicamenta, quæ insigniter exsiccant; quo fit, ut glutine, quo cum osse sano cohærebat, absumpto abscedat, & separetur: vel natura roborata, & vitioso humore absumpto, sponte, quod corruptum est, separat. Interveniunt huic usui pulveres cephalici dicti, supra enumerati, quibus & alia exsiccantia addi possunt. Exijs sunt alia mitiora, alia fortiora.

Mitiora, in corporib. mollioribus, & si corruptio ossis non sit magna, usur-

tufurpanda, sunt, *radix ireos, aristolochiæ rotund. peucedani, myrrha.*

Fortiora, quæ in corporibus durioribus, & si corruptio major sit, locum habent, sunt, *rad. draconij, cortices pini, scoria aris*; interfortissima est, *euphorbium, & vitriolum.*

Exempli gratiâ:

℞. *Pulv. aloes,*
punic. usti,
pompholyg. an. Drach. ij.
rad. ireos Florentin.
aristoloch. rotund.
myrrhean. Drach. j.
ostrea combusta Drach. ℞.

F. Pulvis subtilissimus, qui vel solus, vel melle rosato, & spiritu vini mistus applicetur, & hoc emplastrum apponatur:

℞. *Cera nova,*
resinipini,
gummi ammoniac.
elemi, an. Drach. vj.
terebinth. Unc. iij.
pulv. mastiches,
myrrhe,
aristolochiæ rotundæ,
ireos Florentin.
aloes,
opopanax.
euphorbij, an. Drach. j.
olei rosæi q. s.

F. Emplastrum.

Vel imponatur emplastrum de betonica.

Quod si major sit ossis corruptio, quàm ut medicamenti emēdari possit, os radendum, donec integrum & album appareat, ac aliquid sanguinis exstillet; vel scalpro, aut alio instru-

L.I.

mento cariosum excindendum: aut si corruptio major sit, & maligna, ut nec ferro tolli possit, cauterio os adurendum. De quib. plura dicetur, ubi in genere de ossium carie curandâ tractabitur. Videatur interim Cellus, *lib. 8. cap. 2.* Ambros. Paræus, *lib. 9. cap. 20. & lib. 18. cap. 26. 27.* Hieron. Fabricius ab Aquapendente, *lib. 3. cap. 10.* Chalmeteus, *ench. chirurg. c. 8.*

CAPVT XXVII.

De Tumoribus Cerebri:

Et primò

De cerebri & meningum ejus inflammatione. |

Absolvimus hactenus tria morborum simplicium, quæ capiti accidere possunt, genera: supersunt quidam morbi compositi; tumores nimirum, in quibus intemperies cum materia conjungitur, cum magnitudine auctâ, & quandoque etiam cum unitate solutâ: quorum duo explicanda sunt; inflammatio scilicet, & hydrocephalon.

Et primò quidem inflammationem Cerebri & meningū quod attinet, cum ad cerebrum & ejus membranas plurima vasa sanguinem ejus inflammatione vehementia tendant, & per has partes disseminetur, si sanguis ex ijs excidat, & in poros, & spatia partis effundatur,

atq; ibi corrumpi, & putrescere incipiat, inflammatio excitatur, quæ Græcis *φρενίτις* nominatur, *ὄρε τῶν φρενῶν*, quod ratio lædatur, & delirium ab hac inflammatione excitetur, ut infra,

Cc

fra,

fra, part. 2. cap. 7. dicitur: ubi etiam, *quæst.* 1. an cerebrum inflammari possit, explicabitur.

Causæ.

Causa inflammationis in cerebro.

Causa nimirum inflammationis cerebri est sanguis, isq; vel purus, vel pituitosus, vel biliosus. Ut autem sanguis ille p.n. ad cerebrum & membranas ejus effundatur, faciunt quæcunq; sanguinem nimis calefacere, & ad caput convertere possunt, ut aëris fervor, quo cerebrum incalescit, humoresque fervidi è toto corpore sursum trahuntur, ictus & capitis vulnera, ac dolor inde sequens, vigiliæ diurnæ, ira, victus ratio calidior, ac imprimis vini meracioris potus, à quo sanguis accenditur, & ad caput movetur, tandemq; motus humorum symptomaticus in febribus.

Inprimis verò duobus modis cerebri & membranarum ejus inflammatio generatur; vel febre præcedente, vel sine febre, ex cerebri & membranarum ejus læsione, aut nimia calefactione.

Primò enim ut in febribus quibusdam cõtinuis, sæpè malignis, materiæ febrem patientis pars aliqua à natura mox sub initium ad partem aliquam, ut pleuram, pulmones, fauces detrudi solet, undè pleuritis, peripneumonia, angina oritur: ita si eadem ad cerebrum, aut membranas ejus detrudatur, inde inflammatio cerebri & membranarum ejus excitatur; quæ febris propterea vulgò quidè symptomatice appellatur; sed rectius à Plærocomitata dicitur; cum febris ista non

inflammationem cerebri, sed inflammatio cerebri febrem sequatur, & à febrili materia ortum habeat.

Deinde aliquando ex causis evidentibus, ut vulnere, percussione, contusione capitis, morâ sub radijs solaribus, & similibus causis sanguis ad cerebrum, ejusq; membranas concitatur, & confluit, ibiq; inflammationem excitat.

Pars affecta nunc est cerebrum secundum membranas ejus; aliquando cerebrum ipsum. Etenim cum vasa, quæ sanguinem ad cerebrum deferunt, membranis cerebri investientibus infèrantur; si sanguis eò effundatur, ipsæ inflammationem concipiunt, & sanguinis parte in cerebrum effusâ ob vicinitatem ipsum quoque calorem concipit, & inflammatur. Et cum cerebrum ipsum etiam alatur, & ad spirituum animalium generationem arteriæ sanguinem advehant, si sanguis confertim in ejus substantiam & poros effundatur, ibi calorem p.n. concipit, putrescit, & inflammationem parit.

Vocatur quidè à nōnullis in dubium, an cerebri substantia inflammari possit: sed nihil obstat, quin id accidat, cum & illud sanguine nutriatur: de quo plura in Institut. lib. 2. part. 2. sect. 2. cap. 4. de phrenitide dicta sunt. Videatur etiam Petrus Salius. Diversus, de affectibus particul. cap. 1.

Sive autem cerebrum, sive membrana ejus inflammentur; & generationis ratio, & curandi modus idem est. Quamvis, si cerebrum inflammentur, cum majori periculo conjunctus

morbus sit; cum phlegmones magnitudinem gangræna sequi soleat, de qua interpretatur Galenus aphorismum 50. sect. 7. *Quibus cerebrum syderatum est, intra tres dies pereunt: si vero hos supervixerint, sani sunt.* Et cum inflammatio cerebri plerumque in gangrænam abire soleat, inflammatio ista cerebri sub nomine sphaçeli cerebri plerumque à Medicis proponitur; de quo etiam Hippocrates, 3. de morb. in finit. & 2. de morb.

Etsi verò curandi ratio parùm aut nihil variet, siue cerebrum, siue membranae ejus inflammentur: tamen symptomatibus non parùm differunt; de quo mox in signis dicetur.

Differentiæ.

Differt hæc inflammatio: I. ut dictum; ratione subjecti, quod nunc sunt membranae solùm, nunc verò ipsum etiam cerebrum. II. ratione causæ, quæ nunc est sanguis purus, nunc sanguis cum multa bile mixtus, vel etiam sanguis serosæ humiditatis aut pituitæ aliquid participans. Etsi verò sanguis & bilis aduri possint, ut in atram bilem vergere incipiant, & tum etiam graviora deliria excitentur: tamen cum bilis in atram bilem jam abiit, potius mania, quàm phrenitis oritur, & vix atra bilis putrescere, ac febrem excitare potest, sicut id in cancro videmus.

Verùm differentiæ hæc cum curationem non multùm diversam habeant, inflammationes cerebri & membranarum ejus simul proponere volumus. Quia tamen signis & symptoma-

tibus non parùm discrepat inflammatio cerebri ab inflammatione membranarum ejus, signa utriusque seorsim proponemus.

Signa Inflammationis Membranarum Cerebri.

Inflammati cerebri membranæ ad-
est febris continua, & delirium perpetuum, ac vigiliæ; quæ propterea signa
inflammationis membranarum cerebri sunt pathognomonica. Primò febris acuta & continua semper cõ-
juncta est: siquidem aliquando febris inflammationem præcedit, aliquando, ob magnum cordis & cerebri consensum, statim inflammationem cerebri sequitur, quæ de tertio in tertium exacerbatur; ut etiam in pleuritide accidere solet, quòd bilis ferè semper cõ-
juncta sit. Et licet prior differentia inflammationis cerebri à febre ortum habeat: tamen rursus inflammatio capitis & cordis consensum augere potest. Deinde adest delirium perpetuùm; sed id sensum, & paulatim inchoat, & inflammationis hujus præludium esse solet: quoniam in incendio illo, spiritibus animalibus continuo agitatæ & impulsis, mentis quæ officinâ turbatâ, imaginatio & ratio suo munere, ut par est, fungi non possunt. Tertio vigiliæ plerunq; urgent & molestæ sunt.

His accedunt & alia: sæpè ægri floscos & festucas legunt, ob turbatam spectris inanibus phantasiam. Dolor capitis & cervicis percipitur, quem successu tēporis ægri non percipiunt; quoniam mens ægrotat: ægri ad iram proni sunt, strident dentibus, oculi
C c 2 rigent,

rigent, accidunt tremores, & totum corpus inordinatis motibus concutitur: obliuiscuntur ægri mejere petitâ matulâ, vel linguam intra os retrahere, ubi exseruerint, memoriâ varietate spectrorum & imaginum à munere suo avocâtâ. Pulsus est tardus & durus; respiratio magna & rara; quia spiritum etiam ægri ducere obliuiscuntur, & raritas magnitudine in illo febrili incendio suppletur. *Æger fit* *Bege xvdrtms*, id est, sitim etiam præsentem non sentit; quia mens læsa est. Facies & oculi rubent, attracto per calorem sanguine ad caput; oculi squalent, ob siccitatem cerebri; & vividius amplius non sunt, quod spirituum animalium vigore destituuntur; & lumen refugiunt, quo spiritus agitati magis dissipantur. *Aspectus est* torvus, ob conceptam animi ferocitatē; lacrymæ excernuntur acres, paucæ, oculorum angulis adhærentes. Lingua aspera est, citrina vel nigra, vaporibus fervidis humiditatem linguæ absorbentibus; ejusq; tunicam corrumpentibus; sanguinis stilla fit è naribus, naturâ conante quod molestum est expellere, sed præ virium imbecillitate succumbente: quod si stilla nigra sit, lethale est: ob exultum in venis cerebri sanguinem. Interdum lachryma acris ex altero oculorum fluit, ob dissolutionem humorum ab immodico calore, undè & luemæ sive sordes in oculis existunt. Urina supprimitur, quia sensus interiores laborant, & ægri neque pondus, neque acrimoniam urinæ percipiunt. Dum autem emittitur, alba plerumq; est, & perspicua, quod bi-

lis, quæ urinam tingere solet, ad caput rapitur. Imminentis quoque inflammationis cerebri signum ex urina haberi potest. Si enim circularis spuma in urina appareat, in morbo, qui in inflammationē cerebri abire potest, flatuum copiam significat, qui humores secum ad caput rapere, & inflammationem ibi parere possunt. Vbi verò jam urina, quæ antea erat valde tineta, vel etiam turbida, clarior & renuisè colorata apparet; sine signis coctionis, & morbi diminutione; moveri humores ad caput, & jamjam instantis cerebri inflammationis indicium est; præcipuè si vigilie infestare, & æger delirare incipiat. Alvus est adstrictior.

An autem inflammatio sit à sanguine puro vel biliolo, ex signis interperierum capitis super traditis cognoscendum. Hoc saltem hic addimus, si ex sanguine puro sit inflammatio, vel cum humore seroso aut pituitoso misto; deliria sunt mitiora, & cum risu: si verò à flava bile; delirium est gravius, & cum iracundiâ & truculentia: quæ si aduratur, gravissimum fit delirium.

Signa Inflammationis Cerebri.

Si verò sanguis confertim & subito *Cerebri* in ipsum cerebrum effundatur, *symptomata non parùm variant. Febris inflamat* quidem continua utriusque inflammationi cōmunis est: reliqua tamen non parum differunt. Nā in inflammatione cerebri, primò quidem, cū sanguis per membranas affluit, ægrum ap-
pre-

prehendit ingens capitis dolor, qui per occiput collo & uniuersa spinæ communicatur. Hinc sensus omnes amittuntur, tum externi, tum interni. Et ægri nec dolorem, nec quicquam molestiæ percipiunt, nec delirant, & interrogati nõ respondent, & parum, aut prorsus non loquuntur: quod nõ accidit in inflammatione membranarum cerebri, in qua adest deliriũ, dolor perseverat, & sensus non amittuntur, sed solum depravantur, solusque motus in inflammatione cerebri remanet, qui aded interdum validus est, ut vix loco contineri queant ægri, qui nonnunquam etiam in proprium corpus sæviunt, & capillos sibi evel-
lunt, vel unguibus faciem dilaniant; quod procul dubio provenit irritatã naturã, ab æstuante intra corpus maximo incedio. Facies in principio rubet, ut & oculi. Morbo verò procedente corpus languescit, & ad motum impotens redditur, ut decubitus raro mutant ægri, aut dormire quasi videantur; manus tamen sæpius movet, quasi aliquid quærere vel apprehendere velint; manus etiam sunt tremulæ.

Prognostica.

*Inflam-
tio cerebri
quot dieb.
termine-
tur.*

1. Inflammatio cerebri & membranarum ejus morbus est acutus & periculosissimus; quæ si sit acutissima, quale exemplum est 3. *Epidem. comm. 3. e-
grot.* 4. tertio die hominem jugulare potest. Pleriq; ita affecti intra septimũ diem moriuntur; per pauci, hiq; rari, hunc superant. Galenus, ut, *loc. allegat.* testatur, acutã à prima die statim phrenitide correptos, quarto & quin-

to die vidit exanimatos fuisse, tertio non vidit. Avicennas, *lib. 3. fen. 1. tract. 3.* unicã die phrenitide extinctos narrat. Prosper Alpinus, *libr. 1. de med. Ægypt. cap. 13.* refert, in Ægypto se vidisse phreneticos mortuos tribus vel quatuor diebus. Nonnunquam tamen ad diem 23. & 24. & plures extenditur: mutatã morbi naturã ex acuto simpliciter in acutum ex decidentia; ut ex Hippocrate, *loc. allegat. t. 84. & seqq.* videre est.

2. Longè tamen periculosius malum est, si ipsum cerebrum, quàm si membranæ tantum inflammentur. Cerebri enim inflammatio plerunq; in gangrænam & sphacelum desinere solet; de quo Hippocrates, 7. *aphor. 50.* *Quibus cerebrum sphacelo correptum est, intra dies tres moriuntur: si verò hos superant, sani sunt:* qui verò convalescunt, nec morbi, nec alterius rei ad morbum pertinentis recordantur.

3. Inflammatio cerebri & membranarum ejus, quæ à puro sanguine est, minus periculosa est, quàm cum bilis simul mixta est.

4. Quod functiones plures sunt læsæ, & graviora sunt symptomata, eò malum periculosius est.

5. Lingua contremiscens hic malum. Significatur enim magna animalis facultatis imbecillitas ex immoderata cerebri caliditate & siccitate.

6. In inflammatione membranarum cerebri alba dejectio mala; quia significat motum bilis ad caput. Galenus, 1. *prorrhet. com. 1. t. 12.*

7. Urina pellucida & alba, veluti aqua, in inflammatione cerebri, &

membranarum ejus, malum; quia morbum maximè crudum esse, bilem- que omnem sursum rapi, ostendit. De quo Hippocrates, 4. aphor. 72. *Quibus pellucida & alba sunt urina, malum, maxime verò si in phreniticis appareat.* Scribitq; Galenus, in *commentar.* nullum se phreniticum servatum vidisse, in quo talis apparuisset turina.

8. In inflammatione adhuc cruda rigor signum pessimum est; id est, si accidat rigor ille, materiã biliosã adhuc in corpore existente: quod ex eo cognoscitur, quòd alba per alvum de- jiciuntur. Est enim rigor ille symptomaticus, 1. *prorrh. com. 1 aphor. 13.*

9. Ut in alijs febribus acutis: ita in inflammatione cerebri, & membra- narum ejus, sanguinis è naribus stilla mera, id est, nigra sincera, pessima est, exustionem scil. sanguinis in cerebri venis significans, quem natura mor- bo succumbens frustra expellere nititur. Nam, ut Galenus addit, rubri san- guinis stilla in morbo exitiali haud unquam visa est, sed nigri semper, 1. *Epid. comm. 3. agrot. 1.* Si verò copiosius sanguis fluat, indicio est, ægrum ex morbo convaliturum.

10. Si quis in tali morbo dentibus stridat, non consuetus id facere à pue- ritia, futuri delirij indicium est: quod si verò jam deliret æger, & simul stri- dat dentibus, mors in propinquo est. Nam convulsio significatur musculo- rum in temporibus & maxillis, 2. *prog- nost. 1. & 1. Epidem. com. 2. t. 53.*

Deliria in inflama- tione cere- bri qualia. 11. In inflammationibus cerebri, in quibus tremulæ, obscuræ, & cõtre- ctabiles desipientiæ sunt, ut Hippo-

crates, 1. *prorrh. 33.* nominat, longè periculosiores sunt, quàm quæ sunt *ἄ- γουβῶδες*, & tumultuosæ; ob membra- narum inflammationem, & ob simu- latam mansuetudinem minimè cõte- mnendæ; quòd tam cerebrum ipsum, quàm membrana ipsæ inflàmata sint. Non rarè enim accidit, ut Galenus, in *comment.* ait, ut ægri tales quieti ja- ceant, neque solùm non tumultuosè exclament, exsiliantque, ut antea, vel aliàs fieri videmus, sed neque prorsus loquantur, neque figuram decubitus permutent, ita ut familiaribus præ- beant opinionem, quod mox sint dor- mituri; imò dormire putentur, quod neque loquantur, neque moveantur, & clausas etiam palpebras quidam ha- beant, & si quis accedens cum ijs col- loquatur, alij palpebras non aperiant, alij, postquam aperiant, statim clau- dant. Unde Hippocrates obscuras de- spicientias appellat, quòd non solum Idiotis, sed etiam Medicis cognitu sint difficiles. Galenus tales *φρενιτικὸς* he- teticas appellat; quod ipsum cerebrum humorem acceperit, & quasi imbi- berit.

12. Pessimum etiam signum est, si phrenitidi superveniat convulsio; ut Galenus, 12. *meth. med. cap. 8.* testetur, se nullum vidisse, aut audivisse unquam, qui hoc modo affectus evaserit.

13. Qui in febre acuta, aut phreni- tide (quæ omnis est vel inflammatio cerebri, vel membranarum ejus) aut peripneumonia, aut capitis dolore manus ad faciẽ subinde ferunt, aut fru- stra venantur muscas, aut colligunt fe- flucas, aut de veste pilos evellunt, aut de pa-

de pariete festucas carpunt; id omne malum exitiale est. Affectus enim tanta vis significatur, ut mentis etiam sedem invaserit, & perturbaverit. *1. prognost. text. 23.*

14. A peripneumonia inflammatio cerebri, malum. Nam materia à loco ignobiliore ad nobiliorem translatio significatur, ob morbi magnitudinem, & virium imbecillitatem. *7. Aphor. 12.*

15. Inflammationem cerebri & membranarum ejus, & inde proveniente phrenitidem judicat. sudor bonus; & præcipue si à capite multus & calidus fluxerit, sudante simul reliquo corpore. Contingit autem nonnunquam etiam per sanguinis è naribus fluxum eandem judicari. *Galenus, 3. de crisib. cap. 3.* Nonnunquam & per alvum ingens copia bilis post summum morbi vigorem à natura evacuatur.

16. Quæ verò ad suppurationem tendunt, omnes ferè sunt lethales; cum pus intra membranam & cranium evacuari non possit. Refert tamen *Hercul. Saxonia, capite proprio*, se vidisse servatum, cui sanies erumpebat per os & aures: sed ipse hoc pro raro & tantum non pro miraculo habet. Ducit autem morbus ad interitum per virium resolutionem, tremorem, convulsionem, veternum.

Indicationes.

Cerebri inflammatio quomodo curanda. Quæ in alijs inflammationib. dantur indicationes, eæ & hic locum habent: nimirum sanguis & humor, qui ad caput affluit, evacuandus, revellē-

mus, der vandus; repellendus, interceptus: qui verò jam affluxit, & in capite hæret, vel sensibilibiter evacuandus, vel insensibilibiter discutiendus. Et si per attractionem ipsius capitis ed confluat, ob intemperiem capitis calidam, refrigeranda illa est; si ob dolorem, is mitigandus. Si verò per transmissionem ed feratur materia, sive à toto, sive à parte aliqua; ratio habenda cum mittentis, sive sit pars aliqua, sive totum corpus, & ea evacuanda, & alteranda; tum recipientis, hoc est, capitis, quod propterea roborandum, ne materiam affluentem admittat. Et cum febris semper conjungatur, totius corporis simul ratio habenda, & in primis si à febre ortum habeat hæc inflammatio, curatio febris, ut decet, instituenda. Ipsa tadem intemperies capitis alteranda. Vires quoque corporis custodiendæ, alimento justo modo & quantitate adhibito, & somno ac quiete conciliatâ.

Curatio.

Quâ ratione autem istis indicationibus satisfieri possit, maximam partem ex ijs, quæ supra, *capit. 8. de Intemp. cap. cum sanguine curandâ*, dicta sunt, patet. Nimirum cum inflammatio cerebri sit morbus valde acutus, & brevi tempore ita invalescat, ut curationem postea non admittat, subitum auxilium requirit; quale est *vena sectio*, quæ sanguinem, inflammationis causam, evacuat, aliò revellit, derivat, atq; ita quod in inflammatione adhuc fit, prohibet; quod verò factum est, tollit.

Ita-

*Qua vena
aperienda.*

Itaque si vires id ferant, præmisso leni clystere, sanguis mox detrahatur ex cephalica, aut, si magna adsit sanguinis copia, ex hepatica vel mediana primùm, & post aliquot horas è cephalica, quæ non solum revellit, sed etiam derivat, & è venis, per quas sanguis ad caput proximè fluit, evacuat. Sitamen ex mensium vel purgationis post partum, vel hæmorrhoidum suppressione malum originem habeat, saphena in pede aperienda. Quia tamen vero constantium est, jam aliquid in capite receptum esse, vel proximè in id moveri; nec cephalicæ sectio postea omittenda. Nisi n. sanguinis ad caput fluentis impetus sistatur, & ille, qui in venis, per quas ad caput defertur, fluctuat, derivetur, sine fructu repellentia adhibetur; cum humores, dum vasa plena sunt, repellentibus non cedant. Etsi verò nonnulli dubitât, an in inflammatione cerebri & membranarum ejus, præsertim à sanguine bilioso, sanguis mittendus sit: tamen causas dubitandi sufficientes non habent; cum certum sit, bilem sine sanguine inflammationem non parere, & non nisi sanguine commixtam ad cerebrum ascendere: idq; imprimis verum est, si inflammatio cerebri per se, sine febre, incipiat. Etsi verò quandoq; accidat, ut natura errâs, vel in augmento, vel in statu febrium biliosos & vitiosos humores à sanguine separare conetur, eosque ad caput mittat: tamen nec tunc id sine sanguine fit, & tunc vena, ut mox dicitur, aperienda.

Aperiatur autem statim ab initio, *Quâdo vena aperienda.* quacunque etiam diei horâ; cum tum non sit in inflammatione cerebri

phlebotomiam ad tertium diem differre, donec tota materia influat, & in capite figatur. Si verò febris inflammationem aliquâdiu præcesserit, nec ab inflammatione febris illa ortum habeat, & jam ratione febris sanguis missus sit, nihilominus repetenda venæ sectio, & pro virum, quæ procul dubio febre jam debilitata sunt, ratione parcius sanguis mittendus. Si verò sanguis antea non sit missus, & vires constiterint, audacius sanguis emittendus. Itaque tunc cephalica mox aperiatur, vel, si vires id non ferant, vena in manu, aut, quod commodissimum est, saphena in pede uno, vel utroque; cujus venæ in talibus morbis aperiatio plurimum utilitatis affert. Cum verò delirium aut immineat, aut jam adsit, foramen non amplum fiat, ut vuln^o citò coalescat: accuratè quoque vulnus obligetur, ne ab ægro revellatur. Quam ad rem linimentum utile est ex aloë, albumine ovi, & pilis leporinis paratum.

Quantum sanguinis evacuandum sit, tum ex viribus ægri, tum ex humoris inflammationem parientis copia & conditione æstimatur. Minus enim educitur, si humor ad bilis naturam propius accedat, plus, si ad sanguinis, & si sanguis sit copiosior, & inflammatio incipiens, nec ex alio morbo orta. Non tamen, ut Arabes quidam volût, usq; ad deliquiû animi sanguis emitti debet, ne vires collabatur, quæ per

per se ob vigilias, & iactationes perpetuas, mentemq; turbatam imbecilliores sunt, & à victu paulò pleniore auxilium in hoc morbo expectare non possunt. Et tutius est, bis potius eodem die, vel bidui spatio venam aperire, quàm semel copiosâ nimis evacuatione vires dejicere.

Cucurbitula.

Si verò venam aperire non liceat, cucurbitulæ cum scarificatione iterata & profundâ applicentur primò partib. inferioribus, postea superioribus; nec omittâtur alia revulsionum genera, per frictions crurum, cucurbitulas, etiam non scarificatas, crurib. applicatas, ubi sanguinis evacuatione ita non opus est. Nam si plenitudo adhuc adsit, scarificatio, ut dictum, simul adhibenda: quod in primis faciendum, ubi ex suppressis mensibus, vel hæmorrhoidibus malum originem ducit. Utile quoque fuerit, vesicatoria ex cantharidibus scapulis & brachijs apponere.

Clysterum usus etiam post phlebotomiam convenit; ac in primis; si phlebotomia omissa sit, frequentius injiciantur ex humectantibus & refrigerantibus parati; quib. præterquam, quod alvus emollitur, (ventris enim adstrictio hîc summoperè cavêda est, ut quæ malum & causam ejus auget & confirmat) humorum etiam acrimonia temperatur.

Ut R. Rad althææ Unc. j.

fol. malv.

violar.

lactuc.

parietar.

beta, an. M. j.

L. I.

centaur. min.

flor. nymphae, an. p. j.

prunor. Damascen. num. x.

Coquantur in aqua, hordei simplic.

Colat. R. lb. j.

adde elect. lenitiv. simpl. vel diacathol.

casia pro clysterib. an. Drach. vj.

olei violar. Unc. ij.

sirup. rosar. solut. Unc. j.

salis Drach. lb.

F. Clyster.

Et quod clysteres præstant, idem commodè mitiora lenientia efficere possunt, quæ propterea commodè intro exhibentur; cum non solum primas vias evacuent, sed & fervorem humorum temperet ac refrigerent, qualia sunt *sr. rosar. & violar. solutiv. casia, tamarindi, diaprun. simplex. lenitiv.*

An autem electivè purgantia inter An electivè purgantia exhibere liceat, de eo inter Medicos non convenit, ut postea, in quâstione prima, dicetur, quorum summa hæc est. Si inflammatio hæc febrem cerebri consequatur, & materia errabunda sit, ut veniant. pro turgente haberi possit, & magna sit cacochymia, ut sanguinem copiosius mittere non liceat; lenientib. antè enumeratis rhabarbarum, vel etiam aliquid Trypheræ Persicæ, elect. rosar. Mesuræ, de succo rosarum, aut aliquot grana diagrydij addere licet.

Ut R. Rhabarb. opt. Drach. i lb.

flor. cordial. an. P. j.

cinamomi,

spica, an. Scrup. lb.

Infundantur in aq. endivie.

Colaturæ R. Unc. iij.

In quibus dissolve elect. rosari Mes.

Drach. ij.

D d

Ite-

Iterum colentur.

Adde *pulpa tamarind.*

fir. rosar solut. an. Unc. ℥.

Misce.

Si verò inflammatio sine febre ex vulnere, vel simili causâ inceperit, quamdiu febris abest, purgare licet: ubi verò febris accedit, a purgantibus abstinendum.

Videndum tamen hîc, an major sit sanguinis copia, an verò caco-chymia. Cum enim in tali casu utroque auxilio sit opus, si sanguinis major copia adsit, liberalius is evacuandus. Et tunc leniora purgantia exhibenda, sufficitque in tali inflammatione rhabarbarum. Si verò major adsit caco-chymia, & ideo sanguinem copiosius emittere non liceat, copiosius purgandum, & tum rhabarbaro, ut dictum, aliquid Trypheræ Persicæ, vel elect. rosati Mesue, vel de succo rosarum addendum.

*Repellètia
in inflam-
matione
cerebri.*

Quamprimum autem vena aperta est, ad sanguinis motum in caput impediendum, & caput, ne nimis incalcescat, temperandum, usurpanda repellentia; de quibus supra, *capit.* 1. 5. 8. dictum est.

*An tepida
vel frigida
sint adhi-
benda.*

An verò vel tepida, vel frigida sint adhibenda, morbi natura & tempus, ætas, & anni constitutio definiunt. Nam in inflammatione legitima incipiente, si æger sit juvenis, & anni tempus calidum, refrigeratâ actu frigida adhibeantur; imò Avicennas nive ea refrigerare jubet: si verò inflammatio sit notha, æger lenex, tempus anni frigidum, tepida admoveantur. Ita Galenus, 2. *de compos. med.* 1. hyme actu

calida vel tepida; æstate frigida applicare jubet.

Si etiam ætus sit vehemens, & ipsum cerebrum inflammatum, actu frigida adhibeantur, & quoties incaluerunt, renovetur, & raso eâ parte capiti hæc topica imponantur; cum ut vis medicamenti melius penetret, tum ut capite onere capillorum levato fumi facilius discutiantur. Non enim, quod Archigenes metuit, tam brevi tempore detonsa capillorû seges ita largè fructicare potest, ut plus materiæ hæc ratione ad caput trahatur. Ubi autem capilli per se breves aut rariores sunt, etiam intonso capiti rectè applicari ista medicamenta possunt.

Non quoq; nimis diu horum usus continetur, sed circiter dies tres saltem. Aceti etiam portio minor sit, propter vigiliâs, quæ urgent.

Si verò, quod nonnunquam accidere solet, inflammatio ad cutem, & versus capitis partes exteriores vergere videatur, ne materia intrò, & ad cerebrum repulsa gravius malum inducat, à repellentibus, imprimis fortioribus, abstinendum.

Odoramenta quoque utilia sunt, quæ cerebrum refrigerant; quæ sup. *capit.* 1. proposita ex flor. rosar. violar. nymph. aq. rosar. Nec omittantur lotiones crurum ex decoctis herbarum refrigerantium cephalicarû: sed quæ actu calidâ usurpentur. Ita enim actuali caliditate revellunt: potentialitatem autem frigiditate refrigerant, humores temperant; quibus aliquid florum chamæmeli & meliloti addi potest, ad aliquam discussionem.

Ut.

Ut quoq; impetus humoris ad caput fluentis interceptiatur, inter initia fasciæ aquâ rosarum & aceto madidâ collo circumjiciendâ. Imò non abs re fuerit, dorsum unguento rosaceo aut aceto, ad fervorem humorum in vasis temperandum, inungere.

Dum hæc peraguntur, & capiti extra applicantur, non omittendâ interna medicamenta, quæ humores alterant; eorumq; calorem remittunt, supra, cap. I. proposita.

Et quia æstus non solum est in cerebro, sed in toto simul corpore, nonnulli epithemata ex refrigerantibus aquis, & alijs medicamentis cordi imponunt.

Quia etiam in hoc morbo vigiliæ pertinaces sunt, quæ morbum miris modis augent, vires dejiciunt, coctio- nemq; humorum, quæ in somno fit, impediunt, mox ab initio medicamēta somnum conciliantia, vel repellentibus miscenda, vel seorsim adhibenda, formâ epithematum, inunctionū, lotionum, odoramentorum. Pleraq; tamen ex ijs, quæ somnum conciliant, etiam repellendi, & calorem cerebri temperandi vim habent.

Ut *Rx. Fol. lactuca,*

salic.

vitis, an. M. ij.

flor. nymph.

violar.

rosar. albar. an. M. j.

chamamel. M. ß.

capit. papav. albi cum sem. .n. xv.

Coq. in aq. f. q.

Decocto tepido spongia imbua-
tur, quæ capiti applicetur, atq; eodem

extrema abluantur; cum lotiones extremorum magnam ad somnum conciliandum vim habeant.

Vel: *Rx. Capit. papaver. alb. cum sem.*

num. vj.

flor. nymph. lutea P. ij.

sem. lactuce Drach. ij.

Contundantur minutim, & affun-
dendo aquæ anethi Unc. ß.

rosar.

lactuce, an. q. f.

Misceantur in formam pulvis, seu
cataplasmatibus, & fronti imponantur.

Post lotiones inungantur frons &
tempora tali Linimento:

Rx. Olei violar.

nymph.

unguenti populei an. Drach. iij.

opij,

ol. nuc. mosch. express. an. gr. iij.

Misce.

Vel: *Rx. Fol. lactuc. M. iß.*

flor. rosar. M. ß.

sem. papav. alb. Unc. ß.

Coq. in aq. ad mollitiem.

Contusis adde *farina hordei,*

lactis mulieb. an. Unc. ß.

olei violacei q. f.

Fiat Cataplasma ad frontem.

Si delirium & vigiliæ valde urgeât,
quomodo ijs occurrendum sit, dice-
tur *part. 2. cap. 1.* Exhibeantur laudani
opiatigr. ij. vel iij. In opiatorū tamen
usu Medicus cautus sit, & circumspe-
ctus, ne exhibeantur, si vires valdè de-
biles sint, ne spiritus ac calor ab ijs ex-
tinguantur.

Ut autem materia, quæ influxit, è-
vacuetur, cum sensibiles, tum insen-
sibiles evacuationes instituendâ. Sen-
vacuâtia.

*Vena na-
rium ape-
rienda.*

*Vena sub
lingua an
hic ape-
rienda.*

*Discuti-
entia.*

libiliter evacuatur sanguis, qui influ-
xit, venis in capite apertis; de quibus
supra, c. 8. dictum. Inter eas verò ma-
xima cum utilitate aperiuntur venæ
narium, & si ullo modo morbus est sa-
nabilis, hoc modo curari poterit, san-
guisq; satis copiosè per eas emitten-
dus. Idq; satis maturè, & statim post
universales evacuationes faciendum.
Suadent quidem nonnulli etiam, ut
venæ sub lingua aperiuntur; neq; sine
fructu id foret; verùm in ijs, qui men-
te non constant, id præstare non ita
facile est. Possunt & hirudines post
aures applicari; ut & cucurbitulæ cum
scarificatione occipiti apponi.

Quo tempore, & dum hæc fiunt,
remittantur illa repellentia & refrige-
rantia, & quoad actualem, & quoad
potentialem frigiditatem. Itaque in
morbi progressu repellentibus, aliquid
discutientium addendum, secundum
notissimam communem illam curan-
di inflammationes legem. Et primò
quidem parùm addatur de resolventi-
bus; quò verò morbus ad declinatio-
nem propius accedit, eò plus adda-
tur. Et tandem in declinatione resol-
ventia sola usurpentur, ut reliquæ hu-
morum in cerebro discutiantur. Id-
eoq; oleo rosæ addatur ol. chamæ-
mel, vel anethin.

Vel R. Flor. rosar. rubr. M. j.

sum. anethi,

flor. chamamel, an. M. ss.

Coquantur, & loco fomenti adhi-
beantur.

Est & utile tum unguentum Ala-
battrinum.

Applicantur quoq; future coronæ
li pulli columbarum, vel catuli per
medium dissecti, vel pulmones agno-
rum calentes, quæ omnia efficaciter
resolvunt, sine novæ materiæ attra-
ctione, ut etiam supra, cap. 8. dictum.
Et quidem à lenioribus ad efficaciora
sensim ascendendum, nec fortiora
primò adhibenda, ne tenuior pars
humoris discutatur, & crassa relin-
quatur, & grave aliquod delirium ex-
citetur.

Si verò ex hisce medicamentis pa- *Cucurbi-
tum commodi sequatur, consultissi- tute an
mum censet Ludovicus Mercatus, vertici af-
summo capiti cucurbitulas affigere, figenda.*
quibus per futuras aliquid extrahatur
& evocetur; & si rubor ac tumor ap-
pareat, cutem scarificare: scribitque,
hoc auxilio Medicum consequi posse,
quod reliquis omnibus non valuerit;
maximè si mox adhibeatur lavacrum
aq. dulcis, in quo aliquid ex discutien-
tibus coctum sit. Monet tamen, hoc
saltem in eâ inflammatione esse facièn-
dum, quæ sine febre per se incepti: in-
febris, verò malignis & acutis id non
tentandum esse, nisi multæ evacuatio-
nes præcesserint, ut nulla plenitudo,
vel vitiosi humoris in corpore sit re-
dundantia, sed materia solum in capi-
te hæreat.

Interea verò, & toto morbi tempo-
re, alterantia, quæ calorem in cerebro
& toto corpore temperant, simulque
vires conservant, usurpanda & conti-
nuanda; qualia supra, cap. I. proposita
sunt; præcipuè in eâ inflammatione,
quæ à febre continuâ, ut morbo pri-
mario, ortum habet.

Ut R.

U. B. Conserv. rosar.

violar.

borragin.

nymph.

acetos. an. Unc. j.

spec. diamargar. frigid. Scr. ij. —

fragmentorum ʒ. lapid. pretiosor.

an. gr. iij.

sem. acetosa,

— portulac. an. Scrup. j.

Cum sirup. acetosif. citri, vel granat.

F. Electuarium.

Dieta.

Aër, in quo cōtinetur æger, sit temperatè frigidus. Calidior enim morbum aug. t. nimis verò frigidus curam denudando, & insensibilem transpirationem prohibendo nocet. Ætate ergo, ubi calidus est nimis, refrigeretur ijs modis, qui supra, *cap. I.* sunt propositi.

Victus sit tenuis, & refrigerans, ac quò morbus est acutior, eò sit victus tenuior. Convenit autem, ut in alijs calidis & acutis morbis, pitisanæ cremor. Olera item, quæ refrigerandæ vim habent, ut lactuca, endivia, & alia, supra, *cap. 2.* proposita. Non diu jejundet æger. Cibus enim acrimoniam humorum demulcet. Cibusque paucus, sed sæpius offeratur. Potus sit aqua hordei, vel julep^o, ex aqua fragorum sine vino, endivia, acetosæ, violarum, juleporosar. violar. vino granatorum, aut decoctum radic. acetosæ cum sirupo violarum. Nec inutilis est emulsi sem. quatuor frigid. major. & papaveris albi. Vel coquatur sem. quatuor frigid. major. nodulo inclusa in aqua,

& colatura, vel sola, vel cum juleporosarum, vel violarum exhibeatur. In nostris regionibus commodus potus est cerevisia tenuis, quæ non multum lupuli habet. Vino omnino abstinendum in principio, ne malum exasperet; ut postea, *quest. 2.* dicitur. Æger, quibus fieri potest modis, in quiete cōtineatur; cū motus ille varius, & vires deiciat, & somnum impediatur. Somnus verò omnibus modis concilietur.

De sphacelo cerebri exstat historia *Cerebri* apud Amat. Lusitanum, *cet. 9. curat. 9. sphacelus.*

QUAESTIO I.

An electivè purgantia in principio Inflammationis cerebri, aut membranarum ejus exhibenda sint?

De hac re inter Medicos non convenit, alijq; ea usurpanda, alij verò ab ijs abstinendum censent. Qui ab ijs abstinendum putant, eâ ratione ducuntur; quòd materia cruda sit, humorque vitiosus à bono nondū separatus: ideoque si agitur purgantibus, futurum existimant, ut citius, & majore cum impetu ad caput affectum ruat.

Alij contra plus commodi sperant ex humorum evacuatione, quam damni ex agitatione. Quamquàm enim negare non possint, humorem plerumq; adhuc esse crudum; tamè eundè conditionè turgentis materiæ habere existimant, & errandum caput petere; ideoq; quamprimum purgandum esse, ne ad caput ruat; & malum tam periculosum generet; imprimis cum ve-

An electivè purgantia in inflammatione cerebri conveniant.

næ sectione totus evacuari non possit.

Verum distinctione hic opus est, & perpendendum, ut supra dictum, an inflammatio ortum habeat à febre, an febris ab inflammatione, ut morbo primario, proveniat. Si enim morbus primarius febris sit, atque ex humorum vitiosorum, qui per eam in venis agitantur, motu excitetur inflammatio, non immeritò talis materia ad turgentem refertur; ideoque de consilio Hippocratis, 1. aph. 22, per initia statim evacuanda est. Etenim errabunda est materia, & natura eam liberari cupit, eamque propterea à venis expellere conatur; & non facit in materia quieta, & non turgente. Et quaquam natura ad certam partem eam pellat: tamen tam immobilis non est materia, quin ductu medicamenti purgantis facile sequatur. Atque errabundam esse, & turgentem, vel ex eo patet, quod materia talis primo in hanc partem moveri videtur, mox ad aliam fertur. Unde ex pleuritide fit nonnunquam angina, vel peripneumonia, ex peripneumonia phrenitis. Si verò materia jam fuerit in cerebrum recepta, & principium morbi præterierit, frustra adhibentur purgatio. Ad declinationem etiam, quod vult Massariæ, cum periculo differtur purgatio; cum hic morbus occidat vel in principio, vel in augmento, vel statu: si verò convalescat æger, ad periculum avertendum post statum purgatione amplius opus non sit. Alia verò longè est ratio inflammationis, quæ sine febre præcedente à cerebri vel membranarum ejus lesione, aut ab

effervescentia sanguinis in capitis venis provenit. Ibi enim omnino Hippocratis consilium, 2. de fract. t. 20. & 22. sequendum, qui in talibus inflammationibus purgat quidè in principio, dum febris abest; si verò febris accedat, amplius non purgat. Non enim tum turgens est materia, qualis est, quæ per februm initia ad partem aliquam ruit; neque morbi initium est ex venis totius, sed ex peculiari parte incipit.

QUÆSTIO II.

An vini potus in inflammatione cerebri, & membranarum ejus conveniat?

De hoc etiam Medici non consentiunt. Nonnulli à vino in hoc morbo omnino abstinendum esse, atque id tanquam venenum fugiendum censent; cum humorum ad caput motum adjuvet, & delirium, quod conjunctum est, augeat. Alij verò vinum concedunt, si vigiliæ pertinaces sint, viresque concidant, utpote quod vires instaurat, vigilias temperat, & insaniam demulcet.

An Vini potus in cerebri inflammatione conveniat.

Verum prior sententia verò magis consentanea est, ob rationes allegatas. Nam quod vigiliis moderari, & animum demulcere dicitur vinum, hoc de melancholicis delirijs & vigilijs potius verum est, quam isto, quod ex humore calido, & inflammatione oritur, quæ vini usu potius exasperantur. Ideoque in principio à vini usu planè abstinendum. Postea verò, ubi morbus id ad-

mit-

mittit, viresque requirunt, in affluetis ἀλιχοφόρον saltem concedendum; præcipuè ijs, qui aliàs meraciorè uti consuevère.

CAP. XXVIII.

De Hydrocephalo.

Aliquando serosus humor in capite tantâ copia colligitur, ut illud in tumorem attollat, qui affectus *Gæcis* ὕδρωκεφαλὸν & Hippocrati, 2. de morb. ὄρω ἐπὶ τῷ ἐγκεφάλῳ, Latinis Hydrops capitis appellatur; in agnitudine scilicet capitis aucta ab humore seroso. Autor *Defin. Medic.* definit hydrocephalum, quod sit collectio humoris aquosi, vel cruenti, vel feculenti, in parte aliqua corporum eorum, quæ caput constituunt. Ita enim legendum videtur, ὑπὸ τῆ ὕδατος ὕδατος, ἢ αἱματώδους, ἢ πυρρῶδους. Nam sic etiam Aëtius habet, qui procul dubio hunc locum in sua scripta transtulit.

Causæ.

Causa hujus morbi continens est humor serosus, quo nomine omnes humores, quos Medici inter causas hydrocephali ponunt, complectimur. Celsus solum ab aqua fieri; Autor *definit. Med.* ut & Aëtius, *tetrab. 2. serm. cap. 1.* ab humore aquoso, vel cruento, vel feculento fieri scribit, ubi malè Cornarius vertit, fieri ab humore læto; cum hoc saltem velit Aëtius, tardè & lentè, non subitò hunc tumorem generari; non verò ab humore crasso, vel lento. Avicennas non solum ab aqua, sed & alijs humorib. fieri scribit.

Nimirum ut serum, à quo hydrops in abdomine generatur, non semper est ejusdem modi, sed nunc simplici aquæ planè respondet, nunc feculentum est, & plus de hoc vel illo humore participat: ita quoque se res habet in hydrocephalo, in quo aqua illa nunc pura & limpida est, nunc feculenta, nunc etiam cruenta, sanguine tenuiore, ex venarum orificijs apertis effluente, permixta.

Locum affectum quod attinet, non semper uno in capitis loco serosus ille humor colligitur, sed coacervatur nunc inter cutem & pericranium, nunc inter pericranium & cranium, nunc inter cranium & cerebri membranas, nunc inter membranas & cerebrum; & tum, ubi scilicet aqua est intra cranium, futuræ cranij sæpè dilatantur, ipsumque cranium, quod in infantibus adhuc molle est, distenditur. Vesalius, *de corp. hum. fabric. libr. 1. cap. 5.* aliam adhuc differentiam observavit in puella bienni Augustana, cujus caput in menses plus minus septem ita increvit, ut viri caput quodvis mole excederet, ob aquæ novem libras in ipsius cerebri cavitate, & quidem dextro, sinistroque ventriculo collectas, quorum amplitudo & cavitas valde extensa erat; cerebrum verò in capitis vertice, membranæ quasi modo, tenuè, & quodammodo continuum cum sua tenui membrana corpus: calvaria quoque prorsus membranea erat; in reliquo capite nihil aquæ erat. Et quod mirum, ad mortem usque sensibus integris usa est. Qualis historia etiam est apud Guilelm. Fabricum, *Cent. 1. observ. 140.*

Quo loco
aqua in
capite col-
ligatur.

Hydrocephalon.

Hydrocephali causæ.

Colligitur ista etiam aqua nunc in toto capite, nunc in parte aliqua præcipua; sicut in anteriore id observavit Epiph. Ferdinandus, *hist. med.* 21. Quocumq; autè in loco aqua contineatur, effunditur in eum, cum è venis, vel à nastomosi, vel diapedesi patefactis effluit, idq; quod vel à reliquo corpore ad caput mittitur, vel, quod frequentius accidit, quia ibi sensim coacervatur. Cujus rei causa est calor cerebri debilis, & cerebrum nimis refrigeratum & humectatum, quod alimentum rectè elaborare, vel ab inferioribus transmissos humores discutere nequit. Facit hùc imprimis sanguis, quo infans in utero alitur, aquosus & serosus, què mater vel ex nimio aquæ potu, vel ex usu fructuum, aliorumq; ciborum, qui copiosum serum gignunt, cumulavit.

Hydrocephalon infantibus frequentius obtingit.

Accidit autem malum hoc frequentius infantibus. quàm adultis; & quidè, vel in utero, ut observavit Epiph. Ferdinandus, *hist. med.* 21. vel extra uterum, dum circa partum caput ab obstetricibus incautè cõprimitur, vel, etiam sine errore obstetricis, natura serosum humorem multum in capite collectum ex venis pellit. Nonnunquam tamen & adultiores hoc morbo corripiuntur; sicut rei hujus historiam habet Carolus Piso, *de morbis à colluv. serosi humor.* *obser.* 1. de quadam puella temperamenti calidi & sicci, (in quo serosi humores facilius colliguntur) quæ ex menstua purgatione suppressa, & aquæ liberaliore potu hoc malum contraxerat; ut & alteram viri cujusdam, *obser.* 2. Guilel. Fabricius, etiam juvenis 18. annorum, hydrocephalo labo-

rantis historiam annotavit, *cent.* 3. *obser.* 19.

Signa Diagnostica.

Facile visu hoc malum cognoscitur. *Signa diagnostica.* Quo autè capitis loco serosus humor contineatur, ex signis discendum. Si extra cranium, & quidem inter cutem & pericranium, contineatur humor, tumor est evidens, mollis, ejusdem ubiq; coloris, pellucidus plerumq; , ut positum ex adverso candelæ, vel ad radios Solis capite collocato, aqua conspici possit: tumor est doloris expertus, in altum incurvatus, qui tactui cedit, & rursus assurgit, compressusq; aquæ fluctuantis motum exhibet. Atq; ista signa apparent, ubi per se incepit hic tumor: at si ex contusione vel percussione provenit, initio quidem rubet, & dolet tumor, postea verò concolor, & sine dolore evadit. Cum autem inter cranium & pericranium aqua continetur, cætera quidem eodem modo sese habent, & signa fere sunt eadem; nisi quod doloris aliquis sensus adest, propter pericranij distensionem, tumorq; est durior.

Si verò inter cranium & cerebri membranas aqua contineatur, tumor is ad tactum mollis non est, nisi valida fiat compressio. Tum enim impulsus cedit; cum cranium infantum adhuc sit mollius, & maxime futuris dilatatis. Dolor etiam in iis major est, & totum caput tumidius, & frons ipsis extra projecta est, ac intentis oculis vident, & frequentius lachrymantur, sensus ferè hebetantur, ac sopore afficiuntur.

Pro-

Prognostica.

1. Si aqua extra cranium contineatur, affectus curationem recipit. Neque tamen etiam tum periculo vacat; cum adsit magna intemperies, & ætas plerumque tenera sit, quæ neq; morbum, neque remedium sustinere potest; præcipuè si aqua sit copiosa. Tum enim lenia medicamenta parùm juvant, fortia ætas non fert. Si verò aqua intra cranium collecta sit, plerumque incurabile malum est. Nec tamen tum planè æger deserendus, sed exsiccantia medicamenta usurpanda, & cauteria applicanda.

2. Si lechargus vel apoplexia accedat, mors in propinquo est.

Indicationes.

Aqua, quæ in capite quocunq; loco continetur, evacuanda, & ut in eo amplius non colligatur, præcavendum; quod fit, totum corpus, si opus est, evacuando, cerebrumq; frigidum & humidum calefaciendo & siccando, & vitium, cujus ratione generatur & colligitur aqua, corrigendo.

Curatio.

Evacuatur autem aqua è toto corpore hydragogis, sudores & urinã moventibus. È capite verò, vel insensibiliter, per medicamenta discutientia & exsiccantia; vel sensibiliter, vesicatorijs, cauterijs, cutis capitis sectione. Humor, qui paucus est, insensibiliter discuti potest; qui verò multus, sensibiliter educendus. Nihil tamen tum prohibet, quin cum evacuatione sen-

L.I.

sibiliter discutientia & exsiccantia adhibeantur.

Universalem corporis evacuationem quod attinet, infantibus vix tumò hydragoga dantur; & alia remedia, quàm externa, vix ijs commodè adhibentur. Si verò nutrix pravis humoribus scateat, corpus ejus purgandum. Si tamen puer tam adultus est, ut sustinere medicamenta possit, exhibendum mel rosar. solutiv. vel succus irid. & sambuc. sed paucã quantitate, & cum sirupo rosar. solutivo.

Velsz. Rad. ireos Drach. vj.

sem. fenicul.

anisi,

coriand. an. Drach. ß.

passular. Unc. ß.

Coqu. in aq. pura.

In colatura infunde

mechoacan.

agarici, an. Drach. ij.

Colaturæ adde *mellis rosar. solutiv.*

Unc. ij.

Detur cochlear.

Adultioribus pil. cochlear exhiberi possunt; vel succus iridis, vel gr. ij. elaterij cum pil. convenientibus.

Per sudorem serosum humorem evacuant decoctum ligni Guajaci, farise parill. sassafras, vel balneum Lacoaicum & sudatorium.

Per urinam evacuant decoctum betonicæ, rad. feniculi, asparagi, sem. anisi, & alia.

Universalibus evacuationib. præmissis, si opus est, prius tentanda insensibilis evacuatio, quæ tutior est, quàm sensibilis. Quia autè cutis densitas ad aquæ retetionem & collectio-

E c

nem

Aquam è capite evacuatiã

nein non parum facit, primò cutis rã-
refacienda & mollienda decocto mal-
væ, chamæmeli, meliloti, parietariæ.
Hinc exsiccantia & discutientia usur-
panda; in quem finem usurpari pos-
sunt, *oleum chamamel. anethin. ruta-*
ceum, laurinum, irinum.

Cataplasmã item *ex farina fabarum,*
lupinorum, orobi, rad. iridis, absinthio, ac-
melle.

Ceratum *de betonica, Emplastrum*
ex stercore columbino, caprino, thapsiã.

Cochlearũ Avicennas usurpat cochleas, quas
in hydro- coquit in decocto artemisiæ, stœchia-
cephalo u- dis, calaminth. montan. vel cucum. a-
sus. sinini, vel ebuli, easq; ita coctas con-
tundit, & calidè capiti raso applicat.

Amatus Lusitanus, *cent. i. cur. 69.*
infantem hydrocephalo laborantem
intra tres dies hoc medicamento se-
curasse scribit:

R. Pulv. absinthij;

chamamel.

meliloti, an. Unc. j.

butyri recentis,

olei chamamel. an. Unc. iv.

cere parum,

Fiat ad ignem unguentum.

Idem & hoc, ut usu comprobatum,
laudat:

R. Mell. ℞ss.

salis Unc. ss.

pulv. origani Unc. iij.

Misce, & calidè caput inungatur.
Exsiccant & thermæ sulphuræ, ubi
earum est copia, si spongia in ijs ma-
defiat, & capiti imponatur. In defe-
ctu verò coquantur, in aqua sal; sul-
phur, & alumen, & eodem modo ap-
plicentur.

Vel R. Sem. coriandr.

anisi, an. Drach. ij.

artemisiã,

origani,

pulegij, an. M. ss.

sulphur. Unc. ss.

Coquantur in lixivio. In colatura
spongia mafeiat, & calida capiti ap-
plicetur.

Hieron. Fabricius ab Aquapendẽ *Aqua calida*
te in pueris, qui infantiam excefferunt, *cis viva irã*
in hydrocephalo maximo, ut reme- *hydroce-*
dium efficacissimum, laudat aquam *phalo.*
calcis. vivæ (abjectâ calce) si eã calidã
spongia imbuetur, & capiti impona-
tur; ac hoc solo remedio se hydroce-
phalum curasse scribit.

Idem commendat spiritum vini
primæ destillationis, cum parte quar-
ta aquæ scabiôsæ cum spongia impo-
situm. Monet autem hîc spõgiã no-
vam esse recipiendam, & arctè fasciã
capiti alligandam; ac, ne refrigeretur,
calido linteo superposito moderatè
calefaciendam esse.

Vel R. Ol. irini;

rutac.

chamamel. an. Unc. j. ss.

pulv. rad. ireos,

sulphur. an. Drach. ij.

cere parum.

Fiat Linimentum.

Vel R. Ol. chamamel. vel rutac.

Unc. iv.

sulphuris Unc. j.

M. F. Unguentum, quod diu con-
tinuetur.

Potest & hîc locum habere Balsa-
mum sulphuris cum alijs mixtum.

Vel R. Emplastri cephal. Unc. ij.

pulv.

puly. cumini Drach. j.

absinth.

aneth.

specier. aromat. rosat. ana |

Drach. ℞.

olei chamemel. parum,

Misce.

F. Emplastrum.

Vel ℞. *Farina fabar.*

lupinor. an. M. ij.

sulphur flavi Unc. j. ℞.

cumini Unc. ℞.

Coquantur in suff. q. lixivij non fortis,

addantur *olei aneth. vel rutac.*

Unc. ij.

F. Cataplasma.

Carolus Piso ægram illam puellam hoc modo curavit: primò sir. rosat. solutiv. cum diacatholico exhibuit; hinc sanguinem è talo detraxit, pilulas aggregativas septimo quoq; die exhibuit; caput verò fovit lixivio cū herbis cephalicis, semine carthami, & agarico parato, atq; imposuit cataplasma ex absinthio in vino cocto, & emplastro è cochleis supra proposito.

Quod si ex vasorum contusione non solum aquosus humor, sed & feulentus sanguis collectus sit, sanguinem primò incidere & attenuare, inde discutere & evacuare oportet.

Quod præstat sponsia aut stuppa poscã madida, in estate, vino verò cum aceto misto in hyeme. Utilis est & farina hordei cum oxymelite.

Si his remedijs non cedat malum, ad sensibilem evacuationem accedendum. Celsus antequam ad sectionem accedit, prius sinapismo rem tẽ-

tandam suadet, dum, *libro 4. capite 2.* scribit: In hydrocephalo tonderi ad cutem necessarium est: deinde imponere sinapi, sic ut exulceret. Si id parum proficit, scalpello utendum est. Evacuant & cauteria aquam sensibilibiter. Ita Carolus Piso virum illum curavit, cauterio occipiti imposito, quo aqua subviridis quædam per multos dies evacuata est, ægerq; inde convalevit.

Sectionem tandem quod attinet, si *sectio in hydrocephalo.* reliqua non prosint, in eâ, modò morbus sit curabilis, maxima solutis spes est. Paulus Aegineta, *lib. 6. cap. 3.* si inter cutem & pericranium aqua sit, unam dissectionem per medium transversam facere jubet: si verò inter pericranium & cranium, & tumor sit major, duabus sectionibus per medium sese mutuo secantibus utitur. Si maximus sit tumor, tribus utitur, literam H. referentibus. Facienda autem est sectio in loco ubi major est aquæ copia, & in loco declivi. Vitandæ tamen sunt musculi tẽporales. Aëtius, *tetrab. 2. ferm. 2. cap. 1.* si parvus est tumor, apicem ipsius unicâ sectione dividit; si verò magnus, duas aut tres, aut plures sectiones facit juxta magnitudinis proportionem, in locis ad effluxum commodis. Ubi autem sub cranio hæserit humor, tamdiu expectandum est, donec è capite per cranium redundet humor, futuræq; distendantur, & tumor appareat.

Sectione peractâ aqua non semel, *Aqua ex hydrocephalo eductio.* sed paulatim evacuanda. Si enim confertim educatur, non minus periculo

Id vacat, quàm si hydropicorum aqua
 ἀθρόως evacuatur; cuius rei historia est
 apud Guilelm. Fabricium, *cent. 3. ob-*
servat. 17.

Hinc Hieron. Fabricius, cùm sen-
 sibilem evacuationem propter infeli-
 cem, qui sæpè accidit, eventum perti-
 mescat, utramq; evacuationem insti-
 tuit, & sensibilem, & insensibilem. Fa-
 cit primò exiguum vulnus, cui immi-
 tit cannulam argenteam non nihil in-
 curvam, exactè vulneri responden-
 tem, ita ut nihil humoris effluere pos-
 sit, nisi cannula sit aperta. Hinc parum
 humoris emittit, & cannulam ligno-
 stuppâ involuto obstruit, ac capiti
 medicamentum aliquod siccans &
 discutiens imponit, & ita sensim hu-
 morem tum sensibiliter emittit, tum
 discutit. Evacuata aquâ vulnus debito-
 modo, & ut aliàs fieri solet, ac de cutis
 capitis vulnere dictum est, congluti-
 nandum & sanandum.

Tandem cerebrum refrigeratum
 & humectatum, calefaciendum & sic-
 candum. Verùm eâdem operâ id per-

medicamenta aquam exsiccantia &
 discutientia expediri potest: possunt-
 que medicamenta calefacientia & sic-
 cantia etiam post aquæ absumptionem
 & evacuationem aliquandiu cō-
 tinuari, ut cerebro sua temperies re-
 stituatur. Hoc saltem attendendum,
 facilius in calefaciendo errorem,
 quàm in siccando committi posse.

Historia Hydrocephali etiam ex-
 stat in *Spicileg. Fr. Hildesheimij; p. 780.*

Inflatio Capitis.

Non tamen semper ab humore se- *Inflatio*
 roso caput intumescit, sed quandoq; *capitis.*
 etiam flatibus admiscetur, sicut in hy-
 drope tympanite, qui tumor ἀέριον
 σημάτις, de quibus *lib. 5. part. 1. cap. 41.*
 dicitur, pertinet.

Curatu autem tumor hic est faci-
 lior; nisi illum causa antecedens fo-
 veat. Talisque forsitan fuit tumor, qui
 ab Amato Lusitano intra triduum me-
 dicamentis flatibus discutien-
 tibus curatus fuit.

* *
 *





LIBRI I,

PARS II.

De Actionibus Cerebri Læsis, Sen- suum Internorum scilicet, & Ratiocinationis, Mo- tus item animalis symptomatibus, ac Excre- torum & Retentorum in cere- bro vitiis.

Præfatio & summa hujus Partis.



ABSOLVIMVS hætenus omnes cerebri, ut & partium, quæ cerebrum muniunt & tegunt, morbos: proximum jam est, ut de symptomatibus, quæ homini cerebri ratione accidunt, dicamus. Etenim ex morbis his, & eorum causis, Symptomata omnia, de quibus dicemus, originem habent, iisque sublatis evanescent. Nam cum ad actiones, quæ à cerebro, & in cerebro fiunt, cerebrum bene & naturaliter constitutum, ac dispositum, id est, suam temperiem, calorem innatum, & spiritus, & præterea structuram, ac naturalem conformationem, ac unitatem obtinens requiratur: si quid horum à naturali constitutione degenerat, actiones, quæ à cerebro, & in cerebro eduntur, lædi necesse est, & varia Symptomata excitari.

Sunt autem illa Symptomata duorum generum : Actiones laesæ, & Retentorum ac Excretorum à Cerebro vitia. Symptomata enim qualitatum mutatarum hîc vix ulla Medico occurrentia dantur. Et si enim à cerebro usu sumi Tabaci, ut & causis internis, maculæ aliquæ contrahi possint, eaque in Anatome conspiciantur: tamen in vivis sensibus obviæ non sunt.

Actiones cerebri, præter nutritionem privatam, quæ ipsi cum omnibus partibus est communis, duæ sunt: Una, quæ ab ipso fit, cerebroq; propria est; Spiritus nimirum animalis generatio: altera, quæ in ipso perficitur; Sensus nimirum interni, & Ratiocinatio. Spiritus animalis generationem quod attinet, cum ille à cerebro, quatenus calido innato & propriâ temperie præditum, perficiatur, & vix alia, quàm quæ supra de Intemperiebus Cerebri dicta sunt, hîc dici possint: vitii, quæ circa spiritus animalis generationem accidunt, de quibus etiam part. 1. cap. 5. dictum est, missis, saltem hîc de Symptomatibus Sensuum internorum, ac Ratiocinationis agemus: quibus conjungemus Motus animalis, qui quoque à cerebro provenit, vitia.

Et proinde hic agendum erit,

1. De Symptomatibus, quæ in sensu communi accidunt, nimirum de Vigilijis nimijis, de Somno p. n. Cataphorâ, & Comate, de Insomnijis p. n. immoderatis et gravibus.

2. De Imaginationis symptomatibus; ubi dicendum erit de Vertigine.

3. De Symptomatibus, in quibus Imaginatio & Ratiocinatio læditur; siue imminuatur, siue depravetur: cujusmodi affectus sunt, Mentis imbecillitas & hebetudo, Tarditas ingenij, Stupiditas & Torpor mentis, Fatuitas, Stultitia & Amentia, (ubi simul de Memoriam imminutam & abolitam, seu oblivione agitur) Femulentia, Delirium, Παρεγκεσωσιν, Phrenitis, & Sabare Arabibus dicta affectio, Melancholia, Amor insanus, Melancholia errabunda, Arabibus Cutubuth, Mania, Lycanthropia, Rabies; quod pertinet Insania canina, lupina, felina, Tarantati, Chorea S. Viti.

4. De Symptomatibus, in quibus plures sensus interni læduntur: qualia sunt Coma vigil, Typhomania, Sopor gravis, dæmoniacus, sopor ecstaticus, Somnambulatio, Lethargus.

5. De motus animalis symptomatibus, & læsionibus, quales sunt, Lassitudo, Pandiculatio, Inquietudo, Horror, Rigor, Tremor, & Motus impotentia, ac Paralysis, Convulsio, & Motus convulsivi.

6. Tandem de symptomatibus, in quibus sensus interni, & Ratiocinatio, & Motus, ac Sensus externi simul læduntur, vel certè plures animalis facultatis actiones; qualia symptomata sunt, Incubus, Catoche, & Catalepsis, Stupor manente auditu, vel motu, ecstaticus, Epilepsia, Carus, Apoplexia.

Quæ verò sensibus externis seorsim & privatim, sine superiorum facultatum læsione, accidunt symptomata, de ijs parte sequenti tractabimus.

Tandem explicandum erit & alterum symptomatum genus in Excretis & Retentis, ubi dicetur de Catarrho, & Excrementis cerebri p.n. retentis, & Sternutatione.

CAPUT I.
De Vigilis nimis,

Et primò

In Genere.

Vigilia ni-
mia.



Somni-
fi-
nis & uti-
litas.

T ergo de sympto-
matibus, quæ sensui
communi accidunt,
primò agamus; affe-
ctiones sensus com-
munis sunt Somnus & Vigilæ: atque
ita animalia, & inter ea homo, com-
parata sunt, ut per vices vigilent, &
dormiant. Etsi enim ad actiones, quæ
per vigilias fiunt, condita sunt, tamen
quia spiritus animales, & consequen-
ter etiam vitales, ac calor innatus per
eas absuntur, eorum instauratio,
quæ in somno fit, necessaria est. Itaq;
homo sanus actiones suas per vigilias
quidem obire; ubi verò spiritus ali-
quo modo absumpti sunt, se quieti da-
re, somnumque capere debet: id quod
commodissimè fit horis duabus vel
tribus post cœnam exactis. Quòd
ubi fit, corpus ad actiones per vigilias
rursus obeundas redditur vegetius,
alacrius, mens acuitur, & ad omnia
peragenda habilior redditur homo;
cum per somnum spiritus absumpti in-
staurantur, calor augeatur, cibi cru-
di, & humores concoquantur, cor-
pus humectetur, & ita in sanitate cõ-
servetur, atque ad senectutem tradu-
catur.

Si verò modum somnus & vigilæ
excedant, malum. ut est 2. *aphor.* 3. Et
ut Galenus, 2. *de sympt. diff. cap.* 3. scri-

bit: Duo egregia circa primum sen-
sorium, quod omnium sensuum est
commune, adsunt symptomata; Sop-
por & Pervigilium.

Et primò quidem vigilias quod *Vigiliarũ*
attinet, si eæ modum excedant, quan- *nimiarum*
do nimirum omnino homo non dor- *incommo-*
mit per aliquot dies, vel non satis diu, *dum.*
scilic. non 7. vel 8. horarum, vel plu-
rium spatio, pro naturæ constitutio-
ne, (Infantes enim diutius dormiunt,
quàm senes) noxa corpori inferitur.
Cum enim in ijs calor ad exteriora
moveatur, sensusque sint in continuo
exercitio, spiritus ac tenuior sangui-
nis pars absuntur, carnes colliquân-
tur, corpus, & præsertim cerebrum,
siccatur; unde plurima incommoda
oriuntur. Spiritibus enim animalibus
absumptis, & cerebro exsiccato,
spiritus obtunduntur, mens perturbatur:
& cum consequenter etiam spi-
ritus vitales, qui animalibus præbent
materiam, absuntur, imò ipsi etiam
per se in vigilijs cum labore conjun-
ctis imminuantur & dissipantur; lan-
guor totius corporis sequitur, natu-
ralesque actiones, quæ, ut rectè perficiantur,
spiritu & calore plurimo indigent,
simul offenduntur. Et si homo
utatur alimento solido, aut copioso,
corpus cruditatibus, & superfluis hu-
moribus repletur, & ad cachexiam de-
ducitur; si verò minore, & tenuiore vi-
ctu utatur, ad tabem disponitur, sene-
ctusque acceleratur. Et quia spiritus ac
humores, præcipuè sanguis & bilis,
per vigilias incalescunt, & accendun-
tur, dolor capitis, oculorum rubedo,
ventriculi roisiones, vertigo, febres, &
deliria

deliria excitantur, varijsq; malis corpus obnoxium redditur. Ideoque etſi vigiliæ nimix in ſymptomatum numero ſint, ac ſublatis cauſſis, à quibus pendent, tollantur: tamẽ ſi nimix ſint, ita interdum vires deſciant, & tot incommoda ſecum afferunt, vt Medici in ijs temperandis, & inducendo ſomno, qui auxilium eſt in multis morbis, ſupra gemmas & lapides pretioſos æſtimandum, ut quidam ait, opera neceſſaria ſit.

Cum autem ſomnus & vigiliæ contrario modo ſeſe habeant, & Somnus naturalis ſit ceſſatio naturalis ſenſus communis & primi, ac ſenſuũ externorum, ſalutis animalis gratia facta; Vigiliæ cõtrà ἐνεργεια ſeu λυσις ſenſus communis, & externorum: vigiliæ immodicæ, & p.n. Græcis ἀρεπνια; ſunt ſenſus communis, & externorũ, præter modum, ac tempus conſtitutum, ſolutio ac exercitium; & durans ἐνεργεια. Nihil enim in vigilijs, quæ in ſymptomatum numerum veniunt, p.n. eſt, quàm quod ultra debitum tempus extenduntur, & dum dormiendi tempus eſt, in officio & ἐνεργεια ſenſus perſiſtunt. Quod tamen non de ijs vigilijs intelligendum eſt, quando homines ex præpoſito, & de indiſtriã, negotij alicujus expediendi gratiã, vigilijs protrahunt, & ſomnum quaſi arcent; ſed ijs, cum homo, qui dormire debet ac cupit, dormire nõ potest, ſenſuumq; externorum actiones præter voluntatem perſiſtunt, atq; ita vigiliæ homini moleſtæ ſunt.

Cauſſæ.

Cum verò hæ vigiliæ ſomno naturali contrariæ ſint, ſomniq; naturalis defectus, contrarias ſomno naturali cauſſas habebunt. Cum autem, ut in Inſtit. li. 1. c. 14. dictum eſt, ſomni proxima cauſſa ſit ſpirituum animalium à cerebro in organa ſenſuum influentium in cerebro detentio & quies, ac quaſi ſeriatio: vigiliarum nimiarum cauſſa proxima erit quies eorundem denegata, & continuus in organa ſenſuum externorum influxus.

Cauſſæ verò mediatae variæ eſſe poſſunt. Avicennas. ſen. 1. 3. tract. 4. cap. 4. ponit octo. 1. Intemperiem ſimplicem calidam vel ſiccam, vel intemperiem compoſitam, calidam & ſiccam, & quidem cum, vel ſine materiã. 2. Salfedinem ſeu nitroſitatem humoris ſeroſi, miſti cum ſanguine & ſalfa pituita, vellicantem cerebri membranas. 3. Dolorem. 4. Intentam cogitationem & curas. 5. Lucem nimiam & ſplendorem. 6. Apoſtema aliquod in partibus cerebri, aut cerebro propinquis, à quo eleuantur vapores ſicci & mali. 7. Malam digeſtionem & repletionem, ex acrib., vel corruptis cibis, aut multo potu. 8. Febrem putridam, è qua vapores multi eleuantur: quas tamen ita ad methodum commodiſſimè redigi poſſe putamus.

Vigiliæ p.n. accidunt, vel quia vapores illi, qui ſpiritus animales in ſtatu ſ.n. ſopiunt, aut, uti alijs placet, qui principia nervorũ obſtruunt, deſunt; vel quia ſpiritus in cerebro turbatur,

agitantur, commoventur. Ob vapores illorum, qui spiritus sopiunt, vel principia nervorum obstruere dicuntur, defectum, vigiliæ p.n. accidunt, in inedia nimia, aut cum cibi, qui asfumuntur, nullam ferè talem exhalationem suavam præbent; aut quòd vapores à causa calida vel sicca absumuntur. In senibus & decrepitis vigiliæ accidunt ob cerebri siccitatem, & imprimis ob defectum suavium exhalationum, proyenientem à debili & difficili coctione, & contrà vellicationem cerebri ab acrib. & falsis humoribus ac vaporibus, & ut Practici quidam loquuntur, humoris nitrositatè. Hinc vini potus senib. somnum conciliat, non tantùm vi narcoticâ, sed & quod coctionem & distributionem ciborum adjuvat, & facit, ut vapores suaves ad cerebrum eleventur. Contra refrigerantia & humectantia ad somnum conciliandum senibus non sunt utilia. Vide Langium, *lib. I. ep. 26.*

Spiritus turbantur ac commoventur, & inquietiores redduntur varijs modis: 1. ab intemperie cerebri calida vel sicca, vel calida & sicca, cum, vel sine materia. 2. ab externis sensuum objectis vehementioribus, ut strepitu, sono, punctionibus. 3. in specie ab objectis tactus vehementioribus dolorem patientibus, seu doloribus magnis, quæcunq; in parte. Quò pertinent eorum affectus, qui dispncæ in morbis pectoris, vel hydrope patiuntur. Hi n. vel dormire nequeunt, vel, si obdormiant, suffocationis periculum incurrunt. 4. in animi affectibus nimis, irâ, molestiâ, sollicitudine &

curis, timore, gaudio, amore, infomnijs gravioribus. 5. à vaporibus acribus, imprimis biliosis, & melancholicis.

Differentie.

Ut ita causæ omnes, quæ vigiliæ *Differentie* p.n. excitare, quæque curationem *vigiliarum* variare possunt, & hinc vigiliarum p. n. aliquot differentias constituunt, hæc sint.

1. Vaporum spiritus animales sopientium, vel, ut alij loquuntur, principia nervorû obstruentium, defectus.

2. Cerebri intemperies calida, vel sicca: vel calida & sicca cum, vel sine materia, ut bile, pituitâ falsâ, humore melancholico, atrâ bile.

3. Dolor vehemens in quacunque corporis parte, dispnoea, & omnino omnium sensuum externorum objecta vehementia.

4. Vapores acres turbâtes spiritus.

5. Animi affectus nimij: de quibus jam ordine dicemus, si prius, quæ in genere de vigilijs p. n. dicenda sunt, expederimus.

Signa Diagnostica.

Quâ ratione vigiliæ cognoscendæ sint, signis opus non est; cum ipsæ sese satis manifestent, & ægri de ijs conquerantur. Et quamvis ægri id non referant: tamen, ut Galenus, 1. *prognost. cap. 8.* docet, vigiliæ longiores præcessisse cognoscitur ex eo, quod oculi apparent squalidi, licet nulla immodica evacuatio præcesserit, ægri palpebras difficulter attollunt, & q; instabiles sunt. Quâ ratione autè causæ *cognoscantur*

ſignificandæ ſint, poſtea in ſpecie de ſingulis dicitur.

Prognostica.

Vigiliarū nimiarum incommoda. 1. Vigiliæ nimix non contemnendum malum ſunt, quæ præter id, quod homini eam, quæ ipſi naturaliter ex ſomno debetur, refectionem ſubtrahunt, etiam, ut Galenus, 1. *prognof.* 8. & 12. *meth. med. cap.* 1. & 5. docet, non minus vires exſolvūt, ac deſciciunt, quàm ſenſibiles evacuationes. Unde ab Hippocrate, 6. *Epid. comm.* 4. t. 20. vigiliæ edaces appellantur. Et quot incommoda immodicæ vigiliæ homini afferant, in initio hujus capituli, dicitur.

2. Vigilijs, qui ſunt a nocte conſiſtente, plus offenduntur, quàm juvenes. Galenus, 3. *aph.* 30.

2. Corpora vigilijs aſſueta minus læduntur. 2. *aph.* 60.

4. Quò major cauſarum, à quibus vigiliæ p. n. excitantur, vis eſt, eò periculoſiores ſunt vigiliæ: & quò facilius cauſæ tolli poſſunt, eò etiam minus periculi conjunctum habent vigiliæ. Atq; ideo à cauſa interna periculoſiores ſunt vigiliæ, quàm ab externa, & evidente.

5. A vigilijs convuſio aut delirium, malum. 7. *aph.* 18. Videatur Galenus, & alij commentatores in hunc aphoriſmum.

6. Si à vigilijs nimijs proveniat tuſſis, malū. Siccatatem enim organi reſpirationis communicari ſignificat.

7. Breve autem plerunq; tēpus eſt, quo ſive ad ſalutem, ſive ad mortem vigiliæ terminantur; cum vires diu ſi-

ne ſomno conſiſtere non poſſint. Et quidem via ad mortem eſt per virium diſſolutionem; via verò ad ſalutem, & ſanitatem, per ſomni reſtitutionem.

Observatum tamen eſt, nonnullos *Vigiliarū* fatiſ diu ſine vitæ diſpendio vigilaffe. *diuturna* Seneca, in *lib. de provident.* refert, *Merum hiſte* cœnatam tribus annis integris ſine *via.* ſomno permanniſſe, & tandem ab hac ægritudine liberatum fuiſſe ſolâ placidâ & leni harmoniâ. Sicut & de eodem Plinius, *lib. 7. natur. hiſt. cap. 11.* narrat, quod ei triennio ſupremo nullo horæ momento contigerit ſomnus. Fernclius, *Patholog. lib. 9. capit. 2.* mente quendam captum menſes 14. inſomnes duxiſſe refert. Montuus, *de morbis, lib. 1. cap. 27.* ſcribit, ſe noviſſe mulierem, quæ per 35. annos inſomnis permanniſit ſana, & citra noxam. Heurnius, *de morb. capit. 16.* refert, ſibi in Italia narratum eſſe, Nizolium, illum Ciceronianum, decennium ſomnum non vidiſſe.

Indicationes.

Vigilijs nimijs quidem commodiſſime ſuccurritur, ſi cauſæ, à quibus eæ pendent, tollantur: quod quomodo fieri debeat, poſtea in ſpecie dicitur. Verùm cum cauſæ illæ ſapè ſtatim, & brevi tempore tolli nō poſſint, ac interim vigiliæ urgeat, & vires deſciant, atq; ob vigilias tum periclitetur æger: vigiliæ tunc curâ ad ſertrahunt, & remedia poſtulant. Vigiliæ a. nimix ſomnum indicant, ut ſibi contrarium, ſeu remedium ſomnum concilians.

Interim ſi etiam cauſæ ſuccurri poſſit, facilius ſomnus conciliabitur.

Et quia plerumq; vigiliæ nimix fiunt à vaporibus biliosis; bilis evacuanda, si morbi natura id admittat, & temperanda. Venæ sectioni verò hic nullus per se locus est; cum sanguis per se nō inducat vigilias. Et si interdum, ubi vigiliæ urgent, venæ sectio requiritur, id nō fit ob vigilias, sed ob adjunctum alium affectum. Vide Benedict. Victor. Faventinum, *tom. i. cap. de vigiliis*, Forestum, *lib. 10. observ. 36. in schol.*

Curatio.

Quia verò somnus conciliatur, cum spiritus animales ad sensus necessarii sopiuntur, vt quiescant, & in organa sensuum non influant; seu, ut alij volunt, cum meatus, per quos in organa sensuum spiritus animales influunt, clauduntur, & nullum objectum vehementius in sensuum organa agit; (cum unus saltem sensus excitatus vigilias excitare possit) quatuor modis somnus conciliari potest: Si 1. removeantur omnia, quæcunq; sensum aliquem ad operandum excitare possunt, 2. Si ab externorum sensuum actione animus avocetur, & spiritus animales à motu ad quietē placidē invitentur. 3. Si ea exhibeantur, quæ calidos, siccos, & acres vapores temperant, & suaves vapores, ac *ἀναθυμιάσις* in cerebrum mittunt, quibus id humectatur, & spiritus animales quasi sopiuntur. 4. quæque vapores acres à cerebro, avocant: vt frictiones extremorum. 4. Si ea exhibeantur, quæ peculiari vi spiritus animales sopiunt, ac torpidos reddūt; quæ in spe-

cie *Ἐρωολινά*, & *ἰαγρολινά* dicuntur. De quibus ordine dicendum.

Primò ergo danda opera, vt omnia objecta, quæ sensum quemcunq; excitare possunt, removeantur: lux nimia, strepitus, & sonus vehementior omnis, odores item fortes, & inprimis quæ tactum afficiunt. Ideoq; æger in molli lecto cubet, à quo absint culices, & pulices, claudantur fenestra, æger ipse oculos claudat, omnis strepitus & sonus vehementior absit, ac silentium, adstantibus imperetur.

Secundò facultas ad unū aliquem sensum blandè divertatur, & ab alijs avocetur blando aliquo, nō vehementi objecto, (cum vehemens objectū potius excitet sensus, quam sopiat) vt spiritus à reliquis sensib. avocati blandè sopiantur, & quieti tradantur; id quod fit cantu suavi, & Musicâ uniformem sonum edente, avium cantillatione, susurratione submissè loquentium, strepitu aquæ admodum rivi blandè fluentis, vel aquæ in pelvim per gutturnium, vel filtrum, quod Chymicis dicitur, stillantis sonitu, motu in lecto pensili, scalpura cutis capitis leni, plantarūq; pedum blandâ titillatione.

Tertiò somnum conciliant q̄ sua *Somnum* ves *ἀναθυμιάσις* ad caput mittunt, & concilian- calidos, siccos, atq; acres vapores tē- *tia. medi-* perant, aut propter cognationem e- *camenta.* vocant; & tum maximè conveniant, vbi à vaporibus calidis, siccis, & acribus vigiliæ proveniunt. Quæ tamen ipsa pleraq; peculiarem aliquam, sed levem omnino spiritus animales sopiendi quasi vim habere credibile est.

Cujus

*Somnus
quot mo-
dis conci-
lietur.*

Cujusmodi sunt: *sem. & fol. lactuc.* cuius frequens tempore vespertino comestio familiare antiquis erat ad somnum conciliandum remedium; flores *violar nymph. rosar. sem. frigid. majora, anethum, amygdal. dulc. nuclei, Persicorum* quibus & *sem. papaver. ad lib. addere licet.*

E quibus fiunt,

Interna:

AQUAE, *violar. nymph. lactuc. portulac. solani, rosar. hypnotica Dorncreilij.*

EMULSIONES:

Ut R. *Amygdal. dulc. Unc. ℥.*
sem. papav. alb. Drach. iij.
aq. rosar. Unc. j.
lactuc. unc. vj.

Fiat f. a. Emulsio.

Cui adde *julepi, vel sirup. violar.*
Unc. j.

Misce.

Vel R. *Sem. papav. alb. Unc. ℥.*
lactuc. Drach. j.
amygd. dulc. excort. num. vij.
aq. lactuc. Unc. iij.
nymph.
violar. an. Unc. ij.

F. f. a. Emulsio,

cui adde *julepi violar.*

rosar. an. Unc. ℥.

Possunt etiã addi species *diamarg. frigid.* vel alix, pro morbi naturã.

SIRUPI, *violarum, nymph. papav.* qui ad Unc. j. & plus, post cœnam exhibetur:

CONSERVAE; *violar. nymph. &c.*

CONDITA; *caules lactucæ Indica conditi.*

POTIONES VEL JULEPI.

Ut R. *Sir. violar. Unc. j.*
nymph.
papav. an. Unc. ℥.
aq. lactuc.
nymph. an. Unc. iij.
rosar. Unc. j.

Misce pro 2. & 3. posibus.

Vel R. *Sir. de papav.*
de nymph. an. Drach. vj.
aq. lactuc.
portulac. an. Unc. i℥.
specier. diamarg. frig. Scr. ℥.
Misc.

Vel R. *Sir. papav. Unc. j℥.*
aq. lactuc. Unc. ij.
vini albi Unc. j.
Misc.

Vel R. *Aq. violar.*
lactuc. an. Unc. j℥.
confect. alkerm. Scrup. ℥.
spec. diamarg. frig. Scrup. j.
sir. de papav.
de violis, an. Unc. ℥.
Misc pro haustu.

DECOCTA:

Ut R. *Fol. lactuc. M. j.*
flor. violar.
borrag.
bugloss.
nymph. an. M. ℥.
passular. Unc. ℥.
Coq. in aq. f.

Colaturæ R. *℥. ℥.*

add. sirup. violar. Unc. j℥.
nymph. Unc. j.

Misce pro duabus dosibus.

Vel coq. in jurẽ pulli, vel gallinẽ iij. vel iij. capita *papav.* aut folia aliquot *lactucæ.* Jusculũ hoc detur sub horam somni. Cũ quo etiam hordeatum fieri potest.

Ff 3

Ele-

ELECTUARIA; *diacodium simpl.*
Unc. j. exhibitum.

Vel *Conserv. violar.*
rosar.
nymph.

caulium lactuc. cond. an. Unc. ß.
Cum *sirup. de papav.*

F. Electuarium, de quo datur
Unc. ß. vel Drach. vj.

Vel *Conserv. nymph. Unc. j.*
violar.

sirup. papav. an. Unc. ß.
Misc.

PULVIS; ex *semine papav. & saccharo.*

ROTULAE; *diacodium album*, in
forma solida, de quo Unc. ß. exhibe-
tur.

Sunt autem ista omnia medicamē-
ta exhibenda sub tempus somni.

Externa.

Externa.

Quæ fronti, temporibus, naribus,
futuræ coronali, vel toti capiti, pedi-
bus item, ac manibus applicantur.

LOTIO CAPITIS; fiat cum decocto
fol. lactuc. & imponantur *fol. lactucæ*,
quibus sepè renovatis in febribus, ubi
ne opiata quidem contulerunt, som-
num se conciliaffe scribit Nicolaus
Massa. Possunt & addi *fol. nymph. solani,*
vitis, violar. & alia, quæ supra, *part. I. c. I.*
sunt proposita.

EPITHEMATA; fiant ex earundem
plantarum decoctis, *succo lactuce, nymphæ,*
solani; lacte muliebri, emulsione sem.
papav. alb. & lactuc.

Ut *Re. Sem. lactuc. Drach. ij.*
papav. alb. Drach. v.
nucleor. Perscor. Drach. ij.
aq. lactuce,

papav. an. Unc. ij. ß.
anethi Unc. j.

F. Emulsio pro epithemate.
Vel *Re. Nucleor. Perscor. Unc. ß.*
sem. papav. albi Drach. ij.
aq. solani Unc. iij.
rosar. Unc. j.

F. Emulsio pro epithemate.
Nonnulli aq. anethi cum zedoaria
pulverifata utuntur, eamq; temporib.
apponunt.

Vel *Re. Macilag. sem. psyllij aqu. violar. ex-*
tract.

emuls. sem. papav. alb. an. Unc. ß.
nucum jugland.

nucl. Persic. an. Drach. j. ß.
lap. alabastr. prepar. Drach. ß.
Misc.

Parari etiam possunt SACCULI ad
tempora. E. g.

Re. Flor. violar.
rosar.

nymph. an. Drach. ij.

F. Sacculi duo ex sindone rubra, qui
conveniente liquore aliquo hume-
ctentur, & temporibus applicentur:

Vel *Re. Fol. lactuce P. iij.*

solani P. ij.
sem. papav. albi. Unc. j.
nucl. Perscor. num. x.
flor. rosar. M. j.
nymph. M. ß.

Concidantur & indantur sacco, qui
ebulliat in aqua, & expressus ca-
piti imponatur.

CATAPLASMATA:

Re. Amygd. dulc. num. vj.
nucleor. Perscor. num. x.
sem. papav. albi Unc. j.
lactuc. Drach. iij.

thuris

thuris Drach. j.

nuc. moschat. num. j.

Omnia contusa cum medulla panis albi, aq. rosar. & lacte muliebri fubigantur, & misceantur. Vide Institut. lib. 3. part. 3. sect. 3. cap. 39. in fine.

OLEA; ad inungendum frontem, tempora, & plantas pedum: *Ol. violar. nymph. papav. alb. amygdal. dulc. anethinum. salicis, mandragora.*

MEDULLA; crurum vituli; cervi.

UNGUENTA; *populea recens, somniferum.* Unde variaz illitiones & inunctiones fiunt.

℞. *Ol. amygdal. dulc.* Unc. j.

violar.

nymph.

papav. an. Drach. vj.

unguent. populei Unc. ℞.

Mis. e.

ERRHINA, & quæ naribus admoveatur, vel naribus attrahuntur, ijsq; illinuntur; ut *aquæ destillat. rosar. lactuc. solani, nymph. lac. muliebri, ol. papav. violarum, nymph.* Vel odoranda exhibentur ex *flor. rosar. violar. nymphæ, papav.*

Ut ℞. *Papav. alb.* cap. ij.

flor. rosar. alb.

violar.

nymph.

sem. coriandr. non preparati

Drach. j. ℞.

oculor. populi,

santal. citrin. an. Drach. j.

Conquassentur, & ligentur in nodulo, qui irroretur aq. rosar. & lactuc. & sæpius naribus admoveatur. Flores quoque ligustri odore somnum conciliant.

LOTIONES extremorum; cum decocto *fol. lactuc. malv. violar. albæ, salicis, vitis, flor. nymph. summit. aneth. flor. chamemel.* quæ actu calida adhibeantur, ut facilius penetrent.

Vi ℞. *Fol. lactuc.*

salicis,

violariæ,

malvæ,

vitis, an. M. iv.

flor. nymph.

summit. anethi, an. M. ij.

capit. papav. albi cum sem. incisorum num. xij. vel xv.

Coq. pro lotione pedum.

Vel ℞. *Fol. malvæ,*

violar.

lactuc. an. M. ij.

flor. chamemel. M. j.

summit. anethi. M. ij.

Incisa coquantur pro lotione pedum.

Vel ℞. *Flor. nymph. M. iij.*

rosar. alb.

fol. vitis,

violar.

lactucæ,

summit. anethi, an. M. j.

Coq. in aqua pro lotione pedum.

PULVINARIA quoque è plantis viridibus, ut *fol. lactucæ, salicis, vitis, flor. nymph. violar.* parare licet: quibus ob odorem suavem, & penetrationis gratiâ, aliquid mellis addere commodum est.

Quartò somnum conciliant; quæ *Narcoticæ* spiritus animales torpidos reddunt, & *Hypnotica* sopiunt quasi. Quod (etiamsi calida sint) peculiari vi præstant, & idcirco *Scordium*, aut potius *vagabundum* dicuntur.

dicuntur: quem effectum hactenus malè nimix frigiditati attribuerunt. De quo *quest. i.* dicitur.

Talia sunt,

Rad. *Mandragor. hyoscyami.*
Fol. *Solani, hyoscyami, mandragoræ, tabaci.*

Flor. *Hyoscyami, papaveris, croci.*
Sem. *Papav. albi, nigri, hyoscyami, lolij.*
Fruct. *Mandragoræ.*

Cortic. *Papav. & mandragoræ.*
Succ. *Mandragoræ, hyoscyami, opium.*

Gumm. *Styrax.* Neque refert, quod *styrax* aliàs inter calida medicamenta refertur. Est enim ipsi hoc cum opio commune. Interim experientia edocet *styracem* ad somnifera medicamenta referunt *Dioscorides, lib. i. cap. 69.* & *Galenus, 2. de compos. med. s. loca cap. i. in fine.*

E quibus leniora sunt *sem. & cortic. papav. solanum:* quod etiam referri possunt, (nisi quis in tertiam classem ea referre velit,) *absinthiũ, sem. coriand. crocum;* fortiora, *hyoscyamus, mandragoræ;* fortissimum *Opium,* quod hactenus 4. gradu frigidum habitum est. Unde autem revera ea efficacia proveniat, dicitur *quest. i.*

Ex his parantur varia medicamenta somnifera.

Interna.

AQUAE DESTILLATAE:

℞. *Allij,*
opij an. Unc. ij.
aq. solani ℔. j.

Destillentur, & aliquot guttæ aquæ exhibeantur,

Alia: ℞. *Opii Unc. j.*

allij capit. ij.

Simul contendantur, & in B.M. per alembicum destillentur. Aquæ una vel altera gutta in vino data somnum mirabiliter provocat. *Langius, lib. 3. Epist. i. cap. i.*

Alia: ℞. *Sem. papav. alb.*

nigr. an. Unc. ℔.

vini albi,

fellis leporin. an. Drach. ij.

aq. lactuc. Unc. iv.

Macerentur per 3. dies. Postea destillentur in B.M.

Hujus aquæ gutta una somnum ad horam i. conciliare dicitur.

Alia, quæ *Helidæo Paduano* attribuitur:

℞. *Lolij ℔. j.*

opii Unc. j.

Infund. in vini Malvat. ℔. vj.

adde *salis commun. Drach. ij.*

papav. Unc. ℔.

hyoscyam. alb.

lactuc. an. M. ℔.

Destillentur, & aqua à *Drach. ℔.* ad *Drach. j.* exhibeatur.

PILULAE de *cynoglossa,* quæ dantur à *Scr. ℔.* ad *Scr. j. pilula narcotica Plateri,* quæ parantur hoc modo:

℞. *Opij Drach. j.*

Dissolvatur sensim, & rursus exsiccet. Deinde novo spiritu vini affuso opium dissolvatur, & a *℔. ol. cinamomi gutt. ij.*

Postea ℞. *cinamom. Drach. ij.*

sacchari candi Unc. j.

piper.

piper. Drach. j.
sem. coriandr. Scrup. ij.
croci Drach. ℞.

Subtilissimè pulverisatis addatur opium dissolutum, & sensim miscantur, ac cum sirupo papav. redigantur in massam, addendo *moschi* Scrup. ℞. Massa diligenter in mortario agitur. Ne verò massa exsicceatur, oleo de been subigatur. Dosis pilulæ duæ parvæ.

Possunt inde etiam fieri tabulæ, si sacchari dosis augeatur: sed tum dosis etiam est agenda.

Aliz ejusdem:

℞. *Opij* Scrup. j.
sem. hyoscyam. alb. Scrup. ij.
piper. Drach. ij.
castor. Drach. ℞.
croci Scrup. j.

Dissolvatur opium in vino Malvatico, ut fiat massa, quæ exsicceatur, rursusq; pulverisata cum sirup. papaver. redigatur in massam, de qua in forma pilular. detur Scrup. ℞; vel, si parum operetur, plus.

Sequentes Dorncreilio attribuuntur:

℞. *Opij purificati* Drach. j.
magist. perlar.
corall. an. Scrup. j.
sal. saly.
majoran. an. Scrup. ℞.
Cum confect. alkerm.

F. Pilulæ num. xvij. inaurandæ.

Dosis pilulæ j. vel sola, vel cum aqu. lactuc. Unc. ij. & sirup. de papaver. Unc. ℞.

Sal. Albertus sequentib. frequentissimè usus esse dicitur:

L. l.

℞. *Philon. Rom.*
confect alkerm. an. Drach. ℞.
pulv. croci Scrup. j.

Fiant Pilulæ xvij. quæ dividantur in duas partes, & una pars circa medium noctis sumatur.

TROCHISCI ex Mesue laudati, ad vigilias & delirium in febre;

℞. *Sem. lactuc.*
portulac.
papav.
cucurbit.
melon.
cucumer. an. Drach. ʒ.

succi glycyrrhiz.

amyl.
tragacanth.
opij. an. Drach. j. ℞.

Terantur omnia subtiliter, & cum mucilag. sem. psyllij. F. Trochisci. Dantur ad Drach. ij.

Plateri:

℞. *Species pro electuario opiato,* (cujus descriptio paulò post proponitur.)

add. gum. tragacanth. in vino Malvat. dissolut. & cum saccharo

F. Trochisci, ad Drach. ℞. exhibendi.

Alij, qui etiam Tabularum narcoticarum plateri nomine circumferuntur:

℞. *Opij* Drach. ij.

Infund. in vini Malvatic. Unc. ij. & postquam dissolutum, ac bene agitatum fuerit, rursusque subsederit, liquor clarus à fecibus effundatur, & si turetur:

cui adde *sacchari* Unc. ij.
cinamom. Drach. ij.

Gg

110-

moschi Scrup.ß.

mucilag. tragacanth. cum aqu. rosar. facta q. s.

Misce instar pastæ, siccenturq; donec in tabulas formari queant, quæ exhibentur ad Scrup.ß.

Habuit & sequentes alias in usû, quas etiam ad sedandam tussim vehementem exhibuit:

℞. *Specier. diatrag. frig.* Drach. j.ß.

puly. sem. hyoscyami albi Scr. j.

opij vino dissoluti gr. vj.

sacchar. penidij Unc. j.

gum. tragacanth. aq. rosar. dissolut. q. s.

F. Trochisc. parvi.

PULVIS:

℞. *Cinamom.*

myrrh. an. gr. vij.

opij.

croci, an. gr. ivs.

E. Pulvis, qui dividatur in partes 3.

Laudanũ. LAUDANA, quæ ferè reliquorum omnium instar esse possunt; de quorum compositione, & varijs variorum autorum descriptionibus prolixè agit Libavius, *syn tagm. arcanorum Chymic. lib. 8. cap. 44.*

Nostrium, quo hæctenus usi sumus, hoc est:

℞. *Opij. a. purificati* Unc. j.

Affunde *spir. vin. optimè rectific.* ut digitis trib. superemineat, stent dieb. 14. læpius agitando: Postea quod clarum est sensim effundatur, & *spir. vin. lento calore* separetur, ad *fir. liquidioris consistentiam.*

Seorsim infundantur in *spir. vin.* etiam dieb. 14. *specier. diamb.*

Unc. ij.

Et tinctura clara separetur.

Hinc extracto *Opij affundatur tinctura diambra* pars dimidia, & *succi citri recentis purificati* Unc. j. Stentq; in digestionem, seu calore tepido, dies 20. læpiusq; agitentur.

Ubi *spir. vin. maxima pars exhalaverit,*

adde *extract. castor.*

solut. corallior.

margarit. an. Drach. ß.

essent. croci Scrup. j.

Affunde *tinctura spec. diambra* reliquum: in lento igne *spiritus vini* exhalet.

Sub finem adde.

el. citri,

cinamomi;

caryophyll. an. gut. vij.

E. Massa instar extracti.

Dimidix parti adde.

moschi,

ambre, an. gr. vij.

Reliquum reseruetur pro fœminis.

Laudanum Opiatum.

D. Andr. Döeri.

℞. *Essent. opij debitò modo purgati, atque aceto opt. extr.* Unc. j.

croci aqu. limonium stillat.

extract. Unc. ß.

styrac. liquid. puriss. Scrup. j.

spec. diamb.

diamosch. dulc. ana

Drach. iij.

terr. sigill. Turc. Scrup. ij.

puly. os. de. C. C.

magist.

magist. succini, an. Drach. ℥.

corallior.

perlar. an. Scrup. ℥.

ol. anisi Drach. ℥.

nucis mosch. expr. Scrup. j.

citri,

aurantior. an. gutt. v.

Essentiæ cum styrace primò uni-
antur ad lentum ignem.

Postea addantur species cum re-
liquis speciebus atque oleis:

Dividantur in partes duas æqua-
les.

Uni part. adde *essent. castorei* Scrup. j.

atque cum *sirup. papav. simpl. q. s.*

redigatur in justam electuarij confi-
stentiam.

S. Laudanum Opiatum pro
mulieribus.

Parti alteri adde *ambr.*

mosch. an. gr. vj.

Cum *sirup. papav. simpl. q. s.*

F. Electuarium.

S. Laudanum opiatum pro viris.

Possunt tamen ista Laudana etiam
formaliquida, seu extracti liquidi ex-
hiberi; quale est illud, quod in *Epist. à*
Scholtzio collect. epist. 61. commenda-
tur, & in mania, in vigilijs extremis,
colicâ, in febribus ardentibus, phre-
nesi, peripneumoniâ desperatâ, cum
commodo exhibitum fuisse prædi-
catur.

℞. *Spec. diambre* Unc. ij.

Infundantur in vino destillato qua-
tuordecim diebus, ut latum digitum
superemineat.

Adde *opij* Drach. vj.

mumie Drach. ℥.

succi hyoscyami Unc. j.

corall. rubr.

carabæ, an. Drach. ij.

croci Scrup. j.

moschi gr. xvj.

ambræ gr. xij.

Affuso rursus spiritu vini, ut su-
peremineat latum digitum, digeran-
tur per mensem, quotidie agitandè.
Dosis Scrup. ℥. pro ægri constitu-
tione.

Et quia Laudanum Opiatum in-
star omnium, ut diximus, esse potest,
& frequentissimè usurpatur, varium
ejus ulum monstrare libet.

POTIONS:

℞ *Aq. rosar.*

borragin. an. Unc. j.

cinamom. Drach. ij.

sir. violar. Drach. iij.

margarit. preparat. Scrup. ℥.

laudan. opiati gr. ij. vel iij.

Misce.

Vel ℞ *Aq. papav.*

solani, an. Unc. j.

succini preparat. Scrup. ℥.

essent. papav. Drach. ij.

laudan. opiati gr. ij.

sir. violar. Drach. iij.

Misce.

SIRUPUS:

℞. *Sir. de papav. Unc. ℥.*

de nymph. Drach. ij.

pulv. croci gr. iij.

laudan. opiati gr. ij.

Misce.

EMULSIONES:

℞. *Amygdal. dulc. Drach. ij.*

sem. papav. albi Drach. j.

aq. violar.

nymph. an. Unc. j. ℥.

Gg 2

F.l.a.

F.l.a. Emulsio in qua dissolvē
laudan. opiat. gr. iij.
julebi violar. Unc. ℥.
margarit. preparat. gr. v.
 Misce.

PILULÆ:

R. *Laudan. opiat. gr. ij. vel iij.*
magist. perlar. gr. ij.

Cum aq. violar.

Fiant Pilulæ ij. inaurandæ.

Vel R. *Laudan. opiat. gr. ij. ℥. vel iij.*
magist. corall. rubr. gr. iij.

F. Pilulæ num. iij.

Electuaria, vel MISTURÆ:

R. *Conserv. violar. Drach. ij.*
laudan. opiati gr. iij.
 Misce.

Vel R. *Conserv. flor. nymph. Drach. ij.*
 vel iij.

laudan. opiati gr. ij.

spec. diamarg. fr. Scrup. ℥.

Cum sirup. de papav.

Misce.

Vel R. *Conserv. rosar. albar. Drach. ij.*

laudan. opiati,

magist. perlarum, an. gr. ij.

Misce.

ELECTUARIA: Philonium, à Phi-
 lone, Medico Tarsensi, ita dictum; cu-
 jus descriptionem habet Galenus, s.
de comp. medic. f. loc. c. 4. Aëtius, *tetrab.*
3. serm. l. cap. 37. Aegineta, *lib. 7. cap. 11.* &
 alterum, quod manus, seu Romanum
 (Arabes enim res Græcas Romanas
 appellare solent) appellatur, descri-
 ptum à Nicolao: quæ à Scrup. j. ad
 Drach. j. ad summum exhibentur: Re-
 quies Nicolai, *theriaca recens*, & alię anti-
 quis. utatæ compositiones.

Plateri Electuarium Opiatum:

R. *Specier. diamb. vel diamosch. vel a-*
romat. rosar. Drach. ij.

cinamom. Drach. ℥.

santal. rubr. Drach. ℥.

sacchar. Unc. ℥.

opij in vino Malvatic. dissol.

Drach. ℥.

ol. caryophyllor. vel cinamom.

gutt. aliquot:

addit aq. sirupi cydonior. vel conservat.

citri f. q.

F. Electuarium, quod exhibetur ad

Drach. ℥.

Commendatur & hoc:

R. *Conserv. nymph.*

violar. an. Unc. j.

diacodij Scrup. ij.

requiei Nicolai, Drach. iij.

specier. diarrhod. abbat. Scr. ij.

sem. frigid. major.

papav. alb. an. Scrup. j.

lactuc.

scariola,

coriandr. an. Scrup. ℥.

croci gr. v.

Cum sirupo de papav.

F. Electuarium.

Vel R. *Spec. pil. de cynoglossa Scrup. j.*

philon. Mes. Drach. j.

requiei Nicol. Drach. j. ℥.

conserv. rosar. Unc. ij.

violar. Unc. j.

borragin.

bugloss. an. Unc. j.

Mithridat. opt. recent. Unc. ℥.

Cum sir. de papav. q. l.

F. Electuarium; cujus dosis

Unc. ℥.

Externa.

Quæ, ut antea etiam dictum, vel temporibus, syncipiti & fronti imponuntur, aut inunguntur, aut in lotionibus capitis adhibentur; vel naribus odoranda admoventur; vel etiam volis manuum & pedum inunguntur. Mitiora equidem futuræ coronali applicari possunt: Opiata verò non item.

EPITHEMATA, & CATAPLASMATA ad tempora, & frontem;

℞. Rad. mandragor. aut hyoscyam. capit. papav. alb. an. part. æq.

Torreatur, & deinde teratur cum vino, & ol. rosacei q. s. apponanturque fronti, & temporibus.

Vel hoc **Dominici Leonis:**

℞. Earin hordei Unc. j. ss.

cort. rad. mandrag.

sem. hyoscyam. alb.

cort. papav. an. Unc. j.

sem. lactuc.

portulac.

flor. violar.

nymph. an. Drach. ℞.

Coq. omnia in succo solani, hyoscyam.

& mucilag. sem. psyllij.

Deinde addatur ol. de mandragor.

de nymph.

de papav.

amygdal. dulc.

an. Unc. ℞.

Iterum coquantur ad formam pulvis, & tandem addatur lac muliebre, in quo opij Drach. j. fuerit dissoluta.

E. Cataplasma.

Vel ℞. Sem. papav. alb. Unc. j.

opij gr. iv.

croci gr. vj.

nucleor. Persicor. num. x.

Contusa cum aqua anethi miscetur in formam pulvis, vel cataplasmatibus, ac extendantur super pannum lineum, qui fronti & temporibus applicetur.

Vel ℞. Sem. papav. alb. Unc. ℞.

lactuc. Drach. iij.

nucleor. Persicor. Drach. j.

aq. papav. alb. Unc. ℞.

lactuc.

anethi, an. Drach. j. ss.

F. Emulsio, cui adde

requiei Nicolai Drach. j.

Epithematis loco capiti applicetur.

Fieri quoque possunt **SACCULI** ad tempora:

Ut ℞. Flor. nymph.

violar.

enula, an. Drach. j.

sem. hyoscyami,

croci, an. Scrup. j.

F. Sacculi duo interpassati, temporibus admoventi.

INUNCTIONES, quibus non solum tempora, sed & planta pedum, volæ manuum, pulsus, nares inungi possunt:

Ut ℞. Ol. violar.

nymph.

unguenti popul. an. Drach. j.

opij,

croci, an. gr. vj.

Misce:

Vel ℞. Ol. violar.

unguenti popul. an. Drach. j.

ol. hyoscyam.

mandragor. an. Drach. ℞.

opij,

croci, an. gr. vj.
cera parum.

Fiat Unguentum.

Vel *℞. Nuc. Perficor.*

sem. aneth. an. Drach. j.

Contusis affunde.

aq. lactuc. Drach. iij.

Exprimatur succus, in quo dissolve

opij gr. vj.

adde *ol. papav.*

unguent. popul. an. Drach. ij.

cera parum.

F. Unguentum.

Vel *℞. Vngu. populei* Drach. ij.

sem. hyoscyam.

cort. mandragor. an. Scrup. j.

ol. nuc. moschat. expr. ℞.

Drach. ℞.

opij Scrup. ℞.

Misce cum *ol. papav.*

F. Unguentum.

Aliud: *℞. Vngu. rosac.*

alabastr. an. Drach. iij.

croci gr. v.

opij gr. iij.

Cum *oleo rosar.*

F. Linimentum.

Aliud: *℞. Vngu. popul.* Drach. iij.

ol. nuc. moschat. expr. Scrup. j.

laudani opiati gr. vj.

extr. croci gr. iv.

spec. diambre gr. iij.

Misce.

Vel *℞. Vngu. popul. rec.* Drach. ij.

ol. papav. Drach. iij.

sem. hyoscyami gr. v.

cort. mandragor. gr. x.

opij gr. iij.

croci gr. vij.

cera Drach. ℞.

styracis Scrup. j.

Misce.

& F. Unguentum molle.

Vel *℞. Ol. violar.*

nymph.

unguenti popul. an. Unc. iij. ℞.

cort. mandrag. Drach. ij.

croci Scrup. ij.

opij Scrup. j.

cera Drach. vj.

Misce.

& F. s. a. Vnguentum.

Vel *℞. Ol. hyoscyami,*

papav.

nymph.

mandrag.

violar. an. Unc. j.

unguenti popul. Unc. iij.

puly. cort. mandragora,

opij, an. Drach. ij.

croci Drach. ℞.

cera q. s.

M. & F. Unguentum.

Hiscæ addenda sunt *Balsama*, quæ pro delicatioribus, ut, qui gravem & ingratum unguentorum istorum odorem ferre non possunt, vel nolunt, adhiberi solent.

℞. Ol. nuc. mosch. expr. Drach. j.

extr. croci gr. iij.

laudan. opiati gr. iv.

styracis calamitæ Scrup. ℞.

Misce.

Aliud: *℞. Balsam. anethi* Drach. j. ℞.

ol. nucis mosch. expr. Drach. ℞.

tinct. croci guttul. v.

extract. opij gr. vj.

moschi gr. ij.

camphor gr. j.

Misc.

Vel ℞. Balschamemeli Drach. j.
 anethi Drach. ℞.
 ol. thuris. destill. gr. v.
 opij,
 croci, an. gr. vj.

Misce.

EMPLASTRA:

℞. Capit. papav. alb. cum semin.
 Unc. ij.
 cort. mandragor.
 hyoscyam. an. Drach. vj.
 fol. lactuc.
 salicis,
 flor. nymph.
 rosar. an. M. ij.
 ol. ℞. j.
 vini ℞. ℞.

Coq. ad vini consumptionem.

Colat. ℞. ℞. ℞.

sem. lactuc. Drach. ij.
 opij Drach. j. ℞.
 croci Scrup. ij.
 cera q. s.

℞. Emplastrum pro fronte, &
 temporibus.

Aliud: ℞. Unguenti popul. Unc. j.
 sem. hyoscyam. Scrup. iv.
 opij,
 croci,
 ol. nuc. mosch. expr. Scr. ℞.
 rad. mandrag. Scrup. ij.
 ol. de papav. Unc. ℞.
 cera q. i.

℞. Emplastrum:

PEDUM LOTIONES:

Ut ℞. Herb. violar.
 lactuc. an. M. iv.
 solani,
 nymph. an. M. ij.
 capit. papav. alb. cum semin. n. iv.

flor. verbasci.
 melilor.
 rosar.
 hyoscyam. cum sem. an. M. j.
 rad. hyoscyam. Unc. j.

Coq. in aq. pro pedum lotionem.

Vel ℞. Fol. lactuc.

alkekengi,
 solani,
 malv.
 violar. an. M. ij.
 flor. rosar.
 nymph. an. M. j.
 melilot. M. ℞.
 capit. papav. alb. num. xij.
 summit. anethi M. j.
 cort. mandragora Unc. j.

Coq. in aq. pro lotionem pedum.

Vel ℞. Fol. salic.

lactuc.
 cucurbit.
 vitis, an. M. ij.
 flor. nymph.
 summit. anethi, an. M. j.
 capit. papav. alb. viridium cum
 sem. coxisor. num. vij.
 cor. mandragor. Unc. ij.

Coq. pro lotionem pedum.

Vel ℞. Fol. salic.

solani,
 lactuc. an. M. j.
 flor. anethi,
 chamem. an. M. j. ℞.
 cort. mandragor. Unc. j.
 capit. papav. num. vj.
 Coq. pro lotionem pedum.

ERRHINA quæ sunt ex opio, &
 croco, dissolutis in ol. violar. mandra-
 gor.

ODORAMENTA & SUFFITUS ex

Syrace, & opio.

NODULI ad odorandum:

Rx. Fl. violar.

*nymph.**rosar. an. P. j.**sem lactuc.**papav. alb. an. Drach. j.**hyoscyami Drach. ℥.**cort. papav. alb.**mandragor. an. Drach. ℥.**opij gr. iv.**croci Scrup. ℥.*

Cum lindone rubra, vel linteo albo
F. Nodulus naribus sæpius admo-
vendus; qui etiam intingi potest in
aq. rosar. lactuc. solani.

Vel Rx. Flor. *nymph.**violar. an. P. j.**cort. papav.**mandragor. an. Drach. j.**opij Scrup. ℥.**croci Scrup. ℥.*

Cum linteo, vel lindone rubra

F. Nodulus.

Alius: Rx. Flor. *nymph.**violar. an. P. ij.**sem. lactuc. Scrup. ℥.**cort. mandragor. Scrup. j. ℥.**sem. anethi Scrup. j.**croci gr. viij.*

Ex concisis. F. Nodulus.

Alius: Rx. Capit. *papav.**flor. violar.**nymph. an. P. j.**sem. lactuc.**portul. an. Drach. j.**cort. mandragor.**sem. hyoscyami, an. Scrup. ℥.**anethi,**croci, an. gr. iij. vel iv.*

M. & F. Nodulus.

Parari etiam possunt

POMA SOMNIFERA:

Rx. Flor. violar.

*sem. cicuta,**hyoscyam. an. Drach. j.**opij Scrup. j.**camphor. Scrup. ℥.**cinamomi,**caryophyll. an. Drach. ℥.**asa dulcis Scrup. ij.**ladani,**styrac. liquid. an. Drach. ij.*

Cum aq. hyoscyami

F. s. a. Pomum.

Commodum quoque est, ut plan-
tis hæcenus enumeratis, & odorem
spirantibus pavementum consperga-
tur.

GLANDES ex Opio, & ol. violac-
ac melle. Verùm cum facillè ex his da-
mnum aliquod ægro afferri queat, fi-
lum alligandum, si ijs uti placet, ut,
quando libet, extrahi possint. Tutius
est, glandem parare ex cort. mandrag.
& melle.

De Usu Opii & Opiatorum

Medicamentorum.

De usu tamen Opii, & Opiatorum De usu opij
quædam monenda sunt. Magnam o- & opiato-
mnino Opiatorum medicamento um rum medi-
esse vim, certum est. Cum enim vix a- camento-
liud vires corporis humani magis de- rum.
jiciat, quàm dolor, & vigilia umi e;
somnia contra vires reficiat, & calo-
rem ac spiritus instauret: Opiata cer-
te, quæ unâ operâ & somnũ conciliat,
& dolorem tollunt, utilissima sunt; &
pro-

propterea valde à Medicis commendantur.

Aëtius, *tetrab. 4. serm. 1. c. 102.* Antidotum Pœoniam opiatam valde cōmēdat, & multos ex ægris ab ejus usu à somno surrexisse scribit, adeo concoquendi facultate præstantes, ut oblitifint, an unquam aliquid à principio doluerint. Nostro verò seculo in opiatorum usu & laudibus multus fuit Felix Platerus, Medicus Experientissimus. Interim cum plurimum etiam Opiata nocere possint, non equidem, ut antiqui crediderunt, refrigerandi supra modum vi, sed quia spiritus torpidos reddunt, soporemq; sæpè gravem, stuporem, spiritus difficultatem inducunt, & interdum ipsam mortem afferunt, ut videre est apud Schenckium, *lib. 7. observ. 186.* Forestum, *lib. 10. observ. 6. in Schol. & observ. 35. in fine Scholii.* Platerum, *lib. 1. observ. 15.* Guilhelm. Fabricium, *in responsoria ad D. Döringium Epistola, de Hernia uterina,* cautus omnino in opij, & opiatorum usu sit Medicus. Tutiusq; est, extrà primò ea capiti adhibere, & videre, an extrà applicato: um usus sufficiat, antequam intra corpus exhibeantur. Sunt tamen & ipsa topica cautè adhibenda, ita ut & morbi, & naturarum ratio habeatur, ne scil. ea ante usum universalium applicemus, vel fortiora pueris, & mollioribus corporib. adhibeamus. In hisce enim stuporem inferunt, memoriàmq; lædunt in reliquam vitam, vel alios affectus procreant. Sic refert Forestus, *lib. 7. observ. 22.* de sorore suâ Gertrude, quòd de morbo convalescens ab unctiōe o-

L.I.

pij ad vigilias urgentes adhibita, circa tempora perpetuo urgens frigus senserit, tanquam gelu fuisset. Multos quoque ob intempestivam stupefacientium tam applicationem, quàm exhibitionem lethargum incurrisse, idem Forestus observavit, ita, ut illi, qui prius vigilijs vexati fuerant, postea somnolenti & lethargici evaserint, ut videre est ex *scholio observationis sequentis 23. citati lib. 7.*

Quæ autem cautio hic necessaria sit, docet Galenus, *12. meth. med. cap. 1.* *Committunt, inquit, Medici ejusmodi excessus, cum in alijs quoq; remedium generibus non paucis, tum vel maximè in iis vocatis Anodynis, quæ ex papav. succo, vel alterci semine, vel mandragora rad. vel styra-ce, vel tali quoquam sunt.* Nam & qui ægris gratificantur, in eorum medicamentorum usu modum excedunt; & qui intempestivè immodicèq; sunt animosi, dū prorsus horum usum refugiunt, doloribus agros jugulant. Ergo veluti in omni totius vitæ tum habitudine, tum actione, ita hîc quoq; consiliū illud sapientis, qui, *Ne quid nimis, dixit, amplectimur, habentes pro fine, quò tendamus, agri utilitatem.* Quippe si fas est, iis remedijs, quæ morbum sanent, utendo, quòd optamus, efficere, abstinendum à sopientibus medicamentis. Sin ex vigilijs & viribus resolvendis ad mortis discrimen ager tendat, tum profectò tempestivè ejusmodi medicamentis utare, scil. non ignarus, corporis habitum non nihil ex iis ledendum, lesionem tamen, quàm mortem, potius eligendam. Hæc Galenus. Omnino enim hoc præcipuè attendendum, an vires tam diu morbum sustinere possint, donec cāussa vigiliarum, vel doloris,

H h

ordi-

ordinarijs medicamentis tolli possit; neque prius ad opiata accedendum, antequam periculum aliquod ægro ex vigilijs, vel dolore imminere videatur. Perpendendum & hoc, an vires à morbo nondum valde dejectæ sint, sed saltem ob dolorem, vel vigilias periclitari incipiant. Tum enim tuto, reliquis nihil juvantibus, opiata exhibere licet; quæ cum somnû inducunt; fit, ut dolor etiam non percipiat, & in somno spiritus ac calor reficiantur, ac materia morbifica rectius concoquatur, & vincatur. Verùm, reliquis nil juvantibus, dixi. Primò enim semper leniora usurpanda; & primò quidem cibi medicinales somnû inducentes, hinc medicamêta leniora, & tandem ad opiata adscendendum. Si verò non solùm ob vigilias & dolorem æger periclitetur, sed ab ipso quoque morbo vires jam dejectæ sint, ut ferè de ægri vita dubitetur, tum non facilè opiata exhibenda, quæ eo in casu nihil aliud efficiunt, quàm dum spiritus sopiunt, torpidosque reddunt & ignavos, ut mortem accelerent, & soporem perpetuum inducant. Quod innuere videtur Avicennas, dum, *lib. 5. summ. l. tr. 1.* quasi sub persona Philonij loquens scribit: Et meum juvamentum ad eum, cui dimissa mors est, est juvamentum maximum. Frequens etiam nimis opiatorum usus fugiendus, ne cerebrum lædant, & ipsi dispositionem pravam inducant, vel etiam ventriculo noceant.

Infantibus quoque & pueris parè admodum somnifera, præsertim

opiata, exhibenda. Solent enim ingenium & memoriã labefactare. Imò nec concedendam nutricibus, ut sæpè sirupum papaveris infantibus nimis vigilantibus exhibeant, ut & infantibus, & sibi inprimis quietem concilient. Hebetat enim & is sæpius sumtus ingenium ac memoriã.

Tempus exhibendi somnifera medicamêta quod attinet, si leviora sint, *Tempus est bibendi ex violis, nymph. lactuc. sem. papav. alb. amygdal. cum cibis exhiberi possunt.* Ita enim suavis illa exhalatio cum cibi evaporatione permista in caput fertur, & exhalationes calidas & siccas in eo, ac siccam cerebri intemperiem temperat, ac demulcet. Quæ verò fortiora sunt, ut opiata, cum planè medicamentosa sint, cibo permisceri non debent, sed vel cibo concocto, vel unâ atque alterâ horâ post cibum sumtum exhiberi.

Non etiam in principio paroxysmorum, aut crisi instante exhibenda. Cum enim tum calor expandi ad exteriora debeat, & expulsio spirituum beneficio fiat; in somno verò calor ad interiora revocetur, & spiritus sopiantur: naturæ ille conatus, ac motus impediretur.

Si quis etiam torpor capiti, & læsio aliqua inducta videatur, corrigatur aliqua *Lesio à narcoticis inducta ut corrigenda.* lotione cum decocto fol. beton. mal. vâ. flor. chamæmeli: & si præter opinionem æger profundius, ac diutius dormiat, naribus admoveatur spongia, vel linteolum aceto acerrimo madidum, vel pulvis nigellæ & rutæ aceto maceratus naribus indatur.

Diatæ.

Diæta.

Cibus fit talis, qui suaves vapores generet, & qui vim habeat vapores ex alimento adscendentes densandi, ut spiritus sopiantur. Talis est ptisana hordeacea; in primis si alteretur lactucâ coctâ, ova forbilia, carnes gallinar. vitulina, hædina, panis cum amygdalis & sem. papav. alb. paratus, juscula, & alij cibi ex amygdalis parati. Ex oleribus utilia sunt lactuca, malva. Vinum, si morbus id ferat, dilutum liberalius bibatur. Antiquum verò, & generosum potius vigilias excitat. Neq; inut le fuerit, antequam quis cubitum eat, haustum aq. destillatæ lactuc. aut violar. bibere. Si morbus id ferat, ad somnum conciliandum etiam valet aq. dulcis tepida bibita. Nam & corpus universum refrigerat, & succos acres temperat. Antiqui ad somnum conciliandum post cœnam lactucâ frequenter utebantur: cû hodie, imò & apud Romanos, jam appetitus potius excitandi gratiâ ante cibum, vel cum cibo exhibeatur; de quo Martialis, lib. 3. Epigram.

Claudere quæ cœnas lactuca solebat avorum,

Dic mihi cur nostras inchoet illa dapes?

Abstineat æger à cibis salsis, acribus, acidis, exsiccantib. Reliqua quod attinet, ut supra de somnum conciliantibus dictum, cubile non sit lucidum, absit omnis strepitus & sonus vehementior, æger ipse quietus sit, & taciturnus, oculos clausos habeat. Hoc etiam non pratereundum, quod Galenus ad somnum conciliandum

habet, 6. Epidem. comm. 4. text. 17. Quos arctè dormire volumus, eos eatenus vigilare debemus, quatenus stare jam nisi conniventes non possunt. Ego enim multis, qui se celerius quieti dederant, cum vigilare diutius eos coegissem, suavem somnum conciliavi.

De vigilis præter naturam in specie.

Et primò

De vigilis nimis ob vaporum spiritus sopientium defectum.

Postquam hæc ita in genere de vigilis p. n. dicta sunt; jam in specie de iisdem, secundum caussarum supra numeratarum differentias, dicemus. Et primò quidem vigilias, quæ ob vapores ad somnum necessarios deficientes fiunt, quod attinet, suaves illi vapores somno conciliando necessarij deficiunt, vel quia ad cerebrum non feruntur, vel quia ad cerebrum elevati ibi non conservantur, sed dissipantur. Non feruntur ad caput, non solum cum non generantur; ut in inedia, & dum cibus, qui tales vapores non suppeditat, est assumtus, aut ob nimiam copiam non concoquitur, aut quia coctio debilis est; & in senibus, & frigidum ventriculum habentibus fieri solet; verùm etiâ quia à calore p. n. absumuntur, & dissipantur vapores, in intemperie totius corporis, calidâ præcipuè, ut & siccâ, quod fit in febribus acutis & biliosis, alijsque ægritudinibus biliosis, aut tales

vapores generantur, qui ad spiritus sopiendos idonei non sunt, sed potius eos turbant; de quo mox dicetur. Ad cerebrum verò elevati vapores non conservantur, sed dissipantur ab intemperie cerebri calida & sicca; quod in inflammatione cerebri præcipuè accidere solet.

Febres quomodo vigilias inducant.

Ideoque febres pluribus modis vigilias inducere possunt; nimirum, quia nec vapores idonei ad somnum inducendum in ijs ad caput elevantur, sed tales, qui spiritus potius turbant, & agitant: & si qui blandi vapores è cibis elevantur, à calore febrili absumuntur.

Signa Diagnostica.

Vapores somno conciliando necessarios deficere ob inediam, cibum ijs suppeditandis ineptum, copiam cibi & cruditatem, ex diætâ ægri, quæ præcessit, & ætate senili cognoscitur.

Absumptos ac dissipatos esse, & adhuc dissipari, cognoscitur ex intemperie calida & sicca totius corporis, ex febre acuta & biliosa, ex immoderato vini generosi potu, aut medicamentorum calefacientium & siccantium usu.

Prognostica.

1. Si ex inedia, vel diætæ vitio vigilias proveniant, cibo exhibitio, & diætæ errore correcto, vigilias facile tolluntur.

2. Prout febris est vehementior, vel minus vehemens, ita etiam vigilias magis vel minus pertinaces sunt.

Indicationes.

Si ob inediam sit hic vaporum defectus, vel in diætâ aliquem errorem, ut multum nocet perseverantia in iisdem causis: ita plurimùm prodest transitus ad contrarias. Et proinde cibus boni succi suppeditandus, ut & potus, qui multos suaves, & benignos, somno conciliando aptos vapores suppeditat. Si cibus minus commodus sit, melior substituendus; si copiosius sumptus, paucior præbendus; si cruditas adsit, corrigenda: ut de morbis ventriculi dicetur. Si calor febrilis vapores illos absumat, curatio ex doctrina de febribus petenda.

Curatio.

Materia remediorum ex iisdem locis depromenda. Hoc saltem hinc monendum, ut ex medicamentis, quæ ad calorem febrilem alterandum usurpantur, ea eligantur, quæ simul suaves & somniferos vapores ad caput mittunt, & calidos vapores temperant, qualia sunt, *lactuca, nymphaea, viola, sem. papav. alb. lactuc. quatuor frigid. majora, amygdal. dulces,* & quæ ex his fiunt.

Ex cibis similiter eligendi, qui probè coquantur in ventriculo, suaves illos vapores plurimos suppeditant; quales antea in diætâ in genere enumeravimus.

Secundò.

De vigilis ex caliditate, & siccitate cerebri.

Et si verò idonei vapores ad caput elevantur: tamen ibi dissipantur ab intemperie cerebri calida, vel sicca, ut

Vigilia ex caliditate & siccitate cerebri.

Gale-

Galenus, 1. *prorrh. comm.* 2. *text.* 29. & 2. *aphor.* 3. docet. In vigilijs verò producendis primas tenet caliditas, secundas siccitas. Caliditas enim majoris activitatis est, & vapores ab inferioribus adscendentes facillè dissipat, ipsosq; spiritus agit, ita ut caliditas duobus modis ad vigilijs producendas concurrat. Siccitas tamen eisdem etiam absumit, & maximè hoc fit, si caliditas & siccitas conjungantur.

Intemperies autem hæc vel est cum materia, vel sine materia: quorū prius sæpè accidit in febribus putridis, ardentibus. inflammatione cerebri & membrana um ejus, melancholia, mania, intemperie cum pituita salsa, & humore seroso. Nonnunquam & à potu vel medicamenti calidis, & siccis contrahitur. Ita Galenus, 2. *de loc. affect.* c. 9. refert, puerum apud Grammaticum agentem ex meraci vini potu vigilem permanisse, ac postea febre correptum perijisse.

Unde autem intemperies istæ cerebri originem habeant; quomodo cognoscantur; quid periculi portentant; quid indicent; & quomodo curandæ sint; dictum est *parte* 1. hujus libri, quæ omnia inde petèda. Hoc saltem hîc iterum repetimus, quod antea etiam monuimus, ut ex medicamentis, quæ ad intemperie cerebri corrigendam usurpantur, ea eligantur, quæ simul suaves vapores ad caput mittunt, & vim aliquam soporiferam obtinēt.

Interna.

E.g. R. *Conserv. nymph.*

violar. an. Unc. jß.

lactuc. Italic. condit. Unc. ß.

Cum *sirup. de nymph. vel papav.*

F. Electuarium in vigilijs ab intemperie calida & sicca.

Vel R. *Aqua lactuc.*

violar. an. Unc. iij.

sirup. violar.

papav. an. Unc. jß.

F. Potus pro 2. dosibus.

Externa.

Si intemperies sit calida, usurpentur *ol. violar. rosar. nymph. papav. mucilago sem. psyllij, sempervivum, lactuca, papaver:* è quib. vel epithemata, vel lotiones capitis fiant. Si intemperies sit sicca, convenit *ol. amygd. dulc. lac.* Si siccitati jungatur frigiditas, quod in melancholia accidit, prosunt *chamem. aneth. fœnugracum, malva, althæa, melilotus,* & ea, quæ supra, *cap.* 12. sunt proposita.

Si peccet bilis, humectantia & refrigerantia conveniunt, quæ supra, *cap.* 1. & *cap.* 9. de Intemperie *cap. cum bile,* sunt proposita, in primis *lactuca, viola, papaver, nymphæa, cucurbita.*

Si causâ vigiliarum sit pituita salsa, calida simul admiscenda, & attenuantia, ut *aneth. chamamel. melilot.* & usurpanda *ol. amygdal. dulc. commune,* in quo cum aq. hordei, & vino albo subdulci sit parum *chamæmeli, meliloti, serpilli,* coctum.

Exempl. gfat.

R. *Flor. rosar.*

violar.

nymph.

sol. salicis, an. Unc. j.

Hb 3

santali

santali Unc. ℞.

cort. papav. Drach. viij.

Injiciantur in vas vitreum, & affundatur aq. rosar. q. s. Bulliant in cineribus calidis, vaporesq; exhalantes ore & narib. excipiantur in vigilijs ex intemperie cerebri calida & sicca.

Exemplum vigiliarum ex intemperie cerebri calida & sicca sine materia est apud Forestum, *lib. 10. observ. 35.*

Tertiò

De vigilijs à vaporib. calidis, siccis, & acribus.

Vigilia à Vaporibus calidis & siccis.

Si vapores calidi, sicci, acres, ab humoribus biliosis, salis, melancholicis, pravis, ad cerebrum attolluntur, spiritus etiam turbantur, & vigiliæ excitantur.

Attolluntur autem illi vel à toto, ut in febribus ardentibus, vel ab epate, liene, utero, ut supra, *capit. 6. part. 1.* dictum. Accidit etiam hoc sæpissimè à generosi vini potu, à calidis & siccis medicamentis; aut cum in ventriculo fit prava concoctio, & à cibo vel potu copioso, aut corrupto, aut cibis flatulentis, & pravis; quales sunt lentes, fabæ, fungi, & tubera.

Neque solùm à reliquo corpore vapores illi in caput mittuntur, sed sæpè etiam in ipso capite ex apostemate aliquo, vel ulcere, in partibus cerebro propinquis ad cerebrum elewantur; sicut & in inflammatione cerebri & membranarũ ejus vapores tales calidi attolluntur, & spiritus animales agitat,

Signa Diagnostica.

Signa humorum & vaporum caput molestantium supra, *part. 1.* tradita sunt. Pituita falsa, & ventriculi debilitas plerumque in senibus vigiliarum causa est.

Prognostica.

1. Quantum periculi hoc genus vigiliarum habeat, ex morbificis humoribus, à quibus pendent, conjectandum.

2. Vigiliæ, quæ senibus ab humoribus salis eveniunt, difficulter curantur; cum materiæ istius generatio ob ætatis constitutionem præcaveri non possit, nec ætas fortiora, vel crebriora purgantia sustineat.

Indicationes & Curatio.

Parti, quæ vapores ad cerebrum mittit, convenientibus medicamentis succurrendum, humorque peccans evacuantur, & post cœnam exhibenda ea, quæ vapores illos demulcènt; qualia supra de curatione vigiliarum in genere, *num. 3.* recensuimus. Febrem quod attinet, & totius corporis intemperiem calidam, temperanda ea refrigerantibus, aq. hordei, lactuc. fero lactis caprini, cum emulsione sem. papav. & melon. Opiata verò cum cautione supra proposita exhibenda.

Ad intemperiem frigidam & siccam hoc commendatur:

℞. Spec. diambre Scrup. ij.

diamosch. dulc. Drach. ℞.

succini albi Scrup. j.

ambra grysea gr. iij.

Cum sirupo de cort. citri

F. Pilula num. xxiv. Capiantur tres hora somni.

Quar.

Quartò

De vigiliis à frigida & sicca
intemperie, & de vigi-
liis senum.

De vigiliis à frig. & sic. intem- perie. Nonnunquam & à frigida & sicca intemperie excitantur, & non solum vapores calidi & sicci, sed & frigidi atque acidi vigiliis pariunt; quale quid melancholicis & senibus accidit. Fit hoc quandoq; è serosis humoribus, & pituita salsa, qua humoris, & ipsi membranas cerebri vellicant, & sui generis vapores emittunt, quib. spiritus turbantur: quæ non minima causa est vigiliarum in senibus; etsi & aliæ cõcurant: quod scil. cerebrum ipsum evadat siccius, coctio debilior, & pauci suaves vapores in cerebrum elevetur; de quo vide Langium, *lib. 1. ep. 26.* ubi de senum vigilia agit. Neq; solum in senibus, sed & alijs, vigiliæ ab humoribus, seu salsis, seu acidis, generantur. Dum n. vel ob cibi copiã, vel calorem debilem, fit cruditas acida in vetriculo, vapores & fumi similes in cerebrũ elevantur, & vigiliarum causæ sunt.

De vigiliis senum. Et omnino senum vigiliæ aliquid peculiare habent. Etenim in senibus vigiliarum causa est suavium illarum exhalationum, ad somnum inducendum necessariorum, & in juvenib. abundantium defectus, à debili coctio- ne in ventre inferiore proveniens; & contra copia serosorum, salforum, & nitrosorum humorum, qui alimētum spiritua scere, ut sic dicam, non sinunt, & suaves ac volatiles vapores figunt ac supprimunt; atque ita impediunt, ne suaves *ἀστυμιάσθη* in cerebrum elevē-

tur, aut si qui ascendunt, ijs permiscē- tur, & cerebro ac mēbranis ejus molestæ sunt, atq; ita vigiliis & inquietu- dinem nocturnam potiùs, quàm somnum pariūt; & proinde vigiliis hoc modo excitatas nullo modo frigida curant, ut potè quæ coctionē amp iùs debilitant, & eruditatem illam acidam augment, sed potiùs moderatè calida, vinum nempe dulce, aqua vitæ, & aroma- mata ac medicamenta coctionem ju- vantia, quæ quò melius sese habet, eò plures vapores suaves somnum conciliantes ad cerebrum elevantur.

Curatio autem harum vigiliarum difficilis, & ut Crato, *consil. 118.* monet, vigilijs senum, ac præcipuè eorũ, qui in summis curis versantur, & quos jamdiu hoc malum vexat, vigilijs mē- deri, difficile est.

Curandi etiam ratio ab aliarum vi- giliarũ curatione diversa est. Etenim quib. calor est debilis, ut in senib. ab his, utpote frigidis, abstinendum, & contra calida ac spiritiuosa exhibēda, quæ non tantum coctionem adjuvare, sed & spiritus ac vapores suaves emit- tere valent; quale est vinum dulce. Et proinde, ut idem Crato monet, lotio- nes, inunctiones, præsertim frigida, nihil profunt, imò frigida plurimum lædunt. Itaq; calidis & odoratis vapo- res potiùs contemperandi, & propter- ea horã decubitũs una atq; altera pi- lula ex sequentibus sumenda:

℞. *Spec. diambra* Scrup. ij.

diamoschi dulcis Drach. ℞.

saccin. albi Scrup. j.

ambra grysea gr. iij.

Cum *serup. de cortic. citri.*

F. Pilulæ xxiv.

Quintò

Quintò

De vigilis à dolore, pectoris angustia, ac sensuum externorum objectis.

Vigilia à dolore.

Cum cujusque sensus externi objectum vehemens sensum cōmunem in consensum trahat, unusque sensus ex. itatus reliquos commovere, ac vigilias excitare possit; frequentissime vigilias excitant tactus objecta, quæ dolorem gignunt, dolorque in quacunque parte corporis, si sit magnus, vigilias excitat.

Quomodo à dolore vigilie fiant.

Cum enim sensus communis simul afficiatur, eo commoto omnes reliqui sensus commoventur, atque ita vigilie suboriuntur. Capi vacuus quidem existit, mat. dolorem excitare vigilias, quia non permittat alimenti vaporem in caput ferri; cum propter dolorem fluat materia in partem, quæ primò afficitur. Verùm ratio prior probabilior est. Neque enim omnes vapores à cibo ad partem dolentem cōfluunt. Et licet vaporum satis sit in capite, ægerque dormire incipiat: tamen ab objecti vehementia iterum excitatur, non secus ac si æger vellicetur, aut pungatur, aut clamore excitetur.

Quomodo autem dolori succurrèdum sit, dicitur *in part. 3. sect. 1.* hujus libri, *cap. 2.* ubi de symptomatibus tactus agetur. Hoc saltem hæc addimus, si dolor gravis somnum turbet, neque aliâ ratione leniri possit, narcotica usurpanda esse, quæ unâ operâ & somnū conciliant, & dolorem leniunt; de

quibus antea de vigilis in genere diximus.

Pertinent hæc & illæ vigilie, quæ sitientibus accidunt; ut & quæ fluxu alvi, & dysenteria laborantes infestant; nec non quæ dispncea in morbis pectoris, & hydropelaborantibus molestæ sunt, quibus accedit, ut dormire nequeant, vel, si dormire incipient, suffocationis periculum immineat. Ideoque sitis lenienda, & morbi, à quibus vigilie pendent, tollendi.

Et quod objecta tactus præstant, idem & aliorum sensuum symptomata præstare valent, ut lux nimia, strepitus, & sonus, quæ omnia dormientes inquietos reddunt & excitant; idcoque amovenda sunt.

Sextò

De vigilis ab animi affectibus.

Tandem etiam animi affectus vehementes, ira, timor, incœ or, curæ, & animi affectibus. sollicitudines, amor, gaudium, spiritus concitare, & vigiliarum causæ esse possunt. Quò referenda & consuetudo. Ut enim in excrementis reddendis natura sua tempora observat: ita consuetudo facit, ut homines certis horis noctu excitentur & vigilant; in primis si curæ & cogitationes variæ accedant; quod senibus familiare est.

Causæ hæc ex ægris, vel adstantibus facile cognoscuntur.

Prognostica.

I. Ab animi affectibus, & causis evidentibus, vigilie non sunt ita pericu-

riculosæ, quàm quæ ab internis proveniunt.

2. Consuetudo, tanquam altera natura, non facile mutatur.

Curatio.

Animi affectus corrigantur, & ad lætitiã moderatã eger disponatur, quæq; eam excitant, & somnum conciliant, exhibeantur; ut vinum, sed moderatum. Ac si de re aliquã intentã cogitatio vigiliarum causa sit, mēs aliò avocanda. Et cum affectus, si diu durent, tãdem intemperiem aliquã capiti concilient, ei occurrendum, & biliosorum, ac melancholicorum humorum proventus præcavendus, & si quid eorum genitum jam est, evacuandum, ut *part. I.* diximus. Consuetudo contrariã consuetudine sensim mutanda, & cogitationes omnes à cubitum ituris seponendæ.

QUÆSTIO I.

Qua vi *ἰσχυρὰ & ὑαρκωπικὰ*
somnum concilient?

Quã vi medicamẽta, quæ somnum conciliant, id præstent, Autores non parùm dissentiunt. Nonnulli in ea sunt sententia, causã vigiliarum proximã esse immoderatã canaliũ, per quos spiritus animalis ad singula organa sensuum influit, a perriõnem, ob defectum vaporum, qui eosdem canales certis quibusdam horis obstruere debebant. Ideoq; eorum occlusionem per tales vapores esse proximã somni causã: & propterea ad somnum conciliandum, si vigiliæ urgeant, requiri medicamenta frigi-

L. I.

da, crassos, ac frigidos vapores, eosq; plurimos, ad caput exhalantia. Capivaccius verò statuit, quod talia medicamenta nativum calorem sensorij judicantis dissipent. Atque ita existimat, talia soporifera & anodyna non reverã talia esse, sed saltem secundum dici, quod partem quasi sensu privent. Cumenim quò pars calidior est, eò sensum habeat exquisitiorem, si medicamentum calorem nativum sensorij dissipet, & removeat; & stuporem induci, & somnum conciliari.

Alij frigoris excessu spiritui animali ad partem aditum intercludi dicunt. Atque ita secundum has opiniones *ἰσχυρὰ & ὑαρκωπικὰ* valde frigida statuuntur. Unde etiam secundum hanc communem opinionem ad narcoticorum correctionem adhibentur calida, piper, cinamomũ, pyrethrum, costus, euphorbium, castorium, crocus, nux moschata, sem. petroselini, dauci, fœniculi.

Verùm, ut liberè dicam quod sentio, nulla unquam in Physicis introducta fuit perniciosior opinio, quàm eorum, qui omnia ad qualitates primas reducere conantur; qui error hactenus & in ista controversia commissus est, dum omnes ferè Medici facultatem somnum inducendi frigiditati principaliter attribuerunt; cum tamen, si rem diligenter perpendamus, longè aliter sese res habeat. Nam tantum abest, ut *ἰσχυρὰ* illa, & *ὑαρκωπικὰ* medicamenta propriè dicta valde frigida sint, ut contrarium potius verum sit, & calida deprehendantur. Vinum vim narcoticam habet,

II

rectè

Narcotica
sunt ca-
lida.

rectè statuit Platerus, *prax. tract. 1. lib. 1. cap. 2. pag. 31. & 107.* & testatur id experientia. Eadem vis inest lolio, quod-
damque à panis è lolio confecti esu primò in levem quandam amentiam, hinc in somnum profundum, longumque incidisse, refert Wicrus, *de prestig. Damon. libr. 7. cap. 13.* Styracem calefacere, extra controversiam est; & tamen soporem afferre docet Dioscorides, *lib. 1. de mat. med. cap. 68.* & Galenus, *20. de compos. med. sec. loc. cap. 1. in fine, & 6. Epidem. comm. 5. t. 13.* Anethù calidum est, & nihilominus somnum conciliat, teste Galeno, *6. de simpl. med. facult.* Eodem modo sese res. habet de sem. cannabis, nuce moschat. nucleis Persic. amygdalis amaris, absinthio, lupulo, allio; quæ omnia calida sunt omnium cõfessione, & tamè somnum conciliant. Reliqua etiam, quæ frigiditate somnum inducere creduntur, omnia frigida non sunt. Nam ut de papavere vulgari, cujus semen frigidum esse creditur; cum tamen oleum ex eodem exprimatur, quod flammam alit, & ad lucernas eodem modo, ut ol. olivar. lini, cannabis, adhiberi potest, nihil dicam: opium vulgò frigidum, & quidem ultra tertiù gradum, statuitur. Verùm sic ejus qualitates & vires diligenter perpendamus, calidum esse animadvertemus, ut prolixè & accuratè id demonstravit Cl. Dn. D. Döringius, *tract. de opio, sect. 2.* Est enim amarum, acre, ut linguam vellicet, fauces incendit, sitim excitat, odorem gravem habet, facillè inflammatur, animum efferat, Venærem concitat, prurimum excitat, sudorem

Opium est
calidum.

ciet, dura emollit & discutit; de quibus omnibus D. Döringius, *loc. allegat.* videatur, ne actum agere hîc opus sit.

Ex quibus omnibus patet, frigida nō esse, quæ *Evolutione & vaporibus* dicuntur. Quibus accedit & hoc, quod tantulâ quantitate, gran. scil. ij. vel iij. pondere, quo Opium, & Laudanum opiatum (quod tamen purum putum opium non est) exhibentur, corpus tam insigniter refrigerare, & tot crassos ac frigidos vapores, qui ad meatus cerebri omnes obstruendos sufficiant, emittere non potest. Quis enim, nisi qui opinionibus præconceptis obcœcatus est, credat, ab opij gr. ij. vel iij. assumptis corpus etiam febre æstuas. ita refrigerari posse, ut illa refrigeratio usq; ad cerebrum penetret? Quod ne à satis magnâ aquæ quantitate fieri potest. Cum ergò in tam parva quantitate exhibitum non solùm somnum profundum, & stuporem inducat, sed & paulò liberalius exhibitum enecet: rectius qualitati alicui occultæ, & peculiari proprietati, quæ in spiritu quodam sulphureo consistit, ut ex odore & inflammabilitate, ac resolutione patet, vim hanc tribuimus. Hic enim spiritus, seu odor in cerebrū admittitur, seu per poros cutis penetrans, seu intra corpus sumptus, in cerebro spiritus vi peculiari sopit, & torpidos, ac quasi immobiles, atq; ita ad actiones animales edendas ineptos reddit. Quod id etiam confirmat, quod Platerus, *tract. 1. lib. 1. c. 5. pag. 185.* scribit, se nunquam deprehendere potuisse, quod à narcotico extrâ cuti applica-

to ca-

to eã stupida, & indolens reddatur; licet, ut certi aliquid cognosceret, massam opij emollitam podagrâ laboranti extrâ applicarit.

QUAESTIO II.

Quomodo opium præparandum & corrigendum sit.

Opium quomodo corrigendum. Antiquos, qui Opium frigiditate excedere, & nocere putabant, calidis planè medicamētis, pipere, pyrethro, croco, castoreo, euphorbio, & similibus ad ejus correctionem usos fuisse, antea dictum. Verùm falsâ hypothesi ad istam opium corrigendi rationem adducti sunt, & medicamenta non satis commoda præparârunt. Ut saltem de Philonio Romano dicam, olim satis usitato medicamento, experientia docuit, ob tot medicamentorum calidorum admisionem vix posse deg'uriri, quin fauces accendat, & in ijs ardorem excitet; clysteribus etiam, vel pondere sesquidrachmæ admistum, nonnullis ingentem ardorem in imo ventre, & intestino recto excitasse.

Hodie satis usitatum est, ut Opium cum spiritu vini, spec. diamb. aromat. rosat. vel similibus imprægnato extrahatur, vel spiritus vini ejusmodi extracto opij addatur, ut & olea destillata, atq; alia cordialia, ut ex varijs Laudani Opiati (ita enim medicamentum hoc appellare libuit Paracelso) descriptionibus, quas collegit Libavius, *Synt. agm. arcan. Chymicor. lib. 3, cap. 84.* videre est.

Reprehendunt tamen hanc Opij præparationem Recentiores quidam, quòd, ut Petrus, in *Nosolog. harmon. rom. 1. disput. 5. quest. 9* habet, foetidum, & venenosum suum sulphur, quòd etiam post ignis examen adhuc supersit in opio, in spiritum vini aquè deponat, imò à spiritu vini magis attenuatum malignitatem suam citius exferat, & in partes penitus insinuet. Quibus addunt & hoc, quod vino vis quædam narcotica inest, qua de causa, Platerus, *pract. tr. 1. lib. 1. c. 2. p. 66.* in sopore & stupore vini usum improbat. Præterea Turcos & Ægyptios vino, quasi opij succedaneo, in ejus defectu uti, patet ex Christoph. à Costa, *de arom. lib. 1. cap. de Opio*, & Prosper. Alpino, *de Medic. Ægypt. lib. 4. cap. 1.*

Isti igitur aliam Opium præparandi, & corrigendi rationem ineunt. Opium in exigua frustula concidunt, & in patellis aliquot super leni cinerû, vel alio calore tamdiu siccant, donec sulphur foetidum exhalet, ac opium suaviorè, & gratiorem odorem spiret, ac digitis in pulverem teri possit; quòd terè 6. vel 7. dierum spatio accidit. Inde tincturam aceto destillato extrahunt. Acida autem, ut acetû, succum citri, & limon. ea de causa eligunt, quòd, sicut acrimoniam humorum, ita & narcoticam vim acida hebetant, & spiritus narcoticos figunt, ac suppressunt; unde in soporiferis affectibus, venenisq; soporiferis commodus est aceti usus, ipsiusque ebrietatis acetum & acida sunt remedium.

Verum enim verò, ut, quid mihi hæc de re videatur, liberè aperiam:

primò illam Opificationem, & le-
vem quasi tostionem quod attinet, si,
de quo tamen certò constare prius
debet, quædam heterogeneæ partes
sunt in Opio, quarum aliæ alijs magis
sunt noxiæ, torreatur sanè, me non
obstante, Opium, sed ita, ne illud sul-
phur narcoticum, cujus vis expeditur,
dissipetur, & corpus inefficax relin-
quatur. Ipse tamen Petrus, ut antea
dictum, etiam post ignis examen sul-
phur illud foetidum, & malignum su-
peresse scribit.

Quantum ad reliquam præpara-
tionem, rectissimè opium extrahitur,
seu utilis ejus substantia à reliquis in-
utilibus partibus separatur, spiritu vi-
ni. Hæc enim sulphurea corpora &
substantias facillè recipit & imbibit.
Correctionem verò quod attinet, illa
antiquorum per calida, & quidem ve-
hementer cal. facientia, falsà niti-
tur hypothesi, ut antè dictum, neque
opium summè frigidum calefacienti-
bus corrigendum: nisi forsàn talia sint,
quæ occultâ proprietate vi narcoticæ
opij resistunt, qualia sunt imprimis asa,
& castoreum, quod oppositam opio-
facultatem habere, Galenus, *de compo-
s. med. sec. loc. c. 3.* scribit, & quæ opij
theriacam ac Bezoar esse dicunt Avi-
cennas & Guainerius, *locis propriis*. A-
cida verò quod attinet, quæ hic à
plurimis ad vim narcoticam refrænâ-
dam admiscuntur, imò quibus à non-
nullis opium extrahi diximus, equi-
dem libenter concedo, acida narcoti-
corum vim infringere, & soporosis af-
fectibus prodèsse: verùm id hic nõ ex-
petitur, sed vis soporifera quæritur.

Si tamen quis metuat, ne illa nimis ve-
hemens sit, & aliquid periculi hominì
afferat, illi acida, imprimis succum ci-
tri & limonum, addere fas esto. Et
tùm etiam, additis scil. acidis, lauda-
num opiatum in majori dosi exhibere
licet, & cùm laudanum opiatum, sine
succis acidis paratum, ultra grana iij.
vel iv. vix exhibeatur, illud, quod cum
acidis paratum est, ad vj. vij. viij. vel
plura etiam grana propinare licet.
Tandem, quia cum vi narcoticâ qua-
litas corpori nostro, & spiritibus im-
primis, adversa conjuncta est, ut illa
corrigatur, &, ne quid damni spiritus
patiantur, aromata, & eorum olea,
moschus, ambra, margaritæ, corallia,
& similia adduntur.

CAP. II.

De Somno p. n. ac Comate
& Cataphora.

Vigilijs opponitur Somnus, qui &
ipse nimis esse potest, si nimirũ
homo diutius, quàm par est, & pro-
fundius dormiat, quàm s. n. solet. Ut *Somnus*
autem somni nimij naturæ & causæ *quatuor-*
rectius cognoscantur, afferenda ex A- *plex:*
vicenna, 3. *Can. fem. i. tr. 4. c. de Suboeth*
& Caro, somni distinctio, quâ aliũ na-
turalem facit, eumq; vel absolutè ta-
lem, vel non absolutè; alium p. n. Ab-
solutè naturalis est, qui post modera-
tas & usitatas vigilias quotidie homi-
nem apprehendit noctu, à cibo, ut ca-
lore & spiritibus intrò revocatis ali-
mentum rectius concoquatur, spiri-
tusq; per vigilias dissipati instaurantur.

NON

Non absolutè naturalis est, qui & naturalis gravior dicitur, qui nimiam corporis exercitationem & laborem, sanguinis vel alvi profuvium, dolorem, similesq; causas sequitur, calore naturali, & spiritibus supra modum absumentis; vel ubi halituoso quodam vapore caput repletur, id quod ebrijs evenit. Diuturnior enim, & profundior somnus ex his causis absolutè quidem naturalis non est; non tamen etiam p.n. Pertinet huc & ille somnus profundus, cujus Galenus, 2. *Prorrh.* l. 29. mentionem facit, qui ægrotantes interdumprehendit post tridui, vel quadridui vigilias, magno cum ipsorum commodo; sicut & pueris interdum idem accidit, eosq; à morbis tum præservat, tum liberat. Hic enim somnus à spirituum & caloris ad interiora retractione saltem ortum habet. Nam naturam defectum spirituum sentiens, tam diu calorem & spiritus animales in cerebro retinet, donec reparati sufficienter fuerint: & calore ad interiora retracto coctio fit felicior. Unde multi suaves & halituosi vapores ad cerebrum ascendunt, somnumq; longiorem & profundiorē excitant.

Præternaturalis tandem; & morbosus; ut appellant, somnus, de quo hoc loco nobis agendū est, qui à causa p.n. & morbificā provenit, spiritusq; ita vincit & detinet, ut difficilis ab eo fiat expergefactio; neq; ad spirituum, & virium instaurationem, sanitatisq; commodum aliquod emolumenti affert. Is autem; etsi varius sit, & sub se complectatur Cataphoram & Coma, Lethargum, ac Carum, & nonnulli con-

junctim de his agant: tamen, quia in Comate vigili, Lethargo, Caro nō solum sensus communis, sed & alie actiones animales læduntur; de his suo loco agemus; hinc verò, ubi de symptomatibus sensus communis tractamus, saltem de Cataphora, & Comate somnolento, in quibus sensus communis primariò afficitur, dicemus.

Nomen.

Quod malum Mauritanii suā linguā Subeth nominant, id Græcis est κῶμα, vel καταφροσι. Etsi enim Galenus, 4. *de sanit. tuend. cap. 4.* etiam sanis Comata Coma, accidere scribit: tamen non propriè Cataphoræ Comatis voce tum utitur, sed abulivè, *καταφροσι* pro somno naturali profundiore. Et quidem κῶμα dicitur quasi κῶμημα, à κῶμῳ, quod est profundius, & prolixè dormire. Alij δὲ τὸ κῶμα λέγουσιν, id est, commestationibus indulgere, deducunt hanc vocem, sive quod tales communiter symptomate soporis profundi teneantur; sive quod κῶμαζοντες omnium faciliè in hunc morbum incidant. Καταφροσι verò dicitur, quod vehemens sit in somnum propensio. Vocabulum enim καταφροσι & κῶματῶ, ut μοχ dicitur, nō solum de somno profundo accipitur, sed etiam de propensione in somnum, qualis est in Comate vigili. Etsi autem nonnullis καταφροσι minus malum est, quàm κῶμα; sicut κῶμα minus rursū, quàm Carus: tamen exquisitā hanc vocabulorum distinctione opus nō esse, ex Galeno intelligimus, qui, in *libell. de Comate*; & in *1. prorrh. comm. 1.* affirmat, ab Hippocrate quamlibet κα-

παροεσι Coma nuncupari, ut promi-
cuetè his vocabulis ille usus fuerit. De
quo etiam videatur Anut. Foësius, in
Oeconom. Hippocrat. ad vocem κώμα. In-
terdum & Carus nominatur; sed non
propriè: quoniam hoc vocabulo ma-
lum multò gravius significatur, quod
à levi apoplexiâ non multùm distat.

Est autem Coma duplex, *ἄνωδες*,
seu somnolentum, & *ἀγρυπνον*, seu vi-
gil. Coma *ἄνωδες*, quod & sæpè ab-
solutè Coma appellatur, est, cum ægri
oculos aperire nequeunt, & non so-
lùm in somnum propensionem con-
tinuam habent, sed & profundius dor-
miunt. Coma verò *ἀγρυπνον*, seu,
non somnolentum, & *ἀγρυπνον*, seu vi-
gil, est, cum ægri quidem in somnum
propensionem habent, nihilominus
dormire non possunt, sed saltem ocu-
lis clausis & conniventibus inani dor-
miendi cupidine tenentur, ipsisq; va-
riæ imagines obversantur, quæ & so-
mnum impediunt, & ut non nihil de-
lirant ægri, in causâ sunt. In Comate
vigili cum plures actiones animales
lædantur, dicitur de eo suo loco, hoc
capite saltem de Comate somnolento
nobis agere propositum est.

Definitio.

Coma qd. Est autem Cataphora seu Coma
somnia somnolentum sopor gravis, seu sen-
sus communis quies, à causa, quæ faci-
cit, ut spiritus animales ad sensuû or-
gana non sine difficultate influant, or-
tum habens: seu symptoma in immi-
nutâ actione sensus communis, dum
is veluti torpet, & neque spiritus ani-

males ad externos sensus diffundun-
tur, neque is ab ijs accepta objecta a-
gnoscat, & dijudicat.

Causse.

Causam hujus mali esse ea, quæ
spirituum animalium ad sensus orga-
na influxum prohibent, eosque ad a-
ctiones animales ineptiores reddunt,
jam antè dictum. Etsi verò à frigiditate
& humiditate, vel à repletionem, &
obstructionem canalium, per quos spi-
ritus animales influunt, id fieri plerique
doceant; ut ex Galeno, 3. *Epidem. comm. 1. aphor. 7. 2. prorrheth. t. 39. 3. prorrheth. t. 1.* videre est: tamen, ut postea
dicetur, in *questione*, probabilius est, à
peculiari vi narcoticâ spiritus anima-
les torpidos, & ad actiones animales
ineptos reddente, ac in vapore quo-
dam residente, id fieri, qui à venis &
toto, in febribus, malignis præcipuè,
& quæ *κωματώδεις* appellantur, vel à
parte aliqua, ut à ventriculo, ab hu-
moribus vitiosis, vini nimio potu, (cu-
jus rei exemplum est apud Forestum,
lib. 10. observ. 34. & tria in Scholio) in-
testinis, & vermibus in his, utero, ut
in hysteriis sæpè evenit, ad caput ele-
vantur. Pertinent & huc medica-
menta, ac venena narcoticâ vi prædita, ut
lactuca, papav. solanum, lolium, fun-
gi quidam, opium. Si tamen vapores
sunt crassiores, & copiosiores, vel va-
pores, qui ad caput exhalant, in cras-
sum & lentum humorem convertan-
tur, meatus cerebri ab ijs obstrui pos-
se, non negaverim: quæ si sit levior,
Coma esse potest; si verò gravior, Ca-
rum vel Lethargum excitat, Vapores
tamen

tamen illi vix qualitatis narcoticæ expertes sunt. Ita etiam compressio cranij à percussione, & percussio in temporibus Coma inducere potest.

Signa Diagnostica.

Signa diagnostica.

Æger diu & profundè dormit, demissâ ferè inferiore maxillâ, & hiant ore, cum difficultate excitatur, oculos, si exciteretur, aperit, sed mox iterum profundè dormit, & palpebras non sine difficultate attollit. Quis autem humor peccet, ex febre præsentè, vel alijs indicijs, quæ supra, *part. 1.* tradita sunt, patebit.

Differt à Comate vigili, quòd in Comate vigili solùm est in somnum propensio, non verò dormiunt ægri: à Caro, quod in Comate interrogati respondent, in Caro verò non respondent: ab Apoplexiâ, quod in hâc non sentiunt, immoti jacent, & stertunt: à Syncope, quod in hâc facies est mortuis similis, & pulsus parvus & languidus: ab Uteri suffocatione, quod ad interrogata ferè non respondent, & oculos non aperiunt, licet interdum audiant: in gravi verò somno omnibus his contraria accidunt.

Prognostica.

1. Somnus & vigiliæ utraque, si modum excefferint, malum 2. *aphor. 3.* Ac somnus immoderatus malus est, non solùm ut signum; quod scilicet cerebrum p.n. affectum significat, sed etiam ut causâ, eò quod spiritus & calorem naturalem obtundit, actiones animales torpidas reddit, cruda excrementa in capite, & toto corpore

cumulat, & deniq; destillationum ac frigidorum morborum autor est.

2. In quo morbo somnus laborem facit, malum est, 2. *aphor. 1.* Cum enim somnus naturaliter vires instaurare debeat, si id non fiat, malum indicium est, tantamq; humorum vitiosorum ac pravorum copiam adesse significat, quam calor in somno retractus & collectus concoquere, & superare non potuerit: aut somnum illum non à naturali, sed malignâ causâ inductum esse, indicio est. Contra si delirium adsit, illudque somnus sedet, bonum.

3. Exitiosum est Coma, cujus morbi calidi & sicci autores sunt, teste Galeno, 3. *Epidem. comm. 1. text. 7.* cujus causam esse putant vulgò, quod insignem in cerebro refrigerationem in morbo calido esse oporteat. Sed cum in morbo calido & sicco simili insignis intemperies frigida adesse non possit: probabilius est, potius à maligno & narcotico vapore in ejusmodi febribus talem somnum nimium excitari.

4. Periculosum quoque est, quod virium magnam imbecillitatem sequitur, ex acutissimo aliquo morbo, vel gravi cerebri affectione. Galenus, *ibid.*

5. Minus periculosum est, quod ob consensum fit, sive ventriculi, sive intestinorum, sive uteri; modò causâ tolli possit. Sublatis enim illis causis, Coma etiam tollitur: si tamen causâ illa maligna sit, etiam suo periculo non vacat. Magis verò periculosum est, quod ipsius cerebri affectus sequitur.

6. Periculosius coma est, quod in continuis febribus accidit, quam quod in intermittentibus. In intermittentibus enim ad remissionem, aut intermissionem cum ipso paroxysmo desinit: in continuis verò etiam si primò accessu leve, & non magni momenti videatur: tamen in dies crescit, & sæpè in Carum ac Lethargum permittitur.

7. Tempus, quo, sive ad salutem, sive ad mortem terminatur, semper breve est. Neque enim cerebrum, membrum nobile, tam diu gravem affectum tolerare potest.

8. Ad salutem terminatur per diffusionem causarum, à quibus provenit, quando natura per hæmorrhagiam narium, alvi fluxum, sudorem, sæpè etiam insensilem transpirationem, nonnunquam & per abscessus, & tumores, præcipuè post aures, materiam evacuat: artis verò beneficio, cù medicamenti evacuat. Ad mortem verò terminatur per virium dissolutionem, reliquis visceribus in consensum tractis, vel suffocationem, ubi malum ita in gravescit, ut sensus & motus, atque ipsa ad eò respiratio tollatur.

Indicationes.

Intemperies cerebri, humoris & vaporis alteranda, aut potius vis *σπρωγνῆς*, & *ραγνώλη* per contraria expugnanda. Materia, quæ in capite proxima Comatis causa est, evacuanda, & discutienda; si aliunde capiti communicetur, revellenda; è toto, vel parte, è qua communicatur, tollenda, ac,

ne amplius generetur, præcavendum. Sensibus verò omnibus objecta vehementiora, quæ ipsos excitent, offerenda, viresque simul alimentis instauranda.

Curatio.

Quâ ratione totius ratio habenda, *Curatio Comatis* & quomodo vapores ad caput adscendentes revellendi & repellendi sint, patet exijs, quæ supra, *part. i.* diximus. Et cum plerumque Coma in febribus accidat, ad duo tum omnino respiciendum; ad ipsam febrem, quæ causæ rationem habet, & ad somnum; atque ita curatio instituenda, ne ea, quæ somno depellendo exhibentur, febrem augeant. Hoc tamen cùm febris, tū Coma requirit, ut humor vitiosus, & febris, & somni p. n. causa evacuetur. Ideoque etsi febris causâ jam languis evacuatus sit: nihilominus vana sectionem, si opus sit, repetere licet, ut fluxio inhibeatur, & materia à capite avertatur; quod commodissimè fiet venâ in cruribus apertâ. Sicut & clysteres sæpiùs injicere, aut materiam leniter evacuare utile est.

Et licet coctionis perfectæ signa non adsint, tamen si magis magisque materia in caput reperere videatur, ut malum majus præcaveatur, materia vitiosa evacuanda est. Et alijs quoque modis, frict. onibus, cucurbitulis, vinculis revellenda. Quod etiam faciendum, si à ventriculo, utero, vel alia parte inferiore materia ad caput ascendat; & partium, à quibus vapores elevantur, curatio debito modo instituenda.

Si à nimio vini potu, eoq; adhuc in ventriculo hærente, sit coma, oxymelite in os infuso, & penna oxymelite ac oleo intinctâ in fauces demissâ vomitus excitandus.

Oxyrrhodina, quæ repellendi gratiâ, & ne vapores in caput admittantur, si materia per partes externas fluat, usurpantur, actu calida usurpantur, & futuræ coronali applicentur, ac liberalius acetum ijs admisceatur, ita, ut ad unam partem olei rosacei acetum partes duæ sumantur. Quia tamen vapores, utpote tenuiores, repellentium medicamentorum vim sæpius subterfugiunt, discutientia potius usurpanda, post capitis universalem evacuationem.

Causam somni proximam quod attinet, cum eam frigidam esse hætenus creditum sit, ad eam expugnandam etiam calida exhibenda esse traditum. Verum etsi quædâ calida ad somnum p.n. expugnandum utilia esse certum sit: tamen cum non omnia id præstent, & vis illa narcotica à peculiari proprietate, quæ etiam in minimâ portione maxima est, consistat; ea medicamenta eligenda, quæ peculiari proprietate hypnoticorum vim expugnare observatum est: qualia sunt ruta, nigella, castoreum, acetum & acida. Quod verò Platerus scribit, narcoticorum vires debilitare ea, quæ leniendo temperie quâdam ipsorum caliditatem potius, quam frigiditatem emendant; id commodâ interpretatione indiget. Equidem frigida specificæ facultati narcoticorum non opponuntur: quia tamen occulta illa

.L.F.

qualitas in subjecto tali, quod manifestis quoque qualitatibus præditum est, plerunque hæret, non infrequens est, ut mutato subjecto occulta qualitas suam naturam ex accidenti quasi mutet, & amittat; id quod acetum & acida commodissimè præstant.

Ideoque acetum, & acida, ut succus citri, limonum, ruta, castoreum, & ex his parata exhibenda, atq; alijs medicamentis morbo convenientibus admiscenda; & naribus ad movenda ruta cum aceto, vel balsamum rutæ, castoreum cum aceto, nigella cum aceto. Efficax etiam remedium est in Comate ac cataphora, si acetum acerrimum supra laminam ferream ignitam fundatur, & vapor acetum ab ægro naribus excipiat. Adhuc efficacius erit, si aceto addatur sem. nigell. rutæ, & castoreum. Excitat etiam à somno suffitus ꝑ. Nonnulli theriacam exhibent: sed cum theriaca ob opium vim narcoticam potius augeat, ab ea abstinendum, præcipuè si non planè vetus sit.

Apophlegmatismis, & Errhinis, quæ ad particulares capitis evacuationes adhibentur, & Topicis, quæ ad vapores in capite discutendos usurpantur, addantur etiam ruta, castoreum, acetum. Sternutatoria quoq; adhibere licet. Sicut & alia medicamenta, quæ ad vapores illos discutendos ab antiquis usurpata sunt, eaq; pleraque calida, quæ somnum nimium, & p.n. ab humore frigido semper provenire crediderunt. Verum cum & calidi humores ac vapores somnum talem inducere possint, videndum, an natura morbi ista

Kk

medi-

Narcoticorum vim que infringant.

medicamenta admittat. Si ergò humor pituitosus peccet, exhibeantur diambra, diamofch. cōserva. betonic. & ungetur caput ol. rutac. laurino, costino, de castoreo; vel foveatur decocto serpilli, rutæ, pulegij, calaminthæ, betonic. & alijs, quæ supra, *part. I. cap. 2. & 10.* sunt propofita.

Dieta.

Dieta cauffæ respondeat. Aër fit lucidus. Potus diluatur aceto, & acidis. Cogitationis, & ratiocinationis exercitium in soporosis affectib. quæ πάθη sunt *ναρκῶντα τὸ λογικόν, καὶ τὸ κινητικόν*, utile esse docet Galenus, 6. *Epid. comm. 5. aphor. II.* Ut enim Hippocrates, *ibid.* habet: *ψυχῆς ἀειπατῶ φροντισ ἀνθρώποις*: Animæ quasi deambulatio est cogitatio, & meditatio hominibus. Ideoq; ægris subito jucunda, vel molesta nuncianda sunt. De quo Horatius, *serm. libr. 2. satyr. 3.* de quodam avaro Opimio scribit, *Qui Quondam lethargo grandi est oppressus, ut heres.*

Iam circum loculos, & claves latus o-
vansq;

Curreret: hunc Medicus multum celer,
atq; fidelis

Excitat hoc pacto: Mensam poni jubet,
atq;

Effundi saccos nummorum, accedere
plures

Ad numerandum. Hominem sic erigit:
addit & illud:

Ni tua custodis, avidus jam hoc auferet
heres:

Men' vivo? Ut vivas igitur, vigila:

Et omnino sensib. omnibus objecta vehementiora, & quæ ijs molestiam aliquam exhibent, offerenda. Excitandus æger clamore, sonitu & strepitu; in primis proprio nomine magnâ voce sæpè appelletur: naribus acria, ut ruta, castoreum, acetum, ut modò diximus, objicienda. Ori & palato itidem acria injicienda. Oculi radijs solaribus, & luci splendidæ objiciendi.

Tactus frictionibus, vellicationibus, pilorum evulsionibus, & alijs hujusmodi irritandus.

Historia hujus mali curati habetur apud Forestum, *lib. 10. observ. 33. & 34.*

QUÆSTIO.

Quænam Comatis, & Cata-
phoræ caussa sit?

Caussam Comatis & cataphoræ esse ea, quæ spirituum animalium ad sensuum organa influxum prohibet, jam dictum: quænam autem caussæ id præstent, non ita planum, nec omnes eodem modo hîc sentiunt, ut in *Institut. lib. 2. part. 3. sect. 2. cap. 4.* dictum, ubi de caussa Comatis & cataphoræ egimus. Ut rem breviter hîc complectamur, caussæ Comatis somnolenti non sunt quæ calorem & spiritum ad interiora revocant, ibique detinent, donec instaurati sint: sed quæ prohibent, ne iterum justo tempore, imò etiam externâ vi stimulatî organa sensuum influere possint.

Caussas hujus rei antiqui duas posuerunt, vel intemperiem frigidam & humidam, spiritus animales quasi stupidos reddentem, vel materiam canales, per quos spiritus animales ad organa sen-

Caussa comatis & cataphoræ.

na sensuum influunt, obstruentem; causamq; comatis somnolenti & cataphoræ posuerunt intemperiem frigidam, aut humidam, vel frigidam & humidam, cum, vel sine materiâ: refrigerationemq; & humectationem nunc à causa externa, ut aëre ambiëte, pluvijs, medicamentis & alimentis tali qualitate præditis, præsertim vaporosis provenire, nunc ab internâ, ut humoribus, & vaporibus in corpore. Pleurique tamen statuunt, intemperiem esse cum materia conjunctam, quæ vapor sit (nam si sit humor, jam graviolem affectum, carum scilicet sequi) ab humore sui generis ad caput elevatus. Utrâque enim enumeratam qualitatem vim habere calorem, & spiritus detinendi, cohibendi, & ad motum, actionesque minus idoneos reddendi; (quanquam frigiditas id magis præstet) non tamen solum à refrigeratione & humectatione cerebri coma produci, sed & à repletionem, quæ etiam fiat à copia calidorum & putridorum vaporum exhalantium, vel à toto, ut in febrium, præsertim pituitosarum, accessionibus, & imprimis ijs, quæ propterea κωμωδεις nominantur; vel à parte aliqua, ut ventriculo, intestinis, & vermibus in ijs. Sunt tamen quidam, qui negant, coma produci à materia meatus cerebri angustiores reddente, & obstruente, (hanc enim non coma, sed carum producere) sed solum cerebrum irrorando, & refrigerando. Ideoque soporem illum profundum, qui velicatum capitis graviolem, vel cerebri compressionem in cranij perforatio-

ne minus dextrè instituta, vel muscoli temporalis inflammationem sequitur, potius ad Carum, quam Coma ferendum censent.

Recentiores verò & Galenici, & *Hypnotica Chymici* rem clarius explicare videntur. Nam in hoc quidem cum antiquis consentiunt, quod ea, quæ vim habet spiritus cohibendi, torpidos & ad motus, actionesque animales minus idoneos reddendi, Coma producant; verum quamvis vis id præstet, in eo ab antiquis dissentiunt, neque solum in frigiditate & humiditate acquiescendum esse censent; cum multa sint frigida, quæ somnum non inducunt, contra verò etiam calida, quæ sunt hypnotica. Ideoque etsi non planè negent, frigiditatem cum humiditate ad somnum facere posse: non tamen hanc solum & unicam hujus mali causam esse, & qualitates has somnum aliquem naturalem profundiore paulò, quam illum p. n., de quo hic sermo est, inducere; sed malum hoc à peculiari qualitate *σπονδικῆ* & *νεφρωτικῆ* provenire putant. Et videtur eorum sententia rationi consentanea. Etenim videmus eos, qui vinum fortius, aut spiritum vini immoderatus biberunt, quasi soporiferum medicamentum summissent, profundius dormire. Et, ut, *capit. præced. questio. 1.* demonstravimus, medicamenta, quæ somnum gravem conciliant, non frigiditate, sed peculiari vi hypnoticâ & narcoticâ id præstant; quæ & venena quædam prædita sunt, eaque procul dubio non carent humores,

qui in febribus malignis, & ijs, quæ *κωματώδεις* nominantur, somnū profundum inducunt. Cum n. humores sæpè satis calidi in ijs sint, frigiditate id præstare credibile non est. Et sunt multæ febres, in quibus longè major vaporum, & quidem crassiorum, copia in cerebro est, quæ tamen *κωματώδεις* non sunt. Non tamen planè negaverim, vapores interdum posse tam crassos & copiosos esse, aut in humorem crassum degenerare, aut angustiam aliquam, & obstructionem in meatibus, per quos spiritus animales in organa sensuum influunt, excitare possint: verum tum plerumq; Carus, vel Lethargus sequitur.

CAPUT III.

De Insomniis immoderatis.

Insomnia immoderata. **E**T si in somno profundiore, qui ex copioso e alimenti vapore excitatur, sensus & externi & interni quiescunt; unde statim à cibo, ut sensus externi fortius ligantur, ita etiam somnia rarius obveniunt: tamen in somno, ex moderatis vaporibus obrepente, ctsi sensus externi quiescât; interni tamen sæpè sese exserunt, & phantasia quidem ex parte libera manet, ut ex rebus, quas vigilans gesserit, senserit, cogitaveritque, spectra plurima compareant, quæ cœcu vera intuetur, ijsque fidem adhibet, nesciens se dormire, q̄ operatio in somno. Somnium appellari solet. Ista tamen operatio minus perfecta est, sed; ut in delirantibus phantasia malè coherentia cōjungitur: ita & in somno minimè cohæ-

rentia conjungantur. Unde rectè dicitur, quod somnia sint dormientium deliria, deliria verò vigilantium somnia. Et ad istam inconcinnam & ineptam imaginum coaptationem non parùm faciunt vapores mobiles, spiritusque turbantes; quales cum in febribus sæpè sint satis copiosi, etiam febricitantes in somnijs hujusmodi maximè molestantur, unde etiam proverbium natum: *Per febrem somniare.*

Compertum tamen est, ut Aristoteles, *de historia animal. lib. 4. cap. 10. & Plinius, libr. 10. histor. nat. in fine*, refert, & mulieres, & viros fuisse, qui nunquam quicquam somniaverint, quorum nonnullis in processu ætatis accidit, ut viso somnio mutantur habitu sui corporis, vel in morbum, vel in mortem. Atlantes etiam non somniare fertur. Etsi verò plerumq; insomnia sine hominis incommodo sint, & propterea naturalia habeantur: tamen si immoderata, gravia, & cum terrore sint; cum spiritus exagitent, hominesq; delassent, ut excitati plus defatigationis, quàm refectionis, & refocillationis à somno percipiant, & ita plus incommodi, quàm commodi à somno habeant: de hisce insomniis inter actiones sensus communis læsas agendum. Etsi enim phantasiæ, ac memoriæ propria sint: tamen quia non vigilantibus, ut alia deliria, sed dormientibus accidunt, & cum vigilijs p. n. ferè communes causas habent; de ijs hoc loco dicemus.

Cum autem somnia naturalia nihil aliud sint, quàm visa homini in somno appa-

Somnia naturalia quid sint:

appa-

apparentia, seu operatio imaginatio-
nis circa phantasmata per somnū ob-
lata: insomnia illa, de quib. hęc agen-
dum, sunt ea, quę vel præter consue-
tudinẽ longius, & totam ferè noctem
durant, vel animum ita exercent, spi-
ritusq; exagitant, ut, quamvis omnia
falsa & ficta sint, tamen non minus
hominem moveant, & turbent, ac si
verè acciderint. Unde vel subito ter-
rore perculli homines excitantur, &
sive vigilare non possunt, in somno an-
xietatem summam percipiunt, cor-
pus variè jactant, præ angore sudant,
ut excitati ita lassifint, ac si maximos
labores sustinuisent.

Causse.

Et si verò & à Deo, & à Dæmone,
qui, permittente Deo, falsis spectris,
et amper somnum, homines terret,
talia somnia immitti extra dubiū sit;
atq; illud etiam sit certum, ab actioni-
bus diurnis, quas memoria per so-
mnum suggerit, somnia multa excita-
ri, de quibus Claudianus:

*Omnia, que sensu voluntur vota di-
urno;*

*Tempore nocturno reddit amica
quies:*

tamen illa non sunt ea, quę Medico
consideranda veniunt; sed illa, cum à
caussa interna homo gravioribus, &
immoderatis somnijs vexatur. Unde
nec hęc pertinent insomnia illa gra-
via, quę à incertore, timore, sollicitu-
dine, & similib. causis ortum habent,
illisq; sublatis cessant.

Causse autem illę sunt vapores im-
puri, tetri, melancholici, à cibis vel

humorib. ejusdem naturę copiosius
exhalantes, spiritusq; animales inqui-
nantes, & exagitantes, vel intemperies
cerebri, vapores ab inferioribus ad-
scendentes, & spiritus in cerebro agi-
tantes.

Primò enim cibi, & assumta quę-
dam terribilia somnia faciunt, ut fa-
bæ, lentescens, lolium, phascoli, brassica,
pastinaca, seruca, allium, simlacis se-
mina. Pertinet hęc & vinum, quod se-
pè copiosius sumtum somnū inquietum,
& somnia gravia facit; ut & nar-
cotica pleraq; Vide Prosper. Alpinū,
de med. Egypt. libr. 4. capit. 2. ubi refert,
Ægyptios certò affirmare, si affium,
vel alis, vel bosa, vel bernavi, vel bers
(descriptio horum medicamentorum
narcoticorū allegato loco habetur)
assumant, se in somno multa & varia,
quibus delectantur, objecta, ut viri-
daria, & hortos, puellas, & milites, bel-
la videre: quod procul dubio accidit,
vapore medicamentorum illorū nar-
coticorum ad cerebrum delato, spi-
ritusq; turbante, ac phantasmata var-
ria objiciente, accedente inprimis
forti desiderio cum imaginatione hu-
jusmodi res in somno videndi.

Secundò humores pravi, corrupti,
melancholici. Hinc ij, quib. cibo ven-
triculus nimium repletur, vel quibus
cibus in ventriculo corrumpitur, ut
inde multi vapores ad caput ascen-
dant, inquietè dormiunt. Accidit hoc
sæpissimè infantibus, qui, cum lac co-
piosius, quàm par est, sugunt, id ipsis in
ventriculo corrumpitur; unde vapo-
res pravi & acres ad caput elewantur,
spiritibusq; permisti eos turbāt, unde

vel excitantur, & nimis vigilant, vel gravibus insomnijs terrentur. Quandoque etiam ex toto corpore & venis vapores tales ad caput copiosius attolluntur; id quod sæpè accidit in febribus, unde proverbium ortum: *Per febrem somniare*, quod scilicet plura absurda febricitantibus in somno, quam sanis occurrant. Idèq; hominibus magis in supino decubitu accidit; cum in eo vasa magna in dorso incallescant, & vapores copiosos ad caput mittant. Nonnunquam ex parte aliqua privata tales vapores elevantur; quod ex liene & hypochondrijs fit frequenter in melancholicis, nonnunquam ex utero.

Tertiò si cerebrum sit calidum, vapores ascendentes, & ipsos spiritus animales turbant. Unde homo vel vigilijs p. n. vel insomnijs gravibus vexatur.

Signa Diagnostica.

Signa diagnostica.

Ipsi homines hac dere, & de somniorum gravitate conqueruntur, & à somno lassitudinem percipiunt. In infantibus ex eo id cognoscitur, quod inter dormiendum gemunt & concutiuntur, excitati clamant & plorant, nec placari possunt, foetidus odor sæpè ex ore exhalat, calor percipitur in ijs.

Causæ etiam suis signis facillè cognoscuntur. Si è ciborum, vel copia, vel qualitate malum proveniat, id ex diæta, & cibis, quibus æger usus est, cognoscitur. Humores seu in toto, seu in parte aliqua abundantes etiam suis signis deprehenduntur. Cerebrum nimis calidum ex signis supra, *part. I. cap. I.* propositis innotescit.

Prognostica.

1. Ut jucunda & læta somnia hominis sanum, & bonum statum indicant: *Prognostica.* ita tristitia & horrenda plerumq; morbi imminentis sunt indicia, & melancholicam constitutionem significant.

2. Somnia gravia & terribilia corpus debilitant.

Indicationes & Curatio.

Si æger cibis, vel flatulētis, vel pravis usus est, pro ijs melioris succi substituentur. Si nimia copia sint ingesti, cœna parca & sobria vitium hoc emendat; in primis si æger non statim à cœnâ se cubitum conferat. *Curatio insomniorum gravium.*

Humores, vel in toto, vel in parte aliqua abundantes, & vapores, qui spiritus turbant, suppeditantes, evacuandi, vel venæ sectione, vel purgatione; & dispositio vitiosa corporis, quæ humores illos generat, emendanda, de quo *sup. part. I. c. 5. & seqq.* dictum.

Post cœnam etiam exhibenda ea, quæ vaporum ad caput ascensum prohibent, quæ etiam supra, *part. I. cap. 6.* sunt proposita.

Calida evaporatio à cibo vel potu, vino præsertim, ascendens, insomniorum causa, frigidâ in fine cœnæ, vel aceti potu supprimenda. Unde nonnulli, si dormituri haustum aquæ frigidæ sumant, præsertim post vini usum, suavius dormiant. Vitandus quoq; decubitus supinus.

Si ab intemperie cerebri calida sit malum, alteranda ea, & curanda, ut supra, *part. I. cap. I.* dictum.

Simul ea usurpanda, quæ tetros illos vapores, spiritus turbantes, discutiant.

tiant. Melissa in cœna comesta contra molesta infomnia commendatur; ut & rad. bugloss. pulverisata cum aq. fl. tilia. Laudatur etiam oleum anisi, si ejus gutta una atq; altera linguæ, vel naribus illinatur; modò malum non sit ab intemperie cerebri calida.

Pulvis, qui somnia horribilia arceat, & somnum inducit.

R. Smaragd.

hyacinth.

margarit.

corall. an. q. l. F. Pulvis.

Sub noctem detur Scrup. j.

Si in infante malum proveniat à lactis in ventriculo corruptione, videndum, an lac à nutrice non bonum suppedietur; ideoq; vel nutrix mutanda, vel danda opera, ut lac corrigatur. Si copiosius sumserit infans lac, parcius præbendum. Si ob ventriculi debilitatem corrumpatur, extrà oleo absinth. menthæ, mastichino ventriculus inungendus, vel emplastrum aliquod stomachiale imponendum. Lac verò corruptum è ventriculo abstergendum melle, vel simplicis, vel rosarum solutivo.

CAP. IV.

De Vertigine, & primò in genere.

Nomen.

Vertigo.

VERTIGO affectus est à symptomate sic denominatus. Qui enim hoc malo corripitur, ijs omnia in gyrum circumagi videntur. Diciturq; Latinis Vertigo, Græcis δῖν, ὠστὲ δινεῖσθαι,

ἰλιγῖσθαι item, & ἰλιγῖσθαι, σκότωμα, σκοπέδιον, σκοπεδινία, σκοτωμαλινὸν πάθος quib. nominibus non species distinctæ, sed mali ejusdem diversi gradus significantur, ac discernuntur. Nam cum solum circumagi corpus, vel exteriora videntur, δῖν, & ἰλιγῖσθαι vocatur: quando verò simul oculi, veluti offusâ caligine, obscurantur, σκότωμα & σκοπέδιον, seu vertigo tenebrosa appellatur, quæ sæpè ita ingravescit, ut eger protinus concidat, nisi præhensis proximis adminiculis sese fulciat, ac sustentet. Barbari verò Scotomiam appellant, & hoc nomine etiam in genere Vertiginem intelligunt; sed minus rectè. Neq; enim omnib. qui Vertigine laborant, tenebræ (quod σκοτωματὸν vox propriè innuit) offunduntur; etsi omnes, qui σκότωμα patiuntur, etiam vertigine laborent. Nonnulli tamen inter σκότωμα & σκοπέδιον distinguunt, & σκότωμα adhuc lenius malum, quàm sit σκοπέδιον, esse volunt, ita ut σκότωμα sit, cum sine circumactione, aut illâ sanè levi, tenebræ offundi videntur, aut solum fumi, nubes, muscæ, volitare ob oculos putantur; ut ita σκότωμα sit σκοπέδιον incipiens.

Aliud verò à Scotomate malum est ὑπόχυμα improprie sic dictum, quando è ventriculo fumis ad caput adscendentibus, aut per ardentium febrium vigorem, aut phrenitidè, fumis è calido humore elatis, & spiritui optico permistis, pupilla nonnihil occluditur, visusq; obtenebratur, quod etiam instante crisi per hæmorrhagiam narium fieri consuevit. Illud enim

Enim omne absque circumgyrationis phantasiâ accidit.

Definitio.

In vertigine qua actiones animales ledantur. Et si verò certum sit, animalis functionis læsionem in vertigine accidere: tamen quæ actio lædatur, non ita planum est. Alij enim visum, alij sensum communem, alij imaginationem, alij motum, & sensum depravari existimant. Verùm cum ista controversia in *Instit. lib. 2. part. 3. sect. 1. cap. 9.* explicata sit, breviter hic omnia complectimur, statuiimusq; principaliter, & semper imaginationem, & sensum communem in vertigine lædi. A visu quidem plerumq; huic malo occasio primùm præbetur, & tum sensus communis, & hinc phantasia etiam afficitur: attamen & oculis clausis à motu vertigo excitatur, imò ebrijs idem accidit. Et vertigine nonnunquam homo corripitur, etsi nulla vel à visu, vel à motu, aut certè levis occasio præbeatur. Et præcipua læsio est phantasiæ, ac Vertiginosæ, quæ quiescunt, in orbem circumgyrari existimant, idque in omni vertigine accidit, sive occasio per visum præbeatur, sive absq; tali occasione ab interna causâ excitetur. Neq; tamẽ hinc sequitur, quod vertigo sit delirium, de quo cum Altimaro disputat *Massarias, cap. de vertigine*; cum non quælibet functionum principum depravatio delirium sit, sed solum, quæ in compositione aberrat, non verò, quæ in apprehensione simplicij; id quod hic accidit, cum objectum quietum pro moto apprehenditur.

Et quidem si à visu occasio Vertigini præbeatur: & sensus communis ac phantasia afficitur, & uterque rem, quæ quiescit, quasi motu agitata apprehendit. Cum n. spiritus animalis objecta sensuum recipiat, & ad sensum communem ac phantasia deferat, si ille p. n. moveatur, objecta quoq; moveri videntur. Habetq; se res, ut in alijs rebus visibilibus. Etenim ut, si rei albæ species per vitrum flavum, aut rubeum in oculum admittatur, res rubra, vel flava apparet: ita etiam res quiescentes moveri videntur, si spiritus animales non rectè in oculos, sed circulariter agitati, influant. Si verò ab internâ tantum causâ excitetur Vertigo, & oculi sint clausi, solum imago afficitur, non verò simul sensus communis, ut potè qui non agit, nisi ab externo sensu motus, & exteriorum sensuum objecta medijs sensibus exterioribus percipit. Secundariò postea motus, & visus sæpè læduntur. Cum enim à phantasia gressus animalis regatur, accidit, ut læsa imaginatione consequenter lædatur motus, & egri concidant: aut quia spiritus animales in anteriore cerebri parte p. n. moti etiam eos, qui ad organa motus influunt, turbant, ac, ut inordinatè moveantur, efficiunt, unde fit, ut, spiritibus animalibus non, ut par est, in organa motus influentibus, ægri collabatur; aut, ut alijs placet, cum omnia circumagi videantur, non habent, ubi gressum figant ægri.

Et quia spirituum hoc vitium oculis quoq; communicatur, tenebræ simul oculis oboriuntur. Utrumq; ta-

men etiam evenire potest, ut & aliorum sensuum læsio, quod spiritus animales in organa sensus ac motus non influant. Etenim cum spiritus animales rectâ lineâ in nervos influant, si hi circulariter moveantur, nervos præterlabuntur; sicut aqua, quæ in vase aliquo circulariter movetur, è vase non effluit, et si illud perforatum sit.

Sed & auditus non nihil depravatur interdum, ut levis fluctuatio obaudiatur, spiritu illo statulento, spiritus animales turbante, etiam ad nervum *285109* pertingente.

In nonnullis etiam olfactus, in alijs gustus læditur, teste Ægineta, *libr. 3. cap. 12.*

Ratiocinatio autem, & memoria salva est: cum Vertiginosi in ipso paroxysmo agnoscant, se errare, & post paroxysmum omnium recordentur.

Quandoq; tamen etiam sine Vertigine oculi obtenebrantur, & varia corpuscula, ac colores ijs falsò offeruntur; & in auribus sibilus, & motus quidam percipitur, si agitatio, & circumgyratio ea spirituum in cerebro non fiat, sed sola vaporum cum illis permistio. Quæ symptomata cum veram vertiginem præcedere soleant, ut docet Aëtius, *tetrab. 2. ferm. 2. in princip. cap. 7.* Rhases, *cap. 3.* sub nomine Vertiginis hunc affectum comprehendit, eundemque describit Avicenas *prima tert. tr. 5.*

Locus affectus in vertigine.

Locus affectus est cerebrum, & quidem quatenus pars organica, & spiritus animales continet, ac quibusdam meatibus, in quibus illi moventur, est præditum; & quidem se-

L. I.

cundum partem potissimum anteriorem, quæ organis sensuum externorum propior est: quanquam & reliquis postea communicetur, quod ex motu depravato colligitur.

Causam hujus mali proximam quod attinet, etsi de ea alijs aliter sentiunt: tamen si non solum perpendamus, quod vertiginosi omnia in gyrum circumagi imaginantur, sed & quod ex corporis circumgyratione Vertigo sanis quoque oboritur, facillè colligere est, immediatam, & proximam causam esse inordinatam, & quidem circularem spirituum animalium motum, quem alijs undosum appellant, quod tale quid in spiritibus in cerebro fiat, quale in vorticibus aquarum. Cum enim visio fiat speciebus non solum colorum, sed & reliquorum sensibilium, ut quietis, motus, & hujusmodi alijs per oculos receptis, atq; à spiritu animali ad sensum communem, & phantasiam deductis; si spiritus illi, qui species oculo receptas ad sensum communem, & imaginationem deferunt, p. n. & circulariter moveantur, motus ille speciei imprimatur, non aliter, ut antea etiam dictum, ac dum res alba per vitrum coloratum adspicitur, atq; ita res quiescens moveri putatur. Omne enim, quod recipitur, per modum recipientis recipitur.

Causa proxima vertiginis.

Atque ita Vertigo est imaginatio- nis, ac sensus communis læsio, ac depravatio talis, ut omnia in gyrum circumagi videantur, à circulari spirituum animalium motu in cerebro ortum habens. Nonnunquam ta-

L I

men,

men, ut dictum, etiam sensus externi simul afficiuntur.

Causse.

Causse

vertiginis.

Inordinatus autem ille, & circularis spirituum animalium motus, quem modò Vertiginis causam proximam & continentem esse diximus, non ab una causâ proficiscitur; unde accidit, ut alij aliter de causis vertiginis sentiant. Commodissimè a. causæ hæc ita dividi possunt: Causæ circularis, & inordinati spirituum animalium motus, sunt vel internæ, vel externæ. Internæ, vel in capite hærent, & vertiginem per essentiam pariunt, vel aliunde adveniunt; & vertiginem per consensum pariunt; qui sit vel ratione totius, vel partis alicujus, ut ventriculi, intestinorum, epatis, lienis, uteri.

Primò nimirum, & plerumq; illam circumgyrationem parit *κίνησις ἀπαισι* & *Φυσώδες πνεύματι*, inordinata motio spiritus flatuosi per venas, & potissimum per arterias, in cerebrum effusi. Πνεύμα enim hoc *ἀτμώδες* & *Φυσώδες* cum *ἀτάκτως* in cerebro movetur, spiritus animales quoq; agit, & impedit, ut in illis angustijs. occlusi in sese motu circulari convertantur, & phantasiæ falsam hanc rerum externarū, vel propriæ etiam corporis, speciem exhibeant. Atq; hinc, qui imbecillo sunt capite, & qui flatib. abundât, facilè vertigine tentantur, etiam ob externam aliquam levem causam; & propterea Vertigo malum est senibus familiare, ob spiritum vaporosum, ex imbecillitate caloris naturalis, & pituitæ copiam redundantem, motuq;

inordinato impulsum; *3. aph. ult.* Chymici quidam vapores hos resinosos, ac sulphureos esse statuunt, non salinos, qui dolores capitis, vigilias, epilepsiam, & deliria excitant, ac proinde citra acrimoniam esse, & nullos dolores inferre, sed saltem spiritus turbare, ijsque tenebras offundere. Verùm vapores omnis generis causæ vertiginis esse possunt, modò ita sint dispositi, ut spiritus animales in gyrum agere valeant.

Initium autem motionis sumit *πνεύμα Φυσώδες*, vel extrinsecus à levibus aliqua occasione, vel intus à seipso, ut est vaporis, & spiritus omnis naturæ fluxa, ac mobilis, præsertim calidi ac tenuis. Hinc accidit, ut, qui in arterijs cerebri spiritus fervidiores habent, facilè per se, vel etiam levibus accedente occasione, vertigine corripiantur, quæ diu multumq; & facili de causa, sæpè etiam cum dolore capitis hominem infestat, ut & aurium tinnitu, & arteriarum in capite, & auribus præcipuè, pulsu, ac vix, nisi arteriarum aperiitione, curatur.

Hinc causæ antecedentes sunt omnes humores, è quibus vapor suscitari potest, sanguis nimirum, bilis, pituita, melancholia, & humor serosus; cum tã calidus, quàm frigidus vapor vertiginem excitare possit, ut docet Galenus, *3. de loc. affect. c. 8.* & *3. aph. 23.*

Causæ istæ, & humores, vel in cerebro hærent, & calefacti, vel agitati vertiginem per essentiam generant, vel extra cerebrum geniti aliunde eâ communicantur, ac vertiginem per *συμπάθειαν* excitât: quòd pertinet & E-

bria-

brietas, quæ corpus vaporibus replet; unde ebrii non rarò vertigine corripiuntur, & ebrioli vertigini sunt obnoxij.

Causæ verò *προκαταρχή* sunt omnes aëris in qualitatibus excessus; præcipuè austrina constitutio, teste Hippocrate, 3. *aphor.* 17. æltus & morâ sub Sole, & quæcunque alia foris incidencia subitò humores fundere, agitare, & in vaporem dissolvere possunt; ut immoderata corporis exercitatio, præsertim à repletiōe, balneum, ira, & aliæ animi perturbationes, Venus nimia, inedia in ijs, qui cam ferre non possunt, ob bilem in ventriculo, qui ab Hippocrate *πικρόχολοι* εἶναι dicuntur; corporis item in gyrum conversio, vel rerum externarum circumrotatarum aspectus, aut velox motus, vel aquarum vorticifarum aspectus, prospectus ab alto, aspectus rerum lucidarum, & Solis inprimis, sonus vehemens, ut tonitru, & bombardarum, percussio capitis & dorsi. Quorum quædam cum tam potentia sint, ut in sonis etiam vertiginem excitare possint, multò magis in ægris, & ijs, quibus caput ab internis causis malè dispositum est, præstare valent. Inducit & vertiginem nonnunquam purgatio. Nam à medicamento purgante humores vitiosi, si adsint, agitantur; & qui sani purgantur, vertigine corripifolent, teste Galeno, 2. *aphor.* 22. & in *libell. quos purgare oporteat.* Vapores enim ex colliquatione humorum etiam bonorum excitati, spiritus animales in cerebro motu inordinato turbare possunt.

II. Eandem spirituum circumgyrationem producit vasorum, & meatuum cerebri angustia. Nam si spiritus animales per loca impedita moveantur, retrocedunt, ex quâ retrocessione fit motus circularis.

III. Spirituum illam circumgyrationem excitant omnia illa, quæ spiritus, etiam sine vaporis admittione, agitare, movere, ac perturbare possunt. A causis tamen his facilius excitatur vertigo, si cerebrum sit debile, quod spiritus animales continere, & ut par est, ac fieri assolet, distribuere non potest, sed causarum violentiæ faciliè cedit.

Differentiæ.

Est quidem aliqua Vertiginis secundum gradus differentia, ut ex ijs, & *differentiæ* quæ antea dicta sunt, patet, quod nunc *περὶ τὴν* seu circumgyrationis species offertur, sine visus obtenebratione; nunc visus simul quasi caligine offusus à hebetatur; nunc malum adeò invalescit, ut spiritus animalis in organa sensus, ac motus voluntarij distributio impediatur, atque ita homo concidat. Maximi verò momenti est illa differentia, quæ à causarum modò enumeratarum varietate sumitur, quod scilicet vertigo generatur 1. à vapore spiritus animales turbante, qui quidem, si in ipso cerebro generetur. Vertiginem per primarium cerebri affectum constituit; si verò aliunde in cerebrum elevetur, per *συμπάθειαν*; quæ rursus varia est, pro locorum, quæ vaporem illum subministrant, varietate. 2. à vasorum & meatuum

cerebri angustia, quæ fit ab eorum compressione, obstructione, coalitu. 3. à spirituum, sine vaporum permissione, à causis evidentibus, & externis, agitatione. Quæ differentia cum ob curationem attendenda sint, de singulis in specie agemus: prius tamen de vertiginis signis diagnosticis, prognosticis, & curatione in genere dicemus.

Signa Diagnostica.

Vertiginis signa.

Sicuti omnia in gyrum circumagi videtur, quæ reverà quiescunt, aut homo ipse circumrotari videtur, is vertigine laborat: quod tamen pluribus modis accidit. Alijs enim hoc solum contingit; alijs præterea & visus obscuratur; nonnullis sibilus quidam, vel tintitus in auribus percipitur; quidam, nisi proxima adminicula præhendant, planè concidunt. Non tamen ulli, qui vertigine saltem laborant, voce & sensibus privantur, neque convulsione tentantur: quæ ratione ab apoplexia & epilepsia vertigo differt.

Prognostica.

Prognostica.

1. Vertigo, quæ citra externam & evidentem causam non accidit, levior est, quam quæ etiam sine evidente causa invadit.

2. Vertigo, præcipuè gravior & diuturnior est affectio epilepsia & apoplexia proxima, & ad has quasi via, teste Galeno, 2. *aphor.* 17. & 23. Si enim causa illa augetur, tandem gravissima ipsa symptomata accersit.

3. Vertigo in senibus magis periculosa; quia ipsorum cerebrum debi-

le est, & calor in eo paucus, pituita verò abundans. Et si frequentius senibus malum accidat, præsertim cum magna sensuum perturbatione, apoplexiam tandem affert.

4. Periculosior est Vertigo, in qua caput, vel corpus circumagi videtur, quàm in quâ saltem externa, & in qua fit vehemens visus læsio, ob causam vehementiam. Et si Vertigo ad eò invalescat, ut homo concidat, apoplexiæ & epilepsia prænuccia est.

5. Vertigo à calidis humoribus citius solvitur, quàm à frigidis.

6. Quibus in Vertigine viridis aut purpureus color obversatur, ad epilepsiam; quibus ater, ad apoplexiam; quibus rubeus, ad maniam magis proni censentur.

Indicationes.

Cum vertigo fiat ab inordinato, & *Indicatio* circulari spirituum animalium motu, *nes.* danda opera in paroxysmo, ut spirituum animalium motus ille sedetur, & causæ, quæ spiritus agitarunt, si adhuc præsentis sint, tollantur. Extra verò paroxysmum ad præcavendum, ne malum recurat, singulæ causæ, prout natura earum id requirit, & postulat, tollendæ. Diæta quoque pro varietate causarum idonea instituenda, ac vitanda omnia, quæ caput replent.

Cura in Paroxysmo.

Itaque ut in Paroxysmo inordinatus spirituum animalium motus sedetur, æger ad quietem componatur: & si ab inferioribus humores & vapores *Cura vertiginis in paroxysmo.* ad ca-

ad caput tendant, revulsiones, ac diversiones instituendæ, & proinde inferiores partes ligandæ, & fricandæ, quod in plantis pedum sale & aceto fieri potest, donec, si fieri possit, somnus superveniat; facies vino adspargenda. Si insignis sit Vertigo, non solum frictiones instituendæ, sed & glândes, ac clysteres indendi. Hinc odoramentis utendum, causæ tamen adhibita distinctione. In calidâ ex aceto cum aq. rosar. in frigidâ fiant odorameta ex aceto cum moscho, ambra, spec. diamb. sem. nigellæ. Narium foramina inungantur oleo destillato nucis moschata, aut majoranæ, aut galbani. Tempora & manuum carpi fortiter fricentur aquâ, & aceto rosaceo, additâ pauculâ aquâ cinamom. ori indatur momentum salis, aut cinanomum, & macis masticanda dentur. Si ex fame sit Vertigo, quod in picrocholis fieri solet, mica panis in succo cydonior. granator. vel vino austero intincta exhibenda. Marcellus, de medic. cap. 3. scribit, Vertiginem cito tolli, si betæ nigra succo temporâ illinantur: item si abrotanum. tritum in vino tepido bibatur, vel cum oxymelite non acri exhibeatur: vel applicetur fronti serpillum, aut aqua ejus; temporibus æ cervici affricetur aqua rosæ marini.

Interdum tam vehemens est vertigo, & tam diu durat, ut apoplexia & epilepsia metuenda sit. Ideoq; tum, ægro reclinato, & clystere præmissõ, venam aperire, aut cucurbitulas cum scarificatione applicare, & palatum

theriacâ vel Mithridatio inungere opus est.

Et si verò de venæ sectione in tempore paroxysmi instituendâ in vertigine controversa sit, atque eandem nonnulli dissuadeant, metuantq; ne vires, quæ tum debiliores sunt, magis debilitentur: tamen si diuturna, & vehemens sit vertigo, & ea sit ægri constitutio, ut omnino, si apoplexia illam invadat, venæ sectio instituenda sit; hæc verò apoplexiæ periculum imminet: causa nulla est, cur non admitti debeat venæ sectio, si adsint Indiciantia, quæ eam postulent.

Nonnulli, si vertigo per cõsensum à partib. inferioribus fiat, intercipientia quoque usurpant, & medicamenta siccantia, atq; adstringentia venis, atque arterijs jugularibus apponunt.

Quæ verò extra paroxysmum instituitur curatio, tota ad præservationem, ne malum recurrat, dirigenda: quæ cum varia sit pro causarum varietate, de ea postea in specie dicitur.

Hoc saltem hic addo, ad præservationem commẽdari semen carvi maceratum in vino, & postea siccatum, si quotidie sub horam decubitus cochlear dimidium diu masticetur, tandemque deglutiat, idque per dies aliquot continuetur.

Dieta.

In diætæ conferunt, quæ humorum & spirituum inordinatum motum sistunt, & nullo modo motui isti causam præbent. Aër sit temperatus, non admodum lucidus, tempore paroxysmi:

xyfmi feigiendus craffus, humidus, nebulofus, qui vertiginem excitat, ut eft apud Hippocratem, 3. *aphor.* 17. Caveat æger ventos, vitet quoque radios Solis & Lunæ; cibus fit cauffæ vertiginis adverfus: nocent omnia alimenta difficilis coctionis, & pravi fucci, ac quæ vapores, & fumos multos ad caput mittunt, ut fabæ, pifa, & alia legumina, lac, pisces vifcofi, conchyliæ omnia, caftanæ, avellanæ, nuces rancidæ, allium, porrum, cepe, raphanus, & omnia hujufmodi fuprà, *part. I. c. I.* propofita. Vitet æger etiam ciborum varietatem, & nimiam repletionem. Potus non fit vaporofus; ideoque vinum non bibendum, nifi ventriculus fit imbecillis ex frigiditate, aut vires in toto corpore deficient: vel parcè bibatur, & tenuius, non vinofum.

Cerevifia non multo lupulo fit cõdita, quæ caput replet. Post cibum fumenda, quæ os ventriculi claudunt, & adcenfum vaporum ad caput impediunt, ut coftandr. præpar. cum nuce moſchata, cydonia condita, vel diacydonium. Nonnulli cryftallum appenſum vertiginofis prodeffe cenſent, atque ex poculo inde parato bibere, vel potui cryftallum imponere jubent.

Motus, qui fit ventriculo vacuo, moderatus non eft incommodus, modò non fiat capite, vel dorſo inclinato vice exercitij ſint frictiones, quæ à ſupernis partibus ceptæ deſcunt in inferiores.

✓ A cibo non ſtatim dormiendum. Virandus adſpectus rerum, quæ cir-

cumrotantur, & in gyrum aguntur, vel celeriter moventur, ut rotæ, & impetuofa flumina. Æger ex alto non deſpiciat, turbam etiam hominum, qui hinc inde ambulant, & moventur, vitet. A Venere abſtinentium, niſi à menſibus ſuppreſſis, vel ſemine retento fiat vertigo. Cavenda animi perturbationes nimix, ira, mœſtitia, alvus fit aperta, & niſi ſingulis dieb. officium faciat, arte irriteretur.

Secundò.

De Vertigine in ſpecie,

Et primò

De Vertigine per eſſentiam.

Cauſſæ.

Si in capite flatus ille, vel vapor generetur, fit vertigo *κατ' ἰδιότητα*, ea-
que ab omnibus cauſſis, quæ flatus, & flatuum materiam in capite generare poſſunt, quales ſunt ſanguis ſpirituofus & fervidus, ac alij humores, è quib. flatus, & ſpiritus ejuſmodi elevantur in capite cumulati: plerumq; verò ijs accidit, quibus conſuetæ cerebri evacuationes ſupprimuntur; idque Gale-
nus exemplo oſtendit eorum, qui, cum ſoliti eſſent purgari per aures ab excrementis cerebri, evacuatione illâ ſuppreſſâ facti ſunt vertiginofi, & auribus recluſis, exituq; iterum patefacto à vertigine liberati ſunt, *comm. 2. in 6. epid. text. 29.*

Vertigo à flatu.

Carolus Piſo, in *libr. de morb. ex colly. ſeroſa* in Vertigine animale ſpiritum

ritum tumultuari, ac inoveri scribit à servente sero in capite; & ad suam sententiam probandam affert locum Hippocratis, 2. de morb. ubi hæc habetur: *Aqua si in cerebro oborta fuerit, dolor acutus synciput, & tempora, interdumq; aliâ capitis parte desinet, subindeq; rigor, ac febris, oculorum regiones dolor occupat, ijq; caligant, pupilla scinditur, ac, si surrexit, ipsum Vertigo tenebriosa prehendit, &c.* Neque hic de hydrophobia, quæ Mercati sententia est, sed de hemicrania Vertiginosâ agere Hippocratem statuit. Quod ut sapissimè verum esse existimo: ita nihil ob stare puto, quin & ex alijs humorib; ejusmodi vapores elevari possint: sicut & vapores ex inferioribus ascendentes, ac vertiginem excitantes non omnes à serosis, sed & ab alijs humoribus proveniunt.

Signa Diagnostica.

signa vertiginis fluctuantia. Per affectum primarium, & à spiritu flatulento in ipso cerebro genito Vertiginem producti, cognoscitur ex præcedente capitis dolore, & gravitate, exaurium tinnitu diuturno, ac sensuum exteriorum quadam lætione; in nulla verò alia corporis parte aliquid mali, quod vertigini causam præbere possit,prehenditur. Malum ipsum frequens est, vel continuû; nec citò discutitur; & ex levi causâ atque *ἀφορμῆ* homo vertigine corripitur, & præcipuè cum imaginatio nem in aliquid intendit. Vide Galenum, 3. de loc. affect. cap. 8. Et quidem si vapor ille (quod plerumque fit, imò à nonnullis semper fieri creditur) sit calidus, & à sanguine fervidiore or-

tum habeat, cognoscitur id ex temperamento corporis calido, ex tumore & pulsatione arteriarum in capite, ex rubore, & colore faciei, & signis alijs, part. 1. cap. 8. supra propositis. Alij etiam humores, qui flatibus & vaporibus præbent materiam, in capite abundantes, signis, *ibid. cap. sequ.* propositis cognoscuntur.

Prognostica.

1. Periculosior est Vertigo, quæ fit *Prognostica per idiomata dicitur*, quàm quæ per *συμπτώστικα* dicitur.

2. Si vertigo hæc aded invaleseat, ut homo concidat, apoplexiæ prægnantia esse solet, ut antea dictum.

Indicationes.

Quid in paroxysmo agendum sit, *Curatio vertiginis* antea in genere dictum. Extra paroxysmum verò primò materia illa, è *à flatu.* qua vapores illi generantur, convenienti modo tollenda, & evacuanda: deinde vapores discutendi: tandem illic cerebri morbus, ob quem materia, & vapores illi generantur, tollendus, & cerebrum roborandum.

Auxilia.

Itaq; si sanguis sive in toto, sive in capite abundet, vena aperiatur, & sanguis per intervalla educatur, capite reclinato; cum vertiginosi faciliè ex qualibet occasione vertigine corripantur, & concidant. Aperiatur autem, si sanguis in toto simul abundat, primò basilica, vel communis, hinc cephalica; si verò in capite præcipuè, statim.

statim cephalica. Et omnino in venæ sectione, si causa mali sit sanguis nimis spirituosus, aut flatuosus, curationis maxima spes est sita; cum sanguis arteriarum & venarum in cerebri sinibus confundatur, atq; ita venâ aperta sanguis spirituosus evacuari possit.

Post cephalicam Rhases, & Avicēnas venas post aures incidunt. Non incommodè quòq; vena in fronte aperiri potest. Galenus, 3. de loc. affect. c. 8. & 6. de tuēd. sanit. c. 9. arterias quoq; aperit, si scil. vasa illa multo sanguine calido turgeant, & malum vehemens sit. Verùm quid de arteriarum sectione statuendum sit, suprâ, part. I. cap. 6. quæst. 2. dictum: hoc saltem hîc repetimus, experientiam non rarè docuisse, post varia remedia frustra adhibita arteriarum apertionem tandem profuisse, ubi scil. in spirituosò sanguine in arterijs causa mali hæret. Resigitur diligenter exploranda, & si certissimum, sanguinem in arterijs causam mali esse, sectio arteriarum nonnunquam necessariò instituenda. Præcavetur autem omne periculum, si tota arteria transversim incidatur. Revulsis enim utriusque partibus dissectis, ad sibi continuas vulnus facilius coalescit. Quod tamen suprâ etiam monuimus, diligenter hîc perpèdendum, quænam arteriæ vapores, & humores ad caput deferant. Deraso nimirum capite, ubi opus est, arteriæ tum quæ retrò, tum quæ secundum utramque aurem sunt, præterea in frõte, & temporibus, curiosè tangendæ sunt, quarum quæ calidiores alijs

apparent, & majorem pulsum exhibent, incidendæ sunt.

Si enim in arterijs internis spiritus ille flatulentus contineatur, (id quod ex eo cognoscitur, quod abest tensio & pulsatio vasorum externorum; ad est verò colli dolor fortis, non tamen ex nervis affectis: nec vertigo remittitur per compressionem vasorum externorum, sive per fascias, sive per laminam plûbeam, sive digitis factam, neque per compressionem adstringentium) frustrâ externæ secantur. Atque in eo casu Rhases jubet cucurbitulas scapulis apponere, quæ sint quasi vicariæ sectionis vasorum internorum latentium. Vide Galenum, 13. meth. cap. ult. Scarificationes etiam loco venæ sectionis, vel post illam, ad derivationem faciendam, in scapulis, & collo cucurbitulis applicatis profunt.

Si verò alij humores abundant, purgatio conveniens secundum singulas humorum species instituenda; quod quomodo fieri debeat, suprâ, part. I. propositum. Et imprimis in humore pituitoso utile est electuarium suprâ, part. I. cap. 10. propositum, quod nonnulli Theriacam Hippocratis nominant: de quo hoc notandum: nonnullos pro absinthio, marrubio, stœchade, siccis, eorum succum sumere.

Medicamentis sup à enumeratis pilulas istas addere libet:

R. Agaric. el. Unc. ℥.
myrobal. chebul.
cubebæ. an. Drach. ij.
rad. asari,

sem.

*Sem. pæon.**ligni aloës,**zingiber. an. Scr. ℞.**maſtich.**cardamom.**ſpicanard. an. gr. xv.**trochiſcor. alhandal. Drach. ℞.**gr. xv.**extract. hellebor. nigr.**pæon. an. gr. v.**ol. majoran.**ruta,**caryophyllor. an. gut. j.**aloës roſat. Unc. j. ℞.**Cum benediſt. laxativ.*

F. Pilulæ, quarum Scrup. ij. vel
Drach. j. bis in menſe, vel ſingulis ſe-
ptimanis ſumatur.

*Aliz. ℞. Pil. cochiar. Scr. ij.**extr. ſolutiv. Scr. ℞.**pulv. cubebæ. gr. ij.**Cum aq. ſalv.**F. Pil. num. xxj.*

Vel hoc Decoctum propinetur:

*℞. Rhabarb. elect. Scrup. ij.**agaric. alb. Drach. j.**fol. ſenæ elect. Drach. ij.**ſem. fœnicul. Scr. j.**carui Drach. ℞.**zingiberis Scr. ℞.**ſchœnanth gr. vij.**herbar. beton.**meliß. an. P. ij.*

Infunde per noctem in aq. beto-
nic. Mane decoq. pro Unc. j. ℞.

In quibus diſſolve

*ſirup. roſar. ſol. Unc. ℞.**extract. panchymag. gr. v.**aq. cubebæ. Drach. j.**Miſce.**L. I.*

Vel hæc Potio:

*℞. Aq. roriſmarini,**meliß. an. Unc. j.**ſlor. lavendul. Drach. ij.**extract. helleb. nigri. Scrup. ℞.**panchymag. gr. xij.**ſirup. eichorij cum rhabarb.**Drach. ij.**ſpir. ☉ gutt. ij.**aq. pæon. Drach. j.**Miſce.*

Poſtea ad particulares capitis eva-
cuationes per ſternutatoria, errhina,
maſticatoria, apophlegmatiſmos de-
veniendum, quæ etiam ſupr. ſunt pro-
poſita. Errhina quidem nonnullis ſu-
ſpecta ſunt, quod metuunt, ne eo mo-
tu humores & ſpiritus in cerebro ma-
gis agitentur, & vertigo excitetur. Ve-
rùm ſi capitis evacuationes conveni-
entes præceſſerint, nihil tale metuen-
dum.

Fiant & derivationes omnis gene-
ris, per veſicatoria, ſetacea, cauteria,
ſi opus ſit; de quibus etiam ſupra di-
ctum.

Vaporum quoq; impetus revellen-
dus eſt frictionibus, à collo per ſpi-
nam ad inferiora ſenſim ad extremita-
tes perveniendo, eaq; fricando. Poſt
has frictiones, quod in capite colle-
ctum eſt, diſcutiatur, caput panno fri-
cetur, non tamen calefacto.

Tandemq; adhibenda, quæ vapores
illos diſcutiunt, & caput roborant, tam
interna, quàm externa medicamenta.

Inter interna ſunt cephalica cali-
da, ſuprà propoſita, *part. i. cap. 2.* & ex
ijs præcipuè *roſmarinus, betonica, ſalvia,*
meliffa, majoran, euphraſia, ſlor. ſtechad.

*M m**Arabic.*

Arabic. lavendul. sem. pastinac. sylvestr. In-
 primis verò commendantur radices
 Doronici. quas comedere solent contra
 Vertiginem, qui in alpib. damas per-
 sequuntur; ut & auricula urfi; quam si-
 militer venatores contra vertiginem
 usurpant, & inde Schwindel. oder
 Kr. stwurzel nominant, teste Bauhi-
 no, in Tabernamont. tom. 2. p. 40. Com-
 mendant etiam nonnulli stercus pa-
 vonis, idq; (& quidem masculi masculi-
 lis, fœminis fœmellæ) pulverisatum à
 Scr. uno. ad Drach. ℥. cum saccharo
 formâ pulveris mixtum exhibent: alij
 Drach. j. per noctem vino albo ma-
 cerant, & per linteum colant, & pro-
 pinant; hujusque usu etiam invetera-
 tam vertiginem curatam fuisse testâ-
 tur. Exhibentur etiam margarita, suc-
 cinum, corallium.

Commendatur & oleum succini, a-
 nisi, fœniculi, cumini, caryophyllor. laven-
 dul. nucis mosch. majoran. rosmarin. bal-
 sama ex iisdem.

Composita: diambra. diamosch. tbe-
 riaca. Mithridatum.

Utilis est & hic Pulvis;

℞. Macis Drach. iij.

cinamom. Drach. j.

fol. euphragia Unc. j.

stœchad. Arab.

flor. lavendul. an. Drach. iij.

sacchar. ad pondus omnium.

F. Pulvis; cujus dosis ad Drach. ij.

Vel ℞. Sem. cumini,

carvi,

anisi,

fœnicul. an. Drach. iij.

flor. lavend. Drach. ℥.

F. Pulvis.

Vel ℞. Euphragiacum floribus Unc. ℥.

macis acetoprepar. Drach. j.

coriand. prepar. Scrup. iv.

cubeban. Drach. ℥.

sacchari candi Drach. vj.

F. Pulvis, de quo sumatur Drach. ℥.

Efficaces sunt & sequentes Pulveres.

℞. Cardamomi utriusq; Drach. ℥.

cubeban. Scrup. iij.

carvi Scrup. iij.

cumini Drach. ℥.

cinamom. Drach. iij.

coriand. prepar. Drach. ℥.

rad. bryon. Drach. iij.

sem. papav. albi Drach. ij.

fol. veronic.

euphrag.

lavendul. an. P. j.

cap. stœchad. Arab. num. iij.

sacchari albi Unc. ℥.

F. ex omnibus Pulvis tenuissimus,
 qui Dresdæ in usu est.

Vel ℞. Cubeban. Drach. ij.

cardamom.

sem. sinapi.

cinamom.

macis,

ligni aloes, an. Drach. iij.

spec. dianthos Scrup. j.

diamosch. dulc. Scrup. iij.

ambr. gryseæ ver.

zingiber. albi,

majoran. an. Drach. ℥.

sacchar. alb. ℥. Unc. v.

M. F. Pulvis.

Vel ℞. Sem. pœoniae,

nuc. moschat.

coriandri prepar.

visci q. an. Drach. ℥.

cubeban.

galanga,
piperis,
tormentill.

zingiber. an. Drach. β.

flor. rorisarin. Drach. j.

adde sacchari Unc. ij.

F. Pulvis subtilissimus.

Vel β. Spec. arom. Drach. β.

pulv. nuc. moschat.

succin. albi prepar.

margarit. prepar. an. Drach. j.

macis Drach. β.

ligni aloës Scrup. β.

col. carvi,

fenicul. an. gut. ij.

nuc. moschat. gutt. ij.

sacchar. Unc. ij. β.

M. pro Tragea.

Commendatur à nonnullis etiam
contra vertiginem, ut & contra epilep-
psiam, (etenim epilepsie ac vertiginis
ferè eandem curandi rationem statuit
Rondeletius) Pulvis ex cinnabari na-
tiva :

β. Cinnabaris mineral. ver. Unc. β.

margaritarum,

cor alliorum, an. Scrup. ij.

croci Scrup. j.

fol. auri z.

F. Pulvis subtilissimus, cujus Scr. β.

vel Scrup. j. detur cum aq. lilior.

convall.

Vel β. Nucis mosch. Unc. β.

euphrasia. Unc. ij.

F. Pulvis magnæ in vertigine effi-

cacia, qui detur manè à Drac. j.

ad Drach. iij.

Efficax est etiã Confectio capitalis
contra vertiginem D. Casp. Kegeleri:

β. Sem. pæon. excort. Unc. iβ.

nucl. avellanar. Lampert. excort. &
parum incisar. prius in aquã mace-
rat ar. & lot ar. postea exsiccant.

Unc. iv.

granor. Paradisi,

cardamomi, an. Unc. ij.

cubebæ. Unc. iv.

sem. anisi,

feniculi, an. Unc. iij.

carvi,

cumini aceto macerat.

eruca,

acori,

siler. montan.

nucis moschat.

macis, an. Unc. iij. β.

caryophyll.

cinamom. optim. an. Drach. iβ.

Zingiber. Unc. β.

flor. tilia.

rorisarin.

lavendul. an. Drach. ij.

stœchad. Arab. Unc. β.

Cum saccharo albisimo

F. s. a. Confectio.

Vel β. Granor. pæon. excort.

coriandr. prep.

nucis mosch.

galang.

visci quern.

cubebæ.

piper. long.

cardamom. an. Drach. ij.

zingiber.

rorisarin. an. Drach. j.

sacchar. alb. Unc. iβ.

F. Tragea.

Possunt etiam ex pulveribus Rotu-
læ fieri.

Mm 2

Vel β.

Vel *Zingiber. alb.*

caryophyll. an. Drach. j. ℥.

cubebæ.

cardamom.

macis, an. Drach. j.

sem. pæon. excort.

nucis moschat. an. Drach. ℥.

sem. ocymi caryophyllat.

majoran.

spica Indica.

galang. an. Drach. j.

sacchar. albi Unc. viij.

Diffolvatur saccharum cum

sirup. stœchad.

& add. *conserv. lavendul. Unc. i.*

Misce. F. *Electuarium.*

Vel *Conserv. stœchad.*

betonic. an. Unc. j.

tunicis.

anthos, an. Unc. ℥.

spec. diambæ.

diaplyris.

theriaca, an. Drach. j.

Cum *sirupo de stœchade.*

F. *Electuarium.*

Vel *Conserv. anthos.*

lavendul. an. Unc. ℥.

majoran. Unc. ij.

euphras.

rosar. an. Unc. j.

calam. aromat. cond. t.

myrobolanor. chebul. condit.

an. Unc. ℥.

spec. diambæ. Drach. j.

ol. destill. fœnicul.

carvi, an. gutt. vj.

caryophyll.

nuc. mosch. an. gutt. ij.

Cum *sirup. de stœchad.*

F. *Electuarium.*

Vel *Conserv. flor. rosar. mar.*

lavendul.

betonic. an. Unc. ℥.

Mithridat. Drach. ℥.

elect. diacor. Unc. ℥.

puly. nuc. moschatæ.

macis.

caryophyll.

cubebæ.

cardamomi, an. Drach. ℥.

sem. carvi.

fœniculi.

seselios.

eruc. an. Scrup. j.

extr. pæon.

visci querni gr. v.

enulæ gr. viij.

spec. diaplyris. Scr. ij.

diamosch. dulc. Drach. j.

diagalanga. Drach. ℥.

aq. theriac.

apoplect. an. Unc. ℥.

spirit. ☉ Drach. ℥.

Cum *sirupo de cortic. citri & myræ.*

cydonior. arom. an. q. s.

F. *Electuarium*, seu *Conditum*, de quo manè & serò dosis nucis moschatæ magnitudine capiatur.

Aur sumâtur manè sem. fœnic. carvi, grana juniperi, cubebæ, vel horum condita, & confectioes. Præcipuè commendatur sem. pastinac. sylvestræ. & aquilegiæ saccharo obductum.

Vel *Puly. rad. pæonia.*

ireos.

margarit. preparat. an. Scrup. j.

ol. destill. succin.

- cinamom.*
caryophyll.
carvi,
nucis moschat. an. gutt. iij.
facchar. in aq. lavendul. dissolut.
 Unc. .iij.
 F. Rotulæ.
 Vel Bx. Spec. di. umbr.
diamosch. dulc. an. Scr. j.
aromat. rosar. Scr. ij.
corall. rubr.
succin. alb. an. gr. xvj.
cardamom.
nucis moschat.
santali citrini, an. Drach. ß.
cubebæ. Scrup. j.
cinamom.
macis, an. Drach. ß.
facchar. Unc. vj.
 Dissol. in aq. rosar.
 & F. Rotulæ, quæ inungantur ol.
 anisi, vel fœniculi.
 Vel Bx. Margarit. preparat.
corall. rubr. preparat. an. Scr. j.
ol. caryophyll.
nuc. moschat.
anisi, an. gutt. jv.
facchari in aq. rosar. diss. Unc. ij.
 F. Rotulæ.
 Vel Bx. Spec. dianthos,
diamosch. dulc.
arom. rosar. an. Drach. ß.
extr. pæon. Scrup. j.
ol. nuc. mosch. destill. gutt. x.
fœnicul. gut. vj.
facch. in aq. lavend. diss. Unc. iij.
 F. Rotulæ.
 Vel Bx. Sem. pæon.
pastinac. sylvestr.
carui, an. Scrup. j.
- rad. pæoniæ,*
visci querni,
cubebæ.
cranij human. prepar.
granor. Paradis. an. Drach. ß.
spec. diamosch. dulc. Scrup. ij.
facchar. alb. ß. in aq. rosar. &
rorisinar. dissol. q. f.
 F. Morfuli.
 Alij Bx. Conserv. stor. beton. Drach. ij.
myrobal. chebul. condit.
 Drach. j.
cortic. citri condit. Drach. ij.
spec. diambæ. Scrup. j.
dianthos. Scrup. ß.
pulv. puleg. Scrup. ij.
cubebæ.
caryophyll.
cardamom. an. Drach. ß.
calami aromat. Scrup. j.
extr. pæon. Scrup. ß.
galangæ gr. vij.
smaragdi preparat. Scrup. ß.
solut. margarit. Scrup. ij.
corall. rubr. Scrup. j.
ol. carvi.
macis, an. gutt. v.
nuc. mosch. gutt. viij.
facchar. opt. in aq. lilior. convall.
 dissol. q. f.
 F. Morfuli Drach. ij. pondere, de
 quibus manet & sero unus atque
 alter capiatur.
 Vel Bx. Spec. diamosch. dulc. Scr. ij.
diambæ.
dianthos,
diagalang.
diaplr. an. Drach. ß.
pulv. cubebæ.
cinamomi,

cardamomi, an. Scrup. j.

rhos Unc. β.

sacchar. albi β. in aq. beton. dissol.
Unc. iv. β.

In fine adde

ol. caryophyllor. gutt. iij.

F. Confectio in morfulis.

Vel β. *sacch. ros. tabul.* in aq. *scorzoner.*
dissolut. Unc. iv.

rad. pæonie,

ireos,

scorzoner. an. Scrup. β.

Dorenici Drach. j.

spec. dianthos,

arom. rosat.

diatrion santal. an. Scrup. j.

extr. pæon. gr. x.

ol. nuc. mosch.

macis, an gutt. iv.

cortic. citri,

fenicul. an. gutt. ij.

F. Morfuli.

Alij. β. *Sacchar. albi* ℥. j.

cinamomi,

zingiberis,

ireos,

macis,

nuc. moschat.

cardamomi,

cubebæ.

caryophyll. an. Drach. j.

fol. euphrag. Unc. β.

amygd. dulc. mundat. Unc. j.

Cum aq. *euphras.* q. l.

F. s. a. Morfuli.

Vel β. *Cubebæ.*

cardamon.

fl. lavendal. an. Drach. β.

macis,

piper. longi,

pyrethr. an. Scrup. β.

mosch.

ambra, an. gr. ij.

Cum *mucilag. tragacanth.* aq. *cinamom.* factâ

Fiant Trochisci, qui in ore deti-
neantur, & sensim deglutiantur.

Efficax est ad vertiginem depellen-
dâ Aqua vitæ rubra, Electoris Saxonie
vulgò dicta, quæ hoc modo paratur:

β. *Cinamom. opt.* Unc. i. β.

zingiber. alb.

caryophyll.

santal. rubr. an. Unc. β.

macis,

nucis moschat.

piperis,

galange,

cardamom.

cubebæ.

specier. arom. rosat.

diambæ.

dianthos, an. Drach. ij.

sem. anisi,

coriandr. præp.

majoran.

basilici,

flor. lavend.

anthos,

spica nardi, an. Drach. ij.

rosar. rubr. M. j.

In cæla crasso modo infund. in

spiritus vini opt. ℥. v.

aq. rosar. moschat. Unc. ix.

caryophyllor.

cinamom. an. Unc. j.

(Caryophylli aq. borrag. maceran-
tur, & postea destillantur; hæc est aqua
caryophyll.)

vini malyatic. ℥. i. β.

Mace-

Macerentur omnia per dies iv.
Postea exprimentur, & colentur per
manicam Hippocratis:

Colaturę add. *sacchar. cand.* ℥. ij. Si-
nantur per biduum ita stare, deinde
bis vel ter colentur, donec liquor cla-
rescat.

Commendatur etiam valdè aqua,
vel spiritus rorismarini in Vertigine
continua, præcipuè à causa frigida, &
hyeme, ac aëre frigido, cujus Unc. ℥.
exhibeatur; ut & aqu. cinamomi, vel
aq. & extract. scorzonerae, quæ pecu-
liari proprietate contra Vertiginem
opitulatur:

Est & hæc Aqua efficax:

℞. *Salvia,*
mentha crispa, an. M. j.
flor. lavendul. M. ij.
majoran.
ruta,
rorismarin. an. M. ℥.
nucis mosch.
caryophyll.
macis, an. Unc. ℥.
granor. Paradis.
cinamom.
granorum juniper.
sem. pæon. an. Unc. ℥.

Infundantur in s. q. vini Rhena-
ni vel Malvatici per dies aliquot, post-
ea destillentur. Aqua hæc ad usus
tam internos, quam externos com-
moda est.

Alię aquę compositę ad vertigi-
nem descriptę habentur in Institut.
Efficaces sunt & sequentes, quarum
prior Dresdæ in usu est:

℞. *Veronic.* M. iv.
euphrag. M. ij.

flor. malvę M. j.
lavendul.
rorismarin.
cardui benedicti, an. M. ℥.
stachad. Arabib. M. j.
rad. bryon. Unc. ij.
castorei Drach. ℥.
cinamom. Drach. ℥.
vini veteris optim. ℥. ij.
aq. lavendul.
veronic.
tilia,
lilior. convall.
betonic. an. ℥. ℥.

Stent infusa in loco calido per bi-
duum, postea s. a. destillentur. Dosis
cochleare manè & vesperi, vel per se,
vel cum pulveris contra vertiginem
Dresdensis, supra descripti, Drach. j.
Vel ℞. *Rad. bryonia.*

scorzonera, an. Unc. ij. ℥.
pæon.
Imperat. an. Drach. vj.
herb. veronic.
betonic.
salvia,
cardui benedicti, an. M. ij. ℥.
majoran. M. j. ℥.
flor. anthos.
lavendul.
euphragia, an. M. ℥.
confect. anacardin. Drach. vj.
cinamomi elect. Unc. j.
cubeb. Drach. ij.
ligni aloes Drach. j. ℥.
castor. elect. Drach. ℥.
aq. veronic.
lavendul.
flor. tilia, an. Unc. x.
scorzon. vel *salvia* ℥. ℥.

vini:

vini Hispan. ℞. ij.

M. & infunde per dies 14. in loco

calido. Postea destillentur.

Vel ℞. flor. lilior. convall. ℞. j. ℞.

lavendul.

tilia, an. ℞. ℞.

pæon.

fol. beton. an. Unc. ij.

visci querni Drach. j. ℞.

rad. pæon. Drach. ij.

cubebæ.

castorei, an. Drach. ℞.

macis,

cardamomi,

cinamomi, an. Drach. iij.

vini generosi Rhenani ℞. v.

Macerentur per dies 7. vel 8. Deinde destillentur per B.

Et ne post pastum vapores multi ad caput ascendant, idq; debilitent, talis

Tragæa parari potest:

℞. Confect. sem. coriandr.

anisi,

fœnicul.

carui,

cubebæ. an. Unc. ℞.

cinamomi Drach. ij.

macis Drach. j.

sacchar. rosat. tabulat. Drach. j.

F. Tragæa.

Vel ℞. Pulv. cydonior. exsicc. Drach. j.

sem. coriandr. Drach. ℞.

nuc. moschat.

macis, an. Drach. j.

mastic.

sem. anisi,

fœniculi, an. Drach. ℞.

cinamom.

cortic. citri, an. Drach. j.

sacchar. rosat. tabul. Unc. v.

Misce,

Inter externa sunt odoramenta;

ex nigellâ, majoran. castor. menth.

& paleg. cum aceto.

Vel fiat tale Pomum:

℞. Ladani puri Drach. ij.

styracis calamit. Drach. ℞.

benzoes Scrup. j.

ol. destillat. caryophyll.

macis, an. gutt. iv.

gallia moschat. Scrup. j.

F. Pomum.

Vel paretur sequens Nodulus, & odorandus in manibus teneatur:

℞. Summit. majoran.

stœchad. Arab. an. P. j.

flor. lavendul.

rorismarini, an. P. ℞.

nucis moschat. Drach. ℞.

caryophyllor.

cubebærum, an. Scrup. ℞.

sem. nigell. in aceto quinquies macerati Drach. ij.

erucæ Scrup. ij.

castor. gr. iij.

Ex concilis fiat Nodulus rotundus, ex serico rubeo cum stylo, qui manibus, uti dictum, teneatur.

Vel in aqua sequenti intingatur, naribusq; sæpius admoveatur:

℞. Aqu. multipl. infus. flor. lavendul.

Unc. ij.

apoplect. Unc. ℞.

majoran.

ruta,

salvia, an. Unc. j.

cinamom. Drach. ij.

Misce.

Balsa.

Balsamum.

℞. *ol. Nuc. mosch. express.* Drach. j.*styrac. calamit.* gr. v.*ladani* gr. iij.*ligni aloes* gr. ij.*moschi* gr. iij.*ambra* gr. j.*ol. lavendul.**majoran. an.* gutt. ij.*croci,**caryophyll. an.* gutt. j.

Cum aq. rosar. q. s.

F. Balsamum.

Inunctiones fiant *ol. rutac. laurin. nucis moschat. succin. balsam. apoplect.*Vel ℞. *ol. nuc. mosch. express.* Drach. j.*ol. destill. caryophyll.**majoran.**rorismar. an.* gutt. iij.*succini* gutt. ij.

Misce, & eo tempora, nares, occiput inungantur, vel exceptum gossypio auribus indatur.

Vel ℞. *ol. nuc. mosch. express.* Drach. j.*spec. diamb.**diamosch. dulc. an.* Scr. ℞.*ol. succini* gutt. vj.*moschi* gr. ij.

Misce.

Vel ℞. Balsami *salvia,**rorismarin. an.* Scr. ℞.*caryophyll. gr. vij.**ol. nucis mosch. express.* Drach. j.*lavendul.* gutt. iv.*succini* gr. ij.*ambra* gr. iij.*moschi* gr. iv.*zibeth. gr. v.*

L.I.

Misce pro Balsamo, quo nares & tempora saepius inungantur.

Nonnulli commendant pinguedinem damarum temporibus illitam.

Lotiones fiant ex decocto *pulegii, byssop. serpilli. rosar. betonic. stœchad. majoran. salvia, rad. ireos, bacc. lauri.*

Valde commendatur bombyx exsiccatas, & pulverisatus vertici inspersus, quo Carolus V. frequentissimè usum ferunt.

Pulvis etiam sequens capiti inspergi, vel cucupha inde parata capiti imponi potest:

℞. *Herb. rorismarini,**majorana,**salvia, an. P. iij.**flor. chamamel. P. ij.**serici crudi* Drach. ℞.*rad. Imperator.* Drach. j.

Misce.

F. Pulvis grossus.

Possunt & facculi capiti imponi, ex plantis modò enumeratis parati.

Auribus immittatur *ol. caryophyll. cinamom.*Experlaptis commendantur, præter crystallum, corallia rubra, ut & succinum, sive de collo gestetur, sive pocula inde parentur, sive in potu suspēdatur. Montuus, *in anasc. morb. lib. i. c. 12.* ex Nicolao virgam vulpis capiti alligatam verriginem tollere scribit. Ruellius corollam ex folijs ulmi paratam capiti imponi jubet.

Et cum Vertigo ista per essentiam sæpè in apoplexiam degeneret, ad præservandum ab apoplexia apud multos in usu est hic Pulvis; cujus Drach. j. singulis mensibus ante novilunium

Nn

cum

cum aqua lavendul. aut ceraforam
datur.

℞. Succin. prepar. Drach. ij.
spec. diarrhod. abbat. Drach. β.
rad. pæon. Scrup. ij.
℞. Pulvis.

Exemplum ejusmodi Vertiginis
exstat apud Solenandrum, *sect. 1. consil.*
2. Forestum, *lib. 10. observ.*

Secundo.

De Vertigine per Consen- sum orta. Causæ.

Vertiginis
per consen-
sum causæ.

Vapor verò, qui Vertiginem per
consensum excitat, ex varijs locis ele-
vari potest. Frequenter excitatur Ver-
tigo per consensum è ventriculo, va-
poribus ab humore biliioso, vel pitui-
toso, vel cibus corruptis ad caput ad-
scendentibus.

Primò enim cum bilis per inedia
in eo effervescit, & epar excrementa
sua ad ventriculum mittit, vapores
copiosi ad caput elevantur, & verti-
ginem excitant: quod per cholis-
imprimis accidere solet. Deinde idem
ex pituita interdum evenit; ut & ob
ventriculi imbecillitatem, propter
quam ex cibo & potu vaporosus & fla-
tulentus spiritus gignitur, & cibus in
eo corrumpitur. Feruntur autem hi
vapores ad caput facilius, cum agitā-
tur: id quod fit ab inedia, motu nimio,
ut rectione, aut navigatione; cujus rei
exemplum habet Forestus, *lib. 10. ob-
servat. 49. in Scholide* quodam Juvene,
qui, si curru veheretur, vertigine, nō-

nunquam & syncope, corripiebatur,
cum pedes sine incommodo magna
iter conficere posset.

Idem vapores ab alijs quoq; par-
tibus, epate, liene, utero, venis mela-
raicis, intestinis item, & vermicibus in-
ijs communicari possunt: sicut & à
parte aliqua interna. Ut enim vapor
malignus à pede, vel alio membro ex-
terno auræ alicujus instar elevatus, e-
pilepsiam quandoque excitat: ita & ab
eodem Vertigo generari potest. Unde
& Vertigo interdum epilepsiam
præcedit, ejusq; mox secururæ præsa-
gium est.

Aliquando & per totius corporis &
venosi generis consensum accidit ver-
tigo, ut in febris, quæ *ἰδίῳ γῶδες* ab
Hippocrate, *in Coac.* dicuntur. Ubi-
cunq; enim in corpore tales vapores
generantur, si per venas, & arterias,
vel etiam per vias apertas, ut œsopha-
gum, & asperam arteriam, sursum ad-
scendunt, & ad cerebrum penetrant;
spiritusq; agitant, vertiginem excita-
re solent. Id quod & ebrijs interdum
evenire solet, quibus à potu, vel mul-
to, vel potenti, & spirituoso caput va-
poribus repletur.

Signa Diagnostica.

Si per consensum oriatur Vertigo, *Vertiginis*
malum per vices affligit, nulla capitis *per consen-*
p. n. affectio, aut sensum læsio præce- *sum signa.*
dit, aliarumque partium affectarum
signa adsunt; & Vertigo crescit, aut
imminuitur, prout ipse affectus par-
tis, quem sequitur, minuitur vel au-
getur.

Et

Et quidem si sit à ventriculo, aderit cruditas, nausea, oris amaritudo; quia linguæ tunica ventriculi tunicæ continua est: *καρδιονυχός*, teste Hippocrate, 4. *aphor.* 17. & quidem jejunos maxime, infestat; quia bilis in eo tum effervescit, & ad eum undique alimentum attrahentem epar excrementa sua transmittere solet. Sumpto cibo minuitur, vel cessat; cessat quoque post vomitionem; & alia affecti ventriculi signa adsunt.

Si ab alijs partibus malum originem habeat, earundem affectarum signa aderunt; ut si ab utero Vertigo proveniat, mensium suppressio, uteri strangulatio, vel alia ejusmodi aderunt.

Si per consensum totius Vertigo accidat, affecti quoque totius corporis signa aderunt; ut in febribus fieri solet.

Et quidem si signa coctionis præcesserint, hæmorrhagia critica sequitur; si nulla, à febris potius malignitate provenit.

Si verò absq; febre sit, & à sanguine calido & flatuoso in venis proveniat, imprimis post motum corporis vehementem Vertigo excitari solet. De quibus omnibus etiam supra, *part.* 1. *cap.* 6. dictum.

Prognostica.

1. Vertigo, quæ accidit per consensum alicujus membri stupore affecti, epilepsiæ, vel apoplexiæ indicium est.

2. Si Vertigo accidat in febre obcrisin instantem, salutem indicat; modò vires consent. Si ante signa co-

ctionis accidat, periculum portendit. Si medio modo sese res habeat, crisin imperfectam, & malam denunciat.

Indicationes.

Ut Vertigo per consensum rectè tollatur, necessarium est humorem, qui vaporem illum subministrat, præparare, si opus sit, & evacuare, vaporem ipsum, qui ad caput ascendit, revelere, intercepte, (quam ad rem clystères utilissimi sunt) & repellere, si per vasa externa featur; eum verò, qui jam caput occupavit, discutere, & partem ipsam mittentem roborare, eiq; naturalem dispositionem restituere, ne in eâ materia vitiosa vapores transmittens generetur; simul & ipsum caput roborare, ut vapores nò suscipiat, aut facile discutiat, & ij, qui ascendunt, non ita facile spiritus commovere possint. Et quidem si affectus non urget, à causâ, à quâ is pendet, remotione curatio inchoanda: si verò malum urgeat, ipsi primò providendum, ut supra, de curatione paroxysmi, dictum.

Auxilia.

In sanguinis missione, si ille evacuandus sit, attendendum, ut præservationis gratiâ venæ in cruribus potius aperiantur, quàm in brachio, ut Galenus, *de missione sangu. capit.* 19. docet; utpote quæ non solum sanguinem evacuare, sed & revellere, & ad partem contrariam trahere potest. Atq; id præcipuè faciendum, si menses vel hæmorrhoides suppressæ vertiginis causam præbeant.

*Si à Ventriculo sit Ver-
tigo.*

Vertiginis à ventricu- lo curatio. Humor in ventriculo contentus vomitu, nisi quid prohibeat, aut purgatione, per alvum evacuandus, præmissâ, si opus est, præparatione. Quamquam enim Hippocrates, *in libr. de loc. in homin.* vomitum, ubi oculi affecti sunt, damnat; tamen de eo solum oculorum affectu id intelligendum est, qui ex primaria in cerebro causâ est, non verò per consensum ventriculi ortus. Et ne in vomitu æger vertigine corripiatur, caput quæ lædatur, utile fuerit, fasciâ caput, dum æger vomit, cõstringere, aut oculos obvolvere, & ad futuram coronalem aliqua medicamenta adstringentia adhibere, quæ cerebrum à vaporibus adscendentibus tueantur, qualia sunt flor. rosar. rubrar. myrtilli, balaustia, nuxmoschata, acetum; vel vaporum ad caput adscensus clystere injecto prohibendus. A vomitu verò statim aliquid aromatici rosati, vel myrrhæ, vel sirupi de mentha, vel de cortic. citri propinandum, ad ventriculum roborandum, & vaporum adscensum prohibendum. Si verò evacuatis cruditatibus affectio non cesset, alvus leniter purganda, & quidem in purgatione inchoandum à lenioribus, ut mannâ, sirup. rosar. solut. pilul. ex aloë paratis, & similibus; quæ si non suffecerint, humore præparato ad fortiora deveniendum.

Si æger sit picrocholus, non diu jejuset, sed cibum sumat maturius, ut vertiginem præcaveat; aut, si jejunum

paroxysmus invadat, statim cibus exhibeatur.

Tandem quæ ventriculum roborant, & confortant, & halitus adscendentes compescunt, aut in ventriculo discutunt, usurpanda, aut in ventriculo externa. Et quidem considerandum, an cruditas sit nidorosa, & humores calidi & acres in ventriculo abundant; an verò acida; & prout opus, cura instituentia; sicut hæc de re sup. *part. I. cap. 6.* dictum. Ne post cibum etiam sumptum multi vapores ad caput adscendant, vertiginemque renovent, tragææ antea propositæ usurpandæ, quæ hic utilissimæ sunt, vel hoc Electuarium:

℞. Conserv. rosar. Unc. ij.

majoran. Unc. jss.

cydonior. condit. Unc. j.

cortic. citri condit. Unc. ss.

myrobolan. chebul. condit. n. ij.

sem. coriandr. præpar.

corallor. rubr. præp. an. Drach. j.

mastich. Drach. ss.

Cum sirup. cydonior.

℞. Electuarium.

Si ab Epate, Liene, Vtero, vel toto Corpore

Vertigo ortum habeat, curatio & *Vertiginis* ad partem mittentem & recipientem *ab epate,* dirigatur. Pars nimirum, cujus *σπιμα- liene, ut e* *θελ* vertigo oritur, evacuatur, seu veno, *toto,* ne sectione, seu purgatione, prout natura humoris peccantis requirit. Per venæ sectionem, cucurbitulas, scarificationes, frictiones, revulsio institua-

tur:

Cur si consueta aliqua evacuatio suppressa sit, revocanda ea, & pars cum mittens, tum recipiens roboranda. Si reliqua auxilia non profint, nonnulli arterias post aures scindere jubent, ut ita via, per quam à toto, vel ab aliqua parte ad caput feruntur vapores, intercludatur.

Verùm de arteriarum sectione antea, ubi de Vertigine per primum capitis affectum, cui præcipuè competit, egimus, dictum. Tutius hinc venæ frontis, vel temporum, si exurgant, vel venæ sub linguâ aperiuntur, vel in brachio foniculus excitatur. Si tamen ex epate, utero, suppressis hæmorrhoidibus, ulcere, aut fistulâ aliquâ in locis inferioribus, malum originem habeat, fluxio anti qua revocanda, vel loco ejus foniculus in cruribus aperiendus.

Uter etiam regiõni applicari potest *emplastrum de galbano*, seu *maticale*, & *emplast. de mastich.* modò retentio mensium id non prohibeat.

In critica in febrib. Vertigine nihil agendum, capitiq; nihil applicandum, neque natura in opere suo turbanda. Si tamen crisis non rectè procedat, promoveri potest, ut alibi dictum.

Tertio.

De Vertigine à Meatuum | Cerebri angustia.

Causse.

Non solum verò à vaporibus spiritus animales in cerebro agitantur, sed & cerebri meatuum angustia ejusdem

motus causa esse potest; cum scilicet spiritus animalis per loca impedita moveatur, & retrocedit. Angustia tamen hæc non est integra. Alias enim apoplexia sequeretur.

Et autem hæc angustia

1. Ab obstructione, quam pariunt vapores crassi; quæ non diu durat. Ut enim subito oritur: ita etiam subito resolvitur vapor. Quandoque & aqueus, serosus, atq; spirituosus humor, qui cerebri anfractus, spatiaq; adimplens, & flatuum copiam simul generans, in eo fluctuat, & Vertiginem illam, quæ apoplexiam & carum præcedere, ac minari solet, & frequens, ac diuturnior est, excitat; ut hac de re Platerus docet.

2. Ex cranij fractura, ac cerebri compressione eadem angustia, & hinc sequens Vertigo excitari potest.

3. Angustiam hanc productam fuisse à vase venoso cerebri, omnibusque illius arterijs ab exortu, & ingressu in calvariam universo per cerebrum ductu coalitis, induratisque, glandulisq; parvis toto processu distinctis, observavit Platerus sectione in quodam mercatore, qui multis annis Vertigine laborans, nec ambulare, nec è lecto amplius surgere, quin corrueret, poterat. Ab angustia enim vasorum cerebri spiritus impediti, & retenti in cerebro ex levi corporis motu circumducti incurabilem Vertiginem pepererant.

Potuit ad vertiginem hanc etiam facere humor aliquis corruptus in glandulis illis hærens, qui moto corpore, & sanguine spirituosus arteriarum & ve-

N n 3 narum,

Vertigo à
meatuum
cerebri
angustia.

Cumrotationem excitant causæ externæ, ut corporis in gyrum conversio, rerum externarum circumrotationum, & variè motarum, vel aquarum vorticifarum ad spectus, ab alto prospectus, item ambulatio per pontem angustum, & tremulum, ad spectus rerum insigniter splendidarum; ut Solis, exercitium intempestivum, & motus corporis: unde convalescentibus surgentibus, vel se moventibus Vertigo obrepere solet; vehemens fragor tonitruum, bombardarum, capitis percussio, & casus in caput, percussio in dorso; quæ & ipsa quantoque ob consensum spinalis medullæ vertiginem excitat.

Deinde internæ, ut Imaginatio. Si quis enim fortiter imaginetur objectum in gyrum motum, spiritibus animalibus, ut etiam in gyrum moveatur, occasio potest præberi. Ita animi perseverantes vel inhærentes commotiones spiritibus sæpè, & validè in cogitationibus illis profundis, & assiduis, ut & vigilijs, exagitant vertiginem pariunt.

Signa Diagnostica.

Cognoscitur hæc Vertigo facile ex ægri & adstantium relatione, quæ causas, quæ præcesserunt, & vertiginem inducere valent, patefaciunt.

Prognostica.

Non adèò periculosa hæc est Vertigo, nec diuturna, ut reliquæ differentiarum.

Curatio.

Causis enim illis cessantibus, ces-

sat Vertigo; accedente in primis quiete, & somno: ac proinde aliâ curatione opus non est. Si tamen non plane cesset, frictions extremorum utiles sunt.

QUÆSTIO I.

An Vertiginis, quæ dantur, differentia sint saltem secundum gradus, an vero etiam secundum speciem?

Vertiginis non eandem esse rationem, sed aliquando solam imaginatorem, interdum & visum lædi, ac tenebras oculis offundi, interdum prætere etiam ægros concidere, notum est: Sed an hæc vertigines gradu tantum, an verò specie differant, controversatur. Gradibus saltem differre, plerique statuunt. Ludovicus Mercatus verò, tom. 3. lib. 1. cap. 9. non gradu tantum, & secundum magis & minus; sed specie distinctis esse has tres differentias, statuit, hac in primis ratione ductus, quod differre eas videmus non solum ratione partis affectæ, sed & facultatis læsæ, & morbi, à quo oriuntur. In vertigine enim simplici anteriorem cerebri partem affici, lædique facultatem imaginativam, ob depravatam spirituum motum: in tenebrosos etiam oculos pati, læsa facultate visiva; ab obstructione facta à vapore in nervis opticis commorante: in caduca denique posticam cerebri partem, & locomotivam facultatem lædi

lædi per consensum, à depravato motu spirituum in parte cerebri posteriore. Verùm controversia hæc non difficulter solvi posse, & utrumq; rectè dici mihi videtur; modò res rectè exemplatur. Gradibus differre has vertiginis differentias existimo ratione causse, cujus minor est vehementia in vertigine simplici, major in tenebri-
cola, maxima in caduca. Si n. causa sit levior, ut saltem pravus spirituum motus, isque levior inde excitetur, imaginatio saltem depravatur: si verò sit gravior, & seu à vapore copiosiore nervi obstruantur optici, seu motus ille spirituum sit tantus, ut liberè in nervos opticos influere non possint; tenebræ etiam oculis offunduntur: si verò causa ejusdem vis sit tanta, ut etiam influxus spirituum in nervos motui inservientes prohibeatur, ægri cõ-
ciscunt. Si autem vertigo ut actio animalis læsa consideretur; omnino species hæc tres vertiginis differre videntur. Nam in simplici vertigine unica saltem actio, imaginatio, læditur: in tenebriosa duæ, imaginatio & visus: in tertia tres, imaginatio, visus & motus animalis. Et si autem ad vertiginis essentiam constituendam sufficiat sola imaginatio læsa, & neq; visus, neq; motus læsio ad essentiam vertiginis pertineat, & posteriores duæ differentia affectus compositi sint, in quibus plures actiones animales læduntur; quia tamen ferè eadem curandi ratio est, & à communi causa, gradibus saltem differente, pendent, eaque sublatà cessant, Medici, quos & ego se-

cutus sum, has differentias non ad eos affectus, in quibus actiones animales plures læduntur, sed ad eos, in quibus una animalis actio læditur, referunt.

QUÆSTIO II.

An intemperies, Vel humor sine vapore Vertiginem producere possit?

Dubitant equidem nonnulli, an *An sine* solus vapor, an verò etiam humor *vapore* possit inordinatum hunc motum *possit* spirituum inducere: imò nonnulli affirmant, solam intemperiem calidam *vertigo* sine humore & flatu Vertiginem inducere posse, atque exemplo aquæ ferventis id probare conantur, quæ movetur in gyrum à calore ignis. Rem tamen planam esse puto. Humor certè, nisi ex eo flatus excitetur, spiritus ita agitare non potest. Neq; caliditas id per se præstat; cum in multis affectibus capitis spiritus incalescant sine Vertigine. Neque exemplum aquæ ferventis id probat. Quod enim aqua fervens agitur, & movetur, causa sunt partes illæ aquæ, quæ vi caloris aërescunt; aut, ut alijs placet, partes ignis permixtæ, quæ cum, ut potestiores, sursum tendant, & exitum quarant, aquam simul movent.

QUÆSTIO III.

*An Repellentia locum habeant
in Vertigine per consensum
partium inferiorum?*

An repellentia in vertigine locum habeant.

Respondet quidem Massariæ, quilibet materiam repellendam esse; & quanquã hujusmodi repellentia prælidia aliquo incommodo non careât: tamen longè majorem utilitatem asferre. Verùm in omnibus affectibus capitis per consensum tutius semper repellentia & intercipientia, quàm repellentia adhibentur.

QUÆSTIO IV.

Quâ ratione prospectus ab alto, & in profundum Vertiginem excitet?

Quomodo prospectus ab alto vertiginem excitet.

Cur ab objectis externis circumrotatis, & variè motis Vertigo excitetur, res nõ ita difficilis est. Ad objecti enim talem motum per species visibiles spiritus optici speciei visibilis in oculo receptæ celeritatem veluti sequentes simili modo concitantur, & agitantur. Hinc ij, qui Vertigini obnoxij, ad rerũ talium adspectum oculos claudunt, vel obvelant, & jumētis, quæ molas in gyrum circumducunt, oculi obvelari solent, aut cœca in hãc operam eligi. Quomodo verò rerum profundarum & ab alto prospectus Vertiginem generet, non ita planum est. Theophrastus causam refert in titubationem, & dissipationem spirituum externorum, qui interiores agi-

L.l.

tent. Cum n. spiritus visorij, ubi res profundæ spectantur, in immensum quasi protendantur, in tantâ spatij lōgitudine firmos manere nõ posse, sed titubare quasi, & tremere, eumq; tremorem radiorum communicatũ spiritib. cerebri eos similiter movere existimat. Verùm malè præsupponit visionem fieri radiorum, & spirituum emissionem, & spiritus continuò ab oculo ad rem visam extendi, & quasi baculum, vel funem tremere posse. Et si saltem lōgitudine spatij esset in causa, cur non etiam prospectus in altum, & stellarum adspectus vertiginem moveret.

Hercul. Saxonia ex adspectu rei profundæ spiritum animale m ita consumi putat, ut propter ejus defectum, ne vacuum detur, postea attrahantur vapores, qui vertiginem excitent. Verùm enim verò non plus spirituum in rei profundæ, quàm propioris adspectu consumitur. Et si hæc hujus rei causa esset, etiam res longinquæ è directo in plano, vel alto positæ, æquæ ac res profundæ, vertiginem excitare deberent.

Probabilius est, ex rei quasi horrædæ, & metuendæ, ac periculosæ adspectione terrorem & metum excitari, & spiritus primũ vitales, & ab his naturales, utpotè qui ex illis generantur, agitari, & ab illorũ cursu & recursu & hos inordinato motu moveri. Unde qui assueti sunt in alto versari, neq; metuunt sibi, si ex alto prospiciant, Vertigine facillè corripì non solent. Ita capite deorsum inclinato, spiritibusque tunc ab eo ad principium nervorum vergentibus, cum illud

Oo

illud rursum erigitur, iisdem spiritibus impetu ad propriam sedem remeantibus, Verrgo excitari solet. Quamquam & à sanguine venoso atq; arterioso spiritus vitales continente deorsum fluente, & spiritus animales turbante ac movente idem, & forsan facilius, accidere possit.

CAPUT V.

De Phantasia, Ratiocinatione, & Memoria imminuta, atq; abolita.

POST sensus communis symptomata, de quibus hæcenus egimus, explicanda veniunt symptomata, quæ Phantasiæ, Ratiocinationi, & Memoriae accidunt; de quibus in Institut. lib. 1. p. 1. s. 1. c. 7. & s. 2. cap. 4. tractavimus.

Phantasia, Ratiocinatio, Memoria læsa.
Læduntur autem functiones istæ triplici modo: vel dum imminuuntur, vel dum abolentur, vel dum depravantur. Imminuta Phantasia & Ratiocinationis symptomata sunt, Mētis imbecillitas, & hebetudo, Tarditas ingenij, Stupiditas, & Torpor mentis: abolita, Amentia. Ad depravatas has actiones pertinent omnia deliriorum genera. Memoria verò, cujus officium est non judicare, sed saltem imagines recipere, & retinere, debilitari & aboleri, depravari non potest, ut plerique sentiunt.

De his itaq; actionum principum læsionibus, quæ sine alijs, ut soporosis, & alijs, in quibus omnes animales functiones læduntur, affectibus coniungunt, jam dicendum. Et primò

quidem de imminutis & abolitis. Agemus autem de his conjunctim; quia communes causas, & communè curandi rationem habent. Præterea læsa memoria plerūq; stoliditatis causa est. Cū enim memoria species rerum non retinet, neq; eas, ut debet, phantasiæ, & intellectu ui suggerit, facultates hæc objecta, quibus exercentur, non habent. Atque ita solùm occupantur circa species ab externis objectis oblatas; ac in operatione non persistunt; & homines dicuntur stolidi, infantibus similes, qui non discunt circa species reservatas, sed prout hoc vel illud ipsis offertur, ita judicant, statimque & rei, & iudicii facti obliviscuntur, & modò unum, modò alterum appetunt & statuunt.

Primò ergo quod imminuta & ab- *Phantasia & Ratiocinatio imminuta & abolita.*
lata hæc functiones attingit, pertinet hæc omnes, qui adultiores facti, istas actiones, quæ homini maximè propriæ sunt, vel nullo ferè modo, vel debiliter certè exercent. Quod malum, longè maximum est. Cum enim solis hæc functionibus homo à brutis differat, si ijs destituatur, & privatur, ferè ad brutorum classem detruditur. Sunt tamen talium quidam gradus.

Quidam n. omni ferè ingenio destituuntur, & facultas imaginatrix, præcipuè verò, ratiocinatrix, ita à causis p. n. impedita est, ut nullos conceptus gignere possit, qui ad sapientiam spectent, nec illa ipsa principia, quæ ad disciplinas omnes in universum discendàs præsupponuntur, & præcognoscenda sunt, assequi queant. Quæ de causa omnis via, & ad sapientiam aditus.

aditus ipsis præcluditur, atque in istis
 instituendis oleum & opera perditur.
 Qui Amentes & Stolidi dicuntur; vi-
 tium ipsum *αἰτία*, Amentia, & *μωρο-
 σις*, Stultitia nominatur. Alij sunt, qui
 primorum quidem principiorum cog-
 nitionem assequuntur, atque hinc a-
 liquas cõclusiones deducunt, sed ma-
 gno cum labore: qui ingenio Tardi;
 Hebetes. Stupidi appellantur; vitium
 ipsum Mentis hebetudo, Stupiditas,
 Torpor ingenij. Etsi n. symptoma-
 ta ista, præcipuè apud Latinos, nomi-
 nib. non semper accuratè distinguan-
 tur; usus tamen ferè obtinuit, ut in
 institut. *loc. alleg.* dictum, ut *ἄνοια* dica-
 tur, cum Imaginatio, Ratiocinatio, &
 Memoria ferè abolerentur; *μωροσισ*, ut
 ex Galeno, *1. prorrhet. comm. 2. t. ult.* pa-
 tet, cum sine delirio homo parùm ra-
 tiocinatur, à quo vitio gradib. saltem
 differunt, Stupiditas, Tarditas, & Tor-
 por ingenij. Cum verò actio immi-
 nuta, & depravata concurrunt, & ho-
 mo parùm ac malè judicat, Stultitiã
 appellari potest. Memoria, ut dixim⁹,
 non depravatur, sed vel imminuitur,
 vel aboletur. Lædantur autem actio-
 nes hæ vel seorsim, ut sola interdum
 ratiocinatio, interdum sola phanta-
 sia, interdum sola memoria; vel plures
 simul.

Dicemus verò in primis de Memo-
 riæ læsione. Hæc enim læsã, uti dixi-
 mus, læditur consequenter phantasia
 & ratiocinatio; & læsã memoriæ ex-
 empla sæpius offeruntur. Phantasia
 verò & ratiocinatio cum plerumque
 vel à primo ortu lædantur, & homo
 Stupidus, aut fatuus nascatur; vel ata-

te aboleantur, aut debilitentur, ut fit
 in senib. vitia ea ferè incurabilia sunt.

Passim autem Memoriz læsã nota-
 bilia exempla occurrunt, quæ collegit
 Schenckius, *libr. 1. observ. 128. & seqq. empla.*
 Inter reliqua notatu digna sunt, quod
 Plinius, *natur. histor. lib. 7. c. 34.* narrat,
 quendam ex præalto testio lapsũ, ma-
 nis, & affinium, propinquorumq; ca-
 pisse oblivionem: alium ægrotum ser-
 vorum etiam; sui verò nominis Mes-
 salam Corvinum, Oratorem. Et Chri-
 stoph. à Vega, *libr. 3. art. Med. cap. 10.* re-
 fert, Franciscanum quendam ex acuta
 febre ita memoriam amisisse, ut, etsi
 prius peritus esset Theologus, postea
 nec literas agnosceret, neque nomina
 rerum, quæ sibi assiduè in usu erant,
 memoria teneret. Et quod Bassianus
 Landus, *de human. historia*, recitat; Frã-
 ciscum Barbarum, Hiermolai admi-
 cum, Græcarum literarum, quarum
 erat doctissimus, in extrema senectute
 oblitum esse; quanquam dijudican-
 di, & commentandi facultate polle-
 ret. Et quod de Studio quodam Mõ-
 peliensi ex Rondeletij narratione
 Thom. Jordanus, *de pest. phenom. tra-
 ctat. 2. cap. 2.* habet, qui ex vulnere ita
 rerum omnium oblitus est, ut instar
 infantium Luterias retrogredi, & pri-
 ma pueris tradi solita elementa disce-
 re de novo necesse habuerit.

Causæ.

Ad causas horum symptomatũ re-
 cte investigandas necessariũ est, quæ-
 rere, quomodo, & quibus instrumen-
 tis hæ actiones in sanis perficiantur.

Quomodo
& quibus
instrumē-
tis actio-
nes ani-
males prin-
cipales in sa-
nu persici-
antur.

Videmus enim homines etiam sanos secundum ætatis differentias diversimodè has actiones edere. Primò enim infantes parùm valent hisce functionibus, & à brutis non multum differunt: postea ætatis progressu magis magisq; & memoria, & ratiocinatio, & phantasia sese exerunt, donec in adolelescētia, & virili ætate ad *apex* perveniant, & quidem mirabiles & stupēdos effectus homo edat. Hinc rursum declinante ætate vigor ingenij & memoriæ imminuitur, & tandem in decrepita ætate quasi repuerascūt pleriq; senes. Hæc in hisce ætatibus actionum istarum varietas animæ adscribi non potest, quæ ipsa semper eadem manet, nullamq; alterationem, & mutationem recipit, sed diversitas ista omnino ex organorum, cerebri puta, & spirituum animalium diversa dispositione provenit. Cerebrum certum caliditatis & humiditatis gradum requirere ad has actiones, extra cōtroversiam est; idq; vel ex eo patet, quod infantes ob nimiam humiditatem in hisce actionibus minus valent, quàm absumptâ, & corpore indies sicciore evadente, facultates hæc magis sese exferere incipiunt.

Quis autem ille gradus sit, in hac humanæ mētis caligine determinare difficile est, imò impossibile: Ne dicam de occultis illis qualitatibus, quæ cerebro non denegandæ, ac modo substantiæ; ut nec de eo, quænam dispositio ad memoriam, quæ ad phantasiam, necessaria, & aptior sit. Videmus enim homines secundum has facultates variare, & rarissimè unum aliquem

hisce omnibus eminere. Id quod procul dubio à cerebri, & spirituum constitutione peculiari provenit. Neque enim eadem omnibus actionibus apta est. Primæ ætatis constitutio vegetativa, ac sensitiva actionibus apta est, non verò àctionibus mentis; contrà senum constitutio ad has apta, ad illas verò inepta. Atq; inde etiam accidit, ut in affectibus p. n. qui dispositionem cerebri, & spirituum mutant, quales sunt phrenitis, melancholia, mania, in momento quasi omni sapientia, & scientia, quæ antea præditus fuit homo, privetur. Contrariam *Ex morbo* observatum, stolidos & stupidos plus *acquisitū* ingenij ex morbo acquisivisse. Ari- *ingenium,* stoteles, *sect. 30. problem. 2.* refert de Marco quodam Syracusano, quod dum mente alienaretur, præstantior Poëta erat. Notabilia verò hujus rei exempla duo recitat Janus Huartus, *Scrutiniij ingenior. c. 7.* Primum; Cordubæ, anno 1570. in aula Regia fatuus quidam erat, Ludovicus Lopezius, qui ob jocos & sales in gratia aulicorum erat. Is cum febre maligna corriperetur, in medio morbo ad tantum judicii & discretionis acumen pervenit, ut universam aulam in admirationem raperet; & toto vitæ, quod reliquum habuit, tēpore prudentissimus perstitit. Alterum est hoc: Puer nobilis, satrapæ cujusdam in Hispania pedilequus, sanus ingenij stupidi, & pauci intellectus; postquam in maniam (melancholiam fuisse existimo) incidisset, tam aptè, tam prudenter ad interrogata respondit, tamq; acutas & ingeniosas edidit regulas de administran-

strando regno, cujus ipse se Dominum esse imaginabatur, ut prodigij instar videndi, audiendiq; ejus caussa cōplures confluerent. Illi ipse, cui inserviebat, herus raro à lecto discedebat, Deum rogans, ne mentis ipsi restitueret Medicus sanitatem. Et cum ipsum pristinae sanitati restituisset, malè id habuit herum, doluitque, ex sapienti & ingenioso rursus stolidum reddidisse. Imò ipse puer ægrè tulit, se pristinam sanitatē recuperasse. Cum enim in delirio viveret, ejus animus subtilissimis mundi cogitationib. passēbatur, cujus Monarcham se esse imaginabatur, omnesq; Reges, quasi Vatallos, se Dominum agnoscere credebat. Quod licet falsum esset, nihilominus tantam inde delectationem habebat, ac si reverà talis esset.

Galenus hæc de re peculiarem libellum scripsit, quo monstrat, quod animi mores temperamētum corporis sequantur. Cui ipsa experientia adstripiatur, quæ ingens discrimen ingeniorum secundum regiones, & in singulis regionib. secundum temperamentorū varietatem nobis ostēdit.

Naturalis autem hæc constitutio requirit tria: 1. bonam temperiem; quod & occultas qualitates, & modum substantiæ referimus. Cerebrum enim non solum bonam temperiem habere debet, sed & constare substantia suo modo tenui, ac subtili, non crassa. 2. debet habere justam quantitatem, figuram; & conformationem. 3. unitatem. In his si quid mutetur, actiones, quæ in eo, & ab eo fiunt, mutari necesse est.

Neq; solum ipsum cerebrum bene dispositum sit oportet, sed & spiritus animales, qui proximum animæ in hisce actionib. obeundis sunt instrumentum. Et cum spiritus animales ex vitalibus fiant, & hos benè dispositos, subtiles, rectè temperatos esse oportet. Unde etiam in sacris literis prudentia & sapientia cordi adscribitur. Deus Solomoni cor prudens & sapiens largitus esse dicitur.

Cum autem diversæ sint facultates, phantasia; ratiocinatio, & memoria, & videamus etiam homines sanos alios memoriâ, alios phantasiâ, alios intellectu pollere, si, quæ constitutio memoriæ, quæ phantasiæ, in specie magis inserviret, notum haberemus; & in causis harum læsarum functionem investigandis facilius progredi possemus. Nam intellectum quod æriæ, ejus operationes quidem sine corporeo organo perficiuntur; quia tamen in corpore perficiuntur, & anima; dum est in corpore, non sine phantasmate intelligit, & ante operationem propriam subordinatis actionibus utitur, quæ cerebri & spirituum beneficio perficiuntur: his lætis & ipsa etiam Ratiocinatio læditur.

Tentarunt quidem in hac re aliquid cum alijs, tum Janus Huartus, *in scrutatio ingenior.* Et Memoriâ quod attinet, vulgata equidem sententia est, ad apprehensionem utilem esse humiditatem; cujus rei signum sit in pueris; qui felicius res memoriâ apprehendant, quam senes, cum cerebrum habeant humidius. Idque ideo, quod, cum memoria per viam quandam im-

pressionis fiat, in cerebro molli facilius figura imprimantur, in duro difficilior. Ad species vero firmiter retinendas, necessariam esse cerebri duritiem, & siccitatem statuunt, & exemplo rerum externarum, cere præcipue id declarant, quibus, si molles sint, facilius figura imprimantur, facile tamen obliterantur: si vero duriores, difficilior quidem signa imprimenda recipiunt, impressa vero fortiter retinent. Verum si ea, quæ J. C. Scaliger, *exerc. 307. sect. 28.* hac de re habet, diligenter consideremus, vix admitti potest hic memoriae modus. Cum enim memoria sit penè infinita, quibus spatiis continentur illa, quibus sedibus ita disposita, atque etiam ordinata, ut & unumquodque separatim, & cuncta conferatim, & singula ordinatim promere, statuere, digerere possimus? Et si, quæ ratione actiones sensuum externorum, ut & internorum perficiantur, diligenter consideremus, atque attendamus, species illas sensibiles non recipi in materia, sed à spiritibus ad animam deferri: tota hujus rei causa in spiritibus proximè quaerenda videtur; secundariò vero in cerebro.

Lesa memoriae causa.

Ac si peritò causas omnes, quæ memoriam, & intellectum tardant & juvant, perpendamus, inveniemus, siccitatem cum moderato calore conjunctionem memoriæ & intellectui esse aptissimam; id est, cerebrum, quod nec calore destituitur, nec humiditate abundat, esse ad has actiones aptissimum. Unde Heraceliti illud, quod Galenus, *in libr. quod anim. mores, c. 5.* recitet: *Splendor siccis, animus sapientissimus,*

*id est, spiritus calidi & siccis, sed moderatè, tam ad memorandum, quam ad ratio mandum sunt aptissimi. Ideoque contra & frigidum, & humidum, & siccum cerebri ad has actiones ineptum redditur. Abolet memoriæ frigiditas, imminuit frigiditas aut siccitas. Et quidem frigiditas, vel sola, vel cum humiditate aut siccitate conjuncta. Hinc cum Infantes, tum decrepiti senes parùm hisce actionibus valent. In infantibus quidem calor est copiosissimus; verùm multà humiditate obruitur. In senibus & calor deest, & multa adsunt excrementa, seu, ut Scaliger, *loc. allegat.* loquitur, in puero sunt multa excrementa; in senes etiam aliena. Et in humido cerebro multi spiritus commicantes sese tanquam circuli in aqua secant, & in humido cerebro multa inter intellectum, & species servatas interponuntur, quæ si fuerint cæssa, fit oblivio; si mobilis, dilatio recordationis; atque ibi reminiscencia, cum removentur intercedentia impedimenta. Ideoque cum à frigiditate & humiditate cerebri spiritus animales ad has actiones inepti reddantur: frigiditas, & quæ hanc, ferè ut individua comes, sequi solet, humiditas, & excrementorum copia, imminuta & abolita phantasie, memoriæ, ac rationationis causâ merito statuitur. Sufficit tamen etiam sola frigiditas, & calidi nativi defectus, ut Galenus, *2. de loc. aff. cap. 7. & 3. de loc. aff. cap. 5.* docet.*

Calida tamen & sicca etiam intemperies, ut dicitur, memoriæ obesse potest.

potest. Sicut & conformatio cerebri vitiosa hinc actionibus impedimento esse potest.

Et quod frigiditatem, quam plezumque humiditas sequitur, attinet; ad eam producendam faciunt omnes causæ, quæ supra, *part. 1. capit. 2. 3. 10.* sunt propositæ. Quas ut hic conjungamus, & huic loco applicemus, sciendum, quod frigiditas cerebri est vel simplex, vel composita, cum, vel sine materia, à causis, *loc. alleg.* propositis inducta. Non tamen hic saltem admitti temperiem & qualitates elementorum respiciendum, sed etiam ad ipsum calidum nativum, cujus copia actiones omnes vegetiores reddit, defectus debiliores. Deficit autem calidum nativum vel à primo ortu, vel post ortum. Calor nativus à primo ortu deficit, dum cerebrum est nimis parvum, & ita in parvo cerebro paucus calor; aut dum cerebrum est nimis magnum, cui caloris innati quantitas non responderet, sed, propter magnam cerebri molem exiguus calor quasi dispergitur. Unde plerumque Capitanes parùm ingenio valent. De quo vide Institut. *lib. 3. part. 1. sect. 2. capit. 3.* Infantes verò etsi quoad molem & quantitatem satis caloris habent: tamen ad ratiocinandum non apta est eorum cerebri dispositio: quia calor iste à nimia humiditate obtunditur, quâ postea absumtâ calor acrior & efficacior redditur, & indies homo ad has actiones aptior evadit. Siccitas enim ad prudentiam, humiditas ad dementiam animum deducit, ut Galenus, *in lib. quod animi mores, cap. 7.* scri-

bit. Transfertur autem hoc vitium sæpè à parentibus in liberos, & ut aliarum partium imbecillitas sæpè hereditaria est; ita & cerebri vitium istud in sobolem transit. Et quod in infantibus accidit, idem etiam in adultis potest fieri, ut in ijs nimia humiditate calor obruatur, vel etiam à primo ortu nimis paucus sit; unde homines, cum adolefcunt, stupidi, vel amentes manent.

Si autem post ortum calor nativus deficiat, vel ab humido obruatur, causa ejus rei variæ esse possunt. Primum est ætas, ob quam in senectute calidum deficit, senesque, etsi siccissimi sint; tamen quia humidum radicale, & calidum innatum in ijs. ferè absumtum fuit, ideo & ad ratiocinandum, & memorandum minus apti sunt, & ut Galenus, *in lib. quod animi mores, cap. 3.* habet multi decrepiti senes amentes: sunt, seu, ut in proverbio dici solet: *Bis pueri senes.*

Deinde Aër. Ut enim aër tenuis & purus subtilia reddit ingenia: ita crassus & impurus contrà tarda ac obtusa. Hinc, ut Galenus, *6. Epid. comment. 6. t. 8.* scribit, Athenienses acuto sunt ingenio, propter aërem tenuem, in quo degunt: Thebani verò stupidi; quia Thebis, & in tota Bæotia crassum est cælum; unde Horatius, *in Epist.*

Bæotum in crasso jurares aëre natum. Tertio ciborum, & potus frigidi ac humidi frequens usus, & præcipue eorum, quæ vim quandam stupefacientem habent, ut papav. usus frequens, c. apulæ & ebullitas, quæ maxi-

mæingenij & memoriæ pestes sunt. Et in primis si duæ hæ causæ, aëris nimirum, & cibi ac potus vitium concurrant, ingenium ac memoriã valdè debilitare solent. Ita refert Eustach. Rudius, *libr. 1. Pract. capit. 6.* se in Tirolenti quodam Comitatu amentium, stultorum, fatuorumque frequentissimum numerum vidisse, causamq; mali agnovisse aëris frigiditatem & humiditatem, aquarum cruditatem; id quod ex gutturis bocijs deprehendit; vini penuriam, & usum frequentem panis cum semine papav. confecti. Quod etiam observavit Platerus, ut refert *tract. 1. Pract. cap. 3.* in Carinthiæ valle, Binsgerthale dicta, in qua multi reperiuntur stulti & stupidi, capite informi, linguã magnã, & tumidã, muti, strumoso gutture, aspectu deformi.

Quartò morbi, & causæ morbificæ eorundem symptomatum causæ esse possunt, si calidum innatum cerebri destruant, idq; humidius reddant. Ita post morbos diuturnos, malignos, cerebri abscessus, vulnera, contusiones capitis; stupiditas & stoliditas interdum sequi, ac memoriã amitti potest. Sic in peste illa famosa Attica, quam Thucydides, *lib. 2.* & Lucretius, *in fine libr. 6.* describunt, homines tanta omnium rerum cæpit oblivio, ut & familiares, & seipsum non agnosceret; & memoriã ex febre, & vulnere, ac capitis percussione amissæ exempla supra recensuimus.

Venena quoq; & philtrea ex ingenio stolidos, & amentes reddidisse, notum est. Et inter ea cerebrum felis

comestum memoriã abolere dicitur. Quò pertinent & narcotica capiti & cervici incautè applicata. Idem præstare possunt medicamenta calidum nativum absumentia, vel extinguentia. Humores etiam vitiosi, intemperiem frigidam, vel frigidam & humidam cerebro inducentes, calorem nativum suffocant, spiritusq; ineptos ad hæc functiones reddunt. Pertinent huc & nimia sanguinis profusio, labores nimij, vigiliæ immodicæ, studia nimia, & omnia hujusmodi, quæ calidum nativum cerebri possunt absumere.

Calida tamen & sicca intemperies etiam memoriã labefactare potest, dum inordinatum spirituum animalium motum facit; ut testatur Galenus, *3. de loc. affect. cap. 5.* ubi scribit; novisse se quendam, qui ob labores in studijs, atq; vigiliis memoriã penè amiserat, læsã etiam ratiocinatione; item agricolam, qui ob labores, quos vites colendo subierat, ac tenuem victum, eodem malo affectus sit. Et Scaliger, *loc. alleg.* scribit, quod etiam in siccis cerebris, si sint biliosa, propter spirituum mobilitatem memoriã lædatur. Quæ intemperies etiam à medicamentis induci potest; novimusq; aliquos, qui, dum medicamentis calefacientibus, & siccantibus memoriã roborare vellent, cerebro nimiam exciccato, & calido nativo absumpto, fatui ferè evaserunt.

Nocet quoq; memoriã & ingenio, si mens diversis studijs distrahatur, & *Pluribus intentus minor est ad singula sensus.*

dum

dum plurimæ imagines sese invicem turbant, obfuscant, ac confundunt.

Præter intemperiemeriam Conformatio, quæ ad spiritus capiendos, eorumque motum necessaria est, ingenio, ac memoriæ obesse potest. Quod referri potest & substantiæ cerebri modus; de quo in *Institut. libr. 3. part. 1. cap. 3.* Qui enim tenuitate cerebri destituuntur, & cerebrum crassius habent, ij procul dubio ad has actiones omnes non ita apti sunt. Et enim in tenui substantia cerebri spiritus animales moventur expeditius, in crassa verò impediuntur. Et quò cerebri substantia, ac calidum, & spiritus innatus sunt tenuiora, & puriore, eò etiam puriores & tenuiores spiritus in eo generantur. Figura cerebri imitatur cranij figuram, & plerique, qui minus decentem capitis figuram habent, stupidi sunt, aut malitiosi, quale caput Theristes, ob id famosus, habuit. Quò pertinet & casus ex alto & percussio, quibus procul dubio cerebri conformatio læditur; unde quosdam memoriã amisisse, supra ex Plinio diximus. Et Guilhelm. Rondeletius, in *fin. libr. 1. meth. cur. morb.* refert, quendam valdè eruditum, cui gladius in oculum altius adactus fuerat, ob vulnus illud memoriã ita amisisse, & rerum omnium ita oblitum fuisse, ut Lutetias repetere, & prima literarum elementa iterum discere coactus fuerit.

Signa Diagnostica.

Ipsium malum ex actionibus ægri læsis facillè cognoscitur. Cum enim

L.I.

memoriæ officia sint, facillè arripere, fideliter retinere, expeditè expromere, & reddere; si horum aliquid desit, & imprimis, si imagines sensibilibus rerum, quæ prius animum moverunt, in mentè, ubi opus est, non veniant, imaginatione & ratiocinatione salvà: potissimum memoriæ vitiosa signum est.

Causas quò attinet, si conformatio cerebri & capitis vitiosa horum malorum causa sit, ea in oculos incurrit, & vel ab ortu homini contigit, vel homo percussus & lapsus est.

Hæc si absit, defectus calidi nativi, & frigiditas ac humiditas abundans ex causis calidum innatum cerebri absumentibus, & cerebrum refrigerantibus, ac humectantibus, vel etiam siccantibus, (quæ & ipsæ consequenter calidum nativum absument) aut ex actionibus læsis, vel excretis, juvenibus item, & nocentibus cognoscitur; ut supra, *part. 1. c. 2. 3. & 10.* dictum. Nimirum si intemperies cerebri sit frigida & humida, somnus est longus & profundus: si humida tantum, est somnus longus, sed non profundus: si frigida tantum, moderatè somnolenti sunt: si frigida & sicca, non sunt somnolenti. Ita & copiã, vel paucitatem excretorum frigiditas, vel sola, vel cum humiditate, aut siccitate conjuncta cognoscitur. Qui enim frigidum & humidum habent cerebrum, multa excrementa per palatum & nares emittunt, qui frigidum & siccum, pauca; si frigidum tantum, moderata; si cerebrum sit calidum & siccum, cum memoriã læsã adest delirium ac rationis læsio.

Pp

Pro-

Prognostica.

1. Eventus mali talis expectandus, qualem causa promittunt. Ipsa enim symptomata ex se eum non indicant: sed ut à causis suis pendent, ita non tolluntur, nisi ijs ablatis.

2. Si absq; causa externa memoria subito datur, imminētis apoplexiæ, epilepsiæ; paralysis est indicium, si homini salvo aliàs id accidat. Sive rō ægroto viribus destituto memoria deficiat, certissimum est propinqua mortis indicium.

3. Mentis imbecillitas & stūpeditas ab ortu contracta, & quæ à conformatione prima capitis vitiosa provenit, incurabilis est.

4. Incurabilis est & illa, quæ ætatis ratione accidit.

5. Nec curatur, quæ ab inveterata epilepsiâ pendet: Ut enim illa vix curatur: ita & symptoma inde excitatum.

6. Difficulter & illa curatur mentis imbecillitas & memoriæ læsio, imò plerumque incurabilis est; quæ à malignis morbis, venenis, ac philtis ortum habet.

7. Quæ à frigiditate & humiditate, ac humore pituitoso ortum habet, & cum lethargo, caro, apoplexiâ accidit, etsi & ipsa curatu sic difficilis: tamen interdum curatur; præcipuè dum ætas viget, & vires constant.

8. Oblivio à caliditate & siccitate contracta curatu difficilior, quàm à frigiditate & humiditate; quia talis constitutio à cerebri constitutione remanet, & facilius & tutius est.

caput calefacere & siccare, quàm frigidificare & humectare.

9. Oblivio sub accessiones periculosa. Hippocrates, 3. epid. comm. 3. text. 37.

Indicationes.

Intemperies cerebri & spirituum, *Memoriæ* quæ adest, & causa horum malorum *læsa*, & est, corrigenda per contraria; & materia, quæ cum ea conjuncta est, evacuanda, ut *part. I. dictum*; calidum nativum instaurandum, & spiritus torpidi excitandi. Quæ tamen immodicæ corporis evacuationes, & inanitiones sequitur memoriæ læsio, requirit tantum commodam refectionem per cibum, & calidum nativum ac spiritus instaurantia ac roborantia; sicut & illa, quæ senibus accidit.

Auxilia.

Quâ ratione autem hisce Indicationibus possit satisfieri, dictum etiam supra, *part. I. capit. 2. 3. & 10.* ubi monstratum, quâ ratione intemperies frigida & humida calefacienda, & siccanda sit, & pituita caput obsidens præparanda & evacuanda. Pauca saltem hic illis adjungimus.

Alterantia quod attinet, quæ eadem humorem pituitosum præparat, proponentur etiam postea inter roborantia. V. g. materia pituitosa sic præparanda:

℞. Rad. ireos Flören.
acori veri,
valerian.

pyrethr. an. Drach. ℥.
galang. Drach. ij.
betonic.
majoran.
meliss.
thymi,
flor. lilij convall. an. M. ℥.
lavendul.
salvia,
stachad. Arab. an. M. ij.
sem. foenicul. Unc. ℥.
 Coqu. in suf. aq. q.
 Colat. R. ℥. j. ℥.
 adde mellis q. s.
 Despumetur, & aromatulentur nuc.
moschat. & *cinamom.* pro 4. vel 5. do-
 sibus.
 Vel R. Rad. *peon.*
acori veri, an. Unc. ℥.
betonic.
majoran.
serpill.
hyssop.
salvia,
stachad. Arabic.
rorismarin. an. M. ℥.
sem. carui,
foenicul.
sileris montan. an. Unc. ℥.
cinamomi,
nuc. mosch.
macis, an. Drach. ij.
 Concisa & contusa indantur in vas
 vitreum, & affund. *hydromelit.* ℥. iij.
 vel q. s. & vase clauso in B. horis 2. coq.
 postea colentur.
 Colaturæ, si libet, addantur
oxymelit. scillit. Unc. iij.
 Dentur singulis diebus manè & ve-
 sperti Unc. iv.

Vel R. Aq. beton.
salv. an. Unc. i℥.
essent. salv.
meliss. an. Scrup. ℥.
strup. de stachad. Unc. j.
aq. cinamomi Drach. ij.
 Miscæ pro haustu, qui cubitum ite-
 ro exhibeatur.

Purgantia.

Purgantia ex prima parte nota sunt.
 Exempl. gr.

R. *Pilular. aurear.*

Arabic. an. Drach. ℥.

trochiscor. albandal. gr. iij.

extract. castor. gr. ij.

F. *Pilulæ xxv.*

Vel R. *Extract. solut. Andern.* Scr. j.

hellebor. nigri Scrup. ℥.

gummi gotte gr. j. vel gr. ij.

extract. castor. gr. ij.

Cum aq. *lavendule.*

F. *Pilulæ xxj.*

Commendantur & hæ, quæ ta-
 men potius caput roborant, quam
 purgant:

R. *Aloes,*

agaric. an. Drach. ij.

sal. gemme Drach. j℥.

caryophyllor.

cinamomi,

macis,

nuc. condit.

ligni aloes,

thuris,

maslich,

myrrh. el.

cubebar.

absinth.

croci,

bacc. lauri,
juniperi,
stœchad. Arab.
calam. arom. an. Drach. ß.
 Pulverifata cum vino odorifero
 Misc. & F. Massa pilul.
 Dosis Drach. j.
 Vel *Agaris. albiss. Drach. ß.*
fol. sen. a. el. Drach. ij.
Zingiber alb.
sem. carui, an. Scrup. j.
 Macerentur per noctem in aqu. be-
 ron. & hydromelit. an. Unc. iij.
 In Colatura dissolv. super igne
diaphœnic. Drach. iij. vel Unc. ß.
 Iterum coletur. F. Haustus.
 Antiqui fortioribus, ut hierâ com-
 pos. hierâ Logadij, hierâ Ruffi uteban-
 tur.

Si ex intemperie frigida & sicca sit
 vitium, præparatio & purgatio fit ut
 supra, *part. i. de melancholia*, dictum.

Particulares quoque evacuationes
 per erhina, masticatoria, gargari-
 smos, apophlegmatismos fiât; de qui-
 bus etiam supra dictum.

Utiles quoq; sunt revulsiones per
 cauteria & fonticulos, qui in cruri-
 bus, vel brachijs excitari possunt.

Roborantia.

Roborantia, quæ scil. intemperiem
 cerebri emendant, & reliquias mate-
 riæ absument, cerebrumque confor-
 tant, etiam ex superioribus patent.

Sint autem fortiora; cum tempera-
 mentum cerebri in hisce affectibus
 valdè mutatum sit, & difficulter in pri-
 stinum statum reducatur.

Interna.

Inter simplicia cephalicâ hic magis *Medica-*
 utilia sunt, *lilium convall. melissa*, quæ mētâ me-
 moriam confortat, ingeniū acuit, moriã &
 & animi tranquillitatem, ac hilarita- *ingenium*
 tem præstat, & ad curas pellendas uti- *conservã-*
 lis est, *betonic. flor. stœchad. Arabic. laven-*
dul. primula veris, majorana, salvia, ros-
marin. rad. acori veri, pyrethr. semen hor-
mini, zingiber, nux. moschata,, quæ non
 tantum ob manifestas, sed & occultas
 qualitates ad caput roborandum, &
 memoriam confortandam commen-
 datur, si sæpè jejunio stomacho masti-
 cetur, vel alio modo usurpetur, *cubeba;*
thusitem, Scrup. ß. pondere cum vino,
 aut liquore conveniente sumtum;
sem. sinapi, myrobalan. castoreum, ebur, &
 alia supra *part. i. c. 2.* proposita.

Ex quibus parantur:

Aqua; *lilij convall. meliss. primula veris,*
majoran. salvia, rorismarin.

Conservæ; *lilij convall. meliss. lavendul.*
betonic stœchad. Arab. anthos.

Sirupij; *stœchad. simpl. & compos. de beto-*
nica, mel anacardinum.

Benedictus Victor. Faventinus si-
 rupum suum de aromatib. commen-
 dat, quem ita describit:

℞. Herb. & flor. sampsuchi,

thymi,

pulegij,

serpilli,

mentha,

calamint h. hortens.

sisymbrij,

rorismarini,

salvia,

betonic. an. M. ij.

Coqu;

Coquantur in suffic. quant. aquæ
ad consumptionem tertiæ partis.

Colat. in sindone ligatæ infunde

cinamomi,

nuc. mosch.

macis,

spica nardi,

Celtica,

folij,

zingiberis, an. Ser. j.

ambra,

moschi, an. gr. ij.

Bulliant ad 4. partis consumptionem, & cum l. q. sacchari F. f. a. Sirupus; cujus Unc. j. ß. cum aquæ flor. citri Unc. ij. miscantur pro dosi una, & sic pro alijs 5. vel 6.

Extracta & Essentia; *melissæ, salviæ, rosmarini, ligni aloes, cinamomi.*

Condita; *zingiber,* præsertim si cum modico thure lumatur, *rad. pyrethri, acori, myrobolani.*

Confectio; *sem. sinapi.*

Olea destillata; *nucis moschat. melissæ, majoran salvia, rosmarin.*

Species aromaticæ; *diambr. aromatic. rosat. diamosch. dulc.*

Vina medicata:

℞. *Ligni aloes,*

zingiberis,

piper. long.

galang. an. Unc. j.

caryophyllor.

cubebæ. an. Unc. ß.

nuc. moschat. Unc. ij.

In sacculum includantur, & affund. multi ℥. xij. vel etiam plures.

F. Vinum medicatum.

Confectio
anacardina.
na.

Electuaria; Confectio *anacardina,*
quæ ad frigidam & humidam intem-

periem cerebri corrigendam est efficacissima, unde etiam Confectio sapientum appellatur, quæ, ut gratior sit, sine castoreo parari potest. Scribit tamen de eâ Janus Huartus, in *scrutinio ingeniorum, cap. 22.* compositione istâ, quia valdè calida & sicca, intellectum & memoriam perire, etsi imaginationem exacuat, ut quis loquendo & respondendo per dictoria & comparationes excellat, & malitias ac dolos fingere calleat. Verùm præsupponit ille vulgarem doctrinam, nimirum ad memoriam opus esse cerebro molli. Cum autem certum sit, siccitatē cum moderato calore ingenium ac memoriam acuere, non est de nihilo, quod de compositionis hujus efficacia dicitur; & observatum, quosdam eâ mirabilem sibi memoriam comparasse, & proinde etiam in imminuta à caussis p. n. memoria usurpari potest.

Cautè tamen ea exhibenda, præcipuè in sanis, ad memoriam roborandam. Unde nonnulli ejus Drach. ß. vel minus, cum aq. calida exhibent, ut nimia ejus exsiccatio remittatur. Ijs vero, qui membra principalia calida habent, nullo modo exhibenda. Docuit enim & hoc experientia, nonnullos quidem memoriam admirabilem sibi hac confectioe comparasse, sed parùm vitales fuisse, & in ipso ætatis flore, corpore nimis exsiccato, extinctos.

Et rectè de hac confectioe hoc etiam monet Mercatus, prodesse quidè eam sãpè ijs, qui memoriam, quam à natura felicem obtinuerunt, vi caussarum præternaturalium læsam habent:

ijjs verò, qui à nativa constitutione debilem memoriam habent, maximo perè obesse, & ex ejus usu nonnullos judicium, alios memoriam planè amississe, & capitis dolores ingentes contraxisse. Nativa enim partium temperies, si in meliorem statum mutari debet sensim, & paulatim mutanda est, non vehementibus medicamentis, quale est Confect. anacardina, calidum & humidum nativum absumentum & exiccandum est. Ideoq; ijs qui debilem habent à natura memoriam, victu idoneo, & imprimis frequentioribus studijs, & memoriæ exercitacione subveniendum. Abs quo si sit, medicamenta parum proderunt.

Forestus hoc Electuario in muliere, quæ post apoplexiam memoriam ferè amiserat, feliciter usus est:

℞. Rad. acori veri, seu galang. minor. condit.

conserv. fl. betonic.

rorismarin. an. Unc. j.

fl. herba paralytis Unc. ℞.

cubebæ.

nucis mosch.

cinamom. pulverisat. ana

Drach. j.

Cum sirupo de stæchad.

F. Electuarium, de quo singulis diebus manè sumebat instar castaneæ, & nucham, occiput, & frontem aqu. hederæ arboreæ, ter, vel quater in alembico destillatæ inungebat.

Laudatur & hoc Mesue tanquam expertum, & satis utile:

℞. Mellis anacardin.

thuris,

rad. cyperi,

acori, an. Unc. j.

pipæris,

macropiper. an. Unc. ℞.

myrobalan. chebular.

Indar. an. Unc. j.

mellis q. s.

F. Electuarium, cujus dosis à Drach. j.

ad Drach. ij.

Vel ℞. Conserv. lilij convall.

betonic.

salviæ,

rorismarin. an. Unc. j.

lavendul. Unc. ℞.

spec. diambæ.

diamosch. dulc. an. Drach. j.

sem. carui,

caryophyllor.

cubebæ.

nuc. moschat. an. Drach. ℞.

ol. cinamom. gutt. vj.

Cum sirupo de stæchad. vel s. q. sacchari in aq. rosar. dissolut.

F. Electuariam.

Vel ℞. Conserv. betonic.

meliss.

lil. convall.

anthos, an. Unc. j.

mellis anacardin. Unc. ℞.

spec. diambæ.

diamosch. dulc. an. Drach. j.

Cum sirupo stæchad. vel conservation.

myrobalan. chebular.

F. Electuariam.

Vel ℞. Cinamomi,

spicæ nardi,

caryophyllor. an. Unc. ℞.

macis,

zedoar. an. Drach. ij. Scrup. ij.

moschi gr. v.

ambra gr. vj.

confect. anacard. Drach. ij.

ol. nuc. moschat. Drach. ij.

Cum sirup. de betou. q. s.

F. Electuarium.

Platerus hoc præscribit:

℞. *Confect. anacardin. Drach. ij.*

confery. majoran.

rorismarini, an. Unc. ℞.

Misce, & Fiat Electuarium, de quo
quantitas nucis moschat. manè & ve-
spere sumi potest.

AQUAE COMPOSITAE:

℞. *Rad. ireos,*

valerian, an. Unc. j.

meliss.

betonic.

origan.

rorismarin, an. M. j. ℞.

flor. primula veris,

lilij convall.

lavendal.

rosar. rubr. an. M. ij.

stæchad. arabic. Unc. ℞.

cina nom. opt. Unc. ij.

galangæ,

macis,

caryophyllor.

nuc. moschat. an. Unc. ℞.

cubebæ.

cardamom. an. Drach. vj.

ligni aldes Unc. ℞.

spec. diambra Unc. j.

asa dulcis Unc. ℞.

Incisis & crasso modo contusis
affunde vini Malvatic. vel Rhenani
℥. vj. vel viij.

Stent in digestionem per octiduum,
postea destillentur. Aquæ in usu spir.
rosar. & julebus rosar. addi possunt.

Alia: ℞. *Aq. betonic.*

bugloss.

flor. tilie, an. ℥. j.

spir. vini opt. ℥. ℞.

flor. rorismarin.

rosar. rubr.

majoran.

flor. bugloss. an. M. j.

spec. confect. anacardin. Unc. ij.

Stent in digestionem per mensem,
hinc destillentur.

Vel ℞. *Flor. lilij convall. M. ij.*

*spirit. seu aq. destillat. de baccis ju-
niper. ℥. iv.*

Stent in digestionem per dies 14. Hinc
coalentur, & exprimantur. Suo tem-
pore adde *flor. salvia, rorismarini, laven-
dul. an. M. j. spec. diamosch. dulc. diambra.*
an. Drach. ij. Maccrentur per mensem,
& hinc in vitro in Balneo destillentur.
Hujus aqu. cochl. j. ter in septimana
sumtum memoriam roborat, spiritus
animales illustrat, & ab apoplexia &
epilepsia præservat.

Vel ℞. *Flor. recentium & succulentor.*

rorismarin.

bugloss.

meliss. an. q. v.

Minutim incidantur, & add. fac-
char. albi q. s. & in Sole aqua succulen-
ta destilletur, de qua singulis diebus
mane cochlear. j. hauriatur.

Præstat tamen hanc aquam in MB.
parare.

Utilis est & Aqua sophorum Dorn-
creilij, ut & Aqu. sequens Vidi Vidij,
quam *libr. 7. de Med. cap. 5.* describit, &
mirificè memoriam confortare, &
ingenium acuere scribit, si manè
Drach. ij. sumantur.

℞. *Spir.*

℞. *Spir. vini opt.* ℥.v.

aq. bugloss.

melisse,

betonica,

stœchad.

flor. lilij convall. an. ℥.℞.

flor. anthos,

rosar. rubr.

bugloss.

majoran. an. M. j.

spec. diaplir.

diacastor. an. Drach. iij.

confect. anacard. Unc. j.

Infundantur prius flores, post species. Stent in digestionem per mensuram i. Postea destillantur.

Sequens Aqua sapientiae nonnullis dicta etiam commedatur; quae tamen inutilia quaedam recipit. Neque enim radices buglossae, pœoniae, myrobalani, anacardi vires aliquas aquae communicant; cum nihil de ijs in alembicum eleuetur:

℞. *Rad. bugloss.* Unc. ij.

costi amari & caud. Unc. j.

cyperi rotundi Drach. ij.

pœon. maris Drach. iij.

summitat. majoran.

verbena,

euphras.

flor. anthos,

betonica,

primula veris, an. M. iij.

meliss. M. ij.

lavendul. M. j℞.

stœchad. Arabic. Drach. vj.

santal. albi, rubri, citrini, ana

Drach. v.

myrobolan. chebular.

belliric.

Indar.

citrinar.

piperis longi & nigri,

castorei,

cardamomi,

nuc. anacard. an. Drach. j.

cubebae. Drach. ij.

bacc. lauri excort. Drach. iij.

nucis mosch. Drach. ij.

Pulveriscentur subtilissimè, flores autem incidantur.

Affunde *aq. lilij convall. vel*

bugloss. Italic.

flor. tilia,

roris marini,

aurea Langij, an. Unc. ix.

vini malvatici ℥.xj.

Adde *spec. latif. Rhasis,*

latif. Galeni, an. Drach. j.

trochisc. Galliae mosch. Scrup. ij.

Stent in infusione in loco calido per 8. dies. Deinde destillantur igne lentissimo in MB. addendo postea

magister. perlar. Drach. ij.

tinctur. corall. Drach. j.

essent. croci Scrup. ℞.

solut. sapphiri Scrup. j.

tinctur. D. Scrup. j.

Misce.

Usus. Hæc aqua ingenium ob nimiam humiditatem & frigiditatem stupidum acuit, memoriam eandem ob causam labilem, debilemque mirificè confortat, sensus omnes spiritusque vivificat, atque exhilarat, melancholiam reprimat. Dosis est Unc. j. alternis diebus.

Aquæ

Aquæ vitæ duæ preciosissime, quas Casparus Peucerus describit, in suo tractatu de memoria, & ex aulis principum accepit:

Prima.

℞. *Vvarum Creticar. vel Damascen. grand.* (officinæ Cybebas vocant) Unc. ii.

Concid. minutim, & infund. vini sublimati ℥b. i℥. aut dimid. canthar. (vel etiam ℥bii.) Insolentur autem calido loco, reponanturque octiduum vase vitreo bene obturato, adde

flor. saly. minoris,
roris marini,
borraginis,
buglos. an. Drach. ij.
rosar. rubr. exaresact.
lilior. convall. an. Unc. ℞.

meliss.
cortic. citri. recent.

betonica,
flor. tunicis, an. Drach. ℞.
santal. citrin.

rubr. an. Drach. ij.

Deducantur omnia in tenuissimum pulverem, & sic intusa tepido loco aserventur, macerenturque tamdiu, donec liquor injectorum vires omni parte exforbuerit ac cōbiberit, quod sapore deprehenditur, sitque ferè spacio 2. mens. Nihil obfuerit, si integram ætatem Solis radijs exposueris. Tandem per manicam Hippocrat. trajiciantur. Silibet, adjici possunt, *moschus, ambra*, ut aqua tantò fiat fortior. Dosis cochlear j. aut ℞. je juno stomacho.

L I.

Alteræ Aquæ:

℞. *Cinamomi Unc. ℞.*
zingiberis Drach. ij.
santal. omnium, an. Drach. iij.
caryophyll.
galangæ,
nucis moschat. an. Scrup. iv.
macis,
cubeborum, an. Drach. ℞.
cardamomi Drach. i℥.
Zedoaria,
sem. nigelle, an. Drach. i℥.
anisi,
fœniculi,
pastinac. sylvestr.
ocymi,
rad. angelic.
caryophyllat.
glycyrrhiz.
calami aromat.
valeriana minor.
fol. scarlez,
thymi,
calamintb.
puleg.
mentha,
serpill.
majoran. an. Drach. j.
flor. rosar. rubr.
salvia,
betonica,
roris marini,
stœchados,
buglos.
borraginis, an. Drach. ij.
cortic. citri Drach. i℥.
spec. diambra Drach. iij.
aromat. rosar.

Q 9

dia-

diamosch. dulc.

diarrhod. Abbat. an. Drach. ij.

Terenda terantur, & infund. libris aquæ vitæ præstant. vj. hoc est, duobus canthar. Sinantur in vitreo vase 15. dies continuos stare, occluso subinde vasis osculo. Deinde detillentur per alembic. in B. M. arctè occlusis commissuris. In aq. exstillatam ponantur.

santal. tessellatim incis. Drach. j.

mosch.

ambræ in per. lig. an. gr. iv. vel v.

julepi rosati clariss. lb. ss.

Stentq; ita per dies 15. postea aqua separetur. Præsentantia auxilia sunt aquæ hæc ad reparandam memoriam.

PULVERES:

R. Rad. cypri,

croci,

myrrh.

thuris,

piper. alb. an. Drach. j.

F. Pulvis.

Detur à Scr. j. ad Drach. j.

Vel *R. Rasur. eboris,*

CC.

castorei, an. Drach. j.

mosch.

ambr. an. gr. iij.

F. Pulvis.

Antiquitus valdè celebratus est Pulvis sequens:

R. Thuris masculi Drach. j.

piper. longi vel albi Scr. ss.

Deducta in pulverem propinentur jejuno stomacho, aliquot diebus sub aurora et, cum vino, vel aqua mellis.

R. Nuc. moschat.

thuris,

ligni aloes.

rasur. ebor. an. Drach. ss.

sem. anisi,

sinapi,

coriandr. preparat.

cubebæ. an. Scrup. j.

cinamom. Drach. iij.

margarit. prepar. Drach. ss.

mosch.

ambr. an. gr. vj.

manus Christi perlat. Drach. vj.

F. Pulvis, de quo cum pane albo, vino subdulci madido, cubitum iturus bis in septimana Drach. j. vel Drach. iij. sumat.

Multum etiam prodest, præsertim apud senes, in memoria deperdita instauranda pulvis Trithemij, qui ita paratur:

R. Macis,

cubebæ.

caryophyll. an. Drach. vj.

fol. senæ elect.

chamæpyt.

zingiber. albi,

crystallor. tartari, an. Drach. xv.]

rad. calami aromat.

gentiane,

sem. cumini,

sileris montani,

anisi,

petroselini,

spica Indic.

spica nardi, an. Unc. ss.

magister. corallior.

perlarum, an. Drach. iij.

Redigantur secundum artem in pulverem. Dosis est Drach. j. Hunc accipiat per primum mensem manè & vespere.

Vesperis ante cibum horis tribus; in vino, vel etiam brodio; secundo mense tantum manè; tertio mense manè ter in septimana; quarto mense bis in septimana; & sic deinceps per aliquot menses.

Valde commendatur sequens Tragea, de qua manè & vesperi tantum, quantum duo vel tres cuspides cultri capere possunt, sumatur:

℞. *Sem. levistici,*
petroselini,
ammios,
anisi,
apij, an. Drach. ℞.

thymi,
epithymi,
hyssopi,
origani, an. Drach. j.
spic. Celt.
cinamomi,
sem. ruta, an. Drach. ij.
piperis albi & nigri,
chelidon, an. Drach. ℞.
myrobal. omnium, an. Scr. ij.
sal. gemma,
chamadryos.
centaur. utriusq.,
marathri, an. Drach. ij.

Cum paucis saccharo
 F. Tragea.

PILULAE:

℞. *Pulv. cubebar.*
calament.
nuc. moschat.
caryophyll.
thuris, an. Drach. ℞.
ambra Scr. j.
moschi gr. v.
 Cum succo, & aq. majoran.

vel *salvia,* aut *sirup. de stœchad.*

F. Pilulæ è Drach. xij. & conspergantur spec. diamb. & sumantur hora decubitus 4. vel 6. quotidie, per integrum mensem.

Marcellus Ficinus, lib. 2. de studios. sanit. cap. 9. è tribus illis muneribus, quæ Magi Christo obtulerunt, confectio nem auream parat memoriæ confer vandæ, ingenio acuendo, sensibus ve getandis, spiritibusq; fovendis & ro borandis utilem:

℞. *Thuris Unc. ij.*
myrrha Unc. j.
auri foliat. Drach. ℞.

Cum vino fiant Pilulæ, quarum aliquot sub auroram sumantur.

Vel ℞. *succini odorati Drach. j.*

(possit ambra sumi.)
cubebarum,
thuris,
myrrha, an. Drach. ℞.
ligni aloes Scr. j.

Cum vino E. Pilulæ mediocres, quorum duæ vel tres alternis diebus ante cubitum dentur.

ROTULAE & MORSULI:

℞. *Nuc. mosch. num. ij.*
caryophyll. num. vj.
ligni aloes Drach. j.
sacchar. in aq. majoran. dissol. q. s.
 F. Rotulæ.

Vel ℞. *Spec. diamosch. dulc.*

diamb.
flor. lavendul.
rorismarin. an. Drach. ℞.
cubebar.
sileris montani.
flor. stœchad. Arab.
ligni aloes, an. Scr. j.

spec. confect. anacard. Drach. j.
moschi.
ambr. an. Scrup. ℞.
ol. destill. cinamom.

nucis moschat.

caryophyll. an. gutt. iv.

sacchar. in aq. rosar. dissol. q. s.

F. Rotulæ.

Claudinus sequētes Tabulas commēdat:

℞. *Ligni aloës* Scrup. ij.

cardamomi.

galangæ. an. Drach. j.

cinamomi Drach. ℞.

gallia moschat. Scrup. j.

sacchari in aqu. flor. citri dissolut.

Unc. vj.

F. Rotulæ, de quib. 3. vel 4. manē sumantur.

Vel parentur hi Morfuli:

℞. *Sacchar. clarificat.* ℞. ℞.

aq. lavendul.

borragin. an. Unc. i. ℞.

Coq. ad consumpt. aquæ. Postea adde margarit. preparat. Scrup. j.

eboris usti.

C. C. usti.

smaragdi preparati. an. Scrup. ℞.

ol. nuc. mosch. express. Drach. j.

F. s. a. Cōfectio in morfulis, de quibus unus unâ vice præberi potest.

In intemperie frigida & sicca, quæ calefaciunt & humectât, requiruntur.

Paretur ergo tale Electuarium.

℞. *Conserv. flor. borrag.*

bugloss.

betonic.

bliz convall.

Unc. ℞.

spec. diamarg. frigid. Drach. ℞.

Cum *sirupo tunicis, vel stœchad.*

F. Electuarium.

Externa.

Externa eodem modo se habere debent, & in intēperie frigida ac humida & sicca supra, cap. 2. 3. part. 1. proposita usurpanda. Commendatur hic aq. hederæ arboreæ, diligenter destillata, & occipiti applicata.

Utiles & hic sunt, extraq; capiti applicari possunt, aq. destillatæ modè propositæ.

Vel ℞. *Spirit. vini opt.* ℞. ℞.

caryophyll.

nucis moschat.

acori veri.

majoran.

flor. stœchad. Arab. an. Drach. ij.

Stent in vase clauso, & ubi opus, caput isto liquore illinatur. Sunt qui sequentem Aq. vitæ miris laudib. extollunt:

℞. *Cubebar.*

cardamomi.

croci.

confect. anacardina, an. Unc. ℞.

Affunde spiritum vini Malvatici ad super eminentiam 3. vel 4. digitorum. Stent in infusione per dies 10. Hinc effundatur liquor, & per chartam filtretur, quo tempora & occiput illinantur.

Vel abluatur caput lixivio, in quo radices asari, lauri folia, thus, fol. senæ, acorus, flor. chamæmel. majoran. melissa, rosmarin, & c. ebullierint.

Aliàs quidem nimium, & præter modum caput lotionib. non fatigandum. Redditur enim inde caput debile, atq; ad levissimam auræ injuriam destillationibus obnoxium. Quoties tamen usus exigit, ut octavo, vel decimo quoque die, lixivio abluatur, in quo dicta modò ebullierint; vel eisdem indatur sacculor. alteruter, qui

℞. *Macis* Drach. j.
caryophyll.
nuc. mosch.
majoran. an. Drach. ℞.
flor. labrusc.
rosar. an. Drach. j.
spic. Celtic. Drach. ℞.

Concisa indantur in sacculo.

Vel ℞. *Spica Celtica* Drach. ij.
flor. lavendule,
rosarum, an. P. j.
majoran.
rorismarin. an. M. ℞.
rad. irid. Drach. j.

Concidantur, & panno laneo insuntur, fingaturque sacculus, qui fermenti lixivio impositus probè exprimat, ut vim trahat & sorbeat. Apprimè confortant cerebrum & memorandi facultatem.

Adhibeatur & Sapo odoratus, qui
 ℞. *Saponis Veneti* ℥. ℞.
rad. irid. odorat. Drach. ij.
calami aromat. Drach. iij. ℞.
fol. hederæ,
caryophyll.
cardamom.
majoran.
thym.
stœchad. Arab.

nigell.
melis. an. Scr. iij.

Tritis terendis, & sapone derafo F. cum aqua card. benedict. Magdaleon, è quo formentur pastilli drachmales.

Ol. thuris destillatum illitum valdè etiam prodest. Oleum etiam myrrhæ temporibus, & occipiti inunctum in confortanda memoria valde efficax est. Paratur autem vel per destillationem, vel per deliquium; si scilicet ova ad duritiem coquantur, per medium dissecentur, vitelloque exempto spatium pulvere subtili myrrhæ impleatur, & in cellam ponatur, ut myrrha in oleum resolvatur. Utile est & oleum majoran. salviæ, roris marin. nucis moschat. caryophyllor. Laudatur & fel perdicis arterijs temporum semel in mense illitum.

LINIMENTA & UNGUENTA:

℞. *Ol. de lateribus,*
nardin. an. Unc. ℞.
nuc. mosch. express. Drach. ij.
ol. destill. salviæ,
majoran.
nucis moschat. an. gutt. vj.
mosch. gr. ij.
cera parum.
 Misce.

Vel ℞. *Ol. de lateribus,*
de castor. an. Unc. ℞.
nuc. mosch. express. Drach. j.
ol. destill. caryophyll. Drach. ℞.
thuris Scrup. ℞.
Ben zoes Scrup. j.
cera parum.
 F. Linimentum.

Vel *Be. Ol. de lateribus,*
castor. an. Unc. ℞.
de still. nucis moschat.
caryophyll.
cinamomi, an. Scr. ℞.
rad. pyrethri Scrup. ij.
 Cum pauca cera *F. Unguentum.*

Vel *Be. Pulv. rad. pæon.*
valerian.
majoran. an. Unc. ℞.
ruta Drach. j.
fucci verben. Unc. ℞.
castor. Drach. j.
medull. nucum anacard.
 Drach. ij.
 Cum *pinguedine urfi*
F. Unguentum.

Commendatur & hoc:

Be. Ol. costini,
juniperin. an. Unc. j.
nardin. Unc. .ij.
de castor. Unc. ℞.
spice Drach. .ijj.
pulv. cinamom.
nuc. mosch. an. Drach. j.
caryophyll.
macis,
flor. anthos,
lavendul.
stachad. Arab.
spic. Indic.
Celt. an. Drach. ℞.
rosar. purpurear.
cubebar.
fileris montan.
piper. long.
cardamom. an. Scrup. ij.
vini Malvatic. Unc. .ijj.
aq. rosar. Unc. iv.

Coq. ad consumption, humiditatis,

& colentur. Postea adde
spec. diamb.
diamosch. dulc.
dianth. an. Drach. j.
mosch. in aq. ros. dissolut. Drach. ℞.
cera q. s.

Misce pro Unguento, quo post lotionem occiput illinatur.

Nonnulli hoc commendant:

Be. Pingued. urfi, eamq; pone in vesicam urfi cum ejus urina, stent simul per octiduum: postea extrahere, & adde succ. hormini, euphrasie, verbenæ, bugloss. valerian. aloes part. æq. Fiat Unguentum.

Non prætereundum est hæc Unguentum, quod miris laudibus effertur, & Carolus, Ducem Burgundie, à Doctore quodam Anglo decem millibus florenorum emisse, & tantæ efficacitæ esse scribunt, ut perpetuam rerum memoriam pariat. Etsi verò hæc meritò illius recordemur, quod Galenus, 4. de compos. med. s. loc. cap. 4. scribit de medicamentis ad suffusiones: Promissiones horum omnium esse magnificas, effectus verò aliquando nullos, aliquando valde exiguos; & faciliè crediderim, laudes istas hoc unguentum non sustinere: tamen etiam non negaverim ad memoriam utile esse. Paratur autem hoc modo:

Be. Succ. fol. meliss.
basilic.

flor. myrica,
lilior.
primule veris,
rorismarin.
lavendul.
barragin.

genist. an. Unc. j.

nymph.

rosar.

violar. an. Unc. j.

eubear.

cardamom.

gran. paradys.

santal. citrin.

carpobalsam.

ireos,

crocioriental.

satuireie,

pæonia,

thymi, an. Unc. f.

styracis liquid.

calamit.

opopanax.

bdellij,

galbanis,

gummi hederæ,

ladan. an. Drach. vj.

rad. aristoloch long.

pæonia.

el. cerebint.

nardin.

costini,

juniperin.

laurin.

mastichin.

de been,

de spica, an. Drach. v.

Pulverisanda pulverisentur, & misceantur omnia, destillentur per alembicum secundum gradus ignis; & aqua, ac oleum separetur. Usus ejus hunc esse ferunt, ut primis duobus mensibus, nares, & aurium meatus quotidie magnitudine pisi illinantur; sequentibus duobus mensibus, tertio quoque die; alijs duobus mensibus bis

in septimana; deinceps singulis septimanis semel; hinc 14. dieb. semel, ut ita annus compleatur; tandem sequentibus annis singulis bimestribus semel.

Christophorus à Vega, *art. med. lib. 3. cap. 10.* adhibita diætâ frugaliore ex carnibus perdicum, gallinarum, turtureturum in prandio, passularum, & amygdalarum dulcium in cœna, & vino oligophoro rubro propinato per 20. dies, solum pulv. seq. dosin Drach. iß. exhibuit:

℞. Calamint.

origani,

puleg. an. Drach. iij.

macr.

cinamomi, an. Drach. ij.

piperis,

galangæ,

zingiber.

caryophyllor.

eubear. an. Drach. f.

castor. Scrup. ij.

Trita M. Utatur sex diebus continuis Drach. j. jejuno stomacho, cum Unc. j. vin. alb. aut Unc. ij. aquæ mulsæ, vel pulver. Scrup. ij. M. cum sirup. de stœchade Unc. f. ac deinceps propinetur mixtura diluta Unc. iß. aq. fœnicul. sive cardui benedi&ti. Horâ somni pessulum j. ex sequenti antidoto sinistra nari indidit, ac deinde ægrum legere jussit per horam j. vel ij. quæ vellet, tandem extracto pessulo dormire. Manè expergefactum affirmat lectorum exactè meminisse, & sine hæsitacione ea recitasse.

℞. Ment. sicc.

puleg.

euphrag.

euphrag.
 verbenæ,
 sem. coriandri prepar.
 callitrich. an. Drach. j.
 flor anthos Drach. iß.
 calam. aromat.
 cinamomi, an. Drach. ij.
 caryophyll. Drach. iß.
 moschi,
 galliæ moschat. an. gr. vj.
 mellis anacardin.
 styrac. calamit. an. Drach. ß.

Formentur cum aqua sceniculi in

Pestulos.

Veltale fiat BALSAMVM:

Rx. Bals. majoran.
 rutæ, an. Drach. j.
 succini Scrup. j.
 extr. rad. valerian.
 ol. destill. acori, an. Scrup. j.
 confect. anacard. Drach. j.
 galliæ mosch. gr. v.
 Misce pro Balsamo.

SACCULUS:

Rx. Flor. lavendul.
 roris marin.
 salviæ,
 fol. majoran.
 melisse,
 flor. stæchad. Arab.
 serpill. an. M ß.
 nucis moschat.
 macis,
 caryophyll. an. Drach. j.
 styrac. calamit.
 benzoës. an. Drach. ß.
 sem. carui Drach. ij.
 F. Sacculus.

Cum etiam odores hic aliquid emolumenti conferant, in hunc usum

ejusmodi pomum odoriferum præscribi potest:

Rx. Rad. ireos Drach. iß.
 seseli,
 stæchad. an. Drach. ij.
 nucis moschat.
 menthæ, an. Drach. j.
 thuris,
 calaminth.
 styracis calamit.
 ligni aloës, an. Drach. ß.
 ambre Scrup. j.
 ladani q. s.

ad formandum Pomum.

In intemperie frigida & sicca conveniunt malva, althæa, flor. borrag. bugloss. ol. chamæmel. anethin. amygdal. dulc.

E. g. Paretur talis Lotio:

Rx. Rad. althææ Unc. iij.
 caryophyllat. Drach. j.
 betonic.
 majoran. an. M. j.
 flor. violar.
 borragin.
 bugloss.
 rosar.
 chamæmel.
 lavendul. an. P. j.

Coq. in lacte pro capitis lotionem.

AMULETA etiam quædam, quæ appensa gestantur, ab Autoribus hic commendantur. Amethystus lapis gestatus sensus omnes acuerit, Beryllus quoque intellectum, memoriamque roborare scribitur. Rhafes linguam upupæ appensam oblivionem tollere refert. Paratur etiam annulus ex auro puro, in quo inclusus est Adamas, sub conjunctione H & Z in V. quem ad me-

ad memoriam & ingenij præstantiam valere ex Hermete refert Mizaldus, *centur. i. memorab. aph. 19.* de quo cuiq; liberum iudicium esto.

Diæta.

In læsa memoria, & ratiocinatione à causa frigida & humida, quæ frequentissima est, diætæ sūt hæc ratio, quæ etiam sanis, quibus ex eadem causa memoria est debilior, si medicamenta cerebrum roborantia modò proposita jungantur, ad memoriam augendam prodest. Poterat e quidem ea ex ijs, quæ supra, *part. i. cap. 2. 3. & 10.* de diætâ dicta sunt, patere; eam tamen præsentibus affectib. accommodare libet.

Aër sit naturâ moderatè calefaciēs & siccans, purus & tenuis, vel talis arte paretur, ut supra dictum. Caput ab aëris externis injuriis, & frigore ac humiditate maniatur.

Cibus item sit moderatè calefaciēs, & siccans, ac tenuis substantiæ; condiatur caryophyllis, nuce mosch. cinamom. galang. piper. zingiber. croco. majoran. salviâ. Gallinarum cerebrum hîc valdè commendatur, & id adeò juvare scribit Cardanus, ut aliquos, qui delirare cœperint, resipiscere fecerit. Abstinentum à carne porcina, anatina, anserina, & piscib. præsertim mollioribus, lacte, caseo, leguminibus, brassicâ, lactuca, papav. fructibus horarijs, & omnib. quæ vaporosa sunt, crassæ substantiæ, & coctu difficilia. Vinum moderatè sumtum spiritus exhilarat, & coctionem adjuvat: copiosius autem sumtum multos

L. l. j.

vapores ad cerebrum mittit, qui caput replent, spiritus turbant, & calorem extinguunt. Inprimis vitentur crapula & ebrietas, maximæ ingenij & memoriæ pestes. Ac si incommodum aliquod ex usu vini percipiatur, ejus loco substituatur aq. mulsæ, in qua acorus, nux moschat. cinamom. cocta sunt. Cerevisia sit pura, non vaporosa multum.

Corpus exerceatur moderatis laboribus, extrema sæpè fricentur, caput manè diligèter peccinetur, ut pori cutis aperiantur. Et ut aliæ functiones otio torpent, exercitio verò expeditiores fiunt: ita & hæc functiones crebro exercitio acuuntur. Urn. Hippocrates, *6. Epid. comm. 5. aphor. 11.* scribit, *ψυχῆς πρεζιματ & φρονις ἀνθρῶπων.* Ideoq; memoria acuenda multum memoriæ mandando; iudicium, res subtiles meditando. Tempestivè tamen id fiat, non statim à cœna, vel prædîo, sed præcipuè tempore matutino, quo tempore spiritus instaurati & refecti sunt, & organa coctionis in suis functionibus non ita occupantur. Undè aurora Musis amica rectè dicitur. Cōtrâ nocturnæ lucubrationes ingenio non parum obsunt, ut Marsil. Ficinus, *lib. 1. de tuenda sanit. cap. 7.* prolixè docet. Somnus, & vigiliæ sint moderata. Somnus non mox à cibo ineat; diurnus vitetur: fugiat æger mœstitiâ, & animi sollicitudinem, & ad lætitiâ disponatur.

In oblivione verò à frigiditate & siccitate diætâ ad calidum & humidum vergat: cibi omnes sint cal. di & humidi: vinum dilutum moderatè bibatur:

R. r

tur:

Cur: exercitia sint moderata: somnus longior: caput abluatur decocto flor. chamæmel. & meliloti. A Venere plane abstinendum.

Quæ de artificiali, seu locali memoria apud Ciceronem, Quintilianū, & nostro seculo in multis hac de re editis libellis habentur, hujus loci non sunt. Et si enim arte ea non parùm admniculi memoriæ in sanis suppeditatur, & mira per eam præstari possunt: tamen præsupponit illa memoriæ, & phantasiæ salvam, ac bene se habentem: ac quod quis hisce magis valet, eò ad hanc artem tractandam aptior est; quod minus, ineptior. Itaq; ut claudus ad saltandum ineptus: ita qui phantasiæ & memoriæ imminute, aut abolitæ vitio laborat, de quo hic agimus, is nihil, vel parum auxiliij ab hac arte speret.

Exempla curationis læsæ memoriæ, & multa ad eam utilia medicamenta, videantur apud F. Hildesheimium, *Spicileg.* 3.

CAPUT VI.

De Delirio in Genere, & de Delirio simplici, Paraphrenitide, ac Temulentia.

Delirium. **N**ON solum autem imminuuntur & abolentur phantasia ac ratio: cinatio; sed etiam quandoque depravantur: quæ functionum harum depravatio, sive sit Phrenitis, sive Melancholia, sive Mania, sive quæcunq;

Phantasiæ & Ratiocinationis depravatio, Græcis in genere *ἄρα φροσύνη*, Latinis Delirium, & Desipientia appellatur. Occurrunt tamen & aliæ horum symptomatum appellationes. Hippocrates & Galenus ad levem desipientiam significandam ferè vocabulis *ἄρα φροσύνη*, sive *ἄρα φροσύνη*, *ἄρα φροσύνη*, & *ἄρα φροσύνη* utuntur; item *ἄρα φροσύνη*, & *ἄρα φροσύνη*: ad gravem *ἄρα φροσύνη*, *ἄρα φροσύνη*, & *ἄρα φροσύνη*. *ἄρα φροσύνη* promiscuè de utraque usurpatur: *ἄρα φροσύνη* verò majorè, quam levem mentis errorem, & ad insaniam, ac furorem quendam gradum significat.

Et si verò magna sit diversiorum varietas: tamen in genere in depravatione functionum principum phantasiæ, ac ratiocinationis conveniunt; quando scilicet phantasmata, seu imagines, nec quæ debent, nec ut debent, offeruntur, nec, ut par est, conjunguntur: sed phantasmata à consuetudine, & ratione aliena objiciuntur, ac inordinatè & confusè moventur, ac diversorum objectorum simulachra simul offeruntur, & ineptè conjunguntur: unde absurda & loquuntur, & agunt delirantes.

Acciditq; Delirantibus tale quiddam, quale dormientibus in insomniis, unde, ut sup. dictum, non ineptè somnia deliria dormientium, & deliria vigilantium somnia appelluntur.

Idcoq; etiam in genere, quæ deliriorum causa sit, querendum. Cum verò nec ad conformationem solam, nec ad solutam unitatem hæc symptomata referri possint; cum videamus mul-

multos delirio corripit, in quib. neutrum horum læditur: vel cerebro, ut parte similari, læso, vel ob errorem externum hæc symptomata excitari necesse est.

Capivaccius Melancholici delirij causam proximam Phantasma tenebricosum, Maniaci verò igneum Phantasma, statuit. Cum enim Rationem oportet phantasmata speculari, & ipsa etiam phantasia circa suas imagines, & objecta versetur: si illa non rectè sese habeant, functio illa depravatur, & perinde sese habet, ut, dum species visibilis rei albæ per vitrum rubrum conspecta, rubra, aut res quiescens mota videtur, ob objecti, seu speciei visibilis, quod à medio concepit, vitium.

Verum enim verò hinc sciendum, quodd, cum in delirio duæ facultates diversissimæ, quarum una organo corporeo utitur, alia nullo indiget, afficiantur, phantasia scilicet & ratiocinatio, una causa delirij statui non possit; sed duplex. Phantasie scilicet læsæ spiritus animalis vitiosus; Ratiocinationis verò depravatæ phantasma vitiosum.

Delirium quid. Itaque in genere Delirium definiri potest actio depravata phantasie, ac ratiocinationis, à spiritu animali impuro, phantasmati absurdo, & inconvenienti occasionem præbente. Phantasmatis enim huius p. n. se habentis causam idem rectè in spiritibus quaerit. Sicut enim, ut de vertigine diximus, spiritus animales si circumrotentur, hanc qualitatem speciei per visum oblatæ communicant; ita si alio etiam

modo p. n. sint affecti, species & objecta facultatum principum depravare solent.

Atque ita causa præcipua horum symptomatum in spiritibus animalibus quaerenda; quæ si quis ad morbum cerebri, ut partis similaris considerati, referre velit, non repugnamus. Hoc tantum notandum; cerebrum, ut partem similem, posse concideri, primò ut mistum; deinde ut vivens, & calore vitali præditum, per quæ animæ vegetantis actiones perficit; & tertio ut includit spiritum, qui solus proximè harum actionum instrumentum est. Hinc accedit, ut, etsi temperies cerebri lædatur, quod sæpè fit in febribus, & alijs morbis; tamen delirium nullum accidat, ubi malum spiritibus non communicatur. Ubi verò spiritus ille cerebri insitus, & consequenter etiam reliqui, qui in eo continentur, afficiuntur; tunc deliria contingunt. Cum enim spiritus illi, quibus anima in obeundis actionibus illis principibus utitur, debeant esse temperati, tenues, puri, lucidi, & ordinatè, ac certo quodam, ac regulari modo moveri: si quid horum desit, & mutetur, vitiumque illud speciebus & phantasmatis communicetur, varia deliriorum genera excitantur.

Cum autem duo spiritus, quem utrumque animale dicimus, sint in cerebro: Unus insitus, qui proximum, & maximè intimum animæ in actionibus istis obeundis instrumentum est, quique ad temperiem cerebri pertinet, eamque perficit; alter, qui in cerebro generatur, quo anima etiam in actionibus sensuum, tum interiorum, tum

externorum, ut & motu animali utitur: si ille spiritus mobilis, quem in specie animale nuncupare solemus, à causis p.n., quod faciliè fieri potest, nimium calidus, vel impurus reddatur, & inordinatè ac irregulariter moveatur, leviora deliria excitantur; si verò ille insitus à statu naturali deflectat, graviora illa & pertinaciora deliria contingunt.

Atque ita delirij seu desipientiæ in genere causa quærenda est in pr. nat. constitutione spiritus animalis in cerebro, sive illius insiti & fixi, sive mobilis. Etenim si hic impurus fiat, vel inordinatè ac irregulariter moveatur, vitium id communicatur phantasmatibus, circa quæ occupatur ratio: unde non ea, quæ debebant, menti præsentantur, sed aliena & absurda; nec eo modo, quo debebant, sed alienâ qualitate insecta, nec ordinatè intellectui offeruntur, sed vel omnia ferè simul, & confusè, vel inordinatè; & quæ diversissima sunt, & non coherentia, dum simul occurrunt, connectuntur.

Quodnam autem illud spirituum vitium sit, explicare non facile. Vulgò quidem in manifesta intemperie ferè subsistitur, & in primis in febrib. delirij causâ in intemperiem calidam refertur. Verùm vix febris dari potest, in qua non etiam cerebri intemperies lædatur, cum febrès totius corporis sit intemperies, & consequenter etiam spiritus animales incalescunt, & in febribus omnibus spiritus vitales accendantur, caloremque p.n. toti corpori communicent, & procul du-

bio inde etiam spiritus animales calefiant. Dantur tamen multæ febres, in quibus nullum adest deliriû. Præterea in melancholicis, & in primis ijs, quibus magna humoris melancholici copia in hypochondriis cumulat, vapores melancholici ad cerebrum ascendunt; nec tamen ægri inde melancholici fiunt. Ideoq; procul dubio ^{appert.} quædam, & occulta dispositio est in spiritibus animalibus, quæ delirij causa proxima est; quæ etsi vulgò calida, ignea, tenebrosa, impura dicitur: tamen satis his vocabulis declarari & innotescere non potest.

Deliria autem hæc differunt primò *Deliriorû differētia.* Loco affecto; quod nimirum nunc cerebrum per se afficitur, & ipsam causam delirij suppeditat, nunc per *σωματικόν* afficitur, causâ delirii à venoso & arterioso genere, hypochondriis, diaphragmate, ventriculo, vel alijs partibus communicatâ. Et quidem nunc causa illa, uti modo diximus, saltem spiritus animales in cerebro mobiles, nunc etiam spiritum insitum vitiat. Deinde Causâ efficiente. Interdum enim solus vapor, sine humore, deliria excitat, ijs, quæ ebrijs eadem de causa accidunt, non ab similia; interdum sanguis, bilis flava, vel humor melancholicus, aut ater delirij causa est. Atque ex hac humorum varietate, & in primis morum ac ingeniorum diversitate varij sunt desipientium ordines. Quidam enim solâ cogitatione delirant, imaginando, absurda phantasmata, qui sæpè longam telam absurdarum cogitationum texunt, etsi pauca loquantur; unde

unde *σώπνοι* nuncupantur; alij sermone delirant, qui ridicula, aliena, magna, vel malefica proferunt: alij opere, & factis cogitationes suas absurdas & aberrantes explent. Efficiuntq; hæc omnia vel *μετά γελωτῶ*, vel *μετά σπυδῆς* sicut *ᾠδὴ Φροσύνης* differentias hæc statuit Hippocrates, *Ephor. 53.* Et rursus quædam *ᾠδὴ Φροσύνης κῶσμι* est, quædam *ἰδεοσεια*, ἢ *ἰηρωδῆς*. Ut autem de deliriorum generibus distinctè agamus, ita commodè d'vidi possunt: Primò est delirium simplex, quod nomine generis exprimitur; & *ἄηγῶ*, ac *ᾠδὴ Φροσύνης* nominatur; cum reliqua desipientiæ genera sua peculiariana nomina habeant. Est enim secundò Phrenitis; tertio Melancholia; quartò Mania; & quæ sub his comprehenduntur.

De Delirio Simplici.

Delirium simplex. Et primò quidem simplex delirium quod attinet, etsi vox delirij, & *ᾠδὴ Φροσύνης* omni desipientiæ generi tribuatur: tamen in specie inædum, & ubi absolutè ponitur, certum delirij genus significat, quod nonnulli etiam Paraphrenitidem, alij Paraphrenisiam, sed sine antiquorum exemplo, nominant.

Est autem hoc delirium non unius generis. Aliquando enim est cum febre, aliquando sine febre.

Causa. Et primò quidem à nonnullis etiam delirium leuius, quod à calida intemperie cerebri, ab æstu Solis, vigilijs, meditationibus, & similib. caussis

contracta, oritur, nomine delirij simplicis comprehendunt: plerumque tamen apud Autores hoc nomine venit delirium; quod non proprio cerebri, sed partium inferiorum vitio, à vaporibus scilicet calidis, à reliquo corpore cerebro comunicatis, excitatur.

Qui enim sine cerebri primario affectu, ob reliquum corporis consensum delirant, quod in febribus ardentibus accidit, eos, ut Galenus, 3. *de loc. affect. cap. 7.* habet, nemo Phreneticos, sed vel *ᾠδὴ Φροσύνης*, vel *ᾠδὴ πικρῆς* nominat. Quando cunque enim vapores calidi, præcipuè maligni, caput irruunt, spiritusque ac cerebrum nimis calefaciunt, ac turbant, delirium excitatur; id quod accidit in augmento, & statim febrium ardentium, ac malignarum continuarum; & internis partium inflammationibus, in vermibus, cum putrescunt; & febrem excitant; interdum etiam paroxysmis intermittentium. Ut enim frigus spiritus torpidos reddendo ingenij tarditatem, stupiditatem, ac mentis torporem, & soporem excitat: ita nimia caliditas spiritus turbando, & nimis mobiles reddendo, errorem, & deliria generat. Et quia vapor ille, qui in caput irruit, tenuis substantiæ est, & faciliè discutitur, neque malum spiritum cerebri institum occupat; propterea delirium non est continuum, sed remittente accessione, aut exacerbatione, & parte mitente calidos vapores non amplius communicante, delirium cessat, aut certe non est ejusdem generis vel vehementiæ.

Platerus caussis his addit sanguinem calidiorem & tenuiorem in sinibus & vasis cerebri contentum, non vapore solum, sed & propria substantiâ cerebrum accendentem; uti & eū, qui ab icū, vel casu edo affluit. Quæ tamen sententiâ commoda interpretatione indiget. Nam si sanguis ab icū vel lapsu, & capitis vehementi contusione elapsus intrâ cranium & duiam matrem contentus putrescat & incaleseat, delirium simplex excitare potest; cum non necessariò statim simul cerebri membranæ inflammantur. Deinde etiam sanguis in vasis contentus incalescere citra vasorum & cerebri inflammationem & simplex delirium excitare potest. Verum si sanguis non solum vapore, sed & suâ substantiâ cerebrum ipsum accendat, Phrenitidem potius, quàm delirium simplex, seu Paraphrenitidem, ut appellant, excitare videtur, tunc scilicet, cum extra vasa in ipsam cerebri substantiam effundatur. Et licet adhuc in vasis contineatur: tamen phrenitidis, & inflammationis membranarum cerebri metus tum jam adest.

Deinde nonnunquam ex inflammatione partis al cuius, quæ calidos vapores ad caput mittit, febremque continuam conjunctam habet, accidit delirium. Et præcipue hoc fit ex inflammatione septi transversî, quod antiqui etiam *φρένας* appellarunt. Unde nonnulli recentiores hoc delirij genus in specie Paraphrenitidem nominant: sed sine antiquorum exemplo. Nonnulli tamen omne delirium per

consensum paraphrenitidis nomine appellant; sed & hoc sine antiquorum exemplo. Nonnulli hoc delirium *ἄλογον φρένησιν* appellant; quod et si Herculis Saxonia, libro 1. cap. r. 4. ex Galeno, de *sympt differ. capit. 3.* citet: tamen ibi non extat, sed vocabulum *ἄλογον φρένησιν*.

Prius delirium, quod in febribus accidit, quod attinet, sæpè delirij simplicis meminit Hippocrates, & Galenus. Hippocrates, 6. *aphor. 53.* Desipientiæ, quæ in calidis febribus fiunt, ferocitatem non habent; Phreniticis verò appellatis id inest. Galenus, *pro-rhet. r. 31.* Desipientiam consuetam, familiaremq; gignit biliosus sanguis cerebrum petens. Et in 6. *Epid. comm. 3. text. 36.* In febrium vigore deliria contingunt ex repletione capitis.

Sunt autem hujus delirij varij gradus, quos Hippocrates quoque peculiaribus nominibus expressit. Primum enim, & levissimum gradum per *τὸ ληρόν* exprimit, 3. *Epid. agrot. 1.* & *ληρήσιν*, vel *ἄλογον ληρόσιν*, nugatum esse dicit, 1. *Epid. agrot. 14.* *σμηκεῖ παρέρχουσι*, parum deliravit. In secundo gradu *ἄλογον φρονησιν*, delirasse dicit, & *παρέρχουσι*, deliravit, 6. *Epid. agrot. 5.* & 8. De tertio gradu dicit, *παρέρχουσι πάντες*, planè nugatus est, 1. *Epid. agrot. 13.* & *παρέρχουσι πόδα*, multum deliravit, *ibid. agrot. 4.* & 10. De quarto gradu, *πάντα παρέρχουσι*, planè deliravit, 1. *Epid. agrot. 1.* Qui ultimis etiam hujus delirij simplicis gradus est. Nam si illud amplius intendatur, in phrenitidem degenerat.

Signa

*Signa Diagnostica.**Signa delirij simplicis.*

Delirium hoc ex febre comite cognoscitur, & quidem delirium præcedente. Imminere autem ex garrititate quadam, aut nimia loquendi præptitudine, morumque mutatione deprehenditur. Si nimirum, qui naturâ mitis, & facilis est in respondendo, fit ferox, & temerarius, & in iram præter solitum proclivior; qui taciturnus est, incipiat fieri loquax, corpus indecorè nudet, vel obscœna dicat, aut faciat, aut in lectum mingat, eorum, quæ egit, & locutus est, statim obliviscatur, eundemque sermonem sæpius repetat, & omnino si ægri actiones, & vultus à naturali modo, & consuetudine mutantur; delirium imminere indicio est; ut etiam Hippocrates 2. *Coac. s. 1. aphor. 10.* docet, in primis si vigilie pertinaces, aut somnus turbulentus præcessit. Si quis etiam in febribus acutis dentibus stridat, non consuetus id facere à pueritia, futuri delirij indicium est. Pulsus quoque in hypochondrijs cum perturbatione delirium portendit; magis etiam si oculi crebrius moveantur. Hippocrates, in *Coac. libr. 3. s. 2. comm. 1. aphor. 13. sec. distinct. Hollerij.* Et oculorum motus in omnibus morbis, in quibus delirium metuendum, diligenter considerandi. Etenim instabiles illi ipsum præfagiunt. Nam cum cerebro vicini sint, & cum ipso venis, arterijs, & nervis sociati; omnium ferè primi ipsius injuriam persentiscunt, atque inde imminente delirio cerebro hinc atque illuc moventur.

Ipsum verò delirium jam præsens.

ex sermonibus & actionibus ægri deprehenditur. Delirantis enim actiones, & sermones à consueto modo multum deflectunt, dum loquuntur & profertur absurda, quæ cum rebus non consentiunt, nec coherent, obscœna, & turpia loquuntur; dum manus temerè jactant & agitant, floecos carpunt, festucas legunt, muscas venantur, quæ nullæ adsunt, partes tegendas & pudendas nudant, subito è lecto surgunt, lætantur, aut marant præter solitum, urinam & feces in lectum excernunt, tardius, quàm necessitas postulat, respirant, dolores non sentiunt. De quo Hippocrates, 2. *aphor. 23.* Quicumque dolentes aliquâ parte corporis omnino dolorem non sentiunt, ijs mens ægrotat. In ventrem etiam cubare, qui non est assuetus ita dormire, quo tempore sanus fuit, malum est. Delirium enim, aut dolor circa ventrem significatur. Ejus generis aphorismi multi ex Hippocratis prorrheticis, prognosticis & coac. prædict, colligi. & huic referri possunt.

Prognostica.

1. Ipsum quidem delirium per se *Prognostica.* magni momenti non est, sed ex causa omne periculum pendet; ob quam nullum delirium tutum putat Galenus, 6. *aphor. 53.*

2. Eventus tamen is prædicendus, quem febris & vires præfagiunt. Quòd si vires sunt debiliores, & febris vehementior, vel malignior, eò plus periculi metuendû. Si vires contra constant, & fe-

& febris non sit periculosa, nec delirium aliquid periculi portendit.

3. Et delirium, quod cum bonis signis conjungitur, minus metuendum est, quam quod cum malis. Et delirium intermittens, non vehemens, sed leve, præsertim quod fit per accessiones, non lethale est.

4. Somnus in delirantibus bonum signum est, præcipuè si delirium sedet, ut Hippocrates, 2. aphor. 2. docet, Contra deliria, quæ jam valdè debilitatis accidunt, exitiosa sunt, ut nullus ferè ex ijs convalescat.

5. In principio quoque febris, quæ apparent deliria, & quæ sine signis coctionis accidunt, pessima sunt, & ad phrenitidem deducunt.

6. Mala signa cum delirijs apparentia mortem; lethalia verò jam imminens exitium minantur. Exitium nimirum portendunt deliria, si delirans non videat, non audiat; si oculi lucem subterfugiant, involuntariè lacrumantur, aut pervertantur, aut alter altero major fiat, aut album oculi rubicundum evadat, si ægri obmutescant, vox fiat clangosa.

7. Tempus solutionis breve est; cum febres illæ non sint diuturnæ, sed brevi, vel ad salutem, vel ad mortem terminentur. Et quidem ad salutem terminatur delirium, si febris, quæ ejus causa est, cesset, & critica evacuatio bona sequatur; ad interitum verò, si febris vel vires deiciat, vel ex delirio per consensum fiat deliriū per se, & homo Phreniticus evadat. Si nimirum signis coctionis præcedentibus largior

sequatur sanguinis evacuatio per nares, vel menstruæ purgationes, vel hæmorrhoides, prorumpant, nihil periculi habet deliriū, sed è signis decretorijs unum est. Si verò nulla evacuatio sequatur, vel parva; ut sanguinis è naribus stillicidium, sudores capitis frigidi, & hujusmodi alia, lethale signum est delirium. De quibus passim exstant multi aphorismi apud Hippocratem in Coacis, prorrheticis, & prognosticis, quorum aliquos etiam in Institut. libr. 3. part. 3. capit. 5. proposuimus.

Indicationes.

Quamprimum delirij aliqua suspicio adest, videndum, ne illud incrementum sumat, & in phrenitidem degeneret. Itaque fervor humorum, qui vapores suppeditant, temperandus, vapores ad caput adscendentes revellendi, repellendi, intercipiendi, qui que ad caput jam penetraverunt, discutiendi.

Auxilia.

Sanguinis fervor in temperat medicamenta, quæ aliàs febribus ejusmodi debentur.

Revulsionis gratiâ instituendæ frictions, ligaturæ, aut cucurbitule, etiam cum scarificatione, si opus sit, cruribus affigendæ. Et si hæc non sufficiant, & sectione venæ febris vehementiæ primò non sit satisfactum, ea, si vires ferant, repetenda, & vena cephalica, aut, quod commodius est, & si nondum vehementer materia caput obsecit, vena in pedibus aperienda. Clysters

Itres quoque, qui materiam à capite revellant, infundendi, Imò si febris aliquam remissionem, vel intermissionem habeat, die quietis lene purgans ex cassia, manna, tamarind. sirup. rosar. & violar. solut. vel rhabarbaro exhibendum. Vescicatoria quoq; cruribus, vel brachijs applicata ad revelendum à capite utilia sunt. Profunt etiã pedum lotiones, & epithemata ac cataplasmata ijs admota.

Ut: R. Fermenti acerrimi Unc. iv.

sapon. Veneti Unc. j.

sal. communis Unc. j. ß.

acet. rosar. q. s. pro impastatione.

F. Cataplasma, quod linteis imponatur, plantisq; pedum admoveatur.

Dum hæc fiunt, simul refrigerantia, & adstringentia nonnihil capiti adhibenda, quæ fervorem humorum temperant, eosque ad caput non admittunt: de quibus suprã, *cap. 1. 7. 8. 9. part. 1.* dictum.

Et quia vigiliã plerumq; cum delirio junguntur, hypnotica medicamenta, de quibus, *capit. 1.* suprã dictum, tum internis refrigerantibus, tum repellentibus, quæ extrã exhibentur, admiscenda.

Tandem ut etiam materia, quæ jam caput occupavit, evacuetur; vena in fronte aperiri potest, vel sub lingua, vel post aures. Repellentibus verò in morbi progressu admiscenda leniter discutientia, malva, chamæmel. melilot. betonic. aneth. sem. & mucilago lini, scœnigræc. & ex his parata, ol. chamæmel. anethinum. In declinatione solum chamæmelum usurpa-

ri potest, vel unguetum alabastrinum. Prodest etiam tum columbas per medium dissectas calentes capiti apponere, vel pulmones arietis, aut agnorum calentes, aut in lacte, vel ol. chamæmel. calefactos capiti applicare, & post remotionem horum caput aqua calente abluere. Ac quòd malum magis ad declinationem tendit, eò magis horum usui insistere decet. Id tamen attendendum, ne nimium calidis medicamentis caput iterum incalescat, ac vapores rursus à partibus inferioribus ad caput attrahantur.

De Paraphrenitide.

Deinde delirium tale, idq; etiam cum febre conjunctum, oritur quandoq; ex diaphragmatis inflammatione: quod recentiores nonnulli in specie Paraphrenitidem appellant; cum alij hoc vocabulo omne delirium, quod accidit capite non primariò affecto, comprehendant: utriq; tamen, ut dictum, sine Antiquorum exemplo, & autoritate. Cum enim diaphragma nervosum sit in medio, habet magnam cum cerebro per nervos *συμπύκτιον*, & ut Galenus hac de re scribit, *lib. 5. de loc. affect. cap. 4.* (quo in loco cum expressè de hoc malo agat Galenus, meritò vox Paraphrenitidis occurrere deberet, si antiquis in usu fuisset) ab aliarum partium nullã perpetuum delirium procedit, excepto solo septo transverso, à cujus inflammatione excitatum delirium non multum differt à phrenitide, & continuo delirio, ut veteres putaverint hãc parte inflammatione affecti homines phreneticos

evadere, atq; ob id *Φεβρας* appellarint, quasi *Φεβρην*, id est, sapienti parti aliquid conferat.

Causa hujus delirij proxima cum sit inflammatio diaphragmatis, nihil de ea amplius hic addi potest: reliqua patebunt ex ijs, quæ *libr. 2. de pleuritide, & diaphragmatis inflammatione* dicentur.

Signa Diagnostica.

Delirium hoc eadem ferè signa habet, quæ in phrenitide apparent. Verùm distinguitur ab eo, ut Galenus, *alleg. loc.* docet, & ex oculorum accidentibus & sanguinis è naribus stillis, ut & spirationis specie. Quippe phreniticorum respiratio magna est, & ex longis semper intervallis. Contrà ubi à septo transverso delirium oritur, inæqualis, ut modò exigua sit, atq; frequens; modò magna, & cum angustia conjuncta. Nam incipiente septi transversi inflammatione, priusquam delirant laborantes, exiguum, ac frequentem reddunt spiritum; contrà ab ijs, qui ab affecto cerebro delirant, magna prodit, rarâq; spiratio. Sed frequenter ita confunduntur hæc signa, ut vix quicquam certitudinis habeant. Præterea ut eorum accidentium, quæ phrenitidem antecedere solent, quæque Galenus eodem loco proponit, aut nullum apparet, aut exiguum; ita fursim & intrò revelli hypochondriû, septi transversi illico ab initio affecti proprium indicium est: id quod affecto cerebro posteriùs accidit, non incipiente affectu; sed cum is jam factus est. In primis verò Paraphrenitis ex eo cognoscitur, quod delirium junctum est

cum tussi & dolore lateris. Calor quoque circa caput, & faciei & oculorum rubedo major est in ijs, qui ob cerebri, quam qui ob septi transversi inflammationem delirant.

Prognosticum.

Delirii hujus periculum aestimandum est ex vehementia morbi, & virium robore, & ex horum collatione salus, vel mors prædicenda. De quibus etiam *cap. sequ.* dicitur.

Curatio.

Curatio ad partem affectam in primis dirigenda, de qua *libr. 2.* dicitur; cum curatâ inflammatione diaphragmatis etiam hoc delirium cesset. Interim tamen materia à capite avertenda & repellenda, ut modo de Delirio simplici, &, *part. 1. cap. allegat.* diximus.

De Temulentia, vel Ebrietate.

Sine febre verò deliriorum generum *Temulentia* etiam aliquot sunt. Pertinet primò hùc Temulentia, vel Ebrietas, à *tas.* vino, aliisque potibus, & rebus inebrianti vim habentibus orta. Ut enim in febribus vapores calidi ex humore putrescente ad caput elewantur, spiritusque turbant: ita etiam à ventriculo, vino, vel alio potu inebriante repleto, imò toto venoso genere, in quod spiritus ejusmodi penetrant, vapores calidi elewantur, & phantasmam ac ratiocinationem turbant.

bant. Unde Ebrietas recē Voluntaria infania appellatur; cum Ebrij delirantibus similia agant, & loquantur; & ut deliria pro corporis dispositione, in quod incidunt, variare solent: ita & Ebriorum non eadem actiones, & mores sunt. Alij enim in hilaritatem nimiam, risum, cachinnos, cantilenas, & jocos se effundunt: alij tristes evadunt, & de rebus sacris, de morte faciunt verba; vel etiam lacrumantur: alij ad iram, rixas, contentiones, clamores, pugnasq; concitantur: alij somno statim corripiuntur. De quo Horatius, 3. *Carm. Ode. 21.*

*Onata mecum Consule Manlio,
Seutu querelas, sive geris jocos,
Seu rixam & insanos amores,
Seu facilem, piatesta, somnum.*

Habent autem vim ebrietatem inducendi pleraq; narcotica dicta, quorum vis antequam eō progredita est, ut soporem; vel stuporem excitet, prius temulentiam, & delirij quoddam genus producit. Inter ea primum est Vinum, & præcipuè ejus spiritus, in quo vis illa unita est. Idem tamen præstant & aliarum plantarum succi & spiritus. Cerevisia enim omnis, seu triticea, seu hordeacea, seu avenacea vim inebriandi habet, partim à lupulo, partim à frumento, è quo spiritus ardens æquè ac ex vino elici potest. Et spiritus omnes ex plâtis parati, ut baccis & flor. sambuci, cerasis, rosis inebriant, si copiosius sumantur. Inebriant quoque cannabis, lolij, pseudomelanthij, & hyoscyami semē, fructus fagi, cocculi de Levante, cortic. mandragor. opium, si cum vino fortissimo biba-

tur. Refert etiam Lobelius, in *observat. stirp. pag. 570.* scēminam Anglam gravidam esu 10. & 12. nucum myristicarum ebriam delirasse. Et Matthiolus scribit, ambarum vino infusum temulentos efficere: quod & lignum aloës Indum in vino infusum sine nocumento præstat.

Turcas, cum in aciem prodire volunt, ut audaciores fiant, & furibundi quasi pericula minus metuant, opij Drach. β. cum vino sumere scribit, nō solum Bellonius: sed & Prosp. Alpinius, *de Med. Egypt. libr. 4. cap. 2.* refert, Turcas post opium sumtum hilares admodum evadere, multaq; ac varia loqui, fortioresq; ad quæq; munia ob-eunda sibi videri, præterea sub dormientes hortos, ac viridaria arboibus, herbis, ac floribus varijs perbellè ornata in somnijs videre. Ita ex canna-be, quæ Turcis Assis est, pulverē Turcas parare, idem, *eodem in loco*, scribit, quo sumto ebrij fiant. Refert & hoc, Ægyptios in usu habere quoddam electuarium, quod in India paratur, & Bernavi nominatur: cujus si Unc. j. sumatur, homines primò hilares fiūt, multumq; loquuntur, & canunt amatoria, multumq; rident, aliaq; deliramenta læta produunt, atq; ea amentia ferè per horæ spatium durat; postea statim iracundi fiunt, & in iram præcipitantur, in eoq; statu parū persistunt; demum tristes fiunt, tantoq; timore, ac mœrore anguntur, ut continuo plorent, & lamententur; denique somno corripiuntur.

Quædam etiam capiti admota idem præstât; sicut Rondelietius refert,

quendam, cum hyoscyami folia capiti applicuisset, ad infaniam redactum esse.

Signa Diagnostica.

Actionibus & moribus facilè se produnt Ebrij: ac si narcotica medicamenta tale delirium excitaverunt, ex agro, vel adstantibus id cognoscitur.

Prognostica.

1. Ebrietas quidem ex potu vini vel cerevisiæ contracta post aliquot horas discutitur; præcipuè somno accedente, & vomitu.
2. Si verò à veneno, vel medicamento narcotico sit delirium, magis periculosum est. Imò etiam ex vino vel cerevisiâ ebrietas, si sæpius continuetur, memoriam & ingenium debilitat, ut nō sine causa pestis, & mors memoriæ appelletur: nervosum genus lædit; unde treemor, paralysis, apoplexia, podagra excitatur: & quia etiam epati nocet, sæpè hydropem inducit.

Præservatio ab Ebrietate.

Præservatione ab ebrietate.

Sitamen istam bibendi necessitatem, quæ magno mortalium malo, & Christianismi damno, in Germaniam præcipuè invecita est, quis effugere non possit, commédantur amygdal. amar. ʒ. vel ʒ. aut ʒ. ante cibum sumtæ; ut & nuclei persicorum; quod quidem nonnulli putant fieri, quod amaritudine humiditates absumant; ne ad caput ascendant; verum probabilius;

est, urinam ciendo id præstare. Commendatur & absinthium in ventriculo frigido. Scribitq; Arculan⁹ ex propria experientia, si quis absinthij comas, aut etiam folia rutæ manè, jejuno stomacho, edat, ab ebrietate defendi.

Utilis etiam est contra Ebrietatem brassica, ut & sem. ipsius in cibo sumta, ut & folia ejus capiti imposita; verbenacæ recta, lac jejuno stomacho bibitam. Commendatur & rad. betonic. Nonnulli hunc pulverem laudant;

℞. Sem. caulium Drach. j.
coriandr. Drach. ʒ.
camphor. gr. ij.
F. Pulvis.

Vel paretur tale Electuarium:

℞. Conserv. rosar. rubr.
rob. ribes,
berberis, an. Unc. ʒ.
amygdal. amar. cont. usar.
num. xij.
sem. caulium Drach. ij.
coriandr. præpar. Drach. ʒ.
Cum sirupo granator.
F. Electuarium.

Sirupus:

℞. Succ. caulium albor.
vini granator.
succ. ribes, an. Unc. ij.
aceti Unc. j.
sacchari q. s.

Coqu. ad Julepi consistentiam.

Vel ℞. Sirup. acetositat. citri & aq. q. s.

F. Julepus.

Extrâ commendantur fol. hederæ capiti imposita; unde antiqui in convivijs coronis ex hêdera caput cingebant; vel succus illius capiti inunctus: ut & lapis Amerhistus g. status.

Quæ

Qui Ebrietatem etiam præcavere cupit, non jejunos, vel statim in prima mensa bibat, sed tardè, & ubi satis comedit.

Curatio.

Jam verò Ebrios, ut ab Ebrietate citò liberentur, juvat vomitus, si vinum adhuc crudum ex parte in vètriculo consistat; qui etiam, si opus, medicamentis provocandus; & si acida in fine mensæ exhibeantur, acetumq; aquâ dilutum, vel solum etiam haustû, quod Ebrietatis & venenorum narcoticorum ac furiosorum est antidotus; poma acida, pruna, cydonia comesta, eorumq; succus haustus, lac acidum, lactuca item & brassica.

Vel *℞. aq. fontis* ℥. β.

aceti vini Unc. iij.

sirup. acetositi citri, vel oxysacchar.

simpl. Unc. β.

sirup. violar. Unc. β.

Misce pro Julepo. Vel etiam haustus aquæ frigidæ propinetur ad vapores suppressendos, & vini fervorem restinguendum.

Extra Oxorrhodina capiti applicetur; & camphora, ac fantali odoranda exhibeantur. Postea etiam pedes fricentur, vel aquæ calidæ immergantur. Utilis est & sudor, si erumpat.

Maximè verò ad habigendam Ebrietatem somnus facit.

Pertinet huc & illud delirium, quod Græci etiam *ῥεθυρα*, & *ληγον* nominant, quod ab imbecillitate facultatis principis oritur, ob immoderatum sanguinis profuvium, vel diutur-

nas vigiliis; nonnunquam ob ictum capitis, quo spiritus animales perturbantur. Atque istud delirium ex suis causis cognoscitur, & ijs a motis tollitur.

Referenda & huc stultitia, in qua facultates principes non solum immunitæ, sed & depravatæ sunt. Quæ nonnullis à primo ortu impressa est, alijs post ortum etiam cõtrahitur. Et quidem pendet istud malum proximè à spiritus cerebro insiti vitio; ut & interdum à cerebri, & capitis, conformatione pravâ, quam cum nec satis explicare, nec emendare possibile sit, de eâ amplius nihil addimus.

QUAESTIO.

Quid sit Maslach Turcarum?

Ut hoc loco obiter quasi de Maslach Turcarum, cujus supra facta est mentio, aliquid inferamus; communis hæctenus fuit opinio, Maslach, ut ex Scaligero, *exercit. 175. sect. 1.* Wiero, *lib. 3. de prestigiis demonum, c. 18.* & alijs videre est, ex opio parari. Etsi enim nomen Maslach non apud omnes occurrat; rem tamen ipsam satis Autores omnes describunt. Sunt tamen hodie, qui id negant, adducti auctoritate Leonhard. Thurnhæuseri, qui sui *herbarij lib. 1. cap. 29.* ex cervariæ succo Maslach, parari scribit, idq; ex secreta Turcarum relatione sibi cognitum fuisse refert. Etsi verò apud nos nõ sit in usu Maslach; tamen, ut etiam hac in re veritatem rescirem, scripsi eo nomine Patavium, ad virum Clariss. Dn.

D. Danielem Bucretium, Civem, & amicum meum, eumq; rogavi, ut Venetijs apud Turcas, vel alios, quos hujus rei notitiam habere putaret, hâc de re inquireret. Percōtatus ergo ille est primo hac de re Dn. Joh. Baptistam Sylvagium, Genuensem, Reipublicæ Venetæ, apud Turcarum Imperatorem Interpretem, peritissimum linguarum & morum gentium orientalium. Is hoc primò negavit, Turcas prælium inituros tale quid, quo animosiores se morti opponant, devōrare; imò gravissimè prohibitum esse, ne quis prælium accessurus, quicquam earum rerum vel degulset, quæ mentem quocunque modo turbare queant. Id autem, quod animum præliaturis addit, prædestinationem esse, quam de vita & morte hominis ab æterno factam esse à Deo credunt. Ubi enim dimicandum est, Imperatores, vel Duces belli suos quisq; adhortatur, se præsentent strenuos, memores, se pro Deo, sancta que fide majorum pugnare, & si quod periculum impēdat, se immunes nihilominus à morte futuros esse, si ita æterno Numinivivsum fuerit: sin aliquid secius fortè cōtingat, jam jam martyres se sciant esse, quib. cœlum apertū sit. Deinde Maslach quod attinet, idem retulit, habere Turcas medicamenta quædã, quibus frequenter utuntur, quæ primum hilares reddunt, at mox, præsertim si copiã peccatum sit, insanos; inde in somnum conjiciunt, quo variæ rerum jucundissimarum imagines omnino repræsentantur. Et quidem talia præcipuè duo habere, quorum primum

patrio sermone Afión dicitur: alterum Bôngelic. Et Afión nihil aliud esse, quam opium nostrum, quod iter facientes assument, ut hilarius tempus perdant, fessiq; redeuntes suavius dormiant. Ajunt enim, post ejus usum sibi somnia jucunda objici, & choreas pulcherrimarum virginum sibi videri. At si sæpius id sumant, insensati quasi redduntur, minusque, ut antea, animo semper valent. Quin etiam si assuescant hujus usui, fieri quàm sæpissimè solet, ut, quâ horâ sumere consueverant, nisi eadem sollicitè repetant, jam malè se habeant, ac, si consuetudo fuerit vetustior, in animi deliquium cadant. Tristes fiunt toto vitæ tempore, & ad omnia animi officia inhabiles redduntur, nec redire ad ullam hilaritatem queunt, nisi fucata sit, & arte, usuque opij parata. Quæ causa est, cur ij, qui animo ferè nobiliori præditi, & ad res gerendas nati, tanquam rem infamem & impiam exsecerentur, sicque inter plebejos tantum, vilesque animos locum inveniant. Bôngelic autem electuarium est ex melle paratum, folijs & semine cannabis pulverisati, quod in maximo usu, & frequentiore adeo, quam opium habent; cum languentem ventriculi vim ipsis colligere videatur. Conjicit tamen & hoc in eadem homines pericula; cum delirantes reddat, & somnum capiant, (quem conciliat similiter) gigantes pugnare sibi videantur, ignesq; & civitates ardentes. Cæterum idem Dn. D. Bucretius, ut ab alijs etiam in veritatem inquireret, cum Venetijs manèia

de in coronam Turcarum circa men-
sam cujusdam foeminae stantem inci-
deret, vider, tq; ipsos aquam quãdam
potitare (quam vendebat hæc) fervē-
tissimam, ut non nisi guttulam semper
deglutirent, atque ex ipsis, quid esset,
quereret, responderunt, decoctum
esse seminis cujusdam, quod Caphe
vocant, allati ex Arabia F. Nice, quod
bibunt matutinis horis, ut nostri a-
quam vitæ. Tandem cum etiam inci-
deret in Dn. Poteriu, ex scriptis Chy-
micis notum, atq; ipsum de Maslach
percontaretur, retulit hic, se multa
juvenem de eodem indagasse, ac tan-
dem à pluribus Turcis edoctum esse,
nihil quam opii hoc nomine vocari.
Cui cū Dn. D. Bucretius auctoritatem
Thurnheuseri, cui fidem facit, tot cir-
cumstantijs, quas affert, objiceret, ille
se parvipendere hominis istius fidem
respondit, à quo nunquam nõ credu-
lus fuerit delusus, Ex quibus omnibus
patet, etsi vox Maslach non omnibus
nota, nec ubiq; obvia sit; tamen medi-
camentum, quod eo nomine circum-
fertur, ex opio esse. Et cum de hac re
sit unanims consensus, non tantum
Turcarum, sed & Christianorum, qui
nihil aliud pro Maslach, quod in Tur-
cia emerunt, quam opium monstrat:
nõ video, cur eum deserere, & Thurn-
heusero assentiri potius debeamus,
qui tamen in alijs rebus multis fidem
suam suspectam reddidit. Si quis ta-
men hac de re certiora (nam fides hic
penes experientiam est) cognita &
perspecta habet, ut veritas patefiat, ea
in publicum conferat.

CAPUT VII.

De Phrenitide.

PHrenitis Græcis $\delta\alpha\tau\acute{o}\tau\omega\nu\ \phi\rho\epsilon\nu\acute{\omega}\nu$ di-
citur; quo vocabulo, ut Galenus,
1. *prophet. t. 4.* docet, *væc*, seu *Αἰνους*
propriè significatur, significatque (ut
pleuritis, nephritis) inflammationē,
ob quam ratiocinatio læditur, & deli-
rium excitatur. Et cum diaphragmate
inflammato mens etiam turbetur, fa-
ctum est, ut à Platone, & veterib. alijs
 $\tau\acute{\omega}\nu\ \phi\rho\epsilon\nu\acute{\omega}\nu$ appellatio (Latini tū præ-
cordia vertunt) diaphragmati tributa
sit; quod hujus etiam constitutio ad
mentem aliquid facere videatur. Ve-
rum cum diaphragma ad mentem nõ
pertineat, sed per accidens delirium
illud contingat, verè ac propriè dicta
Phrenitis fit tantum cerebri membra-
nis primariè affectis; & propriè mem-
branarum cerebri affectio est Phreni-
tis. Aliquando tamen etiam deliria
symptomata febrium ardentium
deliria dicuntur.

Affectio autem hæc dupliciter cõ-
siderari, ut & definiri potest; vel ut
morbus, inflammatio scil. membra
narum cerebri, quâ ratione sup. part. 1.
c. 27. considerata fuit; vel ut sympto-
ma, seu depravata actio facultatum
principum; quâ ratione hîc conside-
randa venit.

Atq; hoc modo considerata Phre-
nitis, est delirium perpetuum & conti-
nuum, seu principum functionũ ce-
rebri, imaginationis scil. & ratiocina-
tionis depravatio, ab inflammatione

mem-

membranarum cerebri orta, cum febre continua; aut potius delirium dependens ab intemperie calida cerebri cum materia, eaq; ab inflammatione membranarum cerebri proveniente; ut postea de causis dicetur.

euntibus monstrans, ac nominans, & an ea projicere juberent, interrogas, eaq; ab alto projiciens, phantasiam & memoriam eatenus salva habebat, dum vasa omnia agnosceret, & nomina eorum recitaret: verum dum ea ex alto projecit, rationem salvam non fuisse, ipso facto demonstravit. Pleurumq; tamen & phantasia, & imaginatio simul depravantur.

Quanam facultates laedantur in Phrenitide.

Ut enim in alijs delirijs, ita hic phantasia, & ratiocinatio suum officium non faciunt, sed in judicandis rebus aberrant, nec verum a falso, bonum a malo, turpe ab honesto, congruum ab absurdo, & quod nec loco, nec tempori convenit, distinguere valent, & ob causae ratione omnia cum contentione, rixa & furore agunt.

Eustach. Rudius quidem hanc doctrinam impugnat, statuitque, fieri non posse, ut ratione salva & illaesa ratio sal-permanente, sola imaginatio possit le-di; idque ea de causa, quia speculatio & intelligentem oporteat circa phantasmata versari: ideoq; si a phantasia depravata ratiocinatrice potentiae absurda phantasmata offeruntur, necesse esse, ut intellectus ea prava phantasmata speculando prave quodam & absurde speculetur. *An laesa phantasia non posse, ut ratione salva & illaesa ratio sal-permanente, sola imaginatio possit le-di; idque ea de causa, quia speculatio & intelligentem oporteat circa phantasmata versari: ideoq; si a phantasia depravata ratiocinatrice potentiae absurda phantasmata offeruntur, necesse esse, ut intellectus ea prava phantasmata speculando prave quodam & absurde speculetur.*

Interdum tamen sola imaginatio, ratiocinatione salva; interdum utraque functio depravatur. Dum imaginatio sola afficitur, res absurdae & non cohaerentes offeruntur, ac ea, quae nullo modo adsunt, praesentia putantur: caetera recte judicant. Id quod Theophrilo, Medico, contigit, ut Galenus, de differ. sympt. c. 3. refert, qui cum tubicines angulum domus, ubi decumberet, occupasse, assidueq; sonare, tum pulsare putabat, in eo imaginationem depravatam habebat: quod verum eos, ut sibi molestos, & quietem turbantes, domo ejicere jubebat, & in caeteris omnia prudenter agebat, & loquebatur, atque, ubi convalescit, quae quisque adstantium dixisset, fecissetve, narrare poterat, & imaginationis illius depravatae de tibicinibus recordabatur; in eo ratiocinatio & memoria salva erant. Alius, ut, *ibidem*, Galenus refert, qui oclusis foribus singula vasa promens, & per fenestram trans-

Verum enim verum est hoc verum sit, intellectum circa phantasmata versari: tamen ad intellectum non transmittuntur species materiales, ut a sensibus exterioribus transferuntur ad sensum communem, & hinc ad phantasiam; cum intellectus specierum sensibilium non sit capax, neq; organum corporum habeat, sed intellectus agens phantasmata illustret, eaq; a conditionibus materialibus liberet, & speciem intelligibilem efformet; ut de his pluribus Philosophi docent. Praeterea intellectus de uno ad aliud discurrit, & circa species memoriae retentas etiam occupatur. Ideoq; etsi phantasia aliquid absurdi menti offerat: tamen si *Species*

Species antea perceptæ in memoria adhuc retineantur, & rationi offerantur; inde errorem illum & depravationem phantasie cognoscere, & corrigere potest: si nimirum animadvertit, neq; loco, neq; tempori, neq; alijs circumstantijs, quas adhuc rectè memoria habet, & veras esse scit, absurda illa phantasmata, quæ ab imaginatione depravata afferuntur, convenire. Unde rectè Aretæus, *lib. 1. de causis & signis morbi diutur. cap. 5.* scribit, in melancholia in re una aliqua esse lapsus, constante in reliquis iudicio.

Memoria etiam in Phreniticis sæpè læditur, seu aboletur; cum ægri, etsi sitiant, bibere, & lotium urgeat, mingere obliviscantur. Id tamen ferè ex accidenti. Innumeræ enim in tumultuosa illa spirituum commotione imagines offeruntur, quæ phantasiam ita occupatam reddunt, ut ad id, quod natura jubet, non attendat. Aliquando tamen etiam per se lædi potest memoria.

Causæ.

Causa Phrenitidis cerebri membrana rû inflammatio. Causa hujus mali primaria est membranarum cerebri inflammatio, cum sanguis biliosus è vasis suis effusus membranas cerebri occupat, ibique putrescit, & accenditur; aut potius intemperies cerebri & spirituum calida, à membranarum cerebri inflammatione proveniens, qua spirituum animalium turbulentus & inordinatus motus seu agitatio oritur, quæ proxima delirij hujus causa est, utpote phantasmata depravans. Neq; enim, ut postea, in *questione*, dicetur, inflamma-

L.I.

tio cerebri, quatenus talis, delirium hoc excitat; sed tum demum, ubi cascida illa intemperies cerebro, & spiritibus ejus communicatur, qui inde turbantur. Imò observatum, cerebrum inflammatum fuisse sine delirio. In hoc enim delirio membrana cerebri ambientes, ut per quas vasa sanguinem continentia transeunt, præcipuè inflammantur. Vix tamen fieri potest, quin cerebrum ita vicinum etiam non incalcescat; imò aliquando, præcipuè ejus externa pars, simul inflammetur. Unde & spiritus intus, & qui in cerebro generatur, ac continetur, incalcescit, & nimis mobilis redditur; varièq; agitur, atque inde delirium continuum excitatur. Etsi n. etiam in alijs febribus deliria accidunt, de quibus capite præcedente dictum: tamè quia ista saltem per consensum fiunt, vaporibus biliosis ad caput, sive ex aliqua parte, sive toto elatis; deliria illa non sunt continua, nec tam vehementia & ferocia, ut in Phrenitide, ubi materia ipsum cerebrum occupavit.

Qua ratione autem cerebri & ejus membranarum inflammatio generetur, & quas causas habeat, dictum est *suprà, part. 1. cap. 27.* ut de eo hic addere nihil opus sit. Imò cum Phrenitidis nihil aliud sit, quàm cerebri membranarum inflammatio, nihil ferè amplius hic addere opus esset, sed omnia, quæ de Phrenitide dicenda sunt, ex *loco alleg.* peti possent: pauca tamen adhuc addere libet, præcipuè ea, quæ huic affectioni ratione delirij sunt propria, & dicentur etiam quædam postea, in *questione*.

Tt

Disse-

Differentia.

*Differentia
Phreniti-
dis,
I. ratione
causarū.*

Primò pro caussarum varietate etiam delirium hoc variat. Equidem omnis phrenitis, utpotè inflammatio, est à sanguine; quia tamen sanguis is varius est, & non semper purus, etiam delirium variat. Mitius est, & cum risu, ac levi in somnum propensione, quod fit à sanguine puro; quod tamen rarius accidit: & diu non durat; cum ex sanguine inflammato facilè bilis, aut atra bilis fiat: sævius, si pallida bilis admisceatur: adhuc sæpius, & cum pertinacissimis vigilijs, si flava bilis admisceatur, quæ si aduri incipiat, sævissimum delirium excitat. Variatur etiam Phrenitidis magnitudo pro causarum vehementia; ita ut nunc sola imaginatio, nunc quoque ratiocinatio, imò quandoque memoria lædatur.

*2. Ratione
loci affecti.*

Deinde ratione loci affecti. Et si enim solùm cerebri membranæ inflammatio, quod malum Arabes Charabatum, & Sirsin calidam nominant, ad Phrenitidem constituendam sufficit: tamen interdum inflammatio ipsam cerebrum simul corripit; quod malum Sabare ab Arabibus appellatur. Et quidem cum sanguis, ac humor biliosus nondum per totam cerebri substantiam diffusus est, sed in membranarum meatibus adhuc hæret, Phrenitis *φορβώδης*, seu tumultuosa appellatur: si verò in ipsam cerebri substantiam humor imbibatur, hæctica Phrenitis est, quam Hippocrates *αίμαξιδη*, obscuram & mitem nominat. quod ægri quiescunt, neque loquuntur, ne-

que se movent, & dormire videntur, ut ex *1. prorrhetic. t. 33.* videre est.

Signa Diagnostica.

Utile est autem etiam signa immi-
nentis Phrenitidis cognita habere, ut
ei maturè occurratur. Proponuntur
verò à Galeno, *5. de loc. affect. cap. 4.* &
1. prorrhetic. 5. & sunt hæc: Urgent vigi-
lia, aut somnus est interruptus, & mo-
lestis somnijs horrendis perturbatus,
somniaque sunt conspicua; quidam
dormientes vociferantur; alij è lecto
exsiliunt; incipiunt delirare, etsi deli-
rium non sit continuum, sed præci-
puè circa accessiones, & acerbationes
urgeat; in facie, & oculis præcipuè,
apparet rubedo, in auribus percipitur
sibilus, sonitus, strepitus, tinnitus; res
oblata visui geminæ videntur, lacru-
mæ ex oculis erumpunt, oculi inordi-
natè moventur, ægri se variè jactant
& movent, frequenter exscreant sine
necessitate, urinæ ex tinctis albæ, &
crudæ fiunt, humore bilioso caput pe-
tente, præterea ægri eorum, quæ di-
cuntur, obliviscuntur, respondēt cum
iracundia, ac, ubi jamjam Phrenitis
præstò est, ægri fixis & torvis oculis
oculis homines, qui ad eos accedunt,
intuentur.

Signa verò præsentis jam phreniti-
dis exijs, quæ de inflammatione cere-
bri, ac membranarum ejus, loco alleg-
dicta sunt, satis patent; ubi signa pa-
thognomonica inflammationis cerebri
seu Phrenitidis esse diximus, febrem
continuum, delirium perpetuum, &
vigilias pertinaces. Duo hîc saltem
addi-

*Signa Phre-
nitidis im-
minentis.*

*Signa
Phreniti-
dis præ-
sentis.*

addimus: primò, Galenum de signis illius Phrenitidis, quæ à cerebri inflammatione provenit, & Arabibus Sabare nominatur, ipsi verò Phrenitis hectica est, prolixè agere in *I. prorrh.* comment. l. 1. c. 33. ubi docet, non solum illos Phreniticos dicendos, qui exclamant, vel exsiliunt, sed & eos, qui quieti jacent, & prorsus non loquuntur, neq; frequenter decubitus mutant, sæpiusq; famulantibus præbent opinionem, quod mox, si quod fiat silentium, dormituri sint; & cætera, quæ ibi videantur.

Prognostica.

Prognostica de inflammatione cerebri, & membranarum ejus, supra, *part. 1. cap. 27.* proposita, omnia etiam hic locum habent; cum Phrenitidis causa proxima sit inflammatio cerebri, & proinde ipsa non differant. Ut breviter illa contrahamus, eventus ex morbi magnitudine, & virium robore æstimandus est. Si enim vires sint languidæ, ut neq; solæ, neq; præsidij artis adjunctæ morbo sustinendo, & vincendo pares sint, morbus verò sit vehemens; id quod hic non solum ob præstantiam partis accidit, sed etiam à symptomatum vehementia colligitur: morbus lethalis est. Ideoque cum hic pars nobilis afficiatur, & ob id omnis Phrenitis periculosa sit, si accedant convulsiones linguæ, & nervosarum partium, *ἀφωβία*, singultus, dentium stridor, vox clangosa, & tremula, tremor membrorum, urinæ & fecum involuntaria, & inscia dejectio, & similia supra enumerata, Phrenitidem lethalem significant. Si verò hæc symptomata, vel pleraque ipsorum absint, & vires sint validæ, de salute adhuc spes est. Videatur etiam Forestus, *libro 10. observatione tertia in scholio.*

Unum saltem ijs addimus: Phrenitis si vertatur in lethargum, aut coma, *Phrenitis in lethar-* non bonum; nō tam quia materia *gū vel co-* liosa, consumptâ pituitosâ putredine, *ma muta-* accenditur; ut nonnullis videtur, *tur.* quàm quia ipsa cerebri substantia corrupti & labefacta incipit. Unde & Phrenitis hectica prava est, *I. prorrh.*

T t 2 *comm.*

Phreniti-
dis à co-
gnatis af-
fectib. di-
gnoscentia
ratio.

Deinde ex signis pathognomonicis supra propositis, febris continuâ, delirio perpetuo, & vigilijs facile Phrenitis ab omnibus cognatis affectibus discerni potest. Febris enim differt à melancholicorum delirio; vigilijs à lethargo; delirio perpetuo & æquali ab alijs delirijs, in quib. caput non primariò, sed per consensum afficitur; præterquam cum consensu diaphragmatis laborat. Verùm hoc delirij genus alijs signis à phrenitide differt. Respiratio enim in delirio ex septi trāsversi inflammatione est parva, & frequens; in Phrenitide magna & rara: & in Phrenitide caput, ac frons magis calent, oculi rubent, neque statim hypochondria sursum revelluntur, ut in diaphragmatis inflammatione; sicut *cap. preced.* dictum. Addimus & hoc, flavam bilem sæpè in atram degenerare; cujus conversionis signa sunt, animi ferocia, cum scilicet æger clamat, alios verberibus & moribus impetit, & familiares pro hostibus habet.

comment. 1. t. 32. Et quamvis hectica Phrenitis videatur esse mitior, nec dolor capitis sit in eâ ita magnus, nec delirium tam vehemens, sed ita blandum, ut æger delirare vix videatur: tamen fucata istâ manfuetudine Medicus non decipiatur, sed potius mortem proximam esse colligat. Etenim quib. cerebrum sphacelo correptum est, substantiâ cerebri ob inflammationis magnitudinem ita corruptâ, ut jam emori incipiant, ij intra 3. dies moriuntur, 7. *aphor. 50.*

Curatio.

Cum Phrenitis ab inflammatione, cerebri & membranarum ejus, ut proximâ causa, dependeat, & câpositâ excitetur, sublatâ cesset; nihil aliud de curatione Phrenitidis dici potest, quam quod suprâ, *loc. alleg. de curat. inflamm. cerebri, ac membranarum ejus,* dictum. Et præcipuè venæ sectio hic necessaria est. Notat quidem Arculanus, unum saltem casum occurrere, in quo nõ competat venæ sectio: quando scilicet phrenitis pendet à sola bile, nullo sanguini permixtâ. Verùm cum phrenitis sit inflammatio, impossibile est, ut sine sanguine fiat.

Duo saltem hîc addimus: Primò, quia in Phrenitide vigiliæ urgent, & maximum negotium faceffunt; ut potè quæ atrahendo humores ad caput, & id calefaciendo, Phrenitidem augment, imò excitare valent; deliriumq; præterea est perpetuum: ad somnum conciliandum, & delirium sedandum hypnoticis hîc plurimum indigemus, anò ad narcotica quandoq; deveniē-

dum; de quibus suprâ, *capit. 1. de vigiliis nimis, dictum.* Ideoq; è medicamentis internis, quæ ad temperandum humorum fervorem exhibentur, ea eligenda, quæ simul somnum conciliant; ut lactuca, violæ, nymphæa, papaver. Multum hic prodest electuarium illud, quod ex sem. papav. & saccharo conficitur, & Græcis Diacodium appellatur, quod non solum calidos, & acres vapores, & humores temperat, sed & somnum egregiè conciliat.

Extrâ mox ab initio repellentibus misceantur hypnotica, vel seorsim adhibeantur. Exempl. gr.

℞. Fol. lactuc.

salicis,

vitis, an. M. iß.

flor. nymph.

rosar. rubr.

violar. an. M. j.

summit. anethi M. ß.

capit. papav. alb. cum sem. num. xv.

Coq. in f. q. aq. ad tertias.

Colatura tepida capiti cum spongia appliretur, & eâdem extrema abluantur. Si Unc. ß. vel Unc. j. rad. mādragor. addatur, efficacius erit. Neque solum caput; sed & pedes ac manus lavandæ ad refrigerationem, revulsionem, & somni conciliationem.

Harum lotionum capitis ulum Hippocrates, & Galenus probant in delirio cum vigilijs, etiam ubi sanguis è naribus profluit, minus tamen profluit, quam oportebat; de quo in 1. *Epid. comment. 3. aphor. 24. seu egrot. 7.* A lotionem inungatur frons, tempore & pulsus hoc, vel simili Linimento:

An in omni phrenitide venæ sectio necessaria sit.

Vigilijs in Phrenitide quomodo medendū.

℞. Vnguent. rosar.
populei,

ol. violar.

de nymph. an. Drach. ij.

opij,

ol. nuc. mosch. express. an. gr. iij.

Misce.

Oxyrrhodinis etiam, & illinitionibus addantur aqu. lactuc. papav. nymph. ol. papav. nymph. mandragor. Plurimum prodest in vig. lijs ex hac caussa, si caput inungatur ol. violar. frigido, & oxyrrhodinum superponatur. Et reliqua supra proposita, cap. i. usurpentur.

Potelt & hic Clyster injicitur.

℞. Malva,

violar.

lactuc.

parietar. an. M. j.

summit. anethi M. ℞.

capit. papav. num. vj.

bordei M. ℞.

Coq. in aqu. f.

Colat. ℞. ℔. j.

ol. violar. Unc. iij.

facchar. alb. Unc. j.

F. Clyster.

Vel ℞. Malv.

mercur.

lactuc.

scariol. an. M. j.

nenuph.

viol. an. M. i ℞.

prun. Vngar. N. x.

furfur. macri M. j.

Coq. in aq. hord.

In Colat. Unc. xiiij.

Dissolv. cass. rec. extr. Unc. ℞.

diaprun. f. aut pulpa tamar.
Drach. ij.

Vel ℞. Elect. de succ. rosar. Drach. i ℞.

tripher. Persicor. Scr. iv.

olei violar. Unc. iij.

vitell. ovi N. j.

facch. rubr. Unc. ℞.

salis Drach. j.

M. F. Enema.

Bilis etiam fervorem restinguentia exhibenda.

Ut: ℞. Pulp. tamarind. Drach. ij.

rad. cichor. sativ. condit. Unc. ℞.

lactuc. Ital. condit.

pulp. citri condit. an. Drach. iij.

conserv. flor. nymph.

rosar. incarnat.

bugloss. an. Drach. v.

acetosell. Unc. ℞.

spec. diamarg. frig. Drach. ℞.

fragment. lapid. pretios. an. Scr. j.

corall. rub. prepar. Drach. j.

Cum sir. conservat. citri q. s.

F. Condit.

Superbibatur aq. hord. aut vin. Cydon.

aut aq. flor. nymph.

endiv.

Sicalor cordi communicetur.

℞. Aq. rosar. Unc. iv.

viol. Unc. ij.

bugloss.

borrag. an. Unc. i ℞.

acetos. Unc. ij.

acet. vin. alb. Unc. ℞.

pulv. spod. Drach. ℞.

seric. coccotinct. crud. Scr. j.

osis de cord. C. Scr. ℞.

lign. aloes Scr. j.

santal. omnium, an. Scr. ij.

croci gr. viij.

camph. gr. vj.

M.F. Epithema. Ad sinistram mām illam applicetur cum panno chermesino, quod lixivio semel atque iterum elotum est.

Epatis regioni sequens apponatur Epithema:

Rx. Aq. Lactuc. Unc. ij.

rosar. Unc. iij.

endiv.

acetos. an. Unc. ij.

absint. b.

aceti,

vini alb. odorif. an. Unc. ℥.

santal. alb.

rubr.

spodij. an. Scr. j.

camphor. gr. v.

spic. gr. iv.

spec. diarrhod. abbat. Drach. j.

M. Applicetur tepidum cum linteo.

Sunt qui genitales etiam partes refrigerant.

Ut: *Rx. Vini alb. Unc. j.*

aq. rosar. ℥. ℥.

santal. rubr. Unc. ℥.

M. His fove testiculos.

*Opiata
cautè u-
surpanda.*

Opiata cautè omnino, & circumspectè usurpentur, ut, *ibid.* dictum, ne Phrenitis in veternum mutetur; & ab ijs abstinentiū, si vires sint imbecilliores. Etsi enim, si mitioribus remedijs febris ac delirium nō sedetur, res plena periculi sit: tamen salus ab opiatīs sperari non potest, sed spes in angusto est, quia aut vires jam succumbūt, aut abscessus metuendus est, cujus maturationi cerebrum sufficere non pote-

rit. Ubi tamen necessitas id postulat laudanum opiatum exhiberi potest: ut supra, *cap. i.* dictum. Aut, quod tutius est, clysteribus permisceatur.

Deinde quia contingit, urinam quādoq; supprimi in hoc morbo, sive quod spontè illa subsistat, sive, quod credibilius, quod ægri eā reddere negligant; unde partes illæ distenduntur, & tandem inflammatione corripiuntur, quæ vel sola ægro interitum afferre potest: itaq; tum ægri ad urinam reddendam sæpius incitādi sunt, ac pubes, & perinæum fovendum emollientibus, ac laxantibus, & urinam provocantibus; (à calidis tamen abstinentiū,) decocto fol. parietar. malv. pertroselin. & similibus; aut inungenda illa loca oleo amygdalarum dulc. scorpion. unguento dialthææ, vel pinguedine cuniculi, aut cataplasma fiat ex parietaria cocta cum ol. scorpion. & amygdal. dulcium.

Reliqua, ut dictum, ex *part. i. c. 27.* petantur. Hoc saltem adhuc addimus, si febrilis fervor, & sitis urgeat, sirupi modicè adstringentes, veluti sunt, sir. de succo gran. de succo ribes, de succo berber. limonum, citri, exhibeantur. Vel præparetur sequens Julepus:

Rx. Aq. nymph. Unc. iij.

rosar.

bugloss. an. Unc. vj.

sirup. de succ. ribes Unc. ij.

spir. ☉. Drach. ℥. M.

Vel *Rx. Aq. fontan. puriss. ℥. ij.*

trifolij acerosi,

papav. errat. an. ℥. ℥.

spir. ☉. Drach. j. vel q. ℥.

ad gratum saporem;

Adde

Adde flor. violar.

borragin.

nymph. an. Drach. j.

santali rub. limati Scr. ij.

Stent in infusione per aliquot horas; postea filtrentur per chartam emporeticam: tinctura, quæ rubicundissima erit, edulcoretur saccharo albo q. s. vel sirup. acetos. citri.

Cordi quoq; & pulsibus epithemata applicentur refrigerantia, & confortantia; de quibus in doctrina de febris dictum. Testibus etiam nonnulli epithemata adhibent refrigerantia, utpote spongiam marinam in aq. rosar. madefactam, cui penetrationis gratia acetum admiscunt.

Chymici magisterium margaritarum, tincturam coralliorum commendant.

Dietæ.

Dietæ etiam ratio ea observetur, quæ supra, de inflammatione cerebri & membranarum ejus, proposita est.

An in luce vel tenebris detinendi sint phrenetici. Ob delirium hoc saltem addimus, quæri à Medicis, utrum æger in luce, vel tenebris habendus sit. De eo Celsus sententiam adferimus; qui, lib. 3. c. 19. sic scribit: Antiqui tales ægros in tenebris habebant, quas ad quietem etiam conferre judicabant: at Asclepiades, tanquam tenebris ipsos terrentibus in luce habendos esse dixit. Neutrū tamen perpetuum est. Optimū itaq; est, utrumq; experiri, & habere eū, qui tenebras horret, in luce; eum, qui lucē, in tenebris. At ubi nullum tale discrimen est, æger, si vires habet, loco lucido; si non habet, obscuro continendus. Hæc Celsus. Aliqua n. naturarum di-

versitas hic occurrit, atq; alios plus tenebræ, alios lux turbat. Et nonnulli dū in aëre sublucido versantur, multa, quæ non sunt, se videre imaginantur, alia pro alijs agnoscunt, & varias imagines ab objectis concipiunt. Ideoq; tum non solum omnes picturæ è cubiculo amovendæ; cum ejusmodi colorū varietas occasionem præbeat, ut multa falsa imaginentur ægri: sed & æger in loco obscuro continendus. Contra si æger tenebras horreat, & pertimescat, in luce continendus. Ut æger in quiete detineatur, etiam turba ab eo arceatur, adstantesq; sint pauci, prudentes, & ægro familiares, ac grati: absint verò quos æger odio habent.

Musica quoq; suavi interdum demulcendus æger: custodiendus etiam diligenter, ne damni aliquid, vel sibi, vel alijs inferat, & nisi admonitionibus, ac objurgationibus quietus contineri possit, vinculis coercendus. Somnus omnibus modis concilietur; cū nihil Phreneticis tā utile sit, quam somnus, & somno deliria mitescant, ægrique convalescant.

QUÆSTIO.

An Cerebrum, an verò mēbraræ ejus in phrenitide inflammantur?

Ut in ijs, quæ supra, *part. I. capite* 27. & hoc ipso capite dicta sunt, nihil dubij, quantum possibile, relinquantur; explicandæ omnino videntur sequentes duæ controversiæ: quarum à nonnullis moventur: *Pri-* *mo, an omnis inflammatio membrarum* *An in inflammatione mēbrarū cerebri semper adsit delirium?*

narum cerebri delirium afferat; deinde, an phrenitis fiat solum ab inflammatione membranarum cerebri, an verò etiam ab ipsius cerebri substantiæ inflammatione. De priorè ut dubitarent nonnulli, ipsis occasionem præbuit Hippocrates, qui, 5. *Epidem. t. 47.* recensens historiam Nerei filii, quæ membranarum cerebri inflammatione ex percussione laborasse putabatur, nullam delirij mentionem facit; quod tamen in similibus casibus non omittere solet. Et, *libr. 3. sect. 1. ægrot. 3.* referens historiam ægri, qui in Decalcis orto decumbebat, qui Phrenitide laboravit, nec tamè continuò deliravit. Et, in *Comment. in locum 5. Epidem.* refert Franc. Vallesius, se vidisse in capitis fracturis mēbranas, præcipuè duram, inflamari conspicuè, atq; adeò suppurari, postea & frustatim extrahi, homine non delirante.

Secundò, etsi negandum non sit, cerebrum inflamari posse: tamen id non fieri in phrenitide, sed aliam eam esse affectionem nonnulli putat, cum cerebrum ipsum inflammatur, quàm quæ inflammatio membranarum ipsius parit; utpotè quæ diversa habet symptomata.

Ex his dubiis ut nos expediamus, hoc ex ijs, quæ suprà de delirio dicta sunt, patet; delirium non fieri posse, nisi ipsum cerebrum, spiritusq; in eo, qui functionum principum sunt instrumenta, afficiantur. Non tamen necessarium est, ut ipsum cerebrum semper inflammetur; sed satis est, si à vicinis membranis inflammatis inca-

lescat, vel aliunde vapores calidi illi communicentur.

Ideoq; non impossibile est, etsi cerebri membrana afficiatur, ut tamen delirium nullam accedat: si nimirum malum cerebro non communicetur, neque spiritus in eo turbentur.

Si verò cerebrum ab inflammatione membranarum p.n. incalcescit, tunc delirium, de quo nunc agimus, excitatur. Atque ita Phrenitis non potest esse sine inflammatione membranarum cerebri; inflammatio autem membranarum cerebri potest esse sine delirio.

Alterà verò quæstionem quod attinet, concedendum putamus, phrenitidem, utpotè quæ sæpè curabilis affectus est, solum ab inflammatione membranarum cerebri provenire: ipsum verò cerebrum, etsi quoq; inflamari posse concedimus, ipsius tamen inflammatio aliis à Phrenitide affectus est, & Phrenitide longè periculosior, utpotè in quo ægri non delirant, sed sensu omni privantur. Inflammationis equidem cerebri nomine tres affectus comprehenduntur: Primò enim ab humore bilioso, aut ejus vaporib. ad cerebri membranas cum sanguine affluente, etiam cerebri substantia irrigatur & incalcescit. Deinde humor, qui est in membranis cerebri, etiam in venulas cerebri effunditur; nòdum tamen in ipsam cerebri substantiam effusus est. Tertiò sanguis in ipsam substantiam, & spacia cerebri effunditur, & tum non solum membrana, sed ipsa cerebri substantia simul in-

flam-

flammatur. Et si enim nonnulli Medicorum cerebrum inflammari negarint: tamen nõ solùm doctissimorum Medicorum autoritas, sed & experientia, & symptomata, quæ ex inflammatione cerebri proveniunt, contrariũ persuadent. Ad phrenitidem autem constituendam priores duos affectus sufficientiunt; et si inflammationes cerebri propriè dictæ non sint, sed cerebrum saltè ob vicinas membranas affectas afficiatur. Si verò ipsa cerebri substantia afficiatur, longè, ut ceterum modò, periculosior affectus est, cujus Hippocrates, 2. & 3. de morbis, sub sphaceli cerebri nomine mentionem facit; ut & 7. aphor. 30. dum scribit: Quibus cerebrum sphacelatum est, in tribus diebus pereunt: si verò hos evaserint, sani fiunt. Paulus Aegineta etiam, Aëtius, & Avicennas ejus meminerunt, & diversis capitibus de ea, & phrenitide tractant: & proinde nos etiam signa ejus suprà, part. 1. c. 27. seorsim proposuimus, & ab inflammationis cerebri signis & symptomatibus separavimus; cujus historiam descripsit Hippocrates, 2. de morb. in initio, & Petrus Sal. Diverfus, de affect. partic. cap. 1. Hoc tamen ita accipiendum putamus, in Phrenitide quidem non totam substantiam cerebri inflammari, sed solùm externam ejus partem, quæ membranas cõtìngit; & qui hoc modo afficiuntur, etiam Phrenitici ab Hippocrate, 1. prorrhet. text. 33. sed ἀσαφῶδες nominantur, ut Galenus, in comm. explicat. In eo verò affectu, quem Hippocrates, 2. & 3. de morb. ac P. Sal. Diverfus, de affect. partic. cap. 1. describunt, inter-

næ partes cerebri, ejusque propria substantia inflammatur, & malum plerumque in sphacelum degenerat.

CAPUT VIII.

De Melancholia in Genere.

Nomen.

Melancholia, ut ex Hippocrate, *Melancholia unde nomen obtineat.* 3. aphor. 14. & lib. de aere, aq. & loc. videre est, morbi nomen est, non humoris; procul dubio tamè ex illorum affectuum p. n. genere, qui, teste Galeno, 2. meth. med. c. 2. & 3. de loc. affect. c. 7. nomè acceperunt à causa, id est, à materia, quæ illos produxit. Cum verò humoris melancholici duo præcipuè genera sint: unum, quod excrementitius humor naturalis est, & veluti fex sanguinis, qui circa lienè præcipuè cumulat, & μέλας χυμός, ac Melancholia in specie appellatur: aliud, quod est extremètum p. n. ex adustione melancholiæ, sanguinis, & bilis genitum, & μέλαινα χολή, atra bilis nominatur: malum, de quo jam agendum, ex priore genere, hoc est, succo atro, vel melancholico ortum habet; quando is peccans, sive in cerebro, sive in toto, sive in hypochondrijs, principes animæ functiones depravat. Quæ verò ab atra bile provenit, harum functionum depravatio Mania appellatur, ut postea dicetur. Interdum tamen Hippocrates melancholicum delirium nomine μανίας indigitat; ut 6. aphor. 21. & 56. sed minùs propriè.

Definitio.

Definitur itaq; vulgo Melancholia, quod sit delirium, seu imaginationis, & ratiocinationis depravatio, sine febre, cum timore & mœstitia, à spiritu animali tenebricoso, & melancholico, simili phantasmati occasionem præbente, ori ta. Ut enim in alijs deliriosis, ita etiam hinc phantasia, & ratiocinatio læditur; sed in primis phantasia; ratiocinatio verò nõ semper multum, neq; in omnibus, & ut Aretæus, *lib. 1. de caus. & sign. morb. diuturn. cap. 7. verò nec in omnibus, nec semper multum.* ratiocinatio circa unam rem falsam plerumque, quam veram esse credunt, & phantasiæ depravatæ circa eam assentiuntur, aberrat, de reliquis prudenter, & sapienter ratiocinantur. Ita puer ille, cujus supra, *capit. 5. ex Huarti scrutinijs ingenior. cap. 5.* mentionem fecimus, in eo solùm delirabat, quod se totius mundi monarcham credebat; de republ. verò administrandâ prudenter differebat. Sic mercator ille apud *Forestum, libr. 10. observ. 15.* optimè ratiocinabatur, nisi quod ad extremam inopiam se redactum esse conquereretur. Sic qui melancholia hypochondriacâ laborant, & sine causâ timent, ac mœrent, ipsi sæpè intelligunt; timorem illum, ac mœstitiâ esse vanam, & sine causâ.

Memoria Memoria verò nec per se, nec per hic planè accidēs læditur: quod non fit in phrenon ladinicis, ubi imaginatrix ob immoderatum calorem spirituum, & veluti ef-

ferata innumeram objectorum multitudinem memoratrici offert, sed sine ordine; quæ propterea citò, & facile in illâ obliterantur. Atq; hinc accidit, ut propter memoriæ integritatem cum probè sæpè ratiocinentur melancholici, tum pleriq; versuti admodum sint. Imò observatum est, nonnullos in delirio hoc carmina etiam elegantia composuisse.

Differt a hoc delirium ab alijs deliriosis, quod metuunt plerumq; & mœsti sunt ægri præter solitum; neque tamen metus aut tristitiæ causam ullam afferre possunt, quæ alicujus momenti sit, nisi forsan eam, quàm animo falso conceperunt, & pertinaciter fovēt: dum scilicet alij carceres, alij supplicia, alij condemnationem æternam, alij alia timent, & quidem ex levissima sæpè occasione; ut apud *Forestum, libr. 10. observat. 12.* videre est. Quandoq; tamen à manifesta causâ incipit timor, qui si perseverans, melancholiam parit. Rarò verò ridet: & risus potius maniacis ex fervore sanguinis, quàm melancholicis competit. Si enim sanguis sit calidior, & fervidior, maniam mitem efficit: si verò sit crassior, & frigidior, melancholiam producit, à quâ mœstitia vix abest, etiam si ea minor sit; talesq; melancholici per intervalla lætitiæ alicujus figuram exhibent, & interdum in risum prorumpunt. Si autem plus justo lætentur tales melancholici, jam instantis mania effrudicium, ac præludium.

Quod tamè ex communi Medicorum sententia de timore & mœstitia, quæ hujus delirij propria sint, quibusq; à relâ-

Melancholia ab alijs deliriis differetia.

Reliquis delirijs discernatur, dictum est, rectè accipiendum. Neque enim semper mœstitia aliqua, & timor insignis in omnibus melancholicis apparet; imò nōnulli lætitiã quasi affici videntur, cum falsis suis imaginationibus indulgent, & se Reges, vel Principes, aut divites esse imaginantur. Ita, ut Horatius, *epist. lib. 2. epist. ult.* scribit:

— fuit haud ignobilis Argis,

Qui se credebat viros audire tragædos,

In vacuo lætus sessor, plausorq; theatro.

Hic ubi cognatorum opibus curisq; refectus

Expulit belleboro morbum bilemq; meraco,

Et redit ad sese: pol me occidisti, amici,

Non servastis, ait, cui sic extorta voluptas,

Et demptus per vim mentis gratissimus error.

Cui similem historiam supra, *cap. 5.* ex Huarti *scrutinij ingenior. cap. 7.* recensuimus, de famulo Hispano, qui se totius mundi Monarcham esse imaginabatur, & hinc maximã delectatione ac voluptate afficiebatur. Ita refert Marcell. Donatus, *de histor. medic. mirab. libr. 2. cap. 1.* mulierculam quandam se Regi desponsatam esse persuasum habuisse, quæ si fortè in fragmenta vitrorũ, aut alia lucida corpuscula incidebat, gemmas sibi à conjugè Rege transmissas dicebat, eaq; tanquam rem carissimam, in arca, quam totam ferè oppleverat, asservabat. Eiusdem generis fuit deliramentum cujusdam senioris divitis, qui, referente Senecã, quæcunque, quibus uti opus erat, quam maximã expetebat, mulieres

parvas, & homines parvos abominabatur, prægrandes equos peroptabat, amplissimis poculis utebatur, & calcamenta pedibus majora gestabat, latissimis vestibus vestiebatur. Et hujus generis deliramenta sæpè occurrunt, ubi ægri quidem absurda imaginantur, & in cogitatione illa, ut verissimã, pertinacissimè hærent; timoris tamen, aut mœroris parum, vel nihil adest: qui omnes cum sine febre delirant, neque etiam ulla in ijs truculentia, aut ferocia appareat, ut maniaci appellari non possint; nomine Melancholicorum meritò etiam comprehenduntur. Et cogitandum Lectori relinquo, quòd referenda sit illa falsa imaginatio, quæ ijs, quibus crura amputata sunt, accidit, cum sæpè post multos post amputationem mensis crura amputatum graviter sibi dolere conqueruntur; ut testatur Ambr. Paræus, *lib. 11. cap. 17.* ejusq; rei historias recenset Guil. Fabricius, *centur. 3. observ. 14. & 15.*

Itaque ut Melancholiz nomen pro *Veræ Melancholia* delirio acceptum omnib. ejus specibus competat, malo cum Aretæo, *de definitio. caus. & signis morb. diuturn. lib. 1. c. 5.* Melancholiam definire, quod sit animi angor in una cogitatione defixus, atque inhærens, absque febre, & furore, à phantasmate melancholico ortus. Ubi tamen notandum, per angorem animi non cordis passionem intelligendam esse; cum melancholia phantasiæ & facultatum principum læsio sit: sed cogitationem in una re ita defixam, falsam tamen, ut inde quasi animi quædam anxietas oriatur.

Unde etiam ita commodè Melancholia, definiri potest, quòd sit delirium sine febre & furore, in quo animus à falso phantasmate, à spirituum animalium dispositione occulta seu tenebrosa orto, delusus in una cogitatione cum angore quodam hæret, & defigitur.

Melancholicorum magna varietas.

Est autem Melancholicorum magna varietas, ut omnes melancholicorum imaginationes absurdæ faciliè comprehendi non possint; nihilq; tam absurdum, & ineptum sanis occurrere potest, quod non melancholici sibi imaginantur, & verissimum esse pertinacissimè credunt. Atq; occurrunt hujus rei exempla passim, quorum aliqua in Institut. *libr. 2. part. 3. sect. 2. cap. 4.* recensuimus: plura exstant apud Schenckium, *libr. 1. observat. 254. & seq.* Marcell. Donatum, *de histor. med. mirabil. lib. 2. cap. 1.* Forestum, *libr. 10. observ. 12. & in schol.* Platerum, *libr. 1. observat.* Pro dispositione enim humorum variâ, vitæ, conditionis, ac cogitationis varietate innumera hæc varietas occurrit. Nam quidam risum interdum admiscunt; quidam cum ira aliqua, & cõtentione phreniticis adsimulantur; quidam nescio quæ scelera se commisisse imaginantur, atque hinc supplicij metu, & mortis terrore vexantur; alii se ad inferos damnatos, imò gehennæ flammis cremari conqueruntur; nonnulli se mori, vel etiam mortuos putant; nonnulli cœlum ruiturum metuunt; quidam serpentes, vel ranas in ventre se gestare persuasum habent; nonnulli se in bruta animalia conversos credunt; alij in testam, aut vitrum

mutatos; nonnulli lacrumantur; quidam desperabundi mortem sibi inferunt; quidam divina affectant, & colloquia cū Deo & Angelis somniant; alij avari nihil nisi de divitijs cogitant; quidam quasi divites, etsi tales non sint, de magnis opibus gloriantur; quidam elati, & superbi, vel de pretiosis vestibus, auro & gemmis cogitant, ac loquuntur, vel se Principes, aut Reges esse opinantur; alij contrà animo abjecti, licet divitijs abundant, de paupertate conqueruntur; alij de studio, quo sunt delectati, perpetuò cogitant, ac loquuntur. Mœstitia tamen, & timor plerumque cum hoc delirio conjungitur, aut certè pertinax, & intenta, ac quasi cum animi angore de re una, sed falsâ, cogitatio. Abscst etiam febris, etsi post febrem, aut in declinatione febris, humoribus adustis relictis melancholia generari aliquando possit.

Affici autem cerebrum, & qui *In Melancholia præter cerebri, quod primariò laborat, etiam Cor afficitur.* ut pars similis est, extra controversiam est; de quo mox in causis dicetur. Verùm cum, ut Fernelij verbis utar, negandum non sit, dum iracundiâ, doloribus, gaudio, metu, cæterisque ejusmodi animi perturbationibus concutimur, conspicuè, atque insigniter cor in nobis opprimi, & gestire, animique perturbationes in corde fieri; Melancholia verò sit delirium, cum tristitiâ, aut metu, aut certè alio animi affectu: concedendum est, eâ ratione in melancholicis simul cor affici: imò plerumque principium melancholiæ est ex corde. Cordis enim temperies

corrupta corrumpit temperiẽm cerebri. Et licet delirium hoc nunquam accidat, nisi cerebro primariò affecto: tamen, ut jam in causis dicitur, si spiritus vitalis impurus sit, & tenebri-
cosus, vitium hoc spiritibus animalibus, & cerebro communicatur, & ita cor sepè huic delirio primam occasionem præbet, malumque hoc fovet, & proinde tum non solum ad cerebrũ, sed etiam ad cor in curando respiciẽdum. Imò etsi cerebrum primariò afficiatur: tamen quia hoc deliriũ semper cum aliquo animi affectu conjunctum est, animi verò affectus cor valdè alterent, ac afficiant: vix fieri potest, ut in melancholico delirio cor etiam non afficiatur.

Causæ.

Causa Melancholia proxima. Causa hujus delirij proxima statuitur phantasma, ut Capivaccius appellat, tenebri-
cosum. Ubi tamè quod supra de delirio in genere diximus, monèdum; quia in melancholico duæ diversæ facultates afficiuntur, phantasia & ratiocinatio; quarum illa organo corporeo, spiritibus utitur, hæc non utitur, sed saltem phantasmata speculatur: duæ etiam proximæ causæ ponendæ sunt, phantasiæ scilicet læsæ: spiritus animalis tenebri-
cosus & melancholicus; ratiocinationis verò depravatæ phantasma, ut Capivaccius appellat, tenebri-
cosum. Causa enim, à qua prima hujus mali origo, est certa, & occulta, quam vulgò melancholicam & tenebri-
cosam nominant, spirituum animalium dispositio, quam

immediatè & proximè sequitur phantasiæ depravatio, seu phantasmatis tenebri-
cosi & melancholici efformatio: quod intellectui postea objectum & obversans, illud delirium melancholicum, & animi angorem excitat. Ego, ut omnibus ejusmodi delirijs competeat, malim appellare melancholicum. Phantasma autem tenebri-
cosum, aut melancholicum redditur à simili animalium spirituum dispositione. Cum enim spiritus animales, qui sunt proximum animæ in hisce actionibus, ob eundis instrumentum, speciesq; deferunt, lucidi, tennes, subtilis, & mobiles esse debeant; quâ de causâ ipsum etiam cerebrum est nitidissimum, ac nullo colore infectum: si illa ipsorum naturalis constitutio lædatur, actiones animales, quæ eorum beneficè perficiuntur, læduntur; & quidem varijs modis, prout spiritus vitiantur. In Melancholiâ spiritus melancholicos, id est, opacos, obscuros, tenebri-
cosos, & fixos quasi reddi dicimus; quæ eadem dispositio plerumq; etiam est in spiritibus vitalibus. Qui enim tristes, & meticulosi sunt in hoc delirio, procul dubio spiritus vitales crassiores, impurioreq; habent. Nam ut spirituum puritas & subtilitas animum hilarem ac alacrem reddit: ita crassities, frigiditas, & impuritas moestum ac tristem.

Quâ ratione autem spiritus ac vapores Melancholici tristitiam ac moerorem efficiant, inter Galenum ac Avicennam controversia est; de qua quæ-
re in Institut. libro 2. part. 3. sect. 2. capit. 4. moestitiã dicta inducat.

dicta sunt, hinc repetere supervacaneum est. Hoc saltem declarationis gratiâ addimus, in spiritibus non solum qualitates primas, sed & secundas, ac occultas esse attendendas; cum ad actiones illas perficiendas æquæ sint necessariæ, ac qualitatum primarum temperies. Videre est hujus rei exemplum in humore vitreo, crystallino, & tunicâ corneâ in oculo, in quibus non solum qualitates primæ, sed ad visionem rectè perficiendam æquæ, imò multò magis, pelluciditas, & ἀχρεια, seu coloris carentia est necessaria, quæ si desit, visio non rectè perficitur. Eodem modo in spiritibus, & vitalibus, & animalibus, præter qualitatum primarum temperiem etiam tenuitas & subtilitas, puritas, ac luciditas requiritur; quæ si desit, spiritus non satis aptum animæ instrumētum sunt. Atque hunc puritatis, luciditatis, & subtilitatis defectum in spiritibus atri coloris, & tenebrarum nomine Galenus exprimit. Et quanquam à sensibus externis non percipiatur illa tenebrositas: tamen causa est, ut omnia objecta ad modum vitiosæ dispositionis spirituum repræsententur, & vitiosa illa dispositio spirituum speciebus imprimatur. Id etiam fieri in somnijs animadvertimus, in quibus sæpè horrenda & metuenda offeruntur; propter abundantiam vitiosorum humorum in corpore, qui faciunt, ut objecta hoc modo sensibus internis repræsententur.

Platerus equidem malignitatem materiæ, quæ melancholiam, ut & quæ maniam producit, tribuit. Ve-

rùm ut facillè concedimus, & hæcenus defendimus, non solum à qualitatum primarum mutatione melancholiam provenire; ita malignitatem peculiarem, & propriè dictam ei tribuere opus esse non putamus, sed sufficit ad melancholiam generandam, si spiritus animales naturalem luciditatem & puritatem amittant, & in statum contrarium deducantur: quæ tamè dispositio p.n. qualis sit, facillè explicari non potest. Ideo quæ etsi malignitatem negamus; occultam tamen qualitatem facillè admittimus: quam si intellexit Platerus, ei assentimur. Et dispositionem illam Melancholicorum p.n. non esse simpliciter opacam, sed occultam, ex eo patet, quòd, si imaginationi ipsorum satisficit, sanitati restituuntur; sicut illi accidit, qui, cum nasum magnum se habere putabat, farcimine appposito, & remoto convaluit: cujus rei etiam alia exempla in Institutionibus habentur, & infra etiam recensentur.

Fiunt autem spiritus Melancholici, seu opaci, impuri, & tenebrosi, seu quocunque nomine appellare libeat, tribus modis: vel quia tales vitio cerebri generantur: vel quia, etsi naturâ suâ sunt puri, à materia aliqua impura, & melancholica, quæ ipsis permiscetur, inquinantur, & Melancholici redduntur: vel quia ob sanguinis, & spirituum, è quibus generantur, vitium tales fiunt.

Prius fit cum cerebri constitutio vitiosa est, & Melancholica, quæ ex sanguine, & spiritu vitali, etiam puro, impu.

Impurum, & melancholicum spiritum animale generat; quæ cerebri constitutio potissimum à spiritu infuso melancholico dependet. Capivacius equidem hoc negat, & à nullâ qualitatum primarum intemperie in cerebro melancholiam excitari posse statuit, dicitque, à cerebro calido fieri spiritus animales calidiores, & hinc delirium maniacum, à frigiditate spiritus animales paucos, ac frigidos, indeque fatuitatem. Verum non solum ad qualitates primas in cerebri constitutione est respiciendum, sed etiam ad alias, uti antea dictum; sicut oculi constitutio id manifestè demonstrat.

Secundò fiunt spiritus melancholici, cum spiritus vitalis in corde vitiosus, & impurus gignitur; qui cum sit spiritus animalis materia, spiritum animale ejusdem generis & modi generari necesse est, impurum scilicet, & melancholicum. Si tamen hoc diu duret, tandem ipsum etiam cerebrum affici necesse est. Nam cum cor caloris nativi, & spiritus vitalis, qui in totum corpus diffunditur, fons sit, si illud frigidius & siccus, quàm par est, seu melancholicum evadat, tandem totus corporis habitus talis redditur; imò & ipsum cerebrum, quod tali sanguine etiam nutritur, & à spiritibus melancholicis affluentibus continuo inquinatur, & tandem Melancholicum evadit.

Tertium fit cum cerebrum per consensum afficitur; & quidem tribus modis. Primò cum ab universo cor-

poris habitu, & præcipuè veteris majoribus, materia hæc in cerebrum fertur; quod fit in primis corde affecto, & spiritus, ac sanguinem melancholicum generante: secundò cum ab hypochondrijs materia melancholica transmittitur; quæ Melancholia; Hypochondriaca nominatur: tertio cum ab Utero.

Notandum tamen hic, etiam si causa Melancholiæ sit humor melancholicus, à quo etiam affectio hæc nomen habet: tamen in melancholicis, utpotè frigidis & siccis, multum pituitæ cumulari, propter debilitatem caloris naturalis: ad quod propterea in curatione Melancholiæ sæpè etiam simul respiciendum.

Differentiæ.

Melancholicorum hæc differentiz *Prima* sumuntur primò à forma ipsa delirij, *Melancholicorū differentia* quæ multiplex & varia est, pro phantasmatum varietate, quæ ab imaginatione depravata exhibentur. *Causa à varia* diversitatis illorum phantasmatum est *delirij* primò natura humoris melancholici, *forma* qui in alijs sincerior est, in alijs impurior, in alijs non nihil adustus: deinde natura & constitutio corporis ac cerebri. Nam ut vinum moribus potantium, ita humor melancholicus laborantis constitutioni se accommodat. Postea consuetudo vitæ, & actionum. Qualis enim olim cujusque intentio cogitatio fuit, aut qualis vitæ conditio, talis sese repræsentat melancholica deliratio. Propter has ergo causas alij

alia cogitant, & loquuntur. Quidam prorsus conticescunt, quod melancholicorum, inter initia præferim, proprium est, teste Galeno, ut multum loqui Phreneticorum, & semper cooperiri, utrorumque, in 3. *Epidem. comm.* 3. *aphor. penult.*

*Secūda & præcipua Melancholicorū differentia à situ materiæ, vel ex sedibus, in quibus humor gignitur, & redundat, ut ex causillarum enumeratione patet. Atque ita quatuor præcipue sunt Melancholiæ differentia. Prima est per primarium cerebri affectum: secūda per consensum cordis, & totius; tertia Hypochondriaca; quarta per consensum Uteri. Arabes quidem plures partes, quibus in Melancholia cerebrum per consensum affici potest, recensuerūt, ut ex Avicenna, & interpretibus ejus videre est, Ventriculum, Epar, Lienem, Uterum, Hæmorrhoides, & alias partes: nullus tamen reverà inter eos, & Græcos, qui omnem Melancholiam ad tria capita redegerūt, in proprium cerebri affectum, consensum à toto, & eum, qui fit à venis mesaraicis, & hypochondrijs, est dissensus, si res rectè explicetur. Galenus enim, 5. *de loc. affect. cap. 1.* expressè fatetur, quod si Lien officium suum non faciat, & humorem melancholicum vel non atrahat, vel per convenientia loca non excernat, tum aliòs affectus, tum Melancholiam inde excitari posse. Idem de Epate, hæmorrhoidibus dici potest. Verùm hæ partes omnes aliter melancholiam non producant, nisi*

quatenus humor retentus vel in totum corpus diffunditur, vel in hypochondrijs stabulatur; ideoq; Melancholia inde orta ad Melancholiam per consensum totius, vel ad hypochondriacam referri potest. Uteri tamen quin peculiaris mentio fiat, abs re nõ videtur; cum in specie, & privatim ad eum curatio interdum dirigenda sit. De his ergo quatuor Melancholiæ differentijs jam ordine dicendū, si prius ea, quæ in genere de signis Diagnosticiis, Prognosticis, Curatione, & Diætâ, quæ omni Melancholiæ competunt, proposuerimus.

Signa diagnostica Melancholiæ in genere.

Dum imminet Melancholia, æger insomnijs terretur, somnumq; habet turbulentum, & horrendis somnijs interruptum, postea vigilijs infestatur, præter solitum fit inæstior, & tristior, aut tristitia cogitat, & metuit sine evidenti causa, aut certè in una cogitatione pertinacissimè hæret; quæ si perseverant, præsentis jam Melancholiæ indicia sunt. Ita enim Hippocrates, 6. *aphor. 23.* Si metus atque tristitia longo tempore perseverant, Melancholiæ est signum. Hinc æger fit taciturnus, & morosus, hominum consortia fugit, & solitudinem sectatur, fit suspicax, præter solitum in ediam tolerat, & in nonnullis in ediam tolerantiam tam pertinax est, ut fame mori malint, quàm comedere, & vivere; crebrò suspirant, respiratio est tarda &

rara,

rara; pulsus tardus, parvus, rarus; tandemq; , ubi malum augetur, illa, quæ cogitant absurda, sermone & gestibus proferunt, ut manifestè delirareprehendantur: absurda tamen illa loquuntur & agunt sine omni sævitia & furore; febre præterea carent.

Prognostica in genere.

1. Sicut nulla desipientia tuta est; quia functio princeps læditur; ita nec Melancholia. Per se tamen lethalis morbus non est, nisi aliud accedat.

2. Malum hoc recens facile, & non multo negotio curatur. Sæpissimè enim solâ victus ratione conveniente, quâ probus, tenuis, & clarus sanguis gignitur; & præterea humectatione corporis, ac capitis, præsertim verò balneis aquæ dulcis, se Melancholicos sanitati restituisse, absq; ullo alio remedio validiore, testatur Galenus, 3. *de locis affect. cap. 7.* Et tum bonum signum est, melancholicorum corpus augmentum sumere. Indiciò enim est, sanguinem jam meliorem reddi, & attemperari. Inveteratum verò malum difficulter curatur. Itaq; inter initia ipsi occurrendum; cum inveteratum plerumque ægrum ad mortem comitetur.

3. Facilius tollitur, & minus periculi habet Melancholia per consensum, quàm quæ per essentiam.

4. Facilius curatur Melancholia, quæ cum risu aliquo est; difficiliùs, quæ cum studio, ob humoris pravitatem majorem.

5. Levius est malum, si imaginatio

saltem læditur; gravius, si simul ratiocinatio.

6. Melancholia hæreditaria ferè nunquam curatur.

7. In morbis Melancholicis periculosa sunt tempore verno humorum depositiones, & decubitus; quoniam permutantur frequenter vel in apoplexiam, vel in convulsionem, vel maniam, vel cæcitatem, teste Hippocrate, 6. *aphor. 50.* Mala enim hæc nunquam ab humore Melancholico proveniunt. Sæpissimè verò melancholia in epilepsiam transit, teste Hippocrate, 6. *Epid. in fine.*

8. Si melancholicus præter solitum in risum, vel fletum, vel lacrimas solvatur, ne in maniam transeat, metuendum.

9. Via ad interitum in melancholia est, vel per virium resolutionem, quæ paulatim succedit, cum ægri cibum ac potum pertinaciter aversantur, parum aut nihil dormiunt; vel caloris nativi suppressione, & suffocatione, quòd fit, dum ægri animi in errore, vel alijs cogitationibus se misere conficiunt; vel per convulsionem, aut epilepsiam, materiâ ad nervorum principium, & membranas cerebri conversâ.

10. Via ad salutem est, si materia melancholica vel dissipetur, si pauca fuerit, vel ad inferiores & ignobiliores partes à naturâ detrudatur, & per varices, hæmorrhoides, aut uterive nas expellatur, aut in scabiem, similesq; cutaneos affectus mutetur; vel deniq; præsidij artis eadem superetur, & profligetur.

11. Infanus sivarices, vel hæmor-
rhoides super venerint, infania soluta-
tio, 6. aphorif. 27. Quod de Melancho-
liâ intelligendum esse explicat Ga-
lenus.

Curatio in Genere.

De curatione in genere vix mul-
tum dici potest, præter id, quod supra,
part. I. cap. 12. dictum fuit. Hæc saltem
diligenter attendenda: Primò procu-
randum esse omni studio, ut bonus,
clarus, tenuis, ac subtilis sanguis ge-
neretur, qui omne caussarum vitium
corrigerè potest, quo solo auxilio, &
aquæ dulcis balneo, sine ullo fortiore
remedio, se recentem Melancholiam
sanasse testatur Galenus, 3. *de loc. aff. c.*
7. Quâ ratione autem hoc fieri possit,
dicetur mox in dicta. Deinde ut ab a-
nimi perturbationibus, in cerore, tri-
stitia, timore, & curis æger liber sit,
ejusq; animus ad hilaritatem avocetur.
Tertiò ut æger ad contrariam i-
maginem deducatur. Compertum e-
nim est sæpè, si ægro persuadeatur, il-
lud, quod ipsi molestum videtur, & in-
quæ omnem cogitationem defigit, remo-
tum esse, Delirium cessare, & post æ-
grum, si quid causæ supersit, ad eam
extirpandam medicamenta faciliùs
admittere. Commodum quidem est,
ut æger ad contrariam imaginationem
deducatur: verùm rarò hoc ab i-
psis obtinetur. Ideoq; ipsorum ima-
ginationibus quidem indulgendum;
sed interim fallendi sunt. Ita refert
Trahanus, *lib. I. capit. 17.* Medicum
quendam, qui caput sibi amputatum

putabat, curasse imposito repente ca-
piti ipsius pileo plumbeo, ut gravita-
tem sentiens caput se recepisse puta-
ret: Alius, nasum se ingentis magnitu-
dinis habere putabat; Chirurgus na-
ribus prehensis novacula eas se innu-
nuere fingit, carnisque frustra abscissa
offendit, quo modo æger convaleuit.
Gattinaria refert, Medicum quendam
melancholico, qui ranas in ventre se
habere putabat, purgans exhibuisse,
& excretis ranas vivas injecisse, quas
cum ille è ventre suo exturbatas cre-
deret, cõvaluit. Quidam se mortuum
putabat, referente Hollerio *libro I. de
morb. inter. cap. 15.* & propterea cibum
capere noluit: is socij comitate, qui
cum eo se in sepulcro mortuum esse
asserbat, & cibum nihilominus ca-
piebat, ad cibum capiendum persua-
sus fuit. Et existant hujus rei exempla
passim plura. Nullò verò modo con-
cedendum, ut Medici, vel adstantes
cum ægro de imaginationibus ejus fal-
sis pertinacius contendant. Quartò
hoc etiam notandum, ex præcepto
Aetij, interdum ab omni medicamē-
to abstinendum esse aliquandiu, & na-
turæ aliquam quietem concedendam,
quæ aliquando continuis remedijs af-
flicta quiescens recreatur, & validius
morbum aggreditur, & superat. Quia
etiam humor melancholicus circa
vesperam moveri solet, commodum
videtur, circa vesperam, horâ quar-
tâ, exhibere purgantia, eaque mitio-
ra, (fortia enim rarò fert) & illa ali-
quot diebus continuare. Præparan-
tia verò horis matutinis exhiberi pos-
sunt.

Curatio
Melan-
cholia.

Reliqua patebunt exijs, quæ postea de singulis Melancholiæ speciebus dicentur. Cordialia tamen hic etiã non omittenda; cum cor in Melancholiã non planè immune sit: & cum dentur medicamenta, quæ simul & cordi, & capiti amica sunt, & alterando humori melancholico apta; illa eligenda sunt: qualia sunt, borrago, bugloss, melissa, ocyimum, cort. citri, grana kermès, fl. tunicis, lignum aloës, crocus, moschus, ambra, & similia. Conserva saryrij, & radices ejusdem conditæ etiam in melancholia utiles sunt; exceptã eã, quæ ex amore est.

Diaeta.

Cum probº sanguis omne hoc vitiũ ferè emendare possit, ut talis, id est, purus, & tenuis generetur, providendũ. Fit a, hoc dupliciter; primò sicibus ad talem sanguinẽ generandum aptus eligatur; deinde si is probè coquatur. Itaq; cibi sint calefacientes, moderatè humectantes, puri, tenuis substantiæ, concoctu faciles, nõ flatulenti. Exhibeantur ergo carnes pullorum, gallinarũ, caponum, perdicum, hœdorum, agnorum, vervecina, vitulina, & similes; pisces saxatiles, ova sorbilia; ex oleribus borrago, bugloss, lactuca, endivia; ex fructibus ficus, amygdal. pineæ, pistacia, uvæ passæ, mala Púnica médijs saporis: & quibus, ob jecoris calorem major copia atri humoris colligitur, ij refrigerantibus, & humectantibus cibus utantur, ut jusculis ex hordeo. Breviter: melancholicis omnibus convenit cibus, qui est tenuis substantiæ, copiosioris nutrimenti, humidus in

passivis, in activis temperatus, vel ad caliditatem declinans. Frigiditas tamen excedat, aut ad frigidum vergat, si ex adustione melancholiæ proveniat.

Contrà verò vitandus cibus frigidus, crassus, siccus, feculentus, & omnia, quæ sanguinem melancholicum gignunt, ut caro bubula, hircina, caprina, aprugna, leporina, & animalium omnium, quæ anno sa sunt, & ex avibus, quæ magis ambulat, quàm volant, ut anserina, anatina, & similes. Inter pisces, qui habent crassam carnem; ex oleribus brassica, legumina omnia, & maximè lentescens. Abstinentium & à falsis, duris, aceto conditis, & sale ac fumo induratis tam piscibus, quam carnibus. De aceti usu diximus supra, *part. 1. capit. 12. in quaestione*. Et nullo alio modo concedi potest, nisi ut vapores illos siccos ad cerebrum adscendentes reprimat & figat, ne somnum turbent; idque saltem in melancholia ab epatis affectu fieri potest; in alijs locum non habet. Potus sit vinum bene maturum, & dulce, aut cerevisia pura, in primis triticea.

Aër sit in calore & frigore temperatus, paulisper humidus, ac, nisi talis sit, arte pareatur. Somnus vigilias superet, qui melancholicis est remedium supra gemmas & lapides pretiosos æstimandum: in primisque danda opera, ne æger multum vigilet; cum ex hac unica causa malum in habitum transire, & quod pejus, in maniam mutari possit. Curæ & sollicitudines animi omnes studiosè cavendæ sunt, ægri quæ animus suavibus collo-

Aër, somnus, & vigilias, animi pathemata.

quijs, vel etiam musicâ ab intentis & mœstis cogitationibus, ac imaginationibus avocandus, & ad hilaritatem adducendus. Et cum ægri de una re falso animo conceptâ plerumq; solliciti sint, & de ea perpetuò cogitent; danda opera, ut, quibuscunque fieri potest, persuasionibus, ac medijs à falsa illa cogitatione abducantur.

CAPUT IX.

De prima Melancholiæ specie, quæ fit Cerebro primario affecto.

Phantasma tenebricosum ac Melancholicum, quod proxima melancholici delirij causa est, fieri à spiritibus animalibus eodem modo dispositis, antea dictum. Dispositionem autem istam, ut itidè antea dictum, spiritus animales obtinent, vel quia tales in cerebro, & quidem ejus vitio, generantur: vel quia, licet puri & lucidi generentur, aut à cerebro bene constituto generari possent, à materia aliunde in caput missa inquinantur, aut ad eorum generationem materia melancholica suppeditatur. Ut autem de primâ Melancholiæ differentiâ, quæ fit per primarium Cerebri affectum, prius dicamus, ut aliarum partium vitia cõditiones, quæ in ijs obeuntur, corrumpunt, & ventriculus malè cõstitutus chylum vitiosum, epar malè sese habens sanguinem vitiosum generat: eodem quoque modo si Cerebrum non bene sese habeat, spiritum animale vitiosum, & dispositioni p. n. respondentem gignit.

Causse.

Dispositio autè illa Cerebri vitiosa non solum quærenda est in qualitatibus primis, frigiditate ac siccitate; cum multi senes has obtineant, neque tamen sint Melancholici: sed in eo præcipue sita est, quod cerebrum in modo substantiæ à naturali puritate, luciditate, seu albedine defectit, & impurum, crassum, tenebricosum, & melancholicum evadit. Tumen enim spiritus animales ejusdem constitutionis vitiosæ generat. Si tamen frigida & sicca intemperies cerebri eò progressa sit, ut tenues, lucidas, & puras partes ex cerebro, & spiritu insito quasi exprimat, & cerebri constitutionem ita mutet, ut tenebricosum evadat, inter Melancholiæ causas numerari potest. Causæ enim, quæ Melancholicam dispositionem cerebro inducunt, sunt omnia illa, quæ humorem melancholicum in cerebro cumulant, ejusq; & calidi innati substantiam tenebricosam reddunt.

Primo ergo causa hujus mali sunt terror gravis, subito & ex improviso accidens, fortisq; rei horrendæ imaginatio, quæ fortes impressiones in spiritibus, humoribus præfertim, si jam antè ad melancholiam dispositi sunt, & cerebro ipso faciunt, ut rectè scribit Platerus, totumq; corpus ita mutant, ut melancholiam gravissimam, detrioremq; ferè eâ, quæ ab internâ causa producat, & quæ, ut idem Platerus scribit, agnè, nisi tota sanguinis Massa exhauriatur, possit curari. Possit quidem

idem

dem hæc melancholia species etiam ad eam, quæ per consensum totius est, refertur; cum sanguis in toto corpore ferè mutetur: quia tamen cerebrum maximè, & primariò afficitur, ad hanc speciem eam referre malimus. Fit autem hoc, si homo viso aliquo horrendo, ut cadavere, aut simili re abominandâ, vel spectro terreatur, aut imaginatione, & metu periculi in tenebris nocturnis, in sylva, vel loco solitario percellatur; cujus rei historias habet Platerus, *tom. 1. Pract. pag. 111.* & in *obs. lib. 1.* Et si verò quomodo imaginatio, & animi perturbationes tales istam in humoribus & spiritibus alterationem efficere possint, integrè explicari non facilè sit; tamen experientia testatur, species rei, vel jucundæ; vel horrendæ & formidabilis, visui, aut auditui oblata, & memoriâ conceptas, ac conservatas, atq; imaginationi & menti representatas adeo servare vestigia & naturam rerum, unde prodierunt, ut ferè non minus, quàm ipsæ res externæ alterare, & corpus mutare, & morbos tum inducere, tum depellere possint. Et faciliùs præstant hoc hæc causæ, si corpus ad melancholiam sit dispositum. Tum enim humor melancholicus in corpore abundans ad caput rapitur, ibiq; hærens cerebri constitutionem mutat.

Secundò Melancholicam hæc dispositionem Cerebro inducit humor melancholicus in capite cumulat: quod fit in primis ob intemperie Cerebri frigidam & siccam, aut potiùs ob nativam, aut quocunque modo contractam melancholicam, id est, minus-

puram, & lucidam cerebri constitutionem; quæ cum sæpè à parentibus in liberos derivetur, accidit etiam, ut melancholia tunc in liberos traducatur, imò quandoq; totis familijs hæreditaria sit.

Cerebri autem hæc constitutionem melancholicam, sanguinem in materiam sibi similem mutantem, post ortum frequentissimè inducunt tristitia, mæror, curæ, luctus, atq; animi sollicitudo diu perseverans, vel ob rei charæ amissionem, ut parentum, liberorum, amicorum, pecuniæ, & bonorum, honorum, vel in generosis animis ex pudicitia & verecundia ob errorem aliquem, sæpè etiam levem, & nullius momenti, commissum, vel ex invidia, odio, & vindictæ cupiditate, ex zelotypia, vel ex desiderio, & amore alicujus rei, de quo *cap. seqq.* in specie agetur.

Deinde humor iste melancholicus in cerebro colligitur, cerebroq; etiam talis constitutio inducitur, & in eo relinquitur interdum à morbis calidis, post phrenitidem, cum calore remittente, & resolutis partibus tenuioribus, materia sicca & crassa, ac feculenta in cerebro relinquitur, & in cerebro similis intemperies excitatur, à qua humor melancholicus, & fovetur, & augetur. Idem post epilepsiam interdum accidit, & epileptici Melancholici, & contra Melancholici epileptici fiunt. De quo Hippocrates, 6. *Epid. in fine.* Melancholici quoq; magnâ ex parte epilepsia corripuntur consuevere, & epileptici Melancholici fieri. At horum utrumque magis accidit, prout ad

alterutram partem morbus inclinat. Etenim si in corpus, epileptici, si vero in mentem, Melancholici fiunt. Quem locum prolixè explicat Galenus, 3. de loc. affect. cap. 6. Nimirum si humor melancholicus cerebri corpus, seu conformationem lædit, id est, obstructionis in ventriculis autor est, secundum vulgata doctrinam, seu potius, si membranas ventriculos investientes vellicat, epilepsiam producit: si vero ipsam Cerebri constitutionem, & spiritus, qui facultatum principum proximum instrumentum sunt, lædit, Melancholia excitatur.

Signa Diagnostica.

Delirium melancholicum ex primario cerebri affectu est perpetuum, & ut plurimum vehemens, oculorum obtutus fixus, & signa abundantis melancholæ in capite supra, *part. 1. c. 12.* proposita, adsunt. Symptomata contra, & præternaturale aliquid circa hypochondria, epar, venosum genus, & cor non animadvertitur: præcesserunt vigiliæ, cogitationes assiduæ, curæ, aut subitus terror & consternatio, atque aliæ causæ, quæ caput exsiccare, humoremque melancholicum tandem in eo relinquere potuerunt, ut phrenitis, epilepsia. Sanguis etiam emissus hic signum præbet. Si enim is non est crassus, & ater, non in toto, vel corde causa mali est, sed in Cerebro: nisi forsan membri alterius affecti signa adsunt.

Prognostica.

1. Quo materia in capite est copio-

sior, frigidior, & siccior; eò difficilius hoc malum curatur.

2. In morbis Melancholicis vere & ætate suspecti sunt humorum decubitus, & vel apoplexiam, vel maniam, vel convulsionem, vel cæcitatem denunciant, 6. aphor. 56.

3. A terrore Melancholia profecta primario cæteris omnibus est curatu difficilior. Platerus.

Indicationes.

Materia melancholica, quæ in capite spiritus inquinat, similemque dispositionem ijs imprimit, & cerebrum ad spiritus melancholicos generandos disponit, est alteranda, & evacuanda; nimirum cum sit sicca, frigida, crassa; humectanda, calefacienda, attenuanda. Hinc medicamentis humorum melancholicum educentibus, expurganda. Postea reliquæ discutientur; caput roborandum, & intemperies, ac constitutio ejus vitiosa corrigendi, ipsumque ad naturalem statum deducendum. Totiustamen semper simul habenda est ratio.

Auxilia.

Quæ ratione autem hisce Indicationibus satisfieri possit, explicatum supra, *part. 1. cap. 12.* ubi de intemperie capitis cum humore melancholico curanda dictum. Ideoque hic pauca saltem addimus.

Et præparantia quod attinet, ijs etiam quæ rum & tum, ut & crystallos quæ ri admiscant nonnulli. Verum et si in melancholia hypochondriaca locum habere possint, cum aperiant, & abstergant; tamen non video, quomodo

modo in melancholia per essentiam locum habere queant; cum sint frigida & sicca, nec qualitates humoris melancholici corrigant. Exempl. gr.

℞. Aq. p̄. minor. redolent.
borrag. an. Unc. i. ℞.
spir. ros. Scr. ℞.
fir. de pom. f. Unc. j.

M. pro haustu, qui per aliquot dies horis matutinis continuandus.

Purgantia sæpius repetenda sunt. Ad humorem verò melancholicum evacuandum valde efficax est extractum hellebosi nigri Scr. j. vel etiam Drach. ℞. pondere exhibitum.

Vel ℞. Aq. borrag.
bugloss.
fumar. an. Unc. j.
extr. solutiv. Andernac. Scr. j.
helleb. nigr. Scr. ℞.
fir. de epithymo
borragin. an. Drach. iiij.
M. pro Haustu.

Commendatur & pulvis Valerij de Taranta, qui infra, capit. ii. proponetur.

Vel ℞. Fol. fenæ Unc. ij.
epithym.
rhabarb.
zingiber. an. Scr. iv.
spec. diarrhod. abbat. Drach. j.
sinamom.
macis.
anis.
margarit. an. Scr. ℞.
confection. electuar. de succo rosar.
in tabulis Drach. ij.
fecchar. candi in sirup. violar. con-
creti ad pondus omnium.

F. Pulvis. Dosis Scr. iiij. vel Drach. i. ℞. in iusculo.

Vel ℞. Mass. pil. de fumar.
de lapid. Lazuli, ana
Drach. ℞.
extr. helleb. nigr. gr. iv.
ol. majoran. gutt. j.
Cum sirup. rosar. sol.
F. Pilulæ.

Vel ℞. Extr. panchymagogi, vel extract.
melanagogi Querc. Scr. j.
helleb. nigr. Scr. ℞.
trochisc. alhand. gr. iiij.
ol. anisi gutt. ij.
F. l. a. Pilulæ.

Quod si melancholici neq; has, neque alias medicamentorum formas admittere velint, quod sæpè fieri solet, propinetur sequens Decoctum galli decrepiti:

℞. Rad. polypod. Unc. ℞.
scorzonera Drach. ij.
cortic. rad. helleb. nigri preparat.
Drach. j.
glycyrrh. Drach. i. ℞.
flor. borrag.
bugloss.
violarum, an. P. j.
sem. anisi,
fenicul. an. Drach. ℞.
passul. minor. lotar. Unc. ℞.
fol. fenæ Alex. s. s. Drach. v.

Ebulliant in iusculo galli decrepiti, & detur iuscultu edendū & bibendum.

Verum purgantibus multis ægri non fatigandi: sed plus commodi ab alterantibus expectandum.

In alterando & roborando capite commendantur præcipuè margaritæ, hyacinthus, borrago, bugloss, crocus, rosa,

rosa, melissa, doricum, aromata subtilia, & odorem ac saporem suavem habentia, vinum album subtile aromaticum.

Commendatur etiam hoc Ele-
ctuarium:

R. Amygdal. dulc. excort. Unc. ij.
nuc. jugland. excort. Unc. iij.
nucl. persicor. Drach. j.
sem. papav. alb. Unc. ij.
ecymi Drach. j.

Contundantur, & add.
nucis condite Drach. ij.
margarit. prepar. Drach. j.
conserv. melis.

betonic.
bugloss.
borragin. an. Unc. j.

Cum sirup. de cort. citri & violar.

F. Electuarium, de quo vesperi ex-
hibeatur Unc. ij.

Vel R. Condit. flor. citri,

aurant. an. Drach. ij.
nuc. Indic. Drach. iij.
cort. citri Unc. ij.

conserv. fl. nymph.
rosar.
violar. an. Unc. j.
borraginis,
bugloss. an. Unc. ij.
flor. lavend.

anthos, an. Drach. j.
spec. elect. de gemm. Drach. ij.
diamosch. dulc. Scr. j.
conf. alkerm. Drach. ij.
tinctur. corallior. rubr. Scr. j.
essentia cinamom. Drach. j.

Cum sir. de cort. citri cum moscho q. s.
F. Conditum, (quod duplici folio

auri tegi potest) cuius dosis qua-
ntitas nucis moschata, vel casta-
neæ.

R. Conserv. rosar. Unc. j.
flor. runic.
pæon. an. Unc. ij.
violar.
nymph. an. Drach. ij.

aq. pomor. redolent. Unc. v.
borragin.
bugloss. an. Unc. ij.
succ. granator. dulc. Unc. j.
cydonior. rec. depurati Unc. ij.

Misce, & contund. in mortario
marmoreo. Hinc fortiter expri-
mantur, & colentur.

Colaturæ add.
tinct. corallior. Scr. j.
Jmarag. Scr. ij.

sir. de cinamom.
borrag. an. Drach. vj.

M. pro potione, cujus dosis coch-
lear. ij. manè & vesperi.

Cardanus se solis somniferis po-
tionibus, & lotionibus, ac usu chryso-
lithi intra octiduum Melancholicos
curasse scribit.

Chymici hinc præcipuè tincturam,
& magisterium Dæ laudant; de quo
infra, cap. 20. pag. 478. Commendant
etiam tinct. corallior. magist. lap. La-
zuli, chrysolithi, perlarum, corallio-
rum, sal crystalli, smaragdi, sapphiri,
essentiam macis, essentiam & tinctu-
ram croci, sapphiri, smaragdi, essen-
tiam anagallidis. E Chymicis non-
nulli etiam spir. ☉, & præcipuè spir.
☉ ☽ commendant. Sed non vi-
deo quam commodè; cum aliàs acida
melan-

melancholicis sint noxia, & humorem melancholicum, qui per se aridus est, augeant, & exaltent. Nonnulli tanquam specificum commendant sanguinem asini ex venis post aures tempore verno emissam, si in eo linteola munda, nullo usu antea infecta, madesiant, & exsiccantur, & postea particula duos digitos lata, & unum pollicem longa in aqua fontana maceretur, ea que ter postea manè exhibeatur, & sudor, si fieri potest, provocetur.

Externa. Si materia adhuc generetur à per se verante ibi calida dispositione, tum refrigerantibus, & humectantibus, ut violis, rosis, nymphæâ, & similibus, quæ odoramenti loco usurpentur, utendum; vel caput abluatur decocto rosarum, violarum, malvæ, hordei.

Particulares capitæ evacuationes. Particulares quoque capitæ evacuationes instituantur, cum sensibiles, tum insensibiles. — Aperiantur venæ narium, temporum, frontis, post aures, idque aliquoties fiat; imò & in pedibus vena aperiri potest. Sanguini permiscetur humor melancholicus, & cum eo commodè evacuat.

Aphlegmatismus talis instituitur:

Rx. Pyrethri,
zingiber. an. Drach. j.
sem. staphid. agria,
eruca, an. Drach. ß.
cubebar. Scrup. j.
ambra gr. vj.

Cum oxymel simpl.

F. Linimentum palato inungendum.

In nares immittantur sternutatoria ex hellebor. alb. majorana, nigella,

L.I.

& similibus; & quidem fortiora eligantur.

Commendatur & serum caprinum cum extracto hellebor. nigri pro errhino.

Efficax est & sequens Pulvis sternutatorius:

Rx. Fol. Tabac. veri, oleo sem. anisi preparat. Drach. jß.
majoran. Drach. j.
agarici albiss. Drach. ß.
pulv. fl. lilior. convall. Scrup. j.
ambra gr. v.
moschi gr. iij.

M. pro Pulvere subtilissimo, cujus parum manè & vesperi naribus attractatur.

Fomenta & inunctiones fiant ex stœchad. Arab. hyssopo, melissa, thymo, pulegio, flor. chamæmel. borragine, bugloss. quibus addantur malva, althæa, sem. fœnugræc. quæ coquuntur in vino subdulci, vel in lacte, vel in jure capitæ vervecis, aut pulli gallin. & spongiâ decocto imbutâ caput foveatur. Ac si papav. capita, aut fol. nymphææ addantur in mediocri quantitate, somno conciliando, cujus semper in melancholia curanda Medicus, rationem habere debet, unâ operâ succurritur.

Vel imbuatur spongia ol. calidis, & humectantibus, ut oliv. chamæmel. anethin. lilior. albo. amygdal. dulc. & capiti applicetur.

In primis utile est stillicidium ex lacte caprino recenti super suturam coronalem factum.

Utile est & Linimentum ex ovi vitello, & ol. amygd. dulc. Unc. j.

Yy

Vel

Vel *B. Sem. papav. alb.*
cannabis.

granor. juniper. an. Mij.
thuris Unc. ℥.
nucleor. Persicor.

malor. Armeniac. ana
Unc. iij.

Contund. & mise. cum aq. rosar. & flor. sambuci, ac supra totum caput in panno lineo ponantur, idq; toties repetatur; quoties exsiccata fuerint. Nonnulli etiam fonticulos supra futuram coronalem factos commendant. Alij cranij per trepanum apertionem, ut vapores melancholici, & si quid aliud est p. n. in cerebro, evacuetur. Refertq; Rondeletius, *meth. curã di morb. c. 41.* quosdam, quibus ex casu, & lapsu cranium apertum fuit, sanatos fuisse; & Savanorola scribit, quendam ex vulnere sanatum fuisse:

Somnifera. Somni, ut diximus, utpotè qui valdè utilis est in hoc morbo curãdo, etiam Medicus rationem habeat. Ideoque si ea, quæ antea diximus, non sufficiant, opij grana aliquot cum unguento populeo misceantur, eoq; tempora & nares illinantur. Si contumaces sint vigiliæ, laudan. opiat. gr. iij. exhibere licet.

Monet tamen Crato, *consil. 186. re. media somnifera foris adhibita*, etsi plurimum prodesse videantur: tamen melancholicis non satis tuta esse; quod de fortioribus intelligendum puto.

Amuleti loco de collo nonnulli suspendi jubent Smaragdum, alij corallia rubra, alij lap. Chelidonium.

Diata.

Diata ex antea dictis patet. Inprimis cibus sit boni succi, quo solo, & aqua dulcis balneo recentem hanc melancholiam Galenus se curasse scribit. *3. de loc. affect. c. 7.* Si enim cerebri constitutio nondum valdè mutata sit, nutrimentum bonum continuo affluens vitium præsens, & nondum inveteratum corrigere, & balneum aq. dulcis frequens materiam discutere & evacuare potest. Reliqua diata eadem est, quæ antea, & supra, *part. 1. cap. 12.* est proposita.

CAPUT X.

De Amore insano.

ET si ad causas, quæ cerebri constitutionem immutando melancholiam inducunt, & quidem ad animi sollicitudinē, & curas Amor quoq; pertineat, & proinde melancholia ex amore immoderato orta ad eam, de qua modò diximus, melancholiæ speciem referri possit: quia tamen hic animi affectus præ reliquis vehementior est, & peculiare quid obtinet, Medicis plurimis peculiari capite de Melancholia ex amore orta, seu de Amore Insano agere placuit, quos & hic sequemur, & seorsim de hoc delirio hoc capite agemus: de quo etiam in *Instit. libr. 2. part. 3. sect. 1. capit. 7. & ibid. sect. 2. cap. 4.* quædam diximus.

Amor Græcis ἔργος est, unde affectum huc Barbari Hereos, & hoc malo laborantes Heroticos nominant,

Amo.

Arabes Ilisci. Est autem Delirium melancholicum, ex amore nimio ortum. Non equidē omnes amantes delirant. Et si enim verum sit Poëtæ illud:

Crede mihi, stulto nemo in amore sapit,

& pleriq; amantes cæco amoris impetu in diversum à recta ratione abripiantur, & videant meliora, probentque, deteriora sequantur: tamen non semper rectæ rationis usum amittunt, sed amicorum, imò mentis, & conscientię ad meliora hortantis monita sequi possunt, si validius paulò affectui huic reluctantur, & resistant, & causas, ac occasiones hujus mali vitent. Interdum tamen affectus hic tam vehementes est, ut, præcipuè si diu duret, hominem ratione quasi spoliēt, & ferè delirium efficiat.

Causæ.

Causæ amoris insani primariæ.

Causa enim hujus delirii primaria est impressio fortis rei amabilis, seu Amor, non ille blandus Dei, virtutis, boni, ac honesti, parentum, liberorū, imò & conjugum, sed Venerus, quo homines cum ratione insaniunt. Et si enim & hic amor, qui est inter masculum & fœminam, si intra suos limites contineatur, blandus, & suavis affectus sit: tamen si nimius sit, ut Seneca ait, est rationis oblivio, & insanie proximus, fœdum, ac minime conveniens animæ hospiti vitium: turbat consilia, altos & generosos spiritus frāgit, à magnis cogitationibus ad humilimas detrahit. Etenim si hominis, seu viri, seu fœminæ, vel reverā, pulchri,

vel qui talis apparet, (Est enim, quod vulgò dicitur, Amor cæcus) species ex visu, vel colloquijs concepta fortiter memorię imprimatur, & imaginationi, ac menti sapius offeratur; tantum rei amatæ desiderium, & appetitus oritur, ut magna in homine inde fiat mutatio, & præ amore ægri nec somnum, nec cibum capere possint, & animi varijs perturbationibus percellantur. Dum enim, ut in *Instit. loc. alleg.* diximus, spem & opinionem consequendi rem amatam concipiunt, in profundissimū sæpè gaudium erūpunt, & præ gaudio multa inepta, & stulta agunt, & loquuntur, & periculis se non raro maximis exponunt. Ubi verò ceconsequenda re amata desperant, nec mutuum amorem respondere animadvertunt, lugent, dolent, aut etiam irascuntur, interdum etiam violentas manus sibi inferunt. De quibus multa passim apud Poëtās, quæ, et si de amore, qui nondum in delirium degeneravit; dicta videantur: tamen eadem etiam omnino delirantibus ex amore conveniunt. Terentius, *in Eunuch.*

In amore hæc omnia insunt vitia:

Injuria,

Suspiciones, Inimicitie, Inducie,

Bellum, Pax rursum.

Et Plautus, *in Mercat.*

Amori accidunt etiam ultrò hæc, quæ diximus,

Insomnia, ærumna, error, terror & fuga,

Ineptia, stultitiaque adeo, & temeritas,

IncoGITantia, cupiditas, & malevo-
lentia.
Inheret etiam aviditas, desidia, in-
juria,
Inopia, contumelia, & dispendium.
 Inprimis verò graphicè incommoda
 amoris describit Plautus, in *Cistell. Act.*
 2. Sc. I.
Credo ego amorem primùm apud homi-
nes carnificinam commentum:
Hanc ego de me conjecturam domi fa-
cio, ne foris queram,
Qui omnes homines supero atq; antideo,
cruciabilitatibus animi.
Iactor, crucior, agitor, stimulator, verfor,
in amoris rora miser:
Exanimor, feror, differor, distrabor, di-
ripior: ita nullam mentem
Animi habeo. Vbi sum, ibi non sum:
ubi non sum, ibi est animus.
Ita mihi omnia ingenia sunt: quod lu-
bet, non lubet jam id continud.
Ita me amor lapsum animi ludificat,
fugat, agit, appetit,
Raptat, retinet, jactat, largitur: quod
dat, non dat, deludit:
Modo quod suasit, dissuasit: quod dis-
suasit, id ostentat.
Maritimis moribus mecum experitur:
ita meum frangit amantem.
Animum: neque, nisi quia miser non
ea pessum, mihi ulla abest.
Perditi pernicies.
 Inò, ut Virgilius, *Ecl. 8. ait:*
Sævus amor docuit natorum sanguine:
matrem:
Commaculare manus; quod à Me-
dea factitatum.
 Egregiè quoque infanum hunc amo-
 rem descripsit Seneca, in *Hippolyt.:*

Torretur estu tacito, & inclusus que-
que,
Quamvis tegatur, proditur vultu fu-
ror:
Exumpit oculis ignis, & lassa gena
Lucem recusant: nil idem dubia pla-
cet,
Artusque variè jactat incertus do-
lor:
Nunc ut soluto labitur moriens gra-
du,
Et vix labante sustinet collo caput:
Nunc se quieti reddit, & somni imme-
mor:
Noctem querelis ducit; attolli ju-
bet,
Iterumque poni corpus, & solvi co-
mas,
Rursumque fingi: semper impatiens
sui
Mutatur habitus: nulla jam Cereris
subit
Cura, aut salutis; vadit incerto
pede
Iam viribus defæta, non idem vi-
gor,
Non ora tingens nitida purpureus ru-
bor.
Populatur artus, crura; jam gressus
tremunt:
Tenerque nitidi corporis cecidit de-
cor,
Et qui tenebant, signa Phœbea fa-
ciis
Oculi, nihil gentile, nil patrium mi-
cant:
Lacrumæ cadunt per ora, & asiduo
gena:
Rore rigantur.
 Et sunt hujusmodi ærumnarum, qui-
 bus

bus amantes affliguntur, pleni Poëtarum libri.

Tot verò curis, ærumnis & sollicitudinibus cum amantes conficiantur, non mirum est, si tandem in melancholiam incidant. Et si enim Amor, ut diximus, in principio species delirij, & Melancholix non sit; tamen nimia animi sollicitudo, inedia, & vigilia, ira, & vehementissimi animi affectus, quibus continuò cruciantur amantes, cerebrum refrigerant, & exsiccant, humores melancholicos cumulant, & cerebro Melancholicam dispositionem inducunt. Et quidem in principio nihil tale incauti metuunt; dum verò objectum gratum, & delectabile memoriæ nimis imprimunt, & continuò de eo cogitant,

*Labitur totas furor in medullas,
Igne furtivo populante venas.
Non habet latam data plaga frontem,*

Sed vorat rectas penitus medullas,
ut Seneca, in *Hippolyt.* habet. Idcoque, ut idem, *ibid.* scribit,

*Qui blandiendo dulce nutrit malum,
Sed recusat ferre, quod subijt, jugum.*

Causæ remota. Causæ verò hujus delirij remotæ sunt omnia, quæ ad amorem conciliandum faciunt. Cum verò amor sit appetitus, appetitum verò præcedat notitia, & ignoti nulla cupido sit: primus ad amorem gradus est rei notitia; ad quem pervenitur visu & auditu. Et in primis amoris causâ est objectum pulchrum, seu revera tale, seu tale apparens, visui oblatum. Unde

Amor Græcis ἔργος, ἀπὸ τῆς εἰσροῆς, ab influendo, quod ex adspæctu per oculos, quasi per fenestras, in mentem hominis influat, dictus putatur; & hinc illud est vulgatum, *ὄρα τὸ ἔργον*, & illud: *Oculi sunt in amore duces.* Unde ille apud Virgilium.

Vt vidi, ut perij, ut me malus abstulit error.

Ita David Bersabæ, Dido Æneæ conspectu amore accensa est.

Ut verò Amor ex visu, seu auditu perceptus, penitius sese mēti insinuet, & objectum fortius animo imprimitur, multum facit otium, solitudo, lectiones librorum amatoriorum, colloquia amatoria, & frequens cum amico, vel amicâ conversatio: de quo Seneca, in *Octav.*

Vis magna mentis, blandus atque animi calor

Amor est: juvenæ gignitur luxu, otio:

Nutritur inter læta fortuna bona.

Et de otio Ovidius ait:

Hæc sunt jucundi causa cibusque mali.

De Philtris.

Cum verò inter causas Amoris in-fani etiam Philtra à multis numerari unde dicantur. *unde dicantur.* de ijs hic aliquid dicendum. *φίλτρον*, Græcis ἀπὸ τῆς φίλειν, hoc est, ab amando derivatur, nomenque ab effectu inditum, quod scilicet res ea amorem conciliare creditur. Interdum etiam in genere φάρμακον appellatur; de quo postea locus adducetur

unde etiã Pharmaceutria apud Theocritum, & Virgilium nominata est. Latini Poculum amatorium, Germani Siebrantſch/itidem ab effectu, & formã exhibendi nominant; cum talia in liquidis, & potulentis facilius propinari possint. Describiq; solet Philtrum, quod sit pharmacum ad amorem conciliandum exhiberi solitum. Quamquam enim à malè feriatís quibusdam etiam quãdam actiones, & ceremoniã Magicã in eundem finem institui soleant, ut ex Pharmaceutria Theocriti, & Virgilij apparet: tamen de his hinc non agimus. In primis verò, de quo in Institut. lib. 2. part. 3. sect. 2. cap. 4. dictum, hinc quærendum: an philtrea id, quod ipsis tribuitur, præstare, id est, amorem conciliare possint? Cum verò amor, ut Plato definit, sit desiderium rei placitæ; seu, ut Scaliger, exerc. 307. definit, Affectus unionis; hoc quæritur: an philtrea talem appetitum, & affectum conciliare possint? Et quidem cum Philtrea eã ratione exhibeantur, ut amorem mutuum concilient, hoc in quæstione est; an ea mutuam erga eum, qui jam amat, amorem in alio excitare possint: seu an is, qui amantem non redamat, pharmacis & philtreis cogi possit, ut repugnans, & invitus etiam amantem redamet. Neq; enim Amor semper mutuus est, sed amatus sæpè se amari nescit; & nonnulli licet amari se sciant; amantem tamen non redamant: cuius rei exemplum est in Didone & Ænea.

Fieri autem hoc non posse, in Institut. loc. alleg. diximus. Cum enim a-

morem rei notitia præcedere debeat, & quidem sub specie pulchræ rei; & ignoti nulla cupido sit: at verò ij, quibus philtrea propinantur, sæpè nullo modo cognitum habeant, se amari, neq; ejus, à quo amantur, notitiã habeant; multò minus ut pulchrum agnoscant: nullo modo in amorẽ philtreis pertrahi possunt, quæ notitiã illam conciliare non valent. Imò licet is, à quo amoris conciliandi gratiã philtrea propinantur, notus sit: tamen si idem exosus sit, nec placeat, philtrea pro odio amorem inducere non possunt; cum talia pharmaca in corpus quidem agant, in animam verò hominis agendi nullam potestatem habeant.

Hoc quidem non negamus, Veneris stimulos, & Venercos affectus interdum à talib. medicamentis induci posse: non tamen is appetitus ad certam, & peculiarem, quod hinc præsupponitur, personam determinatur, sed promiscuè in obviam quamque.

Hoc verò experientia sæpè docet, pro amore furorem, & insaniam philtreis inductam fuisse; de quo Poëta:

Philtrea nocent animis, vimq; furoris habent.

Unde & leges Romanorũ graves, & capitales pœnas in eos cõstituunt, qui pocula amatoria alijs exhibent. Plutarch. de L. Lucullo, Imperatore, refert, quod hausto poculo amatorio in furorem inciderit, quo tandem miserè perijt. Lucreti⁹, Poëta, philtro ab uxore, Lucilla, accepto in furorem conjectus sibi ipũ manus violentas in-

zultit.

Sulic. Et talia exempla passim occurrunt, atque aliquot etiam annotavit Schenckius, *lib. 7. observ. 30. & 31.* Notusq; hinc Wittebergæ fuit ante paucos annos quidam calceolarius, qui philtro accepto multos annos infanus vixit, & tandem in claustro infanus mortuus est.

Et sit, ut occurrant exempla eorū, qui philtis in amorem alicujus inducti creduntur: tamen id vel Dæmonis fraudibus factum, qui etsi in hominis animam nullum habet imperium; tamen Dei permisso, ut alios pravos affectus in hominum animis, ita & istum excitare potest, hominumq; mentem dementat, & impuris cogitationibus amantium sese associat, atque interim ijs, qui philtro exhibuerunt, persuadet, à philtis ejusmodi effectum dependere; atque ita superstitiosam de philtis opinionem in hominum mentibus confirmat, eosq; ad malè agendum, & secum colludendum porro incitat; vel quod philtro adscribitur, conversationi potius, colloquijs amatorijs, & alijs causis amorem conciliantibus adscribi debet. Ita narratur historia de Rege Macedonum, Philippo, qui cum amore puellæ arderet, & Olympiæ, Reginæ, uxori, persuasum esset ab alijs, philtro à puella propinato Regem maritum in hunc amorem pertractum esse, illa puellam ad se adduci jussit; adductam verò cum & formæ elegantia, & morum suavitate excellere videret, suspitione de philtro abjectâ exclamavit: *χαίρετωσαν Δεσπολαί. σὺ γὰρ σαυτῇ Φάρμακα ἔχεις: Vultant, inquit, calumnia: Tu in te philtro*

habes. Ubi vox *Φάρμακον*, ut supra diximus, pro philtro sumitur.

Signa Diagnostica.

Qui melancholici sunt ex amore, vultum sæpè mutant, & nunc hilaritatem, nunc tristitiam præ se ferunt; & inprimis si amici, vel amicæ mentio fiat, velis, aut ea visui objiciatur, non solum in vultu, sed & in pulsu mutatio deprehenditur; quo modo Galenus, *de præcogn. ad Posthum. capit. 6.* mulierem quandam ex amore ægram esse deprehendit, & ab Erasistrato, Medico, Antiochum, Seleuci Regis filium, Stratonicæ novercæ amore ægrotare deprehensum esse, refert Valer. Maximus, *lib. 5. cap. 7.* Ideoque si Medicus tale quid de ægro suspicetur, neque is ob verecundiam animi affectum prodere velit, Medicus tangat pulsum, & curet, ut amicæ, vel amicæ mentio fiat, vel de eonuncium, aut epistola afferatur, aut is, vel ea ex improviso ægrotanti offeratur. Tum enim ad mentionem, vel ad spectum ejus non solum faciei color, sed & pulsus mutabitur. Pulsus equidem amantibus nullus proprius est, & peculiaris, sed turbatus saltem, ut neq; naturalem æqualitatem, neq; ordinem servet. Sic etiam si carmina amatoria, vel sermones, aut cantilenas amatorias audiant ægri, vel in hilaritatem & risum, vel in tristitiam, & fletum solvuntur; in risum quidem, si se in gratia amicæ esse existimant; in fletum, si repudiatos se opinantur. Facies amantium pallet, vigiliæ urgent, corpus

contabescit, oculi intra orbitas conduntur; & graves sunt, ob spirituum defectum. In sermonibus, gestibus & actionibus decorum non observant amantes, & multa præter τὸ πρέπον loquuntur, & agunt, & in-ijis gravitas nulla, quæ debet, apparet; de quo illud:

Non benè conveniunt, nec in unâ sede morantur,

Majestas & Amor.

Et ita homines immutantur ex amore, ut Terent. in *Eunuch.* ait, ut non cognoscas eosdè esse. Et effectus amoris, & quantum exijs corpus immutetur, antea etiam in causis diximus; ut exemplis etiam in Institut. *loc. alleg.* ex Galeno, *lib. de præcognit. ad Posthum. cap. 6.* Valerio Maximo, *lib. 5. cap. 7.* Amato Lusitano, *curat. medicin. cent. 3. curat. 56.* Francisco Valleriola, *lib. 2. observ. 7.* docuimus; qualia etiam passim in historijs, & Poëtis occurrunt. Medea filios discerpit impotentia amoris, vel zelotypia in amatum Jasonem. Dido sibi ipsi manus violentas infert vehementiâ amoris in Æneam victa. Hercules amore effræminatus turpiter servivit Omphalæ. Samson amore superatus arcana sua cum suo maximo damno amicæ revelavit. Salomon, omnium hominum sapientissimus, amore mulierum victus Idololatriam committit. Notatu etiam dignum est quod Cornax, *libr. 1. consult. Medic. c. 3.* refert, se vidisse, Nobili cuidam juveni, qui puellæ, cuj⁹ nuptias ambiebat, in mensa assidebat, subito venam in temporib. prope aurem sponte apertam fuisse, & copiosum sanguinem

ex ea profluxisse. Quosdam ob repulsam, vel amicæ discessum subito mortuos esse, refert Marcellus Donatus, *de histor. Med. mirab. libro 3. capit. 13.* ubi plures insani amoris historias recenset.

Prognosticum.

In principio quidem malum hoc curatu difficile non est: si verò radices agit, vel in maniam degenerat, vel ægri marasmo, & tabe consumuntur, vel sibi ipsi violentas manus inferunt.

Curatio.

Initio ergo, ubi constitutio cerebri nondum aded immutata est, saltemque vanis illis cogitationib. torquentur amentes, malo statim resistendum, & ut Ovidius habet,

Dum licet, & modici tangunt præcordia motus,

Si piget, in primo limine siste pedem.

Opprime, dum nova sunt, subiti mala semina morbi.

Et:

Dum novus est, cepto potius pugnemus amori:

Flamma recens parvâ sparsa resedit aquâ.

Ideoq; fugienda solitudo, & amicorum colloquijs & conversatione animus amore æger à mæstitiâ, & vanis illis cogitationibus ad hilaritatem advocandus, & quib. fieri potest modis oblectandus, & de re amata cogitationes excutiendæ, & virorum gravium admo-

admonitionibus æger ad mentem meliorem adducendus, monstrandumque, quàm absurda, inepta, & genere ac conditione indigna agat; atque ea, quæ amatur, omnibus modis exosa reddenda, ejusque vitia, seu corporis, seu animi exaggeranda. De quibus tamen multa præcipere potius Ethici est, quàm Medici. Et extant hæc uere non pauca apud Ovidium, in libro de remedio amoris. Ideoque plura hic non addimus. Inprimis fugiendum otium. Nam, ut idem Ovidius habet,

*Otia si tollas, perière cupidinis arcus,
Contemptaq; jacent, & sine luce, fæ-*
ces.

Desidiam puer ille sequi solet, odit a-
gentes:

Da vacua menti, quo teneatur, o-
pus.

Quàm platanus rivo gaudet, quàm po-
pulus undâ,

Et quàm limosa canna palustris hu-
mo:

Tam Venus otia amat: finem qui quæris
amori,

Cedit amor rebus. Res age, tutus eris.

Hinc tres Deas Amori invictas esse Poëtæ tradunt; Mineryam, Dianam, Vestam.

Si verò malum ita radices egerit, ut admonitionib. vix amplius locus sit; modò capite præcedente proposito æger curandus.

Et si ex Veneris appetitu, & seminis abundantia tale malum ortû habeat, uxorem, ubi res fert, ducere commo-
dissimum est; cum, etiam ex Apostoli consilio, melius sit, nubere, quam uri:

L.I.

aut, si res id non ferat, medicamenta Venerem sopientia, & semen exstinguentia exhibenda. Inter quæ commendatur sem. agni casti, rutæ, portulaca, mentha, camphora; quod tamen Scaliger, exerc. 104. f. 8. negat, sem. coriandr. lactucæ. Folia etiam salicis trita, & pota Venerem imminuunt, & si sæpè usurpentur, planè auferunt. Idem verbena præstare dicitur, atque etiam gestata Venerem extinguere. Idem præstare lapidem topazium in annulo gestatum scribunt. Inprimis saccharum Saturni, quod Venerem imminuit, & si sæpius usurpetur, virilitatem tollere potest.

De Menthâ procul dubio hinc ortum proverbium: *Mentham tempore belli neq; serito, neq; edito.* Quod quamvis inde natum putat Aristoteles, sect. 20. problem. 2. quòd, quia corpus refrigerat, animositati & fortitudini sit adversa: tamen quia mentha frigida non est, hæc potius hujus adagij causa videtur, quod Mentha Venerem exstinguit; quod ipse, loc. alleg. concedit Aristoteles. Cum enim belli tempore multi pereant, & proinde novo milite & cive, qui mortuis succedant, opus sit; ad eam rem liberorum propagatione opus est, quam Mentha, utpotè semen extinguens, impedit; & proinde eo tempore inutilis est.

Hinc commendantur hæc medicamenta:

*Rx. Trochiscor. de camphora,
menth. sicca, an. Drach. j.
sem. agni casti Drach. ß.
Cum sirup. nymphaeæ
F. Pilulæ.*

Zz

Vel

Vel *R. Menth. sicca,*
sem. agnicasti,
nymph. an. Drach. j.
rasur. eboris,
corall. rubr. an. Drach. s.
facchari alb. in aq. nymphæa disso-
lut. Unc. iij.

F. Rotulæ.

Vel *R. Sem. lactuc.*
portulac.
coriandr.
menth. sicca an. Drach. j.

F. Pulvis.

Cui si addantur facchari Unc. iij.
 vel iv. in aq. nymph. vel menthæ disso-
 lut. F. Rotulæ.

Aqua Castitatis, ut appellant:

R. Aq. menth.
chelidon.
aneth.
lilior. convall.
lilior. albor.
nymph. an. Unc. j.

Misce. Dosis Unc. ij. vel iij.

Diata.

Diata.

Victus sit tenuis; cum sine Cerere
 & Baccho frigeat Venus, & hic etiam
 locum habeat oraculum Salvatoris;
 Hoc genus Dæmoniorum non ejici-
 tur, nisi precatione & jejuniis.

Videantur de hoc affectu etiam
 Långius, *libr. 1. Epist. 24.* Valefc. de Ta-
 ranta, *libr. 11. capit. 11.* Forestus, *libr. 10.*
observ. 29. & 30. In primis verò eruditè
 & prolixè de infania ex amore tractat
 Fr. Valleriola, *observ. libr. 2. observ. 2.* qui
 ibi videatur.

Cura furoris ex phil-
tris.

Quamprimùm cognitum habe-
 tur, vel suspicio est, philtum datum *Cura furo-*
 esse, statim ipsi occurrendum, ne ve-
 nenum, in quod philtum degenerant, *ris ex phil-*
 cor petat, & hominem jugulet. Primò
 itaque necessaria sunt vomitoria, ut
 sunt aqu. benedicta, elect. vitri *¶* iij;
 Crollij, Aurum vitæ, & similia; quibus
 semper addendum aliquid alexi phar-
 macorum, ceu sunt lap. Bezoar, terra
 sigillata, aqua theriacalis, mithridati-
 ca, &c. Ægro quidam radicem asari
 contusam exhibuit, quâ sumptâ mul-
 tum evomit, & ita pristina sanitati
 restitutus est, unde radix hæc mirè
 commendatur.

A sumpto vomitorio statim pro-
 vocandus sudor cum aqu. acetosæ,
 cardui benedicti, angelicæ, betonic.
 præservativâ aliquâ, aq. Mithridatica,
 theriacali, spir. theriacali, spir. Tartari
 compos. Andernaci, terra sigillata;
 quibus admisceri possunt elixir pro-
 priet. mater perlarum præparata, vel
 ejus magisterium, succinum album
 præparatum.

R. Aq. acetos.

card. ben. an. Unc. j.
terra. sigill. Siles. Scr. j.
matr. perlar. præparat.
succini albi præpar. an. Scrup. s.
lap. bezoar. gr. ij.
mixtur. simpl. Scrup. s.
aq. theriacalis Drach. j.
spir. acetos. citri Unc. s.
 M. pro Haustu.

Vel *R.*

Vels. Aqu. plantag.

carduibened. an. Unc. iſſ.
theriacal. Drach. ij.

terra. ſigill. Scr. j.

C. C. preparati g. xv.

ſal. abſinth. Scr. ſſ.

extr. gentiana gr. iv.

ſpir. ☉. gr. vij.

ſir. de ſucco acetofa Drach. iij.

Misce pro Hauſtu, quæ doſis per aliquot dies manè vacuo ventriculo repetenda, donec ſudor largus conſequatur, & alleviationem aliquam percipiat æger.

Poſtea per aliquot dies exhibeatur tale Decoctum:

℞. Succimeliſſ. recent.

hyperic. an. Unc. ij.

extr. rad. vincetox. Drach. ſſ.

lap. magnetis boni, & ferrum trahentis, Drach. ij.

mellis deſpumati q. ſ.

F. Electuarium, cujus Drach. j. vel Drach. iſſ. jeuno ventriculo exhibenda, donec remittat malum. A meridie quotidie exhiberi poteſt aliquid de tincturâ coralliorum, à gutt. vj. ad x. vel Hauſtus de emulſione cannabinâ ſequens:

℞. Sem cannabis Unc. j.

vini albi generoſi Unc. ix.

F. contundendo Emulſio, cui adde

margarit. preparat. Drach. ſſ.

pulv. ſem. hyperic. Scr. j.

lap. chryſolith. Scr. ſſ.

bez. oar. gr. iij.

M. pro 3. doſibus.

CAPUT XI.

De Melancholia per Conſenſum Cordis & Totius.

VAlde cognata, & proxima Melancholia ex primario cerebri affectu eſt Melancholia, quæ fit conſenſu ſenſum cordis, & totius, adeo, ut nonnulli eâ, cauſa quæ fit cordis vitio, ſpiritus vitales melancholicos ad ſpirituum animalium generationem ſuppeditantis, ad melancholiam per primarium cerebri affectum roferant. Nos ad melancholiam per conſenſum referre malumus; cum cerebrum ſalvum eſſe poſſit, & ſpiritus animalis melâcholicus ſaltem ob errorem externum, ſeu materiæ vitio generetur. Hoc tamen verum eſt, ſi ſpiritus, & ſanguis vitalis impurus diu ad cerebrum affluat, tandem ipſum cerebrum diſpoſitionem melâcholicam inde contrahere.

Cauſſæ.

Melâcholiæ hujus cauſa eſt humor melâcholicus, & ſpiritus vitalis ſimilis in toto abundans; & quidem nunc purus, nunc cum alio humore mixtus.

Continetur autem iſte humor melancholicus in venæ cavæ, ut & arteriæ magne ramis; ſicut ille, qui melancholiam hypochondriacam excitat, in ramis venæ portæ continetur; unde & delirium hoc continuum eſt, non verò per vices inſeſtans, ut in melâcholiâ hypochondriacâ accidere ſolet; licet quaſdam exacerbationes habere poſſit, quales etiam in febris continuis fieri ſolent.

Colligitur verò iste humor præcipuè ob intemperiem cordis frigidam & siccam. Cum enim cor, si sit frigidum & siccum, etiam intra sanitatis limites spiritus tales gignat, ob quos homo est tristior, & timidior; probabile est, multò magis si intemperies illa jam morbosa fiat, quòd spiritus tales generabuntur, quorum ratione ægri etiam sine causâ externa timidi, & tristes reddantur. Cor enim frigidum & siccum tam subtiles, ut par est, & tam calidos spiritus non generat. Hi ergo ipsi ad melancholiam apti sunt, & cum spiritibus animalibus præbeant materiam, ejusdem generis spiritus animales inde generabuntur, id est, minus calidi, crassi, impuri, & uno verbo, Melancholici.

Et cum cor officina sanguinis, & spiritus vitalis sit, & ad temperiem totius corporis mutandam maximam vim habeat, temperiemq; cordis temperies totius sequatur: intemperies hæc, & cõstitutio p.n. cordis toti corpori communicatur. Facit tamen etiam sæpè ad melancholicam totius corporis constitutionem inducendam epas, & lien, si eorum vitio sanguis melancholicus generetur. Et quidem non solum epas frigidum & siccum, verum etiam calidum & siccum ad humoris melancholici generationem facit. Cum enim epas tale sanguinem adustum, & crassum generet, ubi calor expirat, & crassiores partes in liene hærent, sanguini melancholico præbetur materia. Neque tamen ob id melancholia, & mania eadem planè causas habent, & confunduntur.

Nam in melancholia quidem humor esse potest adustus, sed causa exurens jam cessavit, calor desijt, & humorem frigidum & siccum post se reliquit: in mania verò causa adurens adhuc durat. Interdum tamen accidit, ut mistus quasi affectus ex mania & melancholia excitetur, & æger aliquo temporis spatio maniacus sit, alio melancholicus; dum scilicet humores sunt adusti, sed amplius caliditatem notatu dignam non obtinent.

Et quidem ista cordis, & viscerum, imò totius corporis intemperies, & melancholica constitutio nunquam à parentibus in liberos derivatur, & tum inter morbos hæreditarios melancholia numeratur. Si etiam quis corporis constitutione melancholicâ est, facilius hoc morbo corripitur. Hinc graciles, nigri, hirsuti, præsertim cum pilis crassis, & nigris, & qui venas latas habent, facilius melancholiâ corripuntur. Nec tamen alij, qui eam corporis constitutionem non habent, sed corpore sunt molli, albo, aut rubro, à morbo hoc planè immunes sunt; sed si causæ, quæ jam enumerabuntur, adsint, aut præcesserint, in omnibus omnino corporibus, cujuscunque constitutionis, melancholicum delirium hoc excitari potest: quod ipsa experientia testatur.

Secundò etiam in quacunque corporis constitutione melancholiam generant curæ, tristitia, subitus terror & consternatio, metus, quæ sanguinem

nem in toto corpore mutare possunt; nimia animi intentio, & rerum difficultum, vel impossibilium investigatio, nimia exercitatio & labores, vigiliæ, jejunia: quæ omnia humidum radicale, & corpus absument & exsiccant. Faciunt quoque huc febres acutæ, & diurnæ, humores in corpore adurentes, & siccantes, cibi item crassi, & sanguini melancholico generando apti, quales sunt caro bubula, cervina, hircina, aprugna, pisces marini, & grandes, & alij cibi sale & fumo conditi, ac indurati, brassica, lentescens, legumina, panis furfuraceus, vel ex panico, milio, fabis coctus, caseus vetus, vina crassa, nigra, cerevisia crassa. Facit quoque ad melancholiæ generationem aer crassus, & turbulentus, frigidus, siccus, vel etiam siccus adurens, ut æstas calida & sicca, quæ humores adurit. Quamvis enim ea potius bilem, quam melancholiam gignat: tamen superveniens frigiditas autumnii id impedit, & materia adusta, & crassa in melancholiam degenerat; unde quartanæ autumnio sunt familiares: & inter anni tempora ad hunc morbum autumnus commodissimus est. Cumulant quoque humorem melancholicum in toto corpore causæ, quæ eum in corpore detinent; ut vitiū aliquod lienis, ob quod sanguis à feculento humore non expurgatur, atque hinc in universum corpus redundat: hæmorrhoidum etiam, & mensium suppressio, ob quam sanguis talis retentus in totum corpus redundat, illudque inquinat.

Cum verò multi humore melan-

cholico abundant, nec tamen delirant: delirium non generatur, nisi humor iste cerebro communicetur, & spiritus tenebricosi, & melancholici inde reddantur: quod fit in primis ob animi affectus, studium, curas, sollicitudinē, quibus is ad cerebrum rapitur. Interdum tamen & Dæmones hanc occasionem arripientes, Deo permitte, sese huic corporis constitutioni associant, & omnis generis tristes, absurdas, & pravas cogitationes homini suggerunt; unde Melancholia balneum Diaboli vulgò nominari solet.

Signa Diagnostica.

Si à totius corporis venis ad caput humor melancholicus transmittatur, *Melancholia per consensum signa.* erit delirium cōtinuum, quod tamen aliquas interdum exacerbationes, vel remissiones habet: nihil verò insigne p. n. circa hypochondria apparet, aderuntque melancholiæ in toto corpore abundantis indicia, & æger vel ab ipso ortu corporis constitutionem melancholicam obtinet, est fuscus, macilentus, niger, hirsutus, vel, si natura talis non sit, præcesserunt causæ melancholiam multiplicantes, sive eam generent, sive detineant, febres acutæ, diurnæ, vigiliæ, curæ, & similes antea enumeratæ. Hinc nonnunquam corpore molli, albo, vel rubro, vel etiam bilioso melancholici fiunt, si præcesserint curæ, vigiliæ, cibus pravus, melancholicum succum generans, epar, & cor ex morbo aliquo ad melancholiam generandam disposita sint, præcesserint febres diurnæ,

menſum vel hemorrhoidum ſuppreſſio. Quæ omnia confirmantur ſanguinis phlebotomiæ emiſſi inſpectio-
ne, qui melancholicus apparet, ſi talis in toto redundet.

*Humoris
melancholici ſimpli-
cis & miſti
ſigna.*

An autem humor melancholicus purus & ſimplex ſit, an cū alio miſtus, deprehenditur ex ijs, quæ anteceſſerunt, & effectibus. Nam ſi ea præceſſerunt, quæ ſimplicem humorem melācholicum tantum generare valent, vel quacunque ratione eum in corpore colligere, ſi ægri conſtitutio & temperatura ſit melancholica, color plūbeus, nulla præceſſerit febris diuturna, vel ardens, aut cordis, vel epatis caliditas, vel ſiccitas nimia, quib. humores aduri ſolent, cum delirio metus & triſtitia ſit inſignior: à puro humore melancholico delirium eſt.

Si autem humor alius admixtus ſit, præceſſerunt cauſæ cum humore melancholico etiam ſanguinem, bilem, pituitam, vel atram bilem generantes, & ſymptomata quoq; nonnihil variant. Nam ſi ſanguis admixtus ſit, delirium interdum ſit cum riſu; ſi pituita, delirium eſt mite, cum oblivione & pigritia, metus ac mœror valde excedunt; ſi bilis admixta ſit, delirium eſt cum ira, & excandefcentia aliqua; ſi bilis atra, delirium eſt mania proximum.

*Diaboli
melancholici ſe im-
miſcentis
ſigna.*

Diabolum verò ſe immiſcere melancholici, patet ex eo, quod ægri ea, quæ antea ignorabant, proferunt, futura prædicunt, arcana patefaciunt, linguas, quarum ignari antea fuerunt, loquuntur, & alia ſupra captum & ingenium proferunt. Quamvis enim

ex morbo, ut ſuprà diximus, diſpoſitio aliqua cerebro induci poſſit, quæ ingenium augeat, & hominem quàm antea prudentiorem vel ſapienterem reddat; tamen ſi ea proferat æger, quæ planè ſupra ejus captum ſunt, ad cauſam naturalem id referri non potèſt.

Prognostica.

1. Prognostica, quæ ſuprà de melancholia in genere enumerata ſunt, etiam hîc locum habent. In ſpecie huc pertinere videntur, *aphor. II. ſect. 6. Melancholicis & nephriticis hamorrhoides ſupervenientes bona ſunt. Et aphorismo 12. ſect. ejusdem: Inſani ſi varices, vel hamorrhoides ſervenerint, inſania ſolutio.*

2. Melancholia per conſenſum, ſeu totius, ſeu partis alicujus, tandem in melancholiam per eſſentiam sæpè degenerat.

Indicationes.

Humor melancholicus cū in toto, tum in capite cōſiſtens primò præparandus, & deinde evacuandus. Omnium verò primò ſi ſanguis abundet, & humori melancholico miſtus ſit, is evacuandus, & ſi cordis, vel alterius mēbri, epatis putâ, vel lienis vitio, aut generetur, aut cumuletur, & detineatur in corpore humor melācholicus; morbus illius membri curandus. Inprimis autem melancholia à capite revellenda. Multi enim ſunt, qui humore melancholico abundant, nec tamen delirant, & melancholici ſiunt; cum humor ijs caput non occupet. Tandem caput, & cor alterandum, & roborandum.

Curatio.

Si ergo sanguis redundet, præmissis clystere, vel leni pharmaco purgante, vena aperiatur in brachio, in primis sinistro, & pro ejus redundantia, & viribus ægri sanguis evacuetur; præstatque ob spirituum necessitatem paulatim, & partitis vicibus sanguinem detrahere. Atque præcipuum ad curationem melancholiæ, & mania remedium venæ sectionem esse censet Platerus, scribitque, se longâ observatione didicisse, innumeros hac ratione sanatos fuisse à chirurgis quibusdam, vel alijs, qui hisce morbis sanandis operam dabant, qui vigesies, & sexagesies quoque venas tundendo, insanos penitus, & melancholicos ita restituerunt, ut postea sani adhuc longam vitam vixerint, qui in vena certa eligenda nihil laborarunt, sed nunc brachij, nunc pedis, hanc illamve, nunc alibi, sine discrimine, aperuerant: quod remedij genus & ipse, sed majore curâ & providentiâ, ac methodicè, præmissis semper alvi purgationibus, usurpaverit. Is enim non solum venam aliquam patentem in brachio eligit, sed & salvatellam sinistrae manus, & in pedibus quoque malleoli venam, Saphenam dictam, præcipuè si menses non rectè fluant, vel quæ ad pollicem pedis excurrit, secatur; varices quoque, si in cruribus, aut alibi appareant, cum magnam ejusmodi materiae melancholicæ copiam contineant, aperiendas censet: tandemque frõtis & narium venas. Quæ omnia de repetitâ venæ sectione et si in primis de mania verâ esse non du-

bitem; habent tamen suo etiam modo locum in melancholia, præcipuè in melancholia, quæ ex terrore, vel metu subito, & ex improvise accidente oritur, quæque tam fortè in spiritibus, & humoribus. ac cerebro ipso impressionem facit, ut egerimè, nisi tota sanguinis massa exhauriatur, curari possit. Habetque, ut Crato ex sententia Montani loquitur, humor melancholicus seminariû ignis in se, quod aliàs magis, aliàs minus intenditur, & cum effervescit, in maniam degenerat. Aliquâ tamen cautione opus est, ob timorem & incertitiam, quibus plerique melancholici perpetuè afficiuntur, ob spirituum, quibus maximè opus habent melancholici, dissipationem, suffocationem, & imminutionem, ne nimia sanguinis evacuatione spiritus exhauriantur, & vires dejiciantur. Cognoscit autem facile Medicus, quid in hoc melancholiæ genere agendum sit, si causas, ob quas humor melancholicus genitus, aut collectus est, consideret. Si nempe ariditatem ob intemperiem calidam & siccam talem humorè generet, aut sanguinem in corpore abundantem exurat, aut eadem totius corporis intemperies ab internâ, vel externâ causâ contracta præstet, aut à subitâ consternatione malum ortum habeat, hæmorrhoides, vel menses suppressi sint; sanguinem audacius pro copia, & viribus ægri, & quidem ex pluribus venis, per intervalla tamen, evacuare licet. Si verò vigiliæ, curæ, inedia, amor, & similes causæ sanguinem, spiritusque absumentes præcesserint; vel nulla, vel parcius sanguinis evacuatio instituenda.

Aperia-

*Quanam
vena se-
canda.*

Aperiat̄ur autem primò interna, aut Mediana, vel dextri, vel, quod commodius videtur, sinistri brachij vena; & quidem latiore foramine, ut sanguis crassior etiam effluat. Diligenter enim hìc attendendum, ne crassior sanguinis melancholici pars intus relinquatur, subtilis verò, & utilis evacuetur. Monet quidem Galenus, si sanguis effluens non sit melancholicus, statim supprimendum esse. Verum monent hìc alij, sæpè accidere, ut, licet sanguis primò subtilis exeat; crassus tamen postea sequatur. Hinc vena in talo aperiat̄ur. Aut si venam sæpius aperire non licet, vena in talo statim aperiat̄ur; cujus apertionem in hoc morbo maximè utilem esse, experientia docet. Revellit enim à capite promptiùs, & sanguinè crassiorē ad inferiora tendentem facilè evacuat. Et si ex mensum, & hæmorrhoidum suppressione malum hoc proveniat, consueta evacuatio revocanda; non tamen statim id in principio morbi tentandum, sed prius plenitudo in toto demenda, ne medicamenta, quæ evacuationes illas provocant, cum sint calida & sicca, malum augeant. Per venæ tamen in talo sectionem statim sanguinem ad consuetum evacuationis locum revocare nihil prohibet; nisi forsàn tantà copia sanguinis ex suppressione ejus sit cumulata, ut consultius sit, primò in brachio venam aperire. Si æger etiam crurum venas amplas habeat, quæ varicibus similes sint, hirudines ijs affigere utile est.

Sanguinis evacuatione peractâ, ad præparationem materiæ melancholicæ accedendum, quæ per dies nunquam pauciores, quàm quatuor, interdum etiam octo continuanda est. Dicitur verò antea, ad humorem melancholicum requiri calefacientia, humectantia, & attenuantia, qualia suprà, *part. I. capit. 12.* sunt proposita, quæ unâ operâ humorem melancholicum in cerebro, corde, & toto præparare, & alterare possunt.

*Præparã-
tia.*

Exempl. gr.

℞. *Sirup. de succ. borrag.*
bugloss.

*Sirupi &
potiones.*

de epithymo. an. Unc. ℞.

aq. scolopendr.

borrag. an. Unc. i℞.

Misce pro una dosi, & sic pro reliquis.

Vel ℞. *Rad. fenicul.*

scorzoneræ,

bugloss. an. Unc. ℞.

polypod. q.

cort. tamarisc.

rad. cappar. an. Drach. iij.

sem. anisi,

fenicul. an. Drach. i℞.

citri Drach. ij.

fol. capill. ♀.

scolopendr.

meliss.

lupuli,

thymi, an. M. j.

flor. borrag.

bugloss.

violar. an. P. j.

passular. exacinat. Unc. j.

glycyrrhiz. Unc. ℞.

Coq.

Coqu. in aq. f.
 Colat. R. Unc. xvj.
 add. *sirup. de epithymo,*
d. pomis,
de succ. borragin.
byzant. simpl. an. Unc. j.ß.
 Misc. pro 4. vel 5. dosibus.

Vel R. Rad. polypod. q.
asparag.
fenicul. an. Unc. j.
helenii,
bugloss.
cort. samarisc.
rad. cappar.
fraxini, an. Unc. ß.
herb. borrag.
lupuli,
melissa,
thymi,
epithym.
capill. ♀. an. M. j.
fem. fenicul.
ocymicaryophyllor. ana
 Drach. ij.

flor. borrag.
bugloss.
violar.
genist. an. P. ij.

Coqu. in sero lactis, & sub finem ad-
 de succ. pomor. dulc.
melissa,
fumaria, an. Unc. iij.

Postea coentur, & saccharo cola-
 tura dulcorentur: vel addatur sirup. de
 pomis, bugloss. de cortic. citri, an. q. l.
 & cinamom. condiantur.

Non solum autem siruporum, vel
 portionum formâ præparantiâ exhiberi
 possunt, sed & formâ conservarum, &
 electuariorum, quæ postea inter alte-

L. I.

rantia & roborantia proponuntur.
 Et ut facilius talia in corpus distribu-
 antur, aliquid sirupi, vel aq. conveni-
 entis, aut jusculi gallinæ post sumtum
 tale medicamentum haurire utile est.

Exempl gr.

R. *Conserv. bugloss.*
borragin.
fumar.
rosar. an. Unc. j.
spec. diamarg. frigid.
diamb.
dianthos,
pliris archontici an. Drach. j.
cort. citri condit. Drach. vj.

Cum *sirup. de pomis*

F. Electuarium, cujus mandè, & ante
 cœnam Unc. ß. exhibeatur aliquot die-
 bus, cum sirupo, vel aq. conveniente,
 aut jusculo.

Atque hæc humoris melancholici
 præparatio omnino necessaria est, &
 sæpe satis diu continuanda. Etsi enim
 humor hic putridus non sit, & propter-
 ea propriè non crudus, nec ob cradita-
 tem coctionem hic moliri necessarium
 sit, ut in Institut. lib. 5. part. 2. sect. 1.
 cap. 7. dictum: tamen alia de causa
 præparatio necessaria est. Etenim cum
 hic humor sit crassus, siccus, terrestris,
 & omnino contumax, ac, ut Platero
 placet, malignitatis quid obtineat, non
 remerè ipsum purgantibus agitare de-
 cet. Aliàs enim, & nisi præparatus
 sit, purgantium, præsertim validiorum,
 usu exacerbabitur, ut cancer medica-
 mentis, quæ digerendi & abstergendi
 vim habent. Itaque prius micio red-
 dendus humectantibus & attenuanti-
 bus medicamentis.

Aaa

Vari-

Nectar Va-
rignans.

Varignana inter præparantia lau-
dat sequens vinum, non solum in me-
lancholiâ, sed & in aliis morbis me-
lancholicis, atque eo solo quartanas
se curasse scribit:

℞. Epithym.
follicul. sen.
flor. borrag. an. Unc. ℞.
cinamom. Unc. iij. ℞.
cassia,
spica,
macis,
cardamom. an. Unc. ℞.
zingiber.
caryophyll.
sem. anisi, an. Unc. iij. ℞.

F. Nectar cum vino subtili, cujus
dosis manè cyathus unus. Quia tamen
potus hic parum humectat, convenire
videtur in eâ tantum melancholiâ, quæ
sine causa calefaciente orta est.

Imò non solum hisce præparantibus
humorem melancholicum præparare
necessarium est; sed utile quoque, dum
præparantia ista usurpantur, tertio, vel
quarto quoque die clysterem emolli-
entem, & humectantem, quique hu-
mores ad alvum blandè alliciat, inji-
cere. Humor enim melancholicus
terrestris, piger, & pertinax est, ut ni-
si egregiè humectetur, & attenuetur,
medicamentis purgantibus non cedat.

Parentur autem tales clysteres ex
parietar. malva, althæa, mercuriali,
violaria, branca ursina chamæmelo,
melilot. sem. anisi, lini, polypod. pas-
sulis, glycyrrhiz. cum melle rosar. &
violar. cassiâ, electuar. diacathol. &
modico hiesæ picræ, ol. violar.

Ut ℞. Rad. althæa,

polypod. q. an. Unc. ℞.
parietar.
mercurial.
malva,
violar. an. M. j.
flor. chamæmel. M. ℞.
sem. lini Unc. ℞.
passul. major. exacinat. Unc. ij.

Coqu. in aq. f.

Colat. ℞. ℥. j.

cassia,
electuar. diacathol. an. Unc. ℞.
ol. violar. Unc. ij.
chamæmel. Unc. j.
vitell. ovor. num. j.

F. Clyster.

Præparantibus talibus præmissis ad Purgantia
purgationem accedendum, quæ me-
lanagogis instituat, qualia sunt; se-
na, epithym. polypod. radix gialapa, qui-
bus sirup. violar. solut. & manna addi
possunt, belleborus niger, lap. Lazuli, &
Armenus, electuar. diacathol. diasena, conse-
ctio Hamech, pilula defumar. &c.

De confectio Hamech tamen ^{Confectio}
hoc loco notandum, eam à Medicis ^{Hamech.}
nonnullis improbari. De ea enim So-
lenander, sect. 5. consil. 22. scribit: Ha-
mech, inquit, in sua confectio mirifi-
cam farraginem contulit, & non deco-
quenda decoxit, longeque dissimilia simul
confudit, tandemque confecit horrendam
confectionem sine ulla Medicorum arte,
quæ nulli grata esse potest. Nihil dico de
acribus, scammonio, & colocynthide, me-
dicamentis admistis. Idem ferè sentit
Rondeletius, in Pharmacop. officina,
ubi eandem saltem ad ichores pravos humo-

humorum utile esse docet. Eandem confectionem improbat. Fernelius, ut & Steeghiius, *Medicina pract. lib. 1. cap. 14.* Et reverà non videtur satis commoda confectio, præcipuè ob myrobalarum, quæ constringunt, copiam. Et si enim Arabes iis frequenter usi fuerint: recentes tamen habuerunt, quibus nos destituimur. Et commodius omnino, si cui eâ uti libeat, ad ichores pravos, & hinc ortam scabiem, & similes cutaneos affectus, quàm melancholiam usurpatur.

Verùm de purgatione hîc rectè instituenda Autores non consentire videntur. Aliqui enim fortiora purgantia planè reformidant: scribitque Crato, *Consil. 174.* se multos melancholicos curasse, licet verè affirmare possit, se nunquam lapide Lazuli, vel scammonio usu fuisse. Ideoque ex Mesue sententia censet, istum gradum esse sapientiæ, ne ad medicinas fortes deveniamus, nisi ubi debiles non contulerint. Et cum eo faciunt alii quidam, qui experientiâ teste adfirmant, fortioribus medicamentis humorem melancholicum deteriorem, & ferociorem reddi. Contrà Antiquos in curanda melancholia helleboro, & fortissimis medicamentis purgantibus usos esse constat; quos & Recentiores quidam imitantur: neque id sine causâ facere videntur; cum humor pertinax sæpe mitioribus remediis non cedat, sed fortiora requirat. Ne ergo in curando hoc morbo Medicus vel timiditatis, vel temerariæ audaciæ crimen incurrat, rem hanc diligentius perpendat.

Distinctione verò hoc negotium expediti potest. Primò inter iniitia non fortiora, sed leniora medicamenta usurpentur: postea verò, ubi humor jam satis preparatus est, ad fortiora progrediendum. Deinde origo humoris melancholici consideranda. Nam si ex abundantia sanguinis, epætis, vel alterius membri calore, aut externa causa calefaciente humor melancholicus ortum habeat, à fortiotibus, & vehementioribus purgantibus abstinendum; cum medicamenta talia socia se causæ melancholiam generanti præbeant, humoremque melancholicum, qui in se seminarium ignis continet, ut antea ex Cratone dictum, ferociorem reddant. Tunc ergo mitiora medicamenta, quibus Crato se melancholicos curasse refert, usurpanda: modò sint electivè purgantia, & eâ quantitate exhibeantur, ut humorem melancholicum non solum agitent, sed etiam educant. Aliàs enim damnum, quod ex humorum agitatione accidit, majus est, quàm commodum ex leni, & insufficienti purgatione. Atque inter ista medicamenta purgantia præcipua sunt, fol. senæ, myrobalani Indæ, polypod. q. epithym. quibus tamen aliquid hellebori nigri ritè correcti addi potest. Neque istam vehementem medicamentum est, ut albus, præsertim is, qui ex alpbis, & vicinis regionibus in nostras defertur, qui tam vehementis non est, ut qui in calidis regionibus crescit; in primis si mitioribus misceatur, & aliis medicamentis temperetur: ut in sirupo de pomis solutivo videre est.

Hellebori nigri ritè correcti usus in hoc affectu usq

Si autem terrestres, & crassus sit humor, sine sanguinis, vel aliorum humorum effervescentiâ, fortiora purgantia adhibenda, ut hellebor. niger, imò etiam albus, quem in melancholicis sine ullo incommodo, imò cum ægri utilitate se exhibuisse scribit Matthiolus, in *Dioscorid. lib. 4. cap. 146.* Et mitior redditur, si aliquoties radices mitior redditur, si aliquoties radices mundatæ cum aceto forti coquantur, rursumque exsiccantur; & quò crebrior earum cum recenti aceto affuso fuerit decoctio, eò mitior futura est per superiora evacuatio; ita, ut distandem earum esse possit Drach. j. in cerevisia calente cum tantillo baryri. Minore tamen quantitate exhibeantur talia fortiora, & sæpius repetantur; cum quantitas minor vehementiam medicamenti minuere, & nihilominus sæpius repetitum humorem etiam pertinacem frangere possit. Si tamen jam corpus valde exsiccatum sit, & contabuerit, ac humor potius siccitate, quàm copiâ peccet, viresque jam symptomatum vehementiâ debilitatæ, & collapsæ sint, tum fortiora medicamenta locum non habent, sed mitioribus, & quæ corpus humectant, utendum, in majore tamen copia.

Mesues de purgatione hic instituentem quatuor Regulas tradit:

Regula circa purgationem observanda.

Prima est, ut non semel, & conferatim, adeoque cum labore, & molestia corpus evacuetur: sed moderatè, & per intervalla, ut natura purgans medicamentum regere possit, non verò à medicamento violento prosternatur.

Secunda, ut medicamenta purgantia non multùm recedant à gradu me-

dicamentorum lenium, quæ Benedicta appellari solent, cum in qualitatibus manifestis, tum in occultis.

Tertia, ut purgantia semper miscantur cum aliquibus humectantibus. Quæ de causâ in hoc affectu medicamenta purgantia commodiùs in forma liquida, quàm sicca exhibentur; cum liquida plus humectent, & iis plus humectantium misceri possit.

Quarta, ut purgantibus semper admisceantur medicamenta, quæ spiritus, ac partes principes roborant.

Quibus consideratis non erit difficile, convenientia cuique ægri medicamenta in hoc morbo præscribere. Ubi ergo mitioribus purgantibus opus est, talis potio præparari potest:

℞. Fol. sen. el. Drach. vj.
epithym. Unc. ℞.
zingiber.
sem. fœnicul. an. Scrup. ij.
glycyrrh. Drach. ij.
flor. borrag.
bugloss.
violar. an. P. j.
passul. Unc. ℞.

Coqu. vel infundantur in jure pulli, vel prunorum Damasc. pro Unc. jv.

Colaturæ adde sir. rosar. vel violar. solut. Unc. j. vel mann. Drach. v.
F. Haustus.

Vel ℞. Succ. borrag.
bugloss. depurator. an. ℞. j.
pomor. odorator. ℞. iij.
fol. sen. Unc. iij.
sem. anis.
fœnicul.
cort. citri, an. Drach. ij.

Simul

Simul infundantur per diem unum,
& post lenem ebullitionem addatur
sacchar. lb. j. Fiat secundum artem Si-
rupus.

Ubi fortioribus medicamentis opus,
admiscetur confectio Hamech, aut u-
surpantur pilulæ de lapide Lazuli, vel
ipse lapis Lazuli, aut helleborus niger;
præsertim in robustioribus.

Ut *R. Electuar. diacatholic.* Unc. j.
confect. *Hamech.* Drach. j. β . vel
Drach. ij.

Diffolv. in aq. *borrag.*
meliss.

scelopendr. an. suff. q. vel
Unc. iij. aut Unc. v.

Colenturque & F. Haustus.

Vel usurpetur *sirup. de succ. pomor.*
cum *fol. sen. & helleboronigro.*

R. Succ. pomor. dulc. lb. j. β .

borrag.

meliss. an. lb. β .

flor. cordial. an. P. ij.

fol. senæ.

epithym.

cortic. hellebor. nigr. preparat.

an. Unc. β .

Coquantur secundum artem, cum
sufficit. quantit. sacchar. F. Sirupus, in
quo nodulo suspendatur

cinamom.

caryophyll.

croci,

spec. aromat. rosar.

diamosch. dulc. an. Scrup. β .

In cujus Unc. iij. dissolv. *mann.* Unc.
j. & cum juscul. capon. vel gallin. tri-
bus horis ante prandium exhibea-
tur.

Vel *R. Rad. bugloss.*

polypod. q. an. Unc. β .

fol. sen. Unc. j.

follicul. sen.

hellebor. nigri preparat. ana

Drachm. vj.

flor. bugloss.

borragin.

anthos,

fumar. an. P. ij.

sem. anis,

cortic. citri,

zedoar.

galang.

cinamom. an. Drach. j.

Coqu. in suffic. q. aquæ ad rema-
nent. lb. j. β .

Colaturæ adde *succ. pomor. dulcium*
lb. j. β .

sacchari q. s.

F. secundum artem Sirupus:

Cujus dosis Unc. ij. vel iij.

Utilia etiam sunt sequentia:

R. Rad. polypod. q. Unc. ij.

gramin.

scorzoner.

helenii,

bugloss.

glycyrrh. an. Unc. β .

cortic. tamarisc.

fraxin. an. Drachm. iij.

summitat. lupuli,

meliss.

thymi. an. M. j.

sem. melon. exorticat. Unc. β .

anis,

feniculi, an. Drachm. ij.

jujubar.

sebest. an. num. x.

passular. Unc. j.ß.
hellebor. nigr. prepar. Drach. ij.
sem. carthami. contus. Unc. j.
turbith. el. Drach. ij.

Coqu. in aq. pura.

In colat. infundantur

fol. sen. el. Unc. ij.
epithym. Unc. ß.
rhabarb. el. Drach. iij.
flor. cordial. M. ß.
cinanom. Drach. j.
spicæ Scrup. j.
cortic. citri Drach. ij.

Colat. R. ß. ij.

succ. pomor. dulc. ß. ß.
sacchar. q. l.

Coqu. ad sirup. liquidior. consistentiam, qui per dies 5. & plures exhibeatur. Huc pertinet, & ab hujus sirupi descriptione non multum differt, (nisi quod rhabarbarum additur) sirup. rosarum laxativus compositus, seu helleboratus Montani, in dispens. Augustano descriptus.

Vel R. *Myrobal. omnium,* an. Unc. ß.

Contundantur crasso modo, & manibus cum oleo amygdal. dulc. madidis fricentur.

Hinc infundantur in suffic. quant.

aq. borrag. & fumar.

Postea R. *Polypod.* q. Drach. j.

epithym.
thymi,
glycyrrh. an. Unc. ß.
fol. sen. Unc. j. ß.
cortic. radic. hellebor. nigr.
 Drach. iij.

sem. citri,

fœnicul.
 an. Drach. ij.

Bulliant omnia ad consumptionem medietatis. Postea colentur, & additâ sacchar. l. q. F. Sirupus; cujus dosis Unc. iij. vel iij. cum sir. rosar. solut. vel violat. sol. Unc. ß.

Utilis etiam est Helleborismus Mat-^{Helleboris-}thiol. ab eo lib. 3. Epistolar. in Epistola ad ^{mus Mat-}Georgium Hantsellium descriptus. ^{thioli.}

R. *Cortic. hellebor. nigr.* Unc. ij.

sem. anisi,

fœniculi, an. Drach. ß.

citri,

cinanom. an. Drach. ß.

spic. Scrup. j.

Infundantur in *succi rosar.* ß. iij. Omnia bulliant ad consumptionem tertiæ partis, & cum sacchari ß. j.ß. vel ß. ij. F. secundum artem Sirupus, cujus Unc. iij. vel solius, vel cum aliis medicamentis exhibendæ.

Utile quoque est Oxymel helleboratum Juliani, à Gesnero commendatum.

Habetur quoque in Evonymi The-^{Succus hel-}sauro succus hellebor. nigr. qui para-^{lebori nigri} tus ex radicibus hellebori nigri, si co-^{Evonymi.} quantur in aqua simplici, & intercoquendum despumentur diligenter, & effusâ aquâ primâ nova aqua affundatur, atque ita coctio aliquoties repetatur, donec nihil amaritudinis in radicibus amplius percipiatur; tandem omnis illa aqua per filtrum coletur, & lentissimo igne ad spissitudinem mellis coquatur, & sub finem aliquid mastiches, exempl. gr. ad rad. ß. j. mastich. Drach. ij. vel iij. addantur. Cujus exhibeatur Scrup. j. vel Drach. ß.

Verum

Verùm convenientius esset, si quæ simplicis loco ad coctionem usurparetur decoctum scenicul. anisi, pulg. Commodius adhuc, si succo isti primo per coctionem extracto spiritus vini tantum, ut quatuor digitis emineat, superinfunderetur, & extractum pararetur.

Si adhuc artificiosius parare velis extractum, primo menstruo separato digeri poterit primum extractum per aliquot dies cum novo spiritu vini, qui macis vim prius imberit. Vel extracto guttæ aliquot ol. anisi, citr. mellis. addi poterunt. De quo exhibeatur Scrup. j. Estq; Extractum hellebor. nigri in morbis melancholicis summè efficax, quod vel folium, vel cum alis purgantibus, ut extract. panchymago-go, vel catholico aliquo, vel pilulis, pro constitutione humoris, & corporis ægri, misceri poterit.

Habet & Penotus, de medicamentor. chymicor preparat. Extracti hellebor. nigri. descriptionem, quam ex vetustissimo codice se transcripissedit, estque talis:

℞. Hellebor. nigri rad. cum fol.

M. iij.

Conquassatis adde vinum moschatelin. & in balneo bulliant per diem & noctem. Colatura fortiter expressa filtretur, & fundatur supra recentium itidem conquassat. radic. hellebor. nigri M. j. rosar. rubrar. M. v. (fo. san. M. s.) caryophyllor. prius contus. Drach. vj. addendo spiritus vini partes octo. Digerantur per dies tres; postea colentur, & filtrantur, ac destillentur ad crassitiem mellis, hinc feces comburantur,

& phlegmate seu aqua ab extracto separata sal extrahatur. Hujus salis

℞. Unc. s.

croc. Drach. j.

ambr. gryf. Drach. ij. vel q. l.

M. omnia.

Dosis est Scrup. j. cum aqua asservat. Drach. iij. Extracto huic miras vires in sanguine mundificandò, & senectutem retardando tribuit Penotus. Qui de eo videatur, pag. 186. de preparat. medicament. Chymicorum:

Valescus de Taranta, lib. 1. cap. 13. & alii valde laudant hinc pulverem Haly, quem ipse his verbis commendat: Posito, inquit, quod alia medicina non valeant, ista valet nutu Dei misericordis, & est medicina coronata, quæ secretissimè teneatur, ut humanus intellectus q. deperditus hoc medicamento instauretur. Paratur autem hoc modo:

℞. Epithym. Unc. s.

lapid. Lazul.

agaric. an. Drach. ij.

scammon. Drach. j.

caryophyll. num. xxx.

F. Pulvis, qui semel in septimana datur à Scrup. ij. ad Scrup. iij. in aqua vel sirupo aliquo conveniente. Vix tamen & iste pulvis, nisi corpus antea bene humectatum sit, satis commodus est; cum valde siccandi vim habeat.

Pilulæ sequentes etiam utiles sunt in humore melancholico evacuando:

℞. Fol. sen. elect. Unc. s.

polypod. q.

epithym. Cretic. an. Drach. ij.

aloes extract. Drach. vj.

extract. scammon. Drach. ij.

hellebor. nig. Drach. s.

succ.

Extractū
hellebori
nigri.

Aliud Penoti.

succ. glycyrrh.

extract. heien.

Zedoar. an. Scrup. j.

massib.

macis,

sem. aquileg. an. Drachm. ℞.

Cum sirup. borrag. & pomor. s. q. redigantur in massam pro Pilulis formandis.

Verum cum humor melancholicus pertinax, & fixus sit, sæpius iteranda est hujus præparatio, & evacuatio, ac continuâ medicatione plurimos melancholicos curatos fuisse, experientia docet. Imprimis verò perpetuâ humectatione indigent melancholici, ideoque humida alterantium loco usurpanda, & purgantibus admiscenda: unde etiã medicamenta in liquida forma utiliora sunt, quàm sicca; & frequentius evacuandum per leniora, quàm per fortiora. Inter leniora valde utilis est sirupus multiplicis infusionis violarum cum fol. sen. ita paratus, ut novem vicibus in aqua communi, vel borraginis, vel scotzonera violæ infundantur, & postea ultimæ infusionis ℞. viij. addantur fol. sen. Unc. vj.

Comendatur ad melancholiam, ut & maniam curandam in robustis etiã ꝑ, & multis hoc medicamentum profuisse, è Galeni quoque schola Medicitestantur. Excipit tamen melancholiam hypochondriacam Mercatus, neque etiã iis exhiberi vult, quibus sanguis superaffatur, vel caliditas in toto, aut viscere aliquo viget. Contrà tamen Matthiolus, in Dioscorid. lib. 5. cap. 59. in universum adversus morbos omnes provenientes ab hu-

more melancholico, ac præsertim iis utile esse scribit, qui hypochondria habent inflata & ventosa. Verum humor, & viâ prius benè præparandæ essent, ne humor frustra agit retur. Et cum ꝑ humorem melancholicum à proprietate non trahat, helleborus verò niger in humore melancholico peculiari vi evacuando multiplici experientiâ comprobatus sit; malum hunc præferat.

Dum hæc ita sunt, vel maxima ex parte peracta sunt, danda etiã opera est, ut corpus externis medicamentis humectetur, &, si una pars, verbi gratia, epas, intemperata sit, humorique melancholico generando causam præbeat, ejus intemperies corrigatur, partes principes roborentur, & spiritus foveantur. Atque hæc iis imprimis diebus, quibus purgantia non exhibentur, usurpentur, & post purgationem continuentur.

Et si malum aliis remediis non ^{Balnea, & lotiones.} cedat, tria esse remedia utilissima, serum lactis cum succo cichorii & fumarie, potum thermarum, quæ mineram ferri habent, & balneum aq. dulcis, supra, ^{part. 1. cap. 14.} dictum. Et omnino ad corpus humectandum utilissimum est aquæ dulcis balneum, quod corpus humectat, & suavi humore & calore temperat, ipsumque humorem melancholicum benigniorem reddit, & sudorem leniter & moderatè movendo (Nam liberalior sudor exsiccando nocet) ejus aliquid discutit. Utile etiã fuerit in aq. balnei humectantia & moderatè calefacientia coquere, ut malvam althæam, violar. borrag. bu-

gloss.

Antimonium an
eum hic
habent.

gloss. sem. hord. lini, flor. chamamel. melilor. parietar. branc. urtin. capita vervecis. Affundere quoque licet li- bras aliquot lactis recentis. Aqua au- tem balnei à tepore ad caliditatem de- clinet, nostrisq; calori respondeat. La- vet verò æger horis tribus vel quatuor ante cibum. Quidam totum corpus leniter fricando inungunt ol. chamamel. anethin. Aëtius ol. communi uti- tur, addito nitro.

Embriochas

Dum lavat æger, caput irrigetur de- cocto plantarum modò dictarum, sive ex alto per stillicidium demisso, sive spongiis capitis applicatis.

Ut R. Fol. matv.

althea,

flor. chamamel. an. M. j.

borrag.

bugloss.

violar. an. M. ß.

stachad. Arabic. P. j.

Coquantur pro Embriochas.

A lotionè caput inungatur ol. vio- lar. anethino, amygdal. dulc. quibus parum ol. nuc. mosch. aut macis ad- miscatur. Spinam dorsi in balneo, aut post exitum è balneo inungere uti- le est ol. lilior. albor. violar. amygdal. dulc. pinguedine gallinæ.

Antidoti magna.

Ad reliquas humoris melancholici insensibilitèr discutiendas Antiqui ma- gnis antidotis utebantur. Sic Galenus theriacam in quarrana exhibet, humo- re satis præparato, & corpore evacua- to: & Aëtius theriacam dare jubet qui- busdam intervallis, præsertim hyeme, & incipiente vere.

Absinthij decoctum.

Ad viscera roboranda Absinthii de- cocto quidam utuntur, quod Aëtius ita

L. I.

prædicat, ut ejus solius usu quosdam ab hoc morbo curatos fuisse affirmet. Ven- triculum enim, & epar roborat.

In primis verò cerebri & cordis, ut *Cerebrum* in omni, ita & in hac melancholia, ha- *Cor roborantia.* benda est ratio, & ea roboranda aquis, sirup. conserv. borrag. bugloss. meliss. violar. nymph. rosar. & similibus.

Magna vis & efficacia cor roboran- di, & exhilarandi, ac resistendi timori & mœrori sine causa est in confectio- ne Alkermes, modò rectè præparata *Confectio Alkermes.* sit, qualis hodie in monte Pessulano præparata ad nos adfertur: lapis La- zuli, quem nonnulli in hac confectio- ne omittendum censent, non solum vim purgandi, teste Avicenna, in libro de viribus cordis, sed & segregandi à sanguine vapores melancholicos ha- bet.

Electuaria:

R. Conserv. flor. borrag.

violar.

meliss.

nymph.

rosar. an. Unc. j.

cortic. citr. conditor. Unc. ß.

spec. latificantis Rhasis

diambr.

diamargar. frigid. an. Scrup. ij.

corall. rubr. præpar.

margarit. præpar. an. Scrup. j.

confect. Alkermes Drachm. j.

Cum sir. tunic. & depomis an. q. s.

F. Electuarium.

Vel R. Succ. pomor. Borsdorffianor. vel

alior. odorat. lb. ij.

borrag.

bugloss.

Bbb

flor.

flor. tunic. an. lb. j.ß.
sacchar. albiss. lb. ij.
 Coqu. secundum artem.
 Sub finem adde
vini odorati Unc. v.
spec. latif. cant. Rhafis. Unc. j.
gallia moschat. Scrup.ß.
confect. alkermes. Drachm. j.
 F. Conditum, de quo manet singulis
 diebus sumatur Unc.ß.

Vel R. *Conserv. fl. borrag.*
tunic.
violar.
meliss.
rosar. incarnatar. an.
 Unc.ß.

spec. lætitia Gal. Scrup. iij.

diamb.

dianthos.

diamargarit. frigid. ana.

Scrup. ij.

corall. rubr. prepar.

margarit. preparat. an. Scrup. j.

Cum syr. de pomis.

F. Electuarium.

Vel R. *Conserv. fl. borrag.*
bugloss.
rosar.
violar.
tunic.
rosifinar.
majoran. an. Unc. j.

lap. bezoar. Oriens. Scrup. j.

spec. conf. dianth.

diamarg. frig.

diamb.

diamoschat. dulc. an.

Drach. j.

Cum syr. de succo borrag. q. s.

R. Mixtura, addendo.

ol. cinamom. gutt. iij.

Vel ex speciebus cum saccharo in
 aq. rosarum & cinamom. dissoluto.

F. Confectio in Tabulis.

Commendantur & hæ aquæ contra
 Melancholiam:

R. *Pomor. citrinum. vj.*

vini malvat. mens. ij.

aq. rosar. mens. j.ß.

spec. diamarg. fr.

de gemm. fr.

cordial. temper.

latif. Gal.

diaplr. arch.

diamosch. dulc. an. Drach. vj.

Destillantur lento igne. Ligentur in
 peria moschi ambræ, an Scr.ß.

Verum de talibus notandum, fru-
 stra margaritas, corallia, & lapides pre-
 tiosos in destillando admisceri; cum in
 alembicum non ascendunt.

R. *Conserv. borraginis.*

bugloss. an. Unc. j.ß.

margarit. preparat. Drach.ß.

hyacinthi.

sapphiri.

smaragdi.

corallior.

lapidis bezoar. an. Scrup.ß.

radic. condit. scorzonera Unc.ß.

cinamom.

macis.

galange. an. Scrup. j.

caryophyll.

ligni aloes. an. Scrup.ß.

ol. citri gutt. iij.

syr. rosar. Drach. j.

sacchar. opt. in aq. rosar. dissol.

q. s.

F. Electuarium.

Morsuta.

Morsuli:

- ℞. Spec. electuar. de gemm.
 diamb.
 diamosch. dulc.
 latific. Rhasis, an. Drach. j.
 sacchar. in aq. cinam. Unc. ℞.
 rosar. suff. q. dis-
 solut. Unc. iij.
 F. Rotulæ, vel Morsuli.

Extrema
 cordialia. } Et quia, ut dictum, in omni melan-
 cholia cordis maxima habenda est ra-
 tio, non solum interna ad id roboran-
 dum usurpentur; sed & externa medi-
 camenta cordi applicentur.

Epithema:

- ℞. Succ. borrag.
 bugloss. an. Unc. j. ℞.
 aqu. rosar. Unc. iij.
 meliss. Unc. ij.
 Spec. cordial. temperatar.
 latificant. Rhasis,
 cortic. citri. an. Drach. ℞.
 vini odorati Unc. j.
 spic. rosar. Scrup. ℞.
 F. Epithema cordis.

Sacculus:

- ℞. Meliss.
 flor. rosar. rubr. an. M. ℞.
 bugloss.
 violar. an. P. j.
 cortic. cier.
 caryophyll.
 macis,
 santal. citrin.
 ligni aloes,
 cinamom. an. Drach. ℞.
 gall. moschat. Scrup. ℞.

zedoaria,
 sem. ocymi, an. Drachm. ℞.
 granor. Alkermes Drach. j.
 ambr. gr. iij.

Cum sindon. rubr.
 F. Sacculus pro corde.

Unguentum:

Vel inungatur cordis regio oleo de-
 stillato citri, aut solo, aut cum unguen-
 to rosaceo odorato, vel alio cordia-
 misto.

Imprimis danda opera, ut somnus
 concilietur statim ab initio; quod fit
 frictionibus extremorum sub somni
 tempus, epithematis, linimentis, odo-
 ramentis, & aliis supra, cap. i. propo-
 sitis.

Dieta.

Dieta sit talis, qualis supra de me-
 lancholia in genere proposita est, in o-
 mnibus ad calidum & humidum ver-
 gens. Aër igitur & in hisce qualitati-
 bus sit temperatus, & propterea purus, Aer.
 odoribus suavis refertus, non foeti-
 dus, non tenebrosus, nisi quantum
 somni ratio exigit.

Gibi sint εὐχρημοὶ & εὐπεπτοί, ac Cibus & potus.
 mediocriter humidi, flatûsque exper-
 tes; ut caro pullorum, gallinarum, hæ-
 dina, vitulina, vervecina, ova recen-
 tia, pisces saxatiles, passulæ, amygda-
 læ: condiantur flor. borrag. bugloss.
 roremarino. Conveniunt quoque po-
 ma & pyra dulcia, & odorata cocta.
 Abstineat æger à leguminibus, caseo
 antiquo, & omnibus omnino cibus,
 qui succum crassum, atque excremen-
 titium generant. Vinum conceditur
 album,

album, tenue, oligophorum. Et cum morbus sit diurnus, talis victus ratio instituitur, quâ corporis vires, si non augeantur, tamen conserventur, non verò debilitentur, vel imminuantur; in melancholicis præsertim, qui cibo pertinacius abstinent, aut parçè admodum hunc sumunt. Somnus omnino studio concilietur, & prorogetur. Delectatio quærenda est ex Musica, aliisque, quibus maximè delectari sanus consuevit, leniterq; objurganda inanis tristitia, aut, si nihil proficiatur, æger acriter increpetur & objurgetur, ac diligenter ab assistantibus observetur & custodiatur.

Somnus.

Animi passivata.

ex materia vitiosa in hisce locis cumulatâ oriri possunt: neque semper cum affectu hypochondriaco melancholia conjungitur, sed tum demum, cum cerebro vapores peculiari modo dispositi ex materia illâ exhalantes communicantur, spiritibusque animalibus miscentur. Ideoque hic non omnia, quæ de affectu hypochondriaco dici possunt, proponemus, sed ea tantùm, quæ ad Melancholiam hypochondriacam explicandam, & curandam necessaria videntur, reliqua infra, *libr. 3. part. 5. sect. 1.* ubi in genere de affectione hypochondriaca dicitur, explicabuntur.

CAPUT. XII.

De Melancholiâ Hypochondriacâ.

Melancholia hypochondriaca undè dicitur.

Secunda Melancholiæ per consensum differentia, eaq; satis frequens, est, quæ Hypochondriaca appellatur, quod ex hypochondriis ortum habeat, & ex causâ in hypochondriis genitâ exciteur. Hypochondriorum autem nomine veniunt non solum sira in his utrinque Epar & Lien, sed & Ventriculus, potissimum ejus fundam, & Mesenterium cum suis venis, itemq; Pancreas, & Omentum, ut postea dicitur.

Affectio hypochondriaca latius patet, quâ Melancholia hypochondriaca.

Notandum tamen hic, affectionem, aut passionem hypochondriacam latius patere, quam melancholiam hypochondriacam. Non solum enim melancholia, sed & alia mala plurima

Arabibus Melancholia Mirachia, vel Mirachialis eadem de causâ appellatur, quod scilicet causâ ejus in Mirach, id est, ventre inferiore, seu abdomine contineatur; Græcis *Πυρώδης*, & vulgò etiam Flatulenta melancholia nuncupatur, quod qui eâ laborant, in ventriculo & intestinis flatibus abundant, qui & rugitibus sese produnt. Chymici affectionem hypochondriacam Tartarum hypochondriorum appellant.

Definitio.

Est autem Melancholia Hypochondriaca delirium melancholicum non continuum, ex vapore è melancholiâ p. n. in hypochondriis cumulatâ, & peculiariter disposita, elevato, & cerebro communicato, spiritu que animalis inquinante, & ut melancholicum phantasma generetur, faciente, ortum habens.

Causa

Causſæ.

Proxima proxima enim & continens hujus
melancholia hypochondriaca mali materia est vapor Melancholicus cerebro communicatus, spiritusque animales inquinans, & obfuscans, & mœrorem, ac triftitiam eo, quod supra, *de Melancholiâ in genere*, dictum fuit, modo excitans. Nam ſicut, ut Galenus, 3. *de loc. aff. cap. 7.* docet, elato ex ventriculo ad oculos fuliginoso quodam, & fumoso halitu, aut crassis vaporibus, ſimilia, ut in ſuffuſione, accidentia contingunt: eadem ratione ſublata ad cerebrum ab atra bile evaporatione fuliginosa fumosaque melancholica eveniunt in mente accidentia.

Causſæ antecedens. Cauſſa antecedens est humor melancholicus in hypochondriis cum latus. De cujus natura & ſede alii aliter docent, ut prolixius de affectione hypochondriacâ dicetur. Et quidem humorem, qui affectiones hypochondriacas parit, non ſemper ejusdem naturæ eſſe, ex affectionibus, ſeu ſymptomatibus, quæ ſequuntur, & conjunguntur, ſatis apparet: eum verò, qui hoc, de quo jam agimus, delirium parit, melancholicum eſſe, etiam extra controuerſiam poſitum puto. Unde Galenus, 5. *de loc. aff. cap. 6.* ſcribit: De ſtatuoso verò, & hypochondriaco malo nemo non dixit, quomodo triftitiam, deſperationem, mœſtitiã inducat, atque, ut ſummatim dicam, ad melancholiã accidentia nihil reliqui faciat. Quippe laborantes hypochondriaco morbo poſt cruditates dictis accidentibus multo vehementius infeſtantur; ac plures ex ipsis quoque ſplenerici ſunt: quocir-

ca conjectandum, ex hoc etiam viſcere vitioſam ſaniem evadere. Ideoque quanquam alii authores aliter hac de re loquantur; videtur tamen id omne de hypochondriaco affectu in genere accipiendum eſſe, de quo infra, *lib. 3. part. 5. ſect. 1.* dicetur: hujus verò, de quo jam agimus, delirii cauſſam merito melancholiam ſtatuímus.

Eodem modo ſeſeres habet de ſubjecto, quod quidem hypochondriacâ ſtatuímus; à quibus nomen etiam hæc melancholia ſortita eſt: veruntamen cum plures in hypochondriis partes contineantur, lienem præcipuè, & loca vicina, antecedentem hujus melancholiæ cauſſam continere putamus. Lien equidem humoris melancholici ſedes eſt: ſi tamen magna hujus humoris copia colligatur, ut tota in eo contineri non poſſit, etiam in meſenterium, ac orientum protruditur, ac in venis melaſaraicis naturalia viſcera perprantibus continetur, iis præſertim in locis, ubi plures, majoresque venæ portæ rami verſus lienem in hypochondrio ſiniſtro tendunt: licet, ſi maxima ejus ſit copia, in totum abdomen per venæ portæ ramos diſpergi poſſit. Unde nonnulli duplicem melancholiam hypochondriacam ratione loci, in quo cauſſa antecedens continetur, ſtatuant, unam in venis dextræ partis, ab epatis caliditate excedente ita calefactis, ut calefaciendo chylum perpetuo fervore & ardore moleſtiam quaſi caliditatis alicujus internæ in eo loco exhibeant; alteram in ſiniſtrâ parte, in venis melaſaraicis, quæ ſunt inter ſplênem, & ventriculum.

triculum sitæ. Frequentius tamen in sinistro hypochondrio delirii hujus causa cumulat, & continetur. Atque ita, quia causa hujus mali in hypochondriis primario sita est, non est continuum hoc delirium, sed tam diu durat, quam diu vapores aeri spiritibus animalibus miscentur, quibus discussis, & illud vel evanescit, vel minuitur, atque iterum redit, vel exasperatur, ubi novi vapores & flatus, qui caput petere solent, collecti & coacervati sunt, qui ubi vel per ructus, vel per vomitum, vel per alvi crepitum, aut dejectiones evacuantur, ægri melius habent.

Viam, per quam vapores melancholici ad caput feruntur, quod attinet, statuunt quidem nonnulli, nunquam, nisi mediante orificio ventriculi, ad cerebrum hos vapores ferri. Verum probabilius est, per venæ cavæ ramos, & arterias id fieri. Facilis enim vaporum ex vena portæ in cavam est transitus, ut & in arteriam magnam, per arterias, quas lien habet magnas, & multas.

Causæ antecedentis naturæ quænam. Quæ autem humoris hujus Melancholici, quem antecedentem Melancholiæ hypochondriacæ causam esse diximus, sit natura, non ita planum est. Vulgata sententia est, eam esse frigidum, siccum, atrum. Verum negat id Platerus eâde causâ, quod æstuatio quædam eo in loco, ubi humor later, percipitur, quæ acrimoniam, & caliditatem illius satis declarat. Imò non solum adustum & feculentum esse hunc

humorem, sed & malignitatem peculiarem obtinere statuit, ob enormia illa accidentia, quæ in mania, & in melancholia apparent, ob quam etiam Codæmones sedem in hoc humore habere gaudeant. Verum enim verò distinguendum est inter Melancholiam hypochondriacam, & affectionem hypochondriacam. Affectio enim hypochondriaca latius sese extendit, quam melancholia hypochondriaca. Neque enim omnes hypochondriaci melancholici sunt. Qui verò melancholici sunt, in iis omnino proxima delirii causa ad humorem melancholicum referenda; eti nihil prohibeat, quin etiam ob ἀνπροξίαν viscerum æstuatio quædam in hypochondriis percipiatur, & propterea diversa symptomata hypochondriaci patiantur. Unde etiam Melancholiæ Hypochondriacæ non est unum genus. Quidam enim melancholici sunt torpidi, ignavi; alii μετὰ πόνον sua peragunt. In illis delirii causa est Melancholia naturalis, quæ eo modo, quo, ut supra, in genere, dictum, melancholiam inducit; in his verò jam aliquid quidem adusti humoris est; vel alii humores adusti admiscentur.

Ubi Plateto libenter assentimur, adustum aliquem humorem causæ melancholiæ admisceri. Et plerumque adsunt ructus & vomitus acidi. Acida autem non paucas partes calidas in se continent. Et humor summè calidus atrabilario proximus est. Adustio tamen illa non est magna: aliàs enim potius mania, quam melan-

melancholia, inde excitaretur. Et si humor melancholicus amplius aduratur, ex melancholiâ fit mania; cum ex humore valde calido & adusto delirium cum timore, & tristitia provenire non possit; sed caliditas illa potius audaciam inducit. In aliis verò plerisque hypochondriacis affectibus faciliè concedimus, humorem illum, quia affectionis hypochondriacæ causa est, non semper frigidam esse, sed in venæ portæ ramis accumulatum aduri, & calorem, atque acrimoniam contrahere &, ut ex Diocle Galenus, 3. de loc. aff. cap. 7. docet, hypochondriacas affectiones plus caloris, quam decet, in venis, quæ alimentum è ventriculo excipiunt, habere. De quo infra, libr. 3. part. 5. sect. 1. cap. 4. plura dicentur.

Malignitatem quod attinet, equidem humor melancholiam excitans propriè malignus non est, & non, nisi impropiè loquendo eum malignum appellat Platerus. Interim in hoc ei assentimus, peculiarem aliquam, occultam, & nobis ignotam esse dispositionem humoris melancholiam generantis, quæ vulgo, cum proprio nomine eam exprimeret non liceat, impuritas, & nigredo dicitur, ob quem spirituum animalium naturalis luciditas & puritas vitiat, & p. n. dispositio inducitur.

Quomodo autem generetur humor hic in hypochondriis, plurius dicetur, ubi de affectionibus

hypochondriacis in genere tractabitur, libro tertio, part. sect. 5. 1. & ibid. sect. 2. cap. 3. de Scorbuto. Ut breviter de eo, quantum hujus loci ratio postulat, dicamus, præcipuè generationis & cumulationis humoris melancholici in hypochondriis causæ sunt errores in victu diu continuati, & ventriculi, ac epæ, & lienis.

causa interna & externa.

Primò enim, cum coctionis primæ errata in secunda corrigi non possint, è pluribus verò in diæta plurimum delinquatur, & hinc in prima coctione multi errores committantur; plurimos etiam errores & vitia in secundâ coctione consequi necesse est. Ad humoris verò melancholici generationem faciunt ea, quæ crassum & feculentum succum generant. Si enim plus hujus sit in chylo, quam debebat, omne hoc excrementum à liene attrahi, elaborari, segregari, atque evacuari nequit, sed ejus maxima pars à natura valida & robusta plerumque in pancreas, mesenterium, & omentum, atque ferè per eos venæ portæ ramos, qui non in ipsa intestina, sed in mesenterium, & pancreas desinunt, & obliterantur, deponitur, ut hæc de re rectè Fernelius, de part. morb. & sympt. lib. 3. cap. 7. disserit.

Facilius verò id accidit, si ventriculus sit debilis. Cum enim cibi ejusmodi crassi & feculenti etiam in

eo, qui ventriculum satis fortem habet, nihilominus similem chylum suppeditent; multò magis hoc accidit, si ventriculus sit debilis. Ideoque inter remotiores causas omnia locum habent, quæ ventriculum debilitare valent; de quibus *lib. 3. de imbecillitate ventriculi*, dicitur.

Ventriculi ac Epatis & Lienis àνπρξία. Et adhuc promptius id fiet, si aliqua adsit lienis, ventriculi, & epatis *àνπρξία*. Tum enim ventriculus debilis cibos non rectè coquit, & cruditatis causa est. Lien verò & Epar, si calidiora sint, avidius illum ad se, & sæpe ad huc crudum, trahunt, & quidem tenuem, & aquosam chyli partem maturius, crassam tardius; illamque in vapores tenues, nonnunquam & subsalsos, ac acres resolvunt, atque vel in caput, vel in totum corpus distribuunt; unde catarrhi, dolores vagi, vel sudores excitantur; hæc vehiculo destituta in venis mesaraicis subsistit, obstructions in iis parit, ampliusque exiccatur, & incrassatur, vel etiam adurit, & obstructions in venis mesaraicis parit, ac humori melancholico materiam præbet, atque ita humorum crassorum, & feculentorum copia in hypochondriis cumulat, atque hinc cum melancholia, tum plurima alia hypochondriaca mala oriuntur, quæ ibidem Fernelius recenset, & prolixius infra, *lib. 3. part. 5. sect. 1.* enumerabuntur.

Imò hæc, si affectum hunc producere debet, necessario circa lienem hæret, & si id tantum fiat, mitior est melancholia. Accideretamen potest, ut in utroque hypochondrio illa cumu-

letur, & tum gravior affectio est, & non solum melancholia, sed & alia symptomatica adfunt, ob materiam mistam, quæ partim calida, sicca, acris & amara est, ob igneam, quæ in epate & venis circa epar est, dispositionem, & sensum æstus in dextro hypochondrio exhibet; partim frigida, & sicca acida, quæ in liene & circa eum hæret, & colligitur; de quibus *loc. allegat.* dicitur.

Suppeditant autem tali humori materiam cibi crassi, difficilis coctionis, viscidum, flatulenti, carni bubula, suilla, aprugna, cervina, pisces maritimi, & in aquis stagnantibus degentes, carnes & pisces sale ac fumo indurati, aves in aquis degentes, legumina, brassica, ova indurata; vina non defecata, austera imprimis, quæ in lapide calcario, vel alio solo, quod materiam mineralem, vel tartaream continet, crescunt; cerevisia ex aquis impuris cocta, præcipue si sit turbida, & non defecata.

Facit ad hoc malum generandum etiam aer crassus, fœtidus, nebulosus, qui inspiratione attractus spiritus animales; & virales inquinat; item autumnalis, modò calidus, modò frigidus.

Quies & otium nimium hujus mali generationem quoq; promovent, dum ob ea multa excrementa in corpore retinentur, calorque non excitatur, & ventilatur; unde obstructions in corpore fiunt. Atque hæc, cum lucubrationibus & meditationibus, causa est, cur literati, & qui vitam sedentariam agunt, malo hypochondriaco frequentius sint obnoxii; minus verò ii, qui quotidianis laboribus exercentur.

Alvus

*Evacuatio-
nes sup-
pressa.*

Alvus suppressa etiam ad malum hoc generandum facit. Etenim si excrementa diutius in intestinis detineantur, venæ mēsaricæ ex iis pro bono, & recenti chylo crassam & feculentam materiam attrahunt, è qua multifeculenti humores generantur, atque obstructions in venis mēsaricis & liene excitant; unde iis, qui ad affectionem hypochondriacam sunt dispositi, summè utile est, alvum semper habere laxam. Multum quoque ad malum hoc inducendum faciunt suppressæ evacuationes, per quas natura vitiosos ejusmodi humores in primis viis collectos evacuare solebat, ut alvi dejectiones, & vomitus quibusdam certis temporibus consueti: ac quæ maxima hujus mali causa est, hæmorrhoides, quæ aliquando fluxerunt, suppressæ.

*Inmoderate
vati animi
affectus.*

Imprimis verò mali hujus causa est metus & tristitia, & animi nimia intentio; idque maximè in iis, qui à naturâ corporis constitutionem melancholicam adepti, taciturni, cogitabundi & tristes sunt. Atque hinc etiam accidit, ut infantes, & juvenes, qui à curis & mæstiria alieni sunt, in hoc malum non incidant, sed adulti, post annum trigésimum plerumque. Tum enim temperamentum corporis non solum fit siccus, & errores in victu commissi in adolescentia sese produnt, sed & curis, meditationibus, atque animi intentione homines tum magis occupari incipiunt.

Signa Diagnostica.

Signa Melancholiz Hypochondriacæ
L. I.

signa sunt, delirium absque febre cum mœrore & timore; idque non continuum, sed notatu digna intervalla habens. Sunt enim melancholia hypochondriacâ laborantes nonnunquam satis hilares; mox tamen sine causa in mæsticiam recidunt. Cùm enim vapor Melancholicus ater & renebricosus, hujus mali causa proxima, in cerebrum elevatur, spiritibusque animalibus permiscetur, eosque inquinat, delirium inde excitatur, ægerque multa falsa imaginatur, metuit non metuenda, sine causa mæret; & variis modis animum macerat: duratque hoc delirium tam diu, quàm diu vapores illi spiritibus permiscentur: postquam verò vapores illi melancholici discussi sunt, delirium cessat, donec novi vapores ad caput elevati spiritibus animalibus permiscetur, eosque turbant.

Et hæc quidem propria Melancholiz signa sunt; quibus tamen interdum & alia conjunguntur. Nam quia vapor ille flatulentus melancholicus in cerebro permiscetur spiritibus animalibus, qui non solum imaginationi, sed & aliis sensibus interviunt, accidit, ut etiam circa alios sensus varia symptomata oboriantur; in auribus tinnitus, strepitus, sonique varii, nunc campanarum sonitum, nunc aquarum strepitum referentes; oculi obscurè vident, vel etiam omnî circumagi videntur. In nervos etiam sese insinuans vapor varios dolores, & alia nervosi generis symptomata accersit. Idem vapor, dum seu per venas, seu per arterias sursum tendit, & cor transit, illud

illud in eas angustias redigit, ut motu violento palpitate, & arteriarum celerem, & velocem motum ad expellendum, & discutiendum vaporem sibi molestum, instituere cogatur: quod dum fit, æger de summa cordis angustia conqueritur, de vita desperat, maximisque suspiriis opem & auxilium exposcit: plerumque etiam argentu vigilæ, quæ à vaporibus illis siccis ortum habent, qui non solum spiritus perturbant, sed & cerebrum exiccant, ac somni proximam causam abstant; aut si dormiunt, somnus eadem de causa est perturbatus cum somniis metûs & terroris plenis. Ad sunt etiã alia affectionis hypochondriacæ signa, quæ Galenus, 3. de loc. aff. cap. 7. ex Diocle ita recenset: Sumptu cibo, maximè coctu difficili, sputum multum & humidum concitatur: item ructus acidissimus, flatus, ætus, in hypochondriis fluctuatio non ilicò, sed cum retinuerint, interdum quoque ventriculi vehementes dolores, qui nonnullis ad dorsum utque procedunt: concoctis deinde cibis quiescunt, mox aliis cibis ingestis eadem reuertuntur symptomata, quæ interdum jejunos, interdum etiam à cibo molestant, atque evomunt erudos cibos, & phlegmata subamara, & calida, & acida, adeo ut dentes stupore afficiantur. Et alia conjunguntur, quæ suo loco de affectione hypochondriaca explicabuntur.

Hoc item hic addimus, non omnia symptomata in omnibus apparere, sed modò hæc, modò illa, pro partium læsarum, vel seorsim, vel simul ratione. Si enim venæ mesaraicæ saltem obstructæ

sint, & in iis humor contineatur, mitior est affectio: gravior, si ipsa viscera simul afficiantur. Et quidem si utrumque viscus afficiatur, atque utriusque venæ sint obstructæ, gravia & plurima apparent symptomata: si verò unum saltem viscus obstructatur, mitiora & pauciora sunt.

Quia verò hoc malum non continuum est, sed per intervalla quædam invadit, & paroxysmos suos habet, quæ ratione illi orientur, & quo modo invadant ægros, etiam explicare non inutile fuerit: præsertim cum ægri ipsi rarè omnia recensere possint, quod improvisò hoc malo corripiuntur, & ratione ac mente perturbatâ omnia memoriã comprehendere non valent. Primò quidem corripiuntur paroxysmo ægri sæpe etiam citra ullam evidentem, vel externam causam, ubi materia copiosius accumulata à natura movetur, & vapores, ac flatus ab ea excitantur. Soletque & hic morbus, ut alii, suas habere periodos. Facilius tamen hoc fit, si causa externa aliqua accedat, ut improvisus terror, mæror, ira, usus ciborum flatulentorum, vini potentis, crapula. Ubi verò malum ægros apprehendit, in nonnullis quidem subitò, & ex improviso hoc accidit; interdum ex flatibus, & vaporibus ascendentibus ructus antecedunt, ventriculus distenditur, & orificium ejus lancinatur, ac per gulam transiens vapor acidus linguæ nervos pervadens, nseam quasi constringit, ac rigidam, & ad terrorem immobilem reddit, interdum per cor transiens vapor anxietatem lipothymix non absterilem, vel cordis palpitationem exci-

*Paroxysmum
& sympto-
matum
quamvis
sit ratio.*

rat, atque altius ascendens difficilem respirationem parit. Hinc cerebrum occupans delirium parit, atque, ut antea etiam dictum, caligo oculis offunditur, in auribus tinnitus excitatur, ac membræ cerebri tenduntur, & dolor in iis excitatur, ut ægri totam cerebri substantiam è ^{carneo} sibi evulsam iri metuant. Et dum porrò vapor per spinam dorsum deorsum tendit, interdum in utroque brachio frigus quoddam, aut stuporem potius, & motum formicantem inducit. Quæ cum sunt anxietatis & terro-
ris omnia plena sunt, ægrique metuunt, ne labantur & concidant, ideoque locum quieti quarunt, interea mente quasi privantur, vel deliria loquuntur, & sudore frigidus perfunduntur. Hinc calore illos vapores discutiente, rubore iterum suffundi incipiunt, anxietas minuitur, & mentis actiones sese iterum exerunt, actandem paroxysmo superato, nihil ægri amplius sentiunt, præter metum alicujus gravioris morbi, epilepsiæ vel apoplexiæ, vel subitanæ mortis; atque hinc tristitiam, & animi mororem concipiunt.

Prognostica.

Signa Melancholia hypochondriaca prognostica.

1. Malum hoc, ut omnes morbi melancholici, diurnum, & difficile curatu est. Humor enim melancholicus naturam suam pertinax est, nec facile medicamentis cedit, imò si minus cautè tractetur, ferocior redditur. Præterea Indicationes inter se plerumque pugnant: ventriculus est debilis, frigidus, & calefacientia postulat; contra epar in hoc affectu plerumque est calidius. Humor ipse quoque crassus, & siccus, & propte-

rea humectantia postulat: cum eorum men plerumque serosus humor conjungitur; unde sputo abundant hypochondriaci. Faciunt quoque non patum ad morbi hujus diurnitatem errores ægrorum, dum & in victu sæpe delinquant, & diurni morbi pertæsi, vel usum medicamentorum intermittunt, vel Medicos temerè mutant.

2. Facilius tamen curatur in principio, quam si jam sit inveterata: & si duret hæc melancholia, tandem similis vapori dispositio cerebro imprimitur, & ex affectu per consensum proprius excitatur.

3. Tantò malum est gravius, quanto humor magis adurit, & ad atræ bilis naturam accedit. Si enim humor ille, qui vaporem suppeditat, adurit, vel adustus illi admiscetur, melancholia in maniam tandem transit. Cujus rei signum est, cum qui antea erant meticulosi & tristes, jam hilares quasi, animosi, audaces & iracundi fieri incipiunt; quod facilius accidit, si æger multo, & potenti vino pro potu utatur.

4. Si materia illa, & vapores inde excitati pravam & peculiarem corruptionem subeant, aut copiosius ad cerebrum ferantur, malum interdum in epilepsiam degenerat; interdum cerebro morbi diurnitate valde debilitato, & cruditate aucta, in apoplexiam transit.

Indicationes.

Vapor ille, qui proxima & continens hujus delirii causa est, etsi spontè à natura discuti solet: tamen danda opera, ut id quam citissime fiat. Ne verò malum recurrat, vaporum

ascensus prohibendus, iique, ne cerebro, & cordi molestiam afferant, aliò divertendi. Et quod curationis caput, humor melancholicus, è quo vapor ille elevatur, ex hypochondriis evacuan-
 dus. Quod rectè & ordine fiet, si viæ obstruæ aperiantur, & venæ mesaricæ, quæ simul siccitate plerumque laborant, humectentur, humor ipse crassus arenetur, & incidatur, & tandem per alvum & urinas evacuetur, atque ejus generatio prohibeatur; quod eveniet, si omnes causæ, à quibus is originem traxit, vel à quibus moveri, & augeri potest, amoveantur, & vitentur. Tandem cerebrum & ventriculus roborandus, ut & aliæ partes principes.

Curatio.

Alvi Lenitio.

Cùm alvum in hoc morbo laxam habere semper utile sit, & reliqua remedia, nisi primæ viæ evacuata sint, parum prosint; ab alvi lenitione, & primarum viarum evacuatione curatio inchoanda. Ubi maximè cavendum, ne purgantibus validioribus, & à partibus remotioribus trahentibus humores non solum in hypochondriis, sed & in aliis venis commoveantur; qui cum exitum non inveniunt, nec ad evacuationem apti sint, epatis & venarum obstructionem augent, aliq; incommoda secum trahunt, atq; ita plus nocent, quàm profunt. Injiciatur ergo talis Clyster:

℞. Rad. althææ,
 polypod. q. an. Drach. vj.
 malv.
 pariet.
 althææ,

viol. mercurial. an. M. j.
 flor. chamamel. M. ℞.
 furfur. in petia ligat. M. j.
 prunor. num. x.

Coqu. in aqu. pura.

Colatur. ℞. ℥. j.

Electuar. lenit. vel diacathol.

Unc. j.

hieræ simpl. Drachm. ij.

mell. rosat. colat.

el. violar. an. Unc. j.

chamamel. Unc. j. ℞.

vitell. ovi num. j.

F. Clyster.

Sanguinis Evacuatio.

Postea si sanguis abundet, & epar sit calidius, ut sanguis evacuetur, corpusq; ventiletur, & ad usum medicamentorum aptius reddatur, vena aperienda.

Commodissimum autem foret, si ex venæ portæ ramis sanguis evacuari possit. Cùm autem ii nullibi pateant, nisi in ano, utilissimum esset, sanguinem per hæmorrhoides evacuare; hæmorrhoidumque fluxus ad melancholiam curandam multum potest, atque interdum hypochondriaca melancholia, quæ aliis remediis tolli non potuit, hoc uno sanata fuit. Veràm nisi natura ipsa hunc tentet, ab arte sola earum fluxus vix sperari potest. Si tamen fluere consuetæ sint hæmorrhoides, aut tumeat, hirudinum applicatione, vel aliis modis, ut aperiantur, tentandum.

Cùm etiam menstruorum fluxus naturalis sit, & natura per eum vitiosos humores, qui in corpore colliguntur, simul evacuare soleat, cavendū, ne suppressatur, & si suppressus sit, revocetur.

Venæ

Sanguinis
 missio.

Vena verò in brachio tum demum aperiendæ, ubi, ut diximus, sanguis abundat, aut ille jam à succo melancholico infectus est. Hinc sanguis ex venis crurum, poplitis, aut malleoli emittatur; cum sanguis pravus infra epar maxima ex parte consistat, & humor melancholicus, tanquam fex sanguinis, aliquando inferiora petere soleat. Et fieri potest, ut hoc modo sanguis ad hæmorrhoides fluat, & illæ cum maximo ægri commodo aperiuntur.

Vomitioria.

Quia verò non rarò ob ventriculi debilitatem crudi & pituitosi humores in ventriculo cumulantur; sæpe necessarium est, à vomitu initium curationis facere, ne à præparantibus, vel purgantibus excrementitii illi humores ad penitiores partes rapiantur, atque obstructions augeant.

Ut R. *Succ. radic. raphani express.*

Unc. iij.

hydromel. Unc. iij.

In quibus mistis macerentur per noctem *radic. asari contus.* Drachm. ij. Manè colentur & exprimantur, liquorque tepidè propinetur.

Præparantia humorem melancholicum in hypochondriis.

Hiscæ peractis jam ad materiæ præparationem accedendum, quæ attenuantibus, & aperientibus perficitur, sine insigni tamen calefactione, & exiccatione, propterea, quod plerumque ar-

dor quidam, & siccitas mesaraicarum adsit, & inflammationi quid simile partes illæ, & inferiori orificio ventriculi vicinæ obtineant. Quæ in re non rarò peccatur ab iis, qui ad flatum tantum, quibus hypochondriaci etiam abundant, habito respectu, valde calidis, & siccis medicamentis in hac melancholiæ specie utuntur, quibus morbus potius exasperatur.

Contra nec nimis refrigerantia, & humectantia sine aliqua apertione conveniunt; cum in partibus illis sint obstructions, quas tollere semper convenit. Ubi tamen plus aquosi admixtum est, calida non omittantur. Atque ita, prout varia est conditio humoris in hoc morbo, & aliud atque aliud membrum magis læsum est, ita curatio aliàs magis calida, aliàs minus calida postulat, aut etiam moderatè refrigerantia & humectantia, quæ omnia tamen sint aperientia & attenuantia. Si caliditas & æstus major percipiatur in hypochondriis, horâ unâ ante cibum feri lactis caprini ℥. ss. vel ℥. j. commodè exhibetur, quod & calorem istum temperat, ac venas mesenterii refrigerat, & materiam, obstructions causam, eluit.

Simplicia;

Radices; Feniculi, asparag. eryngii, graminis, borragin. bugloss. cicborii, scorzonera, helenii, polypod. glycyrrhiz. centaurei major. Crato enim inter aperientia, & obstructions tollentia in hoc morbo multum tribuit rad. centaurei major. quod vulgò Rhaponiticum appellatur, si succus è recenti

Ccc 3

radi-

Materia
morifica
præparatio.

radice exprimatur, & cum saccharo in formam sirupi redigatur, ac de eo singulis diebus manè sumantur cochlearia duo, vel tria: vel si radix centaurei majoris in vino horis 24. maceretur, & ante cœnam æger vini haustum sumat, idque aliquot diebus continuet.

Cortices, cappar. tamarisci, fraxini, citri.

Folia & herbæ; ceterach, scolopend. chamadr. chamapir. capill. ♀ meliss. betonic. hyssopi, endivia, cichorii, fumarica, cuscuta, carduiben. absinthii, præcipuè Pontici, cochlearia, veronica.

Flores; borrag. bugloss. violar. centaur. minor. sambuc. genist.

Semina; anisi, fœnicul. endiv. ocym. aquileg. genist. quatuor frigid. major.

Fructus; prun. amygdal.

Equibus fiant Medicamenta usualia:

Aquæ; borrag. bugloss. meliss. chamadr. capill. ♀. hyssop. fumar. cuscus. scolopendr. lupuli.

Sirupi; byzantin. de duab. radicib. de fumar. de scolopendr. de borrag. bugloss. endiv. de epithym. de lupul. de polypod. de pomis.

Conservæ; borrag. bugloss. meliss. fumar. cichor. betonica, cochlear. tunic.

Condita; cortic. citr. radic. helen. eryngii.

Extracta; veronic. meliss. card. benedict. absinthij, ceterach.

Species; electuar. læticia Galen. Rhas. de hyacinth. diarrhod. Abbat.

Trochisci; de capparib. de absinthio.

Ex his varia pro usu & constitutione aëri fieri possunt. De quibus hoc

monendum, ut initio non ea usurpentur, quæ fortius urinam movent, ne materiam visiolam è primis viis ad epar, & venam cavam deducant, malum augeant, aut morbum aliquem in renibus excitent.

Rejicit quidem alia de causa diuretica Hollerius, quòd scilicet splenulum habeat consensum cum renibus per viam communem: verum diuretica nec planè rejicienda sunt, sed corpore, & primis viis per purgationem evacuatis etiam locum habent, & sæpe nigra planè per urinam evacuantur, cum aëri commodo: nec ratio Hollerij vera est. Sunt enim viæ à liene ad renes, quas monstrat recentiores Anatomici, & eas recenset Laurentius, quest. 27. & per arterias emulgentes satis commodè à liene ad renes materia evacuari potest.

Valde etiam calida vitanda, aut, si usurpentur, aliis temperanda, ne humorem adurant, peioremque reddant, tetrosque vapores excitent, & gravia symptomata inducant.

Porio:

℞. Rad. cichorii,
borraginis,
scorzoneræ,
pylypod. q.
cortic. rad. cappar. an. Drach. ij.
rad. asari Drach. j.
fol. melisse.
betonica,
ceterach,
fumarica,
capill. ♀.
chamadryos, an. M. ℞.

Portiones.

centaurii minorii,
 absinthii Pontici, an. P. j.
 flor. cordial. P. ij.
 cortic. citri. Drachm. ij.
 sem. anisi,
 fœniculi, an. Drach. j.
 fol. fenæ el.
 epithymi, an. Drach. iij.
 passular. minor. Unc. j.
 Infundantur omnia in aq. puræ lb.
 ij. Stent vase clauso loco calido, &
 postea in Bebulliant:
 Colat. add. succi borragin.
 rosar.
 fumarie, an. Unc. iij.
 sacch. lb. j.
 F. Potio clara. Dosis Unc. iij. vel
 Unc. v.

Sirupi:

℞. Succu buglossi,
 borragin.
 pomor. suaveolentium, an.
 lb. j.
 melissa lb. lb.

Infunde in eo granor. kermes Unc. j.
 croci Drach. j.

Colentur, & cum sacch. l. q.

F. Sirupus.

Vel ℞. Rad. asparag.
 fœnicul.
 polypod. q.
 belenii,
 scorzoner.
 cichor. an. Unc. lb.
 cortic. rad. cappar.
 tamarisc.
 fraxin. an. Drach. iij.
 citri,
 aurantior. an. Drach. ij.

fol. ceterach,
 ling. cervin.
 endiv. kortens.
 epatic. nobil.
 chamadr.
 card. benedict.
 capillorum Qis, an. M. lb.
 epithymi Unc. lb.
 sem. aquileg. Drach. j. lb.
 anisi,
 fœnicul. an. Drach. j.
 quatuor. frigid. major. ana
 Drach. ij.
 glycyrrh. rasa Unc. lb.
 passular. exacinat. Unc. j. lb.
 Coqu. in aqua pura.
 Colaturæ ℞. lb. iij.

succ. pomor. dulcacidor. odo-
 rator. lb. j.

borrag.
 fumar. an. lb. lb.

sacchar. q. l.

F. Sirupus.

Cujus Unc. ij. vel iij. sumat æger ma-
 nè, & superbibat haustum aquæ bor-
 raginis.

Vel ex iisdem simplicibus fiat Deco. Decoctio.
 ctum, & clarificato idonei sirupi ad-
 dantur.

Claretum.

Si æger decocta & sirupos respuat, Clarctum?
 aut ex sirupis aliquid incommodi me-
 tuatur, cum dulcia lieni non satis utilia
 sint, fiat tale Claretum:

℞. Rad. fœnicul.
 eryng.
 belen.
 scorzoner. an. Unc. lb.
 cortic. tamarisc.
 rad. cappar.

polypod. q. an. Drach. vj.
 cortic. citri Unc. ℞.
 zedoar. Drach. iij.
 chamadr.
 ling. cervin.
 meliss.
 capill. Veneris,
 absinth. an. M. ℞.
 flor. borrag.
 bugloss. an. M. j.
 cinamom. Drach. ij.
 spic. Indic.
 lign. aloes, an. Drach. j.

Affunde vini Rhenani calefacti
 ℞. vj.

Stent aliquandiu in infusione, &
 postea aliquoties trajiciantur per ma-
 nic. Hippocrat.

Ultimò add. sacchar. albi ℞. iij.

Manè post jusculum, vel in prandio
 & cœna loco primi haustus usurpetur.

Aqua:

Vel paretur talis Aqua:

℞. Rad. aperient. Unc. j.
 helen. Drach. j.

cortic. tamarisc.

fraxin. an. Unc. ℞.

meliss.

betonic.

chamadr.

chamapit. an. M. ij.

card. benedict. M. j.

sem. anisi,

fenicul. an. Unc. ℞.

flor. bugloss.

genist.

centaur. minor. an. M. j.

Macerentur omnia in aq. borrag.

℞. iij. vini ℞. iij. postea co-
lentur.

Colat. add. succ. fumar.

cochlear. ℞. ℞.

erohisc. decapper. Unc. j.

Destillentur. Destillatum exhiberi
 potest vel solum, vel cum sirupò bor-
 rag. aut alio, aut etiam addi oxymel
 scillitic. vel ꝑrum Glatum.

Electuarium:

℞. Conserv. cicbor.

meliss.

borrag.

bugloss.

card. bened. an. Unc. j.

cortic. citri, condit.

rad. condit. helen. an. Unc. ℞.

spec. diarrhod. abbat. Drach. j.

confect. Alkerm. Drach. ℞.

Cum sirup. byzantin. simpl.

F. Electuarium.

De quo sumat æger Unc. ℞. vel
 Drach. vj. & superbibat aquam borra-
 ginis.

Electua-
rium.

Purgantia.

Postquam aperientia & præparan-
 tia hæc aliquot diebus sunt exhibita,
 quarto vel quinto die purgatio insti-
 tuatur. Et quidem purgantia sunt mi-
 tiora. Cras sæpe non fortiora, quam
 sirup. rosar. solut. cum aq. roris Maja-
 lis (utpote quæ longè subtilior est reli-
 quâ aquâ, ita ut testæ ovi inclusa Soli-
 que meridiano exposita, & calefacta
 statim evaporet) confectum, additâ
 mannâ dilutâ infuso flor. persicor. ex-
 hibet. Et talia mitiora sæpe, & diu
 con-

Aqua.

continuanda sunt. Licet tamen interdum & fortiora exhibere.

Maximè verò utiles sunt clysteres sæpius repetiti; sed non admodum acres; verùm mediocres, & simul flatus discutientes.

Potiones:

Potiones.

℞. Polypod. q. Drach. vj.
 cortic. citri Drach. ij.
 fol. fen. Drach. v.
 rhabarb. Drach. ℞.
 epithym. Drach. iij.
 flor. borrag.
 bugloss. an. P. ij.
 caryophyll. num. iij.
 sem. fenicul.
 anis. an. Scrup. j.
 cinamom. Scrup. ℞.
 passular. Unc. ℞.
 el. diapban. Drach. ij.

Infund. in suffic. quant. seri lactis.
 Colatur. ℞. Unc. iij.

℞. sirup. de pomis Regis Sabor.
 Unc. j.

M. F. Haustus.

Vel ℞. Radic. aperient. vino preparat.
 Unc. j.

scorzoner. Unc. ℞.
 cortic. amarisc.
 fraxin.
 citri, an. Unc. ℞.

meliss.
 ceterach,
 chamadr. an. M. ℞.
 flor. borrag.
 bugloss.
 sambuc.
 genist. an. P. j.

L. I.

sem. endiv.

portulac.

agni. casti,

anis. an. Drach. j.

rad. helleb. nigri preparat.

glycyrrh. an. Unc. ℞.

passular. major. Unc. j.

Coqu. in aq. simpl.

In Colat. infund. fol. fen. Unc. ij.

zedoar.

galang. an. Drach. j. ℞.

Colat. ℞. Unc. xiiij.

adde sirup. de epithym.

de pom. Reg. Sabor, an. Unc. ij.

F. Potio pro 4. dosibus, quæ aromatizetur spec. lætitiæ Galeni, aut diambri.

Alia: ℞. Infusion. rosarum fact. in aq. endiv.

& fumar. aq. part. Unc. ij.

aq. anisi,

cuscuc.

flor. borrag. an. Unc. j.

fol. sena el. & vino albo irrorat.

Drach. v.

passular. minor. Drach. ij.

rad. glycyrrh. rasa,

sem. anisi,

coriand. prepar. an. Scrup. ij.

caryophyllor. num. iij.

Bulliant omnia tribus ebullitionibus vase tecto, tunc adde

rhabarb. opt. Drach. j.

el. de succo rosar. Drach. ij.

diaphenic. Drach. j.

pulv. santali citr. Scrup. j.

Relinquantur per noctem in infusione loco tepido; postea fortiter exprimantur per linteum, Fiatque Potio, quæ detur manè tribus horis ante partum in humoribus mistis.

D d d

Sirup.

Sirupi.

Donatus Antonius ab Alto Mari
hunc Sirupum valdè comendat, quem
& alii laudant:

℞. Hyssop.
sampsuchi.
serpilli.
melissophyll.
betonic. an. M. ℞.
borrag.
lupul.
scotopendr.
fumar.
capill. Veneris, an. P. ℞.
rad. cichor.
borragin.
fœnicul.
cappar. an. Unc. iiii. j.
absinth.
cortic. citr. an. M. j.
fol. sen. elect.
polypod. q. an. Unc. ij. j.
puleg.
flor. chamamel.
centaurii minor. an. Drach. ij. j.
chamadr.
chamapit. an. Unc. ij. j.
junc. odorat. (id est, schœnanth.)
spic.
anis.
fœnicul.
asar. an. Drach. j.
passular. enucleat. Unc. j. j.
Coquantur. sa.
Colaturæ ℞. ℥. iiii. j.
add. succ. pomor. dulcacidor.
rosar. & malor. punicor. acidor.
an. ℥. ℞.
borrag. & fumar. deparat. an. ℥. j.
sacchar. q. f.

F. Sirupus, de quo æger sumat Unc.
iij. unâ vice, & superbibat parum aquæ
lupul. & borrag.

℞. Rad. scorzoner.
polypod. q. an. Drach. .vj. j.
bugloss.
cichor.
cortic. amarisc.
citri, an. Unc. ℞.
ceterach.
chamadryos.
meliss. an. M. j.
thymi.
epithym. an. Unc. ℞.
flor. sambuc.
genist. an. M. ℞.
sem. fœnicul. Drach. ij. j.
bellebor. nigr. Styriac. preparat.
Drach. iij. j.
glycyrrhiz. Unc. ℞.
passul. exacinat. Unc. j. j.

Coqu. in aqua pura.

In Colat. infundantur

fol. sen. elect. Unc. ij. j.
follicul. senæ Unc. j. j.
radic. giatapa.
rhabarb. an. Drach. j. j.
turbit. el. Drach. ij. j.
flor. borrag.
bugloss. an. M. ℞.
stœchad. Arab. P. j. j.
cinamom. Scrup. j.
spic. Indic. Scrup. ℞.
caryophyll.
zedoar. an. Drachm. j. ℞.

Colatur. ℞. ℥. j.

acet. scillit. Unc. ij. j.
succ. borrag. vel pomor.
Unc. iij. j.

sacchar. ℥. ℞.

Coqu.

Coqu. ad julep. vel sirup. fluidior. consistentiam, de quo singulis diebus æger manè Unc. iij. vel iij. vel q. s. sumat ad daturq; singulis dosibus ol. anis. vel cinamom. vel citri gutt. j. idq; continueretur 4. diebus, quinto æger quiescat, hinc ad usum sirup. redeat, donec planè absumptus sit.

Est & hic Sirupus, ut in omni, ita etiam in Melancholia hypochondriaca utilis:

℞ Polypod. q. ℞. ℞.
bugloss.
borragin.
melissophyll. an. M. j.
cyperi.
cappar.
acori,
asar. an. Unc. j.
fena,
epithym. an. Unc. j.
sem. lactuc.
endiv. an. Unc. iij.

Pulverisata omnia præter senam & epithymi, quæ reserventur, ebull. in s. q. aquæ ad consummat. medii. In fine decocto adde senam & epithym. & mox removeatur ab igne. Postea colentur. Colaturæ adde sacchari q. s.

℞ Sirup. s. a.

Sumatur 6. diebus continuis.

Et quia aliis aliæ formæ medicamentorum magis arrident, potest etiam talis Nodus parari:

℞ Rad. polypod. q.
scorzoner. an. Drach. ij.
fol. sen. Unc. j.
rad. gialapa Drach. ij.
hellebor. nigr. prepar. Drach. j. ℞.
zingiber.

cortic. citr.

galang.

zedoar. an. Drach. j.

sem. anis.

fenicul.

flor. anthos.

bugloss. an. P. j.

Ligentur in nodulo, qui in cerevisia suspendatur. Ne reliquorum medicamentorum sapor ingratus percipiatur, aliquid absinthii addere licet.

Vinum.

Commendatur & vinum purgans, quod Zwingero adscribitur: vinum purgans.

℞ Rad. aperient. an. Unc. ℞.

bugloss.

cardui benedict.

absinth. an. M. ℞.

sem. fenicul. Unc. ℞.

fol. sen. elect. Unc. j. ℞.

agaric.

¶ Pri alb an. Unc. ℞.

zingiberis,

cinamom. an. Drach. j.

Infundantur in vino, de quo cyathus unus vel duo, prout opus fuerit, manè & vesperi, ante cibum, vel manè saltem per dies plures sumatur.

Vel ℞ Fol. sena el. Unc. ij.

rhabarb. opt. Drach. ij.

rad. mechoacanna vel gialapa

Drach. j.

cors. rad. hellebor. nigri prepar.

Unc. ℞.

fol. fumar.

cuscute.

scolopendr.

ceterach,

℞ d d 12

meliss.

Cerevisia purgans.

meliss.
 flor. cordial.
 flor. rorismar. an. P. ij.
 sem. anisi,
 feniculi, an. Drach. ij.
 cinamom. Drachm. j.
 limatur. chalybis præpar. Unc. ß.

Incisa & contusa ligentur omnia in
 sindone pro nodulo, qui in lb. iiij. vi-
 ni Rhenani injiciatur, de quo vino me-
 dicato quatuor horis matutinis ante
 prandium quotidie Unc. ij, præter
 propter exhibeantur.

Pulveres.

Pulveres. Tenuioris fortunæ homines utan-
 tur pulv. sen. præpar. juxta descriptio-
 nem Montagnanæ; qui acui potest gr.
 iiij. vel iiij, diagryd. pro natura ægri.

Vel sumatur pulveris sen. præparat.
 Drachm. j. vel Scrup. iiij.

℞. *Crystallo.* ꝑi Unc. ß.
 sol. sena. Alex. Drach. v.
 rhabarb. el.
 agarici trochisc. an. Drach. ij.
 scammon. præpar. Drach. j.
 turbit. alb.
 hermodactyl. an. Drachm. ij.
 cinamom.
 galang.
 mach. an. Drach. ß.

Misce pro pulvere, de quo Drach. j.
 in liquore, vel jusculo propinetur.

Pilula.

Pilula.

Aut usurpentur Pilul. græcæ à Quer-
 cetano descriptæ, vel de Ammoniaco.
 Platerus has commendat:

℞. Aloes Drach. ij.
 myrrb. Drach. ß.

epithym. Drach. j.
 rad. gentian.
 asari, an. Drach. ß.
 gummi. ammoniac. aceto. dissolut.
 Scrup. j.
 sem. petroselin. Drach. ß.
 rhabarb. el. Drach. j. ß.
 spic. Scrup. j.

Cum succ. absinth.

F. Massa, de qua æger alternis, vel
 tertio quoque die sumat Scrup. ij. vel
 etiam plus, si copiosius purgare libeat
 & liceat.

Idem & has commendat:

℞. Aloes succorrina Unc. j. ß.
 rhabarb.
 agaric. an. Drach. j.
 zingiber.
 mastich.
 gentiana, an. Scrup. j.
 ammoniac. aceto dissol. Drach. ß.
 succi absinthii inspissati (extractum
 efficacius est)
 centaur. min. an. Scrup. j.
 limatura chalybis vel croci
 Drach. ß.
 terebinthina Cypria q. s.
 ℞. Pil. Dosis Drach. ß.

Quibus Electuaria vel Boli arrident, *Electuaria*
 fumant el. diacathol. diasena vel in *& Boli.*
 bolo, vel in tero lact. dissoluta. Mul-
 tum in hoc morbo valet extract. helle-
 borinigris, quod in pilul. formari, vel
 alio modo exhiberi potest. Ventriculi
 tamen in purgantibus in primis habenda
 est ratio, præcipuè iis, qui cruditate
 acidâ laborant; & cavendum ne nimio
 purgantium medicamentorum usu is
 amplius debilitetur.

Vomi-

Vomitoria in assuetis etiam repeti possunt, & pro ægri tolerantia nunc leniora, nunc fortiora usurpanda. Vomitu enim excrementitii humores circa ventriculum & loca vicina hærentes non raro excutiuntur, qui purgantibus per alvum evacuari non poterant.

Ut R. Rad. asar. Drach. iij.

sem. atriplicis Drach. j.

agaric. Scrup. ij.

fl. geniste.

sambuc. an. P. j.

Coq. in hydromel. ad Unc. vj.

adde oxymel. f. Unc. jss.

℞. Vomitorium.

Purgatione hoc modo peractâ, iterum aperientia, incidentia, attenuantia usurpanda. Et cum purgantia viscera non nihil calefacere soleant, & aliâs in hoc affectu epar & venæ mesaraicæ plerumque sint calidiores, addantur medicamenta, quæ p. n. illam venarum mesaraicarum caliditatem, & siccitatem emendent; quos scopos omnes explere poterit feri lactis caprini usus aliquot diebus, octo scilicet aut 14. continuatus. Et ne ullum damnum afferat, & magis sit efficax, pulveres vel pilulæ convenientes aut serum usurpentur.

Ut R. Rad. filicis maris.

quinque sol.

absinth.

carduibened.

chamadryos,

ceterach,

agrimon. an. Drachm. j.

℞. Cum sirup. acetos. citri.

℞. Pilulæ majores, quarum 6. vel 10. singulis vicibus ante serum haustum sumantur.

Velex pulv. horum omnium fiat extractum, de quo ante usum feri lactis. Scr. ij. forma pilul. vel aliâ æger sumat.

Vel usurpetur cum sero lactis extract. carduibened. veronic. meliss. ceterach, & similibus. Ita enim major vis aperiendi & penetrandi conciliabitur sero, & minus refrigerando nocebit.

Necessarium verò est, ut sumatur majore copiâ, præsertim ventriculo non admodum debili, nimirum ad ℞. iij. vel etiam plures, & ebibatur calix unus post alium pitissando, & post usum feri deambulandum, ut in profundiora corporis sese insinuet, & materiam, quæ obstructions facit, per alvum & urinas deducat. Neque magna feri copia pertimescenda. Si enim per venas penetrare, & iterum per alvum, & urinas statim dejici debet, magna copia requiritur; in minore verò nihil præstat eodem modo ut thermæ & acidulæ in majore quantitate ebibuntur.

Ne tamen ventriculo damni aliquid inferatur, sacculis, unguentis, & emplastris convenientibus roboretur. Et post usum feri singulis diebus manè & vesperi sumatur de elect. seq. portio, quæ quantitate nucem juglandem æquet.

℞. Conserv. bugloss.

borragin. an. Unc. j.

rosar.

anthos, an. Unc. ℞.

sp. diarrhod. abbat.

diatrion. santal. an. Drach. ℞.

margarit. prepar. Scrup. ij.

lign. aloes Scrup. j.

Ddd 3

corrio.

cortic. citri condit. Unc. ℥.

confect. alchem. Drach. ℥.

Cum *sirup. de pomis*

F. Ele&uarium.

*Absinthij
utilitas &
usus.*

Utile est & absinthium per dies 30. vel 40. exhibitum post purgationes in vino generoso non austero; cum absinthium ipsum per se satis adstringat. Nimirum in vini ℥b. iij. macerentur absinth. M. ij. & singulis diebus unum atque alterum cochlear exhibeatur.

Vel cerevisia aut vinum absinthites paratur simpl. vel compos.

Rx. Cortic. tamarisc.

frangula,

asaraparill. an. Unc. ij.

absinth. M. v.

epithym.

meliss. an. M. j.

gr. junip. Unc. j.

flor. genist. Unc. ℥.

Concisa, & contusa sacculo includantur, & in musto, vel recenti cerevisia defervcant.

Utiles etiam sunt trochisci de cappar. de absinth. additis iis, quæ virtutem cordis, & cerebri roborant; ut sp. diamb. cordial. temperat. de gemm. de hyacintho, lætitiæ Galen. Rhaf. hyme, & vere incipiente, corpore evacuato, theriacæ vel Mithridatii aliquid cum refrigerantibus mistum exhibeatur.

Ut Rx. Theriac. Scrup. j.

conserv. rosar. Drachm. ij.

Misc.

Ægerq; omnibus aliis medicamentis eo die abstineat.

Vel *Rx. Conserv. rosar.*

borrag. an. Drach. ij.

Mithridat. Drach. ℥.

sp. lætificant. Rhaf. Scrup. j. M.

Chymici ad intentionem istam complendam cremore & crystall. ꝑri, ꝑro Glato, sp. ꝑri compos. quam vulgo misturam simplicem vocant, utuntur.

Plurimum quoque ad obstructions *Chalybis* hypochondriorum aperiendas commendatur non solum à Chymicis, verum etiam à Galenicis, chalybs præparatus, aded ut Jul. Cæs. Claudius, *respons. 29.* proprium melancholiæ hypochondriacæ alexipharmacum chalybem nominet, quoniam continuus illius usus semper felicem in ægri finem sit affectus; siquidem in referendis obstructionibus, in quibus omnis melancholiæ curandæ cardo vertitur, nulli medicamento cedit.

Cum verò chalybs non solum vim aperiendi, sed & adstringendi, & fluxus sistendi habeat, prout diverto modo præparatur, chalybs præparatus aperiens usurpetur. In primis hic utilis est tinctura chalybis; de qua re. plura dicentur suo loco de affectibus hypochondriacis in genere.

Commendatur & seq. Ele&uarium de chalybe D. Kolreuteri:

Rx. Limat. chalyb. tenuiss. ℥b. ℥.

Superfund. acetum vini acerrimum, quantum imbibit. Stent 24 hor. postea, ubi exiccata reperitur, aliud affundatur simili modo, sin minus, ad prunas in lebece vitreato incrustato agitata terant, donec perfecte exiccetur, & tum acetum, ut primò factum est, affundatur, & hoc fiat tertio, id est, tribus diebus continuo, postea perfecte

Et̄ exiccata aceto scillitico in marmo-
re, vel alio duriore lapide teratur, & in
livorem redacta, exiccataque sumatur,
& add. pulv. subscript. totum.

℞. Rad. ireos Drach. ij.

zingib.

lapath. acuti.

cyclamin.

eryngii.

bryon. an. Unc. j.

fol. ceterach;

scolopend.

betonic.

ruta.

chamadyros.

chamapit.

agrimon.

calaminth.

galanga.

caryophyll.

macis.

lign. aloes;

zedoar.

Dorontici, an. Drach. ℞.

℞ic. Ind.

croci. an. Scrup. ℞.

cort. rad. cappar.

fraxini.

fagi.

salic.

tamarisc.

caß. lign. ver.

costi dulc. an. Scrup. ij.

visci q. Drach. ℞.

cinamomi Drach. iij.

ammeos;

cardamomi;

cymini aceto macer.

coriand. praparat.

sem. agni casti.

petrosel.

melanch.

portul. an. Drach. j.

stler. mont. Drach. iij.

anise Scrup. iij.

F. Pulvis tenuis. Huic chalybs totus
præparatus commisceatur, & cum mel.
le purissimo, despumato, ac tertia parte
oxymel. scillit. & sir. è cich. c. rhab. F.
Electuarium.

Utiles etiam, & magnę efficacię sunt
in melancholia hypochondriaca *Acidula.*
Acidulæ: utpote quæ lienem & venas me-
saraicas aperiunt, ac sine omni molestia
omnis generis vitiosos humores per al-
vum copiosè educunt; quales sunt
Egranæ & Schvvalbacenses.

Eadem, quæ acidularum, & *Therma.*
Thermarum ratio est. Etsi enim externus ther-
matum usus in melancholicis, qui ple-
rumque macilenti atque exsuccisunt;
raro commodus sit, & metuendum, ne
corpus amplius iis exsiccetur: tamen, si
bibantur, eadem ratione, quæ acidulæ;
profunt: cum ob mineralia, à quibus
suas vires habent, & primas vias eluant;
& vitiosos humores, qui in iis hærent;
per alvum & urinas educant, ventricu-
lum calefaciant, epar & lienem robo-
rent. *Thermæ*; quæ in hoc affectu con-
veniunt, sunt Aponenses, in agro Pata-
vino, & Aquarianę, Regio Longobardo
25. miliaribus distantes: *thermæ* S. Ca-
siani in Italia, Badenses Marchionis, &
Ferinæ in Germania.

Ubi nec acidularum, nec thermarum
copia habetur; serum lactis ca-
prini eorum loco usurpetur, cum
succo cichorii & fumariz; ac si fla-
tulentia ejus metuatur, dum igne
depuratur, aliquid seminis corian-
di

dri & ligni sassafras addi potest. Vel medicamenta ex chalybe aliquot diebus continuetur.

*Topicorum
usua.*

Neque interim externa & Topica omittenda sunt, sed extra etiam usurpanda, quæ obstructions aperiant, ac flatu discutiant, ut fomentationes lienis, præcipuè ex flor. chamæmeli, genistæ, melilot. sambuc. fol. & rad. malv. althææ, rutæ, calaminth. pulegii, ceterach, radic. filic. cortic. rad. cappar. tamarisc. & similibus.

Unguenta etiam ac linimenta, vel emplastra lienii applicentur; de quibus de lienis affectibus atque affectione hypochondriaca in genere dicitur.

Hoc saltem hic non prætereundum censemus: post corporis purgationem utile esse aq. dulcis tepidæ balneum, in qua fol. viol. malv. althææ, mercurial. brancae ursin. fl. chamæm. meliloti & similia cocta sint.

*Viscerum
corroboratio.*

Tandem quæ viscera roborant; usurpanda, non solum in fine curationis, sed & medicamentis præparantibus, & purgantibus per intervalla subjungi debent, ut ira caput & viscera ad nativam constitutionem & temperiem reducantur.

Pro corde & cerebro roborando jam antea medicamenta propofita sunt. His addi possunt & hæc:

Commendatur in primis Smaragdus, & potus, & collo gestatus, ut in omni melancholia, ita & hic, ejusdemque tinctura, ut & sapphiri, & coralior.

*Rx. Aq. flor. borrag. in B. destill. Unc. iv.
cinamom. Unc. ß.*

margarit. præpar. Drach. ij.

smaragdi præpar. Drach. j. ß.

Misceantur in mortario marmoreo.

F. Liquor potabilis instar emulsionis. Vel sumantur margaritarum & smaragdi præparat. loco horum magisteria. Detur unum atque alterum cochlear ingruente paroxysmo calidè.

Rx. Sp. arom. rosar.

diamb. an. Drach. j.

margarit. præpar. Scrup. j.

ambr. gr. iv.

ol. destill. macis,

caryophyl.

citri, an. gutt. ij.

sacchar. in aq. cinam. Unc. ß.

borrag. l. q. dissol. Unc. iij.

F. Rotulæ.

Efficax est & hoc in paroxysmo Hypochondriaco: *Mixtura
& Electu-
aria.*

Rx. Essent. melissæ Drach. ij.

Zedoaria Drach. ij.

spir. rosar. Scrup. j.

julebi rosar. Unc. ij.

sirup. tunicis Unc. j.

succ. recent. citri,

granator. dulc. ana

Unc. ß.

Ut & hæc rotulæ:

Rx. Ol. nuc. mosch. destill. Scrup. ß.

confect. alkermes,

extract. pæonia, an. Scrup. j.

calam. arom. Scrup. ß.

margarit. præparat. Scrup. j.

corall. rubr. præpar. Scrup. ß.

ol. carvi gutt. iij.

sacch. in aq. pæonia & melissæ dis-

sol. Unc. vj.

F. Rotulæ.

Est & hæc aqua efficacissima:

Rx. Rad.

Rx. Rad. bugloß.
 borraginis, an. Unc. jß.
 pœonia,
 cortic. citri, an. Unc. ij.
 rorismar.
 meliß. an. M. j.
 flor. borrag.
 bugloß,
 stœchad. Arab. an. Unc. ß.
 sem. basilic.
 croci,
 cinamom.
 caryophyll. an. Drach. j.
 confect. alkerim. Drach. ij.
 aq. bugloß.
 borrag. an. Unc. iiij.
 vini Rhenani ßb. ij.
 Stent infusa, destillentur.

Felici etiam cum successu exhibere licet sequentem pulverem, dosi, quantum apice cuktelli bis capi potest, sub lecti ingressum.

Rx. Pulv. smaragd.
 hyacinth.
 margarit.
 corall. prepar.
 scobis eboris,
 boli, Armen. an. part. æq.
 Misc. F. pulvis.

Vel cum tryphera Mesuæ in formam Electuaril redigantur.

Hoc quoque in obstructione venarum mesaraicarum profuisse deprehensum est.

Rx. Spec. diarrhod. abbat.
 diatrion. santalon,
 rosat. novell. an. Unc. ß.
 diapienid. Drachm. ij.
 fl. cuscus.
 beton.
 L. I.

hyperic. an. Scrup. ß.
 sem. fenic. Drach. ß.
 cinamom.
 spic. an. Scrup. ß.
 spodii.
 santal. rubr.

alb. an. Scrup. j.
 Cum sir. de epithym. & endiv. an. q. s.
 F. Electuarium.

Vel Rx. Conserv. rorismarin.
 majoran.
 meliß.
 borrag. an. Unc. j.

margar. prepar.
 hyacinth. prepar.
 confect. alkerim. an. Drach. ß.
 cortic. citr. condit. Unc. ß.
 cinamom.

caryophyllor.
 macis, an. Scrup. j.
 Cum sirup. tunic.
 F. Electuarium.

Vel Rx. Conserv. anthos,
 meliß.
 bugloß. an. Unc. j.

calam. aromat. condit.
 cortic. aurant. condit.
 rad. cichor.

eryng. conditarum, an. Unc. ß.
 trochisc. de cappar. Drachm. jß.
 nuc. in India condit. Drach. ij.
 nuc. in India condit. Drach. ij.
 cinamom.

macis, crasso. modo concisorum,
 an. Scrup. j.
 ol. citr. gutt. iiij.

Cum sirupo borrag.
 F. Electuarium.

Vel confect. de hyacintho Scrup. ij.
 vel Drach. j. sæpe exhibeatur.

Pretiosa quidem, sed utilis est hæc
 Eec mistura,

mistura, multumque facit ad vapores melancholicos discutiendos.

℞. *Conserv. tunic.* Unc. j.
rosar.
confect. alkermes, an. Unc. ℞.
lapid. Bezoar, Scrup. j.
succin. alb. pulveris. Scrup. ij.
Cum sirup. de cortic. citr.
 F. Eleotuarium.

Si vigiliæ sint molestæ, lotiones pedum & manuum, item unguenta, & alia supra proposita usurpanda.

Aqua de Billata. Commendatur & hæc Aqua in melancholiâ hypochondriaca:

℞. *Cor cervi* num. j.
fol. melis. M. j.
basilic.
menth.
ceterach,
fl. borrag.
bugloss.
violar.
tunic. an. M. ℞.
anthos,
lavend. an. P. j.
sem. basilic.
coriandr. prepar.
anisi,
citri, an. Drach. j.
macis,
santal. citr.
cinamom. an. Drach. ij.
saryophyll. Drach. j.

Concisa & contusa macerentur in vini malvat. ℞. j.
aq. borrag.
bugloss. an. ℞. ij.
melis. ℞. j.

Fiat Destillatio in Balneo.

Exhibeantur Unc. ij. cum sirup. violar. tunic. vel borrag. Unc. j.

Reliqua, & inter ea etiam quæ Chymici exhibere solent, proponuntur *libro tertio.*

Dieta.

Quod in omni curatione verum est; in hujus affectus curatione verissimum: Omnia medicamenta frustra usurpari, nisi diligens diætæ ineatur ratio. Et omnium Medicorum testimonio, atq; ipsâ experientiâ teste, nihil ad hoc malum curandum est magis necessarium, aut plus confert, quam bona diætæ. Ergo causæ omnes, è quibus malum hoc provenire supra diximus, sedulo vitandæ sunt: cibi nimirum omnes crassi, & vitiosi succi; ac usurpandæ potius carnes gallinarum, vitulina, agnina, hædina, vervecina: inter pisces, lucius, perca, & saxatiles. Panis sit albus, bene, non tamen nimis, fermentatus; vinum album, tenue, cerevisia clara, & defecata. Commodum est, si primus haustus semper sumatur devino, vel cerevisiâ melisâ, absinthio, carduobened. borrag. & simil. medicatâ. Aromatum usus nimis noxius; quod caliditate, siccitate & acredine jecur & sanguinem plus, quàm par est, calefaciunt, & venas melaricas exsiccant. A cibo tamen medicamento aliquo peptico uti interdum utile est.

Ut ℞. *Sp. aromat. rosar.* Drach. j.
succin. alb. pulver. Drach. ℞.
ambr. gr. viij.
mosch. gr. ij.
ol. nuc. mosch. destill. Scrup. ℞.
conserv. rosar.
rubr. Drach. ij.

sacchar.

Cibus & Potus.

Sacchar. in succo cydonior.
dissol. Unc. iv.
F. Morfuli.

Et sunt tales formulæ passim notæ. Cibi quoque assumantur eâ quantitate, quæ ventriculo nullam in coctione molestiam pariat; nec novi assumantur, priusquam priores è ventriculo in ventrem descenderint. Varii quoque & multi cibi simul assumpti hoc malum non parum augent. Alvus ut laxa semper sit, operatur. Mæstitia & curæ nimix vitentur. Plura de diætæ ratione in hoc malo videantur in consilio Petr. Andr. Matthioli, quod est 182. *Consil. à Scholtzio collect.* Diligenter etiam, & prolixè de Melancholia Hypochondriaca tractat D. Balthas. Brunnerus *Consil. 6. 7. 8. 9. 10. 11.* qui videatur. Et dicentur plura huc conferentia infra, *libr. 3. de aff. hypochondriaca.*

*Excretæ
 & animi
 pathemata*

pravis in utero cumulatis vapores melancholici ad cerebrum elevantur, qui varia symptomata inducere solent.

Causa proxima hujus mali, ut in hypochondriacâ, etiam est Vapor, qui & *Melanche-* cor anxium reddit, & spiritus animales *ro causa* obfuscat, obscurat, atque inquinat, atq; *proxima.* ita mæstitiam, timorem, & delirium parit.

Quod èd facilius in fœmi- *Causa an-* nis accidit, quod naturâ sint dejectiani- *recedens,* mi, & præcipuè in viduis, quas animi *& remota.* mæror & curæ cruciant. Verùm symptomata hæc non sunt continuâ, sed tamdiu durant, quamdiu vapor, qui proxima est causa, adest: quo discusso symptomata remittunt, & evanescent, donec novi ad caput eleventur: quod ex co. patet, quòd, dum vapor ille quiescit, satis hilares sunt ejusmodi fœminæ, nec ulla melancholiæ signa exhibent; mox commoto, & agitato humore, & vaporibus ad cor & cerebrum elevatis, subito mærore corripuntur. Docuit ista omnia eleganter Hippocrates, in *lib. de morb. virgin.* dum ita scribit: Est muliebris natura animi magis dejecti & imminuti. Caterùm virgines nubiles & matura viro hoc magis patiuntur una cum mensium descensu, antea non valde his affecta. Postea enim sanguis in uterum confluit, veluti effluxurus. Cum igitur osculum exitus non fuerit apertum, sanguis autem amplius influxerit, propter cibos & corporis augmentum, tum sanguis non habens exitum reflit ad cor, & septum transversum. Cùm igitur hæc repleta fuerint, cor satuum fit, deinde ex fatuitate torpedo; postea ex torpedine delirium apprehendit.

CAPUT. XIII.

*De Melancholia ex
 Utero.*

Tertia Melancholiæ per consensum species est Melancholia ex Utero; quæ quidem duplici modo generatur. Vel enim sanguis melancholicus per menses evacuari solitus exitum non habens regurgitat, & aut in hypochondriis, aut vasis totius corporis cumulat, unde melancholia per consensum totius, aut hypochondriaca oritur, de quibus antea dictum; vel in ipso utero à sanguine retento vitiosa dispositio inducitur, & ab humoribus

Malum nimirum hoc virginibus jam nubilibus familiare est, cum sanguis ad uterum confluens, ibique exitum quærens, exitum non invenit. Deinde viduis, imprimis ob curas & mœrorem animi, in quem ob mariti obitum pleræque conjiciuntur: ut & aliis fœminis, quibus menses, aut post partum purgationes, ex aliqua causa evidente supprimuntur, aut non rectè fluunt.

Signa Diagnostica.

Melancholia ex Vtero signa diagnostica

Fœminæ hoc malo laborantes sunt mœstæ, cogitabundæ, timidæ & anxie citra causam manifestam, nullâque re delectantur, vel gaudent, sed tædio habent omnia, amantque solitudinem, sed cum suo incommodo. Et quidem hæc patiuntur per intervalla quædam, in quibus cum aliis melancholicis conveniunt. Sunt autem alia non pauca, quæ à melancholia per essentiam, tum reliquis melancholiæ per consensum differentis, eam discernunt. Nimirum præter hæc omnia symptomata accidunt fletus & risus, non satis possunt verbis exprimere, quid mali sentiant, sed cõqueruntur, & multa proferunt, ex quibus, quid mali patiantur. Medicus vix certò colligere potest. Conqueruntur de dolorib⁹ variis, tum præcipuè sinistri lateris, è regione cordis, qui universam mammam aliquandoprehendit, imprimis verò de manifesto pulsu in dorso circa diaphragma, qui accidit ob arteriæ magnæ eò loci p.n. vehementem pulsationem. Nam cum sanguis circa uterum hærens insendatur, communicatur id malum

non solùm venæ cavæ, sed & arteria, quæ juxta dorsum est, venæ cavæ malorum sit particeps. Habent præterea somnia tumultuosa: alvus in quibusdam supprimitur, in quibusdam pauca reddit: menses supprimuntur, vel parcius fluunt.

Prognostica.

1. Quò diutius hoc malum durat, eò ^{Prognostica.} curatu difficilius.
2. Nisi maturè huic malo occurratur idoneis remediis, in maniam periculosam plerumque transit.

Indicationes.

Cum à suppressa sanguinis evacuatio- ^{Indicationes.} ne malum hoc ortum habeat. 1. Sanguis superfluis imminuendus & evacuandus. 2. Hinc humor melancholicus, qui ex sanguine suppresso generatus est, præparandus & evacuandus. 3. Sanguinis superflui in utero & vicinis locis congestio præcavenda. 4. Animus à tristitia ad hilaritatem avocandus, cerebrum & cor roborandum.

Curatio.

Venæ Sectio.

Sanguinis imminuitur venæ sectio- ^{Sanguinis} ne & cibi detractio. Venæ sectionem ^{per venam} quod attinet, si tempus, quo menses ^{sectam} fluere solent, adhuc longius absit, vena ^{missio.} basilica, vel mediana in brachio aperiatur. Si verò mensium fluxus jam insitet, aut nuper præterierit, vena in pede secetur. Et commodissimū quidè est ad melan-

melancholiam hanc tum curandam, tum præcavendam, duobus, tribus, vel 4. diebus ante confuetum mensium fluxum venam in talo aperite. Ad sanguinem imminuendum utile est cibi aliquid detrahere, & cibum tenuis substantiæ præbere, ut crassi humores vasa obstruentes attenuentur.

Purgatio.

Purgatio.

Sanguine evacuato, si constet ex signis, scilicet si affectio diutius duraverit, quod mores aliquo modo immutati sint, ægerque cogitationibus absurdis, & melancholicis resistere nequeat, jam humoris melancholici aliquid accumulatum esse, id quod ferè semper accidit; is præparandus & evacuandus. Quod quâ ratione fieri debeat, ex capitibus duobus præcedentibus satis patet: ideoque pauca hac de re addemus. Cum foeminarum natura fortiora purgantia non ferat; humor verò contumax sit, mitiora medicamenta, sed frequentius, usurpanda. Exhibendæ scilicet pilulæ ex aloe, agarico, mastich. & foll. senæ paratæ. Vel exhibeatur confect. Hamech. s. scammon. & colocynthide facta; vel serum lactis, in quo fol. senæ & flor. cordiales macerati sint.

Pilula.

*Electuaria
Infusa.*

Sirupi.

Vel fiat Sirupus:

℞. Rad. polypod. q.
scorzoner. an. Unc. j.
fol. sen. elect. Unc. iij.
flor. cordial. an. M. ℞.
cortic. citr. Unc. ℞.
zedoar. Drachm. iij.

Infund. in aq. borrag.

lupul.

meliss. an. Unc. x.

succ. borrag. depur. Unc. viij.

pomor. Unc. vj.

Postea leniter ebulliant.

Colaturæ adde rhabarb.

agaric. trochisc. ana

Unc. ℞.

Colaturæ adde sacchar. q. s.

Iterum parum bulliant, & colentur.

F. s. a. Sirupus.

Cui adde aq. cinamomi Unc. j. Datur ad Unc. ij. vel Unc. iij.

Si tamen morbus jam augmentum sumpserit, ita ut mediocria non sufficiant, cum ne movere quidem humorem tam crassum, fixum, ac stabilem possint; ad fortiora, elleborum nigrum, & lap. Lazuli ascendendum. Ideoque helleborismus Matthioli, & alia medicamenta purgantia capite præcedente proposita usurpanda.

Commendatur quoque hic pulvis: *Pulveres.*

℞. Epithymt Unc. ℞.

lap. Lazuli præpar.

agaric. trochisc. an. Drach. ij. ℞.

diagryd. vel extr. scammon. gr. xv.

caryophyll. num. xx.

fol. sen. Drach. vj.

sacchar. albi. ℞. iij.

F. pulvis.

Dosis Drach. ℞. vel q. s.

Ubi semel atque iterum purgatum est, antequam iterum ad purgationem accedatur, medio tempore medicamenta humorem melancholicum alterantia usurpanda, quæ hactenus proposita sunt.

*Alterantia
& Præparantia.*

Ee 3

Vel ℞.

Vel *Bz. Conserv. borrag.*
anthos,
meliss. an. Unc. ij.
cortic. citr. condit.
rad. bugloss. condit. an. Unc. ℞.
myrobal. chebular.
emblic. condit. ana
num. ij.
confect. alhermes Drach. j℞.
lap. Lazul. prepar. Drach. ℞.
spec. el. de gemmis, vel hyacinth.
Drach. j℞.

meliss. an. ℞. ij.
croc. opt. Unc. ℞.

Infundantur, & postea destillentur
 in balneo. Dosis cochlear unum ma-
 nè cum jusculo.

Et cum cor atque cerebrum simul *Cor & ce-*
 in hoc morbo afficiantur, ea etiam ro- *rebrū con-*
 boranda, & à vaporum melancholi- *fortantia.*
 corum injuria defendenda, ut, *capit.*
præced. dictum. Hoc saltem addimus,
 diligenter laborandum esse, ne habi-
 tualis frigiditas & siccitas cordi, cere-
 bro, vel etiam toti corpori inducatur.

Cum sirup. bugloss. F. Flectuarium.
 Simul & utero prospiciendum, &
 danda opera, ut menses, si subsistant,
 provocentur. Ideo hæc potio parari
 potest:

Quapropter medicamenta humidiora
 semper usurpanda: sicciora verò, qui-
 bus humor melancholicus exaspera- *Topica.*
 tur, vitanda. Ideoque nec externa,
 quæ caput & corpus humectant, ne-
 gligenda. Atque inter purgandum,
 & post purgationem aquæ dulcistepi-
 dæ balneum cum herbis humectanti-
 bus, & moderatè calefacientibus, usur-
 pandum: & si malum his medicamen-
 tis non cedat, ut à capite & corde ma-
 teria avertatur, fonticuli in cruribus
 excitentur.

Vitro ap-
propriata.

Vinum me-
dicatum.

Bz. Vini alb. ℞. vj.
aq. matricar. ℞. j℞.
dictam. Cret.
puleg.
calamint. an. P. j.
sabin.
rad. rubia, an. Unc. j.
galang.
cinamom.
macis.
sem. dauc. an. Drachm. iij.

Stent in infusione per diem inte-
 grum: postea colentur, & addatur li-
 maturæ chalybis præpar. ℞. ℞. atque
 in loco calido in vase vitreo bene clau-
 so asserventur per dies 10. Dosis ab
 Unc. iij. ad ℞. ℞.

Commendatur etiam valde hæc A-
 qua in uteri affectionibus è mensium
 & seminis retentione, & melancholia
 inde nata:

Bz. Succiborragin. depurati,

CAPUT. XIV.

De Melancholia Errabun-
da, Arabibus Kutubuth
dicta, & Attonita.

Melancholia Errabunda Medicis *Melancho-*
 dicta, ea melancholiæ species est, *lia Erra-*
 quæ plerumq; Februario mense ægros *bunda.*
 infestare solet; nomenque hoc accipit,
 quòd, qui eâ laborant, ne hõram in uno
 loco quiescere possunt, sed hinc in-
 de con-

de continuo vagantur, nescientes tamen quò vadant. Ab Arabibus vocatur *Kutubuth*. *Kutubuth*, ab animali, ut scribunt, quod in superficie aquarum stagnantium hinc inde perpetuo curfitat.

Causse.

Causam proximam hujus melancholiæ esse statuunt melancholiam naturalem aliquo modo adustam, & certum corruptionis modum adeptam: Nam si valde esset adusta, accederet furor. Alii censent provenire à bile adusta, melancholiæ non adustæ permixta, quæ in permissione talis, & peculiarem corruptionis gradum adepta est. Et quidem generatur per primum cerebri affectum, non per consensum. Infestat autem magis mense Februario, quòd ista peculiaris sit materiæ malitia, quæ autumno cumulata, & hyeme reservata, in fine hyemis sese exerit. Nonnulli etiam eo tempore astrorum positum concurrere putant: sicut certum est, pro vario siderum positu, nunchos, nunc illos humores moveri, & varios morbos inde excitari.

Signa Diagnostica.

Ægri, ut dictum, sunt in continuo motu, fugiant hominum consortia, loca solitaria amant, nec tamen sciunt quò vadant. Color corporis est citrinus; lingua sicca; ut valde sitientis, oculi sicci, concavi, nunquam lachrymanres, totum corpus est siccum & aridum, facies præ se ferens tristitiam. Tales melancholici timidiores sunt, quàm

alii melancholici, unde, ut dictum; solitudinem amant, motu magis vagantur, latebras circa mortuorum sepulchra, & alia loca solitaria quarunt. Homines obvios fugiunt, & si iis insperato offerantur, eos non aspiciunt, aut vident. Cujus rei procul dubio causa est, vel summus timor, ob quem omnia suspecta habent & fugiunt, vel quia objectis ab extra oblati non attendunt; cum phantasia eorum, & ratio circa phantasiam & species mente conceptas perpetuo sit occupata. Solitaria autem loca quarunt, ne turbentur in suis speculationibus, quas error phantasiæ offert; sicuti sani speculationibus dediti consortia hominum, ac objecta sensus irritantia fugere solent. Crura eorum plerumque ulceribus sciant, quæ non consolidantur; cum ob continuum motum melancholiæ ad crura descendat.

Curatio.

Curandi ratio ferè eadem est, quæ melancholiæ; cum unam cum ea causam, gradu saltem, & permissionis modo differentem obtineat. Ideoque humor melancholicus, qui in capite spiritus inquinat, & cerebrum ad spiritus similes generandos disponit, est alterandus & evacuandus. Deinde caput roborandum, & intemperies ejus ad naturalem constitutionem cephalicis humectantibus moderatè calefacientibus, vel potius temperatis deducenda; qua de re supra, *cap. 9.* dictum. Et imprimis hic utilis est sanguinis evacuatio, quæ copiosius, vel unâ vice, vel

scor

vel pluribus instituenda. Danda quoque imprimis opera, ut somnus concilietur; cum vix aliud ad malum hoc expugnandum vix faciat, quàm somnus. Medicamenta purgantia sæpe repetenda. Præcipiunt etiam hinc nonnulli Medici, ut ægri, si alia non profint, flagellentur, ut à pravis cogitationibus abducantur, & ratio ad se convertatur; deinde ut obedientes fiant. Verùm an id satis rutilum sit, dubito; cùm hic metus, qui in hac melancholiæ specie maxime viget, augeri, iisque aliquid periculi attrahi possit.

De Melancholia Attonita.

Melancho- Affectui melancholiæ errabundæ
lia Attoni- contrarius est Melancholia Attonita.
ca. Nam sicut in illa ægri vagabandi & inquieti hinc inde discurrentes locum, quo subsistant, non inveniunt: ita in hac omnia contrario modo sese habent. Nempe ægri quasi stupidi, & locomotivâ, sed apparenter solum, destituti, certo loco affixi & immobiles quasi hærent, jacentes se non erigunt, sedentes non assurgunt, stantes subsistunt, nec spontè pedes promovent, nisi vel ab amicis & adstantibus impellantur, & ad locum mutandum manuum operâ sollicitentur. Homines quidem non fugiunt: loquentibus tamen, licet attendere videantur, nihil respondent, surdis veluti auribus, quicquid monitum fuerit, prætermittunt, & quasi cogitabundi, & contemplatione aliarum rerum occupati, objectis visui, auditui, & tactui oblatis non atten-

dunt. Interim & dormiunt & vigilant per intervalla: cibum ori admotum comedunt, potum hauriunt, inque his & similibus satis tractabiles, vel non multum reluctantes existunt.

Est quidem hic affectus rarus: observatus tamen à Clarissimo Dn. D. Jacobo Jano, Sereniss. Elect. Saxon. Viduæ Lichtenburgi Medico, Amico meo singulari anno 1630. in viro triginta, & quod excurrebat, annorum, Ecclesiæ cujusdam pastore. Hic enim temperamento melancholicus verno tempore melancholia laborare cepit, tristiorq; subinde factus nihil quidem absurdum protulit: attamen quasi tentationibus vexatus, sed propter peccata (quæ in juventute commiserat, non atrociam, sed leviam planè) se cum Deo in gratiam redire non posse, sibi persuasum habebat, indignumque se reputabat, qui gereret munus Ecclesiasticum. Itaque desperabundi instar non tantùm totum tempus venum, sed & integram æstatem, qua aliquoties sibi ipsi, ut & uxori, violentas manus inferre tentavit, suaque interdum, & quasi per paroxysmum, *μετὰ πικρίας* agere visus est, miserè transegit. Tempore autumnali fervore illo in actionibus remittente, tristior præter modum factus est, semperq; tacens crebra solum suspiria ingeminavit. Amicis præsentibus, & variis consolationibus ægri miseriam lenientibus, interdum à melancholia & tristitia seriò dehortantibus, lubens quidem auscultare visus est: ad responsum tamen dandum, licet variis propositis interrogationibus continuo instigatus, per-

permoveri non potuit. Hanc tamen vocem aliquando edidit: Ah DEUS! Qua exceptâ aliquot septimanis non verbum ullum ex eo, licet sæpius interrogato, & ut loqueretur, monito, extorqueri potuit. Interim nocturno tempore dormiebat, bene manè evigilans cogitabundi instar in lecto immobilis jacebat, è lecto operâ uxoris elevatus, ab eadem vestibus induebatur, indutus stabat instar statuæ, manu capiti & temporibus sponte admotâ, quod præter modum tristes facere solent, suspirabat, impulsus, & manu deductus incedebat, ad scamnum vel sellam adductus sedebat: instigatus mensæ assidebat, cibum à conjugè in os insertum edebat, & cantharo ori applicato, quem monitus arripiebat, & tenebat, bibebat. Hic affectus duravit toto autumnò: media hyeme minui cepit, ita, ut tandem restitutus munus Ecclesiasticum iterum obiret; cui adhuc præest, tristior tamen, quia naturâ melancholicus longo tempore est deprehensus.

Causæ.

Causæ hujus mali à melancholia per consensum totius & cordis non multum differre videntur. Etenim hic humor melancholicus in toto cummulatus, illamque dispositionem, quæ melancholicum delirium inferre potest, acquirens, sibi similes vapores cerebro communicans, spiritus animales ita reddit fixos, & quodammodo immobiles, ut præter illa firmiter concepta & impressa phantasmata nulli fermè speciei phantasticæ efformandæ, & ra-

L. I.

tioni representandæ apti & idonei sint. Unde phantasia & ratio speciebus illis firmiter in hærentibus occupata, nec objectis aliis attendere, vel illa satis cognoscere potest. Hinc per consequens nullus rerum objectarum appetitus, & voluntarius ad illa motus, sed mera apparens stupiditas. Hoc enim sæpissime habet hæc melancholiæ species, quod causâ sit vehementior, utpote quæ non tantum tristitiam & delirium melancholicum inferre, sed & spiritus torpidiores, & quasi fixos ac immobiles reddere valet; idque propter naturam humoris melancholici, & vaporum inde ascendentium. In casu verò antea proposito melancholicus humor ætatis tempore nonnihil caloris præternaturalis acquirens, & sic quodammodo adustus existens, delirium vehemens excitavit, & quasi maniacum. Absumptis autem tractu temporis partibus calidioribus vel fixioribus redditis, fegnius animum irritare, tandemque spiritus planè torpidos reddere cepit.

Signa Diagnostica.

Signa hujus melancholiæ non est opus prolixè recensere; cum ex ejus descriptione sint manifesta. Patent etiam ex historia supra recensita. Hoc tantum monendum, nonnullos Medicos historias duas à Fernelio, *lib. 5. de part. morb. ac symptomat. cap. 2.* descriptas, non esse Catoche, sed melancholia attonita laborantium, existimare. Verùm falluntur, & non parum interest inter Catochen & Melancholiam attonitam. Etenim in historia prima primus illorum repentè hoc vitio cor-

FFf

reptus

reptus est; melancholia a. hæc plerumque lentè invadit. Deinde omni sensu & motu caruit; melancholici attoniti verò sensu & motu præditi sunt; etsi sensibus illis tam promptè non utantur, ut sani: quia illorum phantasia in certum phantasma defixum reliquis objectis non attendit. Alter in historia secunda non vidit, neque audivit, neque sensum tactus habuit; melancholici attoniti verò vident, audiunt, & sentiunt, licet hoc se facere verbis non proferant. Deinde ille membra habuit in loco & situ persistentia, fixa & stabilia, quò fuerunt ab astantibus locata; melancholicus verò attonitus ex historia superiore brachium spontè elevavit, & capiti admovit, bibens cantharum manu tenuit. Catoche etiam correpti oculos apertos habent, loqui non possunt; quod non animadvertitur in melancholia attonita laborantibus.

Curatio.

De cura in specie aliquid addere opus non est. Est enim eadem, quæ aliorum melancholicorum; nisi quòd ob causam vehementiorem fortiora medicamenta requiruntur.

CAPUT. XV.

De Mania.

Mania unde dicta.

Mania Græcis $\delta\omega\delta$ & $\mu\alpha\iota\upsilon\epsilon$, id est, insaniendo dicitur: (ineptè verò à nonnullis à manibus, id est, diis infernalibus, vel $\mu\alpha\iota\sigma\epsilon\iota\varsigma$, vel $\mu\alpha\upsilon\tau\epsilon\upsilon\omicron\mu\alpha\iota$, vel $\mu\alpha\iota\upsilon\upsilon$, id est, Lunâ deducitur)

iisdem etiam *enxuris* est, vehemens mentis motus & delirium. Vocabulum Maniæ & Latini retinent: iisdem quoq; Insania nominatur; quanquam Celsus nomine Insaniæ omnia deliriorum genera complectatur: iisdem & Furor dicitur: Neque Medici Cicero nem sequuntur, qui, *lib. 3. Tuscul. quæst.* scribit, Latinos eam affectionem furorem appellare, quàm Græci Melancholiam. Non enim Melancholicorum furor est, sed Maniacorum.

Solet equidem Mania melancholix sæpe succedere, & causæ saltem, ac symptomatum vehementia ab ista differre nonnullis videtur: qua de causâ Fralliano nihil aliud est, quàm intentio melancholix ad majorem feritatem. Verùm causæ melancholix & manix non solum vehementiâ, verùm & naturâ ac specie differunt, & interdum per se, ac non præcedente melancholiâ oritur Mania, quæ quidem cogitatione, verbo, & opere melancholicorum deliramenta imitatur, sed citra timorem, vel metum, imò cum audacia, iracundia, jurgiis, & mentis perturbatione tanta, ut ægri tanquam immanes bestix obvios quosque invadant, imò nec sibi ipsis sæpe parcant.

Est nimirum Mania, seu Furor, delirium, seu imaginationis & ratiocinationis depravatio, sine timore, sed potius cum audacia, temeritate, ira, jurgiis, & ferocia, sine febre, à dispositione spirituum fervida & ignea ortum habens. Vide Institut. *lib. 2. part. 3. sect. 3. cap. 7. pag. 398.* Imaginantur enim ea, quæ non sunt, & nullum discrimen inter honestum & turpe, bonum & malum,

Mania quomodo à Melancholia differat.

Mania delirio.

lum, amicum & inimicum agnoscunt. Memoria verò in Mania sæpe maxima ex parte servatur; quòd ex cantilenis ipsi familiaribus colligit Aëtius, quòrum in furore illi non obliviscuntur.

Causse.

Causam primam & conjunctam Maniæ fervidam, & igneam quasi, spirituum dispositionem esse diximus. In quo si quis acquiescere nolit, sed occultam aliquam qualitatem addere velit, ei facile assentimur. Facit id Plateus, qui quidem non negat, in hoc affectu humorem atrum adesse; verum manifestam qualitatem contentus non est, sed malignam, occultam, & venenatam qualitatem addit, necessariumque putat, ut humor ater hanc dispositionem suscipiat, si maniam inducere debet, atque impossibile esse existimat, ut tam enormia accidentia, quæ in ægris, ac si veneno perciti essent, sese proferunt, & non brevi tempore, sed sæpe multos annos durant, à manifesta causa, & solo calore provenire possint. Et si enim negari non possit, insignem esse fervorem in sanguine & spiritibus, quod ipsum testatur, ut modò diximus, quod, qui in claustris publicis custodiuntur, & nudi miserè in stramine voluntur, frigus hybernum multos sæpe annos citra vitæ jacturam ferunt: tamen longè alia in mania est hujus humoris conditio, quàm aliàs atræ bilis esse solet. Aliàs enim viscera omnia labefactat & corrodit, ac humores fermentat: maniaci vero cætera sani sunt & viscera salva habent, ac sæpe satis vivaces sunt. Cum isto etiam spirituum fervore nulla febris conjungitur. Ideoque credibile est, aliam adhuc, occultam, & potentiorē qualitatem sub-

In Mania
præter ce-
rebrum &
cor affici.

Verum ut natura hujus mali manifestior reddatur, de loco affecto, & causa antè despiciendum. Et quidem locum affectum quod attinet, etsi plerique Medici cerebrum solum in Mania affici dicant, & verum sit, delirii hujus causam proximè in cerebro contineri: tamen vero valde consentaneum est, & cor simul affici, quod affectus illi, & perturbationes animi vehementes, audacia, temeritas, ira, & alia animi *passiva* monstrant, quæ etiam ad essentiam Maniæ pertinent, & tamen à corde proveniunt. Præterea & hoc idem persuadere videtur, quod Maniaci, qui in claustris, & domunculis publicis custodiuntur, hybernum frigus, & quidem sæpe nudi, multos annos, sine ulla corporis læsione & jactura ferunt, ac quod mirandum, si tangantur, non frigere, sed calere in medio frigore hyberno deprehenduntur, ut videre est apud Forestum, *lib. II. observ. 20.* Quanquam enim consuetudo etiam hic aliquid facere possit: tamen eam solam non sufficere, aliorum exempla docent. Qui calor in universum corpus, nisi corde affecto, vix diffundi potest: & credibile est, non solum spiritus animales, sed & vitales, fervidos, & quasi igneos evasisse; sicut idem iis, qui vino inebriantur, accidit.

esse, venenis cognatam, & talem, qualis etiam à venenis quibusdam inducitur. Dantur enim venena, quæ insaniam inducunt, & compertum est, nonnullos à philtis propinatis in maniam incidisse.

Causa antecedens.

Dispositionem hanc spirituum ignearum, vel quocunque nomine alio appellare liceat, plerique vel ab intemperie cerebri sine materia, vel à materia simul provenire statuunt. Verùm impossibile est, affectum tam gravem & diuturnum, atque in quò non solum cerebrum, sed & cor afficitur, à nuda saltem intemperie provenire; neque credibile est, seu cor, seu cerebrum ita à naturali statu dejecti posse, ut non simul humores afficianur. Causa ergo antecedens semper conjungitur, materia nimirum simili qualitate prædita, bilis scilicet atra, hanc igneam & occultam qualitatem adeptam, quæ in venæ cavæ ramis detinetur, majoribus præsertim; (procul dubio & in arteriis) id quod utilitas venæ sectionis in hoc malo indicat. Refert enim Platerus, innumeros sanatos fuisse à Chirurgis quibusdam, & aliis, qui ex professo hinc morbis sanandis operam dabant, qui vigesies & sexagesies etiam venas tundendo, nunc brachii, nunc pedis, hinc illam, alibi aliam, sine discrimine, insanos plurimos restituerunt, ut postea incolumes longam adhuc vitam viverint.

Causa antecedentis sedes.

Verùm continetur hæc materia nunc in universi corporis venis, nunc in venis cerebro propriis, imò interdum in ipsis cerebri vasibus; unde etiam mitiora, vel graviora, & hæc, vel

illa symptomata excitantur. Nonnunquam & circa uterum, ex sanguine illic abundante, & semine retento ac corrupto, talis materia colligitur; unde melancholiam ex utero quandoque in maniam degenerare, *capite præcedente dictum*, quæ Furor uterinus appellatur, in quo, tum aliis modis insanunt feminae, tum quandoque etiam concubitum & Venerem vehementissimè appetunt. Cujus rei historiam annotavit Dominicus Leonus, *cap. de mania*, in quadam virgine, quæ ob seminis retentiones, & Veneris desiderium maniaca facta erat, ita ut per agros & sylvas erraret, & obvium quemque ad coitum provocaret, ac renuentes convitiis, & lapidibus infestaret; quem ejus furorem coitus sedavit. Quocunque autem loco prima illa causa contineatur, reliquam sanguinis massam ab ea, quasi fermento & veneno, infici, credibile est.

Et quamquam atra bilis, hujus massæ causa, ex bile flavâ, vel melancholia adusta plerumque generetur: sanguis tamen etiam hoc modo corrumpi potest; docetque experientia, non solum macilentos, fuscios, tristes, & qui naturâ ad melancholiam proclives sunt, hoc malo corripi; sed omnibus naturis hoc malum accidere posse.

Fervor autem ille sanguinis, & humorum est vehemens & acris sit; tamen putredine & inflammatione caret, ac propterea mania sine febre est.

Causas remotiores & evidentes *Causa remota & evidentes.* quod attinet, gignitur ille fervidus humor vel in epate, ob calorem illius nimium, vel cum chylus calidior in ven-

tricu-

triculo genitus ob calidiorē victum epati suppeditatur.

Quò faciunt & hæmorrhoidum ac mensium purgationes, & post partum in fœminis evacuationes retentę; item fistularum & ulcerum antiquorum occlusio, vel varicum curatio: sicut de Mario referunt, eum evasisse maniacum, postquam varices in cruribus ei Medici exemissent.

Externæ causæ sunt aëris constitutio calida; unde tempore æstivo, & circa caniculares, ut & in autumno, 3. aph: 22. magis, quam alio tempore, infestat hoc malum; atque aliæ causæ, ob quas humores aduruntur, & maniacam *Ἀγαστιν* acquirunt. Quò pertinent & morbi præcedentes, qui humores adurunt, sicut interdum phrenitidi Mania succedere solet.

Inter evidentes autem causas præcipuæ sunt duæ: diuturna mæstitia, curæ & sollicitudines, præcipuè ex candelentia, & irâ concurrente, quo modo Ajax in Maniam incidit, & sibi ipsi manus violentas intulit; & sæpe melancholiæ diurnæ mania succedere solet.

Et huc etiã pertinet infania ex amore. Etsi enim supra c. 9. inter melancholiæ differentias de melancholia ex amore egerimus: tamen ut aliæ melancholiæ; ita & hæc si diutius duret, tandem in ipsam maniam degenerat, atque ad hoc caput pertinet.

Deinde venena assumpta, quorum quædam insaniam inducere posse, jam antea dictum. Ita solanum, quod maniacum inde dicitur, insaniam inducit: idem facit cerebrum felis comestum,

mustelæ, morsus canum, luporum, & aliorum animalium rabiosorum. De quibus Dioscorides, lib. 6. Pertinent hæc & philtra, de quibus Poëta:

Philtra necent animis, vimq; furoris habent.

Ita Lucretium amatorio poculo accepto in delirium hoc incidisse scribunt. Vinum quoque fulmine congelatum, cum redit ad pristinam constitutionem, potum, aut enecare, aut insaniam inducere referunt. Quibus omnibus non sine causa addi potest vis illa superior dæmonum, quæ Dei permissu humoribus vitiosis sese associat, talemque insaniam inducit; unde Maniaci sæpe talia loquuntur, agunt & perpetrant, quæ vix ad causas naturales reduci possunt.

Differentiæ.

Differentiæ Maniæ respectu varietatis delirii sunt, quòd delirium aliud est *Mania dif-* brevius & mitius aliud vehementius & *ferentia,* diurnius.

Deinde quòd Mania nunc à causa interna, nunc externa ortum habet, quodque maniaci interdum certarum bestiarum feritatem imitantur; præcipuè in duo genera Mania dividitur. Prius est, quòd speciale aliquid præter delirium illud cum audacia, iracundia, & reliquis manix symptomatibus, non obtinet, neque ab animalis alicujus veneno inductum est, sed à causa interna ortum habet, neque alicujus bestix mores in specie refert, quòd etiam *ἐκαστος μελαγχολικὴ* à nonnullis nominatur. Alterum verò genus est, quando ægri unius bestix mores in spe-

cie referunt, quod etiam plerumque à venenò, & morſu talium beſtiarum rabidarum communicatur & inducitur; qualis eſt Lycanthropia, rabies canina, lupina, ac felina. De poſteriore hoc genere dicitur *cap. ſeq.* Prius quod actinet, quodque hoc capite tractamus, etiam ſi ex humoribus aliqua ejus delirii poſſit conſtitui differentia, & humores in iis, qui in inſaniam incidunt, varii reperiri poſſint, atque in aliis ſanguis, in aliis bilis flava, in aliis melancholia, & humor ater abundet, & propterea etiam ii, in quibus ſanguis abundat, mitius inſanire, ridere, & frequenter cantare ſoleant; qui bile abundant, temerarii ſunt, & iracundi; ex atro vero humore triſte & ſerinum delirium oritur: tamen in omnibus maniacis humores in atram bilem degeneraſſe oportuit, quæ tandem igneam, vel potius malignam, & occultam illam diſpoſitionem ſuſcipit.

Et ſive homo, antequam eum mania corripit, ſit ſanguineus, ſive bilioſus, ſive melancholicus, quod è ſuis ſignis diſgnoſci poteſt; tamen maniacus non evadit, antequam humor, quicumque etiam, ſpecificam illam, igneam, & occultam diſpoſitionem acquirit: atque ideo curandi ratio parum diſcrepat. Hoc tamen non prætereundum, cum materia illa vel æqualiter per omnes venas diſfundi poſſit, vel uno in loco præcipuè contineatur, & hinc in alia diſfundatur, ſi materia eſt in venis, vel omnibus, vel membris principalibus propioribus, inſania eſt perpetua & continua: quod ſi uno in loco præcipuè concludatur, circa uterum, vel

alium, habet delirium hoc interdum quaſdam remiſſiones & intervallo.

Signa Diagnostica.

Mania levi negotio cognoscitur ex imaginatione & ratiocinatione depravata, cum ægri & falſa imaginantur, & abſurda & inepra multa agunt, & quidem ſine timore, ſed potius cum audacia, temeritate, loquacitate, jurgiis, iracundia, ſævitate in ſe & alios, & omnino animi perturbatione tanta, ut ægri beſtiarum inſtar obvios quoſque invadant, & morſu, unguibus, aliisque, quibus poſſunt, modis, noceant, nec ſibi iſtis parcant, ſed veſtes dilanient ſuas, ac manus violentas ſibi inferant, & propterea cuſtodî & vinculis continendi ſunt, è quibus tamen omni conatu erumpere conantur. Vigilant præterea Maniaci pertinaciſſimè, ut referat Ferneſius, quendam meſes 14. inſomnes duxiſſe; ac inuſitatò atque admirandò corporis robore valent, quod ratione depravatâ ſolus appetitus dominatur ſpiritibus animalibus, iisq; igneis quaſi, & fervidis à mentis functionibus ad nervos & muſculos totis converſis. Oculi multis ſunt ſanguinolenti, aſpectus torvus & truculentus.

Atque his notis maniam ab aliis cognatis affectibus diſcernere non erit difficile. A phrenitide diſfert, quod non febricitant maniaci, neque alia cerebrî inflammati ſigna adſunt: à melancholia, quòd non eſt cum timore & triſticia, ſed potius cum audaciâ & iracundiâ: à dæmoniis diſtinguuntur Maniaci eo, quod dæmoniis quæ ſupra humana

nam

nam potestatem sunt agunt, ut quod linguis peregrinis, & quas nunquam didicerunt, loquuntur, futura prædiciunt, sæpe per vomitum particulas ferri, globos plumbeos, pulverem tormentarium, animalia viva, & alia, quæ naturaliter in homine generari non possunt, ejiciunt; cuius rei exemplum habetur apud Hildesheimium, *spicilog.* 2. p. 186.

Signa causæ

signum. Causarum signa quod attinet, humorum in capite abundantium signa supra, *part. i.* sunt proposita. Evidentes causæ ex relatione ægri, vel astantium, & iis, quæ præcesserunt, cognoscuntur. Si ex amore sit infania, cognoscitur ut supra, *cap. 9.* dictum. Si ex utero, præcessit mensium obstructio, & alia, quæ *capit. præced. de melancholia ex utero,* sunt proposita.

Signa Maniæ instantis.

Nonnulli etiam signa instantis manie recensent, enumeranturque ab ipsis capitis gravitas aurium tinnitus & sonitus, splendores oculis obferantes, virgilitatem immodicæ, curæ & sollicitudines, ita ex levi occasione, oculi cavi & fixi, consueti hæmorrhoidum & mensium in fœminis fluxus suppressio. Verùm etsi hæc, & alia; quæ nonnulli recensere solent, Maniam præcedere consueverint: tamen non omnes, in quibus ista conspiciuntur, mania corripitur, sed, exempli gr. ex hæmorrhoidibus, & mensibus suppressis alia quoque mala excitari possunt, & symptomata modò enumerata multos affligunt, qui nunquam maniaci evadunt. Hoc manie instantis certius signum est, si æger quacunque etiam de causâ delirare, & melancholiâ corripitur incipiat, & simul in-

obscœnum, & ineptum risum pronus sit, sique, qui antea blanduserat, levis de causa validè exandescat, & animo vehementer perturbetur, oculorum obtutus sit intentus, fixus, & torvus.

Prognostica.

1. Malum hoc diuturnum, & curatu difficile est, ac non solum per menses, *Prognostica* sed sæpe multos annos durat, & ægros usque ad mortem comitatur. Est enim atrabilis humorum omnium pessimus & pertinacissimus, præcipuè si malignitatem induat, ac habet se instar fermenti; nec malum cessat, quamdiu istius materiæ aliquid in corpore superest. Præterea in usurpandis medicamentis Medico ægri non obtemperant & obediunt, nec in isto furore persuaderi possunt, ut idonea medicamenta admittant.

2. Minus tamen periculosa est infania, quæ fit cum risu, & mitioribus symptomatibus, quàm quæ cum studio, & insigni feritate accidit.

3. Si menses & hæmorrhoides fluant, bonum.

4. Bonum est, si alvum laxam habeant ægri: quod si non fiat, malum.

5. Quanquam verò curatu difficilis est hic morbus: tamen per se lethalis non, &, nisi ægri vel sibi ipsis manus violentas inferant, vel alii morbi accedant, rarè ex hoc malo moriuntur, sed sæpe usque ad mortem malum id eos comitatur. Qui autem fiat, quod maniaci sæpe tamdiu cum tot in diata erroribus vivant, postea, *quest. 7.* dicetur.

6. Via ad interitum, nisi ægri sibi ipsi violentas manus inferant, aut sponte in vitam periculum sese conjiciant, est virium dissolutio, quam afferunt vigiliæ continuæ & longæ, abstinencia à cibo, & fames, quam interdum ægri pertinacissimè perferunt, & motus violenti, quibus continuò ferè exercentur.

7. Ad salutem verò terminatur Mania, si insignis aliqua fiat per sudorem, vel alvi fluxum evacuatio, aut copiosa hæmorrhagia è naribus, hæmorrhoidibus, utero, varicibus; vel artis præsiidiis spirituum ille fervor, & prava qualitas remittatur & corrigatur, & humor, qui proximam causam fovebat, evacuetur. De quo Hippocrates, 6. Aphorif. 21. *Si insanis varices aut hæmorrhoides superveniant, fit mania solutio.* Potest & huc referri aphor. 5. sect. 7. *Post Maniam dysenteria, aut hydrops, aut ænæris, bonum.* Solvitur enim Mania, & in alium morbum mutatur, humore vitioso ad inferiores corporis partes robore naturæ per crisin, licet imperfectam, depulso, & ad intestina misso, & per ea evacuato; aut eodem intra abdominis cavitatem cumulato; aut quando furiosa insania in taciturnam & silentem desipientiam mutatur, acrimoniâ humoris à natura devictâ & castigata. Alii tamen hinc per ænæris vehementem furorem intelligunt. Dum enim natura humores coctos per crisin est evacuatura, vehementissima antecedere solent symptomata, ob materiæ motum & impetum.

Et si verò morbus in alium morbum hinc mutetur: tamen qui succedit, non

ita periculosus est, utpote adhuc fiens. Et morbi per crisin facti semper citius curantur, si remedia adhibeantur; cum humores illi magna ex parte à natura victi & cocti sint.

Indicationes.

Cum Maniæ proxima & continens *Indicatio mes.* causa sit fervida illa, ignea ac maligna, si ita appellare libet, spirituum dispositio; ista verò à simili humore dependeat, & foveatur: primò omnium humor ille vitiosus præparandus & evacuandus est.

Deinde danda opera, ut idem à partibus principalibus, cerebro & corde, avertatur & repellatur.

Tertiò intemperies illa, & dispositio, cum spirituum, tum humorum, alteranda & mutanda. Et si materia magis in una parte, quam alia contineatur, cum in evacuando, tum in alterando ejus partis præcipuè ratio habenda est. Ac cum cerebrum & cor imprimis afficiantur, ad eas partes maximè respiciendum. Sic & epar & lien refrigerandus, si sanguinem calidiorem ac fervidiorem suppeditent; ac omnino præcavendum, ne materia vitiosa amplius, atque iterum generetur. Denique symptomata, quæ graviter infestant, ut vigiliæ, mitiganda.

Curatio.

Sanguinis Evacuatio.

Inchoanda autem est curatio à venæ *Vena sèctio.* sectione, cui si æger persuaderi queat, *clio.* clyster præmittatur, vel aliud medicamentum primas vias evacuans. Et omnino

mnino venæ sectionis magna est in hoc morbo utilitas, utpote quæ non solum sanguinem & humores in venis contentos evacuat, & à cerebro revellere ac derivare potest, sed & ex accidente refrigerat. Potestque sanguis hic pluribus modis peccare, vel ut causa principalis, in iis scilicet, in quibus sanguis abundat, vel ut causa adjvans, ubi materia manca miscetur sanguini, vel etiam ut causa sine qua non, ut aliis auxiliis locus detur. Testaturque Plateus, Practicus Experientissimus, ut antea etiam dictum, se longâ observatione comperisse, innumeros ab aliis Medicis derelictos sanguinis missione sanatos fuisse à quibusdam chirurgis, vel aliis, qui ex professo hisce malis sanandis operam dabant, qui vigesies, & sexages quoque, venas secundo insanos penitus ita restituerunt, ut postea incolumes, adhuc longam vitam vixerint; qui in vena certa eligenda nihil laborarunt, sed nunc brachii, nunc pedis, hanc, illamvè, nunc alibi sine discrimine aperuerunt. Quod remedii genus & ipse, sed majori curâ & providentiâ, quàm illi, methodicè præmissis semper alvi purgationibus, usurpavit.

Primo ergo vena aliqua visui & tactui magis obvia in brachio, & præcipuè in sinistro, aperienda. Deinde in manibus, salvatella; in pedibus, maxime in sceminis, saphena, vel quæ ad pollicem pedis excurrit. Varices quoque; si in cruribus, vel alibi apparent, cum magnâ copiam melancholici humoris, ad eum locum detrusi, contineant, aperiantur, & non statim sanentur, hæmorrhoides si fieri potest, provocentur. Cumenim

L. I,

à mania præservare soleant, & sponte apertæ à mania liberent; Medicus naturam imitari, ac materiæ inclinationem sequi debet. Menses quoque; in sceminis, si debito modo non fluant, provocentur. Venæ etiam frontis in pertinaciorè malo aperiendæ, ut & venæ narium, setis, vel millefolio immixtis. Verùm venæ istæ non omnes simul, aut continuo aperiendæ, sed per intervalla, interjectis humorum præparationibus & evacuationibus, de quibus mox dicetur. Maxima enim curationis spes in his magnis evacuationibus, sanguinis scilicet, & humoris melancholici, per vires factis, sita est. Perpendendus autem sanguis, qui effluit. Si enim sit nigrior, copiosius evacuandus; si rubicundior, parcius.

Post Venæ sectionem æger cibo & potu reficiendus, & studendum, ut nocte sequenti dormiat; quod iis medicamentis, quæ postea proponuntur, perfici poterit.

Multis quoque; profuit, hircines ad tempora, & post aures, & anum, si hæmorrhoides suppressæ sint, apponere.

Humoris Preparatio.

Venæ sectione, & sanguinis evacuatione peractâ, ad materiæ præparationem accedendum, eaque sæpius repetenda, ac diu continuanda, atque à levioribus ad fortiora progrediendum. Præparantia sunt refrigerantia, & humectantia, quæ atræ bili conveniunt, ex borrag, bugloss, viol. nymph. lactuca, & aliis supra, *part. i. cap. 13.* pro-

*Materia
morbifica
preparatio*

Ggg

positis

*Quanam
vena aperienda.*

positis simplicibus. Et licet medicamenta quædam simplicia non semper utraque qualitate huic morbo conveniant: tamen aliis admistis, quod deest, potest suppleri. E quibus talia, vel similia parari possunt.

℞. *Aq. borrag.*
nymph an. Unc. iv.
sir. borrag.
viol.
nymphae, an. Unc. ij. M.

Propinentur tribus vicibus.

Vel ℞. *Rad. bugloß. Unc. ij.*
glycyrrh. Unc. j.
ceterach.
fumar.
endiv. an. M. j.
sem. 4. frigid. maior. an. Drach. j.
amarindor. Unc. ß.
flor. cordial. an. P. ij.

Coqu. in aqua pura.

Colaturæ ℞. *Unc. x.*
sir. viol.
de pomis;
nymph. an. Unc. j. ß.

F. Potio pro tribus dosibus.

Vel Colat. adde *sacch.*
succ. de pomis. an. Unc. ij.

Parum ebulliant. F. Julebus, qui aromatizetur pulv. santal. citr.

Utile est & serum lactis, quod non solum ad humorem atrum est præstantissimum medicamentum, sed & tale, ad quod usurpandum facilius persuaderi possunt ægri; cui addi potest sirup. violar. vel rosar. solut. de fumaris.

Purgatio.

Postea purgantia usurpanda, & quæ ^{Purgatio} leviora singulis septimanis exhiberi possunt, fortiora singulis mensibus exhibenda, atque interea pervices, ut jam dictum, venæ sectio, si opus sit, repetenda. Et prout bilis, vel ater humor plus abundat, ita ad hunc vel illum magis respiciendum; & usurpanda, rhabarb. sena, epithym. polypod. el. diacathol. diasen. &c. cocta, vel dissoluta in sero lactis, addito sib. rosar. solut. vel viol. solut.

Inter fortiora sunt ellebor. nigr. alb. lap. Lazuli. confect. Hamech, Gum, & ex eo parata medicamenta, quæ & ob humoris contumaciam necessaria sunt, & quod minori dosi exhiberi possint, ægris etiam ignorantibus. Ægri enim in hoc morbo non facile obtemperant, ideoque fallendi sunt, & medicati vini, vel aliâ formâ, quæ comoda videbitur, ipsis exhibenda medicamenta.

℞. *Rad. glycyrrh. Unc. j.*
polypod. q. Unc. ij.
helen. Unc. ß.

sem. 4. frig. major. an. Drach. j.

ling. cervin.

capill. ♀.

ceterach;

melisß.

fumar. an. M. j.

epithym. Unc. ß.

amarind.

passular. an. Unc. j.

Coqu. in aq. simpl.

In Colat. infundantur,

fol. sena

fol. *senæ* Unc. ij.
rhabarb. Unc. ℥.
ellebor. nigr. Drach. ij.
flor. cordial. an. P. ij.
sem. ocym.
fœnicul. an. Drach. j.
cortic. citri Drach. ij.
galang.
zedoar. an. Drach. j. ℥.
cinamom. Drach. ij.
spic. Indic. Scrup. j.

Postea ebulliant, & colentur.

Colat. add. *succ. pom. dulc.*
borrag. vel *viol.* an. ℥. ℥.
facch. q. ℥.

Coqu. ad sirup. dilutionis consisten-
 tiam. Vel, quod commodius, rha-
 barb. nox simul infundatur, sed cum
 cinamomo nodulo inclusum in sirupo
 suspndatur.

Vel paratur tale Diacydonium :

℞. *Polypod.* Unc. j. ℥.
epithym. Unc. j.

Coq. in aquæ puræ ℥. j. vel s. q.

Colentur Colat. add. *carn. cydon.*
jam coctam, & exprimatur.
 Expressioni.

addat. *facch.* ℥. j.

Iterum coq. ad formam diacydonia-
 ti, cui insperge sub finem

pulv. mehoacan vel potius *rad.*
gialapa. Unc. j.

santal. citr.

zingib. an. Drach. j.

M. Dosis est ad Unc. j.

Vel exhibeatur hic Pulvis aliquoties :

℞. *Fol. sen. el.* Unc. j.

sem. anisi,

fœnicul. an. Drach. j.

glycyrrhiz.

flor. viol. an. Drach. ℥.

cremor. ꝑri Drach. vj.

F. Pulvis.

Cujus dosis ℥j. vel ℥j. ℥. Si minor do-
 sis, vel fortior operatio experitur, adde-
 re licet lap. Lazuli, vel diagryd. Scrup. j.

Vel paretur talis Pulvis :

℞. *Lap. Lazuli* Drach. j. ℥.

diagryd. vel *extract. scammon.*

Scrup. j.

turbith. Drach. j.

senæ Unc. ℥.

epithym.

cremor ꝑri an. Drach. ij.

sem. anisi,

cinamom.

cortic. citri, an. Drach. j.

croci Scrup. ℥.

F. Pulvis, cujus dosis ℥j. vel ℥iv. pri-
 mâ vice exhibeantur.

Vel paretur talis Potio :

℞. *Cortic. helleb. nigr. prepar.*

(quod fit, si s. q. aceti, vel vini, cum sem.
 anisi, aur in aq. vel decocto dilutiore
 fœnicul. vel anisi 24. horis in balneo
 macerentur, & postea liquore effuso
 rad. afferventur) Unc. ij.

fol. sen.

follic. sen. an. Unc. j. ℥.

sem. fœnicul.

anisi, an. Drach. vj.

flor. cordial. an. M. ℥.

cortic. citri Unc. ℥.

Macerentur in mensur. vini albite-
 nuis duabus. Colentur sine expressio-
 ne, & per manicam Hippoc. trajician-
 tur, ac dulcolentur julepo rosar. & vio-
 lar. atq; aromatizentur. *santal. citrino.*

Et imprimis hellebor. niger. uti-
 lis est : ideoque ejus extract, vel in

Ggg 2

formâ

formâ pilular. vel sirup. exhiberi potest.

Ut R₂. Extr. hellebor. nigr. Scrup. ij.

sir. viol. Unc. j.

borrag. Unc. ℥.

M.

Si hæc non suffecerint, potest exhiberi Qium, & ex eo parata medicamenta.

Tandem Elleborus albus, quo anti- qui frequentissime in talibus morbis uti sunt, adeo, ut in proverbio eos, quos insanire dicere volumus, *Elleboro purgandos esse* dicamus, sed cautè, adhibendus, & corpus ad ejus usum rectè præparandum; de qua re videantur tum alii, tum Heurnius, *lib. 2. meth. ad praxin. cap. 21.* & Johan. Baptista Codronchius, in *Commentario de Elleboro.*

Cor & Cerebrum roborantia. Purgatione unâ atque alterâ peractâ, ea simul usurpanda, & interjicienda, quæ cor & cerebrum corroborant, sanguinem & spiritum mundant, ac fuliginosas exhalationes discutunt; qualia parantur ex rosis, violis, nymphæa, bugloß, borrag. fl. tunic. melissa, scorzonera, cortic. citri, pomis odorat sp. diamargar. frig. confect. de hyacintho, alkermes: quæ ipsa unâ operâ humorem atrum alterare & præparare possunt.

Ut R₂. *Conserv. rosar. incarnat.*

borrag.

bugloß. an. Unc. j.

cortic. citr. condit. Unc. ℥.

Affunde aq. borrag.

bugloß.

viol. an. Unc. iij.

nymph.

rosar. an. Unc. j.

M. diligenter in mortario marmoreo, & colentur.

Colaturæ adde succi citri,

granat.

sir. tunic. an. Unc. j.

Trajiciantur per manicam Hippocratis, addendo

cinamom.

santal. citr. an. Drach. j.

F. Potio clara.

Vel R₂. *Conserv. rosar.*

violar.

bugloß.

borrag.

tunic. an. Unc. ℥.

meliss.

cortic. citr. condit.

lactuc. Ital. condit. an. Unc. ℥.

pulv. sem. ocym.

sp. diamarg. frigid.

diarrhod. abbat. an. Scrup. j.

confect. alkerms. Drach. j.

Cum sirup. nymph. & succ. citri.

F. Eleæuarium.

Vel pareturtalis Pulvis:

R₂. *Sem. ocym.*

santal. citr.

cortic. citr. an. Drach. j.

fl. cordial. an. Scrup. j.

meliss. Drach. ℥.

margarit. preparat.

sp. et. de gemm. frigid.

de hyacintho, an. Scrup. j.

F. Pulvis.

Et cum vigiliæ in hoc malo sint *Somni conciliatio.* pertinacissimæ, ut ægros nonnumquam per aliquot menses non dormivisse observatum sit; somnus tam externis, quàm internis medicamentis provocandus: de quibus supra, *capite primo*, dictum.

Monen-

Monendum tamen hîc, somniferorum non eandem esse naturam. Quædam enim licet somnum inducant; spiritus tamên magis turbant, & ubi ægri evigilant, longè inquietiores, quàm antea, evadunt, ac malum curatu difficilior reddunt: qualia sunt, hyoscyamus, solanum furiosum; imò nec opium ipsum, nisi corrigatur, ab hac noxa immune. Et sicut nemo vino, vel ebrietate, quæ etiam somnum inducunt, maniacos ad somnum deducere audeat: ita quoque, cum hîc non solum somnus quaratur, sed somnus quietus, & hinc spirituum quietatio; ea eligenda, quæ simul spiritus quietos reddunt.

Inter externa commendatur succus fedi majoris recens expressus, capiti impositus; & aqua ejusdem. Utilis est & aqua solani, & papaveris.

Inter interna à nonnullis laudatur Mandragora, quodd non solum somnum inducat, sed & spiritus quietos reddat, ac, ut Dioscorides habet, etiam bilem atram vomitu educat, sanguinemque & spiritus puriores reddat. Coquantur autem radices in bono vino, & decoctum exhibetur.

Empirica. Occurrunt etiam quædam *Empirica* & *specificæ* apud Authores, quorum proba est penes experientiam. Commendatur cerebrum arietis nondum Venerem experti, si nimirum caput uno ictu ipsi amputetur, & totum cum pellè, cornibus saltem abjectis, coquatur, cerebrumque postea cum farina, additis cinamomi, zingiberis, nucis moschat. macis, caryophyll. an. Unc. ß. (forsan Drach. ß.) super prunis misceatur, &

in partes tres divisum manè exhibeatur, ita, ut post sumptum medicamentum duabus horis nihil comedat æger, ac in cæteris quoque rectam dietam observet.

Retulit mihi nuper quidam vicinæ Ecclesiæ Pastor, in suo pago intratitum sanatum fuisse maniacum exhibitum canis cerebro cocto, (addebat, unius coloris canem esse debere) affirmabatque, sibi præterea alios tres notos esse, qui eodem medicamento sunt sanati. Alii commendant emulsionem ex sem. papav. albi, nuc. jugland. semin. nigell. cannab. granis juniperi, thur. factam cum cerevisia calida. Specificâ etiam proprietate huic malo resistere creditur radix nymph. luteæ, quæ mense Majo effossa, (decrecente in tessellas dissecanda, & cum aceto vini leniter decoquenda, hinc rursus exsiccanda in umbra, & in pollinem redigenda, inque usum reponenda, de qua Maniacis manè & vesperi Drach. j. vel Drach. jß. cum tribus cochl. prædicti aceti ex decoctione reservati propinetur.

Commendantur & folia buxi:

℞: Fol. buxi num. ix.

Scindantur in minimas particulas, & exhibeantur in uno atque altero cochlear. aq. lavend. jejuno ventriculo, (præmissis tamen præmittendis) &, si fieri potest, sudor eliciatur: repetaturque hæc dosis semel atque iterum.

Nonnulli imprimis laudant sanguinem asini ex venis post aures emissum. Venas post aures aperiunt, sanguinemque linteolis mundis, nulli usui antea expositis, excipiunt, eaque siccant, at-

que ex his unum digitos duos latum, pollicem verò longum, accipiunt, & in haustu aquæ fontanæ macerant, aquamque illam manè tribus diebus exhibent, dantque operam, quantum possibile, ut æger sudet. Nonnulli valde laudant decoctum anagallid. flor. purpureo.

Quo pertinent & Amuleta, quæ à nonnullis commendantur, de quibus etiam penes experientiam esto iudicium: radix eryngii, bryoniæ, hyperici, de collo gestata. Adamas sinistro lacerto alligatus, lapis chrysolithus, lapis Lazuli gestatus, lapis Chelidonium ruffus panno illigatus, & sub sinistra ala detentus.

Chymici commendant *saccharum Inis, & liquorem seu tincturam coralliorum, lap. Armeni, lap. Lazuli, sapphiri, spir. margaritarum, sal. angelica, pimpinella, & alia.*

Laudatur & Nitrum, neque sine causa. Cum enim malum hoc ab impuris, fervidis, & inquietis spiritibus ortum habeat; nitrum non solum omnem furum crassum, & flammam fumosam clarescit, sed & volatilia figit, ideoque cerevisiæ, dum fervet, aliquid nonnulli adjiciunt. Ita enim non solum cerevisia purior & clarior redditur, sed & obstructions aperiuntur, crassities & fuliginosa sanguinis ac spirituum dissipatio emendatur.

Utilis est & spir. Oli, præcipue si sit mania ex iracundia aut cum iracundia multa conjuncta. Iracundiæ enim affectis maximè resistit spir. Oli.

Quantum ad Topica, si æstus & fu-

ror vehemens sit, repellentia mox inter initia applicentur, ut oxyrrhodinum, addito oleo anethin. aut chamæmel. & aliis, de quibus supra, *part. I. cap. 13.*

Circa quorum usum hoc observandum, & humectantia potius præpolleant, quam refrigerantia: ideoque merè frigidis vix utendum, sed flor. chamæmel. aliquid addendum, vel post adhibenda resolventia & discutientia. Deinde topica non æstu frigida, sed tepida applicanda. Commodè ergo caput fovetur ol. violar. nymph. cui aliquid ol. chamæmel. addatur, vel omentum agni tepidum capidi admoveatur, vel foveatur caput decocto malvæ, viol. lactuc. nymph. chamæmel. sem. lini. aneth. papav. lactuc. fl. stœchadis, rosarum, ut & succo polygoni, plantag. vel aquis destillatis corundem, vel similibus.

Vel & Herb. verben.

fragar. an. M. j.

beton. M. ij.

sem. cannabis Unc. jß.

coriandr. Unc. ß.

milti. Unc. j.

Incisa & contusa includ. sacculo ex tela linea parato, qui in vino coquatur, & vertici calidè admoveatur,

Vel & Verben. M. jß.

sabina,

lupuli, an. M. j.

placentam rosarum num. j.

granor. juniperi Drach. vj

Concisa gosso modo indantur sacculo in aqua communi coquendo, & vertici imponendo.

Vel imponatur capiti sequens Placenta seu Cataplasma:

R. Pla-

℞. Placentam rosarum num. j.
 granor. iuniperi M. ℞.
 sem. lactuc. Drach. ij.
 papav. nigri Drach. ij.
 spir. vini Unc. ℞.
 albumen orijs.

Contundantur cum s. q. aq. rosarum, in fine addendo seminis carvi vel cumini parum.

℞. Placenta, quæ vertici imponatur.

Singularia repellentia in hoc affectu esse perhibentur succus ex cancris vivis contusis linteo exceptus, qui fronti applicetur, & quoties siccescit, mutetur, & renoveretur. A Chymicis mirè laudatur Balsam. h. quod fronti & temporibus inungendum. ☉ præparatum, quod cum modico camphoræ in aq. nymph. dissolutum cum petiis capiti applicatur. Tinctura santali rubri cum aq. rosarum præparat. in cujus Unc. v. dissolvantur camphor. gr. ix. moschi gr. v. & calidè capiti rato imponantur.

Commodissimæ sunt lotiones capitis, quas, ut consuevit, facilius, quàm alia medicamenta, ferunt ægri; quæ, si symptomata urgeant, singulis diebus semel, vel etiam bis usurpentur. Intermittendum autem est in lotionibus hinclixivium, cum nimium siccet, sed aqua dulcèis sufficit, cum speciebus modò dictis.

Utilis est & hic Sacculus:

℞. Sem. cannabis Unc. iij.
 coriand.
 milis, an Unc. ℞.
 herb. fragar.
 beton. an. Unc. ij.

Sacculo insuta coquantur in cerevisia, & capiti applicentur.

Corpore evacuato nonnulli etiam calidiora discutienda adhibent; & recipiunt herbas cephalicas, easque in aqua fontana coquunt, postea parant sacculum ex baccis lauri, & rad. hellebori nigri contus. an. q. s. sacculumque istum in decocto modò dicto parum coquunt; hinc diebus 9. continuè caput isto decocto fomentant, & postea sacculum futuræ coronali imponunt: unde humores vitiosi per omnia capitis emunctoria evacuantur. Docet enim experientia, elleborum nigrum in morbis melancholicis non solum intus, sed & extra utiliter adhiberi.

Cauteria futuræ coronali applicata maximè utilia sunt, ut scribit Gordanius, cap. de Mania, probatque id experientia ejusdam Maniaci, cui cum esset vulnus influctum capiti cum fractura cranii, quamdiu fuit vulnus apertum, tam diu bene habuit, vulnere sanato, reversa est Mania.

Cordi quoque prospiciatur. Etenim cum vehementer irascuntur maniaci, & feroces sint, magnum æstum circa cor esse credibile est, qui omnino mitigandus.

Ergo imponatur cordi tale Epithema:

℞. Aq. rosar.
 nymph. an. Unc. iij.
 berrag.
 acetos. an. Unc. ij.
 flor. rosar. rubr.
 sem. ocym.

Saccul.

santal. citrin.
rubr. an. Drach. β.

camphor. gr. vj.

Tepidè regioni cordis applicetur.

Vel β. *Vng. rosac.*

ol. violac.

nymph. an. Drach. ij.

pulv. rosar. rubr.

santal. citr.

rubr. an. Scrup. β.

camph. gr. vj.

M. F. Unguentum.

Vel Sacculus talis paretur :

β. *Flor. rosar. rubr.*

violar.

bugloss. an. M. j.

meliss. M. β.

sem. ocym.

rad. rhod.

santal. citr. an. Drach. β.

camph. gr. v.

F. Sacculus, qui vel siccus, vel aq. rosac. aut vino madidus cordi applicetur.

Ad totum corpus temperandum, acresq; vapores discutiendos, balneum tepidum aquæ dulcis usurpetur, cum herbis refrigerantibus & humectantibus, aut temperatis.

Lotionibus quoque, & frictionibus externorum vapores fervidi à capite revellentur & dissipentur.

De Furore Uterino.

Furor uterinus Mania species.

Pertinet ad Maniam, & peculiaris ejus species est, illa infania, quæ vulgo Furor uterinus dicitur, cum fœminæ in infaniâ illâ Venerem potissimum appetunt, vel eâ non satiari possunt.

Cujus causa est, vel semen copiosum, ob plethoram, aut vasorum seminariotum fervorem genitum; vel, si semen præternaturalem caliditatem, & acrimoniam acquirat, & virosum quasi evadat, ex humoribus falsis, serosis, biliosis, & acribus, qui semini permiscetur.

Hinc enim si sanguis fervidus in caput feratur, maniam inducit. Cujus imminentis signum est sanguinis in mammis collectio. De quo Hippocrates, 5. aphor. 40. *Quibus in mammis sanguis colligitur, furorem significat.*

Curatio.

Curatur hoc malum, si nimius seminis proventus prohibeatur, aut legitima Venere evacuetur, vel medicamentis absumatur, ardorque illius emendetur: & si humores vitiosi & acres semini permisti illud vitiosum & acre reddant; si illi humores evacuentur, feminisque caliditas & fervor remittatur.

Refrigerant semen, & ejus fervorem extinguunt, vel etiam siccando (in qua classe etiam sunt quædam calida) aut occultâ qualitate absumunt, lactuca, portulaca, mentha, quæ peculiari vi Venerem extinguit, semen viticis, inde agni casti dictæ; unde ad maniam ex semine, & retentis menstruis tale fiat Electuarium;

β. *Sem. agnicasti,*
gr. junperi, an. Drach. iij.

myrtill. Unc. β.

sem. portulac.

lactuca,

pæonia, an. Drach. j.

F. Pulvis,

& cum.

& cum melle crudo Electuarium, de quo Drach. j. exhibeatur aute prandiū, & vesperi cubitum ituro.

Reliqua, quæ Venerem reprimunt, ex cap. 10. de amore insano petantur.

Diata.

Diata.

Quæ in diata sint observanda, supra, *part. prim. cap. 13.* dictum. Quibus saltem hæc addimus: cavendum esse studiosè, ne æger solus relinquitur, vel inter ignotos, vel quos contemnit, aut odio habet. Si opus vinciantur, & vinculis cohibeantur ægri, & omnia circa ægrum ita comparentur, ut delectetur potiùs, quàm offendatur, qua in re astantium prudentiâ opus est, ut interdum ipsis assentiantur; non tamen iporum delirium confirmant. Suavis Musica maniacos sæpissimè demulcet, ut exemplum Saulis, Israëlitarum Regis testatur.

Caveat & sibi Medicus, ne aliquid damni patiat; cum sæpe odium erga Medicum blandis verbis occultent ægri. Somnus, quibus fieri potest modis, provocetur. In cibo dulcibus & acribus, quæ calidos humores generant, abstinendum. Vino quoque æger absteineat. Neque enim ignem igni addere convenit. Ac si omnino concedendum videatur, detur tenue, & diluatur, ac temperetur aq. violar. bugloss. rosar. nymph. santalis, julepo rosar. violar. Qua in re consuetudini aliquid dandum. Qui enim vino assueverunt, minùs eo offenduntur; cum exhilaret, modò moderatè sumatur, vel, ut dictum, diluatur. Alyus servetur aperta.

L. I.

QUÆSTIO I.

Qui fiat, quòd Maniaci & Melancholici interdum peregrinis lingvis loquuntur, & futura prædicunt.

Sunt quidem nonnulli, qui hypothesis quæstionis in dubium vocant, negantque, vel Melancholicos, vel Maniacos peregrinis linguis loqui, vel futura prædicere posse: sed cum nimis agitationibus moveantur, linguamque etiam variè agitent, & sæpe sonos inconcinnos edant, accidere existimant, ut cum vulgus illos intelligere non possit, putet, eos Latinè, Græcè, aut Hebraicè loqui.

Verum enim verò non est, ut de historiarum veritate dubitemus; cum fide digni authores testentur, rem ita se habere. Refert enim Antonius Guainerius, *tract. 15. cap. 4.* se rusticum quendam melancholicum vidisse, qui semper Lunam existente combustam carmina componebat Latina, & transacta combustione, circa duos dies ad illam Lunæ combustionem, ne verba latina proferre poterat. Idem & alii Medici testantur. Rhases refert, quosdam melancholicos ex illiteratis literatos evasisse, & ea prædixisse, quæ eventus comprobavit. Erasmus Roterodamus, in *Encom. medic.* narrat, quendam Spoletanum idiomata locutum esse, quæ nunquam didicerat, recuperatam vero valetudine, & vermibus ope medicamentorum pluribus ejectis, ea loqui

H h h

2m-

amplius non potuisse. Refert quoque Forestus, *lib. 10. observ.* 19. mulierem melancholicam cantiunculas latinas, & hymnos cantasse, quos nunquam didicerat. Et, *ibidem, in Schol.* se vidisse puerum, nautæ filium, qui, cum in capite esset vulneratus, & deliraret, semper linguâ Germanicâ optimos Syllogismos fecerit, quos postea, cum curatus esset, facere nesciebat.

Causas hujus rei alii alias afferunt. Quidam enim ex astris easdem deducere conantur; inter quos est Guainerius, qui *loco modo allegato*, ubi ploribus, de hac quaestione agit, ex hypothesebus Platonicis & Astrologicis quibusdam ita hac de re philosophatur: Animam, inquit, ante infusionem in corpus omnium rerum notitiam possidere, sed eam aboleri quodammodo, & obfusari, corporis, cui infunditur, unione & ergastulo. Recuperari verò per doctrinam, vel per influxum, vel per impressionem Planetæ, qui natiuitati tempore infusionis animæ præsidebat. Et hujus impressionis tantam vim esse, ut animam donet potestate rationalia efficiendi, qualia ipsæ stellæ efficere possunt; faciendi scilicet ex sano ægrum, ex agro sanum, & alia multa: verum huic potestati resistere corpus, & sensus corporeos; quibus ligaris, quod fiat in melancholiâ, posse stellas suas influentias perfectiùs animæ communicare, atque ita melancholicum illiteratum posse fieri literatissimum, & futura quoque prædicere.

Verum magna perita sunt, quæ præsupponit, & sibi concedi postulat Guai-

nerius: animam scilicet in corpus infunditæ se omnium rerum notitia præditam, per infusionem in corpus oblivione rerum antea cognitarum capi, eamque stellarum influxu rursus excitari, quæ ipsi non conceduntur.

Deinde etsi concedamus ipsi, astra ad temperamentum immutandum multa posse, vel etiam inclinationem ad linguas, aut alias disciplinas imprimere: hoc tamen concedi non potest, astra ipsam linguarum, vel aliarum disciplinarum notitiam inducere posse. Hoc enim si possent, quandoque etiam sanæ mentis homines sine doctrina ad talem notitiam pervenire possent. Neque depravati sensus plus possunt conferre ad recipiendum astrorum effectum, quam bona eorum constitutio. Neque melancholici & Maniaci planè à sensibus abstracti sunt.

Alii humori melancholico id tribuunt. Nam puerimos, qui ingenio, & artibus excelluerunt, vel in administrandis Rebus publ. aut aliis rebus perficiendis plurimum præstiterunt, melancholicos fuisse, deprehensum est. Etiam facultatem linguis peregrinis loquendi, ac futura prædicendi melancholiæ tribuunt, melancholiamque humanam animam ad res miras disponere dicunt; & sicut vinum immoderatus haustum mores hominum immutat: ira etiam humorem melancholicum, si plus justo abundat, vel à naturali temperie desciscit, mentem hominis immutare, & eam ad res mirabiles perpetrandas disponere putant. Quibus & addunt illud, quod Aristoteles

celes, 7. *Eudem cap. 14.* Melancholicos esse *ἐνθυονείγξς*, id est, recta habere somnia, scribit.

Verum enimverò nec opinio ista assensum meretur. Etsi enim hoc suo modo concedatur, melancholicos esse ingeniosos, de quo in *Institut. lib. 3. part. 1. sect. 1. cap. 2.* dictum; tamen ea, quæ supra hominis vires sunt, melancholia efficere non potest; qualia sunt peregrinis linguis loqui, & futura prædicere. Etenim etsi in homine ad omnes linguas discendas sit aptitudo: tamen omnes linguæ usu discuntur; & futura prædicere, solius Dei est, aut eorum, quibus id communicat. Et quod Aristoteles dixit, melancholicos esse *ἐνθυονείγξς*, eò nihil aliud voluit, quàm eos clara habere somnia, qualia etiam solent esse matutina, non ita obscura, qualia piritosi & biliosi habent. Neque etiam ebrietas præstare id potest, ut homo aliquid ultra vires naturales agat. Etsi enim ebrii multa confidentius agant, atque audaciores facti voculas aliquas, quas aliquando didicerant, vel Græcas, vel Latinas proferrant, & sæpe magis disertis, quàm sobrii videantur: tamen plura non possunt in hac re præstare, quàm didicerunt.

Atq; ita quamquam concedi possit, & ab ebriis ac melancholicis nonnulla rectius perfici, quam dum sunt sobrii, & sani: tamen id verum saltem est de iis, quæ antea didicerunt. Nam & vinum, & melancholia, ut Aristoteles, *sect. 30. problem 1.* habet *πνευματώδη* sunt, & ad ciendos spiritus, à quo-

rum alacritate omnis ingenii vis pendet, plurimum possunt.

Non multum ab hac sententia differt opinio Jani Huarti Medici Hispani, qui, *cap. 7. ingen. scrutin.* scribit, Latinæ linguæ magnam esse cum anima rationali consonantiam, & esse quædam naturas, quæ peculiariter linguis inveniendis accommodatæ sunt. Ideoque si per morbum illud temperamentum in cerebro exciteretur, quod elegantissimæ alicui linguæ necessarium est, ilico linguam Latinam hominem obviam habiturum, & vocabula Latina, etiam citra deliberationem, ei occusura scribit.

Verum nec hæc opinio probabilis. Etenim præsupponit nondum concessa. Primò homines habere ad linguas inveniendas peculiarem dispositionem. Secundò delirantes saltem linguâ Latinâ loqui, ac linguam Latinam maximam habere cum anima rationali consonantiam. Quorum & hoc nullo fundamento nititur: & observatum, melancholicos non solùm Latinè, sed & Græcè & Hebraicè locutos esse. Et quamvis, ut supra, *cap. 5.* dictum, concedamus, ex morbosa constitutione dispositionem in cerebro aliquam concitari posse, ab quam homo ingeniosior evadat, quàm sanus fuit, ut ejus rei exempla *loc. cit.* attulimus: tamen ad id, quod supra hominis vires, perficiendum nec melancholia, nec alia morbosa constitutio disponere potest. Neque enim linguarum peritia ab ingenio est; sed à memoria. Et quamvis à morbosa constitutione cerebri actiones phantasiæ & ratiocinationis exaltari possint:

ramen memoria, quæ rerum cognitionem præsupponit, ita perfici non potest, ut linguas, quas nunquam cognovit, suppeditare possit.

Alii ergo, cum harum rationum nullam vero consentaneam videant, statuunt, Dæmones, qui morbis sese immisceant, permittente DEO, horum effectuum autores esse. Morbis enim naturalibus similia multa sæpe pati eos, qui à dæmone vexantur, restatur historia, quam habet Fernelius, 2. de abd. cer. causis cap. 16. de juvene quodam, qui pro epileptico habitus, & in tertium mensem curatus fuit, donec tandem tertio mense dæmon, rotius mali autor, se tum Latinè, tum Græcè loquendo prodidit.

Quorum opinioni & nos assentimur; modò rectè explicetur. Non enim omnia, quæ patiuntur melancholici & Maniaci, dæmonibus attribuenda. Etsi enim sæpissime sine ulla corporis morbosa dispositione, Deo permittente, hominem obsidere & occupare Dæmon possit, qui verè obsessi dicuntur & sunt: tamen quandoque morbis, & præcipuè melancholicis, sese immiscet dæmon, & forsàn frequentius hoc accidit, quàm sæpe creditur. Ita in historia Evangelicâ, apud Lucam, cap. 13. v. 12. mentio fit mulieris, quæ habebat πνεῦμα ἀδελφείας, spiritum insinuatitatis, annos octodecim, quæq; erat contracta, nec omnino poterat caput erigere. Et præcipuè, ut dixi, humori melancholico sese immiscet dæmon; unde etiam melancholia Balneum diaboli dicitur. Melancholici enim, & atri humoris ea natura est,

ut varia phantasmata & deliria pariat, metum, mæstitiam, ferocitatem, & alia multa excitet. Dæmon ergo tali occasione abutens, & se humori melancholico immiscens, multa edit, quæ vulgus sæpe morbo ascribit; cum tamen ascribenda sint dæmoni. Alia nimirum humori vitioso, alia dæmoni ascribenda sunt. A melancholiâ est mæstitia, timor; ab atrabile ferocitas, iracundia; ab utraque delirium, vigilia. Si verò in delirio multa miranda accidant, si ægri ad desperationem adigantur, sibi ipsis & aliis noceant, si ad impia stimulentur, aut ad maledicendum DEO incitentur, ut ejus rei exemplum aliquot habet Platerus, lib. 1. observ. pag. 44. & seq; ea jam à Dæmone provenire credendum est; etsi aliis indicibus sese is non prodatur. Si verò æger jam linguis, quas nunquam didicit, loquatur, futura prædicat, eo ipso Dæmon se manifestè prodatur.

Atque ita rem se habere, patet ex eo, quòd ii, qui à dæmone hoc modo vexati fuerunt, medicamentis idoneis adhibitis curati sunt. Postquam enim subjectum aptum & dispositum amplius non est, deserit dæmon suam sedem, & aliò migrat. Ita Erasmus, in Encomio Medicina, refert, dæmonem, qui ab exorcistis curari non poterat, medicamentis exhibitis, plurimisque vermibus ejectis, curatum fuisse, ut amplius peregrinis linguis loqui non potuerit. De quo etiam Langius, lib. 2. Epistola 35. Ita Martinus Rulandus,

Pater, dæmoniacum & Maniacum
cugavit; de quo videatur.

Cent. 3. curat. 100.

Quæ.

QUESTIO II.

*Quæ fiat, quod Maniaci
cum tot diætæ erroribus tam
diu vivant.*

*Quomodo
Maniaci
tam diu
vivere
possint.*

Omnino admiratione & cogitatione dignum est, quæ fiat, quæd, cum Maniaci tam gravia symptomata patiantur, & cum cerebrum, tum cor afficiatur, nihilominus tam diu, & sæpe multos annos, & quidem cum tot in diætæ erroribus vivere possint. Hieronym. Mercurialistres hujus rei causas affert. Prima est, quod viscera nobiliora vitiosos humores à se quam maximè depellere soleant, ac propterea & hinc cerebri facultas humorem vitiosum ab eo maximè depellat. Secunda, quia in aliis visceribus similis humor non colligatur; cum ad humorem melancholicum expellendū natura machinata sit amplissimas venas, quæ educant sanguinem melancholicum ab epate (aut potius à vena portæ) ad lienem, ac lienem ipsum maximum, & ad excipiendum hunc humorem amplissimum. Tertiam causam hanc ponit, quòd, licet portio aliqua colligatur in cerebro, tot tamen sint motus maniacorum ut satis esse possint ad consumendum illum humorem atrum, ne noceat cerebro.

Verùm relinquamus has rationes suo loco. Quanquam enim natura expellat humorem melancholicum, ubi omnia rectè sese habent: tamen in hoc ipso morbo cum ulatum esse, & eà ipsa de causa in maniam ægros incidere, neque etiam motibus illis maniacorum violentis discutiposse, manifestum est.

Causa ergo potius in dispositione humoris hujus querenda est, quæ omnino talis est, (abest enim putredo & inflammatio) ut facultatem naturalem, ob cujus læsionem plerique morbi lethales sunt, non afficiat; imò calor ita auctus, aut fixus esse videtur, ut facultatis naturalis robor potius adjuvet, quam debilitet. Hinc & frigus hibernum, atque alios in diætæ errores enormes tolerare possunt maniaci. Ad quam rem tamen, ut supra quoq; dictum, etiã facere potest assuetudo: sicut sæpe videmus pueros penè nudos faciliùs frigus hibernum tolerare, quam viros quosdam optimè vestibus munitos. Præterea qualitates occultæ sæpe sine vitæ iactura longo tempore in corpore asservantur; cujus exempla suppeditant epilepsia, philtrea, & alia venæa.

CAPUT. XVI.

*De Rabie, & Hydro-
phobia.*

Reliqua deliriorū genera, quæ partim Melancholiæ, partim Maniæ affinia sunt, hoc, & sequenti capite comprehendemus. Et quidem quæ de iis in Institut. lib. 2. part. 3. s. 1. cap. 7. & sect. 2. cap. 4. diximus, hic non repetemus, sed pauca quædam addemus, & præcipuè de curatione hic tractabimus.

Et primò quidem Lycanthropiam quod attinet, duæ ejus sunt differentiæ: una Dæmoniaca; altera Naturalis, quæ medicæ considerationis est, de quâ nihil, præterea, quæ in Institut. diximus,

H h h 3 adde-

addemus, reliqua ex sequentibus de Rabie patebunt.

Quantum verò ad hydrophobiam & rabiem, etsi non semper hoc morbo affecti delirant: tamen quia frequenter hoc accidit, & præterea omnes præter voluntatem agunt; etiam inter deliria de ea agendum.

Appellatur hoc malum à plerisque hydrophobia, quod eo affecti aquam, imò omnia liquida, exhorrescunt. Alii sub nomine Rabiei caninæ de morfu

An & alia, præter canes, animalia in rabiem agantur?

canis rabidi, de veneno rabidi canis, & aliis, hoc malum proponunt. Verùm in genere Rabiem appellare malo; cum non canes tantum rabie corripiantur, & ab eorum morfu homo in rabiem incidat, sed, ut in Institut. dictum, etiam lupi, cameli, equi, sues, boves, vulpes, feles, &, ut Cœlius Aurelianus, *libr. 3. acutor. cap. 9.* & Avicennas, *6. quarti. tract. 4. cap. 5. & 6.* habet, ursi, leopardi, asini, muli, mustelæ, simiæ. Baccius in *tract. de venen.* etiam gallum in rabiem actum fuisse, & ab eo hominem interemptum, vidit.

Plerique tamen à cane Rabiei hoc nomen indiderunt, quòd frequentius, quàm alia animalia, canes in rabiem agantur. Imò sunt, qui existimant, solum canem primario & principaliter, & ex principiis internis rabie corripì, reliqua animalia omnia saltem secundario, & malo à cane rabido communicato, eà laborare.

Verùm non impossibile videtur, etiam in aliis animalibus hoc venenum generari posse, præsertim iis, quæ cognationem habent cum canibus; quales sunt lupi, qui frequentissimè quoq;

rabie corripiuntur, ut ex libello Germanico, *de lupis rabidis*, Joh. Bauhini patet. An vero in homine etiam generari possit, de eo in Institut. dictum.

Est nimirum Rabies affectus præter naturam, & sæpe quidem delirium, à veneno quodam peculiari in animali genito, & homini communicato genitum, cum vehementi liquidorum omnium, & aquæ potissimum, abominatione.

Definitio.

Causa.

Mali hujus causa est venenum peculiari modo dispositum, quod ab animali rabido homini communicatur. Et ut veneni hujus natura non in qualitatibus primis consistit, sed à rota substantia, ut loquuntur, agit: ira quoque non ex manifesta humorum corruptione, sed ex proprietate peculiari naturæ animalium insensè provenit, non ex qualitatibus primis; quod ex eo patet, quod indies multæ mutationes in qualitatibus primis accidunt, quæ tamen rabiem non excitant; & quod, ut plurimi Medici, & ipsa experientia testatur, non solum à maximo æstu, sed etiam per maxima frigora canes & lupi in rabiem agi solent; quod fieri non posset, si à caliditate & siccitate malum hoc originem haberet; cum à causa frigidissima effectus calidissimus fieri non possit: sed ab utroq; excessu hoc accidit, quod uterque humores corrumpere, vel corruptos movere potest.

Rabiei causa.

Cur autem canis præ reliquis animalibus in rabiem agatur, nonnulli causam ex qualitatibus primis, alii ex temperamento melancholico, quo canis prædi-

Cur canis præ reliquis animalibus sæpius in rabiem agatur.

præditus sit, deducere conantur; sed frustra. Nam cum qualitates primæ in aliis animalibus tale nihil efficiant, & nullis indiciis probari possit, canem esse animal melancholicum: omnino etiam hæc ad peculiarem proprietatem & inclinationem ad hoc malum contrahendum, quod canis præreliquis animalibus habet, recurrendum.

Quomodo venenum ab animalibus rabidis homini communi- cetur. Communicatur autem hoc venenum ab animali quocumque rabido, seu cane, seu lupo, seu homine, seu alio: & quidem frequenter per morsum & salivam; imo & per osculationem animalis rabidi, quâ seu saliva, seu halitus animalis rabidi excipitur: nonnunquam tamen & per solum salivæ animalis rabidi contactum, aut esum carnis rabidi animalis, ut in Institut. dictum.

Hoc saltem addimus, venenum rabidorum animalium nunc esse fortius, nunc debilius. Si venenum sit fortius, & majoris efficaciz, etiam contactu carnis, præcipuè mollioris, & rarioris, qualis est in lingua & labiis, rabiem inferre potest. Quandoque tamen etiam per cutem densiorem hoc præstat, sicut Matth. de Gradibus *conf.* 82. quendam, Johan. Coqueranum, ex sola manus impositione in os rabidi canis post multos dies rabie affectum fuisse refert; quod idem testatur Petrus Andr. Matthiolus. Si vero venenum sit debilius, non solo contactu, imo nec semper morsu, rabiem infert. Est enim, ut aliorum animalium venenatorum, ita & rabidorum animalium in hoc genere differentia, secundum io-

corum temporis anni, ac aliarum circumstantiarum differentiam

Scribit etiam Aretæus, *lib. 1. de sign. & caus. morb. acutorum, cap. 7.* quod à rabido cane, qui in faciem, dum spiritus adducitur, tantummodo inspiraverit, & nullo modo momorderit, in rabiem homo agitur. Et Cælius Aurelianus, *acutor. morb. lib. 3. cap. 9.* scribit, quod quidam in hydrophobicam passionem devenerint solius aspirationis ardore ex rabido cane adducto.

Post acceptum autem, & communicatum hoc venenum, alii citius, alii tardius in rabiem aguntur; alii quidem statim, & post paucos dies; & infra septimanæ spatium; alii post longius tempus. Anton. Musa Brassavolus, *lib. 2. Aphor. comment. 23.* scribit, repertos aliquos, qui 17. anno post morsum rabiem contraxerunt. Guainerius, in *tract. de venen. cap. 12.* scribit, se à fide digno accepisse, cuidam post 18. annum malum accessisse. Alzaharavius testatur, expertum se esse, rabidi canis venenum per 40. annos in corporibus delituisse.

Quæ autem causa sit, quod nunc tardius, nunc citius sese exerit, in Institut. dictum. Quibus hoc saltem addimus, ob partem etiam, quæ demorsa est, varietatem nunc citius, nunc tardius in rabiem incidere demorsos posse. Si enim nervus, vena, aut arteria læsa sit, citius, & breviori tempore, per has partes nobilioribus membris venenum communicari potest, quàm si pars

igno-

ignobilior, & cum partibus nobilioribus consensum non habens, demorsa fuerit. Quo etiam facit ipsius veneni natura, quod nunc debilius, nunc validius est.

Quamvis verò diu in corpore possit latere hoc venenum: tamen potius morbus ab eo inductus inter morbos acutos, quàm diurnos referendus. Illud enim tempus, quo actiones in homine adhuc salvæ sunt, & quo venenum nondum lædit, in morbum non computandum est.

Excitatur autem hoc venenum latens in corpore etiam occultis quarundam rerum actionibus; si nimirum quis sub umbra sorbi dormiat, vel commoretur. Narratque Guainerius, *tract. de venen. cap. 12.* venenum à morsu canis rabidi communicatum, quod per decem & octo annos latuerat, excitatum fuisse, cum morsus sub umbra sorbi maneret, egrumque intra tertium diem rabidum mortuum fuisse; quod & Fernelius affirmat. Et Matthiolus scribit, si commorsus à rabido animali ante annum exactum tangat vel cornus, vel sanguinariæ plantam, cum in rabiem incidere.

An venenum hydrophobiam inducens in corpore humano generari possit.

Atque hæc quidem mali hujus frequentissima generatio est, & venenum hoc ab animalibus rabidis homini communicatur. Observatum tamen est, venenum hoc, aut certè quod id æmulatur, & si non rabiem, tamen hydrophobiam inducit, brevique tempore hominem jugulat, in corpore humano generari posse, præcipue ex terrore; ejusque rei historias quinque recenset Marcell. Donatus, *de histor. medic. mirabili lib. 6.*

cap. 1. unam etiam Petr. Salius Diversus. *de affect. partic. cap. 19.* Præter quæ exempla notabilis etiam existat historia apud Fel. Platerum, *lib. 1. observat. de fœmina quadam, quæ noctu extra urbem relicta, & deserta, ac solitudine territa, domum reversa nec aquam, nec vinum, nec jusculum, nec aliud quicquam deglutire potuit, sed hisce oblati suffocationis periculum incurrit, imò ex contactu, & conspectu rerum liquidarum; & quod mirum, aërem non nihil agitatam, vel auram levem sentiens idem patiebatur: quæ octavo à prima invasione die extincta est.*

Signa Diagnostica.

Cum verò multum referat, malum hoc statim in principio agnoscere, ut *Signa diagnostica.* medicamentis idoneis ei obviari possit, antequam ad rabiem, & summum, ac incurabilem gradum perveniat; ac verò sæpe incertum sit, an canis, vel alia bestia, quæ hominem momordit, rabida fuerit, nec ne diligenter danda opera, ut in ejus rei notitiam perveniamus; præsertim cum vulnus, quod animal rabidum inflixit à vulnere, quod canis non rabidus intulit, nihil differat. Ad explorandū ergo, an canis, qui aliquem momordit, rabidus fuerit, nuces juglādes contritas vulnere imponere, & aliquot horis, vel per noctem, aut diē (pro ut vulnus magnū vel parvū fuerit; cum à magno vulnere facilius venenum nubicibus communicetur) super vulnere relinquere, & postea gallo vel gallinæ devorandas objicere. Si enim canis rabidus non sit, non morietur; si verò rabidus

duſ fuerit, poſtero die peribit. Alii triticum vulnere imponunt: alii ſanguinem ex vulnere detrahunt, & cum farina ofſam inde formant, ac gallinæ objiciunt, quæ ſi inde moriatur, canis fuit rabidus. Rhafes & Avicenna medullam panis vulnere affricare jubent, ut ſanguine, vel ſanie emanante inficiatur, eamque cani devorandam objicere, qui ſi illum non comedere, vel etiam non olfacere velit; vel, ſi comederit, inde rabidus fiat, aut moriatur; ſignum eſt, canem rabidum fuiſſe.

Verùm ut nullum dubium relinquatur, ipſum animal, quod aliquem momordit, conſiderandum. Secundum Dioſcoridem verò canis rabidus potum & cibum averſatur, multam pituitam, ſputumque ex ore & naribus emittit, vel potiùs ſaliyam ſicciffimam, & rubiginofam; præter ſolitum torvus videt, oculos rubentes & igneos habet, in omnes, notos pariter, & ignotos, ſine latratu irruit, eosque mordet, domeſticos non agnoſcit, non latrat, vel parùm, vox eſt rauca. Canes rabidi etiam ſunt macilenti, caudam demiffam, & ſub ventrem inflexam geſtant, linguam exferunt, eamque tanquam bile infectam, croceam, rubram, vel nigram; sæpe velociter currunt, mox ſubſiſtunt, sæpe in curſu in arbores, vel alia obſtacula impingunt, canes alii ipſos fugiunt.

Signa autem incipientis rabiei ſunt, anxietas & iracundia ſine ratione ventriculi vellitatio, & gravitas, & querela de aère inclementiore, & quaſi auſtrino, etſi ſerenus & mitis ſit, corporis gravitas, & impotentia ad omnes actiones,

L. I,

vigiliæ & ſomnus perturbatus, tumor ſine cauſa, parvum bibendi deſiderium contra morem. Ægri ſecum loquuntur, & murmurant, lucem ad luminum accenſionem etiam de die oprant. In parte olim vulnerata & commoſa, etſi ulcus jam diu fuerit conſolidatum, dolor quidam percipitur, ac verſus caput tendit; quod cùm apprehenderit, quædam vertigo excitatur, ut æger rectè progredi non poſſit. Quæ ſigna propterea diligenter attendenda ſunt; cum ſint jam iſtantis rabiei ſigna.

Ubi verò jam facta & confirmata eſt *Rabiei jam facta ſigna.* rabies, accidit membrorum quædam, veluti diſtenſio, pandiculationi ſimilis, ſed non continua; corporis & faciei rubor; ægri ſunt anxii, ſpumant, oculos torvos & aſpectu horribiles habent, in proximos exſpuunt; quidam more canum, ſi à canibus morſi fuerint, latrant, & obvios quoſque dentibus impetunt, & quidem præter voluntatem. Narrat enim Gentilis, in *Comment. in Avicenn.* adoleſcentem quendam rabioſum matrem hortatum fuiſſe, ne ſibi propinquaret; ſiquidem ſe continere non poterat, quin appropinquantem morſu invaderet. Aliqui ex iis delirant, aliqui verò mente conſtant uſque ad extremum ſpiritum.

Hoc omnibus commune eſt, ut aquam, & liquida omnia abhorreant, & cum vident pauxillum aquæ, timeant, ac pejus habeant; imò non ſolùm viſum, ſed nec ſonitum & nomen aquæ, & liquidorum ferre poſſunt.

Etſi verò, ut in *Inſtitut. lib. 2. part. 3. Cur rabidi ſect. 2. cap. 4.* dictum, alii alias hujus rei aquam abhorreant.

Iii

bilis

*Incipientis
rabiei ſigna.*

bilis ratio ibi proposita; quod nimirum venenum hoc, quod omnia membra hominis ægri occupavit, peculiarem diffusum & *diversum* ad omnia liquida habet, & à liquidis exasperatur ac concitatur, ut ferocius in partes infirmas sæviat. Ut enim quia phalangii specie, quam Apuli Tarantulam vocant, isti, audito musicorum instrumentorum sono statim exsiliunt, & saltare incipiunt: ita veneni à rabidis animalibus illati hæc vis est, ut à liquidis exasperetur; unde rabidi liquida omnia averfantur.

Pulsus in rabidis sunt pravi & inordinati, gravitas membrorum augetur, alvus supprimitur, urina guttatim redditur, vox est rauca, spiratio difficilis, ægri linguam exserunt, & cum malum valde intenditur, bilem evomunt, vel flavam, vel atram; singulu corripiantur: quæ tamen non in omnibus, & non, nisi uno atque altero die ante mortem, apparent; aliqui etiam paulò ante mortem convulsionibus, & maximo stridore dentium corripiantur.

Prognostica.

Prognostica.

1. Cum rabies, ut alii morbi, vel ad salutem, vel ad mortem terminetur; secundum Rhasem & Avicennam salutis spes est, si sanguis copiosè è vulnere effluxit, aut postea, dum vulnus curatur, vel sponte sudor multus, vel urina, præcipuè nigra, evacuatur. Veruntamen hisce non firmiter fidentum est, sed tutissimum, statim idoneis præfidiis malo huic occurrere. Unde Aëtius: Qui à rabioso cane morfi sunt,

si neglecti fuerint, vel malè curati, in affectionem aquæ timoris incidunt. Et Celsus: Ubi parùm citò initio occursum est, solet aquæ pavore nasci.

2. Si vulnus ab animali rabioso inflatum non sit profundum, nec nervus, vena, vel arteria vulnerata, de salute major spes est, modò idonea remedia adhibeantur.

3. Si malum jam eò processit, ut rabies & timor aquæ adsit, tum in angusto spes est: & Dioscorides, Paul. Ægineta, Aëtius, Celsus, Avicenna, & plerique alii Medici scribunt, nullum ferè, quem aqua timor jam corripuit, evasisse, etiamsi idonea medicamenta adhibeantur; & alios quidem 4. dierum spatio, alios intra septimanam mortuos esse. Cum enim membra principalia jam venenum occupavit, frustra omnia medicamenta adhibentur. Quia tamen Dioscorides ex aliorum relatione narrat, Eudemum, & Themisonem, Medicum, rabie affectum, pristinae sanitati restitutum fuisse, idemque de aliis etiam alii referunt: distinguunt hic nonnulli, & eos, qui per contagium ab homine acceptum in hunc morbum inciderunt, posse servari, eos verè, qui à cane, lupo, vel alio animali rabido mortu fuerunt, omnes interire putant.

Indicationes.

2. Duo ergo hic Medico agenda. *Pri- Indicationes.*
mo cum, si homo jam in rabiem inciderit, & hydrophobiâ correptus sit, spes sit in angusto; danda opera, ut quamprimum homo à cane, vel alio animali rabido morsus est, aut linguâ, ore, aut alio

alio modo sputum animalis rabidi tetigit, ne in rabiem aut hydrophobiam incidat, præserverur. Et quamvis ab initio gravia symptomata non percipiuntur: tamen quia sæpe longo post tempore, ut dictum, morfi in hoc malum incidunt; nullo modo curatio differenda.

Deinde si homo jam morbo hoc laboret, curandum, ut ab eo, quantum possibile, liberetur.

In præservatione tres scopi Medice sunt propositi.

Primus est, ut veneno morfu immisso via in corpus progrediendi intercipiatur, idemque mox revocetur & extrahatur.

Secundus, ut, seu morfu, seu alio modo communicatum sit venenum, prohibeatur, ne ad interiora progrediatur, & per univrsum corpus diffundatur, ac membra principalia, ne id admittant, sed potius à se propellant, roborentur.

Tertius, ut venenum, & ab eo impressa mala *Næ Jæns*, seu malignitas extinguatur.

Curatio.

Primum expeditur, si vincula partibus affectâ parte superioribus, si partis conditio admittat, injiciantur, & per tres vel quatuor digitos supra partem læsam arcta deligatio instituat. De quo tamen monet Celsus, *lib. 5. cap. 27.* ne partes nimium fortiter ligentur, ne torpeant. Ac si partis conditio ligaturam non ferat, medicamenta adstringentia, puta sanguis dracon. bolus Ar-

men. balauftia, & simil. cum ovi albumine vicinis locis imponenda.

Simul statim vulnere, quod ab animalis rabido inflictum est, cucurbitulæ cum scarificatione, si partis conditio id ferat, & quidem cum magna flamma, imponantur, ut venenum immissum extrahatur; qua in re tamen vulneris qualitas perpendenda. Si enim vulnus antea satis sit magnum, non opus est scarificationes adhibere, ne inflammatio excitetur, quæ postea impediatur, quò minus alia remedia, quæ venenum evocant, adhiberi possint. Si autem vulnus sit exiguum, locus morfus tunc scarificari potest, & quidem si aliquod temporis spatium à morfu præterlapsum sit, sæpius adhibenda sunt & partibus vicinis altiora vulnera infligenda. Si verò pars talis sit, ut cucurbitulæ commodè affigi non possint, scarificatio sola adhibenda, ut sanguis effluat, qui sicâ spongia è vulneribus exfugendus, non verò vulnus aquâ abluendum; aut hirundines applicandæ, quæ sanguinem veneno infectum exfugant. Si quoque vulnera ab animalis rabido infecta sint angusta, amplificanda, & carnis nonnihil orbicularim auferendum, si pars ferat, ut vulnus diutius apertum seruetur, ac venenum effluere possit. Licet etiam animalia viva, ut columbas, gallinas, plumis prius evulsis, podice vulnere admoveere, & si una moriatur, statim aliam adhibere, vel pullos gallinarum, aut columbarum per medium dissectos adhuc calentes læsæ parti imponere.

Cucurbitularum applicatio, & scarificatio.

Præservatio & Curatio, Ligatura.

Attrahentia medicamenta.

Postea applicentur medicamenta valde attrahentia, quæ Institut. lib. 7. part. 1. cap. 9. & part. 3. sect. 3. c. 36. sunt proposita; ex alio scilicet, stercore columbino, sinapi, nuce juglandæ, ruta cum fermento, sale & melle, quibus commodè admiscetur Theriaca. Utile est & emplastrum vel cataplasma de angelica. Commendatur plurimum ex Dioscoride desumptum, & sæpe cum felici successu usurpatum, ex alio, cepis, & femine tritici masticato paratum. Galenus, lib. 11. de simplic. med. fac. cap. de cancr. usûs, & lib. 3. de compos. medicament. secundum gen. cap. 5. Item, lib. 2. de antidot. cap. 11. commendat valde emplastrum paratum ex picce, opopanaxæ, & aceto.

Recipit autem

Piccæ lb. j.

acetii acerrimi lb. j. Unc. viij.

opopanax. Unc. iij.

Opopanax prius in cyathis 4. acetii dissolvitur, acerum, quod superest, cum picce coquitur, quod ubi consumptum est, opopanax additur, & coquuntur, cavendo ne efferveant; scribitque Galenus, neminem se vidisse, qui illo usus mortuus sit. In tenerioribus corporibus liquari potest vino, vel oleo veteri; in robustioribus per se applicatur.

Galenus, de theriaca ad Pisonem, etiam cum felici successu theriacam cum ol. rosat. liquatam imponi testatur.

Aëtius laudat hoc: *tetr. 4. ferm. c. 10.*

Rx. Spum. argent.

cerus.

resin. pini, an. lb. j.

ol. veter. lb. iij.

ceræ Unc. vij.

ammoniac. thymiam.

galban. an. Unc. jv.

Cerusæ & argenti spumam ol. coquito, donec manus non inquinent, deinde liquefacta adjicito, & unito.

Laudatur & emplastrum diadictamnum, quod Galenus, 5. de compos. medicam. secund. genera, cap. 4. descripsit.

Hieronymus Capivaccius, lib. 7. pract. cap. 12. sequens commendat:

Rx. Ciner. cancr. fluviat.

allii,

menth.

gentian.

aristol. rotund. an. Drach. ij.

baucar. laur.

boli Armen. an. Drach. j.

M. cum succo mentha.

F. Emplastrum, vel potius Cataplasma.

Expediitissima verò via est, adhibere cauteria actualia, quæ & venenum absumunt, & diuturnum ulcus, per quod virus effluit, relinquunt. Ustione peractâ danda opera, ut crusta quàm celerrimè amoveatur, ut venenum quàm citissimè per ulcus evacuari possit. Nam crusta ulceri in hærens facit, ut venenum retineatur, & ad corporis interiora penetret. Amovetur autem alias, si illinatur vitello ovi, & recenti butyro. Verum cum periculum sit in mora, si locus sit carnosus, etiam manuali opera crusta demi potest. Si autem locus ustionem non ferat, aut æger ignem actualem admittere nolit, adhibenda medicamenta caustica, & escharotica dicta, inter quæ etiam Sius sublimatus, & præcipitatus utiliter usurpatur. Ulcus servetur diu

du apertum, ad minimum 40. dies, ne aliquid veneni in corpore relinquatur.

Pars demorsa an statim amputanda?
Sunt nonnulli, qui, si partis conditio id ferat, partem demorsam statim amputandam censent, exemplo illorum, qui ab aspide, aut viperis demorfi digitos amputaverunt, & salvi evaserunt, ut refert Galenus, 3. de loc. affect. cap. 7.

Verum non ita necessarium hoc factu videtur: cum venenum canis rabidi non sit tam celeris activitatis, ac venenum aspidis, vel viperæ; & aliis modis satis evacuari & extrahi possit.

Quidam & hoc remedium proponunt; ut servus aliquis adhibeatur, qui ore è vulnere venenum exsugat. Verum cum id non sine periculo sugentis fiat, id tentare, quod gentiles in mancipiis suis sibi licere putabant, in fratribus Christiana charitas non permittit, præsertim cum alia remedia, quæ idem præstare possunt, sint in promptu.

Circa auxilia autem ista externa & chirurgica, quæ venenum evocant, Dioscorides, lib. 6. cap. 39. & Paulus Ægineta, lib. 5. cap. 3. admonent, quod si à principio prætermissa fuerint, (principium autem alii tribus diebus definiunt, alii ad septimanam extendunt) postea frustra adhiberi, & ægrum doloribus cruciari; cum jam venenum in totum corpus diffusum sit. Non tamen inutile fuerit, si quocunque etiam tempore fonticulus in loco affecto excitetur, ut continuè illà evacuatione venenum revellatur.

Ut autem cognoscatur, an hisce remediis venenum omne extractum &

dissipatum sit, nihilq; periculi amplius subsit, Paul. Ægineta ex Orbasio eadem probatione uti jubet, quæ usurpanti solet ad cognoscendum, an canis, qui morsum intulit, rabidus fuerit, nec ne: nimirum nuces juglandes tritas ulteri apponere, deinde gallo, vel gallinæ devorandas objicere. Si enim non moriatus, signum est, venenum planè esse extractum, vulnusq; ab eo mundatum, ideoque tutè cicatricem induci posse. Si verò moriatur, signum est, nondum omne venenum extractum esse, & propterea vulnus adhuc apertum servandum, operamque dandam esse, ut reliquum etiam extrahatur.

Venæsectioni hic nullus locus est, utpote quæ venenum non evacuat, sed vires debilitat, venenumque exagitat.

Purgationem quod attinet, ut ab initio ea instituat, nihil est, quod eam indicet. Imò si exhibeantur purgantia, metus est, ne venenum ad interiora trahatur, & humores, ac corporis partes inquinentur. Si vero malum jam progressum sit, & venenum ad interiora penetraverit, tum purgatio non inutilis est, eamq; tantum auxilii afferre scribit Dioscorides, ut quidam, qui jam hydrophobiæ propinqui essent, sumpto helleboro sanati fuerint; ideoque non semel atque iterum, sed frequentius ante diem 40. eâ ita uti præcipit. Imò nonnulli referunt, si canis rabidus helleborum album cum polenta sumperit, ac evomuerit, à rabie liberatum fuisse.

Humores tamen prius præparare non inutile fuerit calefacientibus, in-

cidentibus, abstergentibus, atque veneno simul resistentibus, ut sir. scord. de cortic. citri, betonic. de pomis, de succ. bugloss. epithymo, decoctionibus paratis de semin. citri, radic. gentian. angelic. dictamn. alb. scord. vinetoxico, bugloss. melissa, hippolapatho, &c.

Purgantia, quæ in Rabie caninâ conveniunt, sint omnium consensu validiora, ut elleborismus, hiera diacolocynthid. Ruffi, Archigenis, Logadii, Pacchii, pilul. ex helleboro, Jnio, de lapid. Lazul. cochix, de nitro, foetidæ. Si ætas, temperamentum, vires, vel ær dissuadeant talia, eligantur, mitiora, ac mediocria, ut est sena, epithym. polypod. ellebor. niger, myrobal. nigri, & agaric. præcipue, qui simul veneno resistit.

Composita sunt elect. de dactyl. confect. Hamech, elect. Indum majus, ac benedicta laxativa.

Reliquis scopis, nimirum ut veneni ad interna progressus prohibeatur, partes principes roborentur, quo facilius venenum à se propellere possint, ac maligna *Asp. Jentis* humoribus & corpori à veneno impressa aboleantur, iisdem ferè medicamentis satisfieri potest, scilicet antidotis, & iis, quæ peculiari huic veneno resistunt.

Simulque pulsus omnes, temporum, manuum, pedum, & cordis regio per biduum singulis sex horis, & aliis quinque diebus bis tantum in die, & circa locum demorsum etiam eodem modo, vel, ut alii volunt, tertiâ quoque horâ

illiniri debent oleis illis famosis Magni Ducis Hetrurix, vel scorpionis Martiol. aut aliis, ut venenum à partibus nobilioribus propulsetur.

Et si autem plurima à plurimis recenseantur: ramen cum non pauca ex iis fabulosa videantur, certa saltem enumerabimus. Ab omnibus verò commendatur *Alyssum*, ut Dioscorides, *lib. 3. cap. 89.* habet. De eodem scribit Galenus, *lib. 6. simpl. medic. fac.* Nuncupata est herba alyssum, quod mirificè juvat commorsos à cane rabido; sed & rabienti data sæpe in totum sanavit, & hoc ex totius substantiæ similitudine. De eodem etiam Plinius, *lib. 24. cap. 11.* Alyssum nomen accepit, quod à cane commorsos rabiem sentire non patitur ex aceto potum, alligatumque. Et Galenus, *2. de antidot. cap. 11.* modum exhibendi radit: Alyssum, inquit, herbam contusam & cribratam, accipe, cujus, cum opus fuerit, cochlear exhibe ex aquæ mulsæ cyathis tribus, à primo die usque ad 20. sin minus, saltem primis septem diebus. Verum ut auctores in commendanda hac planta contra morsum canis rabidi consentiunt: ita in eâ describendâ discrepant, aliamque Dioscorides, aliam Galenus, aliam Plinius describere videtur. Sed quia suam valde commendat contra morsum canis rabidi Galenus, præstat ei adhærere, & videtur Alyssum Galeni satis clarè descripsisse & depinxisse Tabernæmontanus, *libr. 2. herbar. sect. 5. cap. 5.* & quidem ex C. Clusii *lib. 4. histor. rar. plant. cap. 21.*

Commendantur deinde valde *canceri fluviatiles*, cum eorum cinis, tum decoctum, multo anetho admixto, *scordium*, *chamedrys*, *gentiana radix*, *ruta agrestis semen*, *chamamelum*, *centaurium minus*, *artemisia*, *aristoloch. rad. sylv. rosa*, *vincetox. radice*. Drach. jß. exhibita, *pulegium*, *oxylapath. carduus benedictus*. Radicem *cynorrhodi* Plinius, lib. 25. cap. 2. ut oraculo patefactam, commendat, eamque aliis omnibus ferè remediis præfert. Laudatur & vinum generosum statim potum, & allium comestum.

Inter composita antidotus è cancri pluribus commendatur & à Græcis, & Arabibus, ut ex Dioscoride, lib. 6. cap. 37. Galeno, 2. de antid. cap. 11. item, 11. de sem. fac. videre est. Scribitque Galenus, neminem unquam mortuum esse, qui cancrorum pulvere rectè usus sit, & quidem, 11. de simpl. medic. fac. ex Æschione, Præceptore suo, sumit cancrios fluviatiles post ortum Canis captos, quando Sol Leonem transit, Luna decimâ octavâ, & eos vivos in sartagine aris rubri comburit. Cinerum sumit duo cochlearia, vel Drach. ij. pulv. *gentian. cochlear. j. seu Drach. j. vini meraci iv. cyath.* quæ in modum polentæ diluta miscet, & quotidie bibenda exhibet.

Deinde ex Asclepiade recipit *cinc. part. x. thur. part. j. gentian. p. v.* & exhibet hujus pulv. cochlear. bibendum, xl. diebus, aut, si jam à morfu aliquot dies processerint, duo cochlearia propinat. De hoc tamen medicamento observandum, cancrios ve-

ros usurpandos esse, qui sunt corpore rotundo, non nostros gammaros, aut astacos. Nonnulli tamen etiam nostros usurpant.

Commendatur & à plerisque Medicis adversus morsum canis rabidi Theriaca, ut efficacissimum remedium, cui tutò in hoc malo præcavendo fidi possit. Galenus, in libr. de Theriac. ad Pison. cap. 14. & in libell. de Theriac. ad Pamphil. Scribon Largus, lib. de compos. medic. cap. 171. & 173. proponit quoddam antidotum Apuleii Celsi, & cap. 176. aliud, cujusdam Cassii, & cap. 177. antidotum Martiani, Medici, cui quia nihil deest, *τελειω* appellata sit, quæ felici cum successu in hoc morbo curando exhibita sit.

Laudatur à nonnullis & hoc Antidotum:

R. *Mixtridat. elect.*

pulv. rad. aristol. rot. an. Unc. ij.

terra sigill. Unc. ß.

muscarum, qua de Napelli fructibus

victum quarunt,

num. xx.

Cum succicuri recent. q. s.

F. Mixtura, cujus dosis Drach. j. ad Drach. jß.

Inter recentiores alexipharmacum præsentissimum proponit Palmarius, in libr. de morbis contagios. quod solum, neglectis purgantibus, & omisâ etiam vulneris curâ, quocumque à morfu tempore usurpatum, certissimum ac tutissimum remedium existat, & quo nullum unquam animal usum fuerit, quod non mali hujus periculum evitaverit, cum quacumque victus ratione

ratione, illæsis tamen capitis partibus, & modò vulnus inflictum capitis partes ore superiores non attigerit, aut aquâ elotum fuerit. His enim partibus vulneratis, aut parte vulnerata statim à morfu frigidâ elotâ, parum spci superest.

Est autem tale:

℞. Fol. *rus.*

resben.

salv.

plantag.

polypod.

abfynth. vulg.

menth.

artemis.

melissophyll.

beton.

hyperic.

centaur. minor. singulor.

æquale pondus.

Colligantur singula, quo tempore magis viribus pollent: deinde papyraceis chartis inclusa siccentur seorsim in loco, ad quem neque Sol, neque pluvia pertingat, ne vel nimium exarescant, vel situm contrahant. Post redigantur in pulverem, de quo Drach. jss. vel Drach. ij. singulis diebus demorso exhibeantur, vel cum saccharo, vel cum vino, vel jusculo, vel alio modo, jejuno stomacho, horis tribus ante cibum. Si tamen tempus aliquod à morfu inflictò præterierit, Drach. iij. exhibeantur.

Extra verò vulnus priùs spongia, vellinteolis siccis exsiccatum vino aut hydromelite, in quo pulvis hujus Drach. ss. soluta sit, bis vel ter quotidie

foveatur, deinde emplastrum, vel unguentum, quale in aliis vulneribus, admoveatur.

Post alexipharmaca, & purgationem etiam exhiberi possunt sudorifera, ut venenum dissipetur. Efficacissimum autem est visc. querc. lignum sumptum, viscus autem ipsum extrinsecus applicatum.

Sudorifera simul alexiteria sunt, dictamnus Cretic. & alb. vulgar. card. benedict. scord. tabac. angelica.

Ut ℞. Ligni visci q.

dictamni, an. Drach. ij. vel iij.

aq. chamamel. ss. ij.

Coqu. ad medietat.

Dosis Unc. viij. vel x.

℞. Dictamn. alb. Unc. ss.

lign. visci q. Unc. ij.

sem. & flor. carduibened. ana

Drach. jss.

F. Pulvis;

Cujus ℞. à Drach. j. usq. ad Drach. ij.

vini alb. generosissimi

Unc. jss.

aq. carduiben. Unc. ij. vel iij.

Mixta exhibe.

Præter sudorifera conveniunt, etiam diuretica antidotis mixta, vel exhibita, quæ utraque vi polleant, inter quæ præstant spica Celtica, valeriana, asarum, scordium, & alia, quæ eodem tempore, quo sudorifera, conveniunt.

Nonnulli etiam, & quidem Avicennæ autoritate, urinas validissimè provocandas esse, vel ad sanguinis mictum censent; cum hac ratione venenum simul excernatur; atque in eum finem cantharides etiam exhibent. Hinc rustic

stici vulgato experimento vermes, seu scarabæos Majales melle asservatos in hunc usum exhibent. Alii capita iis abscindunt, & rejiciunt, postea in oleū olivatum recens eos injiciunt, & quidem in ℞. j. num. vj. atque de hoc oleo ægro sapius Unc. j. vel Unc. ij. propinant.

Imminente Rabie quamprimùm validiora adhibenda remedia, ut sinapismi, vesicantia ex validissimis simplicibus parata, quale est tale:

℞. *Cantharid. abjectis pedibus & alis* Drach. vj.

sinap.

ellebor. alb. an. Drach. ij.

semin. ammeos Drach. j.

fermenti Drach. jv.

aceti scilicet. q. s.

Misce.

F. Massa, de qua portiones brachiis, femoribus, & tibiis apponantur, & diutius detineantur, ut cutis simul absumatur; ulceraque diu aperta serventur emplastro diachylo simplici.

Antidota propinentur in dupla quantitate, quàm in præservatione, singulis diebus manè theriac. vel Mithridat. Drach. ij. in vino potanti, vesperi, antecœnam, antidot. de cancris, gentian. ellebor. albus protinus exhibendus, (quitamen in rabie jam præsentem non exhibendus, ut nec alia purgantia, nec sanguinis missio tum concedenda) qui magis, quàm quid aliud, prodest, interpositisq; diebus repetendus. Hæcque antidota ad 40. diem tum exhiberi debent. Quidam suadent, ut æger in anno quater purgetur, & singulis 15. diebus sumat theriacam. Nic.

L. I.

Florentinus, ut per integrum annum antidota usurpentur, Aetius, ut singulis annis appropinquante morsu tempore per hieram æger purgetur, & instante die per triduum theriacam sumat.

Pro amuletis commendantur, dens canis rabidi humero suspensus & substratus, corium ursæ & phocæ.

Tandem si æger jam hydrophobia correptus sit, etsi, ut dictum, spes sit in angusto; tamen nec dum deferendus, sed medicamenta modo dicta exhibenda, verùm majore dosi. Palmarius ægrum etiam vinciri, & ore aperto illi suum pulverem infundijubet.

Antiqui etiam balneum & aqua potum commendant, scribitque Celsus, unicum hydrophobia oppressis remedium esse, non opinantem ægrum in piscinam non ante ei prævisam projiciant?

cere, ac si natandi peritiam non habeat, modo mersum bibere pati, modo attollere; si habet, interdum deprimere, ut invitus etiam aqua satietur. Verum observarunt plurimi, ad præcautionem quidem non raro hoc profuisse, quanquam alios nec ad præservationem huic remedio fidendum esse, experientia docuerit; hydrophobiâ vero correptis nihil profuisse, sed etiam nocuisse: id quod Cœlius Aurelianus, Avicennas, & Celsus docent, quod ipsa quoque ratio suadere videtur. Etenim cum intervenenum hoc & aquam tanta sit antipathia, ut ægri etiam ad visum, sonum, imo motionem aquæ exhorrescant, credibile omnino est, ex mersione in aquam, & potu ejusdem morbum magis exasperari.

Kkk

In

In præſervationis diæta vitentur pulli columbini, qui à tota ſubſtantia nocent; contra à proprietate commendantur caro arietis, cancri fluviatiles, caſtaneæ, braſſica. Veſcantur ægri & nucibus jugland. caricis, amygdal. alio, cæpà, porro, raphano, ſmirnio, aſparago, cichorio, rumice ſylv. & horrenſi &c.

QUÆSTIO II.

Quâ vi venenum animalium rabidorum agat?

Quæ hujus veneni cauſa ſit, & in quo mali hujus eſſentia conſiſtat, alii aliter ſtatuunt, & nonnulli quidem quandam putrefactionem eſſe dicunt; quod facit Fracaſtorius, *lib. I. de morb. contag. cap. 9.* Alii, ut ex Dioſcoride, Aëtio, Paulo Aegineta, & Actuario colligi poteſt, intemperiem calidam & ſiccam, in partibus præcipue ſolidis contractam, vel, ut Pelops, Galeni Præceptor, ſtatuit, ut ex *lib. II. de ſimpl. med. fac. c. de cancri uſu*, videre eſt; immodicam ſiccitatem, quaſi in contrarium habitum mutatâ penitus ſolidarum partium ſubſtantia, veneni hujus eſſentiam conſtituere ſtatuunt. Verum enim verò neq; in putredine cauſa hujus mali conſtrui poteſt; cum nulla putredinis ſigna adſint, ac putredo ſine manifèſtis ſignis tam diu in corpore latere non poſſit; neque etiam intemperies calida & ſicca ad conſtituendam hujus mali eſſentiam ſufficit; cum intemperies tam diu in corpore eſſe nõ poſſiat, ſine læſione actionum corporis, neque effectus inſignis caliditatis

& ſiccitatis appareat, neque ſi in intemperie cauſa conſiſteret, malum ferè incurabile eſſet: de quo Galenus, *1. proorhet. com. 2. t. 19.* Idem docet communicationis modus; cum tantillum ſæpe ſit, per quod malum hoc homini communicatur, & nihilominus tam inſignem in corpore mutationem efficiat, quod qualitates primæ in tam parva mole non faciunt. Inſuper durabilitas hujus veneni, tam longo tempore in tot corporis mutationibus permanens idem docet, in quibus nihilominus venenum hoc naturam ſuam retinet, imò indies ſe multiplicat; quod etiam patet ex hiſtoria à Fernelio allegata de lupo, qui in cibum variè præparatus plurimò & rabie infecit: quod fieri non potuiſſet, ſi eſſentia veneni hujus in qualitatibus primis conſiſteret; cum ignis vi qualitates illæ variè mutantur. Tandem & curatio idem perſuadet, quæ non qualitatibus primis, ſed tota ſubſtantia agentibus perficitur: de qua re in Inſtitut. loco allegat. dictum.

QUÆSTIO III.

An Vena ſectio in hoc morbo conveniat?

Cum morbus à canis, vel aliorum animalium morſu contractus ſit longè periculoliſſimus; & Antiqui & Recentiores Medici omnis generis auxilia ad depellendum hoc malum excogitarunt, & inter ea quidem purgationis, & venæ ſectionis mentionem faciunt: de quo quid ſit ſentiendum, paucis dicendum.

Et qui-

Et quidem venæ sectionem quod at-
tinet, primò quidem nonnulli venæ
sectionem in morfu canis rabidi præci-
piunt, persuasi, ut putant, authorita-
tibus Pauli Æginetæ, *lib. 2. cap. 2.* Celsi,
lib. 3. cap. 27. Rhafis, *lib. 20. continentis,*
tractat. 2. cap. 2. Deinde, etiam ratione;
cùm vero consentaneum videatur, si in
aliis vulneribus magnis venæ sectio ad-
hibetur, ut æger à dolore, febre, inflam-
matione, convulsione, & similibus ac-
cidentibus præservetur, etiam eodem
sine in morfu canis rabidi venam ape-
riri posse. Verùm, ut antea dictum,
contraria opinio vera est, ac venæ sectio
in morbis à cane rabido potius obest,
quam prodest; cum sanguinis missio
venenum potius, in venas trahat, quam
extinguat, simulque vires dejiciat.
Atque ea procul dubio de caussa Dio-
scorides, Galenus, Orbasius, Ægineta,
Actuarius, aliique Medici Præstan-
tissimi, ubi ex professo de hoc morbo
agunt, venæ sectionis nullam mentio-
nem faciunt, vel etiam planè eam reji-
ciunt. Et longè alia est vulnerum ma-
gnorum simplicium, quam morfus ca-
nis rabidi ratio, in quo potius à vene-
no, quàm à vulnere periculum. Et si
fortè aliqui sanguinis missionis men-
tionem faciunt, potius de ea, quæ ex
parte commorsa fit, quam quæ ex venis
in brachio, loquuntur.

QUÆSTIO III.

*An Purgantia medicamen-
ta in hoc malo conve-
niant?*

Qui purgationem in morfu rabido-
rum animalium instituendam negant,
eo potissimum argumento nituntur,
quòd veneni hujus natura non in qua-
litatibus primis, & manifestis, sed in
occulis consistit, & nec qualitatum
primarum alteratione, nec purganti-
bus, sed alexipharmacis, ac tota sub-
stantia agentibus curatur; quòd pur-
gantia calori nostro sunt adversa, id-
eoque vires potius frangere, quam
conservare videntur. Alii contra pur-
gantia admittunt, qui quidem faten-
tur, purgantia non recta veneno huic
adversari, illudque expugnare, sed hoc
solum à peculiaribus alexipharmacis
fieri: interim tamen hoc mediatè præ-
stare posse statuunt, dum nimirum vi-
tiosos humores, in quibus venenum
residet, educunt, atque ita venenum si-
mulevacuant.

Cui sententiæ ea ipsa de caussa &
nos subscribimus; præsertim cum ve-
nenum hoc sit lentum, & diu in corpo-
re hæreat.

Quo autem post morfum tempore
purgatio instituenda sit, dispiciendum.
Rhafes, *in tractat. 8. ad Almanf.* statuit,
statim in principio purgandum esse
medicamentis humorem melancho-
licum evacuantibus. Verùm alii Græ-
ci & Arabes omnes vetant in princi-
pio, id est, quando adhuc venenum in
partibus externis residet, purgatione
uti. Verùm hic considerandus mo-
dus, quo venenum hoc in corpus im-
missum est. Si enim labris & lingua
venenum in corpus attractum sit, sta-
tim in principio purgare licet; cum
aliis auxiliis venenum aliàs evocanti-
bus

bus locus tum non detur. Siverò mor-
su venenum, partibus externis immif-
sum sit, in principio purgare non licet.
Ideoque cum Rhases, *in tractat. 8. ad Al-*
mans. statuit, statim in principio pur-
gandum esse, id de priori casu intelli-
gendum est: de posteriori verò, quan-
do alii Græci & Arabes omnes vetant
in principio purgantibus uti, ne vene-
num ex vulnere ad interiora corporis
rapiatur, sed tum tandem purgantia
exhibenda sunt, cum omnia ritè circa
vulnus peracta sunt. Et licet ritè
omnibus peractis spes sit, venenum ex-
stinctum esse: tamen cum facilè fieri
possit, ut aliqua ejus portio ad interio-
ra penetraverit ea, quàm minima et-
iam fuerit, humores corrumpit, & in
sibi similem materiam immutat. Ide-
oque corrupti illi humores evacuandi
sunt, ut venenum simul evacuetur, &
alii humores à veneno & corruptis hu-
moribus non inficiantur, simulque me-
dicamenta, quæ reliquos humores à
corruptione præservant, & contra vene-
num purgant, exhibenda. Sitamen-
crassi humores adsint, ut ii facilius du-
ctum medicamentorum sequantur, at-
tenuantia priùs usurpant, & quæ pri-
mas vias evacuant, vel abstergunt, pos-
sunt. Præcipuè verò adhibenda alexi-
pharmaca, quæ vim veneni mitigant.
Ad purgationem autem in hoc morbo.
Antiqui omnes, Dioscorides, Oriba-
sius, Paul. Ægineta, Aëtius, Actuarius;
helleborum album comendant, eum-
que præ reliquis in hoc morbo effica-
cissimum esse dicunt. Antiqui etiam
hieram diacolocynthidos, hieram Lo-
gadii, Pachii, lapid. Lazuli & medica-

menta, quæ aliàs ad melancholicum
humorem & atrum usurpant solent,
commendant. Qui helleborum al-
bum reformidant, helleborum nigrum
usurpare possunt, & imprimis agari-
cum, qui in morbis venenosis com-
mendatur, & vim alexiteriam habere
prædicatur.

CAPUT. XVII.

De Tarantatis & Choreæ
S. Viti.

AD hunc locum non incommodè
refertur malum, quod ab ictu Ta-
rantulæ infertur; quo qui laborant, vul-
gò Tarantatos nominant. Et si enim
de morfu Tarantulæ etiam inter vene-
na agendum sit: tamen qui à veneno
hoc peculiare delirii & insanix genus
inducitur, etiam hoc loco de eo non
incommodè tractatur. Huic cognat-
um est balterum, quod Choream S. Viti
appellant.

Tarantule
morsus.

Est autem Tarantula, seu Tarantu-
la, Phalangii, seu aranei genus, quod
procul dubio à Tarento, antiqua Apu-
liæ civitate, nomen accepit, ubi fre-
quens est hoc animalculum, & valde
sævum. Et si verò ejus operationes planè
admirandæ sunt, ut videre est apud Ari-
stotelem, *lib. 9. histor. animal. cap. 39.* &
Plinium, *lib. 11. naturalis historia, c. 24.*
adedò, ut Aristoteles genus quoddam a-
raneæ *σφόδρον* nominet, & tela ejus,
ut ex Dioscoride patet, sanguinem sistit
& vulneribus commodè adhibetur, &
in tertianis diuturnis, ac quartanis pul-
sibus apposita febrè tollit: tamen vene-
nosum.

nosum & noxium etiam est animal, & non solum cum cervo, lacertis, viperis, bufone antipathiam habet, ut ex loco allegato Aristotelis, *Æliano, lib. I. cap. 8.* Plinio, *lib. 10. cap. 47.* patet, sed & homini damnosum. Et dubium ferè est, utrum magis admiranda sit e jus in tela texenda industria, quam planè ad Geometriæ leges conformat, & tam tereti filo, & ràm æqualia deducit stamina, ac à centro & medio texere incipit, circinnato o. be subtegmina annectens, ut Plinius loquitur: an verò veneni illius natura. Tam enim admiranda à veneno hoc hominibus inducuntur symptomata, ut reperti fuerint, qui penè pro fabula habuerunt, quæ de malo hoc scribuntur: cum tamen omnia sint certissima, & oculos hujus rei testes habeant plurimos, & hodie Apuliæ & Salentinis sint notissima. Antiqui equidem, Nicander, *Ægineta, Aëlius, & Celsus, Avicennas, Rhafes, & alii*, referunt plurima, eaque satis magna, quæ à Tarantula commorsis accidere solent, symptomata; nimirum quod dolor in parte icta exoritur, tumor & pruritus, supervenit corporis frigiditas, ventris ac totius corporis inflatio, virgæ in quibusdam erectio & priapismus, corporis stupor, tremor, membrorum convulsio & resolutio, aded ut juvenes etiam robustissimi omnes vires statim amittant, artuum dolor, corporis varia jactatio, vertigo, vigiliæ, somnus, deliria, vocis privatio, oculorum rubor, sudores frigidi, & similia quorum alia aliis, & quidem aliis plura, aliis pauciora: accidunt. Verum id.

maximè admiratione dignum est, quod, ut *Matthiolus, in lib. 2. Dioscorid. cap. 75.* scribit, icti à Tarantulis non solum alii perpetuò canunt, & alii rident, alii plorant, alii clamitant, sed & quod præcipuè mirum, veneni huius vi: Musicâ mulcet. Quandoquidem auditis lyricis instrumentis, per tiliarum sonum primo statim occursum icti à tarantula à plangoribus cessant, & in medium tripudiarum & saltare incipiunt, eamque diu rempersequuntur, ac si sani essent, & nullo unquam tenentur dolore. Quod si eveniat, ut tibicines tantillum quiescant, non multo post tempore in terram concidunt, & ad pristinos redeunt languores, nisi tam diu indeficiente sonitu saliant atque tripudiant, donec venenum partim insensibiliter, per cutis meatus, partim per sudorem exeat & discutatur. Ob id igitur tibicines stipendio conducuntur, alternatimque mutantur, ut absque ulla sonitus intermissione tam diu repudient: demorsi quousque penitus curati conquiescant. Refertque *Epiphanius Ferdinandus, histor. 81. senem 94. annorum aded debilem, ut non, nisi scopione innixus, ambulare posset, commorsum à Tarantula auditâ musicâ veluti capreolum statim saltasse & tripudiasse.* Unde etiam pauperes in Apulia omnem penè suam substantiam in musicos & tibicines erogant. Cum enim sciant, mense, Junio, Julio, Augusto, nisi tripudiant, se pessimè habere, sibi de nummis prospiciunt, quibus tibicines & musicos, qui per totam illam provinciam vagantur, & Tarantatis inserviando multum lucrifaciunt, conducunt. Et quidem tri-

pudiant & saltant intra oppida, in publicis plateis, in agris, alii uno die, alii duobus, tribus, quatuor, quinque; alii una hebdomade, alii pluribus. Neque semel icti uno anno saltant, & alii quidem bis, alii semel, sed sæpe per multos annos. Refertque idem Epiphanius Ferdinandus, se novisse mulieres, quæ usque ad decimum, decimum quintum, decimum septimum, trigessimum annum saltarent. Scribit etiam Petrus Pomponatius, *desat. lib. arb. & prædest. lib. 2. cap. 7.* sibi ab incolis Apuliæ relatum esse, quod illa saltandi libido per periodos annuos recurrat, & si quis morsus fuerit à Tarantula Calend. Junii, iterum sequenti anno ipsdem Calendis tripudiare eum incipere, & quidem (de quo tamen dubitat Pomponatius; & proinde experientia consulenda) si Tarantula moriatur vel suo fato, vel violentiâ non amplius venenum operati; quandiu verò vivat Tarantula, tandiu singulis annis morbum redire.

Præterea à Tarantulis morfi quidam circa sepulchra versantur, & in ferebris mortuorum cubant, virgines obscenas partes ostendunt, evellunt sibi crines; alii pensiles in cunis moveri, alii terrâ obrui cupiunt; nonnulli etiam alios morfu impetunt. Magnâ quoque appetentiâ laborant, præcipuè dum saltant, variis coloribus delectantur, & si quem colorem averfantur, eum, qui veste eo colore infectâ indutus est, insectantur; aquam abhorrent, vinum bibunt, & merum etiam potum eos non inebriat, & alia admiranda patiuntur.

Causse.

Verùm qua ratione à veneno Tarantulæ tot & tanta, ac tam admiranda symptomata inducantur, obscurissimum. Qui à manifestis qualitatibus, & à veneni frigiditate talia symptomata deducere conantur, eos operam & oleum perdere tam manifestum est, ut cum iis disputandum esse non censeam. Et optarim, ut ii, qui omnium rationes è qualitatibus primis reddi posse audacter, & gloriose promittunt, & ut præ aliis sapere, ac nihil ignorare videantur, ad necessarium ignorantia illud asylum, occultas qualitates, confugere turpe putant, hic exercent ingenium, & quantum possunt, periculum faciant, & eorum, quæ hæcætenus de veneni Tarantulæ, & musicæ in eo curando vidimus, & dicemus, causas è qualitatibus primis reddant. Nos hic, ut in omnibus aliis venenis, in occulta qualitate necessariò acquiescimus. Et quidem actiones naturales pleræque læsæ à spiritu & calore nativi, quæ à veneno hoc fit, corruptione proveniunt: nec mirandum, quòd tot diversa in diversis accidunt symptomata; cum idem etiam ab aliis venenis pro corporum diversitate accidat. Verùm quòd musicâ adeo delectantur demorhi, id imprimis in occultam, & *ἀπρητον* veneni hujus vim referendum, quæ à musica excitatur. Nam Tarantulæ ipsæ etiam ad sonum citharæ, tympani parvi, tibiæ, cymbalorum, fidium, solent saltare & tripudiare,

pudiare. Scribitque hac de re Epiphanius Ferdinandus: Qui nobis non credit, veniat, ac videat, ac periculum faciat. Nam verissimum esse, quod scribimus, inveniet. Imò etiam alia animalia à Tarantula demorsa saltant; refertque item Epiphanius Ferdinandus, se vidisse vespam à Tarantula morsam fuisse, & cum forte fortuna ibi esset citharædus, citharamque pulsaret, & Tarantulam, & vespam tripudiare cœpisse: gallum quoque commorsum saltasse ac tripudiasse.

Ira etiam quòd in Apulia præcipuè hæc symptomata accidunt, non in caliditate (cum alia loca sint calidiora) id referri potest, sed in occultam procul dubio regionis vim, seu cœlitus, seu divinitus immissam.

Signa Diagnostica.

Malum ex causa, quæ præcessit, ictu scilicet tarantulæ, ut & sequentibus symptomatibus cognoscitur, ut opus non sit hîc plura recensere.

Prognostica.

1. Malum hoc periculo non vacat, & nisi medicamentis idoneis curatur, potest esse lethale.

2. Et si verò Tarantulæ morsus periculosus est, non est tamen morbus acutus, ut ictus aspidum, viperarum, sed tardi motus est hoc venenum.

3. Rarò etiam morbus lethalis est, ut ex mille à tarantulis demorsis, si convenientia remedia adhibeantur, vix duo moriantur.

4. Secundum locorum varietatem

ut aliorum venenorum, ita etiam hujus veneni vis nunc major, nunc minor est.

5. Pro ratione etiam loci, qui pungitur, malum nunc periculosius, nunc mitius est. Qui enim in loco, cui vena, arteria, vel nervus subjectus sit, morsus fuerit, periculosius laborat, quam qui in carne solùm; cum hoc modo partibus principibus venenum facilius comunicetur.

6. Periculosum quoque, si Tarantula jejuna jejunum mordeat.

Indicationes.

Cum hoc venenum, ut alia, occultavi in corpus humanum agat, ipsi peculiariora & propria antidota statim opponenda. Et primò quidem si homo in loco, quia Tarantulis infestatur, degat, idoneis antidotis se munire debet, ne, si forsan pungatur, periclitetur. Si vero quis punctus sit, danda opera, ne venenum in corpus penetret, sed statim è corpore extrahatur; deinde ut per interna medicamenta è corpore expellatur.

Curatio.

Ad præservandum (ut & ad curandum) commendatur anchusa comesta, & decoctum ejus potum, artemisia, alium, bolus Armenus, theriaca, & antiphalangium, quod postea proponetur in curatione.

Deinde si quis à phalangio morsus sit, curandum, ne venenum ad interiora penetret, sed statim ad exteriora revocetur, & corpore extrahatur.

Appo-

Apponantur igitur loco commorso cucurbitulæ, vel etiam pars scarificetur, aut ei vesicatoria, vel stercus capræ, aut panis masticatus, aut muscæ cum fermento imponantur: idque statim fiat, antequam venenum ad interiora penetrat.

Ut verò venenum à partibus interioribus repellatur, mox alexipharmaca exhibenda: inter quæ sunt & antè in præservatione enumerata, quæ tamen hic in majori dosi fumenda. Inprimis verò commendatur ex Dioscoride semen pastinacæ sylv. ad Drach. j. cum vino bibitum: item melissa, vel agrimonia Drach. unius pondere cum vino hausta. Laudatur & radix aristolochiæ rotund. ad Drach. j. sumpta, ut & semen nigellæ, & succus plantaginis. Albucasis hoc Electuarium commendat:

℞. Flor. rutæ sicc.
costi,
mentastri,
pyrethri, an. part. æquales,
asa fatidæ partem quartam ad
pondus omnium,
mellis q. s.

F. Electuarium. Dosis Drach. j. Epiphanius Ferdinandus, quid diligens fuit in observandis iis, quæ circa demorsos à Tarantulis evenerunt, quinque remedia experientiâ comprobata commendat. Primum est aqua vitæ seu spir. vini. Cum enim omnes authores ad curandos Tarantatos vinum commendent: multò magis spir. vini utilis erit, qui felicissimè ab Unc. j. ad Unc. iij. pro ratione ætatis exhibetur.

Secundum est quinta essentia roris-marini, quæ ipsa etiam contra ictus Tarantulæ prodest.

Tertium aqua vitalis ejusdem, quæ ita paratur.

℞. Flor. citrànguli bonam quantitat.
fol. tenerorum quercus,
carduibened.
scabiosa,
acetosell.
fionchi,
salvia,
majorana,
flor. lavendula,
absinthii,
roris marini,
ussilaginis,
rosar. rubr.
scorzonera,
melissa,
pimpinella,
horruginis,
fol. arbuti,
lenticularis,
ruta, an. M. iij.
cyperi nostrat.
radic. angelicæ,
baccar. lauri
juniperi,
cortic. citri,
tormentilla,
zedoaria, an. Unc. j.
cinamom.
caryoph. an. Unc. ß.

Destillentur in Balneo.

Quartum est Electuarium Antiphlangium, quod omnia ferè simplicia contra Tarantulæ morsum commendata complectitur.

℞. Fruct.

℞. Fruct. myrti,
 tamarisci, an. Unc. j.
 sem. pastinaca
 nigell.
 agni casti,
 dauci,
 anisi,
 cumini,
 origani, an. Drach. j.
 terra sigill.
 boli Arm. orient. prepar. an. Drach. ij.
 centaur. minor.
 aristoloch. rotund. an. Drach. ℞.
 fol. meliss.
 trifolii bituminosi,
 chamapityos,
 abrot. an. P. ℞.
 theriac. opt.
 Mithridat. ana Drach. ij. ℞.
 succ. cæpar.
 allii,
 plantaginis,
 atriplicis,
 hederæ depurator. an. q. l.
 Cum melle fiat è succis Sirupus,
 cum quo fiat Electuarium, addendo
 spir. vini q. l. Dosis ℞. j. ℞.
 ad ℞. iij. cum vino.

In Præservatione Drach. j.

Musica vis Verùm nullum certius remedii ge-
 nus est, quàm Musica. Ut enim fide
 digni authores, & oculati testes refe-
 runt, si à Tarantula morsus jam mori-
 bundus, & ferè omnibus sensibus pri-
 vatus sit, quàm primùm cytharæ, lyræ,
 fidium, tympani parvi, cymbali, tibi-
 arum sonum audit, statim quasi revi-
 viscit, oculos aperit, aures arigit, in
 pedes sese attollit, primum digitos pe-
 dum & manuum secundum musicam

L. I.

melodiam movere incipit, hinc ma-
 nibus, pedibus, capite gestire, saltare
 & tripudiare. Unde in tota Apulia
 tempore æstatis tibicines vagantur, ut
 Tarantatis præsto sint.

Quâ autem vi hoc præstet Musica,
 obscurissimum est, ut, quod supra et-
 iam dictum, habeant hic, qui omnia
 ad qualitates primas deducere conan-
 tur, in quo vires ingenii experiantur.
 Equidem quæ de Musicæ viribus di-
 cuntur, nemini ignota sunt, esse ni-
 mirum in ea quid divini, Musicam esse
 animi exercitium, sicut motus est ex-
 ercitiū corporis, à dolore animum
 abstrahere, ad lætitiā invitare. Ve-
 rùm hoc in quæstione est, qui fiat, quod
 Tarantulæ veneno infecti ita musica
 delectantur, & ad saltandum ac tripu-
 diandum invitantur, & saltando à
 morbo liberantur.

Primò cur adeo Tarantati musica de-
 lectentur, aliud, quod dicam, non ha-
 beo, nisi quod animalculum hoc
 ipsum est harmonicum, & musica de-
 lectatur. Non enim omnia animalia
 musicâ delectantur, non sues, non bo-
 ves, non alia plurima. Tarantulam
 verò esse animal harmonicum, & ut
 Aristoteles appellat, σφόδρον, vel ex
 ejus tela apparet, quam plane ad Ar-
 chitecturæ & Geometriæ leges textit, ut
 id pulchrè Plinius, lib. II. cap. 24. de-
 scribit. Exemplum simile habetur in a-
 pibus, quæ & ipsæ in favis cellulas suas
 affabre, quasi ad Geometriæ regulas,
 delineatas formant. Eadem æris so-
 no quoque delectantur & convocan-
 tur. Quia ergo Tarantulæ musica dele-
 ctantur, ipsasque ad cytharæ sonitum

LII

tripu-

tripudiare vidit Epiphan. Ferdinandus; venenum quoque animalis hujus similem dispositionem sanguini & spiritibus in corpore humano (habente enim venena vim totius corporis humores & spiritus mutandi) imprimit, quæ postea auditâ musicâ ab imaginatione movetur. Sed quâ fiat, quod animalculum hoc musicâ delecteretur, & huic veneno vis adhuc impressa maneat, ut homo eo infectus auditâ musicâ ad saltandum moveatur, hoc nemo facillè explicabit. Ita admirandâ sunt Jehovahæ opera etiam in rebus minutissimis; & in abjectissimis animalculis tanti divinæ sapientiæ thesauri absconditi latent, quos nullus hominum facillè eruet. Deinde postquam à Musica occulta quadam, & inexplicabili via ad saltationem excitantur, saltationem sequitur veneni oppugnatio; cum motis cum corpore spiritibus venenum sensibilibiter per sudores, & insensibilibiter discutiatur, & vi naturæ, præcipuè si remediis adjuvetur, venenum præfens & agitarum expugnetur.

Malo huic cognatum est aliud, quod Chorea & saltus S. Viti appellatur. Hoc enim delirii & insanie genere qui laborant, dies noctesque saltare gestiunt. Nonnulli equidem choream S. Viti ad *ἑρθεσσιανὸν* Veterum referendum censent. Neque negandum est, quandoque etiam quiddam divini subesse, & malum hoc pœnæ loco interdum divinitus immitti, sicut sedecim viris, & tribus fœminis in cœmiterio choreas ducentibus ex-

imprecatione sacerdotis anno Domini 1012. id accidisse refertur ex Vincent. Beluacensi, lib. 26. cap. 10. Verùm sapissimè hoc malum à causis naturalibus, & humore maligno provenit; cum *ἑρθεσσιανὸν* Græcorum sine dubio à Dæmone immittus fuerit, & præcipuè in sacrificiis, quibus cessantibus etiam *ἑρθεσσιανὸν* cessavit. Qui vero hoc modo laborant, continuo, diesque noctesque saltant. Ita refert Felix Platerus, lib. 1. observat. ut & in *Præticis*. se vidisse fœminam Batilæ, cui magistratus viros aliquot robustos constituerat, qui alternatim uno fesso, altero succedente cum ead. dies noctesque tripudiarent. Quod ferè mensis spatio spectantibus multis duravit, sine ferè intermissione, etsi solearum pedum ejus cutis attrita esset. Et licet aliquando, ut cibum caperet, & somno correpta, sedere cogeretur: tamen gestu motuque corporis inquieto interim nihilominus corpus veluti saltans agitabat.

Ortum autem habet procul dubio hoc malum ab humore maligno Tarentulæ veneno simili. Sicut enim hydrophobia quidem à rabidorum animalium veneno extra communicato plerumque oritur; interdum tamen, ut iuprà dictum, etiam in ipso corpore tale venenum generatur, à quo hydrophobia excitatur: ita etiam non impossibile est, humorem malignum Tarentulæ veneno cognatum in ipso corpore generari.

CAPUT. XVIII.

De Comate Vigili, & Soporē gravi atque Ec-

statico.

Postquam symptomata, in quibus sensus Interni singuli seorsim lædantur, explicavimus; proximum est, ut de iis, in quibus sensus interni simul læduntur, agamus. Qualia sunt Coma vigil, Sopor gravis & Ecstasticus, Somnambulatio, & Lethargus.

Comatis vigilis natura quædam. Et primo quidem Coma vigil quod attinet, in eo sensus communis, Imaginatio & Ratiocinatio læditur. Nam, ut Institut. lib. 2. part. 3. sect. 1. cap. 7. dictum, qui Comate vigili detinentur, in somnum quidem propensionem habent, quem etiam clausis oculis plerumque exprimunt, dormire tamen non possunt, simulque plerique delirant, clamant, aut somno correpti statim, quasi territi, aut spasmo correpti, brachia vel crura inordinatè movent, & jactitant, atque excitati torvum vident, absurda loquuntur, & à delirantibus non differunt. Est enim Coma vigil, cum ægri clausos habent oculos, ut dormire videantur, cum tamen vigilant, seu cum clausis, & in somnum propensis, ac conniventibus oculis frustra somnum captare tentant ægri, & faciliè oculos aperiunt, ac delirala loquuntur, & manus ac crura; imo totum corpus inordinatè movent ac concutiant.

Differentia Estque Coma hoc duplex, ut habet Galenus, lib. de Comate, unum Phreneticum, alterum non Phreneticum.

Phreneticum est cum delirio; non phreneticum sine delirio. Phreneticum rursus duplex est, vel ignavum, cum ægri vix moventur; vel expeditum, cum ægri valde delirant, ac promptè moventur, & ubi vigilant, è lecto prosilunt, ac nonnunquam adstantes invadunt. Qualis ille æger apud Heurnium fuit, qui, cum ad somnum se composuisset, & cum monacho, custode clinico, solus relictus fuisset, rursus expergefactus monacho, qui de saigatus vigiliis & ipse obdormiverat, caput cultro abscidit, iterumque ad somnum se composuit.

Causse.

Causam hujus symptomatis quod attinet, ut ea, quæ in Institut. lib. 20. locum allegat. sect. 2. cap. 4. diximus, non repetamus, sed breviter saltem contrahamus; Comatis vigilis causam esse compositam, & quæ simul somnum & vigilias producit, extra controversiam est. Verùm quænam sit illa causa, controversum. Vulgo quidem assignatur bilis cum pituita, aut sanguine mista. Verùm probabilius est, causam hujus symptomatis esse vaporem narcoticum, simulque mentem turbantem; sicut hoc in spiritu vini, solano maniaco, & aliis multis narcoticis videre est, quæ & somnum inducunt, & deliria excitant. Ideoque præcipuè in febribus malignis hoc symptoma accidit, & teste Paulo Aegineta, etiam à venenis idem malum introducitur: qualia procul dubio sunt illa narcotica, quorum

supra, cap. 6. ex Prosperi Alpini lib. 4. de Medicina Egypt. cap. 20. mentio facta est: in quibus tamen venenis nulla pituitæ & bilis mistio est, sed peculiaris malignitas, & occulta qualitas, quæ simul & delirium & in somnum inclinationem parit. Quauquam enim vis narcotica ad somnum disponat, & adfit ad somnum inclinatio, atque ideoculis conniveant ægri: quia tamen ille vaporin causa est, ut multæ absurdæ imagines phantasæ obijciantur, accidit, ut ægri delirent, & dormire non valeant.

Si quis tamen duos vapores hic statuere velit, unum narcoticum & somnum inducentem, alterum somnum turbantem; nec cum illo morosè litigabo.

Imprimis verò maximam vigilandi necessitatem habet inflammatio phrenetica, si adsit. Et si enim vapor ille narcoticus faciat, ut æger ad somnum propensus sit: tamen inflammatio somnum impedit. Atque hinc accidit, ut, prout hujus vel illius causæ vis est major, etiam somnus vel vigiliæ, ac deliria prævaleant, atque æger nunc plus, nunc minus moveatur.

Nonnunquam tamen etiam (et si ratione causæ tum alterius generis videatur) hoc malum oriri potest à summa virium debilitate, quæ ex vehementi morbo immanissimis doloribus, aut immodicâ evacuatione accidit; unde homines oculos apertos servare nequeunt, & inclinationem in somnum habere videntur, non tamen dormiunt, ob dispositionis ad somnum necessa-

riæ defectum, & in summa dormiendi necessitate causæ somniferæ inopiam. Accidit hoc in iis, qui diurno morbo exhausti, jam in limine mortis versantur; ut in phthificis: quibus tamen non tantum virium defectus, sed & continuæ evaporationes calidæ in cerebrum, propter ulcus, & vomica in pulmonum, vigiliæ faciunt. Et hoc comatis genus est illud, quod Galenus Phreniticum appellat.

Huc pertinet etiam sopor ille gravis, qui *ἐνσουλός* dicitur, qui quidem à naturali causâ dependet (nam qui à causâ supernaturali accidit, de eo Medici non est agere, & dictum fuit de eo, *hæc modo allegato*, in Instit. oriturque à vapore simul somnum inducente, & insomnia simul excitante. Solum in eo videtur esse differentia, quod hæc quam in comate vigiliæ, somnus arctior est. Et habere narcotica quædam vim simul somnum inducendi, & multas in somnis spectra injiciendi, patet ex eo, quod Prosper Alpinus, de *Medic. Egypt. lib. 4. cap. 2.* scribit, Ægyptios asfirmare, si opiam, vel Asis, vel bosæ, vel bernavi, vel berts accipiant, sed plurima pulcherrima viridaria, atque formosissimas, lascivientesque puellas in somnis videre, vel alia, quibus delectantur: additque, hanc opinionem sic apud Ægyptios invaluisse, ut non tantum de plebe, sed etiam ex primatibus; Nobilibusq; Ægyptiis multi eum in finem hæc medicamentis utantur; ibique antiquam consuetudinem esse, ut aliquis ad aliquam rem vocatus, volens ejus laborem subterfugere, neget se id posse, quia eodie

die atque hora herbam comedere consueverit. Nam quum somnia nihil aliud sint, quam dormientium deliria, & certum sit, illa narcotica, ut ex eodem loco Prosperi Alpini patet, varia deliria in hominibus, antequam in somnum delabuntur, excitate non mirum est, etiam dormientibus imaginationem variis modis turbare, & varia spectra objicere, quæ illi pro veris habent.

Signa Diagnostica.

Qui Comate vigili laborant, ii, ut ex modo dictis apparet, oculis coniventibus somnum captant, dormire tamē non possunt, aut si dormiant, mox iterum excitantur; delirant, inepta loquuntur & agunt, corpus variè movent & jactitant, temerè è lecto surgunt, moxque iterum decumbunt.

Prognostica.

1. Coma vigil periculosum & curatu difficile esse, ideo vulgò docetur, quòd ex materia contraria, & bile cum pituita & sanguine mista ortum habeat. Verùm id falsum esse, & modò, & in Institut. loco allegat. monstratum. Interim periculosum esse negandum non est, sed alià de causâ: quia scilicet à vapore maligno & venenato ortum habet.

3. Si sermo sit impeditus, spirantibus in gutture murmur audiat, potu lenta ægri difficulter deglutiant, humor tenuis è naribus destillet, ægri supini cubent; morbum periculosum indicant.

3. Coma vigil in phrenitidem, vel lethargum mutari solet.

4. Lethale coma vigil est, quod ex virium infirmitate accidit.

5. Deliria vehementiora in Comate vigili plerumque convulsionem præfagiunt. Non quidem, ut vulgò docetur, quod calorem hic superiorem esse, & successu temporis totam humiditatem absumendo, ac siccitatem inducendo convulsionem pariturum indicio sit, sed potius quia vapor ille malignus spiritus turbans etiam nervos vellicando convulsionem inducere potest.

Indicationes & Curatio.

Eodem fundamento ut modo diximus, nixi plerique, quod scilicet ^{Indicationes & curatio.} contrariis causis constet, contrariis etiam medicamentis curandum esse Coma vigil censent, partim scilicet iis, quæ lethargum, partim quæ phrenitidem curant. Et quidem considerare jubent, utra causâ, bilis, an pituita superet. Nam si pituita bilem superet, ad lethargum curam magis esse dirigendam; si vero bilis excedat, magis ad curam phrenitidis esse declinandum.

Verùm puto, tutissimum esse, ad ipsam naturam vaporis hoc malum excitantis respicere. Et cum malum hoc raro solum invadat, sed plerumque febrium malignarum comes sit, tota ferè curatio ad febrim illam dirigenda est, ac malignitas expugnanda; cum sublatâ febris causâ, & malignitate expugnatâ, cum febre hoc etiam ma-

lum tollatur. Cum tamen materia tam caput præcipuè petat & occupet; ut à capite amoveatur, omnis danda opera.

Primo ergo venæ sectio instituatur, & si jam in principio morbi, cui coma vigil conjungitur, ea instituta sit, repeti potest, & vena in pede revulsionis gratiâ aperiri.

Hinc oxýrrhodium capiti admoveatur, & prout somnus, vel delirium magis surget, ista mixtura temperanda, ut malo præsentì conveniat. Ultra tamentriduum oxýrrhódina non continuanda. Glandibus quoque, clysteribus acribus, frictionibus fiat revulsio. Hinc materia præparanda & evacuanda convenienter. Tandem ut reliqua materia in capite discutiatur, & caput roboretur, inunctionibus & fomentis ex ol. chamæmel. irino, costino, pullegio, aceto maceratis, & similibus utendum; de quibus in caro & Lethargò dicitur.

Soporis gravis curatio itidem ex cura lethargi & cari patebit.

—Sopor verò dæmoniacus, ut à causa supernaturali pendet, ita etiam Medicæ curationi non subijcitur.

QUÆSTIO.

An Coma ἄρεπνον, ἔῤ Catochus sint iidem affectus?

Coma ἄρεπνον nonnulli etiam κάποχον, vel κάποχλη appellanti, & Coma ἄρεπνον ac Catochum pro eodem affectu habent. Reprehenditque Amat.

Lusitanus, *Centur. 2. curat. 15. in Schol.* Leonhardum Fuchsum, quod, *lib. 1. de morb. med. eodem capite. 24.* nimirum, de Catocho & Catalepsi egerit; putatq; catochum & catalepsi diversos affectus esse, eandem verò κάποχον & Coma ἄρεπνον, seu vigil. Verum ut existimo, sine ratione, & sufficiente causa. Cum enim κατάληψις & κάποχη deprehensionem, & firmam detentionem significant, à Medicis utraque vox iis tribuitur; qui ductis palpebris, & apertis oculis obrigescent quasi, & immoti ac fixi manent. Κάποχης verò, sive κάποχης vox propriè Comati vigili non competit; cum in Comate vigili ægri apertos oculos non habeant, ut faciunt, qui Catoche laborant, sed perpetuò conniveant, ut Galenus, *1. de Comate, cap. 3. & 4. & Comment. 3. in tert. Epidem.* docet. Κάποχης tamen vox non semper in una significatione usurpatur, ut infra, *cap. 29.* dicitur.

CAPUT. XIX.

De Somnambulis.

Pertinet ad hunc locum & eorum *Somnambuli.* P affectio, qui vulgò Noctambuli, seu νυκτοβάται (rectius forsan, cum etiam sani noctu ambulant, ἕπνοβάται, somnambuli), nominantur, qui dormientes è lecto surgunt, ambulant, & vigilantium munera exercent: quorum passim fit mentio apud Medicos. Ex professo verò de hac affectione scripserunt; Petrus Sal. Diversus, *de affect. particularibus, cap. 18.* Jacob. Historius, *in Com.*

in *Comm. de Noctambulis*. Andr. Libavius, *part. 2. singular. tr. 8.* dictumque etiam fuit hac de re *Institut. lib. 2. part. 3. sect. 1. cap. 7. & sect. 2. cap. 4.* Quibus ut quædam addamus, & signa ac curationem subjungamus, sunt Somnambuli propriè ii, qui dormientes noctu è lecto insèii surgunt, & dormientes ambulat, ac vigilantium, & mira quidem opera perpetrant; quorum tamen manè è somno excitati non recordantur, motu animali vi imaginationis fortioris concitato.

Mira verò planè, & vix credibilia, ac vigilantibus inimitabilia sæpe perpetrant isti somnambuli, quorum exempla quædam collegit Schenkius, *lib. 1. obs. 127.* Mirum & ridiculum est illud, quod ex Jacobo Horstio recitatur, de quodam Nobili, qui nudus in somno surrexit, indusium manibus secum gestans, & ad fenestram perrexit, ac correpto fune è trochlea pendente in domus fastigium ascendit, & in picarum nidum incidens, pullos indusio involutos secum abstulit, ad lectum rediit, & actorum immemor probè dormivit. Manè verò expergefactus, fratribus duobus in eodem cubiculo dormientibus quasi somniam id, quod revera perpetraverat, recitavit. Postea verò è lecto surrecturus, & indusium quærens, illud, sed pullis picarum circumdatum, invenit, & postea etiam cum fratribus picarum nidum expugnatum apprehendit.

Causse.

Perficitur autem iste motus beneficio pedum & manuum, & aliorum animali motui inservientium organorum. Im-

peratur à loco motiva stimolata ab appetitu, concitato à phantasia, quæ objectum aliquod in somno oblatum cognoscens illud appetitui vel fugiendum, vel apperendum offert. Est enim in homine vigilante ratio & voluntas in loco motivam imperium habeat: tamen in somnambulis voluntatis, & rectæ rationis imperium non concurrat; aut certè si concurrat, obscurum, obtenebratum, & exiguum illud esse ex eo patet, quod somnambuli sæpe in præcipitia, & loca periculosa adscendunt & feruntur, in quæ vigilantes conscendere nec possunt, nec audent, ut ipsi postea somno excusso, & periculi, in quod dormientes se conjecerunt, magnitudinem attendentes, toti cohaerescant.

Quæ autem fiat, quod non omnes homines affectum hunc patiuntur, sed quidam solum, & illi quidem non singulis noctibus, sed per certa intervalla, & alii quidem frequentius, alii rarius, consideratione dignum est. Causse verò proxima hujus rei esse videtur, quod appetitus in iis est fortior, & vehemens, ac locomotivâ agilior, & summa ad res expediendas alacritas; imaginatio verò debilior: ac causse adest, quæ sensus externos ligat, somnumque profundum excitat. Unde fit, ut ratiocinatio phantasiæ segniter operantis ope destituta, in somno nullas consideret circumstantias; & memoria quiescente errores phantasiæ non corriguntur. Inde etiam evenit, ut nec pueri, nec senes, sed adolecentes ferè, qui appetitum habent fortem, & affectibus faciliè ducuntur, hoc malo solum laborent.

Appeti-

A quo ad motum incitentur Somnambuli?

de somnambulorum natura & constitutio qualis.

Appetitus verò illa vehementia à spirituum dispositione pendet, quam quidem illi ab admistis vaporibus accipiunt. Ut enim sanis ratione dispositionis spirituum actiones illæ principes variantur: ita etiam somniantes rerum imagines in memoria asservatas alii clarius, alii obscurius perspiciunt, & non solum imaginatio, sed & appetitus hinc variatur, & quidem pluribus modis. Quidam enim planè quietè dormiunt, nonnulli in somno loquuntur, rident, flent, pedes & manus variè movent, in lecto sese erigunt, secum cubantes percutiunt; & si hic appetitus valde intendatur, tandem accidit, ut planè è lecto surgant, & ad rem appetitam persequendam moveantur. Neque enim hæ dormientium, & somniantium actiones differre videntur, nisi quòd hi surgunt, illi in lecto jacentes eadem ferè agunt.

Quæ autem vaporis illius, qui spiritibus hanc dispositionem imprimit, & somniorum illorum causa est, natura sit, alii aliter docent. Et plerique ex qualitatibus primis & secundis causas petunt, & alii melancholicæ, alii cholericæ corporis complexionis causam hanc asseribunt, cerebrumque humidum addunt, quod vapores illos ex inferioribus ascendentes condenser. Verùm, ut mihi quidem videtur, frustra; cum sufficientem hujus affectionis causam non afferant. Etenim in quocunq; corporis temperamento & constitutione, seu sanguinea, seu pituitosa, seu biliosa, seu melancholica affectionem hanc accidere posse, ipsa experientia docet. Ideoque mihi vero magis

consentaneum videtur, vaporem, hujus affectionis causam, talem penè vim obtinere, qualem illa narcotica, quæ sensus ligant, & simul somnia plurima, eaque clara excitant; qualia quædam dari, & Ægyptiis in usu esse, ex Prospero Alpini lib. 4. cap. 2. de medic. Ægypt. cap. preced. diximus, & quale quid, atque huic analogum etiam in comate vigili accidit, ut, *ibidem*, dictum: et si in his quædam occurrat varietas. Et enim in quibusdam sensus & motus ita ligatur, ut in lecto jacentes gestibus solum, vel voce, ad quæ in somnio stimulantur, peragant: iin comate vigili oculi subinde connivent, somnus verò ab imaginationis vehementia turbatur; in somnambulis sensus externi solum ligantur, appetitus verò tam fortis est, ut etiam ad motum animale hominem incitet. Et hoc ita sese habere, vel ex eo patet, quod inter evidentes & externas causas à Medicis lactuca, semen papaveris, vinum, & similia narcoticam vim habentia recensentur.

Disputatur hoc loco, an cholericis, an melancholicis ad hanc affectionem magis dispositi sint. Nonnulli cholericos, ob illam audaciam & temeritatem, quâ sua peragunt somnambuli, magis, quam melancholicos ad hanc affectionem dispositos esse putant. Alii probabilius esse putant, statuere, melancholicam spirituum dispositionem ad eam aptiorem esse. Melancholicorum enim imaginatio, ut ad deliria promptior, ita fortis planè est, & ita quidem, ut, quæ simul animo cõceperunt, pertinacissimè persequantur,

tur, & nullis persuasionibus à proposito dimoveri queant. Et narcotica ipsa, quæ somnia talia turbulenta inducunt, melancholiæ magis cognata, quàm aliis humoribus videntur.

Verùm negandum non videtur, melancholicam quandam dispositionem hic concurrere, & plerumque eos hoc malo laborare, qui ad affectionem hypochondriacam sunt dispositi; & in somnambulis, quod melancholicorum est, circa unam saltem rem imaginationem occupari, etsi in cæteris sopita quasi, & ligata sit. Quia tamen melancholici, etsi pertinaciter imagines impressas conservant, & circa eas fortiter occupantur, plerique tamen ad rem persequendam tardiores, meticulosi, & cunctatores sunt; contrarium verò in somnambulis accidit, qui expediti & audaces sunt: talis dispositio spirituum accedat, necesse est, quæ appetitum valde moveat, & omnino tale quid, quale est in vino, à quo etiam melancholici sæpe, dum eo incalescunt, in risum & jocum solvuntur, atque audaces fiunt.

*Proxima
somnia-
bulationis
caussa.*

Atque ita proxima causa hujus affectionis est fortior appetitus, loco motivam ad aliquid agendum stimulan, sensibus reliquis à vaporibus ligatis, nec phantasiam, & consequenter ratiocinationem moventibus. Ut enim phantasia modò est fortior, modò debilior: ita etiam appetitus modo est fortior, modò debilior; ut ex amore & odio apparet. Appetitus verò ille à spirituum dispositione pendet; quam inducunt vapores, qui spiritibus permiscentur, qui, ut diximus, vim sensus ligandi, &

L. I.

simul somnia multa, eaque clara, obijciendi vim obtinent, in quibus appetitus facillè movetur. Hinc adeo fit, ut somnambuli non singulis noctibus surgant, sed tum demum, cum vapores illi ad cerebrum eleventur. Quod faciunt tum causæ antecedentes, tum procatartica, & evidentes.

Inter causas antecedentes sunt humores, qui vapores suppeditant, qui ejusmodi dispositionem spiritibus inducere valent; qualis in ebriis & delirantibus sæpe apparet. Neque est, ut causam antecedentem ad unum humorem astringamus; cum omnes humores tale quid contrahere possint, quale ebriis & narcotica sumentibus accidit.

*Causæ an-
tecedentes.*

Hinc causæ externæ, evidentes, & procatarticae sunt, quæ vel ejusmodi humores & vapores subministrant, vel eos commovent; quales sunt fabæ, & alia legumina, lactuca, sem. papaveris, vinum recens dulce, vel aliud generosum caput replens. Faciunt huc etiam diurnæ actiones & cogitationes, quarum imagines memoria per somnum phantasiam objicit. Inprimis huc facit Luna, cujus motu ut epilepsia, ita etiam hoc malum commoveri experientia docet. Et præcipuè radii Lunares, si dormientis capiti incidant, hoc malum excitare solent. Facilius quoque ad hoc malum dispositi in aëre pluvioso, & turbido eo, corripiuntur, quàm in sereno: ut & post crapulam, & cibum, vel potum copiosius sumptum.

*Causæ ex-
terna, evi-
dentes, &
procatar-
tica.*

Signa Diagnostica.

Omnibus somnambulantibus hoc *Signa dia-
gnostica.*

M m m

commune est, quod noctu surgunt, & dormientes ambulat, & eorum, quæ egerunt, non reminiscuntur, aut, si reminiscantur, ea pro somniis habent. Reliqua, quæ agunt, & dormientes perperant, planè varia sunt, &, ut vigilantes alii aliis occupantur, ita etiam variæ sunt somnambulantium actiones, ut historia, quæ de hac re passim extant, docent. Quæ quidem nonnulli clausis oculis, alii verò apertis peragunt. Neque enim qui seras aperiant; pullos avium è nidis extrahunt, obviam factis de via cedunt, vel alia, ad quæ visus requiritur, peragunt, oculis clausis efficere possunt.

Cur somnambuli ea agant, quæ vigilantes non possunt?

Quod autem tam mira peragunt, & quæ vigilantes perficere non possunt, aggrediuntur & perficiunt, ædiumfastigia sine scalis superant, in puteos descendunt, ex iisdem ascendunt, præcipitiis sine damno se committunt; non est, ut causam corporis levitati spiritibus turgentis adscribamus, sed vera causa est, quod somno sensus ligati sunt, ac solo appetitû ductû cum lumina incogitantia, sine omni metu, actiones suas aggrediuntur. Videmus idem in ebriis & delirantibus fieri, quæ eadem temeritate ea sæpe perficiunt, atque ea pericula aggrediuntur, quæ sobrii & sanificere non possent.

Prognostica.

Prognostica.

1. Nocti surgium etsi plerumque nihil damni inferat: tamen quia somnambuli tales in vitæ discrimen sæpissime adducuntur, affectusque hîc in pejus malum, ut epilepsiam, vel simile quid

mutari potest; danda opera, ut æger ab eo liberetur.

2. Solet autem hic affectus sæpe ætatis decursu mutari. Ut enim infantes & pueri non facilè eo corripuntur, sed juvenes, & consistentis ætatis: ita etiam senes plerumque sponte deserit, humorum dispositione ad hoc malum inducendum aptâ mutatâ.

Indicationes & Curatio.

In Curatione ad duo attendendum. *Indicationes & curatio.*
Primo quid in paroxysmo agendum sit. Deinde quomodo is præcavendus sit. Prius quod attinet, si somnambuli sunt in loco tuto, excitandi sunt,

vel clamore, vel aliis modis, aut, si ex loco periculoso eripi possint, & illud faciendum. Si verò in præcipitio sint, vel alio loco periculoso, è quo vigilantes sine periculo redire non possint, nullo modo inclamandi, vel excitandi sunt. Observatum enim est, quosdam excitatos in vitæ discrimen pervenisse. Itarefert Bodinus, quendam dormientem noctu in profluentem ivisse, ulterius tamen non processisse: cum verò socius metueret, ne ulterius procederet, eumque proprio nomine inclamaret, eum tum repente corruisse, & submersum esse.

Inrependi etiam & castigandi sunt expergefacti, ut metu oburgationis, vel castigationis à surgendo postea absterreantur.

Ne verò iterum in somno surgant & ambulent, humores illi vitiosi, qui vapores illos, spiritus animales ligantes, phantasiamque turbantes emittunt, expur-

expurgandi. Sanguis nimirum, si abundet, evacuandus, humores vitiosi, imprimis melancholici, evacuandi, & alia, quæ supra, cap 8. sunt proposita, sunt agenda. Imprimis cerebrum est roborandum, ut supra, part. 1. dictum; & quæ postea de Incubi curatione dicentur, faciliè huic affectui etiam applicari poterunt.

Diata.

Diata Diata sitialis, quæ materiam, hujus
Aer. mali causam, non supeditat. Aër sit purus. Nocturadii Lunæ vitentur, & ne ii ad caput dormientis pertingant,
Cibus. caveatur. Cibi sint boni succi, non flatulenti, & qui somnia turbulenta pariunt, ut fabæ, lentes, & similia. Somnus non statim à cibo ineatur. Cœna sit parcior, animi affectûs sint moderati, ne imagines diornarum actionum, vel cogitationum vehementiorum in somno recurrant, phantasiâq; turbent.

CAPIT XX.

De Lethargo.

Lethargus. Lethargus nomen $\lambda\epsilon\theta\alpha\rho\gamma\omicron\varsigma$ $\delta\alpha\pi\omicron$ $\tau\eta\varsigma$ $\lambda\eta\theta\eta\varsigma$ $\delta\epsilon\gamma\mu\omicron\varsigma$, sive $\delta\alpha\pi\omicron$ $\tau\eta\varsigma$ $\lambda\eta\theta\eta\varsigma$ $\eta\gamma$ $\delta\epsilon\gamma\mu\omicron\varsigma$, vel $\delta\epsilon\gamma\mu\omicron\varsigma$ accepit, id est, ab oblivione & inertia, seu oblivione inerti, aut cum ignaviâ conjunctâ, quasi dicas oblivionem inertem; quoniam iis, qui hoc malo laborant, memoria ita læditur, ut nihil eorum, quæ fecerunt, viderunt, audiverunt, recordentur; & oculis clausis, ac in somnum perpetuò propensis quasi, ignaviâ sepulti jacent. Celus & ipse vocabulum Græcum reti-

nuit; cùm alii Latini Veternum nominent. Plinius tamen, lib. 28. cap. 17. Veternum à Lethargo discernere, & pro sopore gravi, seu caro accipere videtur. Generaliter, enim nonnunquam Lethargi vox, ut & vocabulum comatis & cari, pro omni somno profundo, & difficilis expergefactionis usurpatur.

In specie autem, & propriè Lethargus & Veternus is affectus est, in quo perpetua adest in somnum propensio, cum omniam rerum oblivione, imaginatione & ratiocinatione læsa, cum lenta febre continua. Seu Lethargus est inexpugnabilis dormiendi necessitas, somnusq; gravis, cum delirio & memoria læsa, ac lenta febre continua. Hæc enim in hoc affectu concurrunt, perpetua in somnum propensio, omnium rerum oblivio, delirium seu phantasia, & ratiocinatio læsa, ac lenta febris continua. Estq; Lethargus affectus inter coma vigil & carum mediæ naturæ. Nam qui Lethargo laborant, profundius dormiunt, quam qui coma vigil patiuntur: levius verò, quam qui caro laborant.

Causse & Locus affectus.

Verùm ut natura hujus affectus clariore evadat, de loco affecto, & causa ejus disquirendum; cum nec antiquiores, nec recentiores eâ de re inter se consentiant. Antiqui omnes causam ponunt pituitam lentam & viscidam, in cerebro redundantem, & putrescentem; etsi de loco & modo, quo id fiat, non omnes idem planè sentiant.

Plerique statuunt, frequentissimè cerebrum secundum anfractus suos, nonnunquam & secundum substantiam temperiemque affici, & à pituita imbibita nunc quidem solùm irrigari, nunc etiam instar spongiæ intumescere, & à pituita putredine incensa inflammationem, vel inflammationi simile quid exhiberi. Unde nonnulli Lethargum inter tumores cerebri ponunt, atque ipse Avicenna Lethargum apostema phlegmaticum nominat, genitum in meatibus substantiæ cerebri, hoc est, in sinuosis illis ductibus, & pliacaturis, non in membranis, quæ, ut ipse censet, humorem phlegmaticum, & duritiem non recipiunt; nec in ipsa cerebri substantia, quæ tam viscidam & lentam pituitam non admittit; nec etiam in ventriculis cerebri. Nam si in ventriculis cerebri gigneretur, apoplectici fierent; cum tamen Lethargici contra, quàm apoplectici, excitati oculos aperiant, audiunt, respondeant, quàm ægrè: quod indicio est, ductus spirituum à cerebro ad organa sensuum, non planè, ut in apoplexiâ, obstructos esse. Hinc Capivaccius, & alii Recentiores distinguunt inter Lethargum verum, & nothum: & verum ab inflammatione, alii ab apostemate frigido fieri statuunt; nothum verò absque apostemate in capite, sed per consensum aliarum partium, ut in febre quotidianâ, hæmitritæo, vel à membro aliquo: qui propterea sit continuus, sed modò intendatur, modò remittatur, secundum morbi modum. Et hujusmodi Lethargo sæpe laborare putant senes decrepitos, & quidem ob calorem

debilem, quo neque excrementa, neque vapores discutiuntur. Aliis tamen Galeni & Avicennæ interpretibus hæc non placent, qui in cerebri substantia, & anfractibus sine ullò tumore & inflammatione pituitam colligi & putrescere censent. Et licet Avicenna apostema phlegmaticum Lethargum nominet: id tamen non de tumore cerebri accipiendum esse putant Interpretes, sed de materiæ pituitosæ in cerebri anfractibus collectione, quam putredo & phlogosis quædam sequatur. Neque enim inflammationis cerebri adesse indicia, neque in Galeni scriptis occurrere putant, Lethargum tumorem, multo minus inflammationem appellari, ut ex 1. *proverb. comm.* 1. 13. *meth. med. cap.* 21. 3. *aphor.* 39. 3. *de caus. puls. cap.* 16. 4. *de presag. ex puls. cap.* 8. & plurimis aliis locis patet, in quibus quidem pituitam in cerebro putrescentem causam Lethargi ponit; tumoris tamen, vel inflammationis non meminit. Quod vero, 13. *de meth. med. cap.* 21. Lethargum phrenitidi contrarium malum esse dicit: id de loco affecto imprimis, & causâ, quæ in Lethargo est pituita, in phrenitide bilis, accipiendum existimant: unde 4. *de causis puls. cap.* 14. scribit: Lethargus in cerebro fit, Phrenitis in membranis.

Porro cum febris, quæ in Lethargo adest, lenta & obscura sit, eam à cerebri inflammatione, vel affectione inflammationis cognata deducunt, quæ ortum habeat à materia per se frigida, calida tamen per acidens, ob putredinem.

Pitui-

Pituitam enim putrescentem in cerebro vapores ad eam committere paucos, & non impensè calidos, atque hinc oriri febrem illam lentam censent, reliquum, quod non putruerit, refrigerando, & humectando soporem inducere. Et carum & Lethargum utrumque quidem à pituita oriri statuunt; eo tamen discrimine, quod in caro pituita non putrescat, in Lethargo verò putredinem concipiat.

Atque ita plerique Medici causam proximam & conjunctam Lethargi statuunt esse humorem pituitosum, frigiditate quidem, & humiditate calorem cerebri naturalem obtundente, & spiritus animales torpidos reddente, sed calore etiam per se per putredinem contracto cerebrum non nihil accendente & φλόγωσιν, atque affectum inflammationi similem, & hinc febrem lentam continuam excitante.

Hinc antecedentes causas ponunt, quæcumque pituitam in capite gignunt & cumulant; quales sunt aëris immoderata frigiditas, humiditasque, cibi visci & lenti; quod imprimis facit diætæ & ventriculus, quæ succum pituitosum generant, sive suo, sive alimentorum assumptorum vitio. Non tamen Lethargus generabitur, nisi materia prius capiti communicetur, illudque occuper, quod sit vel quod hepar succi hujus copiâ aggravatum eam ad cerebrum mittit, vel quod cerebrum ob calorem & dolorem eum attrahit, quo facit somnus multus à repletione, & supinus, præsertim diurnus. Hinc etiam Lethargum familiarem esse ætati ingravescenti, & consistenti, & iis, qui

naturâ sunt pituitosi, statuunt, ita tamen, ut calor aliquis superfit, qui febrem accendere possit.

Primitivas faciunt aërem crassum, turbidum, austrinum, moram in radiis Lunæ, cibos crassos & viscidos, ut & cœpas, quæ unam partem habent crassam, à qua generatur pituita; alteram vaporosam, quæ caput vaporibus replet; otium, intermissa exercitia, & alia, quæ supra, p. 1. c. 10. proposuimus, & pituitam in capite cumulare diximus. Et ut Lethargus actu inducatur, præstant, quæ faciunt, ut materia transpiratione prohibita in capite putredinem concipiat: qualia sunt cibi multi vapores ad caput exhalantes, vini potentis usus nimius, & similia. Atque hæc communis & vulgata de natura & generatione Lethargi est doctrina.

Inter Recentiores vero Platerus aliter hac de re sentit, negatque, ex putredine pituitæ, præsertim in capite, febrem accendi, aut fieri posse, ut idem pituitosus humor putridus suâ frigiditate carum, & calore febrem accendat, atque unum idemque & frigidum, & calidum esse queat; cum contraria in eodem subjecto consistere non possint. Ipse vero ita hac de re statuit, ut in febribus intermittentibus, ex materia in venis mesaraicis putrescente calore attenuatâ, & copiosè sursum ad caput in paroxysmi initio delatâ, sopor gravis in tertianis, & quartanis nonnullis accidit, & ut in febribus continuis cerebrum dolore præcedente diuturno, & gravi incalescitur, in vigore, vel post ipsum caro subsequente,

se percussam ægrum in summum sæpe discrimen adducit : ita in principiis continuarum febrium, si propter nimiam evaporationem cerebrum ita labefactetur, ut sopor gravis sequatur, Lethargum hunc esse dicit, qui cum febre continua copulatus sit, & mox cum illa invadat, quemque ab alio caro, qui in declinatione accidit, non adeo differre censet, nisi quod statim cum febre incipit. Et omnino hac in re Platerum rectius, quam Antiquos (nisi forsitan eorum sententia commodius explicetur) sensisse exikimo, atque impossibile esse credo, ut eadem pituita putrescente in cerebro, & febris, & sopor exciteretur. Etenim nec humor hic per se ad putredinem, præcipue in capite, concipiendam aptus est, neque, si eam concipiat, tantam concipere potest, quæ in totum corpus calorem diffundere, & cor ita labefactare potest, ut inde febris continua exciteretur; præcipue si extra cerebrum subsistat, & extra vasa ejusdem in sinuosis anfractibus putrescere debeat.

Hoc vero magis consentaneum videtur, soporem illum gravem non esse primum affectum, sed à vapore narcotico fieri, & esse symptoma febris talis, quas Platerus comitatas appellat, continuæ nimirum lentæ, qualis est quotidiana continua, tertiana notha, & semitertiana. Quod ipsum præter Platerum alii etiam Medici, qui pituitam scilicet præcipuam hujus mali causam statuunt, consententur. Unde Vidus Vidius scribit, Lethargum frequenter consequi febres pituitosas, ac

signis

malimoris, cuiusmodi sunt semiterti-

anæ, vel tertianæ nothæ, & pestilentes. Etenim sopor ille gravis, qui Lethargus non est, in variis febribus accidere potest; cum Lethargus saltem lentam febrem conjunctam habeat: quod indicio est, eum saltem cum febre pituitosâ conjungi. Ideoque etsi vapori narcotico in excitando Lethargus primas partes tribuimus, & à pituitâ in capite putrescente febrem non deducimus, sed febrem primariam affectum esse statuimus, quem Lethargus comitatur: tamen pituitam non planè excludimus, eamque, siue in toto, siue in capite collecta sit, ad malum hoc etiam facere, concedimus. Etenim si pituita in copia in capite collecta sit, & cerebrum aliâ sit humidius, atque homo in febrem incidat, & pituita illa in cerebro calore febrili quætur & fundatur, cerebrumque eâ irrigetur; aut si pituita in venis calore fusa per febrem in caput pellatur; eo facilius somnus, & quidem gravior, induci potest, vaporque narcoticus cum pituitâ concurrens somnum gravem facit, sicut cum bile coma vigil. Et ad sunt in hoc malo indicia, quæ pituitæ copiam non solum in cerebro, sed & venis cumulatæ arguunt. Urinam enim reddunt ægri instar jumentorum turbidâ, cujus causa est crudorum humorum in venis à calore facta agitatio; alvi excrementa sunt liquida, oculi plerumque & facies tument, ubi à somno excitati ad se revertuntur ægri, conqueruntur de colli doloribus, ex humoris decubitu ad spinæ vertebrae. Si quis tamen Lethargum etiam dari putat; qui à febre primaria non dependeat, sed quem

quem potius febris sequatur, cum eo etiam non pugnabo; modò commodè ea sententia explicetur. A pituita equidem solius putredine affectum talem, qui febrim habeat comitem, produci facile non posse, satis probabile est; verum si è sanguine pituitoso id fieri dicatur, absurdum non videretur. Galenus, 13. *meth. c. 12.* Lethargum malum phrenitidi contrarium secundum speciem esse affirmat; ac phrenitis, cum sit inflammatio membranarum cerebri, non à sola bile, sed à sanguine bilioso ortum habet. Ita vero consentaneum videtur, Lethargum non à sola pituita, sed à sanguine pituitoso, seu ab inflammatione pituitosa fieri, quæ febrim lentam etiam excitare potest. Quæ sententia, ut antea dictum, Capiuaccii fuit; quam *his* causâ sufficiente nonnulli rejiciunt. Neque enim, quod Platerus urget, sola pituita sine sanguine in cerebro putrescere, & tantum calorem concipere potest, ut febrim excitet. Et res ipsa loquitur, atque experientia testatur, inflammationem in Lethargo adesse, & saperantam, ut etiam sphacelus cerebri inde producat; cujus rei exemplum est apud Forestum, *lib. 10. observ. 11.* in nobili puero, cujus caput cum post mortem apertum fuisset, cerebrum & cerebellum, in parte dextra vergens ad posteriorem, omnino saniosum, putridum, corruptum, & sanguinolentum inventum est; quod indicio fuit, sine sanguine hanc putredinem excitatam non fuisse. E quibus Antiquorum & Plateri sententia forsitan aliquo modo conciliari potest, si cum Capiuaccio dica-

tur, Lethargum alium verum esse, alium nothum, aut potius esse duos Lethargi modos. Unum provenire ab inflammatione cerebri pituitosâ; alterum vel à vaporibus prodeuntibus in febre pituitosa primaria, vel à pituita copiosa in cerebro collecta, ibique à calore fusa & liquata.

Signa Diagnostica.

Qui Lethargo laborant, omnium obliviscuntur, delirant cum perpetua in somnum propensione, & excitati rursus feruntur in somnum, interrogatique vix respondent, oculosque, quos excitati aperiant, statim iterum claudunt: in affectu tamen graviore non ita arctè committuntur palpebræ, ut non aliqua albi oculi pars videatur. Ubi reversi ad se fuerunt, conquiescunt de capitis dolore gravante, & de colli doloribus, ex humorum decubitu ad spinæ vertebra, oscitant, osque hians aliquandiu ob ignaviam & oblivionem apertum servant, matulâ porrectâ eam se in manibus habere obliviscuntur. Febris lenta statim adest, cujus calor non acris, nec mordax est, eaque continua, habens tamen accessiones quotidie sub nocte. Pulsus magni sunt, aucti necessitate ob febrim, non tamen absolutè magni, nec respectu sanitatis, sed respectu respirationis, quæ cum sit parva, necessitariusque sufficere non possit; ejus vice pulsum magnum fieri necesse est. In Lethargo enim instrumenta respirationis, nervi scilicet thoracis, magis afficiuntur, quam vultus, arteriæ scilicet. Hic tamè sunt intermittentes, ob fra-

ob fractam facultatem, rati & tardi; quia locus affectus, nempe cerebrum, viscus molle est. Respiratio rara est, & imbecilla, ob motricem facultatem languentem. Non nihil tussunt, ob pituitæ defluxum ad laryngem & pulmones. Alvi excrementa plerumque liquida sunt, urinam reddunt, ut jumenta, turbidam; cujus causa est crudorum humorum in venis à calore facta agitatio, sine tamen separatione. Tument oculi & facies, ut somnolentorum; sudor multus, & præsertim in extremitatibus adest, isque ferè frigidus: lingua est alba & mollis, oculi prominentes, faciesque univèrsa est tumida & pallida: manibus & capite tremunt, ob nervorum principium affectum; supini jacent, ad pedes delabuntur, in multis singultus accidit.

Lethargi à cognatis affectibus differentie.

Quibus signis Lethargum à cognatis affectibus discernere non ita difficile est. A caro enim differt, quod in caro non adest febris, vel, si adest, præcessit, eaque vehementior. A catalepsi differt, quod in Lethargo oculi manent clausi, in catalepsi aperti, ægerque in eo, quo correptus fuit, statu permanet, quasi obriguisse. Ab apoplexia differt, quod in hac sensus & motus, ac ratio, principesque cæteræ facultates non solum inaminiuntur & hebetantur, sed & abolentur, respiratio solum servatà: & apoplexia non sensim gignitur, ut Lethargus, sed subito hominem invadit, & quidem sine febre. Ab uteri strangulatu differt, quod Lethargici excitati respondent; hystericae verò mulieres non, & præter hæc sæpe convelluntur,

febrisque abest. A comate, quod coma in accessione præcipuè febrilium invadit, iisdemque declinantibus remittit, vel evanescit: somnus verò, quo Lethargici opprimuntur, æquè profundus semper est, à quo ubi violenter excitantur, statim in eum relabuntur. A Typhomaniâ, aut comate vigili differt, quod in hac propensio, quidem in somnum adest; æger tamen non dormit, sed facillè expergiscitur: id quod in Lethargo vero non accidit.

Prognostica.

1. Lethargus acutum genus mali est, & nisi succutatur, celeriter jugulat, Celsus, *lib. 3. cap. 21.* omnisque Lethargus legitimus ferè lethalis: unde malum periculosius esse, quàm peripneumoniam, etsi & ea plerumque sit lethalis, testatur Galenus, *4. de Caus. puls. cap. 13.* ob partis affectæ præstantiam. Occupat etiam Lethargus partem præstantissimam, & gravissima habet symptomata nihilque, quod ad morbum periculosum constituendum facit, Lethargo deest.

2. Lethargici in septem diebus moriuntur si vero hos effugiunt, sani evadunt, teste Hippocrate, *2. de morbis.*

3. Lethargus accidens juvenibus, æstivo tempore, regionibus calidis & siccis, deterior esse statuitur, quam qui accidit senibus, hyemali tempore, & regionibus frigidis, ex *2. aphor. 34.* Platerus tamen senes plerumque interficere scribit; quod & ipsa experientia, & ratio persuadet. Sive enim febrem illam,

illam, ex sententia Plateri, spectes, sive inflammationem pituitosam, ex Capivaccio, utrobique senes, ob caloris nativi debilitatem, qui neutrum malum vincere potest, periclitantur.

4. Sanantur autem ægri, si facultas naturales & viralis constat, & actiones animales non valde læduntur. Si nimirum Lethargicus jam melius intelligit, facilius movetur, memorari incipit, ad interrogata respondet; spiratio fit facilior & liberior; parotides erumpunt die critico, multa exspuit, per nares purgatur, & symptomata omnia minuuntur, spes est ægrum convalesciturum.

5. Quando materia Lethargi causa, evacuatur per alvum, vel derivatur ad emunctoria post aures, cum febris & symptomatum remissione, bonum.

6. Contra verò, si symptomata statim ab initio sint gravia, ac vires prostrantur, nulla salutis spes est.

7. Qui ex Lethargo servantur, Empyici fiunt, teste Hippocrate, in *Coac. predict.* & in *certo de morbis.* Pituita enim à capite ad fauces decumbens, si non exspuatur, confluit ad pulmones, à quibus compressis in cavum thoracis spatium ejicitur, ibiq; putrescens suppuratur; ut à plerisque hoc Prognosticum explicatur. Monet tamen, non sine causa; Mercurialis, alienum esse à ratione; hoc Prognosticum de Empyicis in specie dictis interpretari velle; cum non sit possibile, ut materia, quæ in cerebro lethargum facit, in pectus transmittatur, ac ibi in pus vertatur. Ipse verò per suppuratos hoc loco eos intelligit, quibus materia putrefacta

per aures, vel nares evacuatur. Et verum est, Hippocratem ἐπιπνίματα sæpe nominare consuevisse non eas tantum, quæ fiunt circum thoracem, sed etiam in aliâ quavis corporis parte in pus mutationes, ut Galenus, 3. *aphor.* 8. & 7. *aphor.* 44. docet.

8. Si Lethargici urinas claras & tenues reddant, malum.

9. Si Lethargicus multa & liquida egerat per alvum, valde exigua vitæ spes est, teste Hippocrate 3. *demorb.* Nam indicium est prostratæ, & ferè extinctæ virtutis retentricis.

10. Quando symptomata, quæ Lethargo conjunguntur, invalescunt, & sudor frigidus, præsertim in capite, augetur, lethale est, virtute jam magis & magis debilitatâ, teste Avicenna.

11. Tremor in Lethargo malum statuitur, vel quia materia flatulenta resoluta cerebri nervos concutit, vel quia tanta materiæ copia significatur, ut & dorsalis medulla ab ea occupetur. Si tamen materia è cerebro expellatur ad nervos, & inde æger melius habeat, bonum; habetque se res, ut in paralyfi post apoplexiam.

12. Fit nonnunquam, ut Lethargus in sphaelum parte aliquâ cerebri desinat, quando sanguis pituitosus putrescens abscessum gignit. Adest tum dolor capitis vehemens, febris intenditur, tremores universi corporis accidunt, & aliterius lateris paralyfis, si totum cerebrum non sit occupatum. Cujus rei exempla sunt apud Amat. Lusitanum, Dodonæum, Forestum.

13. Lethargum phrenitis sanat, concoctâ morbi materia: & contra non

utiliter phrenitis in Lethargum verritur cerebri naturali calore extincto. Galenus, 6. Epid. comm. 6. aphor. ultim.

Indicationes.

Indicatio-
nes.

Exiis, quæ de natura & causis Lethargi dicta sunt, patet, curam partim ad febrem, sive ea sit continua quotidiana, sive semitertiana, sive tertiana notha, & malignitatem, si quæ adsit, partim ad caput dirigendam esse. Quæ ratione febres illæ sint curandæ, suo loco dictum.

Habitâ igitur febris, & totius ratione, eoque, quantum opus, evacuato, materia ad caput affluens & revellatur, & repellatur, æger a somno excitetur, materia, quæ ad caput affluit, evacuetur, & discutatur, caputque tandem roboretur.

Curatio.

Curatio.

Primo ergo danda opera, ne materia in toto corpore redundans ad caput feratur, verum potius ad partes cæteras revellatur, & quod commodissimum est, è corpore evacuetur. Et in revulsoriis auxiliis diutius, & ferè semper persistendum.

Vena-
sectio.

Ergo clystere præmissis sanguis evacuetur venâ cephalicâ, nisi id vires prohibeant. Et quidem maturè instituatur venæ sectio; cum morbus sit acutus; præcipuè si malignitas adsit, venæ sectio non diu differatur.

Ubi pituitosus humor, quod plerumque fieri solet, simul abundat, & frigidiore tempore morbus invadit, parcius sanguis ad ad Unc. iij, vel iij, e-

vacuandus. Nonnulli quidem plane dissident venæ sectionem; sed cum febris conjuncta sit, & procul dubio humor vitiosus per venas diffusus ad caput afflat; non solum à capite revellitur venæ sectione sanguis, sed & natura parte oneris levata reliquum facilius concoquet. Post cephalicam nonnulli venam frontis aperiunt. Potest & hinc vena in pedibus aperiiri.

Siverò venam secare non liceat, cucurbitulæ scarificatæ utiles sunt, quæ dorso & humeris primum, hinc versus occiput admoveantur. Utiles tamen etiam sunt cucurbitulæ non scarificatæ, quæ tractu suo non solum materiam à capite revellunt, sed & facultatem animalem sopitam excitant.

Si universi corporis evacuatio præcesserit, cucurbitulæ inter primam & secundam vertebam cervicis applicari possunt.

Cum commodò etiam hircines hamorrhoidibus affiguntur; quod remediî genus ab imminente Lethargo præservare, & jam Lethargo correptos ab eo liberasse, observatum est; præsertim si malum ab hamorrhoidum suppreffione ortum habet.

Eodem fine instituantur ligaturæ fortes, frictiones pedum cum sale & acetate, manibus inunctis ol. rutaceo, & de castoreo.

Reperantur quoque glandes & clysteres.

R. Parietarum
mercurialium
salvia,
maiorana
betonica.

Cucurbitularum
cucurbitularum
& sine scarificatione
applicatio.

Hirudinum
admotio.

Ligaturæ
& frictiones.

Suppositiorum
enematum
usus.

centaur. minor. an. M. j.

agaric. in petiâ ligat.

Drach. iij.

Coquantur in hydromel. ℥. q.

Colaturæ ℞. ℥. j.

elect. hier. simpl.

Ind. an. Unc. ℞.

℥. lilior. albor.

rutac. an. Unc. j.

mell. rosar. vel anthos.

Drach. vj.

sal. Drach. j.

E. Clyster.

Purgatio.

Post venæ sectionem sæpe statim ad medicamenta purgantia, transeundum; & præcipuè si humor ad caput ruensurgentis naturam præ se ferat, atque grave periculum immineat, si coctio, & præparatio humorum expectetur.

Ideoque attenuatis crassis humoribus, quantum temporis angustia concedit, purgantia exhibeantur. Cathartica autem medicamenta in principio mitiora sint, ob febrem continuam conjunctam. Commodum est hic infus. agar. cum hydromelite, cui aliquid rhabarbari addi potest; cum bilis plerumque humorum ad caput vehiculum sit, aut pilul. de hierâ cum agarico.

De purgantibus autem hoc monendum, quandoque solis pituitam purgantibus utendum esse, quandoque bilem purgantia admiscenda, prout pituita, vel bilis admiscetur. Si Lethargus est in principio, cum materia adhuc ad caput confluat, & ejus vehiculum sit humor biliosus, non solum pituitam purgantibus tunc utendum est, verum

etiam de bilem purgantibus aliquid admiscendū rhabarb. scilicet, & scammonium. In morbi progressu verò, & cum materia jam ad caput fluxit, & in eo hæret, solis pituitam purgantibus utendum; nisi forsitan febris etiam notha sit, & ex misto humore ortum habeat.

Si tamen febris sit remissior, & materia in capite valde urgeat, etiam fortiora exhibeantur. Possunt & clysteres actiores sæpius repeti.

Non incommodum fuerit & vomitum ^{Vomitum} totius uti, si materia in ventriculo con- ^{provocatio} tineatur.

Interim dum hæc peraguntur, & ^{Repellen-} quidem mox post venæ sectionem, ^{rium usit.} repellentia medicamenta capiti ad futuram coronalem applicentur, quæ supra, part. 1. c. 5. & seqq. proposita sunt.

Mitiora tamen illa usurpentur, ubi frigidus humor & pituitosus admistus est.

Neque à revellentibus interea desistendum, sed clysteres acres, ligaturæ & frictiones continuandæ. Post secundum, vel tertium diem repellentibus discutientium aliquid addendum, ut ol. chamæmel. rosac. flor. stachad. Arabic. origani, pulegij, calaminth, castorei.

Vel ℞. Ol. rosac. Unc. iij.

acetifl. tunic. Unc. ℞.

castorei Drach. ij.

M.

Alii cinerem capillorum humanorum admiscunt, quem Lethargi antipharmacum vocant.

Vel applicetur hoc Epithema:

℞. Nnn 2

℞. Fol.

Rx. Fol. maioran.

fl. lavendul. an. p. iij

rosarum rubr. M. j.

rad. angelic.

tormentill. an. Drach. j. β.

ostrutii.

zedoar.

aceti vinosopt. Unc. ij.

aq. q. f.

Coq. ad tertias. Colentur. In colatura stuppa mada fiat, capitique imponatur.

Somni inhibito.

Danda quoque opera, ut æger è somno excitetur. Excitatur autem iisdem ligaturis & frictionibus, quæ ad revelendum adhibentur; cum dolorificæ sint, ut & pilorum vellicatione, vociferatione & strepitu, ac aliis, quibus fieri potest, modis. Imprimis verò tactus, objecta vehementia & dolorifica hic plurimum possunt. Ideoque frequenter cucurbitulæ magnæ sine scarificatione variis corporis partibus applicandæ, plantæ pedum fricandæ, & alia objecta, & quæ ægrum ad vigilandum excitare possunt, ipsi objicienda.

Exemplum elegans Lethargici excitati ex Horatio, supra, cap. 2. recensuimus. Facit ad eam rem etiam inanctio palati cum oxymelite f. & scillit. sinapi, pyrethr. Mithridatio, & similibus.

Suffitus anticonvulsi.

Suffitus, quibus nonnulli ad excitandum utuntur, satis commodi hic non sunt; cum cerebrum valde repleant. Rectius ex pulegio, ruta, serpillio, hyssopo, origano, in aceto coctis, addita particulâ castorei, vapores calidi naribus ægri excipiuntur, de quibus supra cap. 2. dictum.

Vel Rx. Sem. nigell. Drach. j.

rad. angelic.

zedoar. an. Scrup. ij.

castor. Scrup. j.

baccar. lauri. Scrup. β.

camphor. gr. vij.

Contund. & Misc. F. Nodus ex sind. rubr.

Potest & sequens Balsamum naribus inungi:

Rx. Bals. angelic.

maioran.

ruta, an. Drach. j.

extr. theriac. Scrup. j.

ol. lavend. destillati,

galban. an. gutt. v.

M.

Vel acetum destillarum acre infundatur laminæ ferreæ candenti, & fumus naribus accipiatur.

Materia morbificæ præparatio.

Si morbus det induciâs, materia præparetur medicamentis ex betonica, salviâ, capill. Jris. maioran. roremar. feniculo, pulegio. Medicamentis quæ hic semper particula castorei admiscenda, utpote: cujus in Lethargi curatione ferè omnibus aliis medicamentis præferitur, & quo unico, ut Trallianus, lib. 1. cap. 14. docet, plurimi veterno correpti pristinae sanitati restituti sunt.

Exempli gratiâ,

Rx. Rad. feoic. Unc. j.

peron. Unc. β.

beton.

roris mar. an. M. j.

salvia M. β.

Coq. in aq. f.

Cola-

Colat. R. Unc. ix.

*oxymel. Unc. ij.**mell. rosar. col. Unc. j.*

M pro 3. dosibus.

Vel R. *Oxymel. f. Unc. ij.**castor. Drach. β.*

Misc.

Est & efficax hęc oxymel. scillitic. quo æger singulis diebus cum sirup. de betonic. & simil. utatur. Si febris sit valida, à sirup. de stœchad. abstinendum. Utilis est & spir. ☉, ac ois, cum aquis & sirupis cephalicis exhibitus; cum humores crassos attenuet, & incidat, & evaporationem ad caput prohibeat.

Vel R *Lign. sassafras,**rad. pœon. an. Unc. j.**acori veri Unc. β.**salvia,**beton.**maioran.**satureia, an. M. j.**flor. stœchad. Arab.**rorismar. an. M. β.**sem. fœsel. Drach. ij.*

Coqu. in hydromel. lb. ij. in vase clauso.

Colaturæ clarificatæ addē

*oxymel. scillit.**mell. rosar. colat. an. Unc. j. β.*

& aromatizetur

nuc. mosch. Drach. β.

pro tribus vel 4. dosibus.

Pituita
purgasio.

Postea purgantia fortiora usurpentur. Utendam ergo ad pituitam purgandam agarico, semine carthami, mechoacannâ, turbiti, electuar. Indo major, Episcopi, diaphanico, benedictâ laxativâ, trochisci, alhandal. Alexan-

der Trallianus scammon Scrup. j. cum castor. Scrup. ij. in oxymelit. exhibet, quo deploratos multos se restituisse testatur. Verùm etsi, ut Oribasius ex Ruffo Ephesio refert, nullum aliud sit Lethargo correptis æquè utile ac effica medicamentum ad purgandum pituitam, quâ bilis admista in caput detulit, quàm scamnoneum cum castoreo exhibitum: tamen cautè hic in dosi agendum, præsertim in febre continua, quæ hoc malum comitatur. Neque tamen & in purgando cunctabundus nimis, aut timidus sit Medicus; cum materia ad caput ruens valdè urgeat, & consultius sit, eam evacuare, dum in motu est, quàm dum in capite firmata est, & sedem ibi fixit. Et omnino periculum in hoc morbo aliquid periclitari permittit, & ut Serenus habet: *Medici hac potiora putant, quam dulci morte perire.* Et si accidat, ut Lethargus per crisi veniat, humoribus, qui morbum produxerunt, ad caput ruentibus, & febris, quæ adfuit, jam facta sit remissior, tum totius, & febris non magnam habere rationem oportet, sed necessarium est caput respicere, & materiam, quæ ad id fluxit, & in eo hæret, præparare & evacuare, sicut supra, *part. i. cap. 10. dictum.*

R. *Turbiti. elect. Scrup. iiij.**agaric. alb. Drach. ij.**zinzib. Scrup. ij.**sem. fœnicul. Scrup. j.**fol. beton.**salv. an. P. ij.**castor. gr. vj.*

Infundantur in f. q. hydromel.

N n n 3

Colat.

Colat. R. Unc. iij.
 mell. rosat. solutiv. Unc. ℥.
 Misce.

Si vires ferant, adde
 electuar. Ind. Drach. j.

Vel R. Pilul. de agaric.
 cochiar. an. Drach. ℥.

castor. gr. iij.
 extract. panchymagog. vel methoa-
 can. gr. vj.
 F. Pilulæ xx.

Clysteres acriores repetendos esse,
 antea etiam diximus.

Ut R. Hyssop.
 calamint. b.
 origan.
 flor. stochad. Arabie.
 hyssop.
 centaur. minor. an. M. j.
 pulp. colocynth. in petia ligata
 Drach. j. ℥.
 agar. in petia ligati Drach. ij.
 sem. cartham. Unc. j.
 fœniculi,
 cumini, an. Drach. ij.
 Colaturæ R. ℥. j.
 adde hier. simpl.
 elect. indi, an. Unc. ℥.
 olei rutæ. Unc. ij.
 F. Clyster.

Supposito-
 riorum ap-
 plicatio.
 Quod si clysteres vel non retinean-
 tur, vel nimis retineantur, atque ita pa-
 rum profint, glandes acriores immit-
 tendæ, & toties repetendæ, donec al-
 vus egeratur.

Ut R. Sp. hier. picra Galen.
 Drach. ij.
 pulp. colocynth.
 agar. alb. an. Drach. ℥.
 diagryd. Scrup. i.

sal. gemm. Drach. ij.
 mellis q. s.

Coquatur mel ad justam consisten-
 tiam, & species inspergantur, ac fiant
 Glandes.

Neque omittenda, ubi universales *Materia*
 corporis evacuationes præcesserint, *morbifica*
 humorum per urinam evacuatio, ex de- *perurizantem*
 cocto rad petrosel fœnicul. asparag.
 gramin. asari, quæ unâ operâ & humo- *evacuatio.*
 res crassos attenuare, & ad vias urinæ
 deducere possunt.

Atque hoc modo Antiqui tam præ-
 parantia, quàm purgantia satis fortia
 & calida usurpabant, ut febris cum Le-
 thargo conjunctæ nullam ferè ratio-
 nem habuisse videantur: idque ex eo
 fundamento, quod putarunt, febrem
 esse saltem symptomaticam, sequi
 putredinem pituitæ in cerebro, quâ
 sublatâ febris cesset. Verùm cum, ut
 antea dictum, si rem diligenter perpen-
 damus, febris non solum sit sympto-
 matica, sed ex materia febrili vapores
 narcotici in caput ascendunt, & calor
 pituitam in capite fundat, vel ex uni-
 verso corpore pituita in caput ruat: fe-
 bris planè non negligenda est, & prout
 est intensior, vel remissior, medicamē-
 ta moderanda, ac calida illa medica-
 menta, quæ aliàs caro competunt, in
 Lethargo ob febrem ita temperanda,
 ne periculum, quod aliàs à Lethargo
 imminet, auctâ febre per calidiora me-
 dicamenta duplicetur. Et potest cali-
 ditas medicamentorum temperari oxy-
 melite, quod aliàs commodissimè ad-
 miscetur. Et si omnino ob revulsio-
 nem materiæ purgantia, eaq; fortiora
 requirantur, nec tamen febris ea ad-
 mit-

mittat; clysterum usus repetitus, ut dictum, commodissimus est.

Sodoris provocatio. Nonnunquam sudore Lethargus, seu potius febris, Lethargi causa, finitur, eaque sublata etiam Lethargus cessat; quod ipsum indicio est, febrem esse morbum primarium, quod si naturam vergere animadvertamus, sudor arte & medicamentis promovendus.

Universali curatione peracta caput evacuandum tam sensibiliter, quam insensibiliter per nares, palatum, errhinis, ptarmicis, inunctionibus palati. Insensibiliter embrochis & fomentis, inunctionibus, & aliis supra, *part. 1. cap. 10.* propositis.

Sternutatoria etiam ex helleboro albo & nigella parari possunt. Inprimis pulvis rad. lilii convall. naribus insufflatus tanquam appropriatum hic remedium commendatur. Apophlegmatismis, ut & Masticatoriis, ob illam in somnum propensionem aegri non facile utuntur. Ubi tamen sese recolligere incipit aeger, non negligenda.

Formula horum remedium perantur ex *allegato cap. 10. part. 1.* Inprimis vero, ut antea etiam dictum, castoreum in hoc malo magnae efficaciae est, & reliquis omnibus praefertur, quod non solum vim habeat pituitam incidendi, sed & quia caput non valde repleat ac turbet. Ideoque errhinis & apophlegmatismis admiscendum.

De Sternutatoriis hoc monendum, si affectus perseveret, & aeger difficulter excitetur, eorum usum commodissimum esse; non tamen continuo

in eo persistendum, ne caput repleant, ac humores nimis fundant ac moveant. Multo magis ab initio morbi ab intempestivo sternutamentorum usu abstinendum; cum magis ab iis tum materia fundatur; partibus impingatur, unde morbus sit contumax, vel interdum in apoplexiam degenerat.

Tandem insensibiliter resolventia *Diaporeticorum usus.* applicanda, & a mitioribus ad fortiora progrediendum, quae etiam ex *cap. 10. part. 1.* petantur.

Vel coquatur castoreum in succo rutae, & aceto ac oleo, atque eo occiput fricetur: nonnulli capillos hominis ustos addunt.

Ut *R. Castorei Unc. ℞.*

capill. homin. ustor. Unc. j.

acetii,

succiruta, an. q. s.

Misc. coque caput itroretur & fricetur.

Aut hoc Decocto caput illinatur:

R. Beton.

salvia,

rorismar:

stor. stoechad. Arab.

spica nostrat. an. Drach. ij.

castor. Drach. iij.

baccar. lauri,

iuniperi, an. Unc. ℞.

sem. paeon.

rutae.

fenicul. an. Drach. j.

pyrethri Drach. iij.

Coqu. in vase duplici, vel loco calido digerantur, colaturaque expressa caput illinatur.

Veli

Vel ℞. *Baccar. lauri,*
cuniperi, an. Unc. j. β.
rad. angelic.
zedoar,
Imperator. an. Unc. j.
herb. thoris mar.
salvia,
betonic. an. M. j.
ruta,
satyria,
maioran.
flor. lavend. an. M. β.

Incisa bulliant in f. q. aceti; in quo decocto spongia, aut linteum in eo madefactum, calidè capiti imponatur. A fomentatione hâc capiti absterfo sequeus adhibeatur Linimentum:

℞. *Ol. ruta,*
maioran. an. Drach. ij.
satyria Scrup. j.
succini Scrup. β.
rorismar.
zedoar. an. gutt. vij.
 Misce.

Rondeletius hoc utitur Linimento, quod capiti raso applicat:

℞. *Castor. rec. Drach. ij.*
ciner. capill. propr. Drach. ij.
 Dissolv. cum oxyrrhodino, & redigantur ad formam unguenti.

Vesicatoriorum & sinapismorum applicatio.

Quod si mitiora non sufficiant, ad vesicatoria ac sinapismos, ex sinapi, pyrethro, columbarum stercore, nigella, euphorbio, castoreo, &c. adscendendum, ut & alia medicamenta, quibus materia ex alto attrahitur, quæ scapulis, humeris, post aures, aut derafo capite vertici & futuræ coronali imponantur.

Ut ℞. *Pulv. cantharid. Scrup. j.*
euphorb. Scrup. β.
piper. gr. vij.
fermenti Unc. β.
 F. Vesicatorium.

In mollioribus vesicatoria ex pulvere & semine flammulæ Jovis parantur, quibus octava pars pulveris cantharidum addi potest. Quodd tamen dictum est, vesicatoria locis capiti vicinis, vel ipsi capiti applicanda esse, id de morbi progressu, & cum materia jam capiti impacta est, ac in eo quiescit, & cum derivationis atque evacuationis gratiâ applicantur, accipiendum est. Aliàs verò, ut hoc superioribus addamus, etiam revulsionis gratiâ in principio morbi vesicatoria usurpari possunt; sed loco remotiori tum applicanda, cruribus scilicet, vel brachiis.

Nonnulli, cum morbi vis maxima est, etiam cauteria actualia occipiti inter primam & secundam vertebra applicant.

Tandem caput robotandum medicamentis supra, *part. 1. cap. 14.* propositis, ut:

℞. *Conserv. beton.*
anthos,
salvia, an. Unc. j.
laven. dul. Unc. β.
calam. aromat. condit. Drach. ij.
nucis mosch. cond. Drach. j.
spec. aromat. rosat.
diamb. an. Drach. β.
Mithridatii Scrup. ij.
 Cum *sirupo stœchad. simpl.*
 F. Electuarium.

Vel ℞. *Conserv. flor. anthos,*
primul. veris, an. Unc. β.

rosar.

Capitis reboratio.

rosar. incarn. Drach. iij.

spes. arom. rosar. Drach. j.

latif Gal. Drach. β.

Cum sirup. de stœchad. & modico

acetos. citri

F. Electuarium.

Vel q. Aq. salvia,

lavendul. an. Unc. j. β.

extr. angelic.

zedoar. an. gr. v.

essent. castor. gutt. iij.

manus Christi c. ol. succini

Drach. iij.

aq. theriacal. Drach. j.

Misce.

Imprimis castorei usus continetur, malum protrahatur, & manè per aliquot dies ejus gr. iij. & iij. cum oxymel. simpl. vel scillit. aut sirup. de stœchad. exhibeantur. Testaturq; Tral-lianus, ut etiam antea dictum, multos isto morbo victos hoc solo remedio mortem evasisse.

Chymici plurima quidem commendant, veluti sunt ol. majoran. rorisma. serpilli, rutæ, salviæ, ol. & extr. castorei, quod gran. aliquot pondere in aq. lilior. convall. majoran. & rorisma. exhibent: sed istis omnibus hîc, & in similibus cerebri affectibus præferunt q̄ Lunæ hoc modo paratum:

q̄ D. Be. D purissimi tantum, quantum videbitur; solve in aq. forti. communi. Deinde calcina q̄, cui affunde aq. calentem, & vulgari via sal q̄ elice: filtra lixivium hoc sale q̄ imprægnatum, & injice D dissolutum; & præcipitabitur D in formâ subtilis. calcis: calcem hanc frequenti aquæ calentis affusione

L. I.

edulcora, & à falsedine libera; tûm intra prunas in tigillo triquetro colloca, ut colorem assequatur puniceum. Calci affunde acetum ter destillatum, & extrahetur q̄ coloris cærulei. Acetum tinctum separa, & aliud substitue, dum nihil aliud amplius extrahatur. Abstrahè in cineribus per alembicum acetum, & q̄ Dæ remanebit in fundo.

Jam q̄ spir. vini subtilissimi part. j.

salurina part. β.

Misc. probè, & in balm. vaporosum collocata invicem uniantur. Hinc q̄ Dæ id superfunde, & denuò hoc solvatur. Solutum vasi circulatorio inditum per dies 30. circuletur, postea in cucurbitam non nimis amplam circumlatam liquorem transfer, & ex arena destilla forti igne. Sic q̄ Dæ cum spiritu unâ ascendit per alembicum coloris cærulei. Hoc postea cum extr. castor. dosi gr. vj. vel viij. miscendum, & in aq. salviæ, majoran. rorismarin. quotidie exhibendum.

Dista.

Aër sit moderatè calidus, alteratus ^{Dista.} odoribus ex castoreo, pulegio, hyssopo, origano, & similibus, purus ac lucidus, ut spiritû excitentur. ^{Aer.}

In principio sit victus tenuis & paucus, vimq; attenuandi humorem pituitosum habeat, altereturque propterea hyssopo, roremarino, majoranâ, & similibus, oxymelite ob febrem addito. Ratione febris quidem commodus est ptisanæ usus, sed conspergatur ea cinomomo. Reliqui etiam cibi aceto, & herbis cephalicis condiantur. In progressu

000

gressu

gressu tamen morbi, & præcipuè in declinatione, aliquid carnis boni succi, & facilis coctionis cõcedi potest. Nonnulli utuntur lacte amygdalar. dulci cum melle. Sed quia amygdalæ vim quandam somnum conciliandi habent, usus earum hîc tutus non est. Vitentur omnia alimenta pituitosa, & vaporosa; pisces, lac, fabæ, legumina, fructus frigidi & humidus, ut Persica, pyra, poma, pruna, ficus.

Potus sit aqua hordei cum cinamomo, vel hydromeli, quod sit plenius vel diluuius, prout febris minus vel magis surget. Utile quoque est oxymel dilutum.

Vel *R. Mell* lb. j.

aq. lb. iij.

salvia.

bitonic. an. M. j.

Coquantur ac digerantur.

Colaturæ adde *acedi* Unc. iij.

F. Oxymel.

A vino absteineat æger usque ad declinationem, aut, si ob ventriculi imbecillitatem aliquid vini ægro sit indulgendum, sit aquosum & subastringens.

Somnus & vigilia.

De somno non plus concedatur, quam quod viribus saltẽ conservandis sufficiat. Ab assiduo verò somno æger omnibus modis arceatur, imprimis mox à cibo. Et cum æger obliuiosus, & quasi stupidus sit, ac cùm mictionis, tum egestionis alvi obliuiscatur, admonendus & sollicitandus, ne urinam, vel feces alvi diutius detineat; curandumque, ut af-

yus quotidianè egeratur.

CAPUT. XXI.

De Lassitudine.

HActenus de symptomatibus, in quibus sensus interni solummodo læduntur, actum est. Proximum jam est, ut de motus animalis symptomatibus, ac lésionibus dicamus, quales sunt, Lassitudo, Pandiculatio, Inquietudo, Horror & Rigor, Tremor, Convulsio & Motus Convulsivi, Paralysis, & Motus impotentia.

Et ut de Lassitudine primò dicamus, quæ Græcis est *κόπῃ*, dolor, labore imprimis, qui Græcis *πόνῃ*, contractus, est ea in genere sensus quidam molestia in partibus motui animali dicatis, seu pigritia quædam, & debilitas, & ad motum animale inepitudo cum dolore; cùm scilicet homo ob exercitium & laborem ad motum, quem prius facillè obire poterat, suscipiendum non ita aptus est, ut antea, sed cum molestiâ quædam & dolore aliquid agit.

Lassitudo.

Recensentur autem Lassitudinis *Differentiæ* quatuor genera: Ulcerosa, Græcis *ἐλκυσία*, *κώδης*, Tensiva, *πενώδης*; Inflammationis speciem referens *ἰσχυροκώδης*, & Exsiccativa.

Excreta.

Commodè tamen in duo primùm genera omnis Lassitudo dividi potest. Alia videlicet Lassitudo est Spontanea, quæ etiam sine insigni motu & exercitio ab humorum vitio provenit, & corporibus cacochymicis vel plethoricis accidit: alia non spontanea, quam

Lassitudo spontanea.

Exsiccativam nominant, quæ nimios labores, & corporis motum, etiam abfque humorum vitio, sequitur.

Laf-

Lassitudo spontanea tria Lassitudinis genera sub se complectitur: Ulcerosam, Tensivam, & φλεγμονώδη.

*Lassitudo
ulcerosa,
eiusq;
caussa.*

Ulcerosa est imbecillitas corpus movendi, cum sensu punctiois in ambitu & musculis totius corporis, à materia acri & mordaci. Quam qui patiuntur, per univetsam cutem, & corporis ambitum quasi puncturas, ac si acubus pungerentur, percipere conqueruntur, ac si infixas carni & cuti spinas haberent; & omnino quendam quasi exulcerationis sensum percipiunt. Unde & ulcerosa Lassitudo nomen accepit. Ortum vero habet ab acrium, & mordacium excrementorū copia, quales sunt humores biliosi, atra bilis, vel alii, qui ex putredine & corruptione acrimoniā acquisiverunt. Nonnulli & adipem colliquatum ex nimio calore inter huius lassitudinis causas referunt. Imo non solum humores, sed & vapores acres hanc lassitudinem excitare valent. Quæ omnia vel à natura, & calore fusa ad ambitū corporis pelluntur, seu motu & exercitio nimio liquata & attenuata eo attrahuntur, seu à mora in Sole, ira, aliq; aliāque commotione vehementi eo concitantur.

*Lassitudo
tensiva, e-
iusq; causa*

Tensiva est impotentia motus cum sensu tensionis fibrarum rectarum in musculis in toto corpore. Nam qui hanc lassitudine laborant, tensionem quandam se percipere ajunt, præcipuè in partibus, quæ inter exercitandum laborare maximè consueverunt, musculorū scilicet tendinibus & fibris, ac nervis, ita ut amplius non moto corpore, & cessante exercitacione, impressa quasi remaneant antegressi laboris vestigia, at-

que in musculis, & eorum partibus relinquatur dispositio, qualis inter exercitandum affuit, Sequitur verò maxime plethoram, ob quam solidæ partes in musculis tenduntur. Non tamen impossibile videtur, quin & ab alia materia fieri possit, in modo non sit mordax, sive sit vapor & flatus, sive pituita, sive melancholia. Huic nonnulli addunt lassitudinem contundentem, quæ Græcis ὀσκόπ & est. Verùm hæc doloris potius species est.

Phlegmonodes Lassitudo est ad motum impotentia cum sensu contusionis, quasi, vel contractionis musculorum, & partium voluntario motui interservientium. Quam qui patiuntur, contusas quasi, & contractas atque inflammatas partes sibi esse conqueruntur. Et hæc ab utraque causa ortum habet, nempe cacochymia & plethora, & in ea simul musculorum tensio & calor percipitur: cum scilicet & humores vitio si, & sanguinis copia, seu potius vapores à sanguine attenuato excitati ad musculos effunduntur, vel muscoli inter exercendum calefacti nimium hinc motum ad se attraxerunt. Sensusque hic lassitudinis in musculis ferè, qui sub curæ locum habent, percipitur. Ubi verò nervi interioris, tendines ossibus adhærescentes, & membranæ ossa obvolventes tenduntur, ita ut ossa dolere putentur, Lassitudo, & dolor ὀσκόπ & Medicis nominatur. Atque hæc lassitudo potissimum ex materia melancholica, membranæ, quæ ossa obvolvunt, occupante ortum habet; & propterea febribus quartanis, ac scorbuto valde familiaris est, ut & sæpe morbo Gallico.

*Lassitudo
phlegmo-
nodes.*

Lassitudi-
nis exsicca-
tiva causa

Lassitudo verò non spontanea, seu exsiccativa, nullum talem doloris sensum habet, sed fit solùm, cum corpus nimio exercitio exiccatum ac resolutum est, atque post defatigationem quietem cupit.

Alii adhuc plures differentias addunt, & nunc ulcerosam tensivã, nunc ulcerosam phlegmonodi, nunc tensivam phlegmonodi, nunc omnes miseritatuunt.

Lassitudo
Gracilitati-

Præter haec tamen adhuc alia addenda videtur, quam Gracilitatis appellant, quæ est imbecillitas ad movendum, ob facultatis moventis, seu potius musculorum læsionem. In hac nullus est tristis ac molestus sensus, sicut in ulcerosã, tensivã ac phlegmonodi, sed tantùm difficulter moventur ægri. Hæc autem ad movendum impotentia sequitur carnis et adipis musculorum consumptionem, quæ Gracilitatis propterea dicitur, quia in hæc lassitudine corpus emaciatum est. Acciditq; & sequitur vel morbos longos & chronicos, ut febrem hæcticam, tabem, & omnino ἀγροφλα in quocunque morbo longo; vel febres ardentes, malignas, & pestilentes; atque tunc ulcerosa tensiva, phlegmonodes conjungi potest.

Signa Diagnostica.

Signa dia-
gnostica.

Atque hæc sunt causæ lassitudinis, ejusque differentia, è quarum descriptione etiam signa earum patent. De signis hoc saltem addimus: Lassitudinem spontaneam cognosci, quod nullus labor, vel exercitium nimium præcessit, sed, quamprimùm ægri moven-

tur, ea percipitur. Et in ulcerosa quidem lassitudine, præter signa antea enumerata, cacochymia, præsertim biliosa, signa adsunt, & huic ferè succedit rigor. In tensivã signa plethoræ adsunt. In phlegmonode signa utriusque. In non spontaneã vero necessariò præcessit exercitium & motus: quod in non spontaneã non semper est necessarium. Plerumque enim sine omni præcedente labore & exercitio hominem occupat: quandoque tamen exercitium & labor in corpore cacochymico, vel plethorico humores ad ambitum corporis movere potest: unde postea spontaneã lassitudo oritur.

Prognostica.

1. Lassitudo non spontanea, & quæ *Prognostica.* solùm laborem atque exercitia sequitur, plerumque nihil periculi conjunctum habet, sed, si quiete, & cibo ac potu corpus reficitur, sponte cessat. Aliquando tamen lassitudo etiam ex laboribus periculosa est, si in corpus cacochymicum incidat; cujus exemplum est apud Hippocratem, lib. 3. Epidem. sect. 2. agr. 8.

2. De Lassitudine verò spontanea in genere scribit Hippocrates, 2. aph. 5. κόποι ἀντάμασι φράσεις νόσος: Lassitudo spontanea morbos præfagit. Ostendit enim, redundare in corpore humores, vel qualitate, vel quantitate, vel utroque modo peccantes. Et propterea tum alii morbi, tum febres, plerumque sequi solent. Ideoque quando spontaneam Lassitudinem sentit homo, cacochymia vel plethoræ tollendæ idonea remedia querere debet.

3: In quibus per febres Lassitudinis sensus est, illis ad articulos, & juxta maxillas potissimum abcessus fiunt, 4. Aphor. 31. Dum enim natura victrix humores crassiores, & ad evacuationem minus aptos à partibus nobilioribus ad imbecillos articulos, & glandulas post aures, ac sub mento propellit, in partibus iis & vicinis sparsi lassitudinem in iis pariunt. Et quidem si dolor, & molestia sensus in toto corpore percipiatur, ad articulos magis humor decumbit: si contra in superioribus partibus, magis ad maxillas, & post aures.

4: Post febrem Lassitudo totius perseverans recidivam significat. Hippocrates, lib. de Indicac. ῥώμην τὴν σώματι, id est, corporis robore deficiente.

Indicationes & Curatio Lassitudinis spontanea.

Cum Lassitudo omnis spontanea ex humoribus in musculis, & circa musculos, & in ambitu corporis hærentibus fiat, & foveatur, vel à cacochymia, vel à plethorâ, vel ab utraq;: ut humores circa musculos herentes tollantur, dando opera; deinde, ut causa, quæ humores istos subministrat, tollatur, laborandum. Itaque humores in ambitu corporis discutiendi, cacochymia vero, vel plethora, vel utraq; tollenda. Quæ vero post laborem sequitur lassitudo, si quiete & cibo corpus reficiatur, cessat Eodem modo quæ in extenuatis à morbo accidit, bonâ victus ratione, quæ convalescentibus debetur, tollitur.

Ideoque humores seu à natura ad ambitum corporis protrusi, seu motu,

& exercitatione eò attracti, leni exercitio, frictionibus, vel balneo discutiendi. Si verò vel cacochymia, vel plethora subsit, eaq; levis sit; quiete, somno, & cibo parco, sed boni succi, tollenda, juxta aphorismum: *Quiete & abstinentia multi magni morbi curantur*; & vini moderato usu. videlicet humores crudi, & semicocti coquantur, & per sudores aut urinas evacuètur. Neque enim crudi illi humores ideo coquendi esse dicuntur, ut in sanguinem, corporis alimentum, convertantur, (cum, nisi in venis consistant, & ad sanguinis formam suscipiendam apti sint, id fieri non possit) sed ut attenuari diffidentur melius. Quod si majus humorum vitium sit, quam quod istis modis tolli possit, ad majora illa remedia, sanguinis missionem & purgationem, accedendum, prout hoc, vel illud remedii genus requiritur. In ulcerosâ lassitudine purgatione opus est; in tensivâ sanguinis missione; phlegmonodes utroque auxilio opus habet. Ut ergo in ulcerosâ Lassitudine humores vitiosi facilius discutiantur, frictio adhibeatur; præferriam cum oleo dulci. Si vero paulo altius hæreat materia, ut frictionibus discuti non valeat, motu & exercitio in super opus est, ut exciteatur; & cum calore spiritus corporis omnes partes pervadentes excrementa discutiant. Cibi iis conveniunt humidiores, & tenuior victus ratio.

Tensiva Lassitudo similiter frictionibus mollibus cum dulci oleo opus habet, ut tensa laxentur. Ab hac quies imperanda. Balneo etiam aquæ dulcis modicè eadè uti commodum

fuert. Cibus, quàm in ulcerosâ lassitudine, sit parcior, sed boni succi. In phlegmonode Lassitudine corpus quoque oleo dulcificandum, & balneum tepidum paulò calidius usurpandum, ciboque paucissimo boni succi, & vi attenuandi prædico utendum.

Lassitudinis ex labore Curatio.

Lassitudinis exsiccativa curatio.]

Lassitudines post labores quies sanat. De quo Hippocrates. 2. Aphorism. 48. *In omni corporis motu simul ac quis fatigari coeperit, quies statim lassitudinem levat.* Ideoque si quis lassitudinem percipiat à labore, non est in labore persistendum.

Maximè vero quies per somnum lassitudinem hanc tollit. Nam in somno membra omnia in homine quiescunt, dum eo in situ collocantur, eaque formâ, quæ mediâ dicitur, musculis omnibus relaxatis, & nihil laborantibus; & in somno humores nimium fusi in musculis hærentes discutuntur, ipsiq; spiritus labore absumpti reficiuntur. Si quis tamen à Lassitudine quiescat, nec mitigetur lassitudo, purgatione, vel sanguinis missione opus est.

Verùm non solum quies, sed & exercitium à labore contractas lassitudines corrigit, si sit priore levius; quia discutit humores, seu sponte, aut aliâ de causâ in ambitu corporis motos, seu à calore attractos. Et quidem contrarius priori motui lassitudinem & defatigationem tollit, ut si quis montem scandendo defatigatus sit, descendendo rur-

sum citius lassitudo tollitur. Imprimis vero exercitii loco utebantur veteres frictionibus, quas & sanitatis causâ instituebant. Et quidem frictionem, quæ ante labores ad partes laxandas, & excrementa discutienda instituebatur, Præparatoriam nominabant; quæ vero post labores eadem de causâ fiebat, *ἀποθεραπεύειαν* Frictiones autem instituebantur manibus oleo dulci inunctis. Apud nos ut balneorum ita & frictionum antiquis usitatarum usus ferè exolevit, & eorum loco balnea humida & calida usurpantur, quibus seu major corporis pars, seu pedes tantum immerguntur; quod mirè lassos reficit: cui etiam frictio conjungi potest. Parantur vero Balnea vel ex aqua simplici, vel additis, malvâ, althæâ, chamæmel, hyssopo, & similibus.

Quod si majus humorum vitium sit, quam ut istis remediis tolli possit, ad magna illa remedia, sanguinis missionem, & purgationem, accedendum. Verùm de Lassitudinum differentiis & curatione videatur Galenus, lib. 3. & 4. *de tuenda sanitate*, ubi prolixè hac de re agit; ut & Aëtius, *tetrab. 1. serm. 4. cap. 35, 36. & seqq.*

CAPUT XXII.

De Pandiculatione & Oscitatione.

Pandiculatio est præter solitum extensio quædam musculorum totius corporis, ad vaporum non acrium in iis partibus dissipationem instituta. Coniungitur plerumque & oris apertio

Pandiculatio & oscitatio.

tio accidit, quæ Oscitatio nominatur; quæ tamen & sine pandiculatione potest accidere. Cælius Rhodiginus, *lectio antiquar. lib. II. cap. 4.* affectionem hanc ab Hippocrate ἀλύκην vocatam, plerisque etiam ἀλύν nominiari, scribit. Neque planè præter rem, ut mihi videtur; cum Hippocrates, 7. *aphor. 56.* conjugat ἀλύκην, oscitationem, & hæzorem; eiq; potius, quam inquietudini, potus vini competat, atq; ita totus Aphorismus potius pandiculationi, quam alii affectioni congruat. Sitamen Galeni explicatio sequenda sit, malo potius, de quo *cap. seqq.* dicemus, tribuenda hæc vox videtur. Ita enim ille in hunc Aphorismum: ἀλύν secundâ valetudine eos dicunt, qui præ sensum offensione, & læsione errabundâ sunt sæpe mente & incertâ, atque ad alias subinde, alias que transeunt tum res, tum actiones; aduersa vero valetudine similiter etiam ἀλύν eos dicunt, qui non ferentes decubitus lecto non quiescunt, sed formas mutant, quia præsens semper gravis fit & molesta. Et est procul dubio hæc primitiva potius significatio; sed sæpe ad vicina transferuntur vocabula.

Causa.

Causa. Nimirum si vapores halituosi in musculorum spatiis colliguntur, & non acrimonia, sed copia potius molesti sunt, musculi in toto corpore, ut eos expellant, constringuntur. Quod si vapor in musculis temporalibus, & masticatoriis præcipuè contineatur, Oscitatio fit.

Vapores autem illi halituosi, pandiculationis causa, sæpe ex latente cacochymia aut plethora in musculorum spatiis colliguntur, & cû lassitudine spontanea conjunguntur. Unde sicut lassitudo spontanea, ita & pandiculatio, & oscitatio frequens futurorum morborum, & infantium paroxysmorum sunt præsagium. Sæpe post somnum Pandiculatio accidit, ubi in somno ex alimenti coctione, & cessatione à motu halitiosa ac vaporosa excrementa in spatiis musculorum colliguntur. Solet & ante somnum Pandiculatio & oscitatio accidere, vaporibus illis halituosis per diurna exercitia & vigiliis collectis, & lassitudine inde oborta, que postea in somno in quiete tollitur. Insuper & post exercitia nimia Pandiculatio sequitur, lassitudinisq; ex labore contractæ Pandiculatio quasi remedium est. Etenim cum ex labore halituosi vapores ad musculos attrahantur, ibique cumulentur, motu isto pandiculationis vapores isti discutuntur. Præterea musculi à motu nimio defatigati in quiete lassitudinem illam sentiunt. Verùm constrikti lassitudinem illam minus percipiunt, & propterea ad eam edendam invitantur. Nunquam & externum frigus pandiculationem conciliat, cû cutis poros claudat, fumidosque ac halituosos vapores sub cute detineat, quas natura per pandiculationem discutere satagit. Tandem etiam imaginatio sæpe Oscitationis causa est, ut si quis aliû oscitantem videat, vel de oscitatione cogitet,

& ipse oscitet: præcipuè tamen hoc pigris, lassis, & somnolentis accidit.

Nictatio oculorum. Ex eadem causâ, è qua Pandiculatio & Oscitatio provenit, etiam pendet Nictatio oculorum, quæ cum homo ad somnum propensus est, accidit, ortumque habet, cum ex continuo motu oculorum palpebræ lassatæ sunt, & ad claudendum, quod dormientibus necessarium est, invitantur. Facit tamen huc etiam spirituum animalium dispositio, qui cum jam sopiri incipiunt, ejus rei indicium in palpebris cerebrovalde vicinis, primo statim apparet.

Potest tamen dari adhuc alia causa Nictationis, asperitas nimirum oculi, quæ ab aère, contentisque in eo, inducitur, oculoque molesta est. Hæc enim ut tollatur, palpebræ grata quadam humiditate imbutæ oculis exasperatis crebro inducuntur, ut eorum superficiem irrigent, abstergant, & levitatem quandam iis inducant.

Prognostica. Porro Pandiculatio in sanis saltem vaporum in musculis quacunquè de causâ collectorum, & lassitudinis indicium est: in febribus vero instantis paroxysmi signum; sicut & si extra febres sæpius accidat Pandiculatio, vel oscitatio, impendentium morborum signum est, & materiæ vitiosæ exsuperantiam significat, corpusque febrili propinquam dispositionem habens indicat, & proinde instantibus morbis occurrendum esse monet. Plinius *lib. 7. cap. 6.* & Gellius, *libr. 3. cap. 16.* Oscitationem in enixu lethalem esse scribunt, sicut sterneruisse à coitu abortivum.

Cæterum cum à pandiculatione & oscitatione in sanis periculi nihil im-

mineat, sed potius profunt, curatione nullâ opusest. Ideoq; in Pandiculatione civilitatis potius quam utilitatis gratiâ, membra minus extendere jubemus, quod & in oscitatione locum habet. Est enim oscitatio pigritiæ, & fluxæ atque apertæ securitatis, & vagi animi indicium. Unde oscitantes pro negligentibus sumuntur, & oscitatio pro ignavia. De oscitatione tamen hoc monendum, os non nimis dilatandum, sed comprimendum esse; cum ex nimia in oscitatione oris dilatatione, seu diductione maxilla inferior faciliè luxari, & os hians manere possit. Si tamen latentis humorum vitij pandiculatio & oscitatio frequens signum sit, ei occurrendum, ut modo de Lassitudine dictum.

CAPUT XXIII.

De Inquietudine.

Inquietudo, quam Barbari Jectigatio^{Inquietudo.} nem appellat, (etsi alii Jectigationem pro Palpitatione sumant) Hippocrati & Galeno variis nominibus appellatur, ἀλύκη nimirum, & ἀλυσμος, & ἀλυσσις, ἀση, βριπασμος, φληρισμος, δυσφορία: quanquam Hippocrates in historia adolescentuli, 3. *Epidem.* hæc distinguere videatur. Tertio, inquiet, die δυσφορία, ἀσάδης πλυ, φληρισμος, ἀπορία. Est vero symptoma cum aliis morbis. tum præcipuè febribus nonnullis familiare, cum ægri corpus & membra variè jactant, & nunquam in eodem situ manent, sed

nunc

nunc pedes, nunc manus de loco in locum transferunt, nunc de latere in latus, modo in dorsum, modo in ventrem se convolvunt, mox se erigunt, iterumque quiescunt, ad pedes provolvuntur, nec ullam loci vel decubitus formam servant.

Causa.

Etsi vero delirantes & phrenetici idem facere solent: tamen tum ex imaginationis depravatione, & variis phantasmatis, nunc ad hoc, nunc ad illud agendum invitantibus, id accidit. Ista vero inquietudo, quæ sine delirio, in febribus præcipuè, accidit, ortum habet à re molesta, musculos, & partes motui dicatas, aut sentientes molestante. Etsi vero calor totum corpus in febribus occupans etiam homini molestus esse possit: tamen quia non omnium febrium, nec semper, sed præcipuè quarundam continuarum, & quandoque etiam intermittentium in paroxysmo est symptoma, potius ab acri & maligna materia, quàm calore solo provenire videtur.

Inquietudo duplex. Est autem duplex ista Inquietudo, vel Critica, quæ in perturbatione fit, criticum humorum motum antecedente, solentque tum ægri se erigere, jactare, & variè movere, quandoque etiam delirare. Altera, quæ citra crisin est, & Symptomatica nominatur, quæ accidit in genere, cum quicunque dolor, & quæcunque molestia hominem angit. Estque rursus duplex: Una, cum os ventriculà pravis humoribus

L. I.

vellicatur, de qua Galenus, 7. aph. 56. scribit, *ἀνάκτω*, seu anxietatem, & inquietudinem istam iis maximè evenire, quibus in ore ventriculi propria quædam humoris molesti qualitas continetur, neque multi, neque innatantis in ventriculi capacitate, sed altius in ipsis tunicis imbibiti. Nonnunquam causa istius inquietudinis est cibus in tempestivè exhibitus. Altera est, quæ oritur à materia maligna & acri, febrim excitante, quæ que circa viscera molestat, vel ab inflammatione alicujus visceris provenit; unde eæ febres *ἀσώδεις* nominantur.

Signa Diagnostica.

Affectio hæc per se satis patet. Inquietudinis vero, quæ ab orificio ventriculi fit, proprium signum est Nausea *ἀνεμετός*, Nausea sine vomitu: quæ si absit; vel ab humore pravo & maligno circa viscera, vel ab inflammatione alicujus visceris provenit, quod ex suis signis patet.

Signa diagnostica.

Prognostica.

Ex Inquietudine, quæ præcedit crisin, nihil incommodi metuendum, si inde evacuatio, vel abscessus sequatur. De quo, 2. *Prohibit.* hæc habentur: Ex inquietudine rigor judicatorius si fiat, morbum solvit, supervenientibus sudoribus, vel vomitionibus commodis, vel alvo subducta.

Prognostica.

2. Nec illa aliquid periculi habet, quæ fit à cibo in tempestivè ex-

Ppp

hibi-

habito, sed eo vel concocto, vel rejecto quiescit.

3. Periculosa verò est inquietudo, quæ ortum habet à malignitate & acrimonia materiæ febrem excitantis, vel ab inflammatione interna, vel virium debilitate, quæ morbum ferre nequit. De quibus Hippocrates, 1. *Coac. aphor.*
 2. *Qua cum refrigeratione anxietates sunt, pessima.* Et quidem duplici ratione mala est hæc inquietudo, partim ut signum, quia prædicta mala & morbos indicat; partim ut causa, quia vires dejicit, & coctionem humorum impedit.

Curatio.

Curatio.

Inquietudo, quæ febres sequitur, curationem peculiarem nullam requirit, sed si crisis antecedit, videndum, ut crisis rectè peragatur. Si citra crin fit, danda opera, ut morbo, à quo pendet, succursatur, ideoque in restringendo humorum incendio, & pravitate materiæ corrigendâ laborandum. Si tamen æger ab humoribus ventriculi orificium vellicantibus valde angatur, exhibenda, quæ acrimoniam illam humorum mitigant, & ventriculi orificium roborant; qualia sunt, sirupus granat. acetos. citri, ribes, acerosei. papav. cum aqua lactuc. portulac. nymph. Extra vero inungendus ventriculus oleo mach. cydoniorum, absinthii. Velfovendus similibus medicamentis, de quibus in doctrina de Cardialgia & de Febribus.

emastib.

CAPUT XXIV.

De Horrore & Rigore.

DE Horroris & Rigoris generatione ac causis satis multa in Institut. *Horror & Rigor.*
libr. 2. part. 3. sect. 2. cap. 5. diximus, & extant passim proluxæ apud Medicos hac de re disputationes, neque Galenum semper idem de eo docuisse, sed varium fuisse, ex locis ibi allegatis patet. Ut pauca addamus, Horror & Rigor affectus sunt saltem vehementiâ & magnitudine differentes. Rigor enim est musculorum totius corporis vibratio, & concussio cum refrigeratione, & dolore quodam: Horror vero quasi parvus rigor est, cum in eo saltem cutis concutiat, habetque causam, quàm rigor, minus vehementem.

Et quidem primo hoc præsupponendum, quod nemo facile negaverit. Rigorem fieri à facultate expultrice stimulatâ, & eatenus quidem ad facultatis naturalis symptomata referri posse: quia tamen facultas animalis ad id, quod molestum est, expellendum, & propulsandum simul insurgit, satis commodè etiam ad facultatis animalis, & quidem motus depravati, symptomata referuntur. Generatur enim eodem modo horror & rigor, quo sternutatio, tussis, singultus, qui motus & ipsi fiunt facultate expultrice à re molesta stimulatâ. In eo tamen differunt, quod certarum & determinatarum partium hi sunt motus, in horro-

re

te & rigore vero totum corpus concutitur.

*Horroris
& Rigoris
caussa proxima.*

Rigoris subiectum sunt muscoli totius corporis, seu potius muscoli in ambitu corporis, Causam vero proximam quod attinet, Galenus equidem alicubi, quæ alii etiam Medici sequuntur, refrigerationem, & motum calidi innati causam proximam Rigoris constituit, docetque, dum calidi innati, seu spiritus influentis ob refrigerationem externam, quæ in musculis accidit, influxus & motus ad exteriora prohibetur, eundem cum impetu & violentia quasi ad exteriora viam querere, atque iterum repulsum majore cum impetu ad exteriora tendere, atque ita exlucta istis, & motu calidi ad interiora, & hinc rursus ad exteriora, corporis totius concussionem sequi, quæ Rigor nominatur.

Verum enim vero non semper à refrigeratione Rigor incipit, sed concussionis illa corporis in Rigore à bile excitata refrigerationem antecedit, ut & ubi medicamentum acre ulceri imponitur, aut scintilla ignis corpori incidit, quod etiam Galenus, 2. de Sympt. caus. c. 5. docet. Et Refrigeratio non causa est retractionis caloris ad interiora, sed effectus potius proveniens à retractione caloris innati ad interiora, ob causam dolorem excitantem. Deinde si eo, quem Galenus ponit, modo Rigor induceretur, motus similis palpitationi esset, neque fieret à facultate expultrice stimulatâ.

Itaque causam proximam Rigoris constituimus rem molestâ subito partes sentientes vellicantem, atq; expul-

tionem irritantem. Ad quam causam omnes alia causæ reducendæ. Primo quidem extra dubium est, materiam aliquam Rigoris proximam causam plerunq; esse, imò à nonnullis pro sola Rigoris causa poni, quæ materia primo acris esse debet, mordax, & omnino molesta, ut partes sentientes vellicare possit; deinde multa, & velociter moveri. Nam si pauca sit, & immota, potius lassitudinem ulcerosam excitat.

Si quis tamen etiam solum caloris ad interiora recursum causam Rigoris quandoque statuere velit, illi hoc notandum, à caloris solius recursu Rigorem non fieri, cum in lipothymia & syncope nihil tale animadvertatur, sed omnino adesse aliquid præter materiam vel excrementitiam, vel onerosam naturæ, quod eam stimulet. Refrigeratio autem, seu caloris recursus non causa est rigoris, sed quiddam consequens. Cum enim partes sentientes à re molesta subito ingruente percellantur, cohorrescunt, & illo ipso horrore ac rigore calor versus interiora, & fontem suum recurrit, & sic accedit refrigeratio. Fit autem hic caloris ad interiora recursus nunc ob causas externas, dum nimirum parti exulceratæ acre medicamentum imponitur, vel scintilla ignis cuti incidit, aut aqua frigida cuti inspergitur; nunc a causa interna. Cum enim partes omnes circa viscera membranis vestiantur, quæ nervos à sexta conjugatione accipiunt, & propterea sensu exquisito præditæ sunt, accidit, ut vellicatæ omnes partes corporis sentientes, etiam exter-

externas in consensum trahant. Natura verò de partium internatum, utpote nobilium, salute sollicita sanguinem & calorem ad suppetias ferendum ad interiora subito revocat, unde partes externæ molestiam percipiunt, quam facultas expultrix à se amotura totius corporis musculos concutit.

Equibus controversia illa, quæ de subiecto Rigoris, aut potius materiæ, rigoris causæ, inter Fernelium & alios agitur, facillè componi potest.

*Horroris
& Rigoris
subiectum.*

Galenus & Interpretes ejus Rigoris subiectum constituunt partes corporis sentientes, seu musculos, & carnem in ambitu corporis, ut ex Galeno, *de Sympt. 4. de tuenda sanitat. cap. 2. 2. de Crisibus, cap. 2. 10. meth. med. cap. 4.* videre est. Ab hac tamen sententia discessisse putatur Fernelius, dum, *lib. 4. Patholog. cap. 11.* febrium intermittentium materiam non in ambitu corporis, verum in primis viis, & circa viscera contineri decet, scribitque, præcordia & partes omnes, quæ circa hæc sunt, quia membranæ separantur, nervosque sentientes suscipiunt è sexta cerebri conjugatione, eximio tangendi sensu esse præditas, magna quoque societate cum principibus, corde & cerebro, tum externis partibus esse connexas, & cum iis ita consentire, ut affectæ mox principes partes, universumque corpus in consensum trahant. Ita bilem vomituri rigescunt, & cum calida, mordacia, ac acria medicamenta, vel, cibus ventriculum & præcordia feriunt, & cum pus interiore abscessu collectum erumpit in membranas, rigor accidit.

Verum enim verò non multum Fernelius à vulgata sententia de causâ Rigoris dissidet. Sit sanè, ut statuat, aliquando ex solo consensu partium externarum cum internis rigorem fieri, cum scilicet partibus membranosis & nervosis circa viscera affectis, eæ in consensum trahuntur, & natura quasi auxilio & subsidio internis ventura, calorem ad interiora revocat, unde exteriora refrigerantur, totumque corpus concutitur: tamen eum negaturum non puto, etiam dum partes externæ à re molesta vellicantur; rigorem accedere posse. Atque ita primum & adæquatam rigoris subiectum sunt membranosa partes non solum circa viscera, sed etiam in ambitu corporis. Hæ enim à re molesta vellicantur, vel quibusdam ex his vellicatis, reliquæ in consensum tractæ, musculos quoque, quibus arctè coherent, in consensum trahunt.

Itaque ut Rigoris generationem, quam nonnulli variis disputationibus involvunt, & obscurant potius, quam explicant, breviter & perspicuè comprehendamus, Rigoris causâ proxima est res molesta facultatem expultricem in partibus membranosis stimulas, ac musculos in ambitu corporis in consensum trahens, & ad concussionem in talem concitans. Quod ipsum manifestum esse puto, Cum enim sensus doceat, totius corporis musculos externos in Rigore concuti. necesse est, ut causâ aliqua in iis adsit, quæ ad motum istum stimulet. Siquidem natura non lacessita nihil tale tentat.

*Rigoris generationis
modus.*

Causâ

Causa autem naturam ad motum hunc & concussionem stimulans vel in ipsis musculis in ambitu corporis continetur & colligitur, cum scilicet humores & vapores biliosi, aut quicumque acres in ambitu corporis collecti sunt; vel aliunde communicatur. Consensum partium externarum cum internis quod attinet, si quis cum Fernelio per simplicem consensum, & qualitatem spirituales transmissam, seu affectum saltem, ut loquuntur, non materiam & causam affectus communicatam ab internis partibus & visceribus, Rigorem quandoque generari statuere velit, nec cum eo, ut antea etiam dictum, pugnaverim. Non enim absurdum videretur, partibus nervosis & membranosis intus affectis consentire nervosas & membranosas in ambitu corporis, & propterea quasi subsidio, & in auxilium calorem & spiritum ad interiora recurrere, quo subito partes externae quasi spoliatae, molestiam quamdam ex subitâ alteratione percipiunt, ideoque ad eam amoliendam concutuntur.

Fieri tamen etiam potest, & id magis simile vero, vide: ut calore & spiritibus ad interiora recurrentibus humoribus & vapores vitiosi in ambitu corporis hærentes una moveantur, atque ita proxima fiant rigoris causa. Frequenter vero, quod etiam Fernelius admittit, fit Rigor per consensum internarum partium, cum vapor quidam teter & acris ex humoribus quocumque modo moto in ambitum corporis mittitur, & partes illas vellicat.

Quia vero cum rigore conjungitur refrigeratio, ita quidem, ut nonnulli rigorem etiam per refrigerationem definiant; quomodo refrigeratio in rigore sese habeat, videndum, ut & unde dolor ille, & molestia illa oriatur, an à refrigeratione semper, an aliunde proveniat. Rectissime autem si sentiant, qui statuunt, cum rigore, & quidem omni, adesse sensum doloris, verum eum aliquando quidem à causa refrigerante, plerumque tamen ab ipso motu, & concussionem corporis provenire; ut cum dolor præcedit refrigerationem, refrigeratio vero sequitur, & fit ex spiritibus & caloris ad interiora ob dolorem retractione.

Refrigeratio enim duplici modo in rigore accidit. Aliquando est saltem cutanea, & in superficie corporis fit, ob dolorem, quem acrimonia humoris excitat. Aliquando vero fit in ipsis musculis refrigeratio, eaque vel ob humorem pituitosum, aut melancholicum attenuatum, & in omnes partes diffusum, partes vellicatam, vel ob viscerum inflammationem, in quâ interna uruntur, exteriora vero calore retracto ad interiora frigent.

Atque hic cum sit generationis Rigoris modus, & hæc proxima causa, facile omnes remotas & mediatas ad eam reducerelicit. Sunt vero Rigoris causæ vel Internæ, vel Externæ. Inter Internas cum sit materia acris & mordax, colligitur ea sub cute, ob partium in ambitu corporis caliditatem & siccitatem; ut docet Galenus, 5. de loc. affect. cap. ult. & in libr. de Rigore, & Palpitat. cap. 7. Idque facilius accidit acce-

Refrigeratio in Rigore quomodo se habeat.

Rigoris causæ remota & mediata interna.

cente cutis densitate, & ex quacunque
caussa, adstrictione, & prohibita tran-
spiratione, in corporibus præcipuè bi-
liosifis, ut docet Galenus, 10. *meth. med.*
cap. 4.

Deinde generantur humores biliosi
& ichores pravi in ambitu corporis,
cum venæ & aliæ partes in ambitu cor-
poris exsiccantur; ut est apud Hippo-
cratem, 1. *de vitus ratione in acut. comm.*
4. t. 1. & Galenum, in *Comment.* Trans-
mittitur verò materia à partibus vel
communibus, vel privatis. A commu-
nibus venis mittitur materia in ambi-
tum corporis vel criticè, instante crisi,
vel periodicè, & secundum typos in
principio paroxysmorum in febribus
intermittentibus; vel sine typo, & sym-
ptomaticè, quando sine crisi subsequen-
te materia in ambitum corporis è venis
protruditur. A partibus verò deter-
minatis variis materia transmissa ri-
goris causa est; ut ex Cerebro: cujus
exemplum 1. in *Prorrh. t. 20. 23. & 35.*
ex Utero, 5. *aph. 61. 69.* ex Ventriculo,
6. *Epidem. t. 31. & 3.* Prognost. t. 31. ex
Epate, Renibus, Vesica. Et omnino,
sive aliquid materiæ & vaporis ad am-
bitum corporis trahatur, aut mittatur,
sive saltem in consensum trahatur par-
tes externæ, dum interiora vellicantur,
Rigor accidit. Potestq; materia velli-
cans esse bilis, salsa pituita, melancho-
lia, atra bilis, humorq; quicumque pu-
ridus, sicut pus, acria medicamenta ci-
bus & potus acris.

Inter externas verò & evidentes Ri-
goris causas sunt aër & ventus frigi-

cus, sive penitus in corpus penetrat,
sive cuti exulceratæ occurrat, aspersio
aquæ frigidæ, scintilla ignis in cutem
illapsa, aqua fervens infusa, medica-
mentum acre parti exulceratæ imposi-
tum. Hæc enim quia molesta sunt par-
tibus sentientibus in ambitu corporis,
natura ea excutere conatur. Potest
tamen etiam fieri, ut calor & spiritus
talia molesta percipiens ad interiora
refugiat, humoresq; in ambitu corpo-
ris commoveat, unde accidit, ut partes
subitò alteratæ & vellicatæ sese concu-
tiant. Sæpe enim calor externus rigo-
ris causa est; quod nonnunquam bal-
neum ingressis accidit. Idem facit mo-
ra sub sole, unctio calida; animi affe-
ctus, præcipuè timor. Tales enim causæ
omnes excrementa, quæ prius quie-
scebant, calefaciendo, attenuando, &
in spiritum vertendo, ad motum concu-
tant, vel spiritus commovendo ea si-
mul agitant, ut Galenus, 2. *Sympt. caus.*
cap. 5. docet.

E quibus causis hæctenus rigorem *Horroris*
fieri diximus, ex iisdem etiam Horror *caussa.*
provenit, minus tamen vehementibus
acrimoniâ, copiâ, & motu, ut docet Ga-
lenus, 2. *de Causis Sympt. cap. 6.* Ete-
nim in horrore est causa, vel minus a-
cris, ut bilis cum pituita mista, vel si sit
pura bilis, ea non est ita acris, neque
copiosa, neque vehementer movetur.
Præterea in horrore membrana saltem,
& panniculus carnosus afficiuntur; in
rigore autem simul muscoli in consen-
sum trahuntur.

Signa

*Signa Diagnostica.**Signa diagnostica.*

Ipse Rigor ut signis investigetur, opus non est; cum sensibus satis pateat. Ut vero à qua causa proveniat, cognoscatur, per signa investigandum. Causæ externæ & evidentes ex ægri, vel astantium relatione cognoscuntur. Ubi vero Rigor sine causa evidente & manifesta invadit, unde proveniat, inquirendum. Quia vero Rigor plerumque cum febris conjungitur; quam febrem indicet, & à qua causa per consequens proveniat, è doctrina de febribus petendum: neque omnia ea recensere hujus loci est. Ut pauca saltem attingamus; Rigor est vel vehemens, vel parvus. Vehemens in continuis semel fit saltem, vel in principio, vel in fine. In principio qui accidit, est signum inflammationis internæ in parte membranosa, ut meningum cerebri, pleuræ, mediastini, ventriculi, membranarum epatis, vesicæ, renum peritonæi. Fitque ubi pars membranosa primum vellicatur, & inæqualis intemperies adest. Ubi vero in progressu morbi partes membranosa repleta sunt, atque intemperies æqualis induta est, rigor amplius non accidit. In fine vero febris continuæ si rigor vehemens accidat, fit vel sine inflammatione, vel cum inflammatione. Si sine inflammatione contingat, indicat, quod materia febrilis vel criticè, vel symptomaticè è venis extra venas pellatur. Si cum inflammatione, eam ad suppurationem tendere inditio est. Sicut etiam quandoque rupto abscessu rigor accidit. In intermittentibus ve-

ro fit Rigor vehemens in principio paroxysmi, materiâ per partes sentientes motâ, facultatem expultricem fortem adhuc stimulante, scilicet in tertiana, vel quotidiana expituita vitrea, vel quartana.

Si vero Rigor sit parvus, & is longus, ac quotidie invadat, vel etiam eadem die sæpius recurrat, cum magna refrigeratione, capitis gravitate, catarrho, & faucium ardore, indicat febrem quotidianam catarrhalem. Si vero parvus Rigor sit, & longus, & quarto quoque die invadat, quartanæ signum est. Longus Rigor, sed parvus, ad tertium diem invadens, ita tamen, ut etiam die intermedio accessio fiat, semitertianæ signum est. Rigor parvus non admodum longus, nec cum magna refrigeratione, singulis, vel alternis diebus corripiens, tertianam notham significat.

Prognostica.

Prognostica pleraque ad doctrinam de febribus pertinent; & proposuimus etiam quædam in *Institut. lib. 3. part. 3. cap. 5.* quibus adhuc quædam addemus.

1. Rigores periodici, qui febrim intermittentium propria sunt symptomata, & vel quotidie, vel alternis, vel ternis diebus invadunt, omni periculo vacant.

2. Optimi vero sunt Rigores critici in febribus continuis, die critico cum signis coctionis accidentis, & post quos corpus maximè incalescit, (quo enim calor corporis est robustior, eo post rigorem fortius in ambitum corpo-

corpōris sese exferit) quosque sudores copiosi, aut vomitus, alvi dejectio, aut hæmorrhagia narium sequitur, & post quos febris vel tollitur, vel imminuitur; de quibus Hippocrates, 4. *Aphor.* 58. Eorumque exempla sunt passim apud Hippocratem, 1. *Epidem. comm.* 3. t. 22. 3. *Epidem. comm.* 2. t. 2. 4. *Epid. text.* 83.

3. Mali vero sunt Rigores, quos mala signa antecesserunt, vel comitantur, vel statim sequuntur, à quibus corpus non incalescit, quod naturam & calorem languidum significat; aut quos nulla, vel mala sequitur evacuatio, & qui morbum nec tollunt, nec minuunt. De quibus, 1. *Prorrh. A rigore refrigeratus non incalescens, malum.* & 1. *Epidem. comm.* 3. *text.* 28. & 3. *Epidem. comm.* 3. *text.* 29. & 4. *Aphor.* 56. *Febricitanti rigor superveniens, febre non deficiente, malum.*

4. Imprimis vero Rigor malus est, si evacuatio aliqua morbum subsequatur, quæ tamen morbum non imminuit, vel tollit, ut docet Galenus, 4. *Aphor.* 64. Nam & virtus debilis rigorem ferre non potest, & vires ab evacuatione dissolvuntur: de quo Hippocrates, *loco modo allegato*, 4. *Aphor.* 46. *Si Rigor accidat febrenon deficiente, agram debili, lethale est.* De quibus etiam 1. *Prorrh. t.* 57. 3. *Prorrh. text.* 27. 3. *Epidem. comm.* 2. 1. 9.

5. Rigere sæpius in febribus acutis, inæqualis, & perturbatæ motionis febrilis materiæ, ac proinde periculost morbi indicium est, ut ex Hippocrate, *lib.* 2. *Coac. sect.* 2. *Aphor.* 32. *com.* 2. *ex distinctione Hollerij*, patet.

6. Ex his, qui tabe diuturnâ consumpti sunt, aliqui ante mortem rigere deprehenduntur. Hippocrates, *lib.* 6. *Coac. sect.* 2. *comm.* 1. *Aphor.* 18.

7. Quæ de Rigore dicta sunt, eadem & de Horrore plerumque locum habent. Etenim horrores illi boni sunt, quos signa coctionis præcesserunt, quosq; evacuationes morbum tollentes, vel minuentes sequuntur. Mali vero sunt, qui sine signis coctionis, propter maximam humorum pravitatem, aut naturæ imbecillitatem, fiunt, quæ vitiosos humores expellere tentat, verum expellere nequit; vel quas pravæ evacuationes sequuntur.

Verum multi Aphorismi de Rigore & Horrore agentes videantur apud Hippocratem, *lib.* 1. *Coac. comm.* 2. & passim alibi in Coacis, quos omnes huc afferre prolixioris operæ foret. Et potius ad prognostica febrium pertinent.

Curatio.

Rigor & Horror cum aliorum morborum comites & symptomata sint, per se curatione nullâ indigent, sed sublata causâ cessant. Quia tamen in febribus interdum, præcipuè quartanâ, Rigor adeo magnus est, ut ægro valde molestus sit, viresque dejiciat, tum calidis dorsum, à quo rigor incipit plerumque, inungendum, oleo scilicet rutaeco, chamæmelino, anethino, costino, laurino, de castoreo, de piperibus cum theriacâ, Mithridatio, castoreo, & similibus.

CAPIT XXV.

De Tremore.

*Tremor
quale sym-
ptoma.*

Tremor, Græcis Τρομος, etiam inter symptomata motus animalis læsi, ejusq; depravati pertinet, quo qui laborant, membra liberè movere, & protensa vel suspensa servare non possunt; sed membrum à facultate animali in altum sublatum pondere suo deprimitur, iterumq; à facultate motrice erigitur, eaq; motus vicissitudo brevibus, & quæ vix discerni possunt, intervallis accidit.

Est videlicet Tremor motus voluntarius depravatus membrorum huic motui inservientium, quo perpetuà vicissitudine seu elevantur & deprimuntur, seu in anteriorem & posteriorem, seu in lævam & dextram partem moventur, pendens à facultatis motricis, membrum in eodem situ servare non valentis, imbecillitate, seu à facultate motrice p. n. onerata.

Nonnulli quidem ad actionem imminutam referunt tremorem: verum, seu depravatam, seu imminutam actionem dixeris, non multum peccabis. Siquidem si totius membri motum, & motum secundum se spectes, omnino depravatus est, aliterq; fit, quam fieri debet. Si vero facultatem moventem respicias, ejus, utpote debilis, & membrum, ut debet, movere non valentis respectu, etiam imminuta actio appellari potest. Et quidem motus is, qui à facultate motrice provenit, **membro** simpliciter p. n. non est, sed is, qui à membri gravitate provenit. Concur

L. I.

rit enim in hoc motu facultas animalis, neque planè contra voluntatem est omnis motus in tremore, ut in convulsione, sed facultas movens quidem voluntariè membrum in altum elevat, vel dextrorsum, aut sinistrorsum, vel antè aut retro movet, (hoc enim nisi faceret, membrum in eam loci differentiam, quo pondus vergit, laboraret, & prolapsum, quod in paralyti accidit, in eo maneret) sed ob debilitatem membrum in eo statu servare nequit. Duobus videlicet motibus contrariis partes tremore laborantes afficiuntur, uno, qui voluntarius est, & à facultate animali movente instituitur; altero, qui contra voluntatis imperium accidit, quo membrum ob gravitatem & pondus deorsum, aut in aliam loci differentiam labitur, in quam prolapsum cum facultas movens iterum conetur erigere, pondus contra perpetuo renitatur; brevibus, & quæ vix discerni possunt, intervallis hæc motus vicissitudo accidit: quæ tremoris essentiam constituit. Ideoq; membra tremorem non sentiunt, dum rei àlicui firmiter innituntur, sed tum demum, cum facultas movens membrum liberè movere conatur.

Ex quibus patet, rem se longè aliter habere in Tremore, quam in paralyti & convulsione. Etenim in paralyti membrum, postquam in aliquam situm differentiam delapsum est, eam solum servat, vel per intervalla continenter uno, eoq; tardo & langvido motu attollitur & movetur. In convulsione vero pars solum contrahitur, & contracta servatur. In Tremore autem,

*Tremoris à
paralyti &
convulsio-
ne differe-
ntia.*

Q99

ut di-

ut dictum, duobus motibus pars conti-
nuò movetur, uno, qui fit à facultate
animali, membrum attollente & mo-
vente; altero, qui contra voluntatis
imperium sequitur membri naturalem
gravitatem. Inter quos duos motus
perpetua quasi pugna est, dum facultas
animalis membrum elevare, & liberè
movere conatur; ob gravitatem verò
membra ipsa debilis, illud movere li-
berè non potest. Habetq; serres ut in-
iis, qui pondus aliquod gestant. Si enim
id leve sit, facultasq; eiferendo par,
nullus tremor fit, & facultas motrix
ponderis inclinationi satis obsistit. Si
verò pondus sit gravius, quam vires
ferre queant, partes sub pondere tre-
munt. Qui verò planè oneriferendo
pares non sunt, sub eo succumbunt; &
immoti manent. Ita etiam nec in iis,
qui bene valent, nec cum membrum
planè resolutum est, & nihil movetur,
tremor accidit; sed cum facultas debi-
liter movet.

*Tremoris à
palpitatio-
ne differet-
tia.*

Differt etiam Tremor à palpitatio-
ne. Tremor enim ex dimidia parte
motus voluntarius est; palpitatio vero
planè p. n. fit, siquidem qui membrum
movere non instituunt; non tremunt.
Palpitatio vero accidit, etsi pars volun-
tario motu non moveatur. In palpita-
tione etiam non totum membrum, sci-
licet cutis, muscoli, ossa, nervi; & o-
mnia, è quibus constat, quod in tremore
fit, movetur, sed caro, & imprimis
cutis movetur, palpitationsq; membrum
non, ut tremens, continuo sursum &
deorsum, aut dextrorsum vel sinistror-
sum movetur, sed in eodè situ manens;
& immotum, nunc distenditur, nunc
subsedit.

Differt tandem à rigore, qui non fit
facultate motrice secundum volunta-
tis imperium membrum attollere co-
nantis, sed ab expultrice naturali sti-
mulatâ, quæ animalem in consensum
trahit; & plerumque. Tremor est in u-
nâ parte; rigor vero in omnibus to-
tius corporis, rigorq; fit cum dolore &
molestia; Tremor vero sine dolore
accidit.

*Tremoris à
rigore dif-
ferentia.*

Causa.

Facultatis motricis imbecillitatem Tremoris
& debilitatem, seu facultatem motri-
cem p. n. oneratam tremoris proxi-
ma. Idque verum esse, facile corpora,
quibus tremor accidit, consideranti
patebit. Tremunt enim senes, ebriosi,
valdè refrigerati, qui ad paralyfin in-
clinationem habent, & omnino qui ex
causa quacunque nervosum genus de-
bile habent. Verùm hic monendum,
dum facultatis motricis debilitatem
causam esse diximus, nos Medicis usi-
tatum morem loquendi sequi. Aliàs
enim, ut in Institutionibus lib. 2. part. 1.
cap. 2. dictum, facultates propriè non
debilitantur, sed animæ inseparabiles
proprietas sunt, & senex, si haberet
oculum juvenis, videret ut juvenis; cum
eâdem potentiâ sit instructus. Ergo
dum facultatum debilitatem dicimus,
proximè de instrumentis intelligimus;
& proinde tremoris causa in instru-
mentis voluntario motui dicatis quæ-
renda est.

*Tremoris
causa pro-
xima.*

*Imman. Causa
disting.*

Proximam autem, & propriam vo-
luntarii motus organum est musculus,
& præcipuum in eo nervus, qui per
ipsum.

*Proxima
Tremoris
causa ubi
hæreat.*

ipſius muſculi ſubſtantiã tenuiſſimis fibris diſſeminatur; ſeu fibræ illæ, in quas nervi muſculi reſolvuntur; & quidem nervoſæ illæ fibræ bene conſtitutæ, calido ſcilicet ſuo innato, quod Avicennas ſpiritum motorium nominat, præditæ, & ſpiritu animali inſuente, qui inſitum fovet, & excitat, perſuſæ. Facultatiſque ad movendum robur totum pendet a nervorum muſculis inſitorum, ſeu fibrarum nervoſarum in muſculis, rectâ conſtitutione: & contra facultatiſ moſtriciſ imbecillitas ab ipſarum malâ diſpoſitione, quæ provenit vel à domeſtico & peculiari nervorum, vel ſpiritu animalium influentium vitio.

Aque ita Tremoriſ p.n. cauſſa quærenda eſt vel in ſpiritu animalium influentium vitio; vel in nervorum & fibrarum nervoſarum in muſculis mala diſpoſitione; & quidem aut in intemperie, & ſimilari conſtitutione, accoloriſ illiſ inſiti vitio, aut in morbo organico eorundem. De quibus, ut cauſſiſ tremoriſ proximis jam dicemus, & una operâ cuique alias remotiores, cum internas, tum externas cauſſas ſubijciemus.

Tremor à ſpiritu animalium abſumptione, & reſolutione.

Spiritu animalium inſuentium vitio fit tremor; cum illiſ deſciunt, non quidem abſolutè, ut in paralyſi, ſed cum non juſta copia influunt. Quod accidit, quia vel non generantur, vel geniti abſumuntur, & diſſipantur. Non generantur ob cerebri intemperiem frigidam, cum in morbiſ cerebri frigidis quacunque de cauſſa contractis, de quo ſupra, part. 1. cap. 2. & 10. dictum eſt in ſenibus; unde Tremor ſenibus

familiariſſimus eſt, ut pote quorum cerebrum una cum univerſo corpore refrigeratur, ut & iis, quorum parentes hoc ſymptomate laborarunt.

Ob ſpirituum vitalium deſectum ſpiritus animales non generantur, vel quia ipſi vitales ſpiritus non ſufficienti copia generantur: id quod in morbiſ, in quibus calor & viſ concoctrix languet, accidit: vel quia ob inordinatum motum à cerebro non fluunt; id quod fit in vehementibuſ animi pathematiſ, ut in ira, gaudio nimio, timore & terrore ex aſpectu rei, quæ vel venerazione, vel metu & horrore terret; qualis eſt hoſtiſ, periculi inſtantiſ principis, loci præcipitiſ, ſerpentiſ, facinoriſ, vel alteriſ rei horrendæ intuituſ; quibus modiſ omnibuſ, ſpirituſ ſubito percelluntur, & magno impetu, ſive ad interiora, ſive ad exteriora, feruntur; atque ideo ad cerebrum non perveniunt; unde ſpiritibuſ animalibuſ generandiſ materia denegatur.

Generati vero ſpiritus animales reſolvuntur, & diſſipantur (quod tamen ipſum etiam ſpiritibuſ vitalibuſ commune eſſe poteſt) in morbiſ diuturniſ nimiaſ ſanguiniſ evacuatione, & purgationibuſ immodiciſ, & exercitiſ nimio, Venere immoderata, longa inedia, vigiliſ, animi deliquiſ, & ſimilibuſ.

In ipſiſ vero membris & nerviſ cauſſa tremoriſ eſt, primo, cum intemperie aliqua, vel frigida, vel humida laborant; id quod plerumque accidit; vel etiam ſicca: ut in phreneticis & maniaciſ quandoque evenit, ut Hippocrates,

Tremor ab intemperie nervoſo latente,

erates, 1. *Prorrhet. aphor. 9. & 14.* docet, ubi aut calidum innatum nervorum à calore p.n. absumitur, aut malignâ qualitate dissipatur. Potest enim illa intemperies frigida & humida, quæ plerumque Tremoris causa est, nervosis partibus induci à causis tum Externis, tum internis. Causæ externæ sunt: aër frigidus, aqua frigida, nix, glacies, nimis aquæ frigidae in febribus, post balnea, exercitia & motus corporis, aut in ediam, potus, imprimis si aqua è nive, vel glacie soluta sit. Internæ verò sunt, humores frigidi & crassi, imprimis pituitosi, quacunque de causâ cumulati: quæ causa & in iis locum habet, quibus sanguis, vel alia consuetæ evacuatio suppressa est. Unde, ut postea, *questionetertia* dicetur, causam morbi apud Hippocratem, 2. *Epidem. sec. 4.* Strymargi ancillæ puerperæ, quæ ob retentionem sanguinis tremore correpta, sanguinis quæ venis tali emissionè curata est, potius ad humorum nervos generis calorem opprimentium copiam referendum puto, quam ad errorem externum, pondus scilicet membrum deprimens, quod Capivaccius existimat: nisi quis forsân ad vapores pravos, è sanguine post partum suppresso elatos ad nervos, causam referre velit.

Tremor à
maligna
& narcotica
causa.

Deinde in nervosis partibus vitium est, cum prava dispositio à causis totâ substantiâ, & occulto modo nervosis partibus infestis ipsis inducta est. Quod à venenis plurimum accidit; ut & *Opio* unde Aurisabri, & alii, qui argentum vivum trahant, ejusque halitus & vapores excipi-

unt, ut & ii, qui lue Venereâ laborantes, cinnabaris & *Oprii* suffitu usi sunt, plerumque tremulas manus habent. Idem præstare possunt humores maligni & pravi in febribus magnis, aut aliis morbis; quibus tamen febres plerumque conjunctæ sunt, ut & retentiones secundinæ, sanguinis etiam post partum suppressiones, ut modò diximus. Pertinent huc & medicamenta narcotica, ut opium, hyoscyamus, quorum incautior usus tremorem inducere potest; ut & vinum meracius ac potentius, præsertim jejuno stomacho potum, quod ipsum nervos ferit, & vim quandam Narcoticam obtinet: unde vini potatoribus & helluonibus tremor familiaris esse solet.

Tandem in nervis vitium est, cum ^{Tremor à} nervorum ^{obstructione,} obstruantur, & densiores redduntur, ut spiritus animales sufficiente quantitate in eos influere non possint: idque ab humoribus frigidis & humidis, vel etiam melancholicis fieri potest, aut, ut aliis placet, cum à quocunque humore comprimuntur & irrigantur; quod etiam ab humoribus serosis & pituitosis fieri potest: quâ ratione in febribus ardentibus tremores fiunt, teste Galeno, *6.* *Apher. 26.* nisi quis ab occultâ humorum illorum malignitate, ut dictum, nervos lædi, humidum radicale consumi, spiritusque dissipari statuere velit. Ab ortu quoque nervis vitium inesse potest; cujus rei historiam refert Platerus de quodam, qui à primo ortu ad senium usque continuò tremuit brachiis, manibus, pedibus, quibus inter ambulandum veluti saltabat, capite item, quod agitabat, & maxillâ, quâ veluti masticabat.

Diffe-

*Differentia.**Differentia
sua.*

Et si alii plures Tremoris differentias constituent; ut quod alius major, alius minor; alius totum corpus, alius partem quandam, hancce, vel illam occupat; tamen ea præcipua est, quæ à causis spectitur; cum secundum eam curatio etiam variet. Aliam enim curationem requirit tremor, qui ab intemperie cerebri frigida provenit, aliam, qui à spiritu vitalium, qui animalium materia sunt, defectu, aut inordinato motu; aliam, qui à spiritu, seu animalium, seu vitalium dissipatione & resolutione provenit; aliam iterum; cum nervi intemperie frigida & humida laborant; aliam cum ab occulta, venenata, ac maligna, aut narcotica qualitate afficiuntur; aliam cum obstruuntur, densantur, seu comprimuntur, & humectantur.

Est etiam notatu digna tremoris differentia, quod alius simplex, alius cum convulsione mixtus, qui *πρασμοτρομώδης* dicitur; cuius etiam postea, prognost. 10. fiet mentio; qui non solum in febribus interdum accidit, sed nonnunquam etiam in epilepsia, remittente paroxysmo, cum ægri tremore tali, cum convulsivis moribus mixto, aliquot horis affliguntur, donec vapor epilepticus totus discussus est.

*Signa Diagnostica.**Signa diagnostica.*

Tremor seipsum oculis prodit, sive sit in parte aliqua, sive in toto, sicuti & an parvus vel magnus sit. Quomodo etiam ab aliis affectibus, paralyti, con-

vulsione, palpitatione, rigore differat, antea dictum. Aqua verò causa dependeat, suis indicibus colligendum, quæ ex constitutione corporis, præsertim cerebri & nervorum, ac humorum in his, & symptomatum, ut & causarum, quæ præcesserunt, vel accidunt, consideratione sumuntur. Primum nimirum quærendum, an causa externa, vel evidens aliqua, ex earum numero, quas antea recensuimus, præcesserit. Hæ si non præcesserunt, de causis internis investigandis sollicitus sit Medicus.

Cerebro affecto, & spirituum animalium influentium (absque causis externis & evidentibus), vitio tremorem fieri, colligitur ex signis, quæ intemperiem frigidam & humidam cerebri indicant, & supra, part. 1. cap. 2. & 10. sunt proposita. Profunt quæ cerebro hoc modo per se affecto sunt utilia; cerebroque curato pars ob consensus læsa & ipsa curatur. Absunt signa membrorum, quæ tremorem patiuntur, per se affectorum, & prius partes cerebro propiores, hinc remotiores afficiuntur. Ipsas verò partes nervosas absque spirituum animalium influentium vitio malè affici colligitur, si cerebri malè affecti signa non adsint; contra cum causæ tum affectus monstrant, in ipso membro dispositionem vitiosam hæere. A parentibus propagatum fuisse malum, ex relatione ægri cognosci potest.

Prognostica.

1. Tremor, qui à causis evidenti-
bus, ut terrore, & aliis animi pathema-
ca. *Prognosticis*

uis, vigiliis, inedia, exercitiis nimis provenit, nihil periculi habet, sed caussis iis sublatis ipse cessat.

2. Tremor paralyti succedens etiam malus non habetur; quoniam indicium est naturæ vel vincens morbum, vel certe imminuentis. Et præstat actionem aliquam esse imminutam, quam abolitam.

3. Tremor verò à caussis internis pendens, & ut morbus affligens, etsi & ipse per se lethale malum non sit, nec per se aliquid periculi afferat; quia tamen faciliè in paralytin, apoplexiam, lethargum, spasmus degenerare potest, non contemnendus. Sicut & ob causam, à quâ pendet, mortem non longè abesse, sæpius significat.

4. Tremor quò vehementior est, aut in parte nobiliore consistit, eò deterior. Avicennæ in parte sinistra est periculosior; quia calidum innatum ejus partis facilius cedit & succumbit.

5. Tremor in senibus non curatur ob cerebri, & spirituum magnam imbecillitatem; sed eos plerumq; ad mortem comitatur.

6. Tremor hæreditarius, vel qui paulatim ob errores in victus ratione contrahitur, & præcipuè in iis, qui à natura facultatis animalis organa debiliora habent, raro curatur; sed vel in eo statu permanet, vel ætatis progressu etiam augetur.

7. Quibus in febribus tremores sub initio incidentes conquiescunt, iis tandem in articulis abscessus dolens supputat, aut vesica laborat; materia scilicet à venis in nervos, aut articulos effu-

sa, aut in vesicam, ubi urinæ difficultatem efficit. Hippocrates, in *Coac.*

8. Si Tremor in convulsionem permutetur, malum; quia, ut vulgus existimat, nervosarum partium exsiccationem magnam sequitur, à qua, tanquam à privatione ad habitum, non fiat regressus; vel potius quia materia, quæ antea nervis intemperiem inducendo tremorem efficiebat, jam deteriore qualitate inducit, ut nervos vellicer.

9. In febre ardente tremoribus delirium succedit, *μετὰ πόσει* factâ materiæ à venis in nervos; sed cum ægri detrimento. Cum enim priori morbo succedit alius æquè gravis, aut etiam gravior, viribus hac ratione consumptis, exigua tum vitæ spem superesse necesse est. 6. *Aphor.* 36. & in *Coacis.*

10. Qui Tremores ad manum resiliunt, in malo sunt, Hippocrates in *Coac.* Aliquando enim si ægri manus diligenter spectetur, aut attingatur, intremescentem illam revelli subito animadvertimus; qui motus ex tremore & convulsione mixtus est, ac *σπασμοτρομώδης* appellari potest, est 3. *Prorrh.* *Aphor.* 13. Estque periculosa affectio; non tamen simpliciter. In longis enim febribus, ubi multa cruditas est materiæ, minore illa periculo accidit, nervis humore madentibus, unde & multi evadunt. In acutis vero, & ardentibus, ut vulgata est sententia, incendio febrili nervi exsiccati sunt, seu potius, ubi à materia prava vellcantur, lethale signum est, ac ferè delirium & convulsio sequitur, unde ægri moriuntur.

11. In vehementi phrenitide & melancholia ex flava bile in atram mutata, tremores sunt mortiferi, teste Hippocrate in *Coacis*, ob nervorum, ut vulgò existimatur, ex incendio febris & vigiliis exsiccationem, aut potius ob pravam qualitatem humoris nervoso generi inimici. Videre tamen licet & in phrenitide, & ante hanc, tremulum quendam motum ab acrium vaporum morfu, aut humorum per partes nervosas transitu, qui sæpè criticus est & salutaris.

12. Mulier post partum ex retentione secundinæ tremor proveniens, malum; quia signum est putridorum, & malignorum humorum spiritibus inimicorum.

13. Tremor in apoplexiâ vel lethargo accidens, malum signum est. Indicat enim, quod virtus extremè oppressa exurgere nitatur ad expulsionem materiæ; in quo tamen conatu deficiens, extincto calore naturali tandem succumbit.

14. In inedia, aut quavis alia evacuatione extenuatum si tremor apprehendat, malum; quoniam spiritus dissolvi, & vires ex inanitione collabi est indicium.

15. Tremor in labio inferiore vomitum instare indicio est.

Indicationes.

Etsi Causa tremoris proxima sit, facultatis motricis debilitas; tamen quia illa à multis causis, ut supra dictum, oriri potest, singulis suis contrariis oc-

currendum. Neque enim in omni tremore, ut Galenus, *lib. de Tremore, cap. 5.* monet, calefaciendum, sed si à bile proveniat, ut in febribus ardentibus, in frigidantia nonnulla requiruntur.

Si videlicet non generantur spiritus animales ob cerebri intemperiem frigidam, cerebrum calefaciendum & roborandum. Si spiritus vitales, animalium materia, deficiant, causa, ob quam hoc accidit, tollenda, ac corpus inanitum reficiendum, & spiritus instaurandi.

Si in nervis sit intemperies frigida & humida, calefacientibus & siccantibus tollenda, humores, à quibus fovetur, evacuandi & discutiendi, ac nervi roborandi.

Si autem prava aliqua *M&F* à causa maligna, vel venenata, aut narcotica iis *is* impressa sit, si causa adhuc præsens sit, tollenda, & *M&F* illa nervos roborantibus expugnanda.

Tandem si seu obstructio ac densitas, seu compressio & irrigatio nervorum adsit, humor, à quo id fit, tollendus, ac nervi roborandi.

Curatio.

Curatio.

Cum autem quâ ratione cerebri intemperiem cum, & sine materia emendare, ut & spirituum animalium vitia corrigere conveniat; supra, *part. 1.* dictum sit, de spirituum verò vitalium vitiis de affectibus cordis, *lib. 2.* dicendum sit, & præterea Tremor ille, qui ex conspectu rei quocunque modo tremendæ,

tremendæ, velex ira, aut aliis animi pathematis provenit (sublatâ causâ, quæ spiritus perturbat, faciliè cesset : tantum hic dicemus de Tremore à spiritu-um, tum vitalium, tum animalium dis-sipatione & resolutione : deinde de Tremore, qui à nervorum vitio ortum habet, videlicet de intemperie frigida & humida, simulque, cum eandem curationem habeat, de nervorum ob-structione, densitate & compressione : tandem de prava dispositione, à vene-nis, ac malignis & venenatis humori-bus, & narcoticis impressa, curanda ; & quidem breviter, cum curatio tre-moris multa cum paralysis curatione, de qua, cap. seq. dicitur, communia ha-beat.

De Curatione Tremoris à spirituum absorptione & dissolutione.

Si spiritus vel ob morbum aliquem gravem, ut longum, vel evacuatio-nem nimiam, vel Venerem, vel similem causam, absorpti sint, dissipatas qui-dem aliquo modo vires restituere non ita difficile est, amissæ verò planè dif-ficulter reparantur. Ad reficiendum autem spiritus et si & medicamenta su-pra proposita, part. 1. cap. 15. & quæ postea, lib. 2. de Affect. cordis, propo-nentur, utilia sunt: tamen imprimis bona diætæ ratio, quæ resectoria nomi-natur, utilis est. Versetur ergo æger in aëre puro, temperato, & rerum sua-veolentium odore alterato. Cibus sit boni succi facilis coctionis, & qui plu-

rum spirituum suppeditat. Talis sit & potus, plurimumque hic valet vinum bonum moderatè sumptum. Æger quiescat, veletiam moderatè exercea-tur. Somnus sit moderatus, vel etiam paulo prolixior. Æger sit animo læto, & ab affectibus animi immoderatis alieno.

Curatio Tremoris à causa frigida & humida ner- vos lædente.

Si verò Tremor à materia frigida & humida, temperiem, seu innatum cali-dum nervorum lædente, seu eos ob-structuente, aut comprimente, & irrigan-te ortum habeat, eadem ferè curandi ratio competit, quæ postea de paraly-si proponetur. Videndum primò, an plethora aut catochymia in toto, vel parte adsit ; eaque tollenda. Itaque si sanguis peccet, sive ex se, sive sup-pressa aliqua evacuatione consueta, vena aperiatur. Ita Hippocrates, 2. Epidem. sect. 4. Stymargæi ancillæ, quam post partum tremores toto cor-pore occuparant, quod à partu purgata non fuisset, venam secuit in talo, ut sanguinis multitudinem demeret. Et vix in alio casu sanguinis evacuatio in tremore convenit, quam ubi tremor ex suppressis hæmorrhoidibus, men-struis, vel purgatione sanguinis post partum, ortum habet. Atque tum commodissimè vena in talo aperiatur, vel etiam hæmorrhoides provocantur. Aliàs vero in frigido affectu, ne corpus magis

magis perfrigeretur, non convenisset venæ sectio, ut refert Galenus, in *libr. de Tremore*, cap. 5. & de *vena sectione adversus Erasist.* cap. 5. Ubi verò plethora tanta non est, venæ sectionis scopus cucurbitulis cum scarificatione, & cibi paucitate suppletur.

Si verò humor frigidus mali causa sit, præparetur & purgetur, ut supra, *part. 1. cap. 10.* dictum, cerebrumq; , ac partes nervosæ roborentur. *Issverò*, quæ supra, *loc. alleg.* dicta sunt, pauca saltem addimus. Ad alterandum & roborandum imprimis salvia & castoreum commendantur, ut & galega, & stachas Arab. Drach. j. pondere cum hydromel. exhibita; item conferv. primul. veris, anthos, meliss. & acorus conditus, & hujus generis alia.

Avicennas commendat cerebrum leporis assatum; & castoreum omnibus modis, cum assumptum, tum extra adhibitum, prodest.

Ad confortationem nervorum, præcipue post diuturnos morbos, utile est hoc Electuarium:

℞. Pulpa pullorum columbarum
sylvest. vel ciconiarum in
vino elixarum Unc. iij.

cerebri leporis assati Unc. j.
amygdal. dulc. mundatar.
num. xxx.

pinearum recentium lotarum
cum hydromelite num. xx.

passul. minor. Unc. j.
sp. elect. resumtivi Drach. ij.
pulv. cinamomi Drach. iij.

zingiberis,
caryophyll.
galang.

L. I.

macis, an. Scrup. j.
cardamom. Scrup. ℞.

mosch. gr. ij.

mellis despumati q. s.

F. Electuarium.

Vel. ℞. Conferv. fl. lavend.
rorismar.

salv. an. Unc. ℞.

elect. diacori Drach. vj.

cerebri leporis assati Unc. j.

castorei Drach. ℞.

cranii hum. preparati Drach. ij.

pulv. rad. & sem. pæon.

an. Drach. j.

visci quern. Drach. ℞.

spir. primul. veris Drach. j.

essent. salv. Drach. ℞.

Cum sir. de stach. q. s.

F. Electuarium.

Vel ℞. Conser. beton.

rorismar. an. Unc. j. ℞.

zingib. cond. Drach. vj.

spec. diamosch. d.

diamb. an. Drach. ℞.

theriaca Drach. ij.

spir. volatil. Scrup. j.

Cum sir. de beconica. q. s.

F. Electuarium.

Ut & hoc:

℞. Conser. flor. salvia,

anthos,

acori, an. Unc. ij.

cranii hominis preparati Unc. ℞.

rad. ac. sem. pæon.

rad. plantag. aquatic.

an. Drach. j. ℞.

cerebri leporis assati Unc. ij.

M. F. Electuarium.

Vel paretur hic Sirupus ad nervos roborandos utilis:

℞. ℞.

℞. Her-

R̄. Herbar. primul. veris.

salvia,

ruta,

chamaphysios,

maioran.

chamadryos,

satureia,

calaminib.

origani,

betonic. an. M. B.

calami aromat. Unc. B.

Coqu. & cum f. q. mellis.

F. Sirupus,

in quo adhuc calido Nodulus se-
quens suspendatur & relinquatur :

R̄. Cinnamon,

caryophyll.

macis,

nuc. moschat.

sem. pæon.

piper. nigri,

longi.

zingiberis,

spica,

sem. anisi. an. Drach. j.

Nicol. Florentinus refert, *serm. 3. tr. 3.*
cap. 9. quod mulier quædam sexagenã-
ria à tremore capitis liberata fuerit solã
comestione nyctioracum, quos depi-
latos cum visceribus decoquebat, &
comedebat.

Chymici essentiam melissæ laudant,
in aqua basilic. exhibitam. Alii in quin-
ta essentia vini folia salviæ macerant.

Nonnulli aliis remediis nihil profici-
entibus decoctum ligni sancti, & sarsæ
parillæ per aliquot dies propinant, ad
excrementitium humorum exsiccan-
dum, & per sudores exhauriendum &
evocandum.

Tremor à potu aquæ è nive resolutæ
curatur balneo calidissimo, in quo æ-
ger moretur, donec bene sudaverit. Po-
stea utatur cibus & inunctionibus cali-
dis.

Ex Topicis ad alterandam intempe-
riem nervosarum partium, humorem
pituitosum discutiendum, & nervos
roborandos conveniunt ol. costini
vulpin. de castor. lumbric. terebinth.
Philosophor. de piper. nardinum, juni-
peri, & lilior. alborum, in quo flor.
lavendulæ, liliorum conval. macera-
ti fuerint, vel oleum ex floribus trifolii,
quæ imprimis commendantur, & a-
lia, quæ de paralyti postea proponen-
tur, quibus cervix, & origo nervorum,
& membrum tremulum inungatur,
iisdemque aqua aliqua apoplectica aut
cephalica admisceatur.

Vel R̄. Olii unip.

de castor.

de piperib.

vel pin. an. Unc. B.

unguenti Martiati Unc. j. B.

sapon. Veneti, Unc. j.

pulv. sem. eris.

urtic.

ruta.

separ. an. Drach. j.

axung. anatis Unc. j. B.

Misc. pro Unguento.

Utilis est & balsamus rosmarini. la-
vendulæ salviæ, petroleum, ol. destillat.
juniperi, majoranæ, melissæ.

Lavetur quoque membrum tremulum
aquâ vel decocto salviæ, rosmarini,
lavendulæ, majoranæ, baccar. juniperi,
addito castoreo.

Nonnulli

Nonnulli sequentem Aquam stillatitiam pro secreto habent :

℞. Fol. *salvæ* ℥.ij.
camphoræ Unc.ij.
veni alb. q. s.

Digerantur per 8. Dies. deinde destilla in B. & modo dicto utere.

Utile est & hoc Destillatum.

℞. *Mastiche*,
thuris,
myrrha,
opopanax,
sagageni, an. Drach. ij.
styracis calamitæ,
liquide, an. Unc. ℞.
cerebinthin. Unc. ij.
herbe ivæ arthetica,
fl. lilii convall.
lavendulæ, an. M. iß.

Concisus & contusus affunde
veni Rhenani ℥.ij.

Stent in infusione loco calido 4. diebus. Postea destillentur.

In destillato dissolve *mosch.* Drach. j.
 Hoc liquore & *nucha*, & *spinadorfi*, & membrum affectum illinuntur.

Possunt & sacculi, & cucuphæ ex cephalicis, & aromaticis pulveribus concinnata vertici capitis raso admodum veri.

Nec inutile fuerit, cucurbitulas sine scarificatione ad vertebrae, unde nervi membri affecti prodeunt, apponere.

Sunt & efficaces thermæ, & præcipue *æreæ*, quæ si desint, *Laconicum* parari, aut balneum cum herbis convenientibus potest.

Curatio Tremoris à maligna, venenata, ac narcotica causa.

Si ab usu narcoticorum medicamentorum, aut vapore, vel contactu argenti vivi, aut venenis, aut humoribus malignis, qui nervis infesti sunt, tremor originem habeat, exhibenda medicamenta venenis & malignitati adversantia, nervosque roborantia. Nonnulli, neque sine ratione, si Tremor sit ab hydrargyro, aurum limatum, vel foliatum medicamentis internis (ut & externis, ut dicitur) permittunt. Cum enim aurum cum hydrargyro tantam habeat cognationem, ut hydrargyrum ab auro imbibatur, fieri potest, ut, si id corpore reperit, cum eo uniat, & tandem per alvum excretnatur.

Nonnulli docent, hydrargyrum sudoribus è corpore elicere, ut instar arenæ cuti adhæreat, & postea aqua ablui possit, hoc modo: Ægrum alternis diebus in balneo sicco lavare jubent, uno die ignitis lateribus affuso vino, in quo *salvia* & *absinth.* cocta sint, altero, thure carbonibus injecto, ægrumque, dum balneo egreditur, aquâ vitæ cum *melissâ* destillata, idque diebus 14. continuant.

Extractiam adhibenda, quæ nervis familiaria sunt, ac membra tremula illinenda theriacâ dissolutâ in ol. *irino* aut *laurino*, vel decocto & aquâ *salviæ lavandæ*.

R. scabananth.
 cyperi,
 acori seu calami aromat.
 spica,
 caryophyll.
 nucis moschat.
 piperis, an Drach. ij.
 hermodactyl.
 satyrii, an. Drach j.
 spir. vini vel aq. Apoplect. Unc. j.
 cera q. s.

F. Linimentum.

Efficacius redditur, si auri limati, vel foliati Drach. β. addatur, si malum sit ab hydrargyro. Commendatur & ol. ꝑris, vel Ballamum. ꝑris, si tota spina, & membrum tremulum eo inungatur.

Diata.

Diata pro ratione causarum conveniens ordinanda. Si à spirituum absumptione, & inedia pendeat tremor, cibo boni succi corpus quamprimum reficiatur. Si à cerebri & partium nervosarum intemperie frigida & humida ortum habeat Tremor, diata convenit, quæ supra, *part. 1. cap. 10.* proposita est. In senibus tremulis pulforum, & columbarum juvenum caro, præsertim tempore hyberno, commendatur.

Bibat æger cerevisiam, vel hydromel salviâ, betonica, roremar. conditum. Abstinendum ab immoderato vini usu, à nimia venere, lotionem in aqua frigida; neque etiam manus frigidâ aqua abluendæ, sed potius decocto, vel aqua salviæ, aut flor. lavendulæ.

Nonnulli urinam ad manuum lotionem commendant. Utile est & balneum ex aqua thermar. vel marinâ, aut, si hæc desint, ex decocto plantarum, quæ cerebro & nervis amica sunt.

QUÆSTIO. I.

An Tremoris vox quandoq; etiam pro Rigore accipiatur?

Tremoris vocem duobus modis à Galeno accipi, propriè, & impropriè, scribit Hercul. Saxonia, *libr. 1. cap. 14.* Propriè pro depravatione motus ex facultatis moticis imbecillitate, de qua jam actum. Impropriè etiam pro Rigore. Atque hanc impropriam significationem vocis Tremoris. usurpatam docet à Galeno, *libr. de Theriac. ad Pamphilian.* ubi scribit; theriacam curare tremores, qui contingunt in febrium accessionibus, & 2. *de Antidot. cap. 9.* ubi docet Mithridatium curare tremores accessionum febrium. Verum enim vero etsi vulgus istas appellationes, & symptomata interdum confundit; tamen Medici eas semper discernere solent. Neque loco allegata contrarium probant, sed versione Latinâ utrobique deceptus est Hercul. Saxonia. Neutro enim in loco aliquid de tremore in textu Græco habetur: etsi versio Latina pro rigore vocem tremoris substituerit; quod etiâ Latina attendè legentè facile latere nō potest. Et eim, in *lib. de Theriac. ad Pamphilian.* ita habetur; ἀγαθὴ καὶ πάντῃ τινεὶ βίῃ ἀπαλλάξει, hoc est.

hoc est, utilis est Theriaca cuiuscumque typhi rigorem tollere, ubi $\rho\acute{\iota}\gamma\textcircled{C}$, non $\tau\rho\acute{o}\mu\textcircled{C}$ habetur: $\kappa\alpha\iota\ \tau\acute{o}\iota\varsigma\ \kappa\alpha\tau\acute{\alpha}\ \omega\epsilon\acute{\iota}\omicron\delta\omicron\nu\ \pi\rho\upsilon\epsilon\tau\acute{o}\iota\varsigma\ \beta\omicron\nu\theta\acute{\epsilon}\iota\ \kappa\alpha\iota\ \pi\alpha\rho\epsilon\tau\acute{o}\iota\varsigma\ \tau\rho\acute{o}\mu\acute{\omega}\delta\epsilon\sigma\iota\nu$, id est, febribus secundum periodum affligentibus auxiliatur, & qui patesi ac Tremore laborant.

QUÆSTIO. II.

An proxima Tremoris
Causa sit una, facultatis
motricis imbecil-
litas?

Proximam Tremoris causam esse facultatis motricis imbecillitatem, quæ membrum, quod à naturali pondere deprimitur, liberè movere non potest, supra dictum est. Hercul. Saxonia tamen, *loc. alleg.* aliam causam habet, dicitque, dari adhuc alium tremorem, qui fiat musculis nullâ ratione exercitatis, & motis, ac differre à legitimo tremore, non quidem in forma motus, sed potius in causis. Esse enim eandem motus formam compositam ex elevatione, & depressione, sed causis differre: cum legitimus tremor habeat elevationem factam à facultate animali, motum depressionis à gravitate membri. Spurius vero habeat motum elevationis à causa, vel non naturali, vel præter naturam, vapore scilicet, vel flatu, qui repleat nervosum, & musculosum membrum, & replendo membrum elevet, motum vero depressionis similiter à gravitate membri.

Verùm fallitur & hic Saxonia. Et primo confundit palpitationem ac Tremorem. Palpitatio enim est Tremor illi spiritus, quem ponit, & motu isto reciproco non totum membrum voluntatio motui dicatum, quod tremoris subjectum proprium est, sed solum musculosa pars cum cute à vapore, vel flatu elevatur, membro toto situm non mutante, nec moto:

Deinde quod putat, fieri posse tremorem, musculo uon moto, vel exercitato, atque hoc in Doctore Bottonno, & virgine quadam moniali se vidisse scribit; etiam in eo deceptus fuit Saxonia. Musculorum enim actio duplex est, una, qua pars attollitur, seu transfertur; altera, qua elevata seu suspensa, vel in quacunq; loci differentia mota, in eodem statu servatur, quod fit in motu tonico. Ideoq; fieri potest, ut, licet una parte manus vel brachium rei alicui quietæ innitatur, nihilominus tamen ob motum tonicum, quem facultas animalis debilis in toto membro præstare non potest, Tremor in membro, quod quiescere videtur, accidat, qui nullius alterius generis est; nec aliam causam habet, quam tremor antea descriptus.

Cardanus quoq; in 6. Aphor. 26. seu, ut ipse numerat, 25. Galenum reprehendit, quod unicam proximam tremoris causam posuerit, facultatis motricis scilicet imbecillitatem, quæ membrum, ut par est, movere, vel extensum servare nequit. Etsi enim Tremor iste senibus familiaris sit; alium tamen, præter illum ponit, qui & validis cor-

poribus accidat. Talem se vidisse scribit in uxore Mercatoris, Johannis Angli de Monte, quæ tremore adeo cruciatur, ut tres viri illam non possent continere, quæ simul & cordis palpitacionem patiebatur. Idem in Duce quodam militum se vidisse scribit. Atque omnino maximam inter has duas tremoris species differentiam esse docet. Illum, qui à Galeno & aliis vulgò describitur, accidere senib⁹ imbecillis, aut alio modo debilitatis; hunc verò juvenibus & validis. Illum esse continentium; hunc habere accessiones, ut comitiales morbum, & convulsiones: illum tremorem esse lentum, exiguum, ac vix conspicuum; hunc velocem, ut vix contineri possit: illum superposito tabulæ membro cessare; hunc, etiam si membrum quiescat, nihilomin⁹ membrum agitare: illum fieri sursum ac deorsum; hunc etiam ad latera. Causis etiam differre hos tremores statuit, ut jam dicetur. Ipse ergo duo genera tremoris constituit, unum, quod fiat ab imbecillitate facultatis motricis, quod sit tardum, & cum parva concussione, ac cesset, si membrum quiescat: alterum verò velox, & cum magno impetu, ac per accessiones, quod fiat ex corruptione facultatis, non debilitate. Causam autem corruptionis facultatis dicit esse vaporem quendam stimulantem & pungentem nervos, sicut id & in convulsionibus videre est. Ascendere, autem illos vapores ad cerebrum, & nonnunquam etiam à cerebro ad nervos, aut ad cor transmitti, unde simul palpitatio cordis accidat; sicut id

uxori illius mercatoris accidit. Atque tales etiam tremores esse docet, qui per febres ardentes contingunt, qui, accidunt vaporibus talibus ad principium nervorum missis: unde etiam Aphorismus ille habet; Solvi Tremorem delirio, ubi scilicet vapor, qui antea principium nervorum vellicabat, jam ad ipsam substantiam cerebri, ejusq; ventriculos penetret. Neque etiam hunc motum ad palpitacionem referri posse docet, cum tremor hic sit motus magnus, velox, creber, totius membri sine dilatatione & contractione cum mutatione situs, quorum contrarium accidit in palpitacione, ut ex Galeno, *lib. de Palpit. & Tremore, cap. 5.* videre est

Non dissentite videtur à Cardano Platerus, qui de causis Tremoris scribit: Nervorum quosdam affectus non spiritus intercludere, sed nervos alia ratione labefactando, & dēdove tremorem inducere; ut si ab humoribus excrementitiis, sicut dictum, non tantum spiritus intercipiendo imbecillitas hæc in musculo tremoris causa sit, sed & irritando nervum ad motum, qui in tremore fit, non nihil impellat; unde & aucta causa, vel perseverante, tremor in convulsionem sæpe desinat.

Verum enim vero libenter quidem concedimus, motum hunc, quem describit Cardanus, à Tremore, qui vulgo explicatur, omnino distinguendum esse, ne forsan in curatione nobis accidat, quod ipsi Cardano evenit, cui, *loco allegato*, ipse scribit, cum Dux quidam militum hoc malo correptus curan-

randus oblatus fuit, atque ipse tantum ea cogitaret, quæ Galenus passim de Tremore scribit, nullamque aliam causam esse existimaret, quàm facultatis debilitatem, ægrum curare non potuit, quem tamen forsan curare potuisset, si ea, quæ de hoc tremore addidit, perpenderit. Sed non Galenus Cardanum, verùm Cardanus seipsum decipit, dum putavit, hunc affectum, quem in uxore illius mercatoris ac Duce militum observavit, tremorem esse à Galeno descriptum, & pendere à facultatis motricis imbecillitate; in quo valde erravit. Etenim tremor nunquam fit sine motu voluntario, & tremor, respectu facultatis motricis, est motus voluntarii debilitas; respectu verò totius membri, motus voluntarii depravatio: id quod non accidit in hoc motu à Cardano descripto, qui omnino contra voluntatem accidit, & ita quidem, ut etiam vi externâ motus ille p. n. semper impediri non potuerit. Præterea Tremor non fit cum tanta corporis concussionem & agitationem, sed saltem in duas situs differentias, unam, in quam, à facultate motrice trahitur, alteram, in quam pondere suo membrum vergit. Undè ad tremorem hic motus à Cardano descriptus referri non debet.

Ut verò, quid mihi videatur, aperiam, convulsiones, epilepticis non dissimiles fuerunt hi motus, quos Cardanus pro tremore habet. Etsi enim in perfecta epilepsia ægri concidant: tamen si causa sit levior, id non semper accidit, & talis epilepsia exemplum

Institutionibus recensuimus, ac tale etiam habet Smetius, in *Miscell. pag. 526.* Achocipso anno 1624. *M* femina quædam Halæ Saxonum tale quid perpessa fuit, quæ cum cancrum exulceratum in mamma haberet, atque indies ille profundius serperet, tandem cum corruptio usque ad membranam thoracis pervenisset, aliquoties tales convulsiones passa est, ut etiam ab aliquot hominibus quæta contineri non potuerit. Quomodo autem & resolutiones & convulsiones ex consensu thoracis fiant, docet Adrianus Spiegelius, *de human. corp. fabr. lib. 6. cap. 4.* nimirum ob consensum, qui est inter arterias intercostales, & spinalem medullam, provenitque à propaginibus illis, quæ in spinam se penetrant per foramina thoracis. Atque facile hoc cognoscere potuisset Cardanus; cum ipse scribat, Tremorem hunc accessiones habuisse, & membrum concussisse, & à vapore nervos vellicante ortum habuisse. Ideoque vel ad epilepsiam, vel ad convulsivos motus potius hic tremor, quem ita appellat Cardanus, referri debet, quàm ad tremorem propriè dictum. Si enim cerebrum & principium nervorum simul afficiatur, est epilepsia; si verò nervorum propagines infra caput afficiantur, sunt motus convulsivi.

Quod verò tremores illos in febribus ardentibus attinet, hic concedendum puto, convulsionem quandam interdum cum tremore concurrere, & tunc spasmus τρομώδη aut τρέμον ασσώδη appellari posse. Facile enim acci-

accidere potest, ut facultas ex morbo ad movendum sit debilis, & inde fiat Tremor: quod si humor sit malignus, & simul nervos vellicare incipiat, tremori convulsio accedit, & motus quidam ex convulsione & tremore mistus accedit.

Atque ita una proxima tremoris est causa debilitas facultatis motricis, quæ membrum elevatum in eo sta u servare nequit. Motus verò illi, qui à vellicatione nervorum oriuntur, convulsivi sunt.

QUÆSTIO III.

An Tremor ab errore externo quoque provenire possit?

Capivaccius, *cap. de Tremore*, motum in Tremore duobus modis depravari statuit, vel læsâ facultate, vel ab errore externo; & ad errorem externum refert primò vitium spirituum animalium, quod hi nequeunt facultatem influxam servare robustam. Deinde mobile, seu pondus mobilis, partiumque motui destinatarum; cujus exemplum ponit sanguinis abundantiam, & potum copiosum. Tertio ad vitium spirituum & pondus simul refert venena, frigiditatem nimiam, calorem, & humores calidos, ac similia, quæ cum spiritibus animalibus adversantur, tum calidum partibus insitum lædunt.

Verùm non video, quomodo aliquid ad errorem externum referri possit, quod objecti ratione, respectu motricis facultatis, non habet. Itaque spi-

rituum vitium non ad errorem externum, sed partium, quæ proximum motus organum sunt, nervorum scilicet, morbos & dispositionem p. n. rectius referri puto. Spiritus enim animales influentes insitum nervis calidum perficiunt, temperiemque eorum quasi complent, & ut facultas motrix motum actu præstare possit, efficiunt: Potus vero copiosus, & sanguinis evacuandi retentio, tremoris causa sunt, nõ quod membrum nimis grave reddunt, sed potius, quia vel insitum nervis calorem debilitant, vel ad vitiosorum humorum, qui idem efficiunt, generationem faciunt.

Atque idem præstant venena, frigus nimium, & humores in febribus ardentibus; qui ipsi tamen maligna sæpe, & occulta potius vi, quàm manifesta qualitate, nervis inimici sunt; supra de causis dictum.

QUÆSTIO IV.

Quomodo Hydrargyrum Tremoris Causa sit?

Hydrargyrum Tremoris causam esse, extra dubium est, testaturque id experientia. Nec ignotum est id aurifabris, qui ad noxam, quam argentum vivum inferre potest, vitandam, dum argentea vasa inaurant, in aëre libero, vento secundo, sedere solent, ut fumus argenti vivi ab eis arceatur. De modo autem controversum est. Nonnulli & vaporem argenti vivi noxium esse, & in inunctionibus extra etiam adhibi-
tum

rum nervis nocere statuunt. Alii saltem vaporem ore exceptum noxium esse docet. Platerus, *in tract. 1. de Causis Tremoris*, utrumque negat, & argentum vivum in substantia, nec per suffitum, nec per inunctiones corpus subire, sed viribus tantum eo usque deductis, nervis nocere statuit.

Verum enim verò nemo, qui argentum vivum tractavit, ejusque naturam cognitam habet, Platero facile assentietur. Etenim Hydrargyri, ea natura est, ut in alia corpora sese intimè insinuet, ejusque mistio tam exacta, ut naturam suam, quocumque etiam modo murata videatur, non amittat, sed ad pristinam naturam facillè redeat; vaporq; Mercurii nihil aliud est, quam ipsum argentum vivum in tenuissima corpuscula redactum. Ideoq; utrumque fieri putamus, ut & vapore ac suffitu, & inunctionibus noceat, & quidem non solum qualitates communicando, sed etiam substantiam, Etenim vapor ille, ut dictum, nihil aliud est, nisi Mercurius in subtilissimas & minimas partes resolutus, qui facili negotio in Mercurium vivum & currentem etiam redit, quod Chymicis tam notum est, quam quod notissimum. Quin verò & inunctionibus in corpus penetrare possit, nemo dubitabit, cui vires argenti vivi notæ sunt; atque ipsa experientia id confirmat. Quantum enim è suffitu & inunctionibus corpori nocere possit, historiis & exemplis demonstrant, Fernelius, *de Lue Venerea, cap. 7.* Julius Palmarius. *de morb. contag. l. de hydrarg. cap. 5.* Forestus, *lib. 8. observ. 5.* & quidem non solum qualitate, sed &

substantiâ, facillè patebit ei, qui exempla ista & historias diligenter perpenderit. Præterea refert Laurentius Scholtzius, *in observ. Schenck, lib. 7. de Hydrarg. observ. 20.* cuidam frequenter utenti Mercurio accidisse, ut Mercurius brachio elevato & dimisso in eo fluctuaret, & motu manifestè perciperetur.

CAPUT. XXVI.

De Motus Impotentia in Genere.

CUM Tremor sæpe sit paralysis sequentis præludium, isque, ut à facultatis motricis imbecillitate dependet, ita in motus impotentiam, & abolitionem sæpe desinat; commodè atque ordine post tremorem jam de motus impotentia, & abolitione agimus. Et primò quidem in genere de motus impotentia; postea in specie de Paralyti dicemus.

Notandum enim hæc, motus impotentiam latius patere, quam paralytin. Nam obluxationem articularum, & ossium dislocationem, eorundemque fracturam, ob vulnera, ob tumores, ob exsiccationem, & duritiem tendinum ac ligamentorum, & similes causas, membra, ut debent, & secundum voluntatis imperium moveri non possunt, ac movendi impotentia excitatur, quæ tamen paralysis non dicitur. Neque cui crus fractum, ac vulneratum est, paralyticus appellatur, etsi ambulare non possit: sed tum solum paralyticus nominatur, cum facultas motrix læ-

Motus im-
potentia
latius pa-
ter, quam
paralyticus.

ditur, aut frustratur, ob spirituum animalium in musculis defectum, ut, *capite sequenti*, dicitur.

Causa impotentia motus.

Cum ergo plures causæ esse possint, ob quas facultas motrix in officio suo impeditur, eas omnes in conspectu habere oportet, ut, quæ in quolibet agro locum habeant, investigari queat. Cum autem motus voluntarii organum sit musculus, nervi spiritum animale, sine quo nullus fit motus voluntarius, deferant, cerebrum verò eum communicet & transmittat; ac insuper membrum, quod moveri debet, naturaliter dispositum esse debeat: in hisce quatuor impedimenti ac læsionis, quæ in motu voluntario accidit, causæ quæranda est. De ea verò motus impotentia, quæ fit ob spirituum animalium defectum, ac nervorum, spinalis medullæ, ac cerebri vitium, postea de paralyti ac apoplexia dicemus. Hæc verò capite eas causas saltem explicabimus, ob quas citra paralytin & apoplexiam motus animalis læditur: & præcipuè de musculorum ac partium musculis, connexarum, & quæ moventur, vitis & morbis.

Motus impotentia à nimia musculorum refrigeratione.

Et musculos quod attinet, primò nimia eorum refrigeratio causa motus impotentis esse potest: id quod iis accidit, quibus manus vel pedes ab externo frigore aëris, vela quæ, nimis refrigerati sunt, in quibus neque manus, neque pes officium faciunt, & neque rectè apprehendere, neque rectè ambulare possunt.

Motus impotentia à

Deinde exsiccatio musculorum interdum motus impotentis causa est,

ubi videlicet muscoli, tendinesq; iis inferti ita exsiccantur & indurantur, ut *musculorum exsiccatione.* amplius flecti aut contrahi, & extendi nequeant. Tunc enim membrum fixum & immobile manet. Accidit hoc sæpius post nimios labores, præcipuè in senibus, quibus membra ita exsiccantur, ut digiti & manus in curvæ manent, neque rectè amplius officium facere possint. Accidere etiam potest interdum exsiccatio ex pinguedinis, quæ musculis adnata est, defectu, ut & à glutinis illius, quo tendines oblinuntur, absorptione; quæ ab atrophia dependet. Cujus rei notabile exemplum est apud Forestum, *lib. 10. observ. 97.* de puero quodam, qui crurum atrophiam laborans, ut ambulare non posset, pro paralytico à multis Medicis, quorum consilia, *loco alligato*, videre est, frustra curatus, tandem verò Foresto restitutus est.

Nonnunquam tumor durus, veluti *Motus impotentia à duris tumoribus.* scirrhus, aut nodus ab excrementis in musculis genitus, imprimis circa tendines, ubi plures in articulorum regione concurrunt, movendi impotentiam excitat; id quod in carpo, & circa genu frequentius accidere solet: Germani ab hac, & priori causâ movendi impotentiam laborantes Contractos vocant, quod manus, vel genua in curva & rigida contrahuntur, ut extendi planè non possint. Idem à cicatrice post vulnus in musculo, vel tendine, qui vulnerati, non verò planè dissecti erant, accidere potest, à quo vulneris labiis contractis, musculoq; brevior reddito, pars, cui inferitur, contrahitur, nec rectè

rectè moveri potest; quod non solum in articulis manuum ac pedum accidit, sed etiam musculo temporali læso accidisse, indeque os adeo constrictum fuisse, ut vix liquidissimos cibos admitteret, observavit Platerus.

Motus impotentia à nimia tendinum extensione.

Si quoque extendantur per motum violentum nimium tendines adeo, ut fiant inde distracti longiores, quam par erat, aut à vinculis, quibus continentur, liberentur, ac laxentur, accidit, ut membrum postea sufficienter elevari nequeat. Ita refert Platerus, *lib. 1. observ. 140.* cuidam lapicidæ, dum saxum immensæ molis volveret, adeo tendines in sinistra manus vola ad digitos, annularem & minimum desinentes; attractos fuisse, ut à vinculis, quibus detinentur, laxati, elevatiq; duas chordas sub cute tensas in altum referrent, contractique hi duo digiti & attracti postea semper manerent. Contractio- num talium aliquot historiæ videantur apud Platerum, *observ. lib. 1. pag. 137. ad pag. 140.*

Tumor etiam in musculo dolorem conjunctum habens motus impotentia causa est, membrumque dolens, ut par est, ægri movere nec possunt, nec volunt.

Motus impotentia à soluta continuitate.

Tandem soluta continuitas, in musculis vel illorum tendinibus facit, ut membrum, quod trahere debebant, movere non possint, partim ob dolorem, ob quem pars vulnerata moveri non potest, partim quod musculus, vel tendo vulneratus contrahi, aut extendi nequit. Idem efficiunt ulcera, & præcipuè post ischiadicos dolores orta, quæ membranas, nervos, ligamenta, &

tendines circa coxæ articulum cor- rumpunt, unde claudicatio, aut ad motum impotentia excitatur. Idem tamen & in aliis articulis fieri potest. Sic- ut etiam à magnis combustionibus ad articulos nervi & tendines quandoque ita retrahuntur, ut membrum inde in- curvetur; præcipuè si circa initia Chi- rurgus ferulis & aliis idoneis medica- mentis incommodum non præca- veat.

Secundò in partibus musculis an- nexis, & præcipuè ossibus, nonnun- quam tamen & ligamentis ac cartila- ginibus, causa motus impotentia hæ- ret.

Primò si conformatio ossium sit vi- tiosa, qualis nonnullis à primo ortu obtingere, vel etiam ex fracturis acci- dere solet, motus impeditur, ut vel æger claudicet, vel manu rectè apprehende- re non valeat.

Motus im- potentia à conforma- tione ossiù vitiosa.

Secundo dislocatio ossium, & luxa- tio, & ea qualiscunque motui obst- Præterea si ossa frangantur, membrum moveri non potest, partim quia, cum pars ossis fracti, cui musculus & tendi- nes inferuntur, movetur, reliqua pars abrupta non sequitur: partim propter dolorem, qui etiam levi motu in osse fracto excitatur.

Motus im- potentia ab ossium luxatione, & fractura.

Insuper causa motus impotentia in ligamentis articulos obvolvendi- bus & firmantibus esse potest. Eo- rum enim continuitas si solvatur, vel si laxentur, ossium luxatio, vel mem- bri elongatio, quam appellant, accidit. Nam quandoq; ligamenta rumpuntur, quandoq; etiam ex vulnere solvuntur; sed utrumque rarius accidit. Nonnun-

Motus im- potentia à ligamento- rum vitio.

quam etiam ex ulcete ibi latente ex-
duntur; quod in coxendicis articulo
ob sinuosa ibi excitata ulcera accidere
solet: unde nonnulli toto reliquo vitæ
cursu luxato & abbreviato crure clau-
di manent, vel pede elongato claudi-
cant. Nonnunquam distractis ex ten-
sione nimia, & motu violento quocun-
que ligamentis articulos firmanibus,
& ex parte ab ossibus, quibus cohæ-
rent, veluti avulsis motus articuli im-
peditur, cum dolore ab initio sæpe diu
molesto. Denique laxata ligamenta
neque membrum satis firmanent & con-
stringunt; unde fit, ut articuli elon-
gentur, & facili de causa luxentur. Id-
que nonnullis abortu accidit, ut crura
quasi pendula, & unum altero longius
obtineant, ac facili de causa ossium
dislocationem patiantur. Si quoque
exiccantur nimium, & indurentur li-
gamenta; id quod in callosa & nodo-
sa podagra fieri solet, articulus & mem-
brum immobile manet, vel ægrè mo-
vetur, & cum moveretur, stridor aliquis
ac fragor, ac si rumpereetur, perci-
pitur.

*Motus im-
potentia à
cartilagi-
nis vitio.*

Tandem si cartilago, quæ capita os-
sium mobilium munire solet, suam il-
lam naturalem lubricitatem amittat,
& hinc cartilago vel exsicceretur, vel ex-
asperetur, motui impedimento est. At-
que hæc causæ sunt, ob quas citra para-
lysin spontaneus motus impediri, vel
tolli potest.

Signa Diagnostica.

*Signa dia-
gnostica.*

Ipsum motus impedimentum per se
obvium est, nec signis opus habet. Cum
verò pro diversitate causarum cura va-

rianda sit, causæ diligenter inquis-
rendæ.

Primo refrigeratio manuum vel pe-
dum latere non potest, sed ipse æger,
quid passus sit, referet.

Exsiccatio & Induratio musculorum
ac tendinum, & atrophiam membri, vi-
su ac tactu comprehenditur, potestq;
hac in re Medicus, ne fallatur, & atro-
phiam membri pro paralyti habeat, sa-
tis instrui à Foresto, loco antea allegato,
lib. 10. observ. 97.

Contractos etiam, & qui scirrhos ac
nodos circa articulos habent, facile à
paralyticis visu & tactu discernere li-
cet. Paralyticorum enim membra alio-
rum ope flecti & extendi possunt: mem-
bra verò contracta & rigida etiam alio-
rum ope extendi non possunt, sed in-
curvata manent, tumoresq; duri tactu
deprehenduntur.

Si ab extensione violenta tendinum
& ligamentorum motus impotentia
proveniat, æger ipse, quid violenti pas-
sus sit, vel quid egerit, referet; atque
ipsa extensio tendinum tactu depre-
hendi potest. Ita tumores, vulnera,
ulcera, combustiones in muculis, &
circa articulos visui obvia sunt.

Ossium quoque vitium, seu organi-
cum, seu luxatio, seu fractura, sensibus
deprehenditur, diciturq; de signis fra-
cturarum & luxationum suo loco. Ita
si ligamenta vel rumpantur, vel vulne-
rentur, ex causis evidentibus, quæ præ-
cesserunt, id patebit. Et tunc articuli
luxantur, & membrum plerumq; justo
longius redditur; quod si accidat, &
nihil tale præcesserit, indicio est, liga-
mentum laxius redditum fuisse.

Exsic-

Exsiccatio ligamentorum tactu deprehenditur; & tum inter movendum stridor plerumque percipitur.

Prognostica.

Prognostica.

1. Quæ à refrigeratione extremorum movendi Impotentia, facillè refrigeratione cessante, & plerumque sponte, cessat. Nonnunquam tamen medicamenti opus habet.

2. Immobilitas membrorum, quæ ab exsiccatione & induratione musculorum, item duris tumoribus, nodis, callis, vel cicatricibus in tendinibus & ligamentis accidit, curatu difficilis est, & si malum diurnum sit, acratione ætatis, & ob labores diurnos obtigerit, ferè incurabilis est. Recens vero curationem sæpe admittit.

3. Si impotentia membrum movendi fiat, quod à violentiâ tendo aut ligamentum distracta sint; incurabile malum est, si; ut & musculus penitus amputatus sit. A combustione vitium facilius, vel difficilius curatur, prout illa minor vel major est.

4. Si ab organico ossium vitio motus impedimentum eveniat, idque sit nativum, & à primo ortu contractum, malum incurabile est.

5. Si luxatio, vel fractura rectè cureretur, etiam impedimentum motus tollitur: si vero incurabilis est, vel integre curari non potest; & motus impedimentum aliquod remanet. De prognosticis autem luxationum & fracturarum dicitur suo loco.

6. Quæ ab ulceribus diurnis circa articulos, præcipuè coxendicem

est immobilitas, plerumque incurabilis est.

7. Eadem ratio est ligamentorum vitii. Si enim illud curabile est, movendi impotentia corrigi & tolli potest: sin minus, perpetuum motus impedimentum remanet.

Curatio.

Primo, si ob refrigerationem nimiam manus, vel pedes officium facere non possunt, plerumque, si æger de loco frigido in calidum se conferat, sponte cessat malum: Hoc tamen hic notandum, statim ad ignem & locum valdè calidum non accedendum, neque medicamenta calida mox applicanda esse. Hoc enim si fiat, magnus dolor percipitur, & nonnunquam, si magna sit refrigeratio, etiam gangræna inducitur: Imo si magna sit refrigeratio, aqua frigidissimâ pars primum lavanda, aut nive fricanda est: id quod Norwegis, Finlandis, & aliis Septentrionalibus populis familiarissimum est. Documentum hujus rei præbent, rapa, poma, & ova congelata. Si enim ea in aquam frigidissimam injiciantur, gelu extrahitur & extra adheret, & ea incorrupta manent: Si vero in aquam calidam, vel tepidam injiciantur, corrumpuntur. Postea vero si aliquid intemperiei adhuc remaneat, fovendâ calidis medicamentis, ut decocto baccar. lauri, rosismar. salvix, lavendul. & simil. aut lacte dulci, in quo ea cocta sint, aut oleis calidis, de cerâ, terebinth. de lateribus, & similibus inungenda.

Curatio motus impotentia refrigeratione.

Secundo, si ab exsiccatione musculorum & tendinum sit membrum movendi impotentia, humectantia & calefacientia, nervosque roborantia adhibenda. Musculus vel tendo ad eum tendens inungendus ol. amygdalar. dulc. violar. chamæmel. lilior. albor lumbricor. hyperici, pinguedine aserinâ, humanâ, præcipue medullâ crurum vituli, terebinth. & similibus. Alii commendant pinguedinem juniorum catulorum per decoctionem paratam hoc modo: Catulorum, qui 9. dies non excedunt, sumantur numero iij. exenterentur, & decoquantur in aqua communi ad totalem carnis dissolutionem: ubi pinguedo supernatabit, refrigeret; hinc pinguedo colligatur, & usul servetur. Balnea etiam, & fomenta usurpentur, ex radice althææ, liliorum alb. bryoniæ, ireos, mandragoræ, quæ etiam valde emollit, foliis malvæ, violar. althææ, salviæ, chamæpyt. thymi, florib. chamæmel. melilot, semin. lini, fæni græc. psyllii. Et si enim quædam ex his discutere, & ita magis exsiccare videntur tamen humectantibus admistis illud præcaveri potest. Interim vim nervos roborandi habent. Ubi tamen attendendum, an impotentia motus sit ex simplici exsiccatione, an vero etiam ichores in partibus contenti motum naturalem impediunt; & cuilibet indicationi convenientia medicamenta eligenda. Ex his enim quæ proponuntur, non omnia impotentia ab exsiccatione, sed illi, ubi tendines & ligamenta sunt laxa, & humida, conveniunt, quod facile prudens Medicus agnoscet, & discernet.

Possunt & infusus ex decocto ebuli, & radice althææ parari, & singulis quinque diebus renovari.

Vel parentur seq. species pro Balneo:

- ℞. Rad. ebuli ℥. iij.
- baccar. lauri,
- juniperi,
- ruta sylv. an. M. ij.
- fl. chamæmeli.
- hyperici,
- agrimon.
- fol. salicis,
- querc. un. Mj.

Cataplasmata iisdem fiant

Emplastra parantur ex gummi ammoniac. elemi, bdellio, galbano, opoponace, styrace calamitâ, medull. crurum vituli, radicibus ireos, lilior. albor. & similibus.

- Ut ℞. Rad. althææ,
- bryon.
 - lilior. albor. an. Unc. j.
 - malvæ,
 - althææ,
 - chamæpyt.
 - fl. chamæmel.
 - melilot. an. M. j.
 - sem. fanigræc.
 - lini, an. Unc. j.

Coqu. in decocto pedum & capitis vervecis pro Fomento.

Postea inungatur locus affectus tali Unguento:

- ℞. Unguenti dialth. Unc. j.
- axung. human.

gallin.

gallm.

anseris;

medull. crur. vitul. an. Drach. ij.

succ. lumbric. Drach. ℞.

M. pro Unguento. Postea Emplastrum diachylon imponatur.

Post balneum & hoc Unguento membra affecta mox illini possunt:

℞. Gummi Ammoniac.

opopan. an. Unc. j. ℞.

bdellii Drach. vj.

Dissolvantur in sp. vini Rhen. add.

ol. lumbricor. terrest. Drach. jx.

M.

Platerus, lib. i. observ. p. 138. 139. 140:
non sine fructu hinc usus est: primò
hoc Unguento:

℞. Ol. lumbric.

lilior. albor. an. Drach. ij. ℞.

cheirin.

irin, an. Unc. ℞.

lithargyr. Unc. j.

Coque parum, & addatur

gummi Ammoniac. dissolut in

aq. vitæ Unc. j.

styracis Drach. ij.

laricæ Unc. ℞.

cera q. s.

F. Unguentum.

Emplastrum postea tale apposuit:

℞. Gummi Ammoniac. Unc. ij.

galban.

opopanac.

bdellii, an. Unc. j.

Dissolvantur in aq. vitæ;
adde styrac calamit. Unc. ℞.

pingued in. anserin.

medull. crurum vituli, an. Unc. j.

thuris Drach. ij.

rad. ireos Drach. j.

hermodactyl. Drach. j. ℞.

laricæ & resina communis q. s.

F. Emplastrum.

Manè remoto emplastro hunc For-
rum instituit:

℞. Rad. althææ,

bryon:

ireos;

lilior. recent. incisar.

quantum poculum vulgare capit,

absinthii,

thymi,

salvia, an. M. j.

flor. chamam:

meliloti;

sambuci, an. p. j.

sem. lini,

sænigrac. an. cochl. iij vel iiij.

Coqu. in decocto intestin. capitis &
pedum vituli, addito pauco vino.

Plura ejusmodi medicamenta vide-
antur libr. 3. de Storbuto, de Curatione
membrorum contractorum & rigido-
rum.

Manualis quoque operæ, ac instru-
menta, & machina ad tendines, mu-
sculos, & ligamenta adstricta sensim
relaxanda, & extendenda non incom-
modè adhibentur. Sed id pro mem-
brorum affectorum ratione variâ variis
modis perficitur. Si digitus unus, vel
plures in manu sint extensi, annulus illi
indendus, qui alii annullo vicino digito
sano adhibito affixus & connexus sit.
Ita enim cum sanus digitus movetur &
contractitur, alter simul infletur. Si
vero membrum, ut genu, brachium, di-
gitus, contractum, sit sensim indies, &
sape membrum, vel manibus, vel pondere
appeso.

appenso, quod in pede fieri potest, vel idoneis instrumentis & machinis extendendum. Instrumenta ad hanc rem idonea videantur apud Guilielmum Fabricium, *Centur. 1. observ. 83. & libr. de Combust. cap. 15.*

Ad atrophiam illam in cruribus in adolescente, unde motus impotentia ortus erat, adhibuit Forestus singulis diebus manè, interdum & bis de die, frictiones mediocres manu factas, dùm adhuc in lecto decumberet manè æger, per integram horam, incipiendo à coxa usque ad talos & pedes, & sursum, atque deorsum membrum fricando, ut eo modo apertis poris, & meatibus sanguis ad crura tabida cõflueret. Has frictiones cum per dies 12. & plures cõtinuasset, pervenit ad unctiones, quæ humectarent & moderatè calefacerent. Prius nimirum per dimidiam horam instituit frictiones illas siccas cum panno aspero, deinde talem inunctionem adhibuit:

℞. Ol. amygdal. dulc. Unc. ij.

chamamel. Unc. j.

Misce,

quo modo adolescentem pristinæ sanitati restituit.

Tertio, Eodem modo, quo ob exsiccationem tendinum & musculorum motus impotentia curatur, etiam tollitur motus impotentia ex scirrhis, durisque circa articulos tumoribus; modò sint curabiles; ut & à combustione, aut ligamentorum exsiccatione ac duritie ortum habens, videlicet per emollientia antea proposita, & membrorum rigidorum, manuum, vel instrumentorum idoneorum opera in contrariam

figuram sensim factà extensione. Guilielmus Fabricius, *loco allegato*, in contractionibus à combustione callum novacula excindit, & partes, quæ præter naturam coaluerunt, separat, ac vulnus debito modo curat.

Quarto. Movendi impotentia ex fractura vel luxatione tollitur, curatà fractura, vel luxatione; quod quo modo fieri debeat, ductum in Institutionibus, *libr. 5. part. 1. sect. 2. cap. 3. & 4.* & dicentur de iis suo loco plura.

CAPUT XXVII.

De Paralyysi.

Paralytis, à $\pi\alpha\rho\alpha\lambda\upsilon\sigma\iota\varsigma$, id est, resolu- *Paralytis.*
vi, dicitur: quoniam nervus & muscularus, in quem nervus inseritur, ita resolvitur, & enervatur, ut ad motum προαιρετικόν exercendum fiat planè ineptus. Est enim, ut Galenus, 3. de *loc. affect. cap. ult.* habet, Paralytis maxime της κινήσεως ἀπόλεια. Ubi verò sensus perit, ea, si propriè loqui libear, partis est ἀνασθησις. Et si & ea affectio, ubi sensus & motus simul perit, nomine paralyseos comprehendatur. Cognata Paralytis est νάρκη, ή νάρκη *Paralytis cognata*
κωσις, hoc est, torpor, vel stupor, quæ est stupor. affectio etsi potissimum sensus hebetudo sit, tamen etiam à Medicis pro affectu exsentiendi, movendique difficultate composito accipitur, seu pro diminutà & imperfecta Paralyysi. Stupor enim seu Torpor sæpe ad veram Paralytin via est, ejusque futuræ prodromus; & saltem causarum magnitudinè hiduo

Curatio
motus im-
potentia ex
scirrhis,
durisque tu-
moribus,
ac ligamen-
torum vi-
tiis.

duo affectus differunt. Particula autem $\omega\delta\delta$ hoc loco vim minuendi habet, ut $\omega\delta\delta\alpha\lambda\upsilon\delta\mu\eta\mu\omicron\iota$ media corporis parte, aut uno in membro resoluti dicantur, cum $\lambda\upsilon\delta\mu\eta\mu\omicron\iota$ & $\kappa\alpha\lambda\alpha\lambda\upsilon\delta\mu\eta\mu\omicron\iota$, qui toto corpore hoc modo affecti sunt, quales apoplectici & mortui vicini, de quibus Hippocrates, 2. Aphor. 47. Nominatur & $\omega\delta\delta\alpha\pi\lambda\eta\gamma\iota\alpha$, vel $\omega\delta\delta\alpha\pi\lambda\eta\zeta\iota\alpha$, tanquam unius medietatis corporis resolutio, inde & $\eta\mu\iota\alpha\pi\lambda\eta\gamma\iota\alpha$ appellatur, ad differentiam apoplexiæ, quæ $\pi\acute{\alpha}\delta\theta$ est & affectu totius. Sic enim Galenus, in 3. Proverb. Aphor. 26. & 68. scribit: $\omega\delta\delta\alpha\pi\lambda\eta\gamma\iota\alpha$ tale $\pi\acute{\alpha}\delta\theta$ est dimidii corporis, quale apoplexia totius. Denique $\pi\acute{\alpha}\rho\epsilon\sigma\iota\varsigma$ quoque pro Paralyti usurpatur, quæ remissio, laxatio, aut resolutio est membrorum, movendi facultate potissimum deficiente. Ab Avicenna & interpretibus vulgò Mollificatio nominatur, non quod reverà nervi emolliantur & laxentur, sed quod molliores videantur. Propria enim musculi actio est contractio ad originem, quo fibræ nervorum & tendo fit rigidior & durior quasi, ut in fidibus etiam fieri videmus. Cum autem fibræ illæ ab illâ actione cessant, & tendines non contrahuntur, aut non contrahi possunt, videntur esse molliores, etsi reverà molliores non sint, ac nulla essentialis mollietis ipsis accidat; sicut, & fides, cum remittuntur, revera non molliores, sed laxiores saltem sunt.

Cur autem accidat, ut nunc sensus & motus simul, nunc motus saltem, salvo sensu, aut contra, salvo motu, sensus

L. I.

saltem aboleatur, de eo dictum est in Institut. quæ hic repetere opus non est.

Definitio.

Est videlicet Paralytis motus in parte una, vel pluribus abolitio, (non nunquam & sensus simul aboleatur) ob spirituum animalium ad motum spontaneum necessitariorum defectum. Cum enim plures & diversæ sint causæ, ob quas hæc motus abolitio fieri potest, omnes ad causam unam aliquam redigi oportet, quæ est spirituum animalium defectus. Spiritus enim animales ad motum voluntarium, ut & sensum, omnino necessarii sunt, ac sine illis nullus sensus ac motus perfici potest. Vulgò quidem docetur, causam proximam esse denegatum influxum facultatis motricis. Verùm, ut alibi sæpius dictum est, propriè loquendo facultates non influunt, sed anima ubicunque est, ibi omnibus suis facultatibus prædita, & instructa est. Exercet autem illas organis idoneis. Ad quorum perfectionem & spiritus animales influentes requiruntur, qui faciunt, ut facultas insita in actum prorumpere possit.

Differentia.

Aboletur autem motus nunc in toto corpore, (quod tamen rariùs accidit) seu in omnibus infra caput partibus, citra læsionem actionum principum, (Hæc enim si conjungatur, est apoplexia) cum spinalis medulla tota affecta est: nunc alterum latus tantum, seu sinistrum afficitur; dextra scilicet, aut sinistrâ saltem parte spinalis medullæ læsa:

T t t

læ læsa:

$\omega\delta\delta\alpha\pi\lambda\eta\gamma\iota\alpha$,
 $\omega\delta\delta\alpha\pi\lambda\eta\zeta\iota\alpha$,
 $\eta\mu\iota\alpha\pi\lambda\eta\gamma\iota\alpha$.

$\pi\acute{\alpha}\rho\epsilon\sigma\iota\varsigma$.

Mollificatio.

10.

læ læsâ: nunc determinatæ saltem partis motus tollitur, ut manus, pedis, palpebrarum, à quibus etiam nomen accipit, & Paralyſis pedum, manuum, lingue, palpebrarum, aut alterius partis nominatur.

Cauſſa.

Cauſſa.

Etſi verò de cauſâ proximâ nulla fit controverſia: in cauſſarum tamen reliquarum enumeratione non parum discrepant Autores. Quamquam enim è Galeno & Avicenna ſuas opinioniones omnes ferè depromant: alii tamen aliter eas explicant. Galenus quidem, *libr. 1. de Symptom. Cauſſ. cap. 5. de Paralyſis cauſis hæc habet: Conſiſtens ſive proxima, ſive quomodocumque alio vocabulo libeat appellare, huius ſymptomatis cauſſa eſt talis quiſpiam in nervo affectus, cujus occaſione à principio ad ipſum virtus tranſmitti prohibetur. Porro prohibetur, ſiquidem meatum aliquem nervus habet, qualem qui ad oculos descendunt, manifeſtè habere cernuntur, vel ex obſturbatione, vel compreſſione: ſi autem non habet, ex conſtipatione, vel frigore, vel compreſſione.*

Avicēnas verò, *cap. proprio*, ita de cauſſis Paralyſis docet: *Deſtructio ſenſus & motus fit, quoniam ſpiritus ſenſibilis, vel motivus, aut retinetur à penetratione ad membra, aut penetrat, ſed non ſuſcipitur ejus impreſſio propter complexionis corruptionem.*

Hinc plerique doctiores Medici de cauſſis Paralyſis ita ſentiunt, quod facultas influens (rectius ſpirit⁹ influens) vel non tranſmittitur, ob morbum

nervorum cum deferentium; vel non ſuſcipitur, licet influat, membri recipientis vitio. Alii tamen aliter id explicant.

Nos, ut hæc hoc loco breviter contrahamus, (plura enim poſtea infra, *queſtione 1. dicentur*) ſtatuímus, cum à nervo muſculus omnem vim movendi accipiat, hincque & ſuam peculiarem temperiem, & ſimilarem conſtitutionē neceſſario habeat, &, ut ſpiritum animale à cerebro in muſculos ferat, etiam organicam conſtitutionem obtineat: à nervorum, ſive in partem ipſam, quæ moveri debet, inſiti ſint ſive longius ab eâ remoti, & ad eam tendant; vitio & morbis omnē Paralyſin provenire. Et quidem nervos (ſub quibus & ſpinalem medullam comprehendimus) malè affectos Paralyſis cauſſam eſſe, vel ut ſunt partes ſimilares, atque intemperie laborant, aut *νάρκωσις* patiuntur; vel ut iſtrumenta & canales ſpiritum animale ferentes, dum anguſtiâ præter naturam laborant; vel dum ipſorum unitas ſoluta eſt. *Et Eſt* enim partis ipſius, quæ moveri debet; vitio ſpiritus animales non ſuſcipietiam vulgo dicatur: tamen id omne partibus obvenit, quatenus ſunt nervoſæ & nervos obtinent; & ob nervos ipſis inſitos hoc accidit. Quamvis, ut poſtea dicetur, ob curationem & medicamentoſum applicationem neceſſarium ſit inquirere, an in ipſo muſculo, ſeu nervo muſculo inſerto, an vero in via, ſeu nervo ad ipſum tendente cauſſa mali ſit.

Quod vero nonnulli addunt tertium, nimirum cauſſam poſſe eſſe etiam

etiam in origine, id supervacaneum videtur. Nam si intelligunt originem spinalis medullæ, aut cujuscunque nervi; & tum in via à cerebro ad membrum causa hæret. Si autem per originem ipsum cerebrum intelligunt, (sicut nonnulli statuunt, quod in cerebro causa Paralysis esse possit, si illud spiritibus destituatur) verum equidem est, cerebro affecto, motum in toto corpore aboleri posse; verum is affectus non est Paralysis, sed apoplexia, vel aliquis sporosus affectus.

Cum ergo tria ista tantum morborum genera, intemperies & *νάρκωσις*, angustia, & soluta unitas in nervis, si-ve à cerebro, aut spinali medulla ad membrum aliquod tendentibus, si-ve alicui musculo insertis, sint causa Paralysis, quæ faciunt, ut musculus spiritibus animalibus destituatur; (quorum defectum proximam & conjunctam Paralysis causam esse diximus) de his ordine dicemus.

Et primo quidem Intemperiem quod attinet, in eo omnes consentiunt, frigidam & humidam intemperiem in nervis causam Paralysis esse, quâ totus nervus resolvitur, & ad spiritum animale suscipiendum, (frigus enim spiritibus inimicum) & motum ineptus redditur. Unde rectè vulgo frigus nervis inimicum esse statuitur. Et potest hæc intemperies vel sine, vel cum materia esse, si-ve à causa externa vel interna provenire.

A causa externa & evidente Paralysis fit ob contactum diuturnum rei

frigidæ, nimirum aërem ambientem frigidum, ventum borealem, contumacitatem nivis vel glaciæ, moram in aqua frigida, vel sessionem super lapide frigido; sicut hoc quibusdam accidisse, Galenus, 1. de loco affect. cap. 6. docet. Idem etiam, 4. de loc. affect. cap. 4. refert, quendam hyeme tempore frigido & pluvioso, cum madidum pallium collo diutius obvolvisset, in manus paralytin incidisse, nervis, qui à spinali medulla ad manum deducuntur, nimium humectatis & refrigeratis.

Ab Interna vero causa excitatur Paralysis, cum humores pituitosi, frigidi & humidi nervos alicubi irrigant, refrigerant, & humectant, eorumque tonum laxant, & temperiem naturalem destruant, ut spiritum animale commodè suscipere, eoque frui & uti non possint. Humores autem illi, qui spinalem medullam, seu nervos alterando Paralyseos causa sunt, plerumque à capite descendunt. Cum enim spinalis medullæ, & omnium nervorum origo sit à cerebro, si quid vitiosi humoris in capite collectum sit, & a natura à cerebro expellatur, vel sponte defluat, viâ declivi & pronâ in nervos descendit, eosque afficit; & hoc etiam modo (nam an compressione, vel obstructione idem etiam fiat; postea dicetur) post apoplexiam Paralysis sequi solet: cum humor, qui apoplexiam produxerat, è cerebro excussus, & per cavitatem vertebrarum dorsi descendens, & spinalem medullam ac nervorum duct⁹ sequens nervos irrigat, alterat &

humectat, atque ad officium suum, & usum ineptos reddit. Quod tamen & sine apoplexia aliis de causis fieri potest.

Quis fiat, ut post Apoplexiam alterum tantum latus resolvatur, altero manente incolumi.

Quis autem fiat, ut post apoplexiam alterum tantum latus resolvatur, altero manente incolumi, inquisitione dignum. Avicennas statuit, spinalem medullam divisam esse in duas partes, perinde ac cerebrum, & hinc fieri, ut, licet humor alteram occupet, altera salva manere possit. Leohardus Jacchinus vero, qui neque in cocta vitulorum arietum medulla, neque in crudâ hoc discrimen invenire potuit, in *9. Rhafis cap. de Paralyfi*, Avicennam reprehendit, quasi, rationibus quibusdam deceptus, falsa statuerit, cum contra mirari naturam potius debuerit, quæ in continuis quoque corporibus alteram partem sine altera possit afficere. Ipse enim miræ naturæ sagacitati hoc tribuit, quæ *τὸ κατ' ἔξιν* servat non solum per capitis & spinæ nervos, verum & per nervos, musculos, & cutem totius corporis. Verum etsi Jacchinus istam spinalem medullam in duas partes divisionem invenire non potuerit: Recentiores tamen Anatomici, Varolus, & alii satis clarè monstrârunt, ut ipsum cerebrum est duplex, ita & spinalem medullam esse duplicem. Unde facile estrationem reddere, cur unum latus lædatur, altero salvo. In quam enim partem natura humorem, apoplexiæ causam deponit, ea Paralyfi afficitur. Hoc tamen non negandum; naturæ hoc esse sagacitatis & providentiæ, ut humorem vitiosum non ad utrumque latus simul deponat, sed alterum sal-

tem, & ita uno læso alterum integrum conservet.

Intemperies autem hæc non solum in ipsis musculis, sed & in nervis ad musculos tendentibus esse potest. Capivaccius equidem, & alii Avicennæ Interpretes statuunt, ab intemperie non in ductibus, sed solum in musculis Paralyfin fieri posse. Verum nec experientia, nec ratio id satis confirmat. Galenus, *4. de loc. affect. cap. 4.* refert, quendam, cum madidum pallium tempore frigido & pluvioso diu collo obvolvisset, in manus paralyfin incidisse, nervis non in manu, sed qui à spinali medullâ & collo ad manum derivantur, refrigeratis. Ac si nervi altera portio ubicunque refrigeretur, & ad officium inepta reddatur, partes omnes, quibus nervi illius ductus reliqui communicantur, seu quæ à ramo isto nervos suos accipiunt, resolvuntur.

Præter intemperiem nervi, quatenus sunt partes similes, etiam à causis occultis, isque peculiari modo infectis, lædi possunt. Quod facit vis narcotica, cum in medicamentis & venenis narcoticis, tum in humoribus, qui similem naturam induunt. Ab hac causâ procul dubio est Paralyfis, quæ à contactu marinæ torpedinis, seu retis, in quo fuerit capta, ortum habet, aut à contractiōne argenti vivi provenit, & auribus, atque his, qui specula parant, ut de Venetianis refert Hercul. Saxonia, familiaris est.

Vinum etiam huc pertinere creditibile est, quod quantum nervis incommodi immoderatus sumptum pariat, tremo-

Paralyfis à vi narcotica.

tremor manuum in potatoribus, non ratò docet; undè etiam vulgò nervos ferire dicitur. Quamquam verò Paralyfin à vino induci putent alii à ficitate, ut Rondeletius, & quod suo calore, ac tenuitate excrementa ad nervos deducat; alii, ut Eustach. Rudius, quod in nervis acetolum evadat; tamen probabiliorem putamus Plateri sententiam, qui statuit, vinum peculiarivim narcoticà sensus ac spiritus torpidos reddere; quam confirmat Fernelius, qui, *lib. 5. de part. morb. & symptom. cap. 8.* refert, se vidisse aliquando universam corporis cutem ex crapula & vinolentia stupore affectam fuisse. Et narcoticam talem vim habere non ratò humorem illum, qui apoplexiæ & Paralyfis causa est, creditibile est. Quamquam enim frigiditas concurrere potest: tamen si saltem frigiditas Paralyfin excitaret, non tam pertinax esset hoc malum, nec tam diu tam efficacia medicamenta calefacientia & siccantia sæpe sine omni, vel cum parvo fructu adhererentur; quod satis arguit, causam aliam longè potentioris & efficacioris, quam sit sola intemperies frigida & humida, subesse.

Huc pertinet procul dubio Paralyfis Scorbutica, atq; ab his duabus causis, irrigatione videlicet, & humectatione nervosarum in musculis partium, ac vi narcotica provenit, quæ seu ab ichore & seroso humore, seu à vaporibus malignis, qui à colluvie humorum Scorbutica eleantur, ortum habet; de quâ cum in *Institut. & lib. 3. de*

Scorbuto, cap. 2. plura dixerimus, hic nihil addimus: ubi etiam, quomodo ex colica fiat Paralyfis, monstratum.

Secundò si nervi quatenus partes organicæ considerantur, seu quatenus sunt canales spiritus animales ad musculos ferentes, angustia p.n. in his spiritibus animalibus transitum intercludens Paralyfis causa esse potest, & in eo omnes Medici consentiunt. Verùm quot modis angustia ista in nervo excitari possit, dissentiunt.

Vulgo autem tres angustiarum causas ponuntur: Obstructio, Compressio, & Densatio.

Obstructio fit, cum ab humore crasso nervi substantia, seu cavitas ita repletur, ut spiritus animales transire non possint.

Verùm obstructionem hanc fieri posse negat Platerus ideo, quod humor crassus in nervorum tam solidorum substantiam, tam subito, ut sæpe apoplexia in Paralyfin mutetur, se insinuare non possit. Ipse verò humores istos secundum cavitates spinæ descendentes, & pondere suo incumbentes nervis, ipsos comprimere, & spiritibus animalibus viam intercipere; ac præterea nervorum naturalem temperiem ac tonum labefactare statuit. Veruntamen non impossibile planè videtur, ut humor aliquis in substantia cerebri collectus in ipsam nervorum substantiam sese insinuet: neque opus est, ut humor ille planè crassus sit. Nam quominus porosi sunt nervi, eo facilius obstrui possunt.

Paralyfis à nervorum angustia.

Compressio fit secundum Platerum ab humoribus nervis extra incumben-
tibus. Deinde accidit à tumore quo-
cunque nervos comprimente, à con-
tusione, à luxatione vel inflexione vi-
tiosa vertebrarum dorsii subito factâ,
(nam si sensum fiat, quod fit in gibbo-
sis, sensum quoque cedit medulla, nec
contorquetur; unde nihil mali ner-
vi patiuntur, nec motus aboletur.) vel
aliorum ossium, à fracturâ ossium, à vin-
culo injecto, & causâ quacunque com-
primente, ut à diuturno in cubitum in-
nixu, capitisq; supra cubitum inclina-
tione, ut & femoris super femur posi-
tu. Quod & frigus referri potest ner-
vos adstringens.

Denique Densatio seu coarctatio,
seu stipatio, quæ Galeno est *πύκνσις*,
accidit, ut Galenus, *lib. 1. de caus. sympt.*
cap. 9. docet, cum nervus crassio-
rem, quam pro sua natura, habitum seu con-
ditionem susceperit. Id verò contingit
duplici ratione, vel quia nutritus
sit viscidis & crassis succis, vel quia sit
coactus à violento frigore.

*Paralytis à soluta uni-
tate.* Tertio causa Paralytis est soluta u-
nitas, cum nervo dissecto, eroso & ru-
pto, membro, in quod spiritum ani-
malem deferebat, ille denegatur, &
hinc sensus, ac motus perit; nisi ab al-
liis nervis illæsis, adhuc spiritum hau-
riat.

Atque ex his, quæ de triplici mor-
borum genere, quibus dum nervi affi-
ciuntur, Paralytis inducitur, diximus,
manifestum evadit, qui humores Para-
lyticos causa esse possint; de quo Au-
tores dissentiant, ut postea, *quæst. 2.*

dicetur. Nimirum humores omnes,
qui nervos, vel secundum vulgarem
sententiam obstruunt, vel extra com-
primunt, vel alterant, refrigerant, hu-
meant, acirrigant, ac stupefaciunt,
paralytis causa esse possunt; imò &
vapores, qui idem præstare queunt:
quod in Paralyti Scorbutica fieri vide-
tur; nisi quis ad humorem serosum po-
tius tum recurrere velit. Ideoq; etsi hu-
mores pituitosi & frigidi ad Paralytin
inducendam sint valde apti, & hinc de-
stillationes talium humorum à capite,
& omnia, quæ crudos ac pituitosos hu-
mores in capite generant, ad Paralytin
inducendam sint apta: tamen humo-
res biliosi & melancholici ac serosi
hinc non planè excludendi sunt, ut
postea, *quæst. 2.* dicitur. Quanquam
enim humores biliosi & melancholici
siccandi vim habeant, & aliis humori-
bus collati sicci sint: tamen quia hu-
mores sunt, humidi sunt, & nervis hu-
midiores, ipsosq; proinde humectare
& irrigare, ac præterea extra iis incum-
bentes eos comprimere, possunt. Non
rarò quoque in febribus malignis ma-
lignitatem & vim narcoticam induere
solent, atque eo etiam modo Paralytis
causa esse possunt. Via autem, per
quam influunt humores ad musculos,
cerebrum plerumque esse, facile con-
cedimus; unde affectus cerebri sæpe
futuræ Paralytis indicium sunt, & in
Paralytin degenerant. Quandoque ta-
men etiam è venis edeffundi posse, vel
crises in morbis monstrant. Narrat
enim Galenus, *4. de loc. affect. cap. 4.*
cuidam, qui à vehementi peripneumo-
nia

nia convalescebat, brachii, tam quoad posteriores, quam quoad superiores partes, & cubiti maximam partem, ac summos digitos sensus difficultate laborasse, atque motum quoque aliquot digitorum læsum fuisse. P. Ægineta; *lib. 3. cap. 18.* facit mentionem Paralyseos ex colica per judicatoriam quandam translationem, quæ etiam Scorbucis familiaris est. Et Fernelius: *lib. 3. de part. morb. & sympt. cap. 3.* refert, bilem flavam sub finem intermittentium febrium in spinam dorsæ, ac in nervorum originem effusam aliquando Paralyfin generasse. In quibus casibus omnibus per venas potius ad spinalem medullam & nervos effundi humores biliosos, quam à cerebro communicari, probabilius. Aliam tamen adhuc viam monstrat Adrianus Spiegelius, *de human. corp. fabric. lib. 6. c. 4.* nimirum per arterias mesentericas; de quibus in *Institut. & lib. 3. de Scorbuto. cap. 2.*

Patet ex iisdem etiam, quæ sint causæ præcætarcticæ & evidentes, videlicet frigusaëris & aquæ, medicamenta & vina narcotica, somnus in loco humido, vel ædibus calce recens obstructis, mora sub radiis Lunæ, cibi pituitam suppeditantes, præcipuè crapula & ebrietas, præsertim ex vino, imprimis si jejuno stomacho potetur, & quæcunque caput replent, ac nervis nocent, ut & Venus nimia, casus ab alto, percussio capitis vel cervicis, contrusio & luxatio vertebrarum, ut & aliorum ossium, eorundemq; fractura, & similia, quorum hætenus facta est mentio.

Ex his etiam, quæ hætenus de causa Paralyfis tradita sunt, eam senibus & hyeme frequentius accidere posse, & quos morbos sequi soleat, manifestum est. Secundum Avicennam quinque ægitudines sequi solet: apoplexiam, epilepsiam, dolorem colicum, strangulationem uteri, & febres chronicas. Rarius tamen epilepsiam sequitur; tunc scilicet, quando à paroxysmo epilepsicæ materia ad nervorum principium uno impetu detruditur, spirituumq; animalium transitum impedit. Quandoque tamen etiam, Alios morbos sequi solet, ut de peripneumonia dictum. Scorbuto quoque familiaris est.

Signa Diagnostica.

Paralyfis ipsa, & symptomata ex iis, quæ sensibus apparent, facile à vulgo etiam agnoscitur. Etenim pars affecta motu, vel simul etiam sensu destituitur, sæpe numero & atrophia tandem contabescit. Addunt quidam & alia signa, quod nimirum pulsus in parte affecta sit debilis & frequens, quandoque etiam latus sanum ita calidum, ac esset in igne, & latus resolutum ita frigidum, ac si esset in nive; quod ut quandoque accidere potest, ita proculdubio à peculiari causa accidit; cum videlicet humores frigidi & crassi sunt in latere affecto, qui faciunt, ut non solum spiritus animales, sed & vitales sese liberè in partem affectam diffundere non possint: unde latus ægrum frigidum apparet, sanum verò, in quod calor influens totus convertitur, & liberè effunditur, calidius.

Duo vero signis diligenter inquirenda veniunt: Locus primario affectus, & causa, secundum quas curatio maximè variat; neque ipsi parti affectæ semper medicamenta applicanda. Stultè (ut Jacchinus loquitur) faciunt, qui ad resoluta membra operam ponunt origine naturali ignoratâ; nihilq; perficies, nisi affectam prius partem noveris. Notabile est hujus rei exemplum apud Galenum, *i. de loc. affect. cap. 5.* de quodam Pausania Syro, qui in tribus digitis, servato motu, sensum amiserat, & triginta jam diebus è medicamentis satis idoneis digitis impositis nihil auxilii senserat. Hunc enim cum Galenus à vehiculo in dorsum lapsus cognosceret, conjecturam fecit, in primo exortu nervi post septimam vertebra prodeuntis partem quampiam ab ictu fuisse inflamatam, & nunc habere scirrhosam dispositionem; idèoque illud ipsum medicamentum à digitis amorum illi spinæ parti apposuit, unde digitus læsus cum aditantium admiratione est restitutus.

Causarum eadem est ratio. Longè enim aliter Paralysis, quæ ab intemperie est, curanda venit; ac ea, quæ à compressionè, vel luxatione, vel fractura, vel simili causa evidenti.

Signa loci affecti.

Locus ergo primario affectus ut rectè cognoscatur, primo inquirendum, an ægro aliquid ab externis & evidentibus causis acciderit, an scilicet percussus, contusus, lapsus, vulneratus, aut in parte aliqua corporis compressus sit; aut an ab aëre, pluvia, aqua, ni-

verefrigeratus. Ex his enim & locus affectus, & causa innotescit. Ita Galenus in Pausania illo, de quo modo dictum, qui in itinere ex curru delapsus dorsum ita læserat, ut sensum trium digitorum sinistrae manus amitteret, ex causa illa evidente locum primario affectum non manum, sed spinam dorsi esse collegit, *i. de loc. affect. cap. 6. & 3. de loc. cap. ultimo.* Ubi plura hujus generis exempla reperiuntur.

Si vero nulla externa, vel evidens causa præcesserit, observandum, in quibus partibus functiones animales laborant, vel amissæ sunt. Multitudine enim nervorum affectorum ostendit partium affectarum numerus. Ad quam rem imprimis Anatomica cognitio requiritur, ut Galenus, *i. de loc. affect. cap. 6.* docet, & notitia, unde in quamlibet partem nervi derivantur & implantentur. Si enim simul cum dextra vel sinistra corporis parte eadem quoque faciei pars resolvatur, & impedimentum accidat in sermone; cerebrum secundum illam partem, simulq; initium spinalis medullæ secundum illam partem affecta sunt.

Si autem pars faciei dextra, vel sinistra solum resolvatur, reliquo toto corpore salvo manente, spinalis medulla salva est, cerebro saltem secundum illam partem, à qua nervi ad partes eas derivantur, affecto. Quod si vero omnes partes capitis salvæ sint, sub capite vero partes resolutæ, cerebrum salvum est, vitiumq; est in spinali medulla, aut nervo aliquo. Et quidem

dem si omnes totius corporis, vel unius lateris sub capite partes resolvuntur. initium spinalis medullæ affectum est. Et quidem totum, ac secundum transversum, si omnes sub capite partes, tam dextræ, quàm sinistræ resolutæ sint. Sin verò in uno saltem latere, vel medietate corporis sub capite, motus ablati sit, in altera duntaxat spinalis medullæ parte, dextra vel sinistra, causa mali hæret. Sin autem non omnes unius lateris partes resolutæ sint, sed multæ saltem, non initium spinalis medullæ affectum est, sed in loco aliquo inferiore causa mali hæret. Quo loco autem consistat causa mali, docebit partium resolutarum numerus, & cognitio nervorum è spina in quamcunque partem prodeuntium. Exempl. gr. Si motus brachiorum salvus sit, cura autem resoluta, utrumq;, vel alterum; mali causa hæret infra lumbos, in vertebrae ossis sacri, nervisque inde prodeuntibus. Et quidem si utrumque femur, crus, & uterque pes resolvatur, spinalis medulla è loci tota afficitur; sin verò unum crus saltem resolvatur, una saltem pars spinalis medullæ, dextra vel sinistra, læsa est.

Si verò non totum corpus, non multæ partes, sed aliquæ, vel una saltem resoluta sit; neque in cerebro, neque in spinali medullâ, sed extra eam, in nervi alicujus, vel nervorum propagine causa hæret. Ideoq; ex Anatomicis tum inquirendum, vel in mentem revocandum, unde musculus, cujus motus cessat, nervos suos accipiat. Exemplis aliquot rem illustrabimus: Si

L. I.

(citra musculorum affectum) caput circumagi nequeat; vel buccæ nō moveantur, vel si cervicem in latera movere nequeat æger, aut potius si hæ omnes partes laborēt, tunc nervi posteriores ex propagine primæ, secundæ, tertriæ, quartæ, quintæ, aut sextæ vertebræ cervicis affecti sunt. Ubi cervicem quis flectere nequit, anteriores nervi dictarum propaginum sunt læsi.

Si brachium stupeat & resolvatur, reliquo corpore sano & illaeso, si solum brachium attollere nequeat æger, aut cutis externa summi brachii stupeat, primus brachii nervus afficitur. Si cubiti motus impeditus sit, consideranda est ejus flexio. Si enim sola cubiti flexio extrorsum sit impedita, cum stupore cutis internæ, cubiti alio motu omni salvo, secundus brachii nervus laborat. Quando autem æger cubitum introrsum flectere non potest, & anterior cutis brachii stupet, aut muscoli in cubito siti stupent, aut flectere digitum aut carpum non potest cum stupore cutis, tertius nervus læsus est totus: vel si flectat adhuc cubitum, circa articulum cubiti affectus est. Sin verò stupeat, aut non moveatur digitus annularis aut parvus, quintus nervus patitur. Si extendere cubitum, carpum, vel digitos nequeat, vel si musculi stupeant, quartus nervus affectus est. Partem ejus affectam ita cognoscas. Si enim extensio cubiti sit integra, paulò supra articulum cubiti patitur. Sed si externa cutis, cubitusq; ad brachiale sensum amiserit, intra articulum illum afficitur. Ita & in aliis

V u u

parti-

partibus affectis exortus & propagines nervorum, qui spiritum animale[m] iis deferunt, inquirantur.

Præterea à juvantibus & nocentibus sedes mali, & locus primari[us] affectus cognoscitur. Nam si noxa supra partem Paralyticam consistat, & medicamenta ipsi affectu adhibeantur, nihil juvabunt. Conferent autem, si fonti mali applicentur; id quod in Pausania Syro, de quo antea, accidit, 1. de loc. affect. cap. 6.

Cæterum de partibus in facie observandum, quod resoluta in adversam sanam contorqueri soleat; quia musculus sanæ partis ab actione suâ, id est, tensione sive tractione non cessat, atq; ita pars resoluta tractum adversæ sive oppositæ sanæ partis sequitur, quæ & brevior propterea redditur.

Diligenter tamen tunc discernendum est, utrum pars affecta & contorta laboret paralyfi, an convulsione. Nam si, exempl. gr. distortio oris existat à paralyfi, pars resoluta longior facta in sanam trahitur, ut diximus. Contrarium accidit, si fiat à convulsione, ubi ægra decurtata sanam attrahit. Deinde in Paralyfi pars affecta facile extendi potest; quod in convulsâ fieri nequit, quæ rigida manet. Præterea convulsio cum dolore aliquo est conjuncta, non paralyfis, in qua plerumque sensus simul perit. Postremo in Paralyfi faciei palpebra oculorum inferior demissa est, ægerq; deorsum aspicit, cujus contrarium observatur in convulsione.

Cognitâ jam sede locoque affecto *Signacans*
 maliq; causa inquirenda. *sanum.*

Et primò quærendum de causis externis & evidentibus, ut de refrigeratione ab aëre, aqua, nive, medicamentis foris impositis frigidis, de contuminatione marinæ torpedinis, de opiatorum & narcoticorum usu, de compressione à corpore duro, tumore, casu, ictu, vinculis, luxatione ossium, fracturâ eorundem, & similibus.

Si horum nihil præcesserit, sed apoplexiâ æger laboravit, facile & hoc ex ægri & adstantium relatione cognoscetur. Si nec hæc præcesserit, à corporis constitutione ex humorum abundantia insigni, ac morbis, quæ præcesserunt, vel adsunt, ex ætate, regione, anni tempore, victus ratione, humor peccans & morbi causa cognoscetur. Consulti etiam possunt juvantia & lædentia.

Prognostica.

T. Omnis Paralyfis fortis à causa *Prognostica.*
 interna difficile curatur; cum humores, qui nervos occupant, non sine maximo labore & negotio amoveri possunt: imprimis cum in medicamentorum necessariorum usu, ac recta diætâ raro persistent. Et primò quidem solent, qui per omnia membra resoluti sunt, celeriter rapi; ac, si correcti non sint, diutius quidem vivunt, sed raro tamen ad sanitatem perveniunt, & plerique spiritum miserum trahunt, memoriâ quoque amissâ. In partibus vero nunquam acutus, sæpe longus, fere sanabilis morbus est. Celsus, lib. 3. c. 28.

Verum

Verum hinc notandum, primò, procul dubio prioribus verbis de apoplexia Celsum loqui. Sua enim tempora secutus, utrumque affectum, & apoplexiam, & Paralyfin propriè dictam, paralyfin nominat. Deinde non simpliciter verum esse, paralyfin semper esse longum morbum, etiam eam, quæ in partibus saltem est; id quod Paralyfis Scorbutica testatur, quæ sæpe brevi temporis spatio finitur, ut *lib. 3. de Scorbuto, part. 5. cap. 4. sect. 2.* dicemus. Experientia idem docuit Petrum Sallium Diversum, qui propterea, *in notis in Altimarum, cap. 14.* statuit, Paralyfin non semper ab humore frigido & viscido provenire, verum & vaporosa materia, quæ ad principium nervorum transmissa, obstructionem in iis inducens, ac spiritus animalis viam intercipiens, sensum & motum inferiorum partium inhibeat. Exemplumque affert cujusdam tonsoris, qui post crapulam nocte mediâ cum timore suffocationis expetgefactus incidit subito in paralyfin omnium corporis partium infra faciem existentium, sensuque & motu adeo privatus est, ut nec acu profundè perforatus, nec gladio scarificatus, quicquam sentiret, nullamque partem, nisi caput, movere posset; qui soluta crapulâ, ac frictionibus tantummodò, ac inunctionibus quibusdam resolventibus ad spinam intra tertium diem omnino sanatus est. Ideoque ea paralyfis sola longa est, quæ ab humore crasso provenit.

2. Et præcipuè paralyfis, quæ ex soluta apoplexia provenit, difficilis curationis est, & periculosa, ob causâ

vehementiam, ob confirmatam partium imbecillitatem, & ob metum recidivæ. Nam Paralyfis apoplexiam excipiens, sæpe in eandem recidit, vel materiâ, quæ ad cerebrum & spinalem medullam defluxit, ad cerebrum iterum recurrente, ut nonnullis placet; vel, quod verosimilius est, factò undique majori concursu similis materiæ ad cerebrum, vel ejusdem in cerebro cumulatione, ubi retenta hominem denuo apoplecticum reddit.

3. Minus periculosa est Paralyfis, si solum motus aut sensus lædatur; magis, si uterque; pejor rursus, in quâ plures nervi & muscoli sunt affecti. Hinc majus periculum minatur Paralyfis, si medulla spinalis sit affecta, quam si partis alicujus saltem nervus sit affectus. Et eò periculosiores etiam spinæ affectus, quò cerebro sunt propiores.

4. Paralyfis ex nervi grandioris aut spinalis medullæ incisione transversim factâ non curatur; quia incisio hæc non coalescit. Hippocrates, *6. aphor. 19.*

5. Paralyfis ex luxatione valida & subita vertebrarum, præsertim cervicis, (cum à vertebra cervicis nervi è medio inter vertebram superiorem & inferiorem exeant; in lumborum non item, sed è vertebra superiore exeant) plerumque lethalis est, teste Avicennâ; propterea, quod nervi insigniter contunduntur & atteruntur, & ipsa spinalis medulla contunditur & læditur, ac propter sequentem inflammationem vertebræ faciliè ad pristinam sedem reduci nequeunt.

Si in Paralyfi ex ictu, contusione, casu nervi vehementer contundantur; non curatur. Signum verò est nervos vehementer contusos esse, si illico post ictum Paralyfis oriatur. Aliàs si non illico, non tam ob attritionem nervi Paralyfis existit, quàm ob inflammationem, quæ ictui succedit.

6. Tremor Paralyfi superveniens, bonum; quoniam meatus nervorum aliquo modo aperiri significat, per quos aliquid spiritus animalis ad aliqualem motum sufficiens transire potest.

7. Si membrum resolutum fuerit actu calidum, de sanitatis recuperatione spes est.

8. Si membrum Paralyticum extenuetur, ejusq; color vegetus mutetur; aut non curatur morbus, aut difficulter; quia non solum spiritus animalis defectum, sed & calorem naturalem propemodum extinctum arguit; præsertim si resoluti lateris oculus imminuatur: id quod spirituum defectum indicat.

9. Cruribus & pedibus resolutis facilior est curatio, ob sicciorum & robustiorum eorum nervorum naturam.

10. In senibus difficulter curatur Paralyfis, ob caloris nativi imbecillitatem: ut & hyeme. Plus autem sperare licet tempore æstivo & verno, si æger rectè regatur.

11. In omnibus nervosi generis affectibus, qui à pituitosis & frigidis humoribus fiunt, ut sunt apoplexia, & paraplegia, febris valida superveniens non parum adjumenti affert, teste Ga-

leno, 2. *Prorrhætic. aphor. 50.* Morbi enim causam febris illa absumit, nervosq; calefacit, & exsiccat.

12. Rhases, 1. *contin. se multos resolutos ex diarrhœa superveniente curatos vidisse scribit: quod Marcell. Donatus, in histor. medic. mir. lib. 2. cap. 5. non de valida & antiqua, sed de debili & recenti Paralyfi accipiendum censet. Possit idem & de Paralyfi scorbutica verum esse, quæ ex humore seroso & mobili provenit.*

13. Paralyfis rarè degenerat in alios morbos, ipsa verò alios morbos sequitur, apoplexiam, epilepsiam, colicam, febres chronicas, suffocationem uteri, ut supra dictum.

Indicationes.

Cum proxima Paralyfis causa sit *Indicatio* spiritus animalis in parte resoluta *Indicatio* defectus; ut is parti restituatur, requiritur. Verum ista indicatio inutilis est; cum non detur materia remedii, quæ huic proximè & immediatè possit satisfacere. Ergo à causis, à quibus continens ista dependet, indicatio utilis petenda. Sunt autem illæ, ut dictum intemperies frigida & humida, vis narcotica, angustia, quæ rursum à plurimis causis, ut dictum, provenit; & soluta unitas. Et si verò de modo, quo causæ nonnullæ paralyfin efficiunt, autores non conveniant, ut supra, de *causis*, dictum, & postea *in quæstionibus*, dicetur: tamen in curatione vix aliqua est discrepantia. Humor enim pituitosus, sive alterando & refrigerando, ac humectando, sive obstruendo, sive comprimendo Paralyfin efficiat, cura-

curationem eandem requirit, humor-
que pituitosus, quocunq; etiam modo
Paralyfin efficiat, è nervis tollendus
est.

Curatio ergo tribus capitibus com-
prehendi potest, agendumque primò
de curatione Paralyfis ex humore pitu-
itoso & frigido: secundò de curatione
Paralyfis ex humore tenui & seroso:
tertiò de curatione Paralyfis à causis e-
videntibus. Quamquam verò etiam
vim narcoticam inter causas Paraly-
fis supra recensuimus: tamen eadem
medicamenta, quæ ad humorem pi-
uitosum adhibentur; videlicet medi-
camenta nervis amica, narcoticam
quoque vim infringere possunt.

In curatione tamen semper ad locum
affectum, in quo causa mali hæret, re-
spiciendum, & ei medicamenta appli-
canda. Si enim omnes infra caput
partes resolutæ sint, ad spinæ initium
in cavitate cervicis topica applicanda;
semul tamen cerebrum non negligend-
um. Si verò seu plures, seu paucio-
res partes læsæ sint, semper ad eam
partem medicamenta applicanda, in
quâ causa mali hæret. Et si origo ner-
vi affecta sit, eò loci medicamenta ap-
plicanda. Si verò non in principio,
sed in parte quadam solùm progressus
nervus affectus sit, eò loci medica-
menta adhibenda.

*Curatio Paralyfis è pituitâ
ortum habentis.*

Paralyfis, quæ ab humore pituitoso,
vel spinalem medullam, vel nervum
occupante, & quocunq; etiam mo-

do spiritus animalis influxum prohi-
bente, partisque temperiem corrup-
pente, ortum habet, curatur, si humor
pituitosus è loco illo tollatur. Quod
fit, si vel in alium locum trahatur, vel è
corpore evacuetur, vel discutatur &
absumatur; ac præcaveatur, ne novi
humores, qui paralyfis causam auge-
re & movere possunt, cumulentur, &
ad partem affectam affluant, tandem-
que intemperies introducta corrigatur,
nervique roborentur.

Ut autem ista ordine fiant, ab uni-
versi corporis evacuatione incipien-
dum. Deinde cum à capite ad nervos
materia effluere solear, illud evacuan-
dum & roborandum. Et tertio parti
affectæ succurrendum. Etsi verò,
quânam ratione hæc fieri, & in actum
deduci possint, & præcipuè quomodo
capiti succurrendum sit, supra, *part. 1.
cap. 2. 3. & 10.* satis dictum; tamen qua-
dam hic adhuc addere libet. Ea verò,
quæ ad nervos propriè spectant, subji-
cere necessarium est.

Universalem ergo corporis evacua-
tionem quod attinet, in hac Paralyfis
specie vix venæ sectione opus est; cum
sanguis non peccet, sed pituita, &
plerumque in senibus pituitosis, ac na-
turâ frigidis hoc malum accidat. Si
tamen crudi sanguinis copia humorem
pituitosum producat & foveat, venam
in brachio partis sanæ aperire licet.
Parcè tamen sanguis evacuandus, ne
languidus calor extingatur.

Universi potius corporis purgatio
ad humorem pituitosum dirigenda. I. & Pur-
taque secundum commune præcep-
tum alvus & primæ viæ primò expur-
gandæ

Venæ sectio.

*Lenientia
& Pur-
gantia mi-
tiora*

*Curatio
Paralyfis
pituitosa.*

ganda, ne attenuantium & præparantium, quæ necessaria sunt, usum humores crudi in ventriculo & primis viis hærentes majori copia ad penitiora corporis & nervos deducantur.

Clyster ergo talis injiciatur:

℞. *Mercurialis*,
bete,
salvia,
hyssopi,
origani,
betonica, an. M. j.
fl. chamameli,
summit. centaur. minor.
 an. M. ℞.
sem. ruta,
fœnicul. an. Drach. j. ℞.
agaric. alb. Drach. ij.

Coqu. in aqu. ℞.

Colaturæ ℞. ℥. j.

In qua dissolvantur
electuar. hier. cum agaric.
benedict. laxat. an. Drach. vj.
ol. chamamel.
lilior. alb.
ruta,
mell. ros. col. ad. Unc. j.
salis Drach. ℞.

℞. Clyster.

Vel ℞. *Rad. bryon.* Drach. vj.

fol. salvia,
iva arthez.
centaur. min.
mercurial. an. M. j.

fl. primul. ver.
origani Cret.
ruta, an. p. ℞.
stachad. Arab. p. j.
sem. filer. mont. Drach. j. ℞.
carthami in pet. lig. Unc. ℞.

colocynth. in p. l. Drach. j.

℞. Decoctio in ℞. q. aquæ.

Colaturæ ℞. ℥. j.

In qua dissolve
elect. diaphanic. Unc. ℞.
hier. diacolocynth. ℥. iij.
ol. castorei,
ruta, an. Unc. j.
sal. gemm. Scrup. j.
 M. pro Enemate.

Vel alia purgantia mitiora in eundem finem usurpanda, ut pilulæ assaireth. & aloëphangin.

Ut ℞. *Pilul. assaireth.* Drach. j. ℞.

alœphangin.

agar. troch. an. Drach. j.

maslich. Scrup. j.

Cum *sirup. stachad. simpl.* vel *oxymel. scillit.*

℞. Pilulæ mediocres, quarum æger Drach. j. capiat per vices.

Inter mitiora ista & lenientia in hac Paralysis specie cassia locum non habet; cum nimium humectet: species hieræ magis conveniunt. Utilis est hic in Paralyti & terebinthina, quæ cum aliis electuariis & pulveribus purgantibus convenientibus in formam Boli formari, & Drach. j. vel Drach. ij. pondere exhiberi potest.

In forma liquida exhibendi terebinthinam modum ex Lemnio, Institut. lib. 5. part. 1. sect. 1. c. 11. proposuimus.

Si ventriculus pituita repletus sit, Vomitoria commodum etiam est, vomitum ciere in iis, qui ad eum apti sunt.

Vomitorium ergo tale parari potest:

℞. *Rapha.*

R. Raphani in taleolas incisi
Unc. j. ℞.

sem. raphani,
atriplicis,

rad. asari, an. Drach. ij.

agar. Drach. j.

flor. genist. p. j.

Coqu. in hydromel.

Colat. ℞. Unc. iiij. v. vel vj.

oxymel. simpl. Unc. ℞.

In fortioribus succi nicotian. depu-
rati ℞℞. addi potest.

Chymicis sua sunt vomitoria è flori-
bus Jnii, croco metall. ⊕ albo, ole
Oli, Mercurio, de quibus alibi.

Postea ad præparationem & eva-
cuationem humoris pituitosi acceden-
dum, & utraque aliquoties repetenda.
Si tamen statim in principio vocetur
Medicus, non incommodum est, imò
necessarium videtur, ut Medicus sta-
tim ad fortiora purgantia, qualia po-
stea proponuntur, accedat, dum mate-
ria adhuc in motu est, antequam ner-
vis sese penitus insinuet, iisque impin-
gatur. Ubi verò malum jam confir-
matum est, & materia nervis impacta,
prius attenuanda & præparanda, postea
evacuanda est.

Pituitam hic præparantia omnia
sint calida, sicca, attenuantia, simulque
cerebro & nervis amica, qualia suprâ,
*parte I. cap. 2. & 10. recensuimus, quæ
hic omnia repetere opus non est. Pauca
saltem composita addemus.*

Ut ℞. Sir. stachad.

de betonica,

de hyssopo,

mellis anthosat. an. Unc. j.

aq. lavendul.

salvia,

rorismarini,

hyssopi, an. Unc. ij.

cinamomi Drach. ij.

F. Potio pro tribus dosibus, cui ali-
quid oxymel. simpl. vel scillit. addi
potest.

Et si enim acetum sit nervis inimi-
cum; tamen, ut Hercul. Saxonia hæc
de re loquitur, nervis inimicum non
est cum melle, & inimicum est ner-
vis exiccatis, non pituita repletis. Ve-
runtamen, quia etiam ipsum oxymel
nervos, si sit acrius, vel ejus usus nimi-
us, vellicat, acidorum usus omnino
parcior sit.

Vel ℞. Aq. bezonic.

primule veris, an. Unc. iiij.

salvia Unc. ij.

hyssop. Unc. j.

ser. de hyssop. Unc. j. ℞.

de beton. Unc. j.

essentia castorei Scrup. ℞.

aq. cinamomi Drach. ij.

M. pro 4. dosibus, quarum una mane
& vesperi propinetur.

Vel Fiat hoc Decoctum:

℞. Rad. ireos,

helenij,

acori veri, an. Unc. ℞.

salvia,

beton.

hyssop.

rorismar. an. Mj.

flor. stachad, Arab. M. ℞.

sem. anisi,

feniculi, an. Drach. ij.

Coqu. in aquæ puræ ℞. iiij. ad remanen-
tiam ℞ ij.

Colatura dulcoretur

sacchari

ſacchari vel mell. roſat. aut an-
thoſat. ꝑ. ꝑ. & aromatife-
tur

pulv. cinamomi Drach. j.

zinzib. alb.

nucis moſchata, an. Drach. ꝑ.

cubebæ. Scrup. j.

atque per manicam Hippocr. trajici-
antur.

Sirupus de
iva Ar-
thetica.

Valde etiam commendatur Siru-
pus deiva arthetica, qui hoc modo con-
ficitur:

℞. Iva M. ij.

ſalviæ,

majoran.

roriſmar.

polij,

origani,

calaminth.

mentaſtri,

pulegij,

hyſſopi,

thymi,

ruta ſylveſtr. & domeſtic.

betonic.

ſerpill. an. M. j.

rad. acori veri,

ariſtoloch.

peucedani,

valerian.

bryon.

gentian.

dictamni, an. Unc. ꝑ.

ſenic.

petroſelin.

apij,

aſparag.

ruſci, an. Unc. j.

ſtachad. Arabic.

ſem. aniſi,

ſenical.

liguſtic.

ameos,

carvi,

ſiler. montan. an. Drach. iij.

rad. pyrethri. Unc. ꝑ.

paſſul. Unc. ij.

Bulliant omnia in juſtâ quantitate
aquæ ad conſumptionem quartæ par-
tis.

Inde colentur, & cum mell. ſ. q.
ſ. a. F. Sirupus; qui aromatiferur pul-
vere nucis moſchata, cinamomi, & cu-
bebarum: cujus ꝑj. vel ꝑj. ꝑ. cum aqua
idonea sæpe exhibeatur.

℞. Mell. roſat. col. Unc. viij.

extr. calami arom. Drach. j. ꝑ.

M. pro Sirupo, de quo manè & veſperi
per aliquot dies cochlearia ij. propi-
nentur.

Imprimis hic utilis eſt primula veris,
quæ ob magnam in Paralyſi curanda
vim herba Paralyſis vulgò appellatur.

Utilis eſt & muſſa, in qua caſtorei
aliquid diſſolutum ſit.

Paulus Aegineta, libr. 3. cap. 18. &
Aëtius, tetrab. 2. ſerm. 2. cap. 28. ſaga-
peni, opoponac. aſæ fætidæ exiguam
portionem cum muſſâ manè ſingulis
diebus exhibent.

Et quia morb⁹ eſt diuturnus, ac me-
dicamenta sæpius iterata facile nauſe-
am ac ſtaſtidium pariunt, commodum
eſt, potui talia miſcere. In hunc ergo
uſum fieri poteſt hydromel ſeu meli-
cratum; cujus generis eſt, quod Quer-
cetanus à Friderico, Electore, Palatino,
communicatum, Pharmacop. dogm. re-
ſtit. lib. 1. cap. 11. deſcribit:

Vel

Vel ℞. Mell. opt. ℥. ℞.
agu. fontan. ℥. vj.

Despumentur,

Postea adde

salvia,

puleg.

betonic.

hyssopi, an. M. j. vel M. ℞.

Coquantur tam diu, donec herbarum vires melicratum attraxerit.

Colatura calida aromatisetur

cinamomi,

cortic. citri an. Drach. j. ℞.

trium piperum, an. Scrup. ℞.

granor. paradisi,

cardamomi,

galang. an. Scrup. j.

nuc. moschat. Scrup. ℞.

F. Potus clarus.

Vel ℞. Aq. ℥. xxx.

mell. ℥. j. ℞.

rad. acori veri,

salvia,

rorismarini, an. M. j.

rad. ireos Unc. ℞.

Coquantur ad consumptionem tertie partis, addendo sub finem.

cinamomi,

nucis moschata, an. Drach. ij.

piperis Drach. ℞.

F. Melicratum.

Loco mellis & saccharum usurpari potest.

Vel paratur seq. Hydromel digrens:

℞. Aq. communis ℥. ij.

mellis opt. Unc. iij.

Decoq. lento igne, donec non amplius spument. Decocto adde.

fol. salvia,

L. I.

origan. an. p. j.

puleg.

serpill. an. p. ℞.

rad. ireos concisa Drach. ij.

sem. anisi,

coriand. an. Drach. ℞.

macis,

cinamomi, an. Scrup. j.

Bulliant ad consumptionem quartæ partis. Colentur, & in 4. doses dividantur.

Hydromelitis aromatici descriptio etiam exstat apud Langium, libr. 3. epistolæ medic. Epist. 1. cap. 5. De quibus sæpe aliquid tibi potest.

Et si autem vinum, imprimis potens, non convenit Paralyticis, tamen in assuetis id loco vehiculi ad medicamenta ad nervos interius deferenda utile est. Ideo in vino salvia, rosmarinus, hyssopus, betonica, herba Paralyt. chamæpiti. & hujus generis alia macerari possunt. Commodius vero est, si cum musto hæc plantæ deferveant.

Purgantia.

Præparatâ jam per aliquot dies materia aliquid purgantium admiscere fortiora.

alicet, agaricum, mechoacann. fol. senæ. Ut:

℞. Rad. fenic.

pæon. an. Unc. ℞.

ireos,

calami aromat.

an. Drach. ij.

sem. fenicul. Drach. j. ℞.

baccar. juniperi,

Xxx

cubebæ.

cubebæ. an. Drach. ij.

fol. betonic.

herb. paralyf.

salvia.

chamæpic.

rorismar.

flor. stachad. Arabic. an. p. j.

fol. sen. elect. Unc. jß.

agar. alb. Unc. ß.

mechoacan. Drach. ij.

zingib. Drach. j. ß.

cinamomi.

mastich.

nuc. mosch. an. Drach. j.

Infundantur in s. q. hydromel.

Colat. R. Unc. x.

sirop. stachad. simpl. Unc. ij.

de hyssopo Unc. j.

Dentur manè tribus diebus.

Vel R. *flor. calend. exicc.* Unc. iij.

aq. fl. primul. ver.

vini alb. generos. an. lb. ij.

Indantur vasi vitreo bene munito, ac macerentur hor. xxiv. in B. tepido, postea exprimantur prælo: hinc

R. *flor. primul. ver. sicc.* Unc. ij.

ac macerentur denuo hor. xxiv. in suprascripta prima colatura in B. tepido; exprimantur secundâ vice fortiter. Ac in hac express. infundantur tertiâ vice

flor. anthos Unc. j.

per horas xxiv. in B. tepido, ac exprimantur prælo.

Tandem R.

fol. sen. Unc. iij.

turbith. alb. & gumm.

hermodactyl. mund.

an. Unc. jß.

cort. lign. sanct. Unc. j.

cinamomi Unc. ß.

caryophyl. arom.

sem. anisi, an. Drach. ij.

Præparatis rite omnibus affundatur spir. ©i rectif. Drach. ij. ac affundatur præscripta colatura, indatur phiole vitreæ capaci, ac maceretur iterum in B. tepido hor. xxiv. Tandem ignis subministratur, ut omnia ebullire incipiant; postea exenta exprimantur prælo, add. *sacchar. albiss.* lb. j. Despumetur album. ovi, ac coqu. ad Sirup. consistentiam, seruetur usui.

His peractis quiescendum per aliquot dies, ægerquè interea convenienti diæta regendus. Hinc fortiora purgantia usurpentur, turbith, colocynthis, pilulæ de agarico, cochix, fatidæ, de hermodactyl. de sagapeno, de opoponace, elect. Indum. benedicta laxat. hiera cum agaric. hiera Logadii, hiera Pacchii, atque inter ea mitiora primùm usurpanda.

Mirum in modum commendantur pilulæ de Iva, quarum singulis diebus ^{Pilula de Iva anthos.} hora una post cœnam (ego mallem manè eas exhibere). Serup. j. sumat æger.

Parantur autem hoc modo:

R. *Ivæ.*

herb. paralyf.

betonica,

flor. stachad. Arab. (al. addunt

fl. anthos) an. Drach. j.

siccata in umbra in pulverem redigantur, quibus adde

turbith. elect. Drach. j. ß.

agaric. alb. Drach. ij.

solocynth. Drach. ß.

zingib.

*Zingib.**sal. gemm.* an. gr. x.*rhabarb. optim.* Drach. j. ℞.*spica. Indic.* gr. viij.*spec. hiera simpl. Gal.*

Unc. ℞.

diagryd. Drach. j.

Omnia pulverisata cum succo Ivæ
recenti in massam pilularum redigan-
tur.

Vel ℞. *Pilul. fetid. Mesue*, aut, quæ
fortiores sunt, *Rhasis*,

Scrup. ij.

de opopanace Scrup. j.*castor.* gr. v.Cum *sirup. de betonic. vel hyssop.*F. *Pilul. xxi.*

quæ repetantur quoties opus est.

Vel ℞. *Agar. trochisc.* Drach. ij.*turbith.* Drach. j.*sal. gemma,**zingib.* an. Scrup. j.*castor.* Scrup. ℞.*hier. diacolocynth.* Drach. j.F. *Mistura* cujus dosis Drach. j.Vel ℞. *Pilular. fatid.* Scrup. ij. ℞.*agar. troch.* Scrup. j.*troch. Albandal.* gr. ij.*Castor.* gr. iiij.Cum *mell. scillit.*F. *Pilulæ.*

Nonnulli pilulas, & quidem majori-
formâ, ne vis medicamenti cito dis-
solvasitur, sub tempus somni exhibent.
Verùm si forte tale medicamentum sit,
cibus corrumpet; si lene, nihil præ-
stabit. Ideoque commodissimum fu-
erit tales pilulas post mediam noctem
exhibere.

Quibus pilulæ non ardent, Potio-
nes exhibeantur.

Ut ℞. *Betonica,**rorismar.**chamæpis.* an. p. j.*sem. carthami comisi,**fol. senæ elect.* an. Drach. iiij.*hermodact.* Drach. j.*sem. anisi* Scrup. iiij.

F. *Decoctio* in hydromelite. In co-
latura infundantur

Agaric. trochisc. Drach. j. ℞.*turbith.* Drach. ℞.*zingib.* Scrup. ij.*cinamomi* Scrup. j.*Colaturæ* Unc. iiij. adde*mell. rosar. solut.* Unc. ℞.

M.

Vel *Fiat Sirupus* talis:℞. *Rad. acori veri* Unc. j.*pæon.**helenij,**imperator.* an. Unc. ℞.*chamæpityos* M. ij.*salvia,**beton.**hyssop.**primula veris,* an. M. j.*flor. lavendula* Drach. ℞.*sem. anisi,**fanicul.* an. Drach. ij.*baccar. lauri.**juniperi,* an. Drach. iiij.

Coqu. in s. q. aq. puræ.

In colatura infundantur

fol. senæ elect. Unc. iiij.*agaric. albi* Unc. j.*turbith.* Unc. ℞.*mechoacan.* Drach. iiij.

Iterum ebulliant & colentur.

Colatura cum s. q. sacchari coquatur
ad Sirupi consistentiam, & aromati-
zetur.

cinamomi,
zingib.

galang. an. Drach. ij.

De quo dentur ꝑ ij. vel iij.

Hoc modo si diebus aliquot purgantia & præparantia exhibita fuerint, quies à medicamentis per dies aliquot concedenda, & postea eadem medicamenta secundâ, tertiâ, aut pluribus vicibus repetenda, ac semper à mitioribus ad fortiora progrediendum. Tempore quietis tamen revulsiones per clysteres, frictions, & cucurbitulas institui possunt.

Roborantia quoque nonnulla capiti & nervis utilia usurpanda, ægerque bonâ diætâ regendus.

Ut *Rx. Conserv. primula veris*

Drach. iij.

Mithridat. Drach. j.

Milce,

vel cum saccharo F. Bolus, qui post purgationem seqq. die manè, horis 4. vel 5. ante prandium, sumatur.

Vel *Rx. Theriac. Scrup. ij.*

aur. Alex. Scrup. j.

conf. fl. lavend. Drach. ij.

essentia castor. gr. v.

sal. chamæpit. gr. viij.

essentia salvia Scrup. ß.

Cum sacch. q. s. F. Bolus post cœnam deglutendus.

Vel *Rx. Mithridat. Drach. ß.*

conf. anacardi. Scrup. ß.

conf. fl. saly. Drach. ij.

spir. primul. ver. gutt. v.

ol. destill. saly. gutt. ij.

extr. castor. gr. iij.

Cum saccharo F. Bolus.

Purgatione universaliperactâ, si caput & cerebrum sint primariò affecta, ^{Particula- res capitis} materiamque suppeditent, vel pars ma- ^{evacuatio-} teriæ ibi hæreat, particulares ejus eva- ^{net.} cuationes instituantur, per errhina, apophlegmatismos, gargarismos, de quibus supra, *part. 1. cap. 10.* dictum.

Habent & suum hîc locum ptarmica, ut & masticatoria. Præparari etiam possunt tales hypoglottides, quæ manè jejunò ventriculo, ut & horis pomeridianis, in ore detineantur.

Rx. Pulv. nuc. mosch. Drach. j. ß.

sem. nasturt.

pæon. an. Scr. ij.

rad. pyrethri Scr. j.

castorei Drach. ß.

moschi gr. ij.

Cum succo salvia

F. Trochisci lupinis similes.

Vel *Rx. Rad. acori veri Drach. j.*

pyreth. Scr. ij.

zingiber.

pæonia,

caryophyll.

nuc. moschat. an. Drach. ß.

cubebæ. Scr. j.

Cum infus. gum. tragac. in aq. lavend.

& saly. facta addita sacchari q. s.

F. Trochisci quantitate lupinorum, quorum unus, præsertim tempore decubitus, in ore teneatur.

Apophlegmatismus talis parari potest

Rx. Rad. pyreth. Drach. j. ß.

calami arom. Drach. j.

ireos Drach. ß.

granor. juniperi Drach. j.

fol. saly.

majoran. an. P. j.

rorumar.

meliss.

Meliss. an. P. ℞.

cubeb. Drach. ℞.

F. Decoctio in ℥. q. aquæ puræ ad tertias.

Colat. ℞. Unc. vij. in quibus dissolv.

essentia saliv. Drach. ij.

fir. de stœchad. Unc. j℞.

Misc. pro Apophlegmatismo, de quo calesfacto cochlear unum atque alterum per horæ quadrantem in ore detineatur.

Si caput ab affecto liberum sit, evacuationibus hisce præmissis, corroborantia nervos usurpentur, de quibus postea.

Sudorifera

Si iteratâ aliquoties materiæ præparatione & evacuatione, morbus tamen contumaciter persistat, sudores provocandi decocto ligni Guajaci, sarsaparill. Chinæ, vel ligni sassafras; seorsim singulorum uno sumpto, vel pluribus admixtis. Et sub finem decoctionis addantur, si libet, fol. primul. veris, salviæ, rorismarini, cinamomum, nuxmoschata. De quo decocto nianè bibat æger Unc. vj. vel vij. & in lecto horâ unâ atque alterâ sudet. Decocto dilutiore secundo potus loco in mensa uti poterit. Atque istiusmodi medicamenti genus aliquot septimanis continuandum.

℞. *Ligni Guajaci* Unc. viij.

cortic. ejusdem,

rad. belen.

pxon.

iridis,

cortic. citri siccorum, an. Unc. j.

aq. pura ℥. x.

Infunde hor. xxiiij in loco calido, postea coquantur.

Colatura dulcoretur saccharo, & condiatur spec. diagalang. vel diacynamomi Drach. j. Capiat æger manè, & post meridiem Unc. vj. ac manè sudet.

Loco decocti interdum destillatum parari potest. Exempli loco sit sequens liquor antiparalyticus:

℞. *Limat. ligni Guajaci* Unc. iiij.

cort. ligni eiusd. Unc. j.

rad. sarsaparill. Unc. j℞.

China Unc. j.

lign. sassafr. Drach. vj.

aloes,

galangæ, an. Drach. j℞.

rad. sœrzoner.

polypod.

bermodactyl.

pxon.

fenic. an. Drach. ij℞.

sem. pxon. Drach. ij

F. Infusio 24. hor. in loco calido

in aq. communis,

vini Rhen. an. ℥. q.

Postea in vesica destillentur.

Destillatum funde super

fol. betonic.

ira arther.

salv. an. M. j.

flor. tillæ,

primula ver.

stœchad. Arab.

rorismar.

layendula an. M. ℞.

chamam. Rom.

z. cordial. an. P. ij.

theriac. Drach. ij℞.

Mithridat. Drach. iiij.

sem. & cort. citri an. Drach. ij℞.

cinamomi Drach. vj.

XXX 3

F. f. a.

F. l. a. Destillatio in MB. pro lb. ij. ℞.
Liquori destillato adde

manus Christi c. ol. cinamomai,

c. ol. succini, an. ℥. j.

conf. diacymnic. ol. cymini ℥. vj.

Misc. De hoc destillato manè & vespèri. Unc. iij. vel iijj. propinentur.

Pro Potu ordinario hoc uti poterit:

℞. Rad. China Unc. iij.

aq. fontan. lb. x.

Coqu. ad partis quartæ consumptionem.

Colatura dulcoretur saccharo, & condiatur cinamomo.

Multum quoque tribuitur aq. vel decocto rosmarini, si illius Unc. iij. quotidie sumantur cum gr. iij. extr. rad. pyrethr. vel castorei.

Ubi decoctum hoc, vel destillatum semel absumptum est, injiciatur clyster; vel purgantia supra proposita repetantur. Atque ita per vices decoctum sudoriferum & purgantia diebus xl. continentur, si tempus, ætas, & vires id permittant.

Nervos roborantia.

Tandem quæ frigidos humores in nervis absumunt, eosque calefaciunt, spiritum & calorem ad eos attrahunt, eosdemque roborant, cum internè, tum externè usurpanda. Qualia sunt pleuraque, quæ supra, *part. I. cap. 2. 3. & 10.* sunt proposita.

Ideoque usurpanda melicrata antea descripta.

Aqua destillata.

Aqua destillata; Rosmar. saly. lavenderul. primul. veris, chamæpit. betonic. & compositæ Apoplectica & Paralytica.

Conserva.

Conserva; primul. veris, chamæpit. beton. saly. anthos, lavenderul. stæchad.

Radic. condit. deori; helenij, ireos, galang. pyrethr. nux moschat. diacorum Mesue. *Conditæ & species aromatis.*

Spec. Aromat. caryophyll. diambra, diagalang. diamosch. dulc.

Valde commendatur etiam magisterium perlarum. Prodest & theriaca antiqua, vel Mithridat. quæ Drach. j. pondere exhibeantur cum conserv. vel aqua appropriata, vel mulsa. Efficacior est aurea Alexandrina & confect. anacardina.

Vel ℞. Aq. betonic.

cubebæ.

salv.

primul. veris, an. Unc. ij.

antepilept. Langij Unc. ℞.

cinamomi Drach. ij.

sirup. de stæchad. Unc. j.

Misc. F. Potio pro 3. dosibus.

Alia:

℞. Conserv. chamædr.

chamæpit. an. Unc. ℞.

salvia,

primul. ver. an. Drach. iij.

aq. betonic.

chamædr. an. Unc. iij.

flor. tilia,

pæon. an. Unc. jss.

M. & agitentur fortiter in mortario marmoreo, post leviter bulliant, exprimantur, & colentur.

In colatura dissolv.

extr. granor. juniperi Scrup. j.

galang.

calam. arom. an. Scrup. ℞.

aq. cinamomi Drach. ij.

brodij rad. enula cond. Drach. vj.

sirup. de cinamomo Drach. iij.

M. F. Potio pro 3. dosibus.

Vel ℞.

Elixiria

Vel ℞. *Conserv. salvia.**anthos,*
primul. veris,
*chamapit.**lavendul. an. Unc. ꝑ.*
calami aromatici conditi

Drach. vj.

*spec. diamb.**diamosch. dulcis, ana*
Drach. ℞.*Mithridat* Drach. j.*puly. nucis moschat. Scrup. ij.**cubebat. Scrup. j.*Cum *sirup. stæchados simpl.*F. Electuarium, de quo quantitate
nucis juglandis quotidie, vel alternis
diebus, 4. horis ante prandium, & tan-
tundem duabus horis ante cœnam, &
vesperi æger sumat.℞. *Conserv. fl. primul. ver. Unc. jss.*
*salv.**rorimar. an. Unc. ℞.**nuc. moschat. cond.**rad. enula roud. an. Drach. iij.**spec. diamb.**diamosch. d. an. Drach. ℞.**extr. visci q. Scrup. j.**galanga Scrup. ℞.**margarit. prepar. Scrup. j.**sorall. rubr. preparat. Drach. ℞.**Mithridat. Drach. j.**essentia castor. Drach. ℞.*Cum *sirup. brodi nuc. mosch.*

F. Electuarium.

Vel ℞. *Flor. lavendul. Unc. jss.*

Incidentur minutim, & addantur

*sacchari Unc. vj.**puly. caryophyll.**cinamomi,**macis, an. Unc. ℞.*Stent in vase clauso in Sole aliquot
diebus, & nonnunquam agitentur.Vel ℞. *Conserv. fl. lilij convall.**primul. veris,*
*salvia, an. Unc. ij.**Mithrid. optimi antiqui Unc. j.**cerebri leporis assi & exsiccati*

Drach. ij.

spec. diamb. Drach. j.*sem. pæon.**baccar. juniperi, an. Scrup. ij.*Cum *sirup. stæchad.*F. Electuarium, de quo sumat æger
singulis diebus Unc. ℞.Cerebrum quoque leporis lauda-
tur, quod peculiari proprietate in hoc ^{Cerebrum} morbo pro-
fit. Unde commendatur ^{leporis,}
hoc Electuarium:℞. *Cerebri leporis recentis assi, vel*
*in fictili frici,**conserv. salvia, an. ℞. ℞.**chamapitros,**betonic. an. Unc. iij.**cinamomi,**caryophyll.**piper. nigri, an. Drach. j.**sberebimb. Cypria aq. chamapit.**lotæ Unc. ℞.**sacchar. dissolut. in aq. iwe, vel*
*mellis q. s.*F. Electuarium, de quo manè, ho-
ris iij. ante cibum, sumantur Unc. ℞.
vel Drach. vj.Pulveres quoque varii parari pos-
sunt, qui in aqua appropriata, vel cum ^{Pulveres.}
pane vino aut mulsâ madido sumun-
tur, vel cum saccharo in Rotulas aut
Morfulas formantur.Ut ℞. *Nuc. moschat. Unc. ℞.**radic. pyrethri Drach. j.*

flor.

flor. lavend. Drach. ij.
anthos,
salvia, an. Drach. β.
cinamomi,
caryophyll. an. Drach. j.
galang
cubebæ.
cardamom. an. Drach. β.
 F. Pulvis.

Vel R. *Fol. meliss.*
primul. veris,
ivæ arthet. an. Drach. jβ.
cubebæ.
nuc. moschat.
sem. anisi, an. Drach. j.
coriand. preparati.
cinamomi,
caryophyll.
cardamomi, an. Drach. j.
visci q.
sem. pœon. an. Drach. β.
facch. ad pondus omnium.
 F. Pulvis.

Morsuli &
Rotulæ.

Efficacissima sunt olea destillata, ut
 & extracta; quæ vel cum conservis,
 misceantur, vel saccharo excepta in
 Tabulas vel Morsulos concinnentur.

Ut R. *Extract. calam. aromat.* Scrup. j.
ol. destillat. nucis moschat.
salv.
rorismar.
cinamomi, an. gutt. vj.
caryophyll. gutt. ij.
spec. diamb. Drach. β.
facchar. in aqua lavendula disso-
luti Unc. iij. vel iiij.
 F. Morsuli.

Vel R. *Spec. diamosch. d.* Drach. jβ.
diamb. Scrup. ij.
diamarg. cal. Drach. β.

rasur. visci q.
ungula alci, an. Scrup. j.
fragm. lap. v. pretiosor. an. Scr. β.
extr. galanga,
ireos,
pœon. an. gr. vij.
cardamom. gr. xv.
ol. destill. nuc. mosch. gutt. vij.
facch. in aq. lil. convall. dissol. q. ℥.
 F. Morsuli.

Vel R. *Spec. diamb.* Drach. j.
ol. destillati salvia,
nucis moschat.
caryophyll. an. gutt. iiij.
facch. in aq. rorismar. dissolut.
 Unc. ij.

F. Rotulæ.
 Vel R. *Ol. destillati salvia,*
nucis moschat.
cinamomi,
caryophyll. an. gutt. vj.
facchar. in aqua ivæ dissoluti
 Unc. ij. vel ijs.
 F. Rotulæ.

Vel R. *Sacchari* ℥. β.

Decoqu. in aq. fl. lavend. & li-
lior. convall. Unc. iiij. ad per-
 fectam coctionem; adde
ol. succini rectific. gutt. xv.
cinamomi gutt. ix.
essent. salvia Drach. j.
 F. Rotulæ.

Aquæ Apoplecticæ & Paralyticæ *Aq. Para-*
passim extant apud Langium, lib. 3. *lytica.*
epist. i. cap. i. Vidum Vidium, Heur-
 nium, Hercul. Saxoniam, & alios,
 quos consulere licet.

Potest & talis sine destillatione *Tinctura.*
 (Tincturam vel Essentiam hodie ap-
 pellant) parati:

℞. *Primul verū,*
salvia, an. M. j.
flor. lilij convall.
stachad. Arabic.
lavendul.
ambros, an. M. ℞.
caryophyll.
nuc. moschat.
galang.
cinamomi,
cubebat.
granor. Paradisi,
ligni aloes, an. Drach. iij.
rad. acori veri,

aireos,
pæon, an. Unc. ℞.
sem. fenicul.
anisi,
stler. montani,
pæon, an. Drach. j.

spec. diambr.
diamosch. d. an. Drach. ij.

Affundatur spiritus vini optimè re-
 tificati tantum, ut ad manus latitudi-
 nem, vel plus etiam emineat. Stent
 in infusione diebus aliquot in vitro
 clauso, & singulis diebus agitentur.
 Postea spiritus vini, qui vim specierū
 imbibit, per inclinationem effundat-
 ur. Dosis est Unc. ℞. vel solius, vel
 cum aqua aliqua convenienti.

Alia aqua contra Paralyfin;

℞. *Rorismar.*
lavendul. an. Unc. iij.
salvia,
sem. sinapi, an. Unc. j.
cardamomi,
galange,
cubebat.
cinamomi, an. Unc. ℞.

L. l.

macis,
croci Orient.
visci q. an. Unc. j.
castor. opt.
aurea Alexand.
Mithridat. an. Unc. ℞.
 Macerentur in loco cal. diebus 8 in
 vini sublimi opt. ℞. ij.

Postea ℞. aq. saly.

rorismar.

lavendul.

flor. tilia,

lil. convall. an. Unc. ij.

Mis. & s. a. destillentur.

Alia.

℞. *Spec. diambr.* Unc. ijs.

diarrhod. abb.

diamosch. an. Unc. ij.

Siv. vini opt. q. s.

F. s. a. Extractum liquidum, quod
 saccharo in aquâ convenienti soluto
 dulcorari potest.

Aqua Salviae composita:

℞. *Fol. salvi hortens. virid.* Unc. viij.

nucis moschat.

caryophyll.

zingiber. albi,

cubebat.

gran. Paradisi.

cinamomi, an. Unc. ℞.

baccar. lauri Drach. j.

galange Drach. ij.

spic. nard.

cort. citri, an. Drach. j.

camphor. Scrup. j.

flor. lavendul. Drach. ℞.

rorismar. Drach. j.

Infund. omnia, ut decet, preparata in
 vini opt. veter. ℞. vij. per dies 3.

Postea s. a. in B. destillentur.

Yyy

Alia

Alia aliqua:

℞. Rad. acori veri;

galangæ;

angelic.

enula,

cyperi, an. Drach. vj.

fol. salv. minor:

major.

rorismar.

melis.

ruta, an. M. j.

flor. lavend.

spica;

lilij convall.

primula veru, an. M. ℞.

nuc. moschat.

zedoar.

cinamomi,

caryophyll. an. Drach. iij.

castor. Drach. j℞.

cort. citri Unc. ℞.

spec. diamosch. Drach. ij.

Conquassata infund. in vino forti,
& permisceantur donec pulvis instar
fiant, postea destillentur.

Aqua articularis:

℞. Iva arthet. ℥. j.

rad. pentaphyll. Unc. iij.

fol. pilosell. ℥. ℞.

Incisis & contusis affund. vini Rhen.
veteris opt. ℥. vj.

F. l. a. Destillatio per organa vitrea
in B. Collectus liquor servetur.

Alia D. Kolreuteri:

℞. Permium terrestr. ablutor. vino
veteri Unc. ij. Drach. iij.

castorei Unc. ℞. vel Unc. j.

His superfund, vini veteris ℥. j. Stent
infusa 24. horis; postea seorsim

℞. melissophyll. odor:

puleg. an. M. j.

chamapit.

agrimon.

herb. paralys.

chamameli Romani, an. M. j℞.

betonic.

euphrag. an. M. ij.

salvia M. iij.

hyperici M. iij.

flor. sambuc.

verbasc. an. M. j.

baccar. lauri Unc. j℞.

stochad. Arab. cap. N. vij.

rasura Guaiaci Unc. ij.

sassafr. Unc. ℞.

caryophyll.

nuc. moschat. an. Drach. iij.

schananth. Scrup. j.

rosar. rubr. M. ij.

flor. lavend.

spica nard.

betonic.

majoran.

rorismar. an. M. j.

hermodactyl. Unc. ij℞.

nucis moschat. Unc. ℞.

caryophyll. Drach. iij.

baccar. juniperi M. j.

Hisce quoque concisis & conquas-
satis superfund.

spir. vini puriss. ℥. v.

Stent per triduum ad cineres calidos
sapius movendo. His adde.

vini Rhen. veter. ℥. iij.

aq. melis.

lavend.

betonic.

hyperic.

sambuc.

*sambuc.**salvia,**rorismar. an. Unc. vj.*

Postea simul omnia mixta destillentur
 f. a. in B. Destillato liquori, si
 placet, addi potest mofchi Scr.ß.

Aqua arthetica D. Brambachii:

℞. *Baccor. juniperi* ℥b. ij.*lauri* ℥b. j.*flor. lavend.*

fol. puleg. cum summit. an. Unc.
 xvij.

*menth. crisp.**calamenth. an. ℥b. j.*Postea ℞. *rad. ostrus.**zedoar.**macis,**cinamomi, an. Unc. j.**caryophyll.**cardamomi, an. Unc. ß.**flor. anthos* M. j.*urtic. min. c. sem. M. j.**salv. minoris* M. ij.

Omnibus contusis ac minutim in-
 cisis affunde

vini opt. ardent. q. f.

atque bene cooper.

Deinde sepeliatur vas bene conclu-
 sum & obstructum in cella, in loco &
 terra frigida. Stent in infus. per men-
 sem, deinde destillentur.

Topica.

Tandem ad Topica accedendum,
 quæ cum parti resolutæ ad calorem &
 spiritus revocandos, tum imprimis lo-
 co, ubi causâ malî hæret, applicanda,
 ad humorum exsiccationem & discus-
 sionem.

Friciones.

Pars ergo affecta pannis calentibus
 quotidie fricetur; sed teniter, ne, quod

de naturali calore & spiritibus attra-
 ctum est, iterum dissipetur.

Cucurbitulæ etiam applicentur, quas *Cucurbi-
 tula.* valde commendat Avicennas post cor-
 poris expurgationem, si absque scarifi-
 catione capitibus musculorum partis
 affectæ applicentur, præcipuè eo fine,
 ut spiritus ad partem torpentem attra-
 hatur. Quæ de causâ cucurbitulæ an-
 gustiores esse debent, & cum multa
 flamma applicari, sed non diu affixæ
 manere, ne, quod attractum est, dissipa-
 retur. Et ut id, quod attractum est,
 ibi conservetur, & non statim dissipa-
 tur, emplâstrum ex pice & resinâ pini
 statim imponi potest. Quin tamen
 aliquid materiæ morbificæ nervis in-
 hærens hoc modo extrahi, & loco
 moveri possit, impossibile non videtur.

Vel membrum stupidum & resolu-
 tum urticis viridibus leniter percütia-
 tur, aut ipsi sinapismi & rubificantia *Rubifican-
 tia.* imponantur, donec pars tubescere in-
 cipiat. Et si materiâ à cerebro descen-
 dat, & in spinali medulla hæreat, etiam
 scapulis & brachiis interdum adhiberi
 debent, ut materiâ à cerebro & princi-
 pio spinalis medullæ ad exteriora tra-
 hatur, & evocetur.

Postea, & progressu temporis (Avi-
 cennas post trigesimum diem iis uti-
 tur) spinæ dorsî quoque ea applicare
 utile est, ut reliquiæ materiæ extrahan-
 tur, & spiritus ac sanguis ad partem af-
 fectam revocetur. Rubificantia ta-
 men tam diu non sunt in loco affecto
 relinquenda, ut vesicæ in cute exci-
 tent (tum enim spiritus & sanguis
 ad partem affectam non revocaretur,
 sed dissiparetur) sed tam diu solum,

sinapismi & dropaces relinquendi, donec pars rubicunda digito pressa non albescat, sed rubicunda permaneat.

Olea & unguenta.

Postea inunctiones fiant Oleis & Unguentis convenientibus, cujusmodi sunt, *ol. chamamel. lilior. albor. irin. hyperici. sambuci. rutaceum. laurinum. costinum. de spica. lumbricor. terrestr. de piperibus. vulpinum. de castoreo. euphorbij. destillatum juniperi. cera.* Peculiaris ratione preparata *olea viperinum. de ciconia. anserinum*, habentur in Practica Leonell. Faventini, *cap. de Paralyti. & Cati seu Felis*, apud Forestum, *lib. 10. observ. 82.*

Ex Unguentis commendatur, *Agrippa. Aregon. Martiatum utrumq. de bdellio.* Efficax est & sequens Unguentum Anserinum:

Rx. Anserem veterem pinguem, suffocetur, deplumetur, & exenteretur. Exenteratus inde

cera flava,
butyri ovilli,
salis communis, an. Unc. ij.
pingued. vulpin. Unc. iij.
cati sylvest. Unc. ij℥.
porcina Unc. ij.
humana Unc. j.
medull. crurum asini,
bovis,
serpi, an. Unc. j℥.

pulv. thuris,
farina fabar.
siliginis, an. Unc. ij.

repleatur, & consuatur, verumq; transfigatur, & affetur; vel ollæ vitreæ inditus lento igne affetur: ubi cavendum, ne aduratur. Liqueor exstillans usui servetur.

Aliud:

Rx. Anserem deplumatum, evisceratum, vino albo ablutum, configuratur undique caryophyllis, & infarciatur foliis salvia, torismarinis spica, iisdem addendo pingued. felis sylv. Unc. j℥.
pulv. myrrh.

thuris, an. Unc. ℥.
castor.

euphorb. an. Drach. j℥.

lumbric. in aceto suffocator. n. xxx.

Intuantur omnia, & torreatur anser more usitato in veru, aceto albo rutaceo supposito in sartagine, in quod pinguedo destillet, posteaq; refrigerato liquore innatans axungia colligatur, & servetur in vitro ad hocce usus præstantissima.

Crato commendat Unguentum de Sapone, quod ipse ita parat:

Rx. Sapon. Veneti ℔. ℥.

ol. baccar. juniperi Unc. j.

pulv. sem. eruc. Drach. vj.

M. pro Unguento.

Vel *Rx. Ol. laurin.*

de laterib.

nardini.

sinapi expr. atr. Unc. j℥.

gummi saqq. iti aqua vitæ dissolutos.

opopanax.

galban.

ammoniac.

sagapen. an. Unc. ℥.

euphorbij. Drach. ij.

Misc. quibus adde

ol. juniper.

de piperib.

succini,

spica destill. an. Drach. j.

rad.

raddellob. alb.

pyrethr.

finap. an. Drach. j.

piperis alb. Drach. ℥.

sal. ammoniac. Scrup. ij.

castor. Scr. j.

Cera q. l. f. l. a. Unguentum, quo partes læsæ spir. vini ante ignem prius fricandæ illinantur.

Valent & pinguedines humana,

anserina,

vulpina,

catt,

catt sylvestr.

ursi,

leani,

viperarum.

In calidis tamen & ficcis oleis, præcipuè destillatis, & imprimis in principio adhibendis, hoc observandum, ut aliquid pinguium addatur, ne materia nervis impacta, vel adhærens exsiccentur, indurescat, & quasi lapidescat.

Ex his varia pro re nata misceri possunt.

Uti Bz. Ol. chamemel.

lilior. albor. an. Drach. j.

lumbrie. terrestr

vulpini, an. Unc. ℥.

spec. diamoschi. dulc.

pulv. chamapit.

rorismarin. an. Drach. ℥.

castor. Scrup. j.

cera.

pinguedin. vulpis, ana q. f.

F. Unguentum.

Vel Bz. Gummi Ammon.

bdellij in spir. vini dissolut. an. Unc. ℥.

axung. taxi,

anseris,

vulpis, an. Unc. iij.

rad. ireos. Drach. j.

fol. ruta,

bétonicæ

herb. paralyf. an. Drach. j.

fl. stœchat. Arab.

rorismar.

chamam.

melilot, an. p. j.

styrac. calamyt.

benzoes, an. Drach. ij.

caryoph.

thuris,

nuc. moschat. an. Drach. j.

ol. vulpin.

castor.

lumbrie. terrestr.

cera, an. q. f.

F. Linimentum.

Vel Bz. Ol. vulpini,

laurini,

terebinth.

de castor. an. Unc. ℥.

unguentis Aregon.

Martiatæ magni,

an. Drach. ij.

galbani,

Ammoniac.

bdellij, an. Drach. j.

cera q. f.

F. Linimentum.

Vel Bz. Rad. ireos,

calam. aromat.

an. Drach. j. ℥.

galang. Drach. j.

fol. salvia,

rorismar.

ivo,

ryy 3

fl. lavon-

fl. lavendul.
stachad. Arabic. an. p. j.
ol. vulpin.
de castor.
lumbric. an. Unc. ij.
terebinth. Unc. j.
vini albi fort. Unc. iiij.

Coqu. ad vini consumptionem.

Colaturæ adde spiritus vini Unc. j.

sagapen.
bdellij,
castor.
styrac. calamit.
benzoes, an. Scrup. j.
nuc. mosch.
caryoph.
piper. longi,
pyrethri, an. Scrup. ß.
pingued. taxi Unc. ß.
cera q. f.

F. Linimentum.

Efficax etiam ad Paralyfin Unguentum describit Valeriola, *libr. 4. obs. 4.* quod huc transferri potest.

Efficax est & hoc:

℞. *Lumbric. terrest. spiritu vini lotorum*, & in furno exsiccat. ℞. ß. *pulv. zingiberis,*
galang. an. Unc. ß.
ol. lilior. albor. vel costini. q. f.

F. Unguentum.

Sacculi & fomenta.

Ante novam inunctionem sordes, quæ de priori relictæ sunt, abluantur panno imbuto decocto *fl. chamamel. meliloti, betonic. majoran. ruta, salvia, fol. lauri, chamepit. hyssop. rad. ebuli, cyclamini, ireos, calami aromat. pyrethri.*

Ex quibus & Sacculi ac forûs parari possunt, additis *caryoph. nuce mosch. castoreo.*

Ut ℞. *Betonic. M. j. ß.*

maioran.
chamadr.
chamepit. an. M. j.
calaminth.
origani,
serpilli,
marrub.
urtic. an. M. ß.
fol. lauri num. v.
fl. spica,
stach. Arab. an. p. ij.
galange,
piper. l. Drach. j. ß.
maslich.
succini, an. Drach. j.

Concisa & contusa crasso modo decoq. pro Fomentatione.

Alii sequenti Mixturâ membra affecta fricant:

℞. *Spir. vini,*

spir. granor. juniperi, an. Unc. iiij.

pingued. castorei Unc. j.

pulv. sem. sinapi Drach. j. ß.

rad. aristoloch.

salis communis, an. Drach. ß.

Misce.

Efficacissima verò sunt Balsama cum naturalia, tum Artificialia; seu *O-Balsama*. lea destillata; quæ Balsami nomine veniunt, & apud Evonymum, Heurnium, *cap. de Paralyfi*, & alios descripta extant.

Inter quæ valde commendatur sequens Balsamum, quod Guidoni de Cauliaco attribuitur, quodque Matthi-olus loco veri balsami substituit:

℞. *Fol. salvia,*

maioran.

menth.

herb. paralyf. an. p. j.

spic.

spic. nard.
croci.
carpobalsami.
sang. dracon.
thuris.
mumias.
opoponac.
bdellis.
massich.
gumm. Arab.
styrac. liq.
benzoes, an. Drach. ij. ℞.
moschi Drach. ℞.
terebinth. Unc. v.

Omnia pulverisata Misc. cum terebinth. ponantur in alembic. & destillentur: primò exiæ aqua, hinc oleum, postea substantia quædam crassior, quam Mel appellat, cujus usus est in hoc, & omnibus frigidis affectibus.

Est & magna vis. ol. destillatorum, *salvia, nucis moschata, lavendula, spica, rorismar. succini, de lateribus, ut & petrolei, præcipuè albi.*

*Aqua de-
stillata.*

Utilis est hæc Aqua, quâ membra affecta illinantur & fricentur. Licet ejusdem etiam ℥℞. cum aqua. *salvia,* vel alterius convenientis. ℥iij. manè exhibere:

℞. *Flor. lavendul.*

spic. nostræ;
stachad. Arab.
salvia,
rorismar. an. M. ℞.
majoran.
iva,
primul veris, an. M. j.
rad. aristoloch. rotund.
ireos,
calami aromat. an. Unc. j℞.
nuc. mosch. Drach. ij.

caryophyll.
piper.
cubebæ.
cardamom. an. Drach. j.
spec. diamosch. dulc.
diambr. an. Scrup. ij.
sagapen.
opoponac.
myrrh.
castor. an. Drach. ℞.
baccar. juniperi M. j.

Incisa & contusa infundantur in vini albi ℥℞. vj.

Stent in infusione diebus 8. postea, si odoratiores expetatur, aliquot grana ambræ, vel moschitenui linteolo obvolvuntur ostro alembici appendantur.

Possunt & sequenti Aquâ arthetica membra affecta humectari & fricari:

℞. *Granor. juniperi,*
herb. urtic. Rom. an. M. ij.
spic. nostr. M. ℞.
schœnanth. Drach. j.
gran. paradif.
coccognid.
piperis l. an. Drach. j. ℞.
caryophyll.
castor.
myrrh. an. Drach. ij. ℞.

Concisa & contusa infund.

in spir. vini Rhen. mens. ij.

Stent in infus. per 3. dies, postea destillentur in MB.

Alia Aqua arthetica, D. Eulenbeck, Medici quondam Dresdensis:

℞. *Fl. lavendul.*

spica;
betonic.
maioran.
rorismar. an. M. j.
fol. sambuc.

fl. veris

fl. verbas. an. M. ij.
hermodactyl. Unc. β.
nuc. mosch. Drach. ij.
caryophyll. Drach. j.
baccar. juniperi M. j.

Incis. & contul. infundantur
 in vini Rhen. lb. v.

Stent in infus. per 4. d. hinc destillen-
 tur.

Suffumi-
 gationes.

Utiles sunt & Suffumigationes, qui-
 bus infervit sequens Pulvis:

℞. *Succini,*
maslich.
myrrha, an. Drach. j.
thuris Scr. ij.
caryophyll.
cinamomi,
nuc. mosch.
macis, an. Drach. β.
ligni aloes Scrup. β.

Pulverisata irrorentur, *spix. vini*, exci-
 centur postea, & iterum irrorentur
 quinquies, ac excicentur, & F. Pulvis,
 qui injiciatur prunis, ut fumus exci-
 tetur, quo calefiat linteum, eoque sub-
 inde membra paralytica fricentur, &
 foveantur.

Emplastra
 & Cerota.

Si his malum non cedat, Emplastra
 & Cerota supra spinata dorsi im-
 ponenda.

Ut ℞. *Castor.*
euphorb.
piper. longi & nigri, an. Drach. j.
ammoniac.
opopanax. an. Drach. vj.
medull. cervi,
cruris bubul. an. Drach. ij.
terebinth. Drach. vj.
styrac. liquid. Drach. ij.
adipis gallin.

anseris,
porci, an. Drach. β.

ol. nardini,
irini,
de lateribus,
de terebinth. an. Unc. β.
vini albi veteris q. l. ad gummi
dissolvenda.

Bulliant omnia ad ignem.

F. Emplastrum.

Alii ab inunctione imponunt em-
 plastrum ex solo gummi Tacamahacæ
 paratum.

Vel ℞. *Empl. de bacc. lauri,*
de beton.
melilot. an. Unc. j.
thuris Unc. β.
castor.
euphorb. an. Drach. j.
sem. nigell.
nasturt.
sinap.
rad. pyreth.
sal. nitri, an. Unc. β.

Cum *ol. de laterib.* redigantur in for-
 mam Emplastri, quod super alutam
 extensum applicetur.

Sudores quoque in parte affecta pro-
 vocare utile fuerit; quod fiet per eva-
 porationes: de decocto herbarum præ-
 dictarum & radicum facto in aqua,
 aut potius vino ita parato, ut halitus
 calentes partem affectam attingant:
 aut decoctum ex herbis dictis calens in
 vas aliquod infundatur in quo æger
 jejunos ita sedeat contentus, ne aquam
 attingat, sed vapores saltem excipiat;
 vellateres calentes linteis decocto her-
 barum dictarum madidis involuti par-
 ti affectæ imponantur, ut sudor elicia-
 tur,

tur, vel in balneo sicco, quod stufam vulgò appellant, vapor ex decocto herbarum dictarum lapidibus vel scoriis calentibus insperso excipiat. Ad sudores movendos valde hic commendatur decoctum radicum bardanæ vel lappæ majoris. Ubi æger satis sudavit, in lectum componatur exhibita *theriaca*, *Mithridat.* vel *aurea Alexandr.* ℞. vel ℞ij. cum aq. conveniente Non v. semel tantum ejusmodi balneis utendum, sed sæpius, & bis vel ter singulis septimanis.

Autumnali quoque tempore vinaceis ex uvis maturis effervescentibus membra manè per horam unam, vel longius spacium immergere, & postea oleo, vel unguento aliquo conveniente inungere, idque per dies 15. vel plures continuare summè utile fuerit; de quo videatur *Donatus ab Alto Mari, Tractat. de vinaceorum facultate & usu.* Idem faciunt feces vini, si in illis calefactis partes resolutæ quotidie bis foveantur. Membra resoluta tegantur pelibus vulpinis, leporinis, canis, cati sylvestris, plumis anserum, columbarum, avicularum sylvestrium.

Therma.

Si his omnibus nihil, vel parum efficiatur, ad *Thermas* deveniendum erit, præsertim verno tempore, præmissis universalibus & particularibus corporis evacuationibus. Est autem hic opus delectu thermarum; suntque utiles sulphuræ, bituminosæ & nitrosæ, non multi aluminis participes. Suntque singulis ferè regionibus etiam suæ; de quib⁹ descriptiones thermarum in singulis regionibus, & historix ab iis curatorum consulendæ.

L. 1.

Si thermæ naturales desint, Artificialia-
le balneum tale parari potest, si aqua ^{Balnea ar-}
exsiccationis caussa, sal, alumen, tar- ^{tificialia.}
tarum vini, sulphur, permisceatur, & in
eis ferrum vel chalybs sæpe ignitus ex-
stinguatur; &, ut appropriatum magis
balneum fiat, & calefaciat, plantæ eti-
am convenientes admiscendæ.

Vel tale paretur:

℞. Fol. *betonic.*

salvia,

maioran.

pulegij,

rorismar.

hyssopi,

origani,

thymi,

ruta,

chamapit. an. M. iij.

flor. chamamel.

melilot. an. M. ij.

rad. pyrethri,

bryonia, an. Unc. ij.

baccar. juniperi M. iij.

lauri M. ij.

sulphuris ℞. iij.

nitri ℞. j.

Coqu. in aqu. ad balneum.

Nonnulli & *Cauterium* apponunt *Cauteria*
inter primam & secundam verte-
bram, vel alio loco, pro ratione mem-
bri affecti, ut humor nervos occupans
evacuetur.

Nonnulli & febrem accendendam *An febrem*
putant ad absumentum & exsiccant *accendere*
humorem pituitosum, exhibitâ *licent?*
crebrius *theriacâ* & confect. *anacardi-*
nâ, aut oleorum calidiorum, ut formi-
carum, euphorbii, circa pulsus tempo-
rum & brachiorum, ac lubaxillis in-

Zzz

un&io-

unctione. Verum cum accendere ferbrim facilius sit, quam accensam extinguere, relicto præsidio minus tuto, alia tutiora eligenda.

Chymici, præter magisterium perlarum, (quod in aq. primula veris vel rorismarini Scrup. s. pondere exhibent) commendant ol. salviæ, succini; magister. smaragdi, coralliorum, tincturam amethysti; essentiam flor. cheiri.

Extra inungunt (præter olea antea commemorata) ol. sanguinis humani, ut & balsamum de galbano, cujus descriptio in Institutionibus habetur.

Dieta.

Interim dum hæc sunt, & toto morbi decursu Dieta conveniens instituenda, qualis, *part. 1. cap. 2.* proposita. Aër sit calidus, siccus & purus. Qui si talis naturâ loci non detur, arte pareatur; ut, *ibid.* dictum. Nonnulli censent intra ægri cubiculum columbos alendos, utpote, quorum halitus Paralyticis proficit.

Cibus calcificandi & attenuandi vim habeat, pituitæ generationem prohibeat, condiaturque cinamomo, caryophyll. nucis moschat. macere, hyssopo, thymo, salvia, rorematino, majoranâ, satureiâ, & similibus. Et primis quidem 14. diebus victus sit tenuior & parcior; cum materia morbi plus, quam vires urgeat. Ideoque famem interdum tolerare, & cœnam intermittere proderit. Toto verò morbi decursu cibo sese æger non oneret; cum nihil in hoc affectu sit perniciosius, quam

nimia cibi & potus repletio. Cibus quoque sit bonifucci; carnes assæ, quam elixæ magis conveniunt. Eligantur & ii cibi; qui peculiari vi huic morbo resistunt, aut certè pituitam non generant, vel eam etiam absumunt; quales sunt columbæ sylvestres, turtures, hirundines, cuculi, cerebrum leporis. Commendant nonnulli viperarum carnem; ideoque harum carne, vel farinâ harum jure subacta capones & gallinas assigant. Utiles sunt & pinæ nuces, pistaciæ, amygdalæ, avellanæ Lombardicæ. Panis condiatur semine carvi, fœnicul. anisi, melanthii. Condimenti loco in mensa usurpetur sinapi, cappares; item sales theriacales, de viperis, betonicæ, cinamomi, hyssopi, juniperi, salviæ, nucis moschatæ, caryophyllor. Contra ab omnibus cibis frigidis & humidis, flatulentis, avibus aquatilibus, carnibus agninis, suillis abstinendum. pisces, si fieri potest, in cibum planè non admittantur; aut ægro eos appetente saxatiles aromaticis conditi concedantur. A lacte etiam, & omnibus lacticiis abstineat æger; uti & à fructibus horariis.

Potus sit hydromel aliquod ex supra scriptis, cum foliis salviæ; majoranæ, rorismarini, hyssopi, chamæpityos, cinamomo, nucis moschat. zingiberis, cardamomo, granis paradisi, pipere paratum, aut cerevisia hyssopo vel salvia condita, vel potus, qui Hippocras vulgò pharmacopæis appellatur, & hoc modo paratur:

℞. Cinamomi Unc. ij.
zingiberis Unc. ℥.

pipet.

piper. longi,
granor. paradisi,
galang. an. Drach. j.
cardamom. Drach. j. ß.
nuci moschata,
caryophyll.
masis, an. Drach. j.

Coquantur vase clauso in aquæ fontan. lb. vj. Colatura dulcoretur *sacchar. alb. lb. ß.* & per manicam Hippocratis trajiciatur.

Morbo tamen declinante ad ventriculi robur conservandum vinum concedi potest, sed antiquum, quod non facile acescit, idque paucum.

Motus & exercitia,

Pars corporis affecta, quæ restitui non nihil cœpit, frequenter exerceatur, aut potius fricetur; moderatè tamen, ut calor, sanguis & spiritus ad illam revocentur. Et quidem frictiones in partibus ægris utiles sunt ad calorem & spiritus revocandos: in sanis ad aversionem. Somnus non excedat horas septem, sitque nocturnus, non diurnus. Alvus aperta servanda, & quia Paralyticis alvus adstrictior esse solet, per intervalla clysteres injiciendi.

Somnus & vigilia.

Excreta.

De Curatione Paralysis ex Humore tenui, & ex Colica ac Scorbuto.

Curatio Paralysis ex humore tenui & ex Colica ac Scorbuto.

Cum Paralysis ex Colica ex tenui potius & bilioso, vel seroso humore, quam crassa pituita proveniat, ut & ea, quæ morbos biliosos interdum sequi solet: curatio quoque non parum à curatione Paralysis ex pituitâ variat.

Neque enim tam calida medicamenta, ut in Paralyti pituitosa, hic locum habent. Et cum materia illa tenuis, biliosa ac serosa, ex intestinis non tam ad principium nervorum, quam ad nervosas musculi partes ac tendines transmittatur, principio nervorum illaeso, tota curationis ratio in eo consistit, ut intemperies intestinorum corrigatur, & humores vitiosi ex iis evacuentur. Deinde ut materia, quæ est in membris exterioribus, discutiatur, ac membra roborentur. Et cum in ista Colica & Paralyti pertinaces alvi obstructions adsint, clysteribus opus est, sed iis non calidis & siccantibus, quales in Colica ex pituita & flatibus requiruntur, sed potius humectantibus, moderatè refrigerantibus, emollientibus, & abstergentibus. Et quia motus ad inferiora segnior est, unde etiam accidit, ut materia cum ad alia membra, tum ad musculos moveatur, irritantibus opus est, quæ intestina ad excretionem stimulent. Conveniunt ergo hic clysteres ex malvâ, parietaria, mercuriali, branca urfina, violaria, ex lacte caprino; quibus cassia extracta addatur, ex ol. violaceo & rosaceo cum adipe anserina, & vitellis ovorum, item ex cremore ptisanæ cum ol. chamæmel. Ad absterfionem verò & expultricem stimulantem commodissimè additur aliquid hieræ simplicis, vel mellis violar. aut rosac. vel nitri parum. Et quidem clysteres tales semel atque iterum injicere non sufficit, sed ter vel sæpius etiam infundantur, ut perverfus naturæ motus invertatur, & humores prævi per alvum excernantur.

Postquam alvus per clysteres aperta & emollita fuerit, si plethoræ in venis indicia appareant, vena aperienda. Hinc purgantia exhibenda, & per mitiora medicamenta, ac per *Triplex* materia expurganda; quibus, si indicia obstructionis in venis appareant, medicamenta aperiencia temperata admiscenda sunt. Convenit hic sirop. rosar. solut. violar. solut. manna, rhabarb. Si morbus id requiratur, etiam extract. esulæ, hellebori nigri, turbiti exhibentur. Et si ventriculus est humidus ac laxus, conveniens est usus hieræ, quæ humores in intestinis abstergit. Ne tamen caliditate vel siccitate sua hiera noceat, ex refrigerantibus & humectantibus aliquid misceri potest.

Materia subductâ sæpius jejunò ventriculo ea, quæ in affectione hypochondriaca & scorbutò usurari solent, dentur. Nonnulli ꝑ correcti ðj. in aqu. salviæ, aut mixtur. simpl. ðj. in aqu. Paralyf. Unc. jß. exhibent. Hinc sudor provocari potest tali Potiuncula:

℞. Aq. primula veris,
betonic. an. Unc. jß.
succin. preparati,
marris perlar. preparata, an. Scr. ß.
extr. galange gr. vij.
spir. ꝑ correcti Scr. ß.
manus Christi c. ol. succini
Drach. iij.
aq. theriacal. Drach. ij.
Miso.

Vel sequenti Bolò:

℞. Conserv. betonic.
salvia, an. Drach. jß.
theriaca. Scr. ij.

extr. ligni sancti Scr. ß.
sal. chamam. gr. vij.
Cum sacch. q. s.
F. Bolus.

Quo sumto liquor aliquis conveniens bibatur. Dentur etiam quotidie de Rotulis confortantibus manè & vespere aliquot.

℞. Extr. galange Scrup. j.
ligni aloes Scr. ß.
essent. salvia Drach. ij.
succini preparati Drach. ß.
ol. succini Scr. ß.
cinamomi gut. vij.
sacch. in aq. stor. lavend. & fl. rilia, dissol. Unc. vj.
F. Conf. in Rotulis.

Membra verò resoluta fricentur panno asperiore, postea inungantur oleis non vehementer calidis; qualia sunt, lilior. albor. anethin. chamæmel. & similia. Et si illa supra proposita adhibentur, aliquid moderatè refrigerantium admisceri potest; ut ol. rosac. & similia. Quæ præterea ad hujus Paralysis curationem facere possunt, videntur apud Schenckium, lib. 1. obser. 189.

Paralyfin autem scorbuticam quod attinet, in ea curanda imprimis ad materiam, scorbuti causam, respiciendum est, postea membris resolutis medicamenta adhibenda. Quæ de re, de Scorbuto, lib. 3. part. 5. sect. 2. cap. 7. dictum.

Curatio Paralysis à causis evidentibus.

In Paralyfi à contusione, castri vel ictu, Curatio Paralyfis à causis evidentibus, si ob plethoram affluxus ad partem læsam metuatur, vena aperiatur, alvo per clysterem prius evacuata. Postea

cor-

corpori applicentur non simpliciter adstringentia & refrigerantia, ut in contusione sine Paralyſi, ſed partim diſcutientia, partim adstringentia cum quadam calefactione, niſi inflammatio adſit. Utile ergo eſt tale Emplaſtrum:

℞. Maſtichi
thuris,
gummi hederæ, an. Unc. ſ.
puly. lumbric. Drach. j.
majoran. Drach. ij.
ſtor. chamamel.
roſar. an. Drach. ſ.
ol. roſar.
chamamel.
cheirini, an. Unc. j.
cerebinth. & cera q. ſ.
℞. Emplaſtrum.

In declinatione diminutis adstringentibus, digerentia augeantur, ut reliquia diſſipentur, ac medicamenta, quæ in Paralyſi pituitosa propoſita ſunt, uſurpentur, ut:

℞. Farin. ſænicrac.
puly. rad. althææ, an. Unc. ſ.
lumbric. terreſtr. Drach. iij.
ammoniacci,
bdellij,
adipis anſerin. an. Drach. ij.
ol. lilior. alb.
cera, an. q. ſ.
℞. Emplaſtrum.

De particularibus reſolutionibus Linguz, Palpebrarum, Veſicæ, Ani, & ſimilibus dicetur ſuo loco.

QUÆSTIO. I.

An Galenus & Avicennas de Cauſſis Paralyſis cõſentiant, & Frigus ſaltem denſando nervos Paralyſin inducat?

Defectus equidem ſpirituum animalium in nervis proxima & continens Paralyſis cauſſa eſt. Cum verò is à pluribus cauſſis provenire poſſit, in iis recensendis inter Autores diſcrepantia quædam eſſe videtur. Primò quidem aliter eas cauſſas recenset Galenus, aliter Avicennas. Galenus, 1. de ſympt. cauſſis, cap. 5. ita de iis ſcribit. Continens quidem, ſive proxima, ſive quocunque alio vocabulo libeat appellare, hujus ſymptomatis cauſſa eſt talis quæ ſpiam in nervis affectus, cujus occasione à principio ad ipſum virtus transmitti prohibetur. Porro prohibetur, (ſiquidem meatum aliquem nervus habet, qualem ille, qui ad oculos descendit, manifeſtè habere cernitur) vel ex obſtructione vel compreſſione: ſi autem non habeat, ex conſtipatione, vel frigore, vel compreſſione. Ubi quatuor cauſſæ ponuntur Paralyſis: nervi ſcilicet Obſtructio, Compreſſio, Conſtipatio, & Frigus;

Avicennas verò aliter cauſſas Paralyſis digeſſit, & Paralyſin fieri docet, vel quia facultas, ſeu ſpiritus non fertur ad membra, vel, licet feratur membrorum vitio non ſuſcipitur, his verbis: Destructio ſenſus & motus ſit, quoniam ſpiritus ſenſibilis aut motivus vel

retinetur à penetratione ad membra, vel penetrat, sed membra non suscipiunt ejus impressionem propter complexionis corruptionem. Quibus eadem quidem causas prohibiti spiritus animalis in nervos influxus affert, obstructionem scilicet, densationem, & compressionem: addit verò alterum membrum, cum videlicet influit quidem spiritus, sed ob depravationem temperamenti partis spiritus influens à membro non suscipitur.

Hic tamen Galenum & Avicennam facile conciliari posse putat Julius Guastavinus, *lib. locorum è medic. select. cap. 24.* & quidem hoc modo. Nam primò quidem eos in eo convenire statuit, quod uterque tres causas ponit, cur spirituum influxus prohibetur, videlicet, obstructionem, compressionem, & densationem. Nec de hoc dubium est. Deinde etsi aliud vitium addere videatur Avicennas, cum scilicet membrum spiritus impressionem non suscipit, propter complexionis corruptionem, nervorum scilicet illius membri, qui spiritum suscipere debent: tamen eam ipsam temperamenti corruptionem ab Avicenna propositam non esse aliud putat, quam affectus à Galeno propositos, obstructionem, compressionem, & densationem. Cum enim Avicennas temperiem corrumpi in nervis affirmet non ab intemperie calida aut sicca, sed frigida & humida; obstructionem à Galeno propositam ab humore frigido, & densationem à frigore illam ipsam temperie corruptionem esse putat. Affectus enim, qui causa Paralysis, mo-

dò pertinet ad nervos juxta eorum initium, cerebrum aut spinam, aut locum à membro læso remotiorem; modò ad eorum propagines seu portiones exiliores, quæ musculis inferuntur. Cum ergò exiles hi nervi in ipsis partibus propter obstructionem, compressionem, aut densationem spiritus suscipere non possunt, id Avicennam propter complexionis corruptionem fieri statuere putat. Et licet Galenus refrigerationem in specie addat; tamen has duas læsiones, refrigerationem & densationem, ad unam, redigendam censet; cum à frigore fiat densatio, & densationem ac frigus putat esse synonyma, ac prius posterioris explanationem.

Verum enim verò hoc modo Galenus & Avicennas non satis conciliantur, & omnino Avicennas peculiarem causam adhuc addere voluit. Licet enim hoc non sit negandum, frigus aliquando nervos condensare posse: tamen frigus tum proxima prohibiti influxus spirituum animalium causa non est, sed densatio seu angustia; voluitq; Galenus tum proximas prohibiti influxus spiritus animalis causas recensere; idemque expressè distinguit constipationem, frigus, & compressionem, & disjunctivè eam proponit. Avicennæ verò locus multò minus istam interpretationem patitur, & præter mentem ejus dicitur, quod temperamenti corruptio, quam ponit Avicennas, non sit alius affectus, quam à Galeno proposita obstructio, compressio & densatio. Frigus enim quidem temperamentum mutare potest, sed compressio-

pressio id non mutat, ut nervus fiat inhabilis ad spiritus suscipiendos; potestque fieri compressio sine omni interperie.

Mens ergo Avicennæ hæc est; spiritum animale aliquando influere non posse propter angustiam nervi à quacunque etiam causa proveniente, & quocunque loco ea hæreat; aliquando verò, licet nulla sit in nervo angustia, & licet influant spiritus animales; tamen à membro eos non suscipi, seu, ut loquitur Avicennas, ejus impressionem non suscipi propter complexionis corruptionem, id est, quia à frigore innatum partis, & in ea nervosarum fibrarum temperamentum & calor corruptus est, cum eo spiritum animale influentem uniri, ei se associare, & suam *ἐπέπεται* in membro, cujus temperies naturalis destructa est, exercere non posse. Quod nec ipsum Galenum negare puto; cum, 4. *de loc. affect.* cap. 4. Paralylin à refrigeratione deducat, & medicamentis calidis sanam fuisse scribat.

QUÆSTIO II.

*Qui humores Paralysis
caussa esse possint?*

Agitur quoque inter Medicos controversia, qui humores Paralysis causa esse possint. De pituitosis equidem res plana est, eosque omnes inter Paralysis causas admittunt: verum an biliosi etiam & melancholici, ac quo modo Paralylin inducant, controversatur. Galenus, 4. *de loc. affect.* cap. 4.

narrat, cuidam, qui à vehementi peripneumonia convalescebat, brachia tam posteriores, quam inferiores partes, & cubiti maximam partem eodem modo ad summos digitos sensus difficultate laborasse, atque motum quoque aliquorum digitorum non nihil læsum fuisse. Alexander Trallianus, *lib. 1. cap. 6.* refert, quendam in Paralylin ex mœrore incidisse, deinde sumpta hierâ deo læsum, ut totus immobilis fieret, & propemodum interiret, nisi in contrarium mutatus fuisset, & humectantibus omnibus, cum potibus, tum cibus, & aliis, quæ temperatum ipsum redderent, usus fuisset. Paulus Ægineta, *lib. 3. cap. 28. & 43.* facit mentionem Paralysis ex Colica per judicatoriam quâdam translationem, ab humore bilioso (refrigerantia enim proderant) orta. Fernelius, *lib. 5. de part. morb. & sympt. cap. 3.* scriptum reliquit; bilem flavam sub finem intermittentium febrium in spinam dorsæ, ac in nervorum originem effusam aliquando Paralylin generasse. Hercul. Saxonia, *lib. 1. cap. 40.* refert, quendam inflammatione oris ventriculi laborasse, & rupto abscessu factum fuisse Paralyticum. Rondeletius verò, 1. *Method. curand. morbor. cap. 32.* Fernelio sese opponit, & bilem, ut & melancholiam, Paralylin efficere posse negat; cum hi humores potius siccent, quam emolliant nervos, & bilis ad convulsionem magis, quam ad Paralylin excitandam sit idonea. Deinde quod bilis, quæ concocta & paucæ sit, ad loca tam diffusa & remota facile penetrare non possit. Neque enim per cerebrum, neque per verte-

vertebrarum foramina & spinam eò pervenire posse putat. Etenim si per cerebrum & spinalem medullam delaberetur, phrenitidem excitaret; atque id potius in ardentibus febribus accideret: si verò per vertebrarum foramina eò ferretur, cum sanguine simul eò deduci, & in venis contineri potius debuisset, atque hac ratione continuam potius, quam intermittentem excitasset. Ipse verò sub finem febrium intermittentium biliosarum Paralyfin fieri putat, quòd bilis & febrilis calor pituitam in cerebro contentam, aut in ipsa spinali medulla latentem eliquare potuerit, quæ in nervos effusa Paralyfin induxerit: statitque, sanguinem solum tenuiorem, bilemque, aquosiorum Paralyfin committere posse, dum aut obstructionem faciunt, viamque spiritibus intercipiunt, aut humiditate spiritus extinguunt vel consopiant, aut nervos emolliunt & elongant.

Verum enim verò negandum non est, bilem & melancholiam causam Paralyfis esse posse; cum tot modi sint, quibus Paralyfis excitari potest. Possunt videlicet humores Paralyfis causa esse, nervos refrigerando, humectando, & irrigando, sensus ac spiritus vi occultâ sopiendo, extrâ pondere & gravitate eos premendo, eosdemque obstructuendo. Quod ipse Rondeletius negare non videtur.

Duplici autem viâ humores ad nervos feruntur. Vel enim ex ipsis meatibus cerebri in nervorum substantiam infunduntur, vel saltem, ductum spinalis medullæ nervorumque inde orto-

rum sequentes, extrâ nervis incumbunt. Platerus quidem posteriorem modum solum admittit, obstructionem verò rejicit, negatque, humores crassos in ipsam nervorum, qui ita manifestas vias non habent, substantiam penetrare posse. Verum si vapor, præcipue qui vi narcotica præditus est, in ipsa substantia cerebri contineatur, atque in humorem ibidem condensetur, vel etiam tenuior humor ibi contineatur, eum in nervos infundi & penetrare posse, impossibile non est. Quamquam enim manifestas cavitates non habent nervi; tamen, cum nervorum substantia sit rara, humores tenues in eos sese insinuare possunt. Observandum tamen & hoc, bilis nomine non raro etiam serosos & salios humores apud autores accipi.

Atque hinc ad argumenta Rondeletii respondere facile est. Nam cum ipse concedat, sanguinem tenuiorem bilemque aquosiorum Paralyfin committere posse, frustra pugnat contra Fernelium, cum Fernelius non definiat bilem, quæ Paralyfin facit. Neque enim omnis bilis acris est, ut necesse sit, eam nervis affusam convulsionem excitare, ut in ictero videre est, in quo in cute nullus pruritus aut dolor percipitur. Neque in intermittentibus febribus via, quâ humores ad nervos trans-eant, denegatur. Quamvis enim fomes febrilis in febribus intermittentibus sit extra venam cavam: tamen in eam effunditur, & in paroxysmo tandem per ejus ramos expellitur, ut, *lib. 2. de Febribus, cap. 16.* monstratum fuit. Atque hoc modo partim ad spinalem medul-

medullam, partim musculos transmitti potest. Videantur quoque quæ de generatione & curatione Paralyfis Scorbuticæ, *lib. 3. part. 5. sect. 2. de Scorbuto, cap. 4. & 7. dicemus.*

Si verò ex capite delapsus biliosus humor Paralyfin generet, modus generationis est facilis, cum & comprimendo, spiritibusq; viam interceptando, & si aquosa sit bilis, nervos irrigando, Paralyfin excitare possit. Et si saltem à liquatione pituitæ fieret hæc Paralyfis, potius in augmento vel statu febris, ubi calor major est, quam in declinatione, ea accidere deberet.

Melancholiam quod attinet, statuant quidam & Recentioribus, melancholicum humorem, etsi siccus & terrestris inter humores dicatur, tamen, quia humor est humidus, & nervo humidior esse, ipsumq; humectare posse, melancholiamq; aliis humoribus collatam esse siccam, partibus verò corporis humidam & humectantem. Verùm recte explicanda est hæc opinio. Etenim etsi humor melancholicus ad tactum, & quæ humor, & quiddam liquidum est, humidus est: potentiam tamen non humectandi, sed siccandi habet, sicut thermæ, lixivium, vina potentia, spiritus, & alii liquores multi siccandi potentiâ præditi, corpora, quæ contingunt, non emolliunt, sed siccant potius. Ergo si à melancholia generatur Paralyfis, credibile est, eam extrâ pondere suo nervos comprimere, & spiritui fluxum prohibere, ut Platerus sentit. Aut si omnino humectando id efficiat, sit potius hoc ab humore seroso, quo melancholicus

humor plerumque diluicit, quam à crassa ejus substantia; id quod in Scorbuticis accidit.

QUÆSTIO III.

An Sudorifera in Paralyfi sint exhibenda.

Ludovicus Septalius equidem, *lib. 6. animadvers. medic. n. 74.* Sudorifera in Paralyfi rejicit, & urinam cientia præfert, magnumq; errorem passim à Medicis committi putat, quòd, omisis urinam cientibus, ea usurpent, quæ sudores movent, decoctum Guajaci, sarsaparill. & similia, ea de causâ, quod per urinam: crassiora quoque educantur, per sudores autem tenuibus evacuatis crassiora magis incalescant & crassiora reddantur, magis obstruant, atque difficiliora reddantur ad motum & evacuationem.

Verùm etsi hæc omnia vera esse cõcedimus de morbis, quorum causâ circa viscera & in hypochondriis, vel etiam in venis hæret: tamen in Paralyfi hæc ratio locum non habet. Cum enim circa nervos causâ mali hæreat, non video, quomodo inde ad vias urinæ facile pervenire possit: per ambitum verò corporis facilis evacuatio est. Neq; metuendum, ut sudoriferorum usu materia incalescat nimium, utpote quæ frigida est, & ita calefactionem requirit, ut etiâ nonnulli febrem, quæ eam calefaciat & fundat, accendendam putent; aut crassescat: cum illa ipsa sudorifera vim habeant eam attenuandi.

CAPUT XXVIII.

De Spasmo, seu Convulsione,
& Convulsivis
motibus.

σπασμους. Σπασμους Græcis, Celsò Distentio nervorum, vulgò Convulsio, est motus membrorum ita depravatus, ut præter voluntatis imperium, & contra id membra versus musculorum suorum principia retrahantur. Aut, si verbum verbo reddere velimus, Spasmus dicendus contractio. Σπασμους siquidem Græcis est trahere. Membrum enim convulsus, ut & motus secundum voluntatem, musculus sui medio, quod ventrem vocant, contrahitur versus suum initium, quod caput musculi nominatur. Tendo etiam, in quem musculus definit, contrahitur, & ab hoc os, vel membrum, cui inseritur, contrahitur. Quia tamen in contractione illa partes ita distenduntur, ut rumpi quasi videantur, Latinis convulsionem & distentionem nominare placuit. Et quidem quod musculus tenditur, & ad principium suum trahitur, unaque cum hac pars, cui inseritur; id commune est sanis & convulsis, teste Galeno, 2. de sympt. caus. cap. 2. Sed quod invitis, & præter voluntatis imperium accidit, id p. n. affecto corpori inest, non sano; ut Galenus docet, 3. de loc. affect. cap. 6. Aliud verò vocabulum est σπασμους, quod propriè unitatem solutam in parte nervosa citra vulnerationem significat, seu partium nervosarum, vel fibrarum in musculis ex

distentione ruptionem. Nam quod in carne σπασμους dicitur, id in nervis appellatur σπασμους, ut ex Galeno; 3. meth. med. cap. 6. & m. m. cap. 1. & de constitutione artis, cap. 6. videre est. Et quidem manus vel pedes, ut & caput, frequentius convelluntur, quandoque etiam maxilla ita constringuntur, ut vix ulli vi diduci possint. Rariores aliquot convulsionum historias annotavit Marcellus Donatus, de histor. medic. mirabil. lib. 2. cap. 3. Refert enim, penem quibusdam morientibus, imò etiam jam mortuis rigidum & convulsus fuisse; (modò convulsio fuerit illa penis rigiditas) aliquando anum ita à convulsione constrictam, ut clysteris canalem non admitteret; deprehensum etiam, manus mortuorum tam constrictas fuisse, & quandoque tractantium manus ita firmiter constringisse, ut difficulter divelli potuerint; cuiusdà etiam capite truncati cadaver, dum in pheretra ad sepulchrum portaretur, repente ad eò concussus fuisse, ut oculi tabulæ invicem disjungerentur, ac penè ex gestantium humeris decideret, quod adjectum sagittæ, dum funus progredere, duravit.

Est videlicet Spasmus seu Convulsio ^{Spasmus} symptoma depravatae facultatis ^{quid:} animalis, liberè moventis; involuntaria scilicet, & ανσείως facta membri versus musculi sui principium contractio, quæ plerumque non sine dolore fit. Quod tamen de ipso actu motus & contractionis intelligendum. Posteaquam verò contractio jam facta est, membrumq; rigidum est, ablatu potius motus est. Si quidem neque ipsi

ægri membrum contractum liberè movere possunt, & sæpe ita rigidum à Convulsione fit, ut neq; ab astantibus extendi possit. Et ubi motus tonicus est, membrum rigidum manet, ut flecti nullo modo possit.

Affectus est in musculo, qui proprium voluntarii motus instrumentum est, & quidem secundum se totus contrahitur; præcipuè verò secundum fibrosam partem: unde Galenus convulsionem, nunc musculorum, nunc nervorum *πάθ* esse scribit. Contrahitur verò pars fibrosa versus originem suam. Origo autem nervorum est cerebrum & spinalis medulla; musculi, vel fibrarum hujus, ipse capus; tendinis, finis musculi; sicut ligamenti origo vel principium est os, cartilago, aut durior membrana.

Convulsio
& distensio non differunt.

Sunt quidem nonnulli, qui inter Convulsionem & distensionem distinguunt, ac Galenum reprehendunt, quod ista confuderit. Verùm illa ipsa Distensio, quæ in tetano apparet, etiã est contractio. Quanquam enim membrum tetano laborans rigidum, rectum, & extensum manet; tamen id fit, quia ex utraque parte fit æqualis contractio, & musculi anteriore & posteriore parte æqualiter contrahuntur, ut neutra pars vincat; unde membrum rigidum manet.

Convulsio
& motus convulsivus differunt.

Monendum tamen hæc, distinguendum esse inter spasmum seu convulsionem, & motum convulsivum, seu *σπασμώδεα πάθ*. Spasmus enim, seu Convulsio proprie dicta est musculi versus suum principium contractio, ex

qua membrum rigidum manet, sicut in tetano, *σπασμώδεα*, ritu Sardonio, & aliis veris convulsionibus apparet. Motus verò *σπασμώδης* seu convulsivus est etiam musculi versus suum principium retractio; verùm non in una situs differentia continetur, sed cum quadam concussione, ut in epilepsia, febribus malignis, vulneribus capitis sæpe videte est. In hoc enim differt spasmus seu convulsio à motu convulsivo, quod, ut dictum, in convulsione membrum ex contractione rigidum manet; in convulsivo verò motu membrum agitur, vibratur, & variè concutitur.

Deinde in vera convulsione sensus omnes, cum interni, tum externi integri sunt: in motibus verò convulsivis læpæluduntur.

Ad motus hosce convulsivos referendus, veliis cognatus est ille, qui nonnullis sub primum somnum accidit, quo totum corpus ita concutitur, ut lectum totum concutiat, & homo inde excitetur. Qui procul dubio accidit à vaporibus quibusdam acerbis à ventre inferiore ascendentibus, & principium nervorum vellicantibus, sed qui statim evanescent.

Cardanus verò, in *Comment. aphor. 37.* seu, *secundum eius distinctionem, 39. sect. 6.* etiam hanc differentiam agnoscit & admittit, verum nominibus aliis exprimit, & quem nos Convulsivum motum appellari diximus, quiq; cum manifesta agitatione & concussione fit, Convulsionem solum appellandum censet; Distensionem autem,

quæ sit motu occulto, cujus species
 ἐμπεροσόντων, ἐπιόσόντων, & π-
 ταν. Verum præter communem
 loquendi usum hæc statuit, & præter
 necessitatem vulgatas appellationes
 mutat; cum synonyma sint spasmus,
 convulsio, & distésio, ut dictum. Con-
 cussionses verò illæ & agitationes ma-
 nifestæ, quas solum convulsiones ap-
 pellendas censet, *σπασμῶδες πάθη*,
 seu convulsivi motus, non convulsio-
 nes propriè à Medicis dicuntur.

Spasmus &
 Paralysis
 interdum
 junguntur

Notandum & hoc, Spasmm equi-
 dem opponi paralyti, quod in paralyti
 est movendi impotentia, etsi mem-
 brum flexile sit, in spasmò verò & mo-
 tibus convulsivis motus depravatus:
 interdum tamen junguntur ita, ut per
 vices & alternatim affligant, ita ut pars
 modò convellatur, modò resolvarur.
 Cujus rei exemplum est apud Hippo-
 cratem & Galenum, 3. *Prorrhet.* 1. 26.
 quale etiam vidit Petrus Salius Diver-
 sus, ut in *notis in Altimarum*, cap. 13.
 refert, quod tamen raro accidit.

Definitio.

Convulsi-
 onis causa
 proxima

Sed, ut definitio perfecta constitui-
 possit, de proxima causa convulsio-
 nis inquirendum, ad quam omnes abæ,
 quæ satis multæ sunt, redigi possint.
 Etsi autem ea sit tendinum & fibrarum
 in musculis contractio seu longitudo
 imminuta, ob quam eandem situs dif-
 ferentiam musculum & totum mem-
 brum, cui inferitur, secum trahit: ta-
 men cum idem etiam in motu volun-
 tario accidat; Convulsio verò con-
 tractio præter voluntatem sit: quænam

caussa sit, ut præter voluntatè tendi-
 nes & fibræ musculorum partes ita
 ad originem suam contrahantur, gra-
 vissima & intricatissima controver-
 sia est.

Vulgata equidem doctrina est ex
 Hippocrate, 6. *Aphor.* 39. Spasmm
 ex inanitione vel repletione fieri. Et
 utuntur plerique cum Galeno simili-
 tudine petita à chordis ex intestinis a-
 nimalium exsiccatis paratis, ut & co-
 riis ac pellibus. Utenim hæc, ubi So-
 li vel igni exponuntur, humore ab-
 sumpto corrugantur & breviora fiunt;
 pariter etiam ubi humorem aliquem
 imbiberunt, latitudine & crassitie au-
 cta, longitudo imminuitur, & breviora
 redduntur; ita etiam putant, in ner-
 vis, ac nervosis musculorum tendini-
 bus ac fibris idem accidere, eosque à
 causis nimium siccantibus & hume-
 ctantibus breviores reddi.

Recentiores plerique tertium genus
 causæ addunt; quod tamen etiam Ga-
 lenus, 5. *Aphor.* 1. observavit, vellica-
 tionem, videlicet nervosi generis ex re-
 molesta.

Verum etsi calumniis facilè obno-
 xium sit, si quis à sententia in omnium
 libris ferè vulgata secessionem faciat:
 tamen ubi de veritate agitur, nomi-
 quis, vel quot aliquid dixerint, vide-
 dum, sed quam bene quid dicatur,
 perpendendum. Idque & hîc faci-
 endum puto. Quibus autem & quan-
 tatis difficultatibus priora duo causa-
 rum genera involuta sint, in Institutio-
 nibus, lib. 2. part. 3. *sect.* 2. cap. 5. dictum
 & infra, *quest.* 1. dicetur. Et quamvis

nom

Nonnulli anxie laborarint, ut causas omnes remotiores ad hæc duo genera referrent: tamen id, quod conati sunt, non præstiterunt; adeo ut doctissimi atque ingeniosissimi Medici de vera causa invenienda ferè desperasse videntur. Inter quos est acutissimus A-verrois, qui, 3. collectan. scribit: *Vtiam scirem, cur distendantur in latum nervi, & non in longum.* Et mox: *Scias, Medicorum verba in hoc symptomate universè propiora esse verbis Musicorum, seu fabellas canentium, quàm demonstratorum.*

Verùm ne actum agamus, ea, quæ in Institutionibus, loco allegat. prolixè hæc de re diximus, hic non reperemus, nec ea, quæ postea, *quæst. 1.* dicentur, sed saltem sententiam nostram, quam vero magis consentaneã, quantum quidem in hac rei obscuritate licet, esse putamus, summarim proponemus. Et propterea breviter hic statuimus, causam proximam Spasmi esse facultatis expultricis partium nervosarum à re molestante irritationem, quæ animale facultatem sibi in eodem subiecto junctam in consensum trahit, atque ad motum incitat; seu materiam fibrosas & nervosas partes in musculis irritantem. Reliquia quæ ad hanc rem pertinent, infra, *quæst. 1.* proponentur.

Unde de finimus spasmus, quod sit musculorum depravatus motus, seu versus principium contractio præter voluntatè, à facultatis expultricis partium nervosarum à re molesta irritatione, quæ animale sibi junctam in consensum trahit, & ad hunc motum incitat, orta.

Causa & Subiectum.

Sed ut hæc clariora fiant, de subiecto & causis quædã addenda. Subiectum quidem proprium & proximum convulsionis musculum esse statuimus. Cum enim musculus proprium & adæquatum motus voluntarii, qui secundum naturam fit, instrumentum sit: etiam motus illius depravati seu convulsionis causa erit; & musculo contracto ossa, & quicquid in parte mobile est, simul contrahuntur. Veruntamen nervis solùm, & fibrosis nervorum partibus mediantibus, ut etiam supra dictum, musculi convelluntur. Etsi enim musculi ipsi per se sæpe vulnerentur, contundantur, & tumorem aut alium morbum patiantur: non tamen convelluntur, nisi nervos malum peculiariter attingat.

Variarum autem corporis partium musculos convulsio occupat. Interdum enim totum corpus, caput scilicet, & omnia sub capite membra convulsione corripiuntur: interdum caput saltem est, & omnes sub capite partes convulsionem patiuntur: interdum unius lateris membra omnia: interdum una saltem pars, oculus, lingua, cervix, brachia, manus, crus, pes, digitus.

Causam proximam diximus esse facultatis partium nervosarum irritationem, quæ animale in musculis in consensum trahit, & ad motum incitat, seu si alicui *ἀνεξιβολογέην* libeat, materiam nervosas & membranosas in musculis partes irritantem. Nam, ut in Instit. etiam dictum, aliter sese res habet in expulsione in parte, quæ potentiam

tentiam habet ad voluntatis imperiū sese movendi, aliter in ea, quæ ea destituitur. Convulsio ad prius genus pertinet, sicut & sternuatio ac tussis; in quibus omnibus, quia facultas expultrix naturalis facultatem animalem in consensum trahit, motus quidam sensibilis excitatur, atque ita utraque facultas ad convulsionem cōcurrit. Neq; sola facultas animalis hujus motus causa est, utpote quæ sibi relicta nullum motum, nisi ad voluntatis imperium, aggreditur. Sed hic ad motum hunc primò facultas naturalis concurrat. Cum enim causa, quæ cōvulsionē parit, in musculo resideat, seu humor seu vapor, primò inde afficitur & irritatur facultas naturalis, quæ sibi cōiunctam facultatem movendi in consensum trahit. Quæ etsi aliàs salva sit, atque imaginatio non depravata, ob irritationis tamē vehementiam, & totius animalis salutem, ac illam, quæ est in toto corpore, sympathiam partium & actionum obsequi cogitur, & hunc motum coacta seu permittit seu imperat, quem non irritata non imperasset, seu permisisset; aut certè facultas animalis à naturali in consensum tracta & irritata spiritus animales coacta ad membrum affectum mittit, forsitan non ita concurrente imaginatione. Neq; enim adeo credibile esse videtur, cum tam vehemens cōtractio in convulsione fiat, ut etiam membrum extendi non possit, eam contractionem ab imaginatione, ac loco motivam dirigente facultate imperari; sed potest fortasse per spiritus animales ad membrum affectum affluentes etiam invita

A qua causa musculi in convulsione contrahantur.

imaginatione motus ille, cujus modum ignoramus, fieri. Neque tamen sine concursu facultatis animalis motum istum fieri posse, manifestum est. Estq; irrefutabilis demonstratio hæc, quod convulsio est contractio: contractio musculorum actio propria: musculi instrumentum non facultatis naturalis, sed motricis: motus musculorum nunquam fit citra facultatis animalis operam, quæ appetitum & rationalem, & sensitivum complectitur, aut certè non sine spirituum animalium ope.

Neque refert, quod hi motus contra voluntatem fiunt, & quod partem cōvulsam etiam volentes extendere non possunt ægri. Etenim vel ab appetitu irrationali fiunt, vel animà quasi perturbata, ut ex Aristotele, *lib. 3. de anima, cap. 2.* & Galeno, *2. de motu musculorum, cap. 6.* in Institut. diximus; ubi monstratum fuit, motus voluntarios non esse planè ejusdem generis.

Si porrò quærat, qui fiat, quodd nūc saltem versus unam partem contractio fiat, parsque ita contracta immobilis maneat, quæ propriè est Spasm⁹. Convulsio seu Distensio: nunc verò in hæc vel illam partē varia fiat agitatio, quæ motus Convulsivus propriè nominatur: etsi Cardano cōtrà convulsionem appellare placuerit; differentia causa in hisce cōsistere videtur, quod in vera convulsione seu vapor seu humor nervos vellicans penitus se in verborum substantiam insinuavit, iisq; adhæret, & quasi infixus est: in Convulsivo verò motu materia non adhæret nervis pertinaciùs, sed facilè iterum à natura

excititur; quæ tamen cum iterum nervos petit, convulsivus motus continuatur, & tam diu durat, donec materia vellicans tota discussa est. Unde procul dubio materia, quæ convulsivum motum excitat, vaporosa, serosa vel biliosa, ac omnino tenuis est; quia facile discutitur, & sæpe hinc inde vagatur. In Spasmo autem & convulsione vera materia est crassior & tenacior, ac propterea pertinacius nervis adhæret. Præterea in convulsivis motibus materia nervos extra musculos positos potius afficit, & sic muscoli mediatur, & per consensum patiuntur, dum id, quod molestum est, nervis motu suo excutere tentant. In convulsione autem ipsæ nervosæ fibræ in musculis certæ afficiuntur immediate. Quibus accedit & hoc, quod in vera convulsione unus musculus saltem, vel plures ejusdem generis, seu extendentes seu contrahentes afficiuntur: in motu verò convulsivo etiam contrarii aut certè nervi extra musculos eò loci, ubi versus oppositos, & contrariorum motuum musculos æqualiter ramos mittunt. Ita enim cum musculis in corpore humano comparatum est, quòd omnes, si paucos excipias, sphincteres vesicæ & ani, ut & cremasteres, contrarios musculos habent, quorum si hic contrahit, ille extendit; si hic elevat, ille deprimit. & ita de cæteris motus differentiis: etsi numero contrarii semper non sunt pares, sicut caput flexentes duo sunt, extendentes duodecim. Itaque in convulsione seu spasmo in uno saltem musculorum con-

trariorum genere causa mali hæret; unde etiam membrum versus musculi illius principum contrahitur, & ita rigidum manet. In convulsivis verò motibus materia vellicans nervos, qui ad utrumque contrariorum musculorum genus tendunt, infestat; unde pars nunc contrahitur, nunc extenditur, & omnino variò motu agitur, prout materia nunc hunc, nunc illum musculus vellicat. Hinc etiam in spasmo, utpote in quo causa saltem circa partem affectam, & in loco privato hæret, cerebrum & sensus integri sunt: in convulsivis verò motibus cerebrum sæpe simul afficitur; unde etiam sensus ferè simul læduntur. Et convulsivi motus ferè accidunt per partium aliarum consensum, materia ab utero, ventriculo, vel alia parte cerebro per nervos communicata: quæ cum à cerebro rursus excutitur, & in nervos expellitur, nunc hanc, nunc illam partem vellicat, atque inde variotum membrorum concussio & agitatio excitatur. Et quidem si materia hæc ad principium medullæ spinalis mittitur, & æqualiter totam occupat, tunc æqualiter universum corpus convellitur, & tam dextræ, quàm sinistræ corporis partis membra concutuntur. Malumque hoc omnium gravissimum est, præcipuè si aliquid materix adhuc in cerebro hæreat, unde & partes capitis convelluntur, & sensus afficiuntur. Si autem dextram saltem, vel sinistram corporis partem petat, motus convulsivus tantum in dextra vel sinistra parte accidit.

Si verò

Si verò nō ad principium spinalis medullæ, sed ad nervum privato alicui membro inservientem materia mittitur, motus etiam convulsivus fit saltē in privato illo membro, & nunc brachium, nunc crus, nunc manus concutitur. Et si magna materiæ efficacia vel copia sit, membro è directo posito per communes nervos comunicatur. Aliquando etiam, ubi causa mali in privato aliquo membro generatur, cum ea agitari incipit, primùm illa pars motu convulsivo corripitur, postea tamen materia per nervos cerebro communicatur, & hinc ad principium spinalis medullæ protruditur; unde universum corpus motu convulsivo prehenditur, aut certè latus è directo loci affecti situm.

Spasmus flatulentus Non etiam hæc prætereundum, quomodo spasmus flatulentus generetur, qui Græcis *σπασμὸς φουδῶδης*, de *Krampp* appellatur, Italis etiã *Crampa* vel *Cramfus* nominatur, qui cum maximo dolore, in cruribus præcipuè, & imprimis in suris, accidit, si inter dormiendum pedibus non contactis quis decumbat. Quod malum cacochymicos, flatulentos, & poculis ac crapulæ deditos infestat, partesq; cum dolore summo affligit, sed plerumque brevi temporis spatio durat. Durat tamen interdū, ut Joan. Baptista Montan9, in *9. Rhafis*, refert, per horas quatuor, ut Medicos advocare opus sit, & plerumque ad verum spasmum via est.

Quomodo autem generetur, pluribus in Institutione dictum est, quæ hic repetere non licet. Verò consentaneum est, spasmū hunc flatulentum à flatu vel humore aliquo tenui ac seroso

in musculo aliquo collecto, ejusque fibras vellicante, fieri.

Causas antecedentes, procatarticas & evidentes Spasmi quod attinet, primò à sanguine ac plethora spasmū fieri vulgo docent, & quidem ex plenitudine; ejusq; rei exemplum inflammationes afferunt. Verum enim verò multi dantur plethorici, qui Spasmū non patiuntur; sicut nec inflammationibus omnibus Spasmus conjungitur. Et si Spasmus tum accidat, fit hoc ubi sanguis corrumpitur & putrescit, acrimoniam acquirit, nervosque vellicat; ut etiam ex Galeno, *6. method. meden. cap. 2.* & alibi videre est.

Pituita deinde convulsionis causa statuitur, & plerique eam replendo nervos convulsionem excitare statuunt. Verùm de modo planè inter se dissentiunt, neque adhuc sufficienter causam reddiderunt, cur ob pituitam paralyticis membra potius resolvantur, quàm convellantur, ut postea, in *questione* dicetur. Probabile ergo & hic est, pituitam corruptam acrimonia sua potius nervos vellicare, quàm replere. Et dantur multi morbi pituitosi, quibus convulsio non conjungitur. Atque exempla, quæ Forestus & alii afferunt, quibus monstrare volunt, à pituita nervos repleate Spasmm excitatum fuisse, id non satis demonstrant, nec plus probant, quàm cacochymia pituitosam in talibus corporibus fuisse. Quomodo verò convulsio à pituita illa producta fuerit, non satis probant.

De bile Medici, qui vulgarem sententiam sequuntur, in hoc quidem cōsenti-

fentiunt, quod convulsionem inducere possit: sed de modo dissentiunt. Et si enim quidam statuunt, bilem esse tenuem, & in nervi substantiam facile penetrare, ac in eam sese insinuare posse: tamen plerique agnoscunt, bilem vellendo potius id præstare, quam replendo.

Humorem melancholicum, non, nisi rarissimè, aut fortè nunquã, spasmus producere posse quidam statuunt, ea de causa, quia crassior sit, quam quod possit in nervum, qui durus est, sese insinuare. Verùm ex præsupposita opinione hæc dicuntur. Si ergo melancholia spasmus parit, vellendo id præstat.

Causa pro-cataractica. Quæcunque ergo causæ humores, qui nervos & fibras musculorum vellicare possunt, generant, convulsionis causa esse possunt; ut ebrietas, crapula & repletio, consuetæ evacuationes suppressæ, balnea & exercitia in corpore plethorico vel cacochymico, aër frigidus ac humidus, & similes.

Quia tamen tales humores in multis abundant, & causæ tales multis obtinunt, qui tamen convulsionem non pariuntur: proculdubio occultam aliquam dispositionem nervis inimicam humor acquirat necesse est, antequam convulsionem pariat, similem illi, quæ epilepsiam generare solet.

Causæ evidentes. Causas reliquas evidentes ferè omnes nervos exsiccando convulsionem inducere statuunt; sed parùm rectè, ut postea etiam, *quæstione 1.* dicitur.

Primo enim inter causas illas re-
L. 1.

ferunt febrem ardentem & phrenitidem, quæ cerebri membrana ac nervos omnes exsiccent. Verùm enim verò non omnibus febribus ardentibus, nec omni phrenitidi hoc accidit, & sæpe convulsionem in febribus malignis, satis, quantum ad calorem, mitibus, accidunt; contra in aliis febribus, ubi calor ardentissimus est, non contingunt convulsionem. Quod indicio est, non à calore siccante, sed à vapore aut humore maligno nervos vellicante convulsionem provenire. Quod & hoc arguit, quod convulsionem illæ non sunt perpetuæ, sed per intervalla sæpe recurrunt, quod fieri non posset, si à nimia exsiccatione provenirent.

Choleram quoque inter causas convulsionis referunt; nec malè, ipsa experientia teste: eam tamen tum ab humore aliquo acri & maligno provenire, cum alios nervos, tum officium ventriculi vellicante, & ita alios nervos in consensum trahente, probabile est. Sicut etiam Galenus vomitum ex bile æruginosa inter causas convulsionis ad causas nervos vellicantes refert, testaturque, ad observentem quendam interdum vomitu bilem æruginosam rejecisse, & inter vomendum toto corpore convulsam fuisse, & simul ut evacuata est ærugo, protinus convulsionem cessasse, *5. aphor. 1. 12. method. medend. & 5. de loc. aff.*

Eadem ratio est ellebori & aliorum fortium purgantium medicamentorum. Et si enim quidam statuunt,
Bbbb tuunt.

ruunt, siccando, & nimia inanitione hæc spasmus producerè: tamen ipse Galenus, s. *aphor. I.* & plerique interpretes ejus agnoscunt, non tam ab inanitione & exiccatione, quàm à vellicatione nervorum convulsionem provenire. Et omnino rationi consentaneum est, potius à re molesta nervos vellicante, sive sit ipsum medicamentum, sive humores vitiosi à medicamento agitati, quam inanitione, convulsionem tum fieri: cum sæpe tam brevi temporis spatio post sumptum tale medicamentum accidat, quod non probabile est, tantam interea inanitionem factam fuisse, è qua nervi exsiccati & corrugati quasi poterint. Et contra sæpe in dysenteria & alvi profluvio longo tempore fluxus durat, corpusque satis inanit, neque tamen ulla inde sequitur convulsio.

A frigore quoq; interdum accidunt convulsionem; refertque Forestus, *lib. 10. observ. 13. in Schol. & lib. 10. observ. 104. in Schol. Fridericum*, Comitem de Alta flamma, ex largiore aquæ frigidæ potu in Convulsionem incidisse. Verùm frigus nec siccando nec replendo id præstare potest, sed potius quia vel nervis inimicum est, vel crudos ac vitiosos humores in corpore retinet, febremque auget.

Eodem modo in vulneribus capitis interdum neque ex repletionem, neque ex inanitionem Convulsionem accidunt, sed quia à sanie collecta membranæ cerebri & nervi vellicantur.

Ita in punctura nervorum convulsio fit, quam alii ad plenitudinem, alii ad inanitionem referunt, sed neutri, ut manifestum est, rectè: sed fit ea potius propter dolorem ac condolentiam ac consensum, & propterea etiam nervo discisso sanatur.

Et omnino tales causæ, ut frigus & doloris immoderatus appulsus, nervorum & nervosarum partium vulnera & puncturæ, compressiones, inflammationes, luxationes, ciborum corruptiones, animalium venenatorum ictus & morsus, subitus terror, ira, & similia, in quibus frustra se torquent nonnulli, ut ea ad repletionem & inanitionem referant, rectissime ad vellicationem nervorum referuntur, quæ res tales vel ipsæ præstant, vel humores in corpore commovent, qui id efficiant.

Differentia.

Differentia à loco affecto.

Præcipuæ differentia sumuntur à loco affecto, qui est nunc totum corpus, nunc pars una vel plures. Et imprimis notabilis, & ab omnibus Medicis proposita est cervicis ac spinæ dorsæ, & hinc totius corporis, convulsio. Cujus tres sunt species: Prima est ἐμπροσθεν ὀπίσθεν, quando non solum cervix, sed & reliquum corpus in anteriora convellitur, & mentum pectori penè admovetur, ut æger corpus erigere non valeat: sitque musculis, qui corpus in anteriora flectunt, affectis, & ad principium suum reductis.

Altera est ὀπίσθεν ὀπίσθεν, quando cervix & spina versus posteriora flectitur, quod

quod fit affectis musculis, qui corpus posteriora versus flectunt. Tertia *τέτασις*, in qua cervix & reliquum corpus rigidum ac in neutram partem flexile apparet. Etenim in isto affectu partes manifestè convulsæ non apparent, sed æqualiter & antè & retrò tensæ in æquilibrio permanent, quemadmodum in illo motu voluntario secundum naturam, qui *πυκνός* dicitur. Et corpus hoc modo affectum propriè rigidum dicitur. Celsus tamen, *lib. 4, cap. 3.* quamlibet istarum differentiarum rigorem appellat.

Deinde huc referenda & illa differentia, cujus supra mentionem fecimus, quòd convulsio in genere accepta alia est perpetua, nullis motibus ac concussionibus interrupta, qua membrum contractum manet, quæ propriè convulsio & Spasmus est, in qua cerebrum saluum est: alia, qua membrum variis motibus hinc inde agitur; quod fit, cum causa per corpus variè movetur, & plerumque accidit cerebro affecto, & convulsivus motus propriè dicitur. Istam tamen nominum distinctionem Medici accuratè non observant, sed passim etiam convulsivos illos motus convulsiones appellant. Spasimum autem propriè appellatum vulgo ex Arabibus proportionatum ad materiam; convulsivos verò motus Spasimum nõ proportionatum ad materiam, seu per alicujus partis consensum nominant. Et quidem hunc non proportionatum ad materiam idèò dicunt, quod non propter materiæ nervos implentis copiam, nec ob ejus inopiam, quam siccitas nervorum sequi-

tur, ortum habeat, sed quod proveniat ex appulsu rei parum, aut nihil proportionatæ ad materiam, nervoso generi inimicam, quæ ex parte aliqua, cujus causa tum hic morbus oritur, ad principium nervorum per partes nervosas transmissa, nervos vellicat, & ad expellendum id, quod molestum est, per hunc motum incitat. Seu, ut Capivacius explicat, appellatur non proportionatus ad materiam in qua, quæ est musculus; cum musculus à facultate animali liberè movente non moveatur, sed ab expultrice, quæ est facultas naturalis.

Signa Diagnostica.

Spasmus seu convulsio propriè dicta *Signa Diagnostica* facile cognoscitur, quod videlicet pars præter voluntatem versus nervorum musculique originem contrahitur, ac rigida manet, ut flecti ad voluntatis arbitrium non possit. In convulsivo verò motu eadem fit contractio, sed non semel, verùm sæpius, ac pars variè concutitur atque agitur. Præterea, ut dictum, sensus reliqui in convulsione vera integri sunt; in convulsivis verò motibus, plerumque simul læduntur.

Atque ista præter voluntatem contractio sola ad Spasimum & motum convulsivum indicandum sufficit atque unicum signum pathognomonicum est. Nam etsi & alia convulsis symptomata accidant; tamen non semper hoc evenit. Dolor quidem satis frequenter adest: non tamen semper, vel quia sensim fit contractio, vel quia

membrum ultra modum & naturalem terminum non contrahitur,

Ira interdum etiam febres conjunguntur, ægri modò calent, modò refrigerantur, modò palleſcunt, modò facies rubet & turget, ob inordinatum ſanguinis & humorum motum; nonnunquam urina eſt bona; nonnunquam magna urinae crudæ copia emittitur; aliquando urina retinetur, & alvus ſupprimitur. Verùm hæc pathognomica ſigna non ſunt.

Motus convulſivi à tremore differentia. Convulſivus equidem motus tremorem nonnihil quandoque refert; verum facile ab eo diſcimitur, quod in tremore ſemper concurrit voluntarius motus; Convulſio verò planè præter voluntatem accidit; tremor que ſolum fit in unam ſitus differentiam; cùm convulſivus motus varius eſſe poſſit.

Spasmi à Paralyſi differentia. A paralyſi quoque Spasmus facile diſcernitur; quia membrum convulſum non ſine difficultate, vel etiam dolore extendi poteſt: at membrum reſolutum ſine omni difficultate partis ſanæ, vel aſtantium opera extendi poteſt. Præterea in Spasmo nervi & tendines rigidi ad tactum percipiuntur; in paralyſi non item. Spasmus denique brevi temporis ſpatio vel ad ſalutem vel ad mortem terminatur, cùm paralyſis ſine vitæ periculo in multos annos durare poſſit.

Ubi autem cauſa mali hæreat, è partium convulſarum numero cognoſcitur. Etenim ſi cum toto corpore faciei quoque muſculi convellantur, & una ſenſus interni ac externi afficiantur, cerebrum ipſum affectum eſt:

ſi verò ſenſus omnes conſtent, neque faciei muſculi convellantur, verùm totum corpus afficiatur; ſpinalis medullæ principium laborat. Ubi verò pars aliqua ſaltem convellitur, nervi ac muſculi ejus membri motui infervientes afficiuntur, ſicut antea de Paralyſi dictum eſt. Quam ad rem muſculorum & nervorum ex Anatome cognitio neceſſaria eſt. Cujus verò partis conſenſu cerebrum afficiatur, ex ejus affectæ ſignis patet.

Recentent hic Authores plerique etiam ſigna, quibus cognoſcatur, an ex plenitudine vel inanitione convulſio fiat. Verùm cum ex hypotheſi iſta omnia dicantur, ut ea hic afferamus, opus eſſe non puto. Qui verò humor peccet, id ex ſuis ſignis hæc & alibi propoſitis cognoſcitur. Cauſæ evidentes etiam ex ægri vel aſtantium relatione cognoſcuntur.

Prognofica.

I. Quò motus in convulſione eſt *Prognofica.* vehementior & diuturnior, aut plures, vel cerebro vicinas partes occupat, aut nobiles, & quarum actiones valde neceſſariæ ſunt, lædit, reſpirationem difficilem & interruptam, thoracis vel ſepti muſculis convulſis, efficit, eo periculofior eſt. Tales enim convulſiones graviffima inferunt ſymptomata, maximos ac continuos dolores, virium proſtrationem, lipothymiam & ſincopen, vigiliæ, difficilem reſpirationem ac ſuffocationem, quæ omnia hominem jugulare poſſunt. Contra

Contrà vero, ubi partes à cerebro remotæ aut ignobiles convelluntur, minus periculi est.

2. Facilius curatur convulsio, si cerebri consensu fiat, quàm si primario affectu nervi laborent: nisi tamen affectus, quo cerebrum laborat, ipse pertinax sit; quod in inflammatione cerebri accidit. Neque enim ob vehementia symptomata, dolorem, vigiliæ, æger diu durare potest; affectus verò brevi tempore curari non potest.

3. Si toto corpore ab affectione immuni, aut labrum convellatur, aut palpebra, aut lingua, prævum symptoma putandum est, & quod magnos timores afferrat, etsi affectæ partes parvæ esse videantur. Paul. Ægineta, *de re Med. lib. 3. cap. 19.* Cerebrum enim ipsum tum affectum est.

4. A copioso sanguinis fluxu singultus aut convulsio, mala. 5. *Aphor. 3. Et.* A sanguinis profluvio desipientia, & convulsio, malum. 7. *Aphor. 9.* non tam ob inanitionem, quàm ex motu & insultu bilis ac humorum pravorum sanguine evacuato.

5. Ab ὑπερκαθάρσει convulsio aut singultus, malum, 5. *Aphor. 4. Et.* Convulsio ab elleboro lethalis. 5. *Aphor. 1. Et.* A medicamenti purgantis potione convulsio mortifera. 7. *Aphor. 25.* quod accidit, ut antea etiam dictum, non quòd eleborus & similia medicamenta nervos ita exsiccent & contrahant, sed quod qualitate maligna eosdem stimulent, & laceffant, aut humores, qui id præstant, agitent. Non tamen semper convulsionem à medicamèto pur-

gante fortiore lethalem esse, sæpe experientia docuit; atque ipse aliquor, qui post sumptam colocynthidem & mercurialia medicamenta convulsionem passi sunt, atque evaserunt, curavi.

6. Ab ileo vomitus, singultus, convulsio aut delirium, malum. 7. *Aphor. 10.* Nonnunquam enim singultus à materia, quæ præcluso per inferiora exitu sursum vomitione expellitur, concitatur, orificio ventriculi ab ascendente prava materia vel vaporibus irritato. Si verò ad cerebrum vapores terri efferantur, aut cerebrum orificio ventriculi consentiat, convulsio aut delirium oritur, prout vel mentis officina, vel nervi offenduntur.

7. Si muliebri profluvio convulsio aut animi defectus superveniat, malum. 5. *Aphor. 56.*

8. In acuti febribus convulsio, & circa viscera dolores vehementes, malum. 4. *Aphor. 76. Et.* Propter ardores vehementes convulsio aut tetanus, malum, 7. *Aphor. 67:* quia indicium, materiam sursum ad cerebrum ferri. *Et.* In febribus spiritus offendens malum est: convulsionem enim indicat. 4. *Aphor. 68.* ob musculos scilicet thoracis initium convulsionis jam sentientes. De Convulsionibus in febribus passim etiam alii aphorismi extant apud Hippocratem: In febre non intermittente, si labrum, palpebra, vel oculus, vel nasus, vel supercilium pervertatur, vel non videat, vel non audiat, jam debili existente corpore, quic-

quid horum eveniat, mors in propinquo est. 4. *Aphor.* 49.

9. Convulsiones, quæ perniciosas phrenitidas sequuntur, lethales sunt. Scribitq; Aetius, *tetrab.* 2. *serm.* 1. c. 131. se neminem ex iis, qui sic convulsi sunt, servatum vidisse, neque, qui vidisset, audivisse.

10. A vigiliis convulsio aut desipientia, malum. 7. *Aphor.* 18. non quod nervi calore vel vigiliis nimium exsiccati sint, sed quod humores vapores, vaporesque pravi per vigiliis geniti & agitati, cerebrum & nervosum genus laceffant.

11. Convulsio à vulnere perniciofa. 5. *Aphor.* 2. ob saniam nervos vellitantem, & inflammationem nervos corripientem: præcipuè si vulnus cerebri sit.

12. Febrem convulsioni supervenire melius est, quam feбри convulsio. nem. 2. *Aphor.* 37. Et, Spasmo aut tetano si febris accesserit, morbum solvit, 4. *Aphor.* 57. Febris enim ad convulsionem accedens humores, convulsionis causam, absumit; cum contra, si febris convulsio accidat, à materia maligna eam provenire, eamq; cerebrum petere, & partes nervosas occupare indicio sit.

13. Quartana correpti non admodum convulsionem patiuntur: si verò prius tentati sint, superveniente quartana liberantur. 5. *Aphor.* 70. Rigor enim in quartana humorem nervoso generi partim excutit; & calor rigorem subsequens eundem concoquit & absumit.

14. Quicumque tetano corripitur, in quatuor diebus pereunt: si hos effugiunt, sani sunt, 5. *Aphor.* 6. Natura enim tam gravem tensionis, quæ utrinque fit, laborem, ac hinc ortum dolorem diu ferre nequit, & propterea primo statim dierum criticorum circuitu morbus iste judicatur.

15. Quibus tandem hoc addimus, quod plerique, qui ex spasmo moriuntur, diu calidi manent; quia suffocati moriuntur, musculis respirationi dicatis convulsis.

Curatio.

Ut quisque de causis convulsionis sentit, ita ad eas curationem dirigit. Quæ enim ab humore frigido nervos replente creditur fieri convulsio, eam humorem crassum attenuantibus, viscidum detergentibus & evacuantibus, curandam censent, atque eodem medicamentorum genere, quæ in paralyxi sunt proposita. Quam verò ab inanitione fieri putant convulsionem, eam humectantibus, ut in hæctica, interdum refrigerantibus, dum scilicet malum est à febre ardente, interdum moderatè calefacientibus, cum scilicet immoderata evacuatio præcesserit, curandam putant.

Et quidem in Convulsione, quam ex repletionem vocant, curanda nihil peccatur. Humor enim ille, quocumque etiam modo nervos afficiat, tollendus. Verùm an humectantibus solis (quod lex methodi requirit, si malum est à siccitate) convulsio aliqua curata fuerit, historiarum & observationes Medi-

Medicorum consulantur. Forestus equidem, *lib. 10. observ. 108*; exempla convulsionis ab inanitione humectantibus curatæ proponit. Verùm si rem diligenter perpendamus, Contractura potius fuit, cujus capite præcedente mentionem fecimus, quàm vera convulsio. Idem, *observ. 110.* ubi convulsionis ex cholera exemplum habet, quam plerique ad inanitionem referunt, non humectantibus, sed calefaciente & siccante inunctione utitur. Et quamvis interdum humectantia & calefacientia adhibeantur: tamen potius ad nervos ex convulsione rigidos non nihil laxandos, & hoc modo ad dolorem leniendum, quàm ipsam causam tollendam adhibentur. Idem Forestus, *lib. 7. observ. 17.* in convulsione post febrem continuam, quæ vulgò inanitioni & siccitati ascribitur, inunctionem ex oleo irino & terebinth: adhibet; extra verò radicem pœoniæ de collo suspendit, & stœchadem medicamentis internis admiscet.

Itaq; cum generalem causam convulsionis unam posuerimus, atque ab eadem causâ Spasmos illos particulares provenire docuerimus, à quibus universalis convulsio & epilepsia generantur: ea quoque medicamenta Spasmo convenient, quæ in epilepsia postea proponuntur. Ac propterea materia illa prava expultricem in nervis stimulans evacuada & tollenda, & qualitas ejus vitiosa corrigenda, causæq; omnes, à quibus hoc malum extitit, aut fovetur, tollendæ, & omnino præcauendum, ne ex particulari convulsio-

ne universalis, & epilepsia generetur. Pleraque tamen medicamenta, quæ adhibentur ad paralyfin curandam, rectè quoque adhibentur in convulsione; cum nervoso generi amica sint, & causam Spasmi discutiendi vim habeant.

Ideoq; universales, si opus sit, evacuationes, ut & revulsiones, maximè per clysteres fortiores, instituantur, postea topica, quæ in paralyfi proposita, etiam hic adhibeantur. Ad curationem tamen rectè instituendam imprimis perpendendum, an convulsio fiat per se, an verò per consensum. Et enim si per se, & primarium partis affectum fiat, simul quidem ad totum corpus, quod plethora vel cacochymia laborans causam in parte affecta fovet: vel augere potest, principaliter tamen ad partem affectam curatio dirigenda. Si verò per consensum fiat, partis illius, cujus consensu malum excitatur, habenda ratio, ut postea dicetur.

Primò ergò in convulsione per primarium membri affectum videndum, an sanguis abundet; isq; pro abundantia & virium ratione copiosius vel parcius educendus. Hippocrates etiam, & Galenus, 4. *de victus rat. in acut. t. 28.* cum ob spirituum interceptionem, & venarum *σπλήψεις* convulsio excitatur, venam aperit, sed adhibitis prius fomentis & frictionibus, ut fluxus sanguinis adjuvetur.

Si verò ætas & vires venæ sectionem non admittant, cucurbitulis uten-
Cucurbitularum cū scarificatione applicatio.
 dum est cum scarificatione, primò quidem longiùs à parte affectâ, deinde,

corpore bene expurgato, etiam in parte convulsâ, in qua materia fixa est.

Applicantur dorso & cruribus, si sanguis in toto abundet: si in parte, pro vario ejus situ etiam locus cucurbitulis quaerendum est. Paulus Aegineta, *lib. 3. cap. 19. & 20.* si crura sint convulsa, applicat coxis & postremis spinæ vertebri; sin manus, primæ dorfi vel thoracis; si librum tantum, aut palpebra, aut lingua, occipiti & primis cervicis vertebri; in tetano cervici apponit, & utrinque ad spinam, & pectori, quo musculus magis munitum est, & præcordus, & ad vesicæ ac renum locum. Diligenter tamen cavendum, ne tendinibus musculorum cucurbitulæ affigantur.

Purgatio

Hinc ante topicorum usum ad totius corporis evacuationem accedendum, & pro materiæ ratione præparatio ac purgatio instituenda, ut, *capite precedente*, dictum, & postea etiam de epilepsia dicitur. Si tamen fortis sit convulsio, & partis nobilioris, sive rotius corporis, ad purgationem festinandum est, materia etiam nondum præparata: semperq; *castoreum* purgantibus admisceatur.

*Revolusio
per clysteres,
& frictions.*

Simul fiant Revolusiones omnis generis, maximè per clysteres, fortiores etiam, quàm in paralyti: adhibeantur quoque frictions cervicis, spinæ, spatularum, manibus oleo lilior, albor. lambricor. terræ st. vel castor intinctis, idq; sæpius in die; præsertim ubi dolor urget: & dum frictions intermittantur, spina & convulsæ partes à frigore custodiantur, vel, ex Celsi con-

silio, malagma aliquod ex calefacientibus imponatur. Membrum quoq; convulsum ad naturalem figuram sensim reducatur.

His peractis veniendum est ad Topica materiam solventia & discutientia; ut sunt olea, linimenta, unguenta, fortis, sacculi, infusus, balnea naturalia & artificialia.

*Topicorum
usus.*

Et quidem cum materia crassior esse videtur, aut cum calor adest, vel corpus valde siccatum est, ne siccanimum & calefacientium usu nimio materia induretur, & ut dolores illi, qui ex violenta membrorum contractione oriuntur, leniantur, medamenta simul anodyna sint. Hinc Avicennas laudat renes pingues arietis, hædi aut vituli, quos in parte affecta detinere jubet, donec exsiccentur. Postea membrum convulsum involvit lana, quæ perfusione olei semper madida servatur. Idem quoque balneum ex oleo communi & lacte parat. Ac inservit huic scopo etiam malva, borrago, althæa, scœnum græc. ol. amygdal. dulc. adeps gallinæ & vituli; quæ aliis, quæ spatio propriè conveniunt, admisceantur.

Sunt autem illa, *ol. vulpin de castoreo*, & quod ex *catello pinguis* paratur, ut & *pinguedo anserum sylvestrium*, cujus præparationem, sicut & pinguedinis vulpinæ, peculiarem docet Lohlerius, *cap. de Convulsione*. Utile est & *oleum Philosphorum*, *juniperi*, *laurin. rutæ. cerebinth. petrolum*, *Balsamum sulphuru. gummi hederæ. Ammoniac. galbanum*, & *oleum seu balsamum galvani*, in-

lusti-

Institutionibus, *lib. 5. part. 3. sect. 3. c. 33.*
descriptum.

Vel ℞. *Ol. terebinth.*

lumbri. terr. an. Unc. j.ß.

pingued. human. Unc. j.

canis Unc. ß.

Misce.

℞. *Vnguenti dialthææ Unc. vj.*

ol. terebinth.

chamemel. an. Unc. j.

lavendul. Drach. iij.

taryophyll.

cinamomi,

ligni aloes, an. Drach. j.ß.

styrac. liquid.

calam. an. Drach. ij.

F. Unguentum.

Vel ℞. *Ol. aneth.*

chamemel. an. Unc. j.

unguent. Martiat. Unc. ß.

ol. petre,

spica, an. Drach. j.

spirit. vini Drach. iij.

Misce.

Vel ℞. *Ol. laurin. Drach. ij.*

spica,

vulpin.

lumbri. an. Drach. j.ß.

destill. succini,

galban an. gutt. vj.

ruta,

anethin. an. gutt. liij.

nuc. mosch. expr. Drach. j.ß.

Misce.

Vel paretur hoc Oleum, quod in
Spasmo in vulneribus utile est:

℞. *Ol. rosac.*

chamemel.

lilic. alb. an. ß. ß.

matrisylv.

L. I.

betonic.

rosar. an. Unc. j.

æsyphi humidi Unc. iij.

vini nigri ß. j.

Coquantur in vase duplici ad vini
consumptionem, atque expriman-
tur.

Commendatur & hoc: ℞. *Musle-
lam in frustra dissectam*, imponatur in
anserem pinguem, additis herbis & a-
romatibus convenientibus, *pyrethro,*
salvia, lavendula, sinapi, castoreo, & si-
milibus, anserq; ad ignem lentum asse-
tur, & pinguedo usui servetur.

Inunctæ partes pellibus involvan-
tur, vulpium, catorum sylvestrium, aut
vesica apponatur oleo calefacto semi-
plena.

Ægineta in tetano diuturno in so-
lium olei calentis ægrum descendere
jubet bis quotidie, non diu tamen in
ipso moram trahere, ne vires exsol-
vantur.

Possunt etiam balnea fieri ex herbis
convenientibus, addita olei parte ter-
tia, vel inunctis mox à balneo partibus
convulsis.

Nonnulli utuntur sequenti decocto
carnis vulpinæ pro Balneo, quod simul
anodynum est:

℞. *Carnis vulpin. ab osibus separa-
ta ß. ij.*

sal. commun. M. ij.

Coqu. ad perfectionem.

In decocto colato ebulliat

summit. anethi. M. j.

In quo decocto calefacto ponantur
manus vel pedes per 2. vel. 3. horas, tri-
bus vel pluribus diebus.

Potest & tale Fomentum parari:

C c c c

℞, Agri-

℞. Agrimon.
betonic. an. M. jβ.
salvia,
chamad.
chamæpit. an. M. j.
origani,
calaminth.
pulegii,
serpilli,
hyperici.
stœchad. utriusq., an. M. β.
anechi,
meliloti,
chamæmeli, an. M. β.

Misce,

& in aqua communi decoq. & decocto pars affecta fricetur.

Alii hoc Emplastrum commendant:

℞. Colophon. Unc. ij.
picis naval.
resina, an. Unc. j.
thuris,
massich.
seruß. an. Unc. β.
sangu. dracan.
nitri,
sal. Ammoniac.
terebinth, an. Drach. ij.
cera nova. Unc. ij.
Vitri. albi Drach. ij.
matr. perlar. Unc. ij.
lap. magnet. Unc. β.
succini flavi Drach. jβ.
ol. ovor.

rosar. an. Drach. ij.

F. f. a. Emplastrum, quod alutæ inductum imponatur

Utilis est & aqua Antispasmodica, qua locus affectus fricandus.

℞. Fol. lauri,
rorismar. an. M. jβ.
flor. rosar. rubr. M. ij.
serpill. M. β.
flor. lavend. Unc. iij.
rad. ireos. Unc. iij.
cinamomi. Unc. j.
macis. Drach. j.
Contus. & concis. macerentur in
aq. fl. tilie Mens. jβ.
salvia Mens. β.

hinc destill. in MB. Liquor destillatus fervetur.

Efficacissima verò sunt balnea sulphurea. Conveniunt & Balnea sicca seu vaporosa è decocto salviæ, roris-^{Balnea sicca.}marin. stœchad. chamæpit. origan. iuniperi, & similium, lapidibus ignitis, aut scortis ferri ignitis infuso.

In usu tamen horum medicamentorum omnium, quod antea etiam monui, observandum, ne subito siccantur partes, ne tendinibus induratis malum gravissimum agro concilietur, & membra contracta manent. Ideoq; à mitioribus inchoandum, ut ol. chamæmeli, pinguedine anseris, medulla crurum bovis, oleo vulpino, lumbricorum; hinc ad fortiora ascendendum.

Intra corpus sumptum castoreum cum mulla, aut alia aqua conveniente valde efficax est. ^{Medicamentorum internorum.}

Imprimis verò essentia castorei cum spiritu vini extracta, gutt. v. vel vij. dosi in aqua salviæ propinata, simulque extrà loco affecto illita, valde utilis est.

Vel ℞. Elect. diacori Unc. jβ.

conserv. fl. salvia,

betonic. an. Unc. j.

rad.

rad. pyreth. cond. Drach. iiii.

theriac. el, Drach. i.

Mithridat.

spec. diacastor. an. Drach. β.

extr. radic. cardopat. Scrup. j.

Cum sirup. de stochade

F. Electuarium,

de quo manè & vesperi capiatur
quantitas nucis moschatæ.

Aliud:

℞. Conserv. pæon.

roris mar. an. Unc. β.

majoran.

betonica, an. Unc. β.

primul. veris Drach. iij.

bugloss, Drach. ij.

puly. sem. cardui ben.

fenicul. an. Drach. j.

rad. pæon. Scrup. iij.

nuc. mosch. cond. Drach. iij. β.

cort. citri condit.

zingib. cond. an. Drach. vi.

galanga cond.

calam. arom an. Drach. j. β.

cinamom. acut Drach. β.

Incisis incidend. misc.

Cum sirup. pæonie.

F. Electuarium.

Utilis est Aqua hirundinum com-
posita, sicut & in epilepsia, quæ hoc
modo paratur:

℞. Pullos hirundinum domestico-
rum è nidis extractos num. Lx. purgen-
tur, (quod fit demendo tantum extre-
mitates pennarum grandiorum, capi-
tibus pennarum, vel radicibus in cor-
pore relictis non evulsis) & lotis vino
(alii integras comburunt in olla nova)

affunde vini Malvatici lb, iij
vel q. f.

adde semin sesel.

carduibened. an. Unc. β.

calami aromar.

cyperi longi, an Drach. ij.

fol. maioran.

ruta, an. M. β.

rasura C. C.

visci querni,

ungula alcis, an. Unc. β.

radic. pæon. lun. decrescens colle-
ctarum Unc. ij.

castorei Unc. j.

Stent in infusione per unam atque
alteram septimanam, postea destillen-
tur in B. M. vel arena. Atque hæc a-
qua hirundinum dulcis appellatur.

Alii loco vini Malvatici sumunt a-
cetum, & Aqua hirundinum acida ap-
pellatur. Dosis aquæ est à Drach. β. ad
Unc. β. pro ratione ætatis. Datur vel
sola, vel mixta cum saccharo, aut cum
duplo aquæ flor. tillæ, vel lilii conval-
lium. Ad tetanum etiam laudatur lo-
rium caprinum cum aqua mixtum, &
sejuno ægotanti exhibitum.

Paulus Ægineta, *de re Med. lib. 3. c. 10.*
scribit, convulsis acanthi radicem &
spinæ albæ semen potum, itemq; spinæ
Ægyptiæ opitulari, quosdam etiam
centaurii tenuis succum exhibere re-
fert. Ibidem, *cap. 30.* in robustis exhi-
bet aquam mullam ad dimidias deco-
ctam, & panacis Drach. j. Dat & Am-
moniacum, & succum Cyrenaicum
ervi magnitudine.

Laudatur valde hoc Electus-
rium:

℞. Castor.

sagapeni,

opoponac. an. Drach. j.

℞℞℞ 2

succi-

succi Cyrenaiici Drach. jß.
 acori,
 scordii, an. Drach. ijß.
 trium piper.
 schœnantib.
 carvi, an. Drach. ij
 asari,
 stille assata, an. Drach. jß.
 radic. ireos,
 sem. apii,
 mastich. an. Drach. j.
 succi stœchad. Arab. Unc. j.
 mellis q. s.

Terenda terantur, & melle antho-
 lato excipiantur. F. Electuarium, cu-
 jus exhibetur quotidie Drach. ß. cum
 aqua mulsa.

Cardanus, *de curationibus admiran-
 dis, cap. 15.* quendam opisthotono la-
 borantem curavit abstinencia à carni-
 bus, vino & ovis, linteis in ol. chamæ-
 mel. & liliac. madefactis perpetuò im-
 positis cervici, partibusque, quæ con-
 trahebantur, & medicamento, quod
 constabat ex Mithridatio, & electua-
 rio de moscho cum margarit. hyacin-
 tho, smaragdisq; Orientalibus.

*An con-
 vulsi aqua
 frigidaper-
 fundendi.* Hippocrates, 5. *Aphor. 21. & 3. de
 morbis largam perfusionem aquæ frigi-
 dæ probat in media ætate in tetano si-
 ne ulcere; (nam ulceratis frigus non
 convenit, quia est mordax, suppurati-
 onemq; impedit) quod Galenus et-
 iam ad alias convulsionum differen-
 tias accommodat, ubi scilicet æger iu-
 venis est, non infans, εὐορεν, &
 tempus æstivum. Ita enim calor nati-
 vus clausis poris cutis intrò cogitur, &
 per accidens absimitur morbi mate-*

ria, seu à subita aquæ frigidæ perfusio-
 ne corpus frigore concutitur, & mate-
 ria nervis adhærens excutitur. Et si
 verò Paulus Ægineta, *loc o allegato*, hoc
 remedium improbatum esse scribit à
 posteris, quod & ipse rejicit: tamen
 reperti sunt, qui post eum id usurpa-
 runt; inter quos est Valescus de Ta-
 ranta, *lib. 1. cap. 21.* qui duos tetano la-
 borantes hoc modo curavit: Ægrum
 à quatuor viris erectum tenere iussit,
 & 24. urceos aquæ supra collum & om-
 nia inferiora membra ejus perfudit,
 & statim eum collocavit ante ignem,
 & post se sequi horam inunxit eum à col-
 lo usq; ad ultimam vertebam & lum-
 bos ac brachia unguento dialthææ,
 Martiato, & Agrippæ; ac oleo casto-
 rei, ipsiq; jusculum pulli propinavit:
 uterque æger hoc modo convalevit.

Nonnulli ad spasmodum curandum
 etiam febrem inducendam putant: de
 quo quid sentiendum sit, *quæstione 2.*
 dicemus.

Dieta.

In hac convulsione victus ratio sit *Dieta*:
 eadem, qualis in paralyti proposita est.
 In cibo vitetur coturnix, cum ex ejus
 usu, ut Avicennas scribit, periculum
 Spasmi & Tetani immincat, non so-
 lum quia elleboro vescitur, verum et-
 iam quia à tota substantia eam vim ha-
 bet. Decoctum ligni Guajaci, farsæ-
 parillæ vel fassastras cum victu atte-
 nuante & incidente egregiè tam gene-
 rationem humoris pituitosi prohi-
 bet, quam generatum ac nervis adhæ-
 rentem absimit, ac nervos roborat.

Ace-

Acetum etsi insignem vim attenuandi crassos humores habet: tamen quia nervis inimicum, seu solum, seu cum aliis mistum, est vitandum. Danda etiam opera, ut membra convulsa extendantur, sed lentè, ac sensim. Sic enim convulsione minus affliguntur, nec materiam nervos impetentem admittunt. Imprimis vero si maxillæ convellantur, præcavendum cuneo, vel alia re interjecta, ne dentibus linguæ dampnum inferatur.

Convulsio per consensum Curatio.

Convulsio nis per consensum Curatio. Convulsio nis autem per consensum eadem ferè curandi ratio est, quæ epilepsia per consensum, ut suo loco dicitur. Nimirum, ut pauca addamus, si ab ore ventriculi succis acribus vellicato convulsio fiat, Galenus vomitum præcipit, 12. meth. med. cap. ultim. aut, ne os ventriculi transitu maligni humoris magis offendatur, pilulis Ale per alvum subducatur, aut clystere acri.

Si ex cholera acutissima fiat, simili ferè ratione curatur, addendo quæ os ventriculi roborant. Ita cum bilis æruginosa in ventriculo hærens convulsionem excitat, vomitu rejicienda.

De curatione Convulsio nis ex uteri vitio videatur Galenus, 6. de loc. affect. cap. 5:

A venenati animalis ictu orta convulsio curatur vinculis supra partem læsam iniectis; teste Galeno, 3. de loc. affect. cap. 7. & cucurbitulæ cum ma-

gna flamma, vel cauterium actuale supra partem læsam apponatur; ac præterea veneni illius, quod insectum est, antipharicum exhibeatur, aut, si hoc ignoretur, ad communia alexipharmaca confugiatur, & exhibeatur theriaca vel gentiana, salvia, utraque aristolochia, dictamnus Creticus. Extra quoque vulnere theriaca cum oleo rosaceo mista imponenda. Vulnus diu apertum servetur: de quo plura de venenis.

Quæ à vulnere convulsio existit, cum non omnis lethalis existat, curatur providendo, ne phlegmone nervosa pars apprehendatur, misso etiam sanguine, si non satis effluerit; postea dolorem sedando per frictionem continuam cum oleo lumbricor. terrestrium: In punctura nervi si foramen sit angustius, ferro id dilatetur, ut medicamenta penetrare, & sanies exstillare queat: cavendo tamen, ne aucto dolore convulsio ingravescat. Dolori medetur terebinth. cum ol. rosac. mista. Spina dorsii oleo liliorum albor. & terebinth. inungatur: vel vulnere instilletur sulphur, (aut loco ejus Balsamum Sulphuris) aut parum euphorbiæ dissolutum in oleo rosaceo & terebinth. Vel ℞. Cera Unc. j.

picis, terebinth. an. Unc. ℞. euphorbiæ Drach. j.

F. Emplastrum.

In corporibus mollibus euphorbiæ dosis minui potest. Ista tamen vehementer calida & acria non applicanda nervo detecto, sed in profundo condito. In punctura enim nervi medi-

Caec 3; camena

camenta exsiccare, sed sine mordacitate, debent. Talia medicamenta parantur ex calce sapelota cum oleo rosaceo mista.

Quod si convulsio his remediis non sanetur, ne cerebro, ac toto nervoso genere in consensum tracto eger de vita periclitetur, nervus per transversum, paulò supra locum vulneratum, præscindendus. Præstat enim motum vel sensum partis amittere, quàm de vita periclitari. De quibus plura Galenus, *6. meth. med. cap. 2. & 3.*

A meningum punctura cranium trepano aperiendum, ut materia transpiret, aut epispasticis extrahenda, nisi plenitudo subsit.

Reliqua ex curatione epilepsia & paralysis petantur. Et quidem medicamenta interna præcipuè è cura epilepsia; topica è cura paralysis. Imprimis castorei intra & extra assumpti magna efficacia est, quia non solum maximam attenuandi & dissolvendi vim habet, verùm etiam nervosis partibus proprietate quadam singulari convenit.

Spasmi flatulentiarum ratio.

Spasmi flatulentiarum ratio. Si à flatu Spasm^o ortù habeat, qui vulgò *der Krampff* appellatur, musculorum involuntariæ extensioni voluntaria contrariorum musculorum, qui convulsis musculis opponuntur, extensio opponenda. Ita enim flatus, qui musculos contrahebât, ab iis repelluntur & quasi excluduntur. Atque hoc modo paroxysmus sepe facillè tollitur; præcipuè in musculis, qui suram constituunt, & pedes digitosque movent. Quod si non

tantum in pedibus, sed & alibi, & in maxilla inferiore accidit, periculum epilepsia imminet. Si verò extensione in contrarium non tollatur iste Spasmus, clyster, si opus sit, flatus discutiens injiciatur. Extra verò membrum decoctio flor. chamæmeli, meliloti, rutæ, salvia, fol. lauri foveatur, fricetur; & inungatur ol. castoreo, de castoreo, de spica & similibus. Utilis est & spir. vini, præcipuè in quo fl. chamæmel. & lavend. macerati fuerint, seu aqua aliqua Apoplectica & Epileptica, si ea membrum illinatur. Theriaca quoque in spiritu vini dissoluta valde prodest. Potest & hoc Cataplasma apponi:

R. Absinth.

pulegij,

rutæ, an. M. j.

baccæ lauri p. j.

cumini Unc. j.

Coquantur in vino, & cum melle F. Cataplasma. Vel sacculus ex milio, fure & sale imponatur, cui addi possunt fl. chamæm. meliloti, baccæ juniperi, lauri, semen cumini. Ager verò caveat sibi ab aere frigido, nec membra aquâ frigida humectet. Cibos flatulentos, crapulam, cruditatem & nimiam Veneream fugiat.

Chymici in hoc affectu commendant cincturam & liquorem lunæ, corallior. medicamenta ex Sulph. Balsamum gummi hederæ & elemi, essentiam & ol. destillatum radic. Imperatoricæ; magisterium hyacinthi.

Inter amuleta ab autoribus recensentur, ungula alcis annulo inclusa, vel aliâ gestata, tendines ejusdem, radix eryngii, tormentillæ, & bistorta de collo appen-

Amuleta.

appensa, magnes item, corallia rubra lignum visci querni.

QŪÆSTIO. I.

Quæ sit proxima Convulsionis causa?

Causa proxima Convulsionis etsi sit musculi versus suum principium contractio: tamen quia hoc ipsi cum motibus voluntariis commune est, de alia causa Medicus sollicitus sit, necesse est, ob quam præter naturam & voluntatem sit hæc contractio, quæ convulsionem parit. Verum res hæc plurimis controversiis involuta est, & sive veteres, sive recentiores consulas, difficultate non caret, ut rarò invenias, quæ animi veritatis avidum satient. Quia autem plura de hac quæstione in Institutur. diximus, isti repetendis tempus & operam perdendam non puto. Pauca ergo saltem addam. Galenus equidem, ut Jacchinus apertè confitetur, hac in re varius est, & parum sibi similis. Interdum enim duas illas causas ab Hippocrate, 6. Aphor. 39. positas, inanitionem & repletionem scilicet, solum ponit; alibi verò, ut 5. Aphor. 1. tertiam causam addit, vellicationem partium nervosarum à re molesta. Et quidem ad hanc causam multæ causæ evidentes facile referri possunt, in quibus ad plenitudinem vel inanitionem referendis vulgò Medici frustra laborant, & ipsi inter se dissentiunt.

Sunt equidem, qui putant, temerè ab Hippocratis doctrina recedi, id quæ ideo fieri à quibusdam, quod funda-

menta, quibus ea innititur, non accipi queant. Fundamentum autem esse, quod Galenus, 2. de symptomat. causis, cap. 7. 2. de loc. affect. cap. 7. libr. 3. cap. 6. proponit, nimirum similitudinem inter motum voluntarium & convulsionem. Ut enim in motu voluntario musculi versus sua principia contrahuntur, contractique simul attrahunt partes, in quas inferuntur: ita in convulsione eodem planè modo, & *versus* musculi ad sua principia contrahi. Quod fundamentum equidem libenter concedimus, & hæcenus aliquoties proposuimus. Dum verò subsument, hoc tantùm fieri ob nervosorum corporum repletionem & inanitionem, principium petunt, & plurimum falluntur. Neque enim in sanis, & dum secundum voluntatem fit motus, repletio & inanitio est contractionis causa. Neque etiam ipse Galenus, & qui Hippocratem sequuntur, Medici duas has solum causas constituunt, sed vellicationem à re molesta addunt. 5. Aphor. 1. Neque à repletionem vel inanitionem convulsionem oriri id satis probat, quod causæ cum internæ tum externæ, quæ ad plethoram & cacochymiam faciunt, convulsionis causa sunt. Id enim tantum docet, convulsionem fieri in corporibus vel plethoricis, vel cacochymicis. Quo verò modò non paralysis, non alius affectus à plethora & cacochymia proveniat, sed convulsio, id non docet. Ita etiam quamvis evacuationes instituantur, id tantum inde colligi potest, plethoram vel cacochymiam tollendam esse, quod

con-

convulsioni cum multis aliis affectibus commune; nõ verò probat, quomodo inde convulsio proveniat.

Et causæ illæ duæ tot difficultatibus sunt involutæ, ut nemo ex iis sese hætenus expedire potuerit. Ad inanitionem quomodo puncturas, ictus animalium venenatorum, usum medicamentorum purgantium & malignorum, & similes causæ referri possint, nonnulli quidem se variis modis torquent, sed frustra, ut etiam in Institution. dictum. Et quidem hoc concedimus, chordas, lora & coria exiccata absumpto humido breviora fieri, corrugari & contrahi: sed quomodo hoc in nevis ab istis causis fiat, nondum docere potuerunt. Ideoque plerique doctiores Medici, qui alias vulgarem doctrinam sequuntur, causas istas plerasque non exiccando nervos, sed vellicando eosdem, causam spasmi esse, ultrò concedunt.

Nec magis feliciter in altera causâ, scilicet repletionem, sese expediunt: neque dum causam reddere potuerunt: cur humor pituitosus nervos replendo potius convulsionem, quam paralyfin efficiat. Scribitque Jacchinus, Avicennam difficultatem hanc vidisse, sed sic respondisse, ut à nemine intelligatur. Neque simile, quod de chordis & coriis hic adducunt, quadrat, quod scilicet quod accedit latitudini, a repletione decedat longitudini. Hoc quidem verum est, quod corpora, quæ manifestam habent cavitatem, & tendi possunt, si in latum distendantur, breviora fiunt, & quod latitudini accedit, longitudini decedit. Quæ vero cavitatem

manifesta destituuntur, ut lora, coria, & ipsæ nervosæ illæ fibræ, si humectentur; & secundum longitudinem, & secundum latitudinem laxiora fiunt: ut manifestè hoc in coriis, ut & in lignis, si aquam vel aërem humidum imbibant, fieri videmus, quæ & secundum latitudinem, & secundum longitudinem plus spatii occupant, & iterum exsiccata & secundum latitudinem, & secundum longitudinem imminuuntur.

QŪÆSTIO. II.

An febris pro Spasmo curando excitanda sit?

Cum febris superveniens spasmus curare possit, ut antè diximus, de febre excitanda Autores dissentiunt. Alii id planè improbant. Arabes Ephemeram concedunt. Galenus, 6. Epidem. comment. 6. aphor. penult. cum alias febres, tum ex diuturnis quartanas potissimùm: Hippocrates & Galenus. 1. Prorrh. comm. 2. aphor. 50. ita moderatam, ut nec nimium debilis nihil vel parum efficiat, nec nimium vehemens aut maligna vires exolvat. Ideo Numenii filium oborta apoplexia febrili ac diuturna subsecuta haudquaquam sanatum fuisse. Verum febrem semel accensam deinceps ita temperare ac moderari, ut morbum solum expungnet, & naturæ non noceat, difficile est; ut supra etiam de Paralyfi dictum. Ideoque tam anceps & periculosum remedium non tentandum.

CAPIT

CAPUT XXIX.

De Incubo.

Incubus. **P**ostquam symptomata, in quibus facultates principes, seorsim, ut & motus animalis, læditur, absolvimus: restant adhuc ea symptomata; in quibus animales actiones seu plures, seu omnes læduntur. Inter quæ primò est Incubus; Græcis ἐφιάλης, ab ἐφάλλεθ, hoc est, insaliendo nomen habens; quod hoc malo correpti se ab aliquo invadi, atque ab onere incumbente premi somniant; cujus affectio nis tamen recordantur expergefacti; falsamque illam imaginationem fuisse agnoscunt. Cæterùm nonnulli malum Dæmoniacum esse putant, & Plinius, lib. 25. cap. 4. Faunorum in quiete ludibria appellat; quæ tamen fabulosa Aetius, terrab. 2. serm. 2. cap. 12. & Oribasius, σωφ. cap. 12. meritis repudiant. Quidam & Ἐπιβολήν, teste Aureliano, hoc est, aggressionem & invasionem nocturnam nominant. Themison, teste Aegineta, πνιγλίωνα & πνιγάμονα, Dioscorides πνιγμὸν ἐνοπνιον, à specie suffocationis, quæ hoc malo laborantibus in somno offertur, Avicennas sua lingua Stragulatorum nominat. Nimirum qui hoc malo laborant, sub primum somnum onere se aliquo opprimi & quasi suffocari somniant, & quamvis clamare, & alios in auxilium vocare velint, non possunt, neque etiam manus ad onus hoc, quo se opprimi somniant, amolendum & amovendum liberè movere valent.

L. I.

Alii verò Incubi sunt, quorum Augustinus, de civit. Dei, lib. 15. cap. 23. alii- que Autores mentionem faciunt, Dæmones scilicet, qui mulieribus se commiscent, & ab incubando Incubi dicuntur, sicuti qui viris, & patiuntur muliebria; Succubi; quod an fiat, vel qua ratione fiat, disquirere hujus loci non est: cum tantum de symptomate facultatis animalis læsæ & affectæ p. n. à causis naturalibus proveniente agere nobis sit propositum. Sunt tamen nonnulli, qui hoc malum Incubi nomen accepisse putant ex eo, quòd ephialte laborantes opinantur, hominem, qui illos opprimit, turpis libidinis usum ab iis exigere, seu unà cum illis concumbere; unde etiam quidam in Cacodæmonem ejusmodi ludibria, quæ per somnum contingunt, referunt. Et fieri potest, ut hoc morbo, tanquam instrumento, ad affligendos & vexandos homines Cacodæmon utatur.

Definitio.

Definitio. Est ergo Incubus: respirationis offensio, & vocis interceptio, corporisque oppressio, seu motus impedimentum, cum falso insomnio ponderis thoraci incumbentis, à vapore crasso, posteriora potissimum cerebri obstructe, ut spiritus animales ad liberam respirationem, & motum edendum prodire nequeant.

Nimirum omnes ferè actiones animales in Incubo læduntur. Nam imaginatio depravatur; sensus est torpidus; facultas motrix, quæ respiratio-

D d d d

ni,

ni, voci & motui membrorum infer-
vit, laborat. Unde ægri somnum qui-
dem excutere conantur, sed cum ma-
xima difficultate id accidit; assurgere,
vel manus movere, vel loqui aut cla-
mare conantur; id tamen præstare
nequeunt.

Quam læsionē cum homo percipit
in somno, varias dormiens causas, un-
de ea quasi oppressio veniat, commini-
scitur & somniat. Quale quid etiam
aliis iis, qui causam aliquam morbi-
ficam in parte aliqua in somno senti-
unt, accidit, dum se vulnerari, mor-
deri, vel alio modo lædi, aut crus la-
pideum habere somniant. Etsi verò
ad vocem edendam, & ad membra
movenda, qui Incubo laborant, adeò
apti non sint, sed & in iis motibus ali-
quid impedimenti percipiant: tamen
quia illi motus in somno ita necessa-
rii non sunt, sed cessant, thoracis ve-
rò motus etiam in somno ob respira-
tionem necessarius est, fit, ut hoc, tan-
quam summè necessario, etiam in
somno, læsio tristis sensus oriatur gra-
vitatibus pectoris, qui sensus oblatu-
phantasie facit, ut æger suffocari ab ex-
terna aliqua violentia sibi videatur.

Causæ.

Causa pro-
xima.

Causa proxima est obstructio me-
ntium cerebri, quia initium spinalis
medullæ tendunt, & spiritus animales
organis sensus, ac motus deferunt, à
vapore crasso. Fernellius equidem, de
part. morb. & sympt. l. 5. c. 3. quem
Platerus sequitur, causam esse crassam
pituitam & melancholiam statuit, ve-

rum non in cerebro, sed circa præcor-
dia inhærescentem, qua per crapulam
& cruditatem turgescente, diaphragma
pulmonesque premantur, crasso au-
tem vapore in fauces & cerebrum ex-
halante vox supprimatur, sensus atque
mens obturberetur, visisque tristibus of-
fendatur. Etsi verò quandoque istam
thoracis suppressionem hoc modo fi-
eri posse non negamus; tamen ea non
est præcipua causa, nec semper à cru-
ditate & crapula, verum etiam sine
his, & aliis causis fieri potest. Et ce-
brum præcipue affici, id indicio est,
quod non solum motrix respiratoria
serviens, sed & quæ voci & aliorum
membrorum motui præest, non ita
libera est, & Incubo laborantes diffi-
culter expurgantur; atque Incubus
sæpius imminenti graviori cerebri af-
fectus præsagium est.

Et quidem posteriores cerebri me-
tus, quæ ad spinalem medullam tēdunt,
inprimis obstruuntur; unde & supino
corpore cubantes maximè hoc malo
corripuntur. Obstructio autem ista
non fit ab humore, sed à vapore cras-
so saltem. Nam malum hoc citò fit,
& citò desinit. Vapor autem crassior
est, quia æger non sine difficultate ex-
purgiscitur, aut forsitan etiam narcoti-
cam quandam vim habet. Obstru-
ctio etiam ea non integra est, sed levi-
or, quam quæ carum aut apoplexiam
generat.

Antecedens causa, à qua vapor ille
elevatur, est crassa pituita, aut humor
melancholicus in hypochondriis &
circa præcordia hærens, qua materia
per crapulam & cruditatem, vel aliis de
causis

Causa an-
tecedens.

cauffis turgefcente & mota nonnunquam diaphragma & pulmones premuntur; præcipuè verò craffo vapore illinc in cerebrum exhalante, & nervorum principia obftruente, una cum motu thoracis, refpirationi inferviente, vox impeditur, & phantafia vifis triftibus turbatur. Etfi verò à refpiratione impedita, & gravitatis fenfu præcipuè trifte illud fomnia de opprimente aliquo oriri verifimile eft: tamen aliquid etiam hic facere vaporem pravum in imaginationis fedem irrepentem, & fpiritibus fele mifcentem, credible, ficut contra benignis & fua-vibus vaporibus mixtis cum fpiritibus animalibus infomnia lata & concinna exiftunt.

Rhafes & Avicennas etiam vaporis fanguinei meminerunt, five à fanguine ipfo craffo è venis prodeat, five à fanguine in femem craffum mutato; unde Veneris per hunc morbum in fomnia ludibria exiftunt.

Itaque vapor ille ad caput plerumque afcendit à materia extra hoc alibi confiftente; in pueris etiam à vermibus: interdum verò & in ipfo capite gignitur, ex alimenti cerebri excremento tenui, quando illud frigore externo repentino incraffatur & repellitur, ne citò difcuti queat.

Generatur autem ille vapor vel ob errorem externum, ob victum fcilicet craffum & vaporofum, vel læfa facultate, præcipuè ob intemperiem frigidam capitis vel ventriculi. Atque hinc cauffæ remotiores, procatarticae & evidentes funt nimia cibi repletio, cra-

pula, & hinc fequens cruditas, fomnus ftatim à repletione, decubitus fupinus, aër denique frigidus, cujus vi materia incraffata in cerebro in meatu ejufdem exprimitur; atque hinc temulentis imprimis ac cruditate laborantibus Incubus familiaris eft, & quidem fomni initio, quando vapores craffiores majori copia ad caput elevati incipiunt, nec, ficut vigilantibus accidit, fatis difcuti poffunt. Et præcipuè hoc accidit, dum homo fupinus decumbit; cum per illud decubitum prompta fiat in caput evaporatio, ac materia facilius ad nucham & ad posteriores cerebri partes, ac initium fpinalis medullæ moveatur, meatusque in illo decubitu nonnihil comprimantur. Non negarim tamè, ob decubitum fupinum incubum facilius excitari etiam ob motus mufculorum motum thoracis promoventium læfionem. Motus enim is in decubitu fupino non ita liber eft. Unde etiam qui fupini dormiunt, facilius ftertunt, quam ii, qui in alterutrum latus decumbunt. Inde cauffa hujus morbi definitur, quod fit *αιαθυμίασις εις κεφαλήν αιατερέχουσι εξ αδιδηφαςίας ηυι απεφίας*. Hinc etiam pueri huic morbo imprimis funt obnoxii ob *αδιδηφαςίαν*, qua vitiofi humores collecti vapores multos in caput remittunt; sæpe & ob vermes in Intestinis genitos. Atque hinc pavores quoque per fomnum in pueris exiftunt, de quibus Hippocrates, 3. *aph*. 24. Narrat quoque quidam apud Cœlium Aurelianum, Romæ aliquando hunc morbum epidemium & publice graffantem fuiſſe, & multos inftar peſtis jugulaſſe.

Differentia.

Differentia incubi à causa efficien-
te potissimum sumuntur. Prout enim
vapor vel à pituita, vel ab humore me-
lancholico, vel à semine elevatur: ita
diversa, & pro natura humoris, phan-
tasmatata vel imagines per insomnia in
hoc affectu exhibet; sicut à semine re-
tento Venerorum illecebris hominem
ludificat. Alius quoque incubus sit
per essentiam in capite, quem tinnitus
aurium & vertigo, & dolores capitis
antecedunt & sequuntur: alius per
consensum ventriculi, hypochondrio-
rum, testium, quas partes affectas esse,
suis indiciis manifestum redditur.

*Signa Diagnostica.**Signa Dia-
gnostica.*

Affectus hic ex relatione ægri faci-
le cognoscitur. Conqueruntur enim,
sibi inter dormiendum quid quasi inci-
dere atque incumbere gravique onere in-
eumbente se premi, vel ab hoste ali-
quo invadi & strangulari, ita ut ne-
que clamare, (quamquam, quod à
presentibus, qui vigilant, auditur, vo-
cem edant obscuram, inarticulatam,
& nihil certi significantem) neque
se movere, neque fugere queant, do-
nec multo tandem labore & conatu
de somno expergiscuntur. Nonnulli
etiam se audire illum, qui super ipsos
incidat, imaginantur. Virgilius, 12.
Aneid. circa finem, Incubum eleganter
hoc modo describit:

*Ac veluti in somnis, oculos ubi languis-
da presit*

*Nocte quies, nequicquam avidos excendere
cursus*

*Velle videmur, & in mediis conatibus
agri
Succidimus, non lingua valet, non corpo-
re nota
Sufficiunt vires, nec vox aut verba se-
quuntur.*

Quibus signis facile ab aliis affectibus p.n. discernitur. Scribit equidem *Incubi ab epilepsia differencia.*
Posidonius apud Aetium, *terrabil. 2. serm. 2, cap. 10.* Quæcunque patiuntur
comitali morbo correpti in exacerbationibus, eadem perpeti incubum passos, dum dormiunt. Verum maxima est inter hos duos affectus differentia. In epilepsia enim motus convulsivi accidunt; in Incubo est motus impotentia: ortumque habet epilepsia à materia acri cerebri meninges stimulante; Incubus à vapore crasso, meatus cerebri obstruente. Causarum & locorum, unde vapor elevatur, differentia è suis signis cognoscitur, tum ex specierum, quæ per somnum imaginationi offeruntur, qualitate, prout nigri vel alterius coloris sunt, aut hominem ad Venærem incitant.

Prognostica.

1. Incubus quidem, si rarior sit, levior affectus est; gravior tamen, cæteris paribus, quam vertigo: quoniam à vapore crasso producitur, & dormientem hominem comprimit. *Prognostica.*

2. Incubus a causa interna per se vetans; præsertim in ætate provec-
tioribus, aut epilepsiam nunciat, vapore tandem pravitate & epilepticam
*Ac si acquirere; aut apoplexiam, si
meatus*

meatus cerebri fortius occupet; aut melancholiam, si vapor ater commisceatur spiritibus animalibus. Imò pueri, & obeso corpore aliquando hoc malo suffocantur, quando materia crassior & copiosior est, exitumque non reperit. Ideoque inter initia huic malo occurrendum est, monente Aetio, Paulo, & Rhase:

3. Periculosior Incubus est, qui diuturnus est, ac frequens, & à quo æger stupidus permanet.

4. Incubus à causa externa refrigerante, aut à crapula continuata, minus perniciosus est.

5. Si Incubus accidit partim tormenti, partim vigilianti, deterior est; qui epilepsiæ propinquior: & atsum deterior, si post excitationem sudor frigidus, tremor cordis, spasmus, ut syncope sequatur.

Indicationes.

Cum Incubus ortum habeat à vapore cerebri meatus quadantenus obstruente, ille, ut paroxysmus tollatur, discutendus. Postea, ne redeat malum, humor, è quo gignitur, evacuan- dus. Amovenda quoque causa, à qua humor producitur, sive ventriculi imbecillitas sit, sive hepatis, sive alterius cujusdam membri, sive error externus, atque ita etiam vaporum generatio prohibenda.

Auxilia.

Æger ergo in ipso paroxysmo seu insultu hujus morbi statim leviter excitetur, compellatione per nomen, vel licitatione corporis, agdeinde, ut vapo-

res revellantur, discutiantur ac dissipentur, etiam extremorum frictione. Quam ob causam utile est, ut ii, qui huic malo obnoxii sunt, noctu fidum semper hominem adjunctum habeant, qui gementem ac quiritantem ægrotum mox expergeficiat, ne suffocationis periculum longius augeatur.

Ne verò malum revertatur, vena aperienda, si plethora adsit. Aperiatur autem vel cephalica vel epatica: in mulieribus ex mensium suppressione laborantibus, saphena; quæ etiam in viris, post evacuationem per Incubito sectionem factam, ad revulsionem aperiiri potest. Si phlebotomia uti non liceat, cucurbitulæ cruribus & scapulis applicentur, ac clysteribus revulsivis fiat, & frictiones continuentur.

Si humor pituitosus aut melancholicus altius infuderit, præparetur incidentibus & abstergentibus, quibus miscantur quæ flatus discutiant. Postea debita ratione ac modo humor evacuetur. Et purgatio sæpius repetatur per intervalla, maximè cum metus est, ne in alium affectum hoc malum transeat. Utrobique verò ad ipsum cerebrum respectus habeatur, & tota curatio partim ad ventriculum & hypochondria, partim ad affectionem cerebri dirigenda. De quo supra, *part. 1. cap. 7. 10. 12.* & antea, *de Vertigine*, dictum, ac postea de epilepsia & apoplexia dicitur. Cordis tamen simul ratio habenda, ut in melancholia.

Post universales evacuationes caput privatim purgetur errhinis, apoplegmatis, & similibus, ut locis alle-

gatis dictum, & dicitur. Quidam pulverem è corticibus citri siccis, cypero, caryophyllis, coriandro præpar. fol. majoranæ & betonicæ, flor. rosar. rubr. stœchad. Arabic. lavendulæ & roris-marini capiti inspergunt, vel cucuphæ includunt. Anisum etiam pulvinis inspersum pavores in somniis prohibet. Vel caput lavetur lixivio, in quo flor. stœchados Arabic. betonic. an. M. j. cyperi agaric. macis, an. Unc. ß. cœta sint. Commendatur & lupina pel. ut pro tegumento capitis inter dormiendum.

Ad flatum & vapores in capite, seu pituitosos, seu melancholicos propulsandos, caputq; roborandum, hæc medicamentis, quæ locis allegatis proposita sunt, utendum. Avicennas, Aetius, & alii commendant semen nigrum pœoniæ maris, si ejus grana xv. trita per plures dies cum liquore conveniente exhibeantur. Plurimum quoque hæc valet electuarium Pleres arconticum appellatum, si cum confectioe alkermes seu diambriæ permisceatur, & manè, ac hora decubitus, exhibeatur. Utilis est & creber usus diacori quotidie tribus horis ante cibum, ut & diamosch. dianchos, elect. de gemmis. Commendatur & theriaca bis singulis septimanis cum aqua pœoniæ exhibita. Naribus quoque subinde odora menta caput confortantia & flatum discutientia adhibeantur.

Corde verò & pulsatam regioni faculi cordiales & arteriales passim noti, aqua rosar. melissæ, & similibus irrorati imponantur. Vel Balsama inungenda:

Ut R. Bals. citri Drach. j.

chamemel. Rom. Drach. ß.

ol. destill. ruta gutt. iij.

Vel R. Bals. rorismarini,

succini, an. Scrup. j.

ruta Drach. j.

theriaca Drach. ß.

Misce.

Utiles sunt & frequentes pedum lotiones; cum vapores à capite revelant.

Post cibum assumptum vapores prohibent diacydonium aut pulvis ex coriandro præparato, semine anisi; galaga, nuce mosch. cum sacchar. rosar. tabulato paratus. Et alia supra, part. x. cap. 7. proposita.

Vel R. Spec. aromat. rosar. Drach. j.

diarrhod. abbat. Drach. ß.

diamarg. frig. Scrup. j.

canommi,

macis,

caryophyl. an. Scrup. j.

sem. pœonia Drach. j.

coriandri præpar. Unc. ß.

anisi Draah. ij.

visci querni Drach. ß.

magister. corallur. Drach. j.

sacchari rosar. tabulati ad pondus omnium.

F. Pulvis. Dosis cochlear. j.

Vel R. Sem. coriandri præpar. Unc. ß.

anisi,

fenicul. an. Drach. ß.

spec. aromat. rosar. Drach. j.

sem. pœonia excortic.

corallior. rubr. præpar. an. Scr. ij.

sacchar. rosar. tabul. ad pondus omnium.

F. Pulvis.

Vel

Vel paratur tale Electuarium:

℞. *Cydonior. cum arom cond.* Unc. j. β.

nuc. jugland. condit. num. j.

cortic. citri condit. Unc. β.

conserv. rosar. Drach. v. j.

anthos,

lavendula;

majorana;

rad. condit. scorzon. an. Unc. β.

puly. radic. pœonia;

sem. pœonia excortic. ana

Drach. β.

corallior. rubr. prepar. Drach. j.

Cum sirup. cydonior. & de cort. citri

F. Electuarium.

Dum cubitum itur, sumatur bolus ex conserva flor. rorismarini, lavendulæ, menthæ, melissophylli, pœoniæ, aut conditæ radices pœoniæ, aut excorticata ejusdem grana aqua lavendulæ inebriata, aut nux Indica condita.

Chymici in hoc affectu commendant tincturam & magisterium corallior. perlar. lapid. Armeni, Lazuli, chrysolithi, malachitæ, ol. rorismarini, salviæ, rutæ, succini, chamæmeli, cinamomi; extractum pœoniæ, visci qu. juniperi.

Amuleta commendantur, radix pœoniæ de collo suspensa, corallia rubra, lapis chrysolithus auro inclusus, ut & malachites, & in sinistro brachio gestatus.

Infantes, qui pavoribus in somnis obnoxii sunt, non statim à cibo sumpto dormiant, sed hinc inde gestentur, donec cibus descendat: mel etiam vel crudum vel rosatum lingendum ex-

hibeatur, quod extergit, aut exhibeatur pulvis ex radic. pœoniæ, margarit. coralliis.

Dieta.

Degat æger in aere ad calidum & *Aer.* siccum vergente, puro, neque terris vaporibus inquinato: vitet aërem nebulosum, humidum, & ventis turbatum. Non moretur sub radiis Solis, Lunæ, vel ad ignem. Dieta sit tenuis, attenuans, flatusq; expers, & proinde *Cibus & potus* vitentur legumina, & fructus ac radices flatulentæ. Ideo cibi calidi sint & sicci, qui facile concoquuntur & distribuuntur, nec in visceribus hærent, nec flatus ad caput mittunt. Vita sit sobria, cœna frugalis; ægerq; crapulam, repletionem & ebrietatem fugiat. Cibi condiantur iis, quæ extenuandi vim habent; ut, pituita peccante, hyssopo, serpillio, satyria; in melancholia, quæ eam temperant, flor. buglossi, borrag. & similibus, de quibus supra, *part. i.* dictum. Vinum, cum caput repleat, parcius sumendum, vel eo tenuiori utendum, aut cerevisia tenui, vel aqua, in qua semen coriandri, anisi, & cinamomum ebullierint. A cœna ad somnum *Somnus.* tres horæ interponantur. Vitetur decubitus supinus, quò caput repletur. Ad lectum ægri suspendantur vel humi sternantur radices pœoniæ, majorana, thymus, ruta, lavendula, rosmarinus, pulegium, mentha. *Morus.* Corpus moderate & temperate fricetur & exerceatur.

Symptoma quoddam partim Incubum, partim epilepsiam referens (etsi potius mitior epilepsia esse videatur) descri-

describit Forestus, *libr. 10. observat. 52.* quod feminis pœoniæ usu sublatum fuit, utpote quod epilepsiæ, Incubæ, pavoribus & ludibriis nocturnis, uteriq; strangulationibus egregiè medetur.

CAPUT XXX.

De Catoche seu Catalepsi.

Nomen.

Quæ Latinis vulgo Congelatio dicitur, Platero Stupor cum rigiditate, Græcis est *κατάληψις* & *κατοχή*, sive *κάτοχ* : quanquam posterius vocabulum non in una significatione usurpatū fuerit veteribus; unde & hodie ambiguitas reliqua manet. Nam Paulus Aegineta distinctè agit de Catocho, qui coma vigil est, & de Catocho, qui vera Catalepsi. Et autor *definit. Medic.* Catochi (quem fieri docet, cum sensu privatur omni, corpusq; omne velut gelu obrigescit) generatim facit: primum Somnolentum, lethargo proximum; secundum Vigilans, affine tetano & præfocationi uteri; & tertium Phreneticum, ex catoche & phrenitide mixtum, quod & Typhomania nominatur. Quæ genera aliqui commodiùs sic discernunt, ut primum sit Lethargo proximum, secundum Coma vigil, tertium Catochus seu Catalepsi vera. Nos hic Catochi & Catalepsi vocabulis pro synonymis utimur.

Dicitur autem Catoche, sive *κάτοχ*, à *κατέχεσθαι*, id est, detineri, vel

occupari, & *κατάληψις*, à *κατάλαμβάνεσθαι*, id est, prehendi, quod æger hoc malo repente corripitur, correptusq; eo situ permanet. Appellatur & Stupor in genere, qui si vehementior sit, & validius incumbat, ac diuturnius insideat, *ἐκστασις* à Græcis dicitur, à Latinis Excessus, ut habet Scaliger, *exercit. 312.* Privatio scilicet officiorum animæ sentientis, moventis & intelligentis.

De vocabulo autem *ἐκστασις*; hoc hic monendum est, quod Hippocrati quidem semper Ecstasis vehemens est mentis amotio ac delirium; & *ἐκστῆναι* de mentis potestate exire, aut vehementer mente emoveri ac delirare significat, & vehementer insanientibus, phreniticis ac maniacis, passim apud Hippocratem tribuitur, & Galenus *ἐκστασιν* per *μανίαν σφοδράν* exponit: usus tamen vulgò obtinuit, ut ii, qui omnibus animæ sentientis, moventis ac intelligentis functionibus privati, & quasi mortui jacent, & sæpe, postquam evigilant, mira, quæ audiverint, & viderint, narrant, *ἐκπύπτοι* nominentur.

Ab *ἐκστασι* aliam faciunt adhuc, *ἀφαιρεσίαν*, in qua non facultatibus animæ modò, sed & ipsa anima corpus privatur. Quod an fieri possit, Philosphis & Theologis discutiendum relinquimus. Hoc saltem addimus, si hic affectus à causa divina proficiscatur, sive intra corpus manente, sive extra egrediente anima, *νυμφολήπτης* ab Aristotele, 1. *Eudemior.* & *θεολήπτης*, ac *ἐνθεσιαζομένης* appellari, ut, loco allegato, Scaliger docet.

Defini-

*Definitio.**Definitio.*

Et videlicet Catalepsis sensuum internorum & externorum, ac in his præcipuè tactus, & voluntarii motus cessatio, seu, ut nomen inquit, subita prehensio & occupatio tum mentis & sensuum internorum, tum externorū, & motus voluntarii, quâ qui corripuntur, rigidi in eo statu, in quo prehensi fuerunt, apertis ac immotis oculis, statum alicujus instar, manent, & nec sentiunt, nec vident, nec audiunt, respiratione saltem & pulsu salvo manente, à congelatione & immobilitate spirituum animalium, quam vapor quidam figens caussavit, orta.

Interdum tamen, & ubi malum minus vehemens est, ægrinon nihil audiunt, vident, imaginantur, recordantur, & quæ astantes loquuntur, percipiunt, & postea referunt, immoti tamen manent sine voce & sensu tactus; quemadmodum Galenus de suo condiscipulo narrat, 2. *Prorrh. aphor.* 16. Atque hos in specie *ἐκστατικὸς* appellat Platerus.

Affectus lanè ut rarus, ita admiratione dignus, unde etiam vulgò eo detentos in ecstasi à Deo raptos existimant; atque hinc etiam procul dubio *νυμφολήπτων, θεολήπτων, ἐνθουσιαζομένων* vocabula, ut modò dictum. Ejus historias duas Fernelius, *lib. 5. de partium morbis & symptom. cap. 2.* & aliquot Marcellus Donatus. *de histor. mirab. Medic. libr. 2. cap. 7.* & Schenckius, *lib. 1. observ. 115.* recitant.

Causa.

Ut autem malum hoc admirandum

L. I.

est, ita ejus causam reddere difficile. Et afferunt quidem alii alias, ut in *Institut. lib. 2. part. 3. sect. 2. cap. 6.* dictum: verum quæ rem satis non explicant, ut ibi pluribus monstravi. Julius Cæsar Scaliger, *loco allegato*, animæ hunc excessum, vel à functionibus abscissum, aut absistentiam, provenire scribit perculsis spiritibus, ac receptis in intimos cordis sinus. Verum si Catalepsis & hic stupor hoc modo fieret, animi affectus & syncope potius, quàm Catalepsis aut Ecstasis excitaretur.

Si verò in hac naturæ obscuritate probabile quid afferendum, omnino talis causa danda, quæ differat à causis paralytis, comatis, cari, apoplexiæ, epilepsiæ, syncopes, & similibus affectuum: (quales causæ non sunt, quæ vulgò afferri solent, sed hisce affectibus communes) atque talem causam esse puto peculiarem spirituum animalium *Ἀσθένειν*, ut scilicet illi in organis sensus & motus non deficient, sed figantur quasi & immobiles reddantur, ac immoti maneant, seu, ut uno verbo cum Scaligero, *loco allegato*, dicam; causa Catalepsis est spirituum animalium congelatio seu immobilitas.

Hæc autem ortum habet à vapore congelante, seu vim talem figendi habente, qui quidem ab humore melancholico ferè attollitur. Unde rectè Stuporis nomine hic affectus appellatur, mentis puta. Ut enim in stupore, qui symptoma tactus est, objecta tactui oblata ab organo non percipiuntur: ita hic etiam sensuum exteriorum obje-

Eeee

cta,

ta, etsi à suis organis apprehendantur, à mente non percipiuntur.

Quæ autem spiritus illius congelantis natura sit, explicare non ita facile est. Quidam equidem in frigiditatem & siccitatem causam referunt, & ab humore melancholico, alii etiam à pituita vitrea eam petunt. Verùm in corpore vivente viz talis frigiditas esse potest, quæ instar frigoris hiberni in cerebro spiritus congelet. Commo-
dissimè vaporis figens, seu fixativus & congelativus appellari potest, qualis spirituum natura Chymicis satis nota est, qualisq; natura fulminis interdum est, & spirituum illorum, qui in terræ motibus, & aliàs etiam è terræ cavernis erumpentes homines & bruta repente rigida reddunt.

Causæ enim hujus probabilitatem natura fulminis satis declarat, ut dictum, quæ res sæpe subitò congelat; narratq; Cardanus, octo messorum sub quercu cœnantes fulmine percussos fuisse, sub ea specie, qua decumbent, ut unus comedere videretur, alter manum poculo admovere, alius bibere, qui procul dubio hoc morbo detenti exanimati fuere. Unde etiam rectè Medici morbum hunc Congelationem nominant,

Verùm ut rectius causam ali hujus cognoscat, porro inquirendum, an spiritus illi, qui sensui & motui inserviunt, an verò qui sensibus internis, an verò omnes spiritus animales congelentur. Communis equidem opinio est, spiritus animales omnes, & potissimum eos, qui sensui & motui inserviunt, immobiles reddi. Verum si quid

in re obscura proferendum est, potius statuendum videtur, non illos spiritus, qui in membra corporis influxerunt, congelari & immobiles fieri, sed potius spiritus, qui imaginationi & menti inserviunt. Cum enim motus à phantasia dirigatur, neque sensuum externorum objecta etiam ab organis suis recepta percipiuntur, si sensus interni & mens non attendant; sicut comper-
tum est, viros quosdam devotos meditationibus sacris quasi ex se raptos, aut literarum Studiosos meditationibus suis ita intentos fuisse, ut etiam oculis & auribus apertis non viderent, non audirent, imò nec sentirent: si spiritus ille phantasiæ & menti inserviens quasi figatur & immobilis reddatur, ut sensuum externorum objecta affluentia non apprehendat, sit, ut, etsi in organis sensuum externorum spiritus animales adsint, qui sensuum externorum objecta percipiant, & ad phantasiam deferant, ab ea tamen illa non percipiuntur, neque etiam à phantasia tum quasi torpida & quiescente motus ullus imperetur, & si quis ab externo impulsu fiat, ille non attendente nec gubernante phantasia accidat. Hinc procul dubio nata est Medusæ fabula, quæ hujus morbi causam aliquo modo declarare potest, quæ cum esset mulier formosissima, ita, ut, qui ejus pulchritudinem attentè contemplarentur, extra se quasi raperentur, & ab omnium sentuum functionibus abstraherentur, fixiq; & immobiles, ac quasi lapides redderentur, finxerunt Poëta, ex capitis ejus intuitu spectatores in lapides conversos fuisse.

Hæc

Hæc autem ita se habere, ac in organis sensus ac motus spiritus animales non deesse, vel illud arguit, quod quidam ex Catalepticis ipsi quidem nullum membrum movent, verum si ab alio id moveatur, movendi potentia se exerit, & erecti consistunt, impulsu incedunt, & quocumque vel manus vel brachium vel crus inflectitur, illic quasi fixum & stabile permanet; quod non fit sine spirituum animalium ope. Sicut & hoc spiritus animales non deesse indicat, quod ægri oculos diductis palpebris apertos servât, quod non fieret, sed potius conciderent palpebræ, si spiritus animales deessent, sicuti in paralyâ accidit.

Ac hinc pater, quomodo id accipiendum sit, quod in definitione diximus; in Catalepsi sensuum externorum & motus actiones cessare. Nimirum non quantum objectorum per organa sensuum susceptionem attinet, sensus quiescunt, sed quantum superioris facultatis apprehensionem. Oculis enim apertis imago visibilis excipitur, sed à facultate superiore non apprehenditur. Eodem modo sese res habet in sensibus reliquis.

Neque est, ut, quod hodie non infrequens, hæc doctrina alicui suspecta sit, quia Chymicorum terminos sapere videtur. Agnoverunt eandem, & iisdem terminis usi sunt, docti Galeni Interpretes & Arabum; etsi rem non satis commodè explicaverunt. Ut de Scaligero jam non dicam, cujus antea mentionem fecimus, Marth. de Gradiibus, *part. 1. Practic. cap. 6.* ita scribit: Causa conjuncta cōgelationis est ma-

la complexio frigida & sicca in capitis posteriore parte, immobilitans spiritus & nervos & nervosa membra ad operationem sensus & motus, maximè ad motum. Ita Dominicus Leonus, *artis Medic. lib. 2. sect. 1. cap. 6.* Causa conjuncta, inquit, sunt vapores & humores, ipsaque intemperies frigida & sicca, actu frigida, figens & incrassans spiritus animales, eorundemque transitum obstruens. Qua quidem in re re-ctè sentiunt immobilitatem, fixationem, vel, ut Scaliger loquitur, congelationem spirituum animalium, proximam hujus mali causam esse, eamque à figente quodam vapore fieri. Et hoc etiam verum est, quod ille spiritus in cerebro, sede mentis, figitur & immobilis redditur, atque in organa sensus & motus non influit. Interim non negandum est, spiritus animales alios in ea organa influere. Neque fixio illa & congelatio fit à frigore & siccitate, quæ tanta in corpore vivente non datur, ut tam subitæ congelationis causa esse possit, sed à vapore peculiarem vim spiritus figendi & immobiles reddendi habente, qualis est in fulmine & aliis spiritibus.

Causam antecedentem ponunt humorem frigidum siccum. Et concedimus sanè, humorem melancholicum præ cæteris aptam esse ad vapores, qui talem dispositionem suscipiunt, emittendos. Non tamen sola frigiditate & siccitate id præstare potest.

Potest autè ejusmodi vapor nunc in ipso cerebro generari, & ita primum affectum excitare; nunc per consensum à toto, ut in febribus malignis; aut à

membro aliquo, ut splene, intestinis, vel aliis.

Causa pro-
casarctica. Ad causas procatarticas multi referunt aërem frigidum, pluviam, glaciem, nivem, & iter facere per loca nivosa & nimis frigida, ut per Alpes. Verum etsi verum sit, multos, qui per alpes, & similia loca tempore hiberno iter faciunt, ita congelari, ut partes extremæ emoriantur, & tandem sphacello corripiantur: tamen planè alterius generis est hæc congelatio, quæ fit à frigore hiberno, quàm de qua hic sermo est. Ita cibi quidem, qui humorem melancholicum generant, ad hoc malum producendum aliquid facere possunt: sed nisi humor is, vel vapor inde emissus peculiarem vim congelandi & figendi spiritus induat, causa hujus mali proxima non fit. Referunt huc nonnulli etiam contactum torpedinis piscis, fumum vel inunctionem argentivivi. Verum & ista omnia potius stuporem in sensu tactus, quam Catalepsi inducunt.

Signa Diagnostica.

Signa Dia-
gnostica.

Malum hoc subito hominem invadit, & in quo statu agrum offendit, vigilantem, stertentem, bibentem, edentem, scribentem, legentem, in eo immoratur servat, ac si congelatus esset. Ager apertos oculos habet, eosque fixos & immobiles, palpebris veluti rigentibus, quas ne ad minas quidem claudit. In sensibus tamen in quibusdam aliqua est differentia. Qui enim exquisitè Catalepsi laborant, nihil audiunt, nihil vident, etsi oculos apertos habe-

ant, quòd mens non attendit. Alii audiunt & vident, sed nihil loqui possunt. Quidam etiam movere manus visunt. Quidam si impellantur, ambulant, sed instar statuarum in eodem statu manent. Quidam etiam somnia se vidisse ferunt. Respiratio servatur, sed ita, ut per intervalla sæpe magnum spiritum ducant. Pulsus similis est lethargicorum; non tamen ita languidus & mollis, magis verò æqualis. Præterea in lethargicis laxatur universum corpus: contra stipatur & cogitur in Catalepticis, teste Galeno, 4. de caus. puls. cap. 16. Alvus & urina supprimitur expultrice sopita, nec stimulationem excrementorum percipiente.

Prognostica.

Prognos-
tica.

1. Catalepsis morbus periculosus est, & nisi tempestivè agris succurratur, stupidi moriuntur non aliter, ac si gelu hiberno rigentes emoriantur.

2. Eò periculosior est Catochus, quòd plura graviora symptomata conjunguntur, ut spirandi difficultas & interceptio, oculorum distortio, excrementorum suppressio, & tandem virium summa imbecillitas ac exolutio. Ita Hippocrates, 3: Prorrh. text. 4. scribit: *Qua cum exsolutione fiunt Catoche & aphonia, periculosa sunt.*

3. Tempus, inter quod sive ad salutem, sive ad mortem morbus terminatur, breve est.

4. Intereunt Cataleptici, sive per virium dissolutionem, sive per suffocationem, ubi adeo motus cohibetur, ut respiratio supprimatur.

Indicæ

Indicationes.

Vapores spiritus congelantes & immobiles reddentes à capite retrahendi, & in eo discutiendi, & materia, è qua generantur, evacuanda; totiusque simul ratio habenda. Quod reèissimè fieri posset, si occulta illa vaporis qualitas & natura nota esset. Interim cephalica calefacientia & humectantia usurpanda, & curatio, qualis intemperiei capitis cum melancholia, & vapore melancholico supra, *part. 1. cap. 7. & 12.* fuit proposita, instituenda. Et si omnino ad qualitatem occultam respicere liber, medicamenta; quæ Epilepsia, & soporosis affectibus conveniunt, adhibenda.

Curatio.

Itaque, si æger sanguine abundet, vena cephalica fecetur. In aliis, clystere actiore prius alvus eluatur, & reliqua diversionum genera usurpentur. Postea humor melancholicus præparetur & evacuetur; ut supra; *locis allegatis*, dictum. Minimè autem hic à parvis incipiendum est auxiliis, quod in morbis, in quibus periculum non impendet, tutò facere licet: at ubi vitæ periculum imminet, alienum est à ratione, à mitioribus inchoare velle. Topica quoque ibidem proposita usurpentur, fiantq; fomentationes, iunctionesque ex chamæmelo, meliloto, floribus stœchad. Arabicæ, buglossi, majorana, roremarino, primula veris. Et hoc observandum, ne in principio nimis calida & sicca adhibeantur, sed potius temperata & humectantia, ut materia

ad evacuationem aptior reddatur. Monendum quoque hoc, ne in topicis acetum adhibeatur, ne vis congelandi & figendi spiritus in vapore vel humore aceti usu augeatur.

Diata.

Diætæ etiã ea sit ratio, quæ supra, *in temperie cum humore melancholico*, fuit proposita.

CAPUT XXXI.

*De Epilepsia.**Nomen.*

Epilepsia Græcis dicitur ab *Ἐπιλαμβάνειν*, quod subito mentem sensusque omnes quasi prehendar.

Ἐργόν quoque *νόσημα*; seu quod crederetur divinitus immitti, & à *δαμόνε* aliquo, qui hominem tam repente ac subito corripere, provenire, quemque ideo incantationibus curare conati sunt, ut ex libro de Sacto morbo videre est, seu quod nobilissimam & sanctissimam corporis partem, cerebrum, occuparet & perturbaret, ut Platoni, *in Timæo*, placet; seu quod magnus morbus sit. *Ἐργόν δὲ τὸ μέγα*, quod magnum est, sacrum appellatur, *Aretæus*, de *causis & signis morbor. diuturnor. lib. 1. cap. 4.* seu quod sit morbus detestabilis & abominandus, sicut apud Poëtam *Auri sacra fames* dicitur.

Παιδὸς παίδιον & *νόσημα παιδίων* Hippocrati de *Aere, aqua, & locis*, quod pueris familiaris sit. Aristoteli, 30. *Problem. 1.* fortasse *ἡ πᾶσι παῖδας ἐκσε-*

στis. Hinc Avicennæ mater puerorum dicitur.

Herculeus morbus, non tam, ut sentire videretur Aristoteles, *loc. allegat.* quòd Hercules eo laboraverit, quàm, ut Galenus, 6. *Epidem in fine*, statuit, ob sævitiam & magnitudinem, & τὸ δύσκαταμαχίτων, id est, quod faciliè vinci non possit.

Caducus, à casu & lapsu subito ægri.

Comitialis, quod in comitiis & hominum frequentia faciliè detegatur, & quod, si hoc malo correptus quis fuisset, comitia peragi fas non esset.

Sonticus, quod valde noceat.

Lunaticus, Tralliano, *lib. 1. cap. 15.* vel quòd in novilunio nati solent hoc morbo corripi: vel quod secundum Lunæ conversiones hic morbus invadit.

Qui insputatur, Plauto, *in Captiv. Act. 3. sc. 4.* Contagiosum enim antiquitas credidit. Hinc Plinius, *lib. 28. cap. 4.* despuimus comitiales morbos, hoc est, contagia regerimus. Nam experire inter amuleta habitum est priscis, & ne familiam inficerent, rus ablegabant epilepticos. Apuleius, 1. *Apolog.*

Major morbus, Celso, *lib. 3. cap. 27.* Germanis, die fallende Sucht / schwere Noth / schwere Gebrechen / schwere oder böse Kranckheit / etc.

Definitio.

Definitio. Est autem Epilepsia actionum principum, sensusque & motus voluntarii ablatio & cessatio, cum totius corporis præternaturali concussione & motu convulsivo, à materia acri & peculiati ac occulta vi, cerebro infesta, & mem-

branas cerebri, nervosumque genus vellicante ortum habens.

Causse.

Proxima & continens causa est vapor vel humor specifica & occulta vice. *Proxima Epilepsia causa.* rebrum ac membranas cerebri & nervosum genus vellicans, ut infra, *quæst. 2. & 3.* pluribus probabitur.

Antecedentes sunt, quæcunque specifica illam corruptionem pati, atque *Causse antecedentes.* ita materiam acrem, malignam, cerebroque adversam suppeditare possunt. Alias enim, & nisi *Ἀξίθεσις* Epilepticam induant, Epilepsiam parere non possunt. Humores videlicet quicunque, sanguis, melancholia, bilis, pituita, semen, sanies; imò corporis partes, sicut ex cranii carie Epilepsia excitari solet, secundum item corrupta, vermes. Quæ verò ratione hæc causa hanc corruptionem induant, explicari facile non potest; cum *Ἀξίθεσις* illa Epileptica occulta & *ἀπύτη* sit, & non nisi ex effectu pateat.

Quandoque etiam hoc malum hære- *Causse remota.* ditarium est, & à parentibus cum semine & sanguine eorundem in liberos diffunditur, atque Epileptici Epilepticos generant. Facit ad Epilepticam dispositionem induendam etiam astrorum positus, & plerumque qui in eclipsi lunari nascuntur, huic malo obnoxii sunt; de quo consulantur Astrologi. Corripiuntur autem hoc malo frequentius pueri; unde & *παῖδιον νόσημα* Græcis, & *puerilis passio* dicitur Cælio Aureliano: hinc adolescentes & juvenes; rarius ætate majores.

Remotiores etiam quasdam causas *Causse remotæ.* ad Epilepsiam generandam facere experi-

experientia docuit; quales sunt, cibi excrementitii, graveolentes, & facile corruptibiles. Quamquam enim non in omnibus Epilepsiam inducant; tamen frequentius, quam alias ad Epilepsiae generationem faciunt. Ita ex esu fructuum hotariorum crudorum, & lactis nimia ingurgitatione puellam Epilepsia correptam fuisse, refert Franciscus Hildesheim; *specileg. p. 599*. Cibi itidem illi, qui peculiari vi Epilepsiam excitare creduntur, ut carnes haedorum, epar hircinum & caprinum, coturnices, passeris, anguillae; de quibus exemplum habet Forestus, *lib. 10. in Schol. observ. 57. apium*, de quo infra, *quest. 12. lentes*, de quibus exemplum habet Julius Alexandrinus, *lib. 8. salubr. cap. 7. tubera & fungi*.

Procatarepticæ verò atque evidentes causæ, quæ materiam, Epilepsiae causam, movere, aut, ut antecedentes *Αἰτιαι* illam Epilepticam suscipiant, facere possunt, sunt, calor Solis, radii Lunæ, quos Anathyllus, Medicus, apud Stobæum, *serm. 100. κατηφαιας καὶ ἐπιληψίας ἀνακινεῖν* scribit; inedia, ejus exemplum recitat Galenus, de Grammatico, *s. de loc. aff. cap. 6. potus vini generosi & vaporosi, mora longa in balneo; cujus historiam affert Gabelkoffer, Centur. 4. curat. 59. Olfactus rerum foetidarum, bituminis, picis, gagatis, cujus suffitu antiqui servos emendos, an essent Epileptici, explorabant, Mercurialis, de morb. capit. cornu, sulphuris, epatis caprini assati, Mercurii sublimati, aquarum fortium, alii, apii, petroselini; animi affectus, ut*

ira, Johan. Baptist. Montanus; *Consil. 41. terror ex tonitru, clangore tubarum: cujus exemplum apud: Johan. Matth. à Gradibus, in 9. Rhafis, Forestum, lib. 11. in Schol. obs. 54. bombardarum fragore, aut occurrente re aliqua improvisa & terribili. Ita excitam fuisse Epilepsiam ob fratrem subitò mortuum, refert Amatus Lusitanus, Centur. 12. curat. 90. ob decollationem spectatam, Martinus Weinrich, de Monstris, cap. 15. Epilepticum cadentem, Platerus, lib. 1. observ. Christoph. à Vega, lib. 3. de arte Medic. cap. 12. narrat. Imò per jocum incussus metus & terror pueros fecit Epilepticos, referente eodem Christoph. à Vega, loc. alleg. mæror; cujus exemplum habet Amatus Lusitanus, Centur. 2. curat. 90. ira, referente Galeno de Grammatico *s. de loco affect. cap. 6. exercitatio vehemētior; Untzerus, de Epileps. p. 102. titillatio, capitis inclinatio diuturna, medicamenta purgantia fortia, Venus. Tandemq; Dæmon malus se non rarò dispositioni Epilepticæ immiscet.**

Differentiæ.

Sunt quidem plures Epilepsiae differentia, ut quoddam alia est fortis, alia mitis; *Differentia.* alia recens; alia inveterata; quod alia servat periodum, & vel singulis annis semel vel bis, vel singulis mensibus, in novilunio & plenilunio, vel brevioribus intervallis, sed iis statim & certis, invadit; alia verò non servat periodos, sed nunc sapius, nunc rarius, nunc per breviora, nunc per longiora inter-

Causæ pro-
catartica
& eviden-
tes.

intervalla infestat. Est etiam epilepsia alia perfecta, alia imperfecta, ut mox de signis dicitur. Differentia tamē, quæ ad curationem maximè facit, est, quæ sumitur à causa, aut potius à loco, in quo Epilepsia causa generatur, quæ est, quod alia est primaria, seu per *ιδιοπάθειαν*, & provenit à materia in capite generata; alia per consensum, à materia ad caput elevata, sive à toto, sive à certa aliqua parte.

Itaque dicemus primò in genere de Epilepsia & signis diagnosticis ac prognosticis, & curatione, quæ in quacunque Epilepsia locum habet; secundò de Epilepsia per primarium cerebri affectum; tertio de Epilepsia per consensum.

I.

De Cognoscenda & Curanda Epilepsia in genere.

Signa Diagnostica.

Signa Epilepsia imminenti.

Qui comitiali vitio solent corripitur, jam adventare in valetudinem intelligunt, si calor summa deseruit, & incertum lumen, nervorumque trepidatio est, si memoria sublæditur, caputque versatur. Seneca, *lib. 3. de Ira, c. 10.* Splendores instar iridis oculis observantur, odorem foedum sentiunt, aures sonant, bilis præter rationem accenditur. Aretæus, *lib. 1. cap. 5.* Capitis dolor & gravitas, pallor faciei, inordinatus linguæ motus, tristitia quædam percipitur.

Ubi autem jam invadit paroxysmus, *Signa Epilepsia præsentis.* homo subito corruit, toto corpore convellitur, & motu non voluntario concutitur, omnes animales functiones tolluntur, atque inde post paroxysmum æger nihil eorum, quæ circa se gesta sunt, recordatur.

Nonnunquam tamen in mitiore Epilepsia æger non toto corpore convellitur, neque concidit, sed aliquæ saltem partes convelluntur, & vel caput saltem concutitur, vel oculi contorquentur, vel manus ac pedes hinc inde jactantur, vel manus clausæ tenentur, vel æger in gyrum agitur, aut hinc inde discurret; nihil interim loquitur, audit, sentit, & paroxysmo finito ad se reversus omnium, quæ egit, vel acciderunt, ignarus est. Observavit non cadentem Marcell. Donatus, *lib. 2. hist. Med. mirab. cap. 4.* stantem Antonius Benivenius, *de abditis morbor. causis, cap. 97.* qualem ipse etiam vidi, sedentem Dodonæus, *in Schol. ad cap. Benivenii allegat.* cursitantem Erastus, *in Anatom. librorum Comitum Montan. part. 2. p. 195.* Nonnunquam etiam evenit, ut Epilepsia laborans ea, quæ aguntur, audiat, & post paroxysmum eorum recordetur: cujus exemplum est apud Brunnerum, *Consil. 14.*

Accedit his nonnunquam ut æger, præcipuè in morbi insultu, vociferetur, & vocem inconcinnam edat, aut cum stercore spiritum sonorum emittat, dentibus stridat, spuma ante os appareat, quam sanguineam vidit Crato; urinae, feces alvi, aut semen præternaturam excernantur.

Differt

Differt Epilepsia à vero spasmo, quod spasmus, cuius species sunt, ἐπιπλοῦσθαι τῶν, ὀπιδοῦσθαι, & tetanus, est convulsio, seu musculorum ad principia contractio pertinax & continua: in Epilepsia verò corporis fit concussio per intervalla. In convulsione nulla in facultatibus principibus fit læsio: in Epilepsia verò principes functiones & sensus simul plerumq; læduntur.

Prognostica.

Prognostica.

1. Epilepsia omnis periculosum & longum malum est. Alia tamen alia periculosior est; alia minus periculi conjunctum habet, ac facilius curatur.

2. Epilepsia hæreditaria vel omnino nunquam, vel rarissimè curatur; eamque neque ætas neque Medicus discutere potest.

3. Recens curatu facilius est, quàm inveterata; & si in initio neglecta fuerit, frequenter iis, qui ea detinentur, commoritur. Alexander Trallianus, lib. 1. cap. 15.

4. Periculosior est, in qua functiones animales omnes abolentur, & convulsio vehementior est, ac diuturnior, atque excrementa sponte effluunt.

5. Curatu facilius est, quæ, licet sit crebrior, breviores habet paroxysmos, & convulsionem non vehementem, & in qua æger liberius spirat.

6. Epilepsia ante pubertatem eveniens, curabilis: post annum verò 25. fere usque ad mortem durat. 5. Aphor. 7. quod tamen ut plurimum verum est. Nonnulli enim, qui post annum ætatis

25. Epilepsia correpti fuerunt, Medicorum ope liberati sunt. Testaturque Trincavellius, lib. 1. consil. 29. se vidisse senem quinquagenarium, qui laboraverat 25. annis Epilepsia, curatum fuisse: qui tamea incidit in febrem & scabiem similem lepræ, quæ plus illi negotii faciebat, quàm Epilepsia, donec eandem superaret. Et Nicol. Florentinus fœminam quadragenariam ab infantia Epilepsia vexatam liberavit.

7. Epilepsia laborantes juniores cum ætatis mutatio, tum loei, & victus liberat. 2. Aphor. 45. Sed & Epilepsia, quæ cum ætatis flore evanescit, abiens quasi pulchritudinis invidia quosdam deformat, aut manum inutilem reddens, aut faciem torquens, aut sensum aliquem auferens. Aretæus.

8. Infantes admodum parvi, & mox post nativitatem Epilepsia correpti, rarò evadunt.

9. Infantes tempore novilunii nati plerunque epileptici fiunt, & rarò mortis periculum evadunt.

10. Epilepsia in senibus ac decrepitis difficulter curatur.

11. Si mulierem utero gerentem fortis Epilepsia invadat, magnum periculum minatur.

12. Si ad usum sternutatoriorum æger non sternutet, malum indicium est, atque argumentum, naturam jam ferè succumbere & prostratam esse: nisi in ægro quedam ad sternutationem sit ineptitudo ac impotentia naturalis. Observatum autem, quosdam nullo remedio ad sternutationem commo-

13. Epilepsia nonnunquam in paralyfin terminatur. Quod etsi nonnulli negant, experientia tamen ita rem se habere testatur; atque existant exempla apud Schenckium, in *Observat.*

Indicationes.

In curatione Epilepsiae duo à Medico requiruntur. Primum est, ut à paroxysmo, quam fieri potest citissime, & sine omni damno, æger liberetur. Alterum, ut præcaveatur, ne in posterum æger Epilepsiam iterum corripiatur.

Rectissime tamen etiam ad paroxysmum instantem seu impendentem respicitur, operaque danda, ut is avertatur, aut saltem minus vehemens evadat, ligaturis convenientibus partibus adhibitis, si per consensum malum fiat. Statim verò, ubi paroxysmi instantis signa præsentit æger, pilulam unam laudani opiati, cujus partibus quatuor una olei camphoræ admista fuerit, vel rotulam unam antepilepticam capiat & assumat. In quem usum hæc Rotulæ antepilepticæ parari possunt:

℞. *Putr. rad. pæon. iusto tempore collecta* Drach. ʒ.

magist. perlar.

corall. rub. an. Drach. ʒ. ʒ.
cranii hum. Drach. ʒ.

sacch. opt. in aq. tiliæ dissolventi q. s.

E. l. a. Confectio in tabulis.

Potest etiam essentia castorei, gutt. ij. vel v. dosi, in aqu. flor. tiliæ propinari. In horum defectu exhiberi possunt ol. succinialibi gutt. j. vel ij. in aq. Epilept. Langii.

Vel præbeatur seq. Haustus:

℞. *Aq. Epilept. Langii* Drach. vj.
sir. de pæon. Drach. ij.
spir. Vitri. gutt. vij.
Misc.

Vel Potionis sequentis cochl. unum atque alterum:

℞. *Aq. st. tiliæ,*

pæon. an. Unc. ij.

cheiri,

herba Trinit. an. Unc. ʒ.

essentia pæonia Drach. ʒ.

sir. de pæon. Unc. ʒ.

Nares & præcordia inungantur balsamo aliquo antapoplectico, vel balsamo rutæ aut succini.

Prius perficitur, si vapor malignus, & materia illa cerebrum nervosumque ^{Quid in paroxysmo} genus sua acrimonia & malignitate ^{Epileptico agendum.} molestant æ turbans a cerebro omnibus, quibus fieri potest, modis revellatur, discutiatur, dissipetur & tollatur; per medicamenta imprimis antepileptica, seu materiæ illi peculiari modo opposita, facultas excitetur; & ne æger in paroxysmo damni aliquid patiatur, præcaveatur.

Posterius ut præstetur, primò radix ^{Quomodo Epileptici extra paroxysmum curandi.} mali venæ sectione, purgatione, quam præcedat præparatio, & sudoris provocatione tollenda.

Secundò, ipsa maligna qualitas, & Epileptica ^{Agens} antepilepticis expugnanda.

Tertio, cerebrum privatim per er rhina, apophlegmatismos, & gargarismos expurgandum.

Quarto, materia, quæ iterum cumulari posset, per setaceum, cauterium, & fontanellas absumenda & evacuada.

Quinto,

Quintò, caput appropriatis medicamentis roborandum.

Sextò, diætã reliquæ curationi conveniens instituenda.

In genere autem hæc notanda: 1. In præparantibus purgantibus, sudoriferis, roborantibus semper ea esse eligenda vel admiscenda, quæ cerebro & nervoso generi sunt familiaria & appropriata, & quæ vis specifica Epilepsiæ resistunt. 2. Sæpius & per intervalla medicamenta esse repetenda. 3. Ad nauseam evitandam, & ventriculi debilitatem præcavendam utilissimum esse, medicamenta cibo ac potui admiscere, ac potum ac cibum medicatum præbere.

Cura in Paroxysmo.

Curatio in paroxysmo. 1. Æger in loco lucido potius, quàm tenebricoso contineatur, & capite sublimi collocetur.

2. Dentes diducantur, patulumque os servetur, interjecto ligno aliquo, commodissimè visei querni, si ad manus sit, vel cochleari, vel alio instrumento, (quæ succo vel extracto rutæ inungi possunt) ut æger facilius spiret, spuma effluat, & imprimis ne linguam morfu lædat vel amputet. Observavit enim Galenus, *de differ. morb. cap. 8.* & Forestus, *libr. 10 observat. 66.* quosdam in paroxysmo particulam linguæ sibi morfu amputasse.

3. Clamore forti in aures factò fæcultas exciteretur.

4. Membra convulsa, cum pollices & digiti manuum, qui vehementissimè convelluntur, tum aliæ partes, in rectum extendantur leniter; commo-

dumque fuerit, si oleo vel pinguedine aliqua dolorem leniendi & resolvendi vim habente prius inungantur, ut pinguedine humana, anserina, oleo chamæmelino, lilior, albor. amygdal. dulc. vulpino, rutaceo, è castoreo, laurino, lumbricor. terrest. hyperici, juniperi, petroleo.

Ut ꝛ. *Pingued. anserin.*

ol. amygdal. dulc.

-vulpin.

lumbric. an. Unc. ꝑ.

petrolei Drach. ꝑ.

ol. terebinthin. Unc. ꝑ.

Misce.

Vel ꝛ. *Ol. lilior. albor.*

chamamel. an. Unc. ꝑ.

dest. iuniper. Drach. ꝑ.

pinguedin. human. Drach. ii.

Misce.

5. Membra directa ita detineantur, caveaturque, ne ex violenta illa corporis concussionè æger aliquid damni percipiat. Omnem tamen motum cohibere non expedit, ne materia in capite retineatur, & paroxysmus protrahatur,

6. Enumeratis modò oleis & pinguedinibus tota quoque spina dorfi à cervice ad os sacrum illinatur, vel aqua aliqua antepileptica.

7. Revulsio instituatur per frictiones & ligaturas, quæ validæ sint ac dolorificæ, ac ligaturæ sæpe laxentur, iterumque constringantur. Convenit in hunc usum & plantas pedum sale ac aceto fricare.

8. Si paroxysmus sit diuturnior, alvus stimuletur glande vel clystere

acriore, ut non solum excrementa in intestinis ac locis vicinis evacuentur, sed & ea, quæ ad caput elevarentur & evaporarent, revellantur, & ad alvum deducantur. Exempli gratia:

℞. Rad. pæon.

ireos, an. Unc. ℞.

fol. ruta,

betonic.

maioran.

summit. centaur. minor.

an. M. j.

flor. tilia,

lavendul. an. M. ij.

sem. fenic.

anisi,

pæon. an. Drach. j.

agarici in petia ligati Drach. ij.

Coqu. in suff. quant. aqua fontan.

Colaturæ ℞. ℞ j.

In qua dissolve

elect. diaphanic.

benedict. laxat. an. Unc. ℞.

hiera simpl. Drach. ij.

olei rutæ. Unc. ij.

mell. anthosat. Unc. j.

salis Drach. j.

Misc.

F. Clyster, cujus vis augeri potest, si pilular. aurear. vel. trochisc. alhandal. grana aliquot addantur.

Chymici croci metall. vel vitri Antimonii gr. iij. vel iiij. in aqua cōveniente ebullire sinunt, & colaturam clysteri admiscunt. Vel etiam reliquis purgantibus omissis croci metall. Drach. ℞. in li. quore conveniente coquant, & colaturam cum decocto clysteris miscunt.

In patoxyfmo epileptico ex utero &

ventriculo nonnulli etiam vomitum commendant, penna oleo, cui gr. iij. fl. Antimonii admista sint, intincta excitatum. Nam per vomitum solet tum solvi accessio.

9. Naribus ea adhibeantur, quæ non solum vim attenuandi & discutiendi habent, sed & specifica vi Epilepsiæ resistendi prædita sunt. Inter quæ primas facillè obinet ruta quocunque modo adhibita. Ea ergo vel viridis cum aceto, vel lacinia succo rutæ cum castoreo misto imbuta naribus admoveatur: vel oleum & balsamum rutæ naribus illinantur. Utile est & oleum vel balsamum succini; quibus addere licet oleum destillatum majoran. pulegii, nucis moschat. caryophyll. cinnomomi. Efficaces etiam sunt aquæ antepilepticæ, si iis nares irrigentur. Rutam sylvestrem tanquam arcanum cujusdam rustici experientia probatum, quo & ipse feliciter sæpe usus est, commendat Trallianus.

Exempli gratia:

℞. Succiruta Unc. ij.

aq. antepilept. Unc. ℞.

castor. Scrup. ij.

pulv. rad. pæon. Scrup. j.

M. & naribus immittantur.

Vel ℞. Ol. destillati rutæ Scrup. j.

succini Scrup. ℞.

maior. gutt. iij.

ol. nuc. mosch. expressi q. s.

F. Linimentum vel Balsamum.

Vel ℞. Ol. nuc. mosch. express.

extract. ruta,

castor. an. Scrup. j.

ol. destill. rutæ,

succini, an. Scrup. ℞.

theri-

theriac. antiqu. Drach. ℞.

F. Linimentum.

Vel ℞. *Extract. ruta* Scrup. ij.

castor. Scrup. j.

ol. destill. ruta,

succini, an. Scrup. ℞.

granor. juniperi,

major. an. gutt. iij.

camphor gr. v.

theriac. antiq. Drach. ℞.

F. Linimentum ad nares.

10. Lingua & palatum illinantur theriaca, Mithridat. confect. anacardin. aut diacastor. in succo vel aqua rutæ, lavendulæ, aut alia conveniente, vel aceto rutaceo dissolutis, aut castoreo in aceto macerato; aut sal ori indatur, & dentibus affricetur, & quidem non tantum sal esculentus, sed & ex ruta, aut aliis plantis antepilepticis paratus.

Vel ℞. *Castorei opt.* Scrup. ij.

benzoes Scrup. j.

Trita misceantur cum

oxymel. scillitic. Unc. j℞.

& diductis dentibus cochleari in os infundantur.

11. Auribus, vertici, & futuræ coronali ea, quæ naribus admoventur, inungere licet; vel sacculus capitalis è speciebus diamosch. dulc. aromat. rotat. ruta, flor. lavendulæ, succino paratus vertici imponatur, vel ceratum ex iis compositum. Inprimis futuræ coronali oleum cranii humani commodè inungitur. Iisdem & tempora inungi possunt.

Commendantur & suffumigia ex granis juniperi, semine rutæ, asa foetida, galbano, & inprimis ex succino

albo. Licet enim succini fumus extra paroxysmum lædat: tamen in accessione, seu in paroxysmo Epilepticos non parum juvat; quod multiplici experientia confirmatum.

12. Si hisce æger non concitetur, aut hisce admotis sternutatio non ciat, fortiora sternutatoria adhibenda; præsertim adultis, de quibus jam loquimur. De Infantibus enim postea in specie dicemus.

Exempli gratia:

℞. *Rad. pyrethr.*

ireos, an. Scrup. j.

castor.

ellebor. albi, an, gr. ij.

sem. ruta,

nigellæ,

fol. maioran. sicca, an. Scrup. ℞.

cubebæ.

piper. alb. an. Scrup. ℞.

F. Pulvis.

Vel ℞. *Piper. alb.*

fol. maioran. siccor. an. Scrup. ij.

castorei Scrup. ℞.

euphorb. gr. ij.

F. Pulvis.

Vel ℞. *Rad. ireos,*

maiorana sicca,

sem. nigellæ, an. Drach. ℞.

piper. albi Scrup. j.

pyrethri,

caryophyll. an. Scrup. ℞.

F. Pulvis.

Horum pulverum granum unum atque alterum in nares ægri immittatur, vel pulverifata, & nodulis inclusa aceto madefiant, & naribus ægri admoveantur.

13. Aëtius, *tetrab. 2. ferm. 2. cap. 15.*

F fff 3.

refert,

refert, collapfos statim excitari, fi sanguis ex magno acri pedis digito vulnerato labiis illinatur; de quo experientia consulenda.

Ferunt, D. Brunnerum, Archiatrum Halensem, turturem fœminam deplumasse, & umbilico Epilepticæ in paroxysmo imposuisse, atque sic paroxysmum abegisse. Extrahi enim fumum quendam venenatum scribunt, quo extracto ipso convellatur, & moriatur. Id quod in fœminis, & si Epilepsia sit ex consensu uteri, vero consentaneum esse puto.

14. Neque amuleta negligenda, sed ægri collo appendenda; radix pœon. ungula alcis, corall. jaspis, smaragdus, lapis chelidonium.

15. Et cum in Epilepticis paroxysmis sæpe cor non parum afficiatur, non abs re fuerit, cordis regioni epithema aut sacculum cordialem applicare.

16. Monenda præterea & hæc, dum turpitudinem faciei, oris distorsionem & spumam occultare volumus, capite & facie tecta, videndum, ut id ita fiat, ne respiratio impediatur. Et dum ori aliquid indimus, ne dentibus lingua lædatur, & ut spuma emanare possit, & palato medicamentum adhiberi. Si convulsio mandibularum sit fortior, lignum, vel alias res duras dentibus interponere non semper licet; cum interdum dentes hoc modo elidantur: sed commodius est, sacculum ex corio vel crassiore linteo paratum, & ruta, sinapi, pyrethro, castoreo, & similibus refertum dentibus interponere, quo mo-

do & os apertum servabitur, & morbo succurretur.

Non solum autem hæc circa ægrum agenda, & extra adhibenda sunt, sed & statim, & dum hæc fiunt, medicamenta quædam, quæ peculiari vi Epilepsiæ adversantur, ejusq; causam dissipant ac discutunt, exhibenda.

Theriaca videlicet, vel *Mithridat.* in aqua convenienti dissoluta.

Vel *castorei* Scrup. j. in *oxymel scillis.* Unc. j. dissolut. aq. *cerasor. nigror. dulcium,* aq. *hirundin. tilia, dentaria,* & Epilepticæ aliæ; *ol. succini* gutt. iij. vel iij. in aqua conveniente, *mixtur. simpl.* Scrup. j. Drach. ß. vel Scrup. ij. in aqua idonea; *liquoris cranii humani* gutt. viij. in aqua conveniente.

Cinnabarim nativam à Cratone commendatam, ac magnetem Epilepsiæ appellatam fuisse, & hunc pulverem ad Epilepsiam, ut & vertiginem, usurpatum fuisse referunt:

℞. *Cinnabaris nativa* Unc. ß.
corallior. rubr. preparat.
margarit. prepar. an. Scrup. ij.
croci. Scrup. j.
fol. auri duodecim.

F. Pulvis, cujus gr. xij. vel xvj. datur cum aqua conveniente.

Vel pulveris alicujus antepileptici Drach. ß. vel Drach. j. in liquore conveniente exhibeatur.

Vel ℞. *Agua flor. tilia* Unc. j. ß.
cerasor. nigror. vel spiritus eorum.
hirundin. vel picarum,
an. Unc. j.

tinctur.

tinetur. sex extract. liquid. castor. Drach. ℞.

Misce.

Velexhibeatur hæc Aqua:

℞. *Cranium humanum non sepultum,*

destilletur per retortam in arena s. a. ignevalido, ac destillatio ter repetatur.

Postea ℞. *pœoniam marem cum toto,* comburatur, & cum aqua fiat Lixivium. Tandem

℞. *Lixivii huius,*
aq. *cranij humani,* an. Unc. iij.
castorei Drach. jß.
spec. diamoschi Drach. ℞.

Destillentur per B. M.

Destillato adde
margarit. preparat. gr. xx.

ol. vitri. gutt. v.

anis. gutt. x.

Misce.

Exhibeatur in paroxysmo cochlear. j.

Cura post Paroxysmum.

Curatio ex tra Paroxysmum. Postquam paroxysmus cessavit, danda opera, ne revertatur. Et quamvis Epilepsia morbus non sit ejusdem generis, sed alia per primarium cerebri affectum; alia per consensum: tamen cum multa sint, quæ in omnibus Epilepsia speciebus locum habent, illa primo proponemus.

Vena sectio.

Et primò quidem si plenitudinis notæ appareant, aut sanguis multus melancholicus adsit, viresque permit-

tant, mox ab initio vena aperiatur; primis tamen viis, ut moris est, clystere vel medicamento propinato expurgatis. In malo verò inveterato venæ sectio tutè omittitur. Quantitas autem conveniens emittatur, & potius parciore, quàm copiosior.

Præparantia.

Postea ad vitiosorum humorum *Præparantia.* purgationem accedendum, qui prius tamen præparandi sunt. Et si verò plerique in præparatione & evacuatione humorum ad pituitam, quod ab ea Epilepsiam fieri credunt, respiciunt: tamen tutissimum erit, considerare, quis humor, vel plures etiam misti abundant, & ad eos curationem dirigerè: cum humores tales vitiosi causas ejusmodi malignas foveant, & earum naturam facilius induant. Ea tamen, ut supra de Indicationibus in genere dictum, medicamenta hic eligantur, vel admisceantur, quæ peculiari proprietate Epilepsia adversantur.

Humor Pituitosus ergo ita præparetur:

Potio.

℞. *Rad. pœoniae decrescente Luna*
collect. Drach. vj.

ireos illyric. Unc. ℞.

acori veri,

angelica, an. Drach. iß.

fem. pœon.

carduibened. an. Drach. ij.

ruta,

fenicul. an. Drach. jß.

fol.

fol. ruta,
betonic.
hyssopi,
salvia,
majoran. an. M. j.
flor. pæon.
stœchad. Arabic.
anthos, an. P. j.
visci querni Unc. ß.

Coqu. in diplomate vase clauso in
f. q. aqu. vel hydromelit. Unc. xv.

Colatura expressa, ubi subsederit,
effundatur, atque addantur.

sirup. de hyssopo Unc. ij.
stœchad. simpl. Unc. jß.
de pæon,

oxymel. scillit. an. Unc. j.

F. Potus, qui in partes quinque di-
vidatur, & diebus quinque mane pro-
pinetur.

Vel ß. Rad. pæoniae Unc. j.

fœniculi,
eryngii, an. Unc. ß.
angelica,

fraxinelle, an. Drach. ij.

visci quern. Unc. j.

betonica,

ruta,

majorana,

hyssopi, an. M. j.

flor. anthos,

stœchad. Arabic.

salvia, an. P. j.

caryophyll. Drach. j.

Infundantur in f. q. aquæ pæoniae &
flor. tilia vase clauso per triduum, in B.
Colat. clara effundatur & f. q. saccha-
ri dulcoretur.

Dosis Unc. iiij.

Vinum.

℞. Visci querni Unc. j.

salvia,

hyssop. an. M. j.

flor. stœchad. Arab.

tilia. an. P. ij.

sem. pæon.

fœnicul. an. Drach. ij

cinamomi Drach. vj.

calami aromat.

nuc. moschat. an. Drach. iiij.

Infundantur in vase vitreo, in suffi-
ciente quantitate vini boni, & mace-
rentur per dies iiij. Postea trajiciantur
per manicam Hippocratis, ac colatu-
ra saccharo, si libet, dulcoretur.

F. Claretum.

Hydromel.

℞. Mellis opt. lb. vj.

aqu. pura lb. xxx vj.

Coqu. in vase conveniente, & de-
spumentur, spuma detracta addantur,
& in sacculo coquantur,

salvia,

betonic.

hyssopi,

rorismarin. an. M. iiij.

flor. stœchad. Arab. M. ß.

visci querni Drach. vj.

Coqu. ad tertiæ partis consumptio-
nem.

Postea liquor recondatur in vascu-
lo ligneo, ut deferveat. Post dies ali-
quot suspendantur in eo in nodulo

cinamomi,

calami aromat.

nuc. moschat. an. Unc. ß.

caryophyll. Drach. ij.

Affer-

Afferretur hebdomadibus aliquot,
ut hydromel clarum fiat, de quo Unc.
iij. propinentur.

Sirupus vel Fulepus.

℞. Sirup. de hyssop. Unc. jß.

stœchad. simplic.

pœonia,

oxymel. scillit. an. Unc. j.

aq. hyssopi,

lilior. convall.

pœon. an. Unc. ij.

cinamomi Drach. j.

Misc. pro duabus dosibus. Loco
oxymel. addere licet spiritus vitrioli
Scrup. ß.

Ad humorem pituitosum utile et-
iam est decoctum hyssopi, de quo in-
fra in Curatione Infantium.

Humor Melancholicus si abundet, ita preparare. tur: Potio.

℞. Rad. pœon.

helen.

polypod. querni, ana

Drach. iij.

betonic.

meliss.

rorismar. an. M. j.

flor. pœon.

stœchad. Arabic.

tilia, an. P. j.

uvar. passar. Unc. j.

glycyrrhiz. Unc. ß.

Coqu. s. a.

Colat. ℞. Unc. jx.

sirup. bugloss. Unc. jß.

tunic.

L. I.

beton. an. Unc. j.

M. F. Potio pro tribus dosibus.

Fulepus.

℞. Aq. pœon.

cerasor. nigror. dulc.

borrag. an. Unc. iij.

sirup. pœon.

stœchad. simpl.

tunic, an. Unc. jß.

aq. cinamomi. Drach. iij.

M. pro tribus dosibus.

Humor Biliosus si abun- det,

℞. Rad. pœon.

taraxac.

graminis,

asparagi,

visci querni. an. Unc. ß.

endiv.

capill. Ven. an. M. ß.

sem. pœon.

endiv. an. Drach. j.

Coqu. in s. q. aquæ puræ.

Colat. Rec. Unc. x.

sirup. endiv. simpl.

violar.

betonic.

acetos. simpl. an. Unc. jß.

Misc. pro 4. dosibus.

Purgantia.

Præparati humores evacuandi sunt Purgatio.
Et quidem incipiendum à lenioribus,
& ad fortiora progrediendum, conti-
nuandusq; eorum usus diutius. Cen-
setq; non sine causa Thom. Erastus,
in disputat. contra Paracelsum, in Epi-
lepticis plurimis frustra omnia fieri,
Gggg si pur

si purgationes non continentur: id-
 eoq; non solum bis, ter aut quater, sed
 etiam plures menses continandas esse.
 Principiò tamen crebrius purgat, &
 alternis vel ternis vel quaternis diebus
 leniora purgantia exhibet. Postea ve-
 rò, cum actiones animales rectè sese
 habere incipiunt, ac symptomata re-
 mittunt, rarius purgat, singulis scilicet
 septimanis semel vel ter in mense; idq;
 per totum annum. Post hoc tempus
 semel in mense, aut etiam per longiora
 intervalla. Monet & hoc Massarias,
 non semper in lenioribus subsisten-
 dum, sed quandoque etiam ad fortio-
 ra purgantia progrediendum esse; &
 hinc fieri putat, quod Epilepsia raro
 curatur; quòd scilicet Medici semper
 in lenioribus hæreant.

Inter purgantia commodiora sunt
 agaricus, pituita præcipuè abundante,
 sicut & helleborus in melancholia; in-
 biliosis rhubarbarum addi potest.

Pituitoso ergo humore abundante
 in decocti ad pituitosi humoris prepara-
 tionem parati sufficiente quantitate.

Coqu. vel infundantur.

agaricis trochiscati Drach. vj.

fol. senæ elect. Unc. ij.

zingiber.

galange, an. Drach. ij.

Colat. R. Unc. vj.

mell. anchosæ, Unc. iij.

M. pro duabus dosibus.

Vel R. Pillular. coch. Scrup. ij.

Arabiar. Scrup. ij.

trochisc. albandal. gr. iij.

℞. sal. gutt. j.

℞. Bilulæ num. xxv.

Verùm quia plerumque humores
 plures simul peccant, purgantia quoq;
 ad plures humores dirigenda, atque
 iis, cum continuatione opus, commo-
 dè præparantia adduntur.

Sirupus.

℞. Rad. pæon. justo tempore collectæ.

Unc. j.

acori veri:

visci querni, an. Unc. ß.

fol. hyssopi.

betonic.

salvia,

ruta,

primul. veris.

carduibened: an. M. ij.

sem. pæon:

fœnicul. an. Drach. iij.

flor. tilia,

lilior. convall.

primula veris, an. M. ij.

polypod. querni Unc. ß.

fol. senæ elect. Unc. ij.

sem. cartham. excorticat.

Unc. j.

agaric. trochisc. Drach. vj.

hellebor. nigri Styriac. præparas.

Unc. ß.

zingiber.

galang. an. Drach. iij.

cortic. citri,

nuc. moschat. an. Drach. j.

Infundantur in suffic. quant. aquæ
 simplic. Postea ebulliant, colentur,
 & clarificentur, additaq; sacchari suffic.
 quant. coqu. lento igne ad sirupi con-
 sistentiam, cui sub finem addantur
 oxymelitis scillit. Unc. iij. De quo den-
 tur.

tur Unc. ij. vel plures, pro corporis ratione.

Oxymel helleboratum Juliani ad Epilepsiam utile descripsit Gesnerus, quod in Augustano Dispensatorio quoque extat.

Habetur etiam sirupus helleboratus ad Epilepsiam utilis apud Quercetanium, in tetrad. in fine. cap. 17.

Vinum.

- ℞. Mechoacann. Unc. ℞.
fol. sena elect. Unc. j.
turbith. elect. Drach. vj.
zingiberis,
galang.
cinanom.
nucis mosch. an. Drach. j.
caryophyll.
granor. Paradisi, an. Drach. ℞.
flor. stachad. Arab.
lilil. convall. an. P. j.

Conquassata macerentur in vini Rhenani ℞. j℞. in vitro clauso loco calido.

Colatura filtretur per chartam, & si liber, dulcoretur. Dosis Unc. iij.

Vel tale, quod Erasius in usu habuit:

- ℞. Rad. pæon.
sem. pæon. excortic. ana
Drach. j. ℞.
cinamomi,
maci,
galang.
zingiber.
caryophyll. an. Drach. j.
fol. sena elect. Unc. j.
turbith. vel agarici Drach. vj.
vini Unc. xij.

aqua simpl. vel alius convenientis Unc. viij.

Macerentur horis 24. & postea additis sacchari Unc. iij. per manicam Hippocratis trajiciantur.

℞. Claretum purgans, quod ad tres vel quatuor haustus suffecerit.

Electuarium.

Electuarium laxativum Norinbergensibus usitatum esse fertur, die purgierende Kriebelkatwerge / dictum.

- ℞. Elect. diaphenic. Unc. iij.
de succo rosar. Unc. i℞.

- antidoti convulsiv. Unc. ij.
turpeth. alb.
esula preparata, an. Drach. j.
castorei,
diagryd. an. Scrup. ij.
costi,
zingiber.
caryophyll. an. Scrup. j.
sem. cumini,
ruta,
croci, an Scrup. ℞.

Cum sirup. rosar. sol.

℞. Electuarium, cujus dosis ab Unc. ℞. ad Unc. j.

Antidoti convulsivæ descriptio hæc est:

- ℞. Visi querni,
rad. pæon. an. Unc. j.
castorei,
salvia, an. Unc. ℞.
baccar. lauri,
cranij hum. ussi, an. Drach. j.
theriac. elect.,
Mithridat. opt. an. Drach. vj.
mellis despum. ℞. ij.

Misc. pro Electuario.

Extracta.

Extractum hellebor. nigri descri-
psit Quercetanus, in *Tetrad*, cap. 14.
Potest & tale fieri:

℞. Cortic. ellebor. nigri *Syriac. au-*
tumno collecti ℞. j.

Macerentur in vase vitreo clauso
in B. in f. q. aqu. rutæ & anisi per octi-
dium. Postea succus exprimitur, &
aqua per alembicum separatur, donec
succus mellis consistentiam acquirat.
Succo huic affundatur spir. vini opti-
mus, & omnis tinctura extrahatur.
Spiritus vini separatur, ut remaneat
extractum.

quoadde *diagryd.* Drach. j. vel *extract.*

scammon. Drach. ℞.

solutionis perlarum Scrup. ℞.

corall. Scrup. j.

salis volatilis succini Scrup. ℞.

ol. succini.

rutæ, an. gutt. viij.

croci opr. Drach. ℞.

ol. cinamomi.

caryophyll. an. gutt. v.

M Dos̄is à Scrup. ℞. ad Scrup. j.

Morsuli.

℞. Turbit. elect. & gumm. Drach. iij.

diagryd. Drach. j. ℞. vel *extract.*

scammon. Scrup. ij.

cinamomi.

zingiber.

nucis moschat.

galanga, an. Drach. ℞.

corall. rubr. prepar. Scrup. ℞.

conserv. pxon. Une. ℞.

℞. *salvia* gutt. vi.

sacchar. in aqu. lilior. convall. &
tilia dissol. q. f.

F. Morsuli. Dos̄is. unc. ℞.

Pilule.

℞. Extr. pilul. cochiar. Drach. ℞.

vel Scrup. ij.

ellebori nigri gr. v.

ol. ruta gutt. j.

F. Pilule xv.

Alexander Trallianus, lib. 1. cap. 15.
commendat Antidotum, quod Theo-
doretum dicitur, & describitur à Pau-
lo Aegineta, lib. 7. cap. 11. Trallianus
autem, ut quoque reliquum corpus
purgare possit hoc antidotum, addit
colocynthidem & scammon. pro agri-
viribus, ac multos se novisse scribit,
quos sola ejusmodi purgatio sanave-
rit. Idem refert, se quidem etiam hie-
rapicra purgasse, ac lap. Armeno, ejus
tribus scrupulis datis, & profecisse: ve-
rùm in comitialibus inveteratis nul-
lum adeo efficac. medicamentum in-
venisse, ut hoc medicamentum pur-
gans, multosq; se novisse desperatos
ab aliis Medicis vel hoc solo persona-
tos fuisse.

Inter Chymica & metallica commenda-
datur Antimon. & quæ ex eo fiunt, vi-
trū, flores, crocus, & hinc facta aqua be-
nedicta Rulandi, spir. Vitri. viridis, qui
ex Vitri. cū urina puerorū destillatō eli-
citur, Mercur. vitæ. Quia tamen pleraq;
ex iis sunt vomitoria, in Epilepsia poti-
us per cōsensum cōveniunt; in Epilepsia
v. per primarium cerebri affectum parū
profunt. Eadem etiā cautè, & non, nisi
rectè preparata, usurpanda. Et de me-
dicamentis ejusmodi prolixè tractat

Querc-

Quercetanus, in tetrade. Quæ an omnia titulos illos & encomia, quæ præscripsit, sustinere possint; experientia docebit; quæ tamen sæpius periculosa: imprimis cum non satis certum, an quædam ex illis ipse Quercetanus, & quæcum fructu, usurpaverit.

Quod autem supra monuimus, post purgantia sæpe ad præparantia redeundum, & ea usurpanda esse, quæ radices mali absumere possunt, hic repetendum. In quem usum Galenus, in consilio de puero Epileptico, medicamentum de scilla commendat, quo per dies XL uti jubet. Laudatur & oxymel scillicitum, quod cum aceto paratur. Si tamen nervosum genus sit imbecillum, simplex potius succus scillæ, cum mellē aut saccharo miscendus, ejusque usus similiter XL diebus continuandus à Drach. ij. ad Unc. ij. ante prandium, & in robustis etiam, ante cœnam, purgante singulis septimanis interposito. Potestque hoc medicamentum vel solum dari, vel etiam antepilepticis misceri.

Trallianus inter simplicia, quæ, si quid corporis meatibus insideat, extenuare & absumere possunt; valentissimum pyrethri radices contusas & melle exceptas esse scribit, si detur cochlearum unum per intervalla, donec undecies exhibueris. Experientia, inquit, probatum est auxilium, ne ipsius vilitatem contempnas.

Verum de scilla, pyrethro, & similibus medicamentis calidis, atque attenuandi & incidendi vim habentibus notandum, ea ab antiquis usurpata fuisse eo præcipue fine, ut pituitam crassam, à qua cerebrum obstructe

Epilepsiam fieri credebant, attenuarent & inciderent. Verum cum Epilepsia potius à materia nervosum genus irritante & vellicante fiat, talia non nisi in frigida & humida corporis constitutione locum habent, aut si in ventre inferiore epilepsia causa pertinacius hæreat; in reliquis cautius usurpanda. Imò magis efficacia sunt, si medicamenta, quæ peculiari vi Epilepsiam curant, adjungantur; cujus generis medicamenta inter antepileptica postea proponemus.

Post repetita præparantia & alterantia subinde ad purgantia recurrendum, & diutius ea, ut antea dictum, continuanda. Ideoque etiam ea eligenda, quæ corpori minus nocent, & minus maligna sunt. Ac licet in principio, cum usurpari incipiunt medicamenta, appetitus deficiat: tamen hoc accidens statim cessat, ut scribit Erasius, paulatim assuefacta natura ad medicamentoium usum & corpore puriore jam reddito, ac per intervalla medicamentis idoneis roborato.

Sudorifera.

Ut radices hujus mali, quæ sæpe al-^{Sudoris} tius infixæ sunt; quam ut purgantibus ^{provocatio.} tolli possint, plane evellantur; post universales evacuationes sudorifera utilia sunt. Nimirum decoctum ligni Guajaci, cujus usu cum victu siccante & extenuante se multos Epilepticos curasse testatur Leonhard. Jachinus, in 9. Rhâsis, cap. de Epilepsia. Continuandus autem ejus usus non solum per dies aliquot, sed & septimanas, si vires forât.

Efficacior autem redditur, si medicamenta Antepileptica addantur.

Exempli gratia;

Rz. Ligni Guajaci lb. j.
visci querni unc. ij.
radic. pæon. unc. j.

Infundantur horis *xxiiij.* in aqu.
lb. xij.

Postea coquantur ad tertiaz partis consumptionem.

Colat. dentur unc. *vj.* ad sudorem ciendum. Remanentiaz iterum coquantur, & decoctum illud loco potus in mensa usurpetur, vel vinum eo diluatur.

Eodem modo decoctum sarsaparillæ, radic. Chinæ, ligni sassafras, parari potest. Commendatur & decoctum visci querni, radicum item pentaphylli.

Quercetanus, in *Pharmacop. dogmat. nest. cap. 8.* tale parat:

Rz. Rasur. ligni buxi unc. ij lb.
ligni juniperi,
rad. pæon.
visci querni, an. unc. j lb.
ligni Rhod.
C. C. an. Drach. vj.
eboris,
radic. China, an. unc. lb.
sem. carduibenedict.
cortic. citri, an. unc. j.

Macerentur horis *24.* in aqu. tepidæ *lb. viij.* Deinde coquantur ad tertiaz partis consumptionem. Sub finem addantur

flor. tilia,
lily. convall. an. p. ij.

Colentur per manicam Hippocratis. Dosis unc. *v.* vel *vj.*

Datur. & lapis Bezoar eundem in usum.

Chymici ad sudorem ciendum spir. carduiben. vel sambuci propinant unc. *j.* spirit. Guajaci Scrup. *ij.* cum conveniente liquore, spirit. Tartar. comp. Drach. *ss.* vel Scr. *ij.* in liquore conveniente, sal volatile C. C. Bezoartic. miner gr. *iiij.* v. vel *vj.* Antimon. fixi Scr. *ss.* cum pauillo theriacæ.

Antepileptica medica- menta.

Corpore evacuato ea medicamenta, <sup>Antepile-
ptica me-
dicamen-
ta.</sup> quæ occulta & specifica vi Epilepsiaz resistunt, usurpanda; siquidem in his maxima curationis spes sita est; eaque singulis diebus, quibus non usurpantur alia medicamenta, exhibenda. Eadem tamen utiliter quoque præparantibus, purgantibus, & sudoriferis admiscuntur.

Simplicia.

Pæonia radix, semen, & flos. Colligendam autem radicem censent alii mense Julio, Sole existente in Leone, in meridie, die Solari, decrescente Luna, aut potius nova, aut Hercule. Saxonia. Alii mense Aprili, Sole in Ariete existente, & luna in opposito; quod commodius videtur. Alii Sol in Ariet. existente, luna in Sagitt. *Viscum quernum, corylinum, & tilia,* quod nonnulli aliis præferunt, Scr. *ij.* vel Drach. *j.* pondere datû. *Ruta* cum *hortensis* tum *sylvestris.* De *Ruta sylvestri,* ejusque in Epilepsia efficacia videtur Alexandr. Trallianus, *lib. 1. cap. 16.* *Polium montanum, castoreum,* à Scrup. *j.* ad Scrup. *ij.* in liquore conveniente datum.

Vngula

Ungula alcis, cranium hominis violenta morte, non morbo, interempti, atque imprimis officulum illud triangulare, quod ad suturam καμβδοειδῆ in quibusdam corporibus reperitur. Commendantur etiam *radices pyrethri*, *eryngii*. Multos sanatos fuisse bibendo pulveris bryoniæ Drach. j. cum vino manè, unius anni spatio, scribit Fontanus, *lib. I. Pract.* Mizaldus *verbenam* collectam Sole per arietem currente, & mixtam cum aliquot granis pœoniæ tritam, & cum vino exhibitam epileptico miracula facere scribit. *Valeriana sylvestris* Radix, antequam caulem edat, effossa valde commendatur à Fabio Columna, *in histor. Plantarum*, qui refert, pulveris radicis hujus cochleatis dimidii quâritate semel vel bis cum vino vel alio conveniente liquore sumpti usu pro ægri & ætatis ratione plurimos sanatos fuisse. *Succinum*, *corallium*, *smaragdus*, *lilium convallium*, *flores tilie*, *radix dentaria*, *vesica apri cum urina in furno exiccata*, C. C. *coagulum leporis erui magnitudine ex aceto potum*: *Lignum coryli*, quod Heracleum Rulandi esse censetur, *stercus paponis*. Hieron Donzelinus, *in consil. à Scholtzio collectis*, *consil. 38.* scribit, cum primum pullus equinus in lucem prodit, vomitu quandam materiam rejicit, quam, nisi quis præcipiat, mater statim devorat. Hæc siccata & pulverisata à morbo comitiali liberat certo experimento, ut mira res videatur.

Præter ista selectiora recensentur passim & alia. Πολυνευρον (pleriq; interpretantur plantaginem illam septinerveam) oportet jejunum quam pluri-

mum viridem comesse à prima Luna ad tricesimam, tradit Scribonius Largus, *cap. 2.* qui & alia remedia eodem loco habet.

Ab aliis laudatur eparasini assatum, epar capri, turdi, urfi, imprimis verò epar ranarû, utpote quo etiam pertinax & diuturna Epilepsia sublata sit. Colligantur mense Majo, Julio, Junio ranæ palustres virides n. XL. vivis dissectis epar eximatur, siccentur eparata extensa super foliis brassicæ in olla vitreata lento calore. Hinc pulveriscentur, & pulvis in partes quinque æquales dividatur, cujus pars prima jejuno cum vino sub ipso novilunio luna in Cancr existente, exhibeatur, & pulvere sumpto duabus horis à cibo æger abstineat: secunda pars cubitum ituro exhibeatur, & ita reliquæ. Sanguis mustelæ, caro mustelæ, cor lupi, testiculi apri, cor leporis, hirundinis, ciconiæ, vulturis, lac equinum, fimus ciconiæ, vermiculi inventi in tuberositatibus cynosbati; & alia multa, quæ cum aliis recensentur, tam ex aliis collegit Nicolaus Florentinus, *serm. 5. tr. 2. cap. 15.*

Chymici spir. Vitr. commendant, & ol. lunæ, & ex modo enumeratis præparant oleum & sal volatile ac magisterium succini, de quibus videatur Cl. D. Michaël Döringius, *in Diatribe de Opobalsam sect. 3.* oleum ligni buxi, Quercetanus *in tetrad. cap. 16.* ol. ligni Heraclei seu corylini, de quo Rulandus, *in observationibus*, oleum, spiritum, & sal volatile & solution. cranium humani: tincturam & magisterium coralkorum, unguæ alcis solu-

solutionem seu magisterium; item sal,
aqua & spiritus ceraforum nigrorum
dulcium, florum tiliæ, pœoniæ. lili
convall. radic. dentariæ.

Et si verò ista medicamenta ob pe-
culiarem illam vim, quâ Epilepsiæ ad-
versantur, in omnibus causis locum
habent; quia tamen alia temperata, a-
lia calida, alia frigida sunt, non inutile
fuerit, pro diversa corporis constitui-
one in his aliquem delectum habere.

Composita.

Ex his simplicibus multa composita
fiunt medicamenta.

Pulveres.

Habentur ferè in omnibus pharma-
copoliis pulveres contra Epilepsiam:
inter quos est & pulvis Marchionis di-
scus, in dispensatorio Augustano.

℞. *Visci querni,*
granor. pæon.
fl. pæon.
radis. pæon. omnium justo tempore
collector. an. Drach. ij.
solut. corall. Scrup. ij.
perlar. Scrup. j.
cranij humani Drach. j. ℞.
ungula alcis Drach. j.
succini albi Drach. ℞.

F. Pulvis.

Dosis à Scrup. j. ad Drach. j. Pro di-
tioribus addi potest.

lapid. bezoar,
ambra, an. Scrup. j.
moschi Scrup. ℞.

Pulvis Epilepticus D. Sigismundi
Kolreuteri:

℞. *Fol. beton.*
hyssop.
quinque fol.
herb. paralyf. an. Unc. ℞.
rad. bryon.
pæon.
eryng.
gentian. an. Unc. ℞.
lign. visc. quern.
corylini,
coriand. preparati,
sem. pæon. excort.
an, Scrup. viij.
C. C. ussti preparati Drach. vj.
ungula alcis Drach. ij.
unicornu Drach. iij.
fl. pæon.
lil. convall.
viol. purp.
tilia, an. Drach. iij.
(al. Drach. j. ℞.)
fol. auli puri num. vj.
corall. alb.
rubr.
margarit. preparat.
an. Drach. ij.
chamedr. Drach. ij.
unguium anterior. pedum me-
diorum leporis Drach. j.
coaguli leporis vel hædi
Drach. iij.
oss. de C. C. num. iiij.
rasura partis anterior. cranij
Drach. iij.
ungula asini Scrup. iiij.
Ex his omnibus F. Pulvis.

Alius:

℞. *Vngul. alcis,*
cranij humani,
rad. pæon.

sem.

sem. pæon. an. Drach. j.
corall. rubr. prepar. Scrup. ij.
diamosch. dulc. Drach. ℞.
 F. Pulvis.

Alius:

℞. *Rad. pæon.*
iridis Florentin.
visci querni,
ungula alcis,
granor. pæon. an. Drach. j.
corall. rubr. prepar.
succini albi, an. Scrup. j.
smargar. prepar.
ligni aloës, an. Scrup. ℞.
flor. lavendul.
smaragd. prepar. an. gr. vj.
 F. Pulvis.

Alius:

℞. *Cranii humani Drach. ij.*
succini prepar.
magist. perlar.
corall. an. Drach. j.
ungul. alcis,
visci qu.
rad. pæon. an. Scrup. ij.
flor. tilia,
lavendul. an. Drach. ℞.
lap. bezoar,
unicornu veri, an. Scrup. ℞.
 F. Pulvis.

Dosis ad Drachm. ℞.

Alius:

℞. *Sem. pæon.*
visci querni,
cranii hominis è parte anteriore,
stercor. pavonis, an. Drach. j. ℞.
spec. diaxylo aloës,
diamosch. dulc. an. Drach. ℞.
 F. Pulvis.

Postuat addi sacchar. Drach. iij.

L. I.

Alius:

℞. *Rad. & gran. pæon.*

bebar.

visci q.

ci. amomi, an. Scrup. j.

succini albi preparat.

castorei, an. gr. iij.

cranii hum.

C. C. usti preparari, an. Scrup. ℞.

lap. smaragdi Scrup. ℞.

spec. diamosch. d.

diaplr. an. Scrup. j.

fol. auri num. ij.

F. Pulvis.

Alius:

℞. *Visci q.*

ungula alcis,

C. C. usti,

corall. rubr.

ocul. 69.

margarit. prepar. an. Drach. ℞.

rad. pæon. Unc. ℞.

rasur. cranii hum. Scrup. j.

fol. auri num. vj.

croci Orient. Scrup. j.

sacchar. candi albi Unc. ℞.

F. Pulvis.

Alius:

℞. *Rad. pæon. Drach. j.*

visci q.

ungul. alcis, an. Scrup. ℞.

simi ciconiar, Scrup. j. ℞.

cal. aromat.

galanga, an. Scrup. ℞.

F. Pulvis.

Alius:

℞. *Rad. pæon. & sem. ejusd.*

tormentill.

lapid. s. pretiosor. preparator.

an, Scrup. ℞.

H h h h

spec.

spec. diamosch. d.
pulv. visci q. an. Drach. j.
cranij human. Drach. iij.
ungul. alc. Drach. ij. β.
macis,
cardamomi,
cubebat.
coriandri, an. Drach. j.
fol. auri & argent. num. vj.
F. Pulvis saccharo edulcorandus.

Alius:

R. *Corn. unicornu, vel; in defectu*
hujus, lapid. bezoar. Drach. j.
ungula alci.
margaritar. non perforat.
corall. rubr.
alb. preparat.
C. C. ussi,
radic. pæon.
sem. pæon. excorr.
visci querni;
auri Vngar. purissimi;
an. Drach. β.

stercor. pavon. Scrup. j.

Pulveriscentur singula seorsim, &

F. Pulvis subtilissimus.

Detur senioribus Drach. β. cum aq.
 A. tilia, vel lilij convall. primulae ver. ff.
 pæon. vel aq. hirund. cum aceto destill.
 Junioribus vero, & praesertim pueris
 trium vel quatuor annorum, aut scrici-
 ter; Scrup. j. una vice detur.

Pulvis è cinnabari nativa Cratonis
 supra propositus est, de quo videatur
 Quercetanus. *interrade, cap. 33.*

Alii ita praeparant:

R. *Cinnab. nativa & mineral. vera*
Unc. j.

Leviter supra ignem lentum in tabu-
 la totrefiat. Postea subtilissimè tera-

tur super marmore in pulverem im-
 palpabilem:

Deinde adde

margarit. preparat.
corall. rubr. preparat.
an. Drach. j. β.
cranij hum. preparat.
G. C. ussi preparat.
an. Drach. j.
croci Drach. ij.
fol. auri num. xxv.

Exactissimè misc. & iterum terantur
 super marmore.

Plures pulveres videantur in *Spicileg.*
Hildesheimi, cap. 7. Antidotario speci-
ali Weckeri, sect. 20.

Aqua.

Aquarum Antepilepticarum passim
 descriptiones multae extant. Aliquot
 saltem exempli loco afferre libet.

Aqua Hirundinum talis parari potest
 est:

R. *Hirundin. num. xlv.*
ruta M. ij.
castor. Unc. j.
vini albi q. l.

Destillentur in B. M.

Aqua Hirundinum D. Sigismundi *Aqua-Hi-*
rundinum.

Kolreuteri:

R. *Pulvor. hirundinum vivorum*
 quot haberi possunt, (e. g. numero
 200.) quibus adde tertiam partem
 (Unc. xiii.) *castorei*. Contundantur simul
 in mortario, & pro qualibet hirundine
 affunde aceti vini cochlear. j. β. (vel eti-
 am ij.) & stent sic sim. in vase vitreo
 per triduum; postea destillentur, & ro-
 stro alembici imponatur cinamomum,
 ut per id transeat.

Alia:

Alia:

℞. *Hirundinum* num. xx.

Macerentur in vino per dies xij.

His adde

visci quern. Unc. iij.

rad. paon. Unc. ij.

castor. Unc. j.

herb. ruta rec. M. ij.

fl. sambuc.

tilia,

rorismar.

primula ver. an. M. j.

cinamomi acutiss. Unc. iij.

cubebae,

niacis, an. Drach. ij.

Incis. & contus. misc. & destill. cum
℞. q. vini Rhen. opt.

Alia:

℞. *Hirundin.* num. lxxx iij.

castorei,

galbani, an. Unc. v.

Drach. ij. β.

sem. coriandr. Unc. ij.

Scrup. iij.

sesseleos Drach. x. Scrup. j.

aceti vini ℞ x. Unc. viij.

F. Destillatio s. a.

Quae aqua fœminis præcipuè exhibetur.

Alia:

℞. *Hirundin. domest.* num. xlv.

amputatis pennis alarum & caudarum grandioribus, non evulsis, discerpantur in medium, & incidantur, affund.

aceti ℞. iij.

vini Rhen. ℞. β.

Stent 3. d. & noct. Postea add.

castor. Unc. β.

visci qu. Unc. j.

ungula albis Drach. iij.

C. C. crudi Drach. ij.

rad. & sem. paon. an. Unc. j. β.

ireos Drach. ij.

Stent iterum hor. 24. postea F. De.
stillatio in MB. bene obturatis vasis,
ne quid expiret.

Alia:

℞. *Hirundin. preparat.* Unc. iij.

castor. Unc. iij.

rad. paon. Unc. ij. β.

succini Unc. β.

fl. lil. convall.

chamam. Rom.

majoran. an. M. j.

Macerentur in aceto forti hor. 24.
Deinde superinfund.

vini Rhen. opt. ℞. vj.

& destillentur in B. s. a.

Aqua Picarum composita talis paratur:

℞. *Sem. paon.*

radic. ejusdem, an. Unc. β.

aristoloch. long. Drach. iij.

visci querni Unc. β.

castorei Drach. ii.

pyrethri Unc. β.

flor. stoechad. Arabic. Drach. v.

lilior. convall. Unc. j. β.

primula veris,

paon. an. Drach. vj.

lavendul.

rorismarini, an. Drach. v.

fol. salvia,

maioran.

beton.

hyssopi, an. Unc. β.

cinamomi,

caryoph.

nuc. mosch.

H. h. h. 2

Carda-

cardamom. an. Unc. ℥.
Singulari crasso modo contusis adde:

aq. lilior. convall. ℥. iij.

flor. tilia. ℥. j. ℥.

primula veris. ℥. j.

Deinde ꝛ. *Pullorumpicar.* num. xx.
Bulliant in vase clauso in aqua lilior.
convall. Hinc mista simul destillentur
in B.

Alia: ꝛ. *Pullor. picar.* num. xv.

Bulliant in *aq. herb. & fl. paon.*
q. s.

Coqu. ad mediet. Exprimantur
fortiter. Expressioni add.

cardamomi.

gran. paon.

cubeb. an. Drach. ij. ℥.

coriand. preparati.

visci q. an. Drach. ij.

galang.

cinamomi.

caryophyll.

nuc. mosch.

macis. an. Drach. j. ℥.

sastor. Drach. j. ℥.

fol. lauri.

bac. lauri. an. Drach. ij.

zedear.

igni aloes. an. Drach. j. ℥.

fl. rorismar.

lavend.

rosar.

majoran.

salvia.

meliss.

heronic.

stach. Arabi.

corr. citri. an. Drach. vj.

zingib. Unc. ℥.

pyreth. Drach. ij.

Pulveris omniagrosso modo, & in
aqu. prædicta: & aq. herbæ paralyf.
stent per d. 14. in loco cal. vase bene
obturato. Postea destill. per B. Tandem
in sine add.

Croci Unc. ℥.

Alia:

ꝛ. *Picar. mundatar.* num. x.

visci q. Unc. ℥.

rad. paon. Unc. j. ℥.

fl. hyperici.

beton.

primula ver.

tilia. an. M. ℥.

majoran.

paon.

fl. cordial. an. M. j.

lavendula.

salvia.

ruta. an. p. j.

nuc. mosch.

cinamomi.

spec. diamosch. d.

diaplin. an. Scrup. j.

Picæ prædictæ & species commisc.
quibus add.

aq. fl. tilia.

paon.

card. ben. an. q. s.

Infund. per hebdom. j. postea de-
still. per B.

Alia Aqua Antepileptica.

ꝛ. *Flor. lilior. convall. recent.*

℥. ij.

primula veris. ℥. j.

Macerentur in vino Malvatico ali-
quor diebus, postea destillentur.

Destillato suo tempore addantur.

flor. beton. M. j.

stachad. Arabia. p. ij.

salvia,

salvia,
betonica,
ruta,
hyssopi, an. M. ℞.
sem. pæon.
visci quern. an. Drach. ij.
rad. pæon. Unc. ℞.
aristoloch.
pyrethri, an. Unc. ij.
castorei Unc. ℞.
galang. maior.
zingiber.
sem. fescil.
cardamomi an. Drach. ij.
cubebæ.
igni aloes.
nuc. moschat.
caryophyll.
cinamomi, an. Unc. ℞.
℞cc. diamosch. dulc. Drach. j.
diambæ.
dianthos, an. Drach. ℞.

Si destillatum superius non sufficiat, affundatur adhuc vini Malvatici tantum, ut emineat supra species iij. digitorum altitudine: macerentur aliquandiu, hinc destillentur in B.

Aqua Antepileptica Di Caspari Dornavii, Archiatri Bregensis, à Cl. Dn. D. Joh. Georgio Pelshofero, Collega & Amico charissimo, mihi communicata:

℞. Flor. lilior. convall. ℞. j.
 Affunde aceti vini acerr. Unc. iij.
 Misc. Postea
 ℞. flor. violar. Unc. iij.
 Contund. cum
 mellis anthos. Unc. ℞.
 ℞. flor. & fol. primul. ver.

betonic. an. Unc. vj.
 Misc. cum supradictis, adde
flor. rosar. rubrar. Unc. iij.
calendul. Unc. iij.
bugloss.
lavendul. an. Unc. ij.
summit. rorismar.
maioran. an. Unc. vj.
salvia ℞. ij.
 Concisa & contusa misceantur
 cum
aq. fl. tilia Unc. jx.
succ. de pur. ruta ℞. j.
 Misc. Postea
 ℞. rad. pæon. unc. vij.
rhapont. unc. j℞.
aceti fl. tunic. unc. vj.
 Miscæ, quibus factis omnes istæ infusiones commisceantur: superfunde
vini Vngar. ℞. xij.
 Stent in loco calido, vase bene clauso, diebus vj. Abstrahæ aquam per vesicam.

Hinc destillato add.

asa dulc.
styrac. cal.
ladani, an. Drach. j℞.
sem. feniculi.
anisi, an. unc. j.
pæon.
eruca,
sinapis
raphani, an. Drach. iij.
visci querni unc. ℞.
ungula alcis Drach. ij.
C. C. preparati Drach. iij.
cranij hum. preparati,
succini albi prepar. an. unc. ℞.
croci Orient.
cinamomi, an. Drach. ij.
 H h h h 3)

carda--

cardamomi,
cubebæ, an. Unc. ſ.

Stent per 2. dies, loco calido. F. rursus destillatio in cucurb. ex arena, donec. ꝑ. vj. exstillarint.

Dubitari tamen non immeritò potest, an ex visco querno, ungula alcis, C. C. præpar. cranio humano vires aliquæ huic aquæ accedant.

Huc referri etiam potest

Aqua Pœoniæ composita, aliàs *Stisſwasser* dicta:

ꝑ. Rad. pœon in Mortio, luna decreſcente, collect.

sem. pœon. conquass.

diptamn. alb. an. Unc. j.

visci querni,

corr. citri rec. an. Unc. ſ.

flor. lil. convall. rec.

primul. ver. rec.

maioran. sicc. an. M. j.

vini Malvæ. opt. ꝑ. vj.

ſpir. vini ꝑ. ij.

M. Incis. & contus. infund. in vase vitreo bene tecto in loco tepido, per mensem, sæpius agitando; destillentur in cucurb. lento igne: destillat. adde

flor. lavend. rec. M. ij.

sem. fœnicul. Drach. vj.

piperis l. Drach. j.

cinamomi acerr.

maticis, an. Drach. jſ.

Contundenda contund. Mixta simul stent 14. diebus de quo in infus. in loco cal. diligenter obstructo orificio vasculi & vitri. Ultimò destillentur lento igne.

Alia Aqua Epileptica:

ꝑ. Flor. lil. convall. ꝑ. j.

herb. paralyſ. Unc. viij.

pœon.

lavend.

tilia,

betonic.

verbasc. an. unc. ij.

pullor juvenum hirurg. purgat.

& vino diligenter lotor.

num. xxxvj.

sem. fler. mont.

carduibened. an. Drach. ij.

pœon. unc. ijſ.

summit. ruta ꝑ. ijſ.

rad. pœon. unc. ijſ.

aristol. l. unc. jſ.

diptamn. unc. ſ.

visci qu. unc. j. & Drach. vj.

cubebæ. unc. j.

piper. n.

castor. an. unc. ſ.

flor. anthos unc. jſ.

Affund. vini Malvæ. q. ſ. & per verficam destill.

Alia:

ꝑ. Flor. lil. convall. unc. ijſ.

pœon.

lavend.

beton. an. unc. jſ.

tilia unc. j.

anthos,

ſtechad. Arab. an. unc. ſ.

rad. & sem. pœon. an. Scrup. v.

aristoloch. rot. Drach. iij.

visci qu. Drach. ij.

cubebæ.

cinamomi, an. Scrup. iij.

piperis l. Drach. ſ.

castorei Scrup. j.

Contund. & incid. Infund. in spir. vini q. ſ. per aliquot dies, deinde destill. in B.

Alia

Aqua Epileptica.

Alia Aqua Epileptica:

℞. Flor. lil. convall. rec. ℥. j.

Infunde in ℥. q. vini generosi tam-
diu, donechaberi possint. flor. lilia re-
centes;

tunc fume eorum ℥. ℞.

flor. pæon. unc. iiij.

Stent in infus. aliquot septimanis,
deinde destill. in B. ad siccitatem. In
Destillato iterum infund.

rad. pæon. Unc. ℞.

diptamni alb.

visci qu. an. unc. ℞.

rad. pyrethri. Drach. ℞.

sem. pæonia Unc. ℞.

castorei Scrup. ij.

fol. ruta M. j.

flor. stachad. Arabic.

lavend. an. P. iiij.

betonic. P. vj.

cubebæ.

macis, an. Drach. ij.

cinamomi, Unc. ℞.

scilla preparata Drach. iiij.

Digerantur dieb. 15, hinc per alem-
bicum destillentur.

Dosis ab Unc. ℞. ad Unc. j.

Commendatur & Antidotus Phæ-
dtonis:

℞. Sad. angelic.

tormentill. an. Unc. ℞.

rhapont. Drach. iiij.

rad. & sem. pæon. an. Drach. vj.

herb. potentill. cum fl. Drach. iiij.

ruta;

coriandr. prepar. an. Drach. ij.

macis. Drach. ℞.

galanga Drach. iiij.

cubebæ. unc. ℞.

piperia. l. Drach. iiij.

castorei Drach. ij.

stercor. anserum sylvestr.

pavonum, an. Unc. ℞.

ciner hirundin. Unc. j. ℞.

ungula asini Unc. ℞.

Pulverisatis superfund. aq. picarum
& hirund. an. ℥. ij. vel q. ℥. Maceren-
tur per mensem integrum in B. postea
destillentur. Tum

℞. ligni aloes Drach. ij.

succini alb. Drach. j. ℞.

spina serpent. purg.

cranij hum. utriusq. sex an. Scrup. v.

coralli utriusq.

margarit. preparat. an. Scrup. iiij.

lap. Calcedon. cand. Drach. j.

smaragd. Drach. ℞.

stibit. ad modum croci reverberati.

Drach. j.

ambr. gryf. Scrup. j.

In pollinem redacta circulentur in
B. in pelicano per mensem integrum,
ac tandem recondantur vitro bene ob-
turato, ac servantur usui.

Si usus postulat, omnia bene simul
agitentur, & adulto inde prabeatur
cochl. j. in aq. lavendulæ; puero coch-
lear. ℞.

Vel ℞. Flor. lil. convall. Mens. j.

Affunde vini ops. Mens. iiij.

Macerentur vase clauso diebus ali-
quot, postea destillentur. Hinc

℞. flor. lavend. quart. j.

cubebæ.

cinamomi.

galanga.

nuc. moschat.

macis, an. Unc. ℞.

visci querni,

radic. pæon. an. Drach. vj.

Affun-

Affundatur destillatum superius, digerantur diebus 14. postea destillentur.

Aqua etiam nobilis Antepileptica habetur in Institut. lib. 5. part. 3. sect. 3. cap. 5. Et videantur plures apud Langium, lib. 3. Epistolae. cap. 1. Conrad. Gesnerum, in Evonymo, Arnold. de villa nova, Breviarii lib. 1. cap. 2. Andernacum, de vet. & nova medicina, Weckerum, Antidot. spec. lib. 2. f. 1. Quercetanum, in Pharmacop. Dogmatic. restituta, cap. 7. Dornkreilium, in Dispensatorio, Untzerum, pag. 222. Brunnerum, consil. 17. 18. Francisc. Hildeshemium, in spicileg. pag. 605.

Sirupi.

℞. Mellis scillitic. unc. jβ.
aceriscillit. Drach. vj.
succipæon. unc. vj.
sacchar. unc. iij.
Coqu. ad Sirupi consistentiam.
Vel ℞. Rad. pæon. unc. jβ.
eryngii,
filipendul.
dictamni albi, an. unc. j.
visci querni Drach. vj.
fol. ruta,
salvia,
millefol.
hyssopi,
maioran.
carduibenedicti, an. M. j.
stor. stochad. Arab.
tilia,
lavendul. an. P. j. (al. P. ij.)
sem. pæon. Drach. ij.
ruta,
trifolii, an. Drach. j.

Coqu. in aq. puræ q. s.
Colat. adde succi radic. pæon. unc. ij.
mellis scillitic. unc. iij.
sacchar. unc. v.

F. Sirupus, qui aromatizetur spec. diamosch. dulc. Drach. ij. De quo frequenter fumatur unc. β. vel. unc. f.

Electuaria.

Nicol. Florentinus, cap. propr. refert, se quandam sceminam, annorum 40. quæ ab infantia passa fuerit Epilepsiam, curasse solo hujus Electuari usua: ℞. Herba, quæ vocatur S. Pauli, quæ à quibusdam vocatur herba Paralytica, quantitatem, quam libet; ea incidatur minutim, ac misceatur cum melle, atque addatur pulvis caryophyll. pyrethri radic. pæonia.

Crato hoc commendat:

℞. Succimillefol.
ruta,
melisse,
maioran.
hyssop. ad spissitudinem cum
saccharo cocti, ana
unc. β.
rad. eryng. minutim incis.
visci querni, an. unc. j.
radic. pyrethri,
tormentill. an. unc. β.
C C. prepar. Drach. v.
Mithridat.
theriac. an. Drach. j.
conserv. st. rovismarini unc. jβ.
M. lento igne. Doksmane Drach. j.
& ante somnum post cœnam moderatam Drach. β.
Vel ℞. Rad. pæonia,
sem. eiusdem, an. Drach. j.

smaragdi prepar. Unc. β.
corall. rubr. prepar. Drach. j.
pulv. pullor. hirundin. ustor.

Drach. β.

ungula alcis Drach. j.

succi ruta Unc. β.

Cum *sirup. hyssopi.*

F. Electuarium. Dosis ad quantitatem nucis moschatæ.

Vel ℞. *Spec. diamosch. dulc.* Drach. ij.

visci querni Unc. ij.

rad. pæon. & sem. eiusdem, an.

Drach. ij.

maioran. Unc. β.

smaragdi prepar. Drach. jβ.

fol. auri num. v.

Cum *sirup pæonia*

F. Electuarium.

Montagnana, *Consil.* 44. scribit, se millies expertum sequens Remedium:

℞. *Pyrethri,*

stæchad.

costi, an. Drach. x.

agaric. Drach. v.

sem. carvi,

anethi,

asa foetida,

aristoloch. rotunda, an, Drach. jβ.

succi scilla,

mellis electi, an. ℥. j. Unc. ij.

Coquat. scilla & mel lento igne, ad justam consistentiam. Deinde speciebus additis F. Electuarium. Dosis manè, horis iij. ante prandium, Drach. iij. singulis diebus.

Aliud:

℞. *Conserv. fl. pæon.*

herb. paralyfis,

tilia, an. Unc. j.

ruta Drach. vj.

L. I.

anthos,

lavend. an. Unc. β.

spec. diambri.

diamosch. dulc. an. Scrup. ij.

extracti rad. pæon.

ireos,

magisterij corallior.

succin. prepar. an. Scrup. j.

Cum *scrup. de stæchad. simpl. & pæon.*

F. Electuarium.

Rotula & Morsuli.

℞. *Cinamomi opt.* Drach. j.

rad. pæon.

sem. eiusdem, an. Scrup. ij.

cubebæ.

caryophyll.

macis, an. Scrup. j.

spec. aromaricirosati,

caryophyll.

diambri.

diamosch. dulc. an. Scrup. β.

sacchari in aqu. pæon. & tilia

dissolut. Unc. iij.

F. Rotulæ, quæ conspergantur olio

anisi & macis, an. gutt. iij.

℞. *Extract. aromat. rosar.*

pæon. an. Scrup. j.

conserv. primula veris,

fl. tilia, an. Drach. ij.

sacch. in aq. pæon. dissol. Unc. ij.

F. Morsuli.

Circa istorum autem medicamentorum usum imprimis notandum, ut & in aliis difficilibus morbis, ne ab usu horum remediorum statim desistamus. Licet enim in principio parum sæpe videantur prodesse: eorum tamen usus continuatus insignem affert utilitatem, secundum illud Hippocratis, 2.

Aphor. 25. *Secundum rectam rationem omnia facienti si secundum rectam rationem minus res succedat, protinus non est ad aliud transeundum; dum modò consistet id, quod ab initio propositum fuerat.*

Externa Medicamenta.

Neque solùm intra corpus talia medicamenta usurpanda, sed & extra applicanda.

℞. Ol. nuc. mosch. express. Drach. j.

ambra grysea,

mosch. an. gr. vj.

zibeth. gr. x.

ol. succini,

maior, an. q. l.

F. Balsamum, cujus granumrunum vel alterum naribus inungatur.

Vel ℞. Bals. ruta Drach. j.

succini alb. Scrup. iij.

rorismar. Scrup. j.

ol. destill. cubeb. gutt. v.

cal. arom. gutt. iij.

M. pro Balsamo.

Vel ℞. Ladani puri Unc. j.

styrac. calam. Unc. ss.

lign. aloes opt.

gallia mosch.

caryophyll. an. Drach. j.

myrrh.

thuris, an. Drach. ss.

moschi gr. vj.

ol. nuc. moschat. express.

Drach. ss.

sq. majoran. q. s.

F. Pomum, obducatur sindone rubra.

Possunt & præcordia, nucha, & tempora (sicut & spina dors) sæpius

jejuno ventriculo Unguento sequenti inungi:

℞. Ol. de castor.

de piperib.

costini,

de euphorb. an. Unc. ss.

caryophyll.

nucis moschat. an. Scrup. iij.

flor. lavend. Scrup. iij.

maslich. Drach. ss.

vini rubri fortis. Unc. ij. ss.

Bulliant ad consumpt. vini. In fine adde.

Mithridat. opt. Drach. jss.

F. fortis expressio, add.

axung. ursi,

vulpis, an. Drach. vj.

Misce.

Applicentur quoque vertici capitis ex cephalicis & antepilepticis medicamentis sacculi & cucuphæ ac emplastra; de quibus postea inter caput confortantia medicamenta dicetur.

Amuleta.

Nec abs te fuerit Amuleta quædam Amuleta collo & brachiis appendere, quæ oc- in Epilepsia cultâ vi hunc morbum depellant: qualia sunt, radix pæon. semen ejusdem; de quo videantur, Galenus, 6. de simpli medicamentor. facult. Fernelius, 2. de abditis rerum causis. cap. 17. Lemnius, de occultis natura miracul. Hercul. Saxonia, cap. de Epilepsia, viscum quernum sambucus suprafalicem crescens, è quibus orbiculi & cruces fiunt, unguis, lapis chelidonium.

Parti-

Particulares cerebri evacuationes.

*Particula
ris capitis
evacuatio.* Interim dum ista fiunt, non omitti debent particulares capitis evacuationes per errhina, apophlegmatismos, gargarismos, quæ collectam ex debilitate in cerebro materiam tollunt, quibus semper ea quæ specifica vi contra Epilepsiam pugnant, addenda.

Errhina.

℞. Succi ruta,
beta, an. Unc. ℞.
aq. sambuci,
majoran.
sem. pæon.
nigell. an. Scrup. j.
M. & in nares trahantur.

Aliud:

℞. Succi pæonia,
cyclamin. an. Unc. ℞.
majoran.
ruta, an. Drach. ij.
mellis Drach. j℞.
spir. vini Unc. ℞.
Misce.

Sternutatorium.

℞. Nuc. moschat.
rad. pæon. an. Drach. j.
piper. albi,
pyrethri, an. Scrup. j.
ellebor. albi, Scrup. ℞.
F. Pulvis.

Apophlegmatismi.

℞. Nuc. moschat.
rad. pyrethri,
pæon.

acoriveri, an. Drach. j.

sem. eruc. Drach. ij.

Cum suff. quant. mastiches

F. Pastilli Scrup. ij. pondere in ore tenendi & masticandi. Eadem materia in pulverem redacta, ac in nodulo inclusa masticari potest; vel pulveri addantur *mastich & passular* ana. Drach. vj.

Commendantur & sequentes Trochisci masticandi, quorum unum atq; alterum teneat per semihoram manens in ventriculo in ore æger:

℞. Galanga Drach. ij.
nuc. moschat. Drach. ℞.
rad. pæon.
cubebar. an. Scrup. j.
rad. pyrethri Drach. ℞.
sacchari Drach. j.
ol. nuc. mosch. destill. gutt. ij

Cum sirop. de stæchad. & album. eri

F. Trochisci.

Gargarismi.

Alexander Trallianus pastillos ex hyssopo, pulegio, & pipere commendat. Item gargarismum ex hyssopo, pulegio, origano, & ficibus siccis septem.

Vel ℞. Rad. pyrethri Unc. j℞.

rorismar.

salvia,

hyssopi,

ruta an. P. ij.

Coqu. in aqu. f.

Colat. ℞. ℥. ij.

aceri rosacei,

mellis anthosati, an. Unc. ij.

Misce. Et mistura ista fauces coluantur.

Vel ℞. *Ruta,*
betonic.
salvia,
hyssopi, an. M. ℞.
rad. pæon.
ireos, an. Unc. ℞.
acori.
pyrethri.
granor. pæon. an. Drach. ij.
nuc. moschat. Drach. j℞.
 Coqu. in s. q. aq. simpl.
 Colat. ℞. lb. j.
oxymel. scillit. unc. ij.
mell. anthos. unc. j.
 F. Gargarismus.

Plura talia videantur apud Untze-
 rum, de Epilepsia, pag. 194.

Cauteria,

Setaceum, Fonticuli.

Adeundem usum, & ubi materia
 sedes est in capite, usurpari possunt
 cauteria actualia, quæ insignem exic-
 candi, & humorem parti firmiter impa-
 ctum attenuandi & discutiendi vim ha-
 bent. Ideoq; ut humiditas cerebri ni-
 mia exiccetur, & materia, Epilepsia
 causa, attrahatur ac dissipetur, futu-
 ræ coronali applicetur cauterium actuali.
 In applicatione autem hujus cautè a-
 gendum, & cavendum, ne altius, quam
 par est, adigatur, ne vicina cerebri
 membranæ lædantur, & grave ali-
 quod malum attrahatur; de quo supra,
 part. I. cap. 5. dictum.

Fontanellæ verò cauterio, seu actuali,
 seu potenciali excitata, materiam,
 quæ iterum cumulari posset, evacuant,
 & à cerebro averrunt, quæ tam diu a-

peritæ servandæ, donec animadverta-
 tur, nihil amplius talis humoris vitiosi
 in corpore colligi.

Idem ferè præstat Setaceum.

Cerebrum roborantia.

Tandem ut cerebrum à morbifica ^{Cerebrivro-}
 causa debilitatum pristinum robur ac- ^{boratio.}
 quirat, & ne ob ejus debilitatem vitiosi
 humores in eo cumulentur, roboran-
 tibus opus est, internis & externis, quæ
 parantur ex medicamentis cephalicis,
 & antiepilepticis. Itaque exhiberi pos-
 sunt medicamenta ex cephalicis & an-
 tepilepticis, quæ passim nota, & cõsus
 generis antea titulo, Antiepileptica,
 proposita fuerunt. Vide etiam Untze-
 rum, de Epilepsia, pag. 204. & seqq.

Vnum atque alterum adhuc appo-
 nere libet:

℞. Rad. vincetox.

emula,

succisæ,

pæon.

caryophyll. an. Drach. vj.

baccar. lauri, Drach. ij.

salvia,

serpilli,

flor. anthos, an. Drach. j.

spec. diamosch. dulc.

diaplr.

dianthos, an. Drach. ℞.

F. Pulvis.

Alius D. Navii:

℞. Sem. pæon.

oss. de C. C.

rasur. eboris, an. Drach. ℞.

rad. pæon.

visci querni,

nucis moschat. an. Drach. j.

cranij

*cranij humani.**ungula alcis,**margarit. an. Drach. ij.*

F. Pulvis.

Vel ℞. *Aq. epileptica Langij Unc. j.**picar.**hirundin. an. Unc. ij.**spirit. cerasor. nigr. sylv. Unc. j.**essent. flor. pæon. Drach. iij.**tinctura corall. rubr. Drach. ℞.**extr. dictamni gr. iij.**ruta gr. iij.**ol. destill. salvia gutt. iij.**manus Christi perlat. cum ol. succi-**cini Drach. v. M.*

Vel parentur seqq. Rotulæ:

℞. *Spec. diamosch. d.**diapliv.**diapæon. an. Scrup. j.**sem. pæon.**citri.**rad. pyrei bri, an. Drach. ℞.**visci querni,**carduibenedicti, an. Scrup. j.**succin. alb.**caryophylli.**nuc. mosch.**limatur. C. C. crudi,**cranii hum. crudi, an. Scr. ℞.*Cum: *sacoh. in aqu. lil. conyall. dissol.*

q. ℞.

F. Rotulæ.

Valde efficax est & seqq. Electuarium.

℞. *Castor. Drach. iij.**rad. & sem. pæon.**sem. nigella,**ruta sylv.**rad. pyrethri,**hyssop. an. Drach. j.**succi rec. ruta,**majoran. an. Unc. ℞.**cranij hum.**ungula alcis, an. Drach. ij.**Mithridat. el.**rad. cond. eryng. an. Unc. j℞.**pulv. ligni sassafr. Drach. vj.**conserv. betonic.**rorismar. an. Unc. i℞.*

Cum mellis scillit. q. ℞.

F. Electuarium Soli per mensura
exponendum. Dos. Drach. ij. vel. iij.Vel ℞. *Ol. nuc. mosch. express. Drach. j.**zibeth. Scr. j.**mosch.**ambra, an. gr. v.**ol. succini,**lavendul.**maioran.**ruta, an. gutt. vj.*

M. F. Balsamum.

Emplastrum:

℞. *Ol. de castoreo,**rutacei,**irini, an. unc. j.**destillati succini Drach. ℞.**rad. pæon.**sem. pæon.**visci querni, an. Drach. j.**sem. nigella,**ruta,**castorei,**flor. lavendul.**tilia,**lilior. conyall.**stachad. Arab. an. Scr. j.*

Cum resina & cera an. q. ℞.

F. Emplastrum suturæ coronali ap-
plicandum.

Succulus:

℞. *Fl. lavendula,**betonic.*

I i i j

stach.

*Roehad. Arab.**anthos, an. Drach. ij.**summitat. serpill.**maioran. an. Drach. j.**rad. pæon. Drach. ij.**sem. pæon.**nigell. an. Drach. j.**ligni aloes,**sassafras, an. Drach. ij.**cinamomi,**nucis moschat.**macis,**caryophyllor. an. Drach. s.**granor. juniperi,**gummi juniperi,**tacamahac.**massich.**thuris,**succini, an. Drach. ij.*

Crasso modo contusa includantur
sacculo ex serico rubro.

Præclarum etiam auxilium præ-
stant thermæ, si lotiones & embrochæ
ex iis instituantur.

Diatæ.

Diatæ medicamentis respondeat.
Aër sit purus & temperatus, aut potius
à temperato ad calidum & siccum de-
clinans: crassus verò & nebulosus, fœ-
tidus, frigidus ac humidus, ventiq; au-
strales & aquilonares, & fumi ac fuli-
gines à carbonibus accensis, & rebus
fœtidis vitentur. Radii Lunæ, qui

hunc morbum excitandi peculiarem
vim habent, fugiantur; atque impri-
mis aperto capite sub radiis Lunari-
bus cubare vel dormire summè no-
xium.

Acibus abstinenceat æger, qui crassos
succos gignunt, flatuosi sunt, caput pe-
culiariter feriunt, ethi cætera sânt *εὐχου-
μοι καὶ εὐπεπτοί*. Inter carnes absti-
neat æger à caprina, & hircina impri-
mis, ut & coturnicibus, quæ peculiari
quadam vi Epilepticis nocere credun-
tur: item à porcina, anseribus, anat-
ibus, passeribus. Inter pisces ab an-
guillis, carpionibus, & omnibus pisci-
bus, qui in cœnosis ac fœtidis stagnis
ac paludibus degunt. Videntur & le-
gumina, præter ciceres, lactinia iti-
dem, nuces juglandes, fructus horarii,
brassica, lactuca, portulaca, cœpe, al-
lium, sinapi, raphanus, apium, quod
occultra proprietate Epilepticis nocere
dicitur; de quo infra, *quest. 12.* dicitur.
Utatur contra cibis boni succi & faci-
lis coctionis. Atque Epilepsiam tol-
lere dicuntur, caro turturis accolum-
barum (ylvestrium, hirundinum item,
ac vulturis. Condiantur cibi hyssopo,
salvia, majorana, fœniculo, roremari-
no, ruta, nucis moschata, macere, ci-
namomo, caryophyllis.

In potu vitandum vinum, aut, si vel
ventriculi, vel virium ratione conce-
dendum, sit paucum ac tenue, medi-
catum roremarino, salvia, hyssopo.
Cerevisia in nostris regionibus satis
commodus potus est, quæ sit clara ac
bene defecata, nec multo lupulo cõdi-
ta, ne caput gravet. Utile est & hydro-
mel

*Diatæ.
Aer.*

mel cum pœonia, salvia, roremarino, & visco quærno coctum, ac nuce moschata aromatizatum. Item hic Potus:

℞. Passular.

sinamomi,

rad. pœon.

sem. pœon. an. q. l.

Radices incidantur, semina parùm contendantur, & omnia in vasculum cum segmentis coryli S. S. S. faciendo imponantur, atque affundatur aqua cum saccharo cocta, vel hydromel. Vel bibatur decoctum ligni Guajaci, ita ut libræ uni ligni aquæ s. lb. xxiiij. affundantur, & tertiæ partis consumptionem coquantur.

Somnus qui est quietus. Somnus sit moderatus, capite non nihil elevato, nocturnus, non diurnus, nec mox à cibo. Exercitationes sint moderatæ, ac iusto tempore, scilicet ante prandium & cœnam; instituantur, vel earum loco extrema fricentur.

Animi affectus. Animi affectus vitentur, imprimis terror & ira. Venus in hoc morbo ut

Excreta retenta. pestis fugienda. Alvus semper sit aperta; quod si natura non fiat, clystere vel leniente aliquo medicamento primæ viæ evacuentur. Cavendum quoque ne æger ingruente paroxysmo versetur juxta puteos, aquas, ignem; & omnia loca, in quib⁹ damnia aliquid pati potest. Ac si æger paroxysmum ingruere animadvertat, astantibus id statim aperiat.

Signa perfectæ curationis.

Cum ab usu medicamentorum non prius sit desistendum, antequam morbus sit planè expugnatus, nonnulli signa tradunt, quibus cognoscatur, an quis perfectè sit curatus. Si nimirum ægri naribus suffitus admoveantur ex hyssopo hortensi, myrrha, bitumine, cornu capræ vel hirci, & quis ex tali suffitu non concidat, indicio esse, ægrum perfectè sanatum; sin secus, nondum perfectè existimant. Adhibetur & in eundem usum suffitus succini. Si quis item comedat epar hirci, & non concidat, is sanatus putatur. *Atque hæc de Epilepsia in genere.*

DE EPILEPSIA IN SPECIE.

Suprà jam dictum est, esse quasdam Epilepsiarum differentias, quæ curationem variant; atque hæc præcipuè sumuntur: à loco, in quo materia, Epilepsiarum causa, generatur. Nam cum materia nunc in cerebro, nunc extra cerebrum generetur; dicitur Epilepsia alia per idio-pathiam, alia per sympathiam, seu consensum.

De Epilepsia per primarium cerebri affectum.

Per *ιδιοπάθειαν*, seu per essentiam, & primarium cerebri affectum, Epilepsia proprie est, cum in ipso cerebro est *Αἰθερία* Epileptica, & materia, mali hujus causa, in eo generatur.

Atq; hæc prava qualitas ac *Αἰθερία*, nonnunquam cum semine & sanguine

ἀπα-

à parentibus propagatur: unde morbus hic fit hæreditarius. Nonnunquam gravidarum perterrefactio, & ex hac fortis imaginatio hoc malum producit. Exemplum habetur apud Guillelmum Fabricium, *Cent. 3. observ. 3.*

Abcessum quoque in cerebro hujus mali causam fuisse, annotavit Fernellius, *l. 5. Patholog. cap. 5.* Ad quam Epilepsiæ differentiam & ea refertur potest, cum in parte aliqua in capite cerebro vicina fons mali est. Ita corruptam meningem Epilepsiæ causam fuisse, observavit Fernellius, *loc. alleg. & 2. de abdit. rer. caus. cap. 15.* Ex cranio quoque carioso Epilepsiam ortam docet Vidus vidius, *libr. 2. de morb. particul. cap. propr.* Forestus, *lib. 10. observ. 67. in Schol.* Faciunt huc capitis læsio ex ictu & percussione, Joh. Langius, *libr. 1. Epistol. 10* vulnera item, Valescus de Taranta, *cap. propr.*

Signa Diagnostica.

Signa Epilepsia per primarium cerebri affectum.

Præter signa supra in genere enumerata hæc in hac Epilepsiæ species sunt peculiaris: Homo subito quasi attonitus, sine ulla paroxysmi instantis præfensione, concidit, nihil vitii in partibus inferioribus, neque ullus dolor in parte ulla infra caput instante paroxysmo percipitur, neque ullus vapor ex ullâ parte inferiore ad superiora ferri animadvertitur. Signa cerebri & capitis affecti adsunt, capitis gravitas & dolor, faciei pallor, oculorum caligo, somnia turbulenta, & insignis facultatis animalis debilitas, sensuum ac motus stupor & tarditas, auditus scilicet difficultas, sonitus ac tinnitus aurium,

vocistarditas, vertigo tenebricosa, manuum torpor. Paroxysmus ac motus convulsivus est vehementior, ac longius durat, spuma copiosior circa os apparet. Frequenter invadit circa Novilunia & plenilunia

Prognostica.

Epilepsia, quæ per primarium cerebri affectum est, deterior ac periculiosior est ea, quæ fit per *συμπύκνωση* aliarum partium: nisi tamen pars, cujus consensu inducitur, habitum quasi pravum contraxerit. *Prognostica.*

Curatio.

De curatione Epilepsiæ, quæ fit per primarium cerebri affectum, non opus est ut multa dicamus; cum omnia illa, quæ antea de curatione Epilepsiæ in genere dicta sunt, huic speciei, utpote primariæ, competant.

Notandum saltem hoc, in hac Epilepsiæ specie, ubi opus est venæ sectione, cephalicam in cubito esse eligendam: & nisi malum remittat, ac præsertim si caput simul sanguine calido repletum sit venam in fronte etiam esse aperiendam.

De Setaceo vero hoc monendum est, id magnum hucusum habere; refertque Guilielm. Fabricius, *Cent. 1. observ. 41.* se juvenem quotidie Epilepsia laborantem, & cui frustra alia remedia adhibita fuerant, & *cent. 4. observ. 81.* puellam 18. annorum ab ipsâ infantia Epilepticam solo setaceo restituisse.

De Cauterio verò actuali futura cor-

mali applicando hoc observandum, id in hac præcipuè, imò ferè sola Epilepsiæ differentia, locum habere; de quo supra, *part. 1. cap. 5.*

Fonticuli, si malum nondum sit inveteratum, commodissimè in brachio ad musculum deltoidem excitantur, ut ad eum scaturiens in cerebro materia deriveretur. Si autem malum inveteratum sit, in loco viciniore, nucha scilicet, seu occipitio aperiendi sunt, ut ex loco vicino materia facilius deriveretur & evacuetur.

Exercitia sint moderata; & in specie à frictionibus in brachiis incipiendum, deinde ad pectus & ventrem descendendum, postea ad crura, & hæc valentius perfricanda, ut etiam recremeata, quæ sursum vergunt, ad infera revellantur. Ac aliis partibus perfricatis, caput demum fricari debet. Prius enim non convenit, ne humores & vapores attrahantur.

Reliqua omnia, ut modo dictum, petantur ex curatione Epilepsiæ in genere.

De Epilepsia per consensum;

Et primo quidem in genere. Cause.

Epilepsia per consensum causa Hæc in parte aliqua infra caput generatur, & ex ea in caput sublata Epilepsiam excitat. Partes autem, è quibus materia Epilepsiæ causa, ad caput tollitur, variæ sunt: *Ventriculus*, cujus exempla refert Galenus, *5. de loc. affect. cap. 5.* Valeriola, *lib. 3. observ. 7.* Fernè-

L. 1.

lius, *in Consil. Medic. 7.* Forestus, *lib. 10. observ. 64.* Lien, cujus exemplum refert Hollerius, *ad caput 14. lib. 1. in Schol. Vterus*, vel ex mensium obstructione, ut refert exemplum de puella Benivenius, *de abdit. morb. causis. & curat. c. 97.* vel fluxione, vaporibus è materia commota cerebrum petentibus, vel in prægnantibus, de quo Ægineta, *lib. 3. cap. 13.* Fernélius, *lib. 1. Patholog. cap. 3.* Leonhardus Jacchinus, *in 9. lib. Rhasis, cap. propr. Forestus, lib. 10. observ. 65.* Johan. Schenckius, *lib. 1. observ. 83.* Franciscus Hildeheim, *in spicileg. pag. 598.* vel ex secundinis retentis, vel ex utero imperforato, Guilielmus Fabricius, *Cent. 3. observ. 60. Vesica; Heurnius, de morb. cap. 22. pag. 163. Testes & vasa spermatica*, Leonhardus Jacchinus, *in 9. Rhasis*, Marcellus Donatus, *libr. 4. de histor. Medic. mirab. cap. 11. ex Alaharavio. Intestina & vermes in iis*, Forestus, *lib. 10. observ. 65.* Julius Cæsar Claud. *in consultat. consult. 64.* Martinus Rulandus, *Cent. 8. curat. 13. Colica*, Ægineta, *libr. 3. cap. 13.* Aëtius, *tetrab. 3. serm. 1. cap. 29. Massa sanguinis*, ut in variolis, aliisque malignis febribus; inter quarum initia Epilepsia excitari solet. *Pars aliqua externa*, ut pes; videatur exemplum apud Galenum, *3. de loc. affect. cap. 7.* Jacchinum, *in 9. Rhasis.* Valerium, *in Schol. ad cap. 16. lib. 1.* Hollerij, Trincavellium, *lib. 3. de ratione curandi affectus particulares, cap. 6.* Mercurialem, *in consil. 6.* Forestum, *libr. 10. observ. 67. & 68.* Pollex pedis, Gentilis, *super Avicenn. lib. 3. Fen. 1. tr. 5. cap. 8.* Donzelinus, *in Consil. Scholtzij, Conf. 38.* digitus, Leonell. Faventinus,

Kkkk

cap. 11.

cap. xi. de morb. med. Brassavola, in Comment. ad aphor. 45. sect. 2. Aphorif. Hippocr. manus, Pinellus, tom. 1. Consil. 13. Platerus, lib. 1. observ. coxa, Sylvius, in lib. de morbis internis, cap. proprio, mammae, papilla, Marcell. Donatus, lib. 2. de histor. Medic. mirab. c. 4. labium superius, Dovanetus, libr. 3. Apolog. referente Schenckio.

Signa Diagnostica.

Signa diagnostica.

Paroxysmus ingruens aliquo modo praesciri potest, vaporq; aliquis, ac velati aura à parte quapiam inferiore versus superiora elevari animadvertitur, aut dolor in parte aliqua percipitur, quem mox Epilepsia insequitur. Signa cerebri affecti non adsunt, sed pars aliqua inferior praeter ceteris vitio laborat. Omnia ferè sunt leviora, paroxysmus scilicet non tam longus, nec concussio tam vehemens, nec tanta facultatis animalis laesio, ac in Epilepsia per primarium cerebri affectum.

Curatio.

Curatio.

Curatio eadem ferè est cum superiore, nisi quòd semper partis mandantis habenda ratio: totaq; curatio idcirco quinque capitibus continetur: 1. Ut torius corporis evacuatio seu per venae sectionem, seu purgationem, pro ut opus est, instituat. 2. Ut antepileptica medicamenta antea proposita usurpentur. 3. Ut partis, quae materiam cerebro communicat, ratio habeatur, eaq; evacuetur, atque in ea, si locus ferat, cauterium actuale applicetur, aut quocumque modo in caliculus

excitetur, ut materia effluat ac dissipetur. 4. Ut materia ad caput tendens revellatur, viaque, per quas aura maligna ad cerebrum fertur, intercludantur. Ideoq; in paroxysmo frictiones & ligaturae non in brachiis, sed in cruribus tantum & pedibus instituendae, ut materia versus inferiora, non superiora trahatur. Vincula quoque supra partem, quae causam suppeditat, injicienda, si ejus natura & situs id ferat: Venae sectio etiam commodissime in cruribus & pedibus instituitur, praesertim si à menstruorum aut haemorrhoidum suppressione malum originem habeat. 5. Cerebrum roborandum.

De Epilepsia per consensum Ventriculi.

Signa Diagnostica.

Si è ventriculo vapor ille, Epilepsiae causa, ad caput elevetur, dolor, quidam, turbatio & rosio in ventriculo, gravitas & tensio circa praecordia, dejectus appetitus, concoctionis debilitas, ructus, & alia ventriculi affecti signa adsunt. Agri quoque morbi accessionem sentiunt, atque in Epilepsiam incidunt, si tardius cibum sumant, & diu jejulent. Et imprimis infantes saepe hac de causa Epilepsia corripiuntur; cum lac ipsis in ventriculo corrumpitur, aut cum vitioso nutritis lacte nutriuntur. Et tum animadvertuntur ventris tormina; faecesque alvi crocae, aut a rugini non absimiles apparent.

Curatio.

Curatio.

Curatio.

Purgationis loco vomitus rectissime concitatur in iis, qui ad vomitum proni sunt. Et quidem biliosus humor protinus vomitu excludi potest. Crassus verò & pituitosus prius præparetur melle rosaceo, oxymelitis generibus, syrupo de betonica, de stœchade, & similibus, cum decoctis & aquis convenientibus. Si autem æger ad vomitum promptus & proclivis nō sit, per alvi defectionem causa maffi tollenda; biliosa, hiera & pilulis ex aloë; pituitosa, agarico, & cæteris, de quibus de morbis ventriculi dicitur. Fortiora autem purgantia in hac Epilepsia specie non usurpanda, ne excrementa aliunde attrahantur, ventriculusq; magis debilitetur.

Deinde operam dare oportet, ne in posterum in ventriculo humor vitiosus generetur, sed ventriculus roboretur. Et quidem ne alimenta in bilem corrumpantur, prohibet Trallianus potu absint. & picra, Antidoto, quæ bilem evacuant, vel tunicis in hærentem abstergunt; jubetq; victum tepidum & temperatum adhibere, qui nihil habeat acre, aut pingue, aut oleosum, aut salsum.

Ventriculus roboretur cum extra admotis, in causa calida ol. cydonior. rosar. & similibus; in frigida, mastiche, mentha, absint. caryophyll. nuc. moschata, & similibus: tum intra exhibitis, ut coriandro præparat. sacchar. rosar. betonic. myrobal. chebul. condit. Zingiber. in India condito, extracto juniperi, spiritu Vitr., rosulis a-

romat. rosar. caryophyllat. syrupo de mastiche, de cinamomo. E quibus varia medicamenta composita, prout humores & ægri natura requirant, concinnari possunt.

Semper tamen iis aliquid medicamentorum contra Epilepsiam pugnantium admiscendum.

Vt R̄. *Conserv. rosar.*

betonic.

pæon. Unc. ij.

extract. gran. juniper. Unc. ℥.

spec. aromat. rosar. Scrup. iiij.

zingiberis in China cond. Unc. ℥.

spir. Vitr. Scrup. ℥.

Cum syrupo *conserv. corsic citri*

F. Electuarium.

Vel R̄. *Spec. aromat. rosar. Drach. j.*

extract. pæon. Scrup. j.

calam. aromat. Scr. ℥.

zingiberis in China conditi

Drach. ij.

Cum sacchari q. s.

F. Morfili.

Post pastum etiam sequens Tragæa commoda est:

R̄. *Rad. pæon.*

scorzoner.

nuc. mosch. an. Drach. j.

macis acetomacer. Drach. ij.

sem. anisi,

fœnicul. an. Drach. j.

succini albi,

visci querni,

sem. pæon.

cardamomi, an. Drach. ℥.

cubebæ.

galangæ,

rad. tormentill.

doronici Rom.

Kkkk 2

fior.

flor. anthos, an. Scrup. j.

sacchar. albi Unc. ij.

F. Pulvis.

Dosis cochl. ℥. vel. j.

De Epilepsia à Vermibus.

Signa Diagnostica.

Signa Epilepsia à Vermibus.

Si à vermibus sit Epilepsia, animadvertitur stridor dentium, membrorum tremor, terror item ac clamor subitus in somno, narium pruritus & frictio, salivæ, nocturno præsertim tempore, ex ore effluxus, facies pallida, eademq; subito rursus incallescens & rubens, morsus ac dolor stomachi, & intestinorum, & hinc frequens abdominis contractio, rugitus ac tormina ventris, abdominis insolita durities, membrorum verò *ἀργαφία*, tussis sicca, singultus, vermium cum alvi excrementis egestio.

Curatio.

Curatio.

Ea, quæ vermes enecant atque expellunt, admixtis medicamentis antiepilepticis exhibenda.

Ut ℞. Aloes lotæ vel extractæ

Drach. j. ℥.

extract. scammon.

trochisc. albandal. an. Scrup. ℥.

pl. destill. absinth. gutt. ij.

myrrh.

zedoar. an. gutt. j.

F. Pilulæ, quæ dantur à Scrup. j. ad Drach. ℥.

Vel detur Mercur. dulcis à gr. xvj. in adultis.

Pulveribus contra vermes, & aliis

medicamentis, de quibus suo loco de Vermibus dicetur, addatur pœonia, & alia medicamenta Epileptica.

Postea exhibeatur hic vel similis

Pulvis:

℞. Vngula alci Drach. vj.

spec. diamosch. dulc. Unc. ℥.

corall. rubr. & alb. preparat.

margarit.

smaragd. preparat.

terra sigill.

boli Armen. an. Drach. ij.

sem. nigell.

sancti,

ruta,

pœon. exc.

blatta byz. ant.

diastann. alb.

nuc. mosch. an. Drach. ℥.

rad. pœon.

C. C. preparati,

scordii,

maioran.

coralline, an. Drach. iij.

moschi,

ambr. an. Scrup. ℥.

fol. auri. num. xij.

sem. caulium,

portulac. an. Drach. j.

tormentill. Drach. ℥.

rhabarb. elect. Drach. ℥.

Pulverisentur omnia subtilissime.

De Epilepsia ab Utero.

Signa Diagnostica.

Si ab Utero sit Epilepsia, ad festinè ^{Epilepsia ab Utero signa diagnostica.} struorum suppressio, femina vel secundina post partum retentio, foetus in utero mortuus: dolor circa uteri regionem.

nem in pectine, in utroque inguine, in dorso: abdominis crebra à flatibus distensio, respiratio difficilis, cordis palpitatio, ulcus aliquod in utero; si malum hoc primum, quando menstrua inceperunt fluere, invaserit. Symptomatum in hac differentia magna est varietas, quæ neminem turbare debet. Neque enim solum, ut in aliis Epilepsiæ differentiis, membra convelluntur & sensus turbantur, sed & aliis totum corpus contremiscit, aliis una aut plures partes; aliis oculi saltem, aut lingua, aut caput, aut manus, aut crus, aut septum transversum: quibusdam mentis quædam, aut sensuum externorum actiones læduntur; quædam oculis apertis non vident; aliæ multa se audire & videre dicunt, quæ à ratione aliena sunt; aliæ vociferantur & querulantur, quid verò mali sentiant, proferre non valent; aliæ ridere, aliæ flent; pleræque omni tactus sensu privantur; nonnullis horum plura accidunt.

Curatio.

In curatione semper ad uterum respiciendum, & propterea ea Epilepticis admiscenda remedia, quæ utero profunt, & uteri suffocationi conveniunt. Itaque in paroxysmo ad movendâ naribus fœtida, ut galbanum, castoreum, sagapenum, ol. succini, rutæ. Utero verò suavè oentia adhibenda, nisi fœmina sit gravida; tum enim satis fuerit grave olentia naribus ad movere. Sternutationem quoque ciere in hac Epilepsiæ specie plurimum prodest. Cucurbitulas verò ventri è regione uteri affigere, & medicamenta

applicare, quæ status discutiant, utile est, ut ol. rutac. è baccis lauri, & similia.

Extra paroxysmum primò universales evacuationes instituuntur. Sanguis nimirum, venis in cruribus circa malleolos apertis, evacuetur, & totum corpus convenienter purgetur. Deinde uterus evacuetur, & materia vitiosa in eo contenta tollatur: quod fit non solum purgantibus, sed imprimis iis, quæ menses provocant; cum internis, tum externis, de quibus suo loco. Eligenda tamen ex iis talia, quæ simul vitiosa & occulta Epilepsiæ adversantur, aut iis talia admiscenda.

Et cum in fœminis natura vitiosos humores, qui in corpore cumulantur, ad uterum derrudere soleat, sanguisque, qui ad uterum affluit, si non rectè sese habeat, corrumpatur: danda opera, ut humores vitiosi subinde è corpore evacuentur; & si quid corrumpatur: sensim ac paulatim per loca, quibus natura assuevit, evacuetur. Ideoque sanguinem bis ter vè in anno è venis tali emittere, & corpus sæpius evacuare utile fuerit, habito respectu ad eum humorem, qui maximè peccare videtur.

Exempli gratia:

℞: Rad. pœonia,

aristoloch. rot. an. Unc. j.

angelica Unc. ℞.

polypod quern. Drach. vj.

betonic.

rutæ.

pulegij.

mercurialis; an. M. j.

Kkkk 3.

sm.

sem. pæon. Unc. β.
cartham. contus. Unc. j.
fol. senæ elect. Unc. j. β.
follicul. senæ Drach. vj.
sem. anisi,
fenicul.
sesel an Drach. ij.
fl bugloss.
anthos, an. M. j. β.

Coquantur in aqua simpl.

Colaturæ ꝛ. ℥j. in qua infunda-

III.

agaric. albiss. Unc. j.
zinzib.
galang. an. Drach. j. β.

Cum saccharo F. Sirupus, qui aromatizetur pulvere cinamomi.

Causa sublata uterus & cerebrum roboretur theriaca, Mithridatico, diamosch dulc. amaro, lapide Bezoar, cum aqua scorzonetæ. Efficax est & oleum succini, tum in patoxyismo, tum in mensibus ciendis.

Utile & valde efficax est hic Aqua hirundinum, cum castoreo & galbano ac aceto de stillata, supra, inter medicamenta antepileptica, proposita.

Laudatur & hic Spiritus:

ꝛ. *Antidot. Matthioli Unc. v.*
sp. vini opt. ℥j.
camphor. Drach. ij.

In vitro clauso digerantur in B. vel fimo equino per dies sex. Postea tepido Balneo calore destillentur, ne unquam alembicus calefiat, donec tertia pars exstillet, idque tertia vice repetatur. Sumatur de hoc spiritu manè & vesperi cochlear j. cui sacchari paulillum, sp. Vitr. gutt. jv. vel in Cura corallior. gutt. vj. addi possunt.

Vel ꝛ. *Sirup. de succo pæonia Unc. ij.*
ruta,
meliss. an. Unc. β.
extract. liquidi castor. Drach. ij.
gran. juniper.
Drach. j. β.
angelic.
zedoar. an. Scrup. j.
sp. theriacal. mode descripti
Drach. ij.
aq. lavendul. Unc. j.
Miscee.

De qua mistura tempore paroxyismi cochlear. j. infundi potest.

Vel ꝛ. *Conserv. pæon. Unc. j.*

margarit. prepar.
corall. rubr. preparat.
smaragdi,
sapphir.
hyacinth. prepar. an. Drach. β.
rad. pæon.
sem. ejusdem,
agni casti,
visci querni,
cranij humani, an. Drach. ij.
theriac. Drach. j. β.
caryophyll. Drach. β.
Cum sirupo stachad. simplic.
F. Electuarium.

Circa hæc medicamenta hoc observandum, in hac Epilepsia specie medicamenta suaveolentia exhibenda non esse; cum & caput gravent, & paroxyismum Epilepticum concitent.

Extra quoque adhibeantur quæ & menses cient, & uterum roborant. Inter quæ nonnulli commendant hanc pedum Lotionem:

ꝛ. *Strobil. abiet. viridium M. ij.*
artemis. M. β.

Sarment.

Sarmentor juniperi
cortic. fagi, an. M. j.
chelidon.

fol. alni, an. M. ℞.
rad. vincetoxic.

aristoloch. rotund. an. Unc. v.

Coq. in aqua ad Balneum, quo manè per semihoram laventur pedes.

Vel inungatur venter ol. rutaceo, laurino, lilior. albor. quibus ol. destillatum anisi, caryophyl cinamomi addi possint.

Vel fomenta adhibeantur ex roremarino, artemisia, chamæmelo, betonica, ruta, semine agni casti, baccis lauri, & aliis, quæ in Suffocatione utriproponentur.

Tandem cum in hac Epilepsia specie alia, præter caput, viscera sæpe in consensum trahantur, & humoris Epilepsiam generantis malignitas plerumque membra nutritionem dicata labefactare soleat, & hinc varia excrementa generentur: illorum quoque viscerum habenda est ratio, & ea ab excrementis subinde expurganda & roboranda, ne nova malagignant, aut vetus augeant.

Et cum, ut antea diximus, in hac Epilepsia specie magna symptomatum varietas esse soleat, quia materia morbifica non solum cerebro, sed & aliis partibus communicatur, sæpe ea de loco affecto Medicum dubium reddunt. Qua de re egregia disquisitio; an scilicet uterus vel crura fuerint affecta, exstat in Consiliis Brunneri, *Consi. 14. & 15. cujus etiam infra, lib. 4. part. 2. sect. 3. cap. 3. fiet mentio.*

De Epilepsia à partibus

Externis.

Causæ.

Præter supra enumeratas causas externas referenda huc contusio, vulneratio, ulcus, aut alia aliqua in parte externa læsio; morsus item & cæcus bestiarum venenosarum.

Epilepsia à partibus; externis causis.

Signa Diagnostica.

In parte aliqua externa causam Epilepsia contineri, argumento est, si æger aliquando in ea vulneratus, vel contusus sit, aut ulcus in ea habuerit; aut ab aliquo animalis morsus sit; atque inde vaporem vel auram quandam; paroxysmo Epileptico ingruente, versus superiora ascendere sentiat, aut in ea dolorem vel tensionem ante paroxysmum percipiat. Ægrum in ea parte læsum esse, vel ex ejus relatione, vel (cum multa infantibus & pueris accidant, quorum adultiore facti non meminerunt) ex vestigio aliquo in ea, ut cicatrice, duritie, vel quacunq; alia læsionis nota cognoscitur. Si item vincula supra partem, quæ suspecta est, injecta, & frictions infra eam instituta paroxysmum vel intercipient, vel minuunt: eò loci causam Epilepsia contineri, argumento est. In primis verò in scemins de loco, qui causam suggerit, hæc diligenter inquirendum. Accidit enim sæpe, ut instante paroxysmo Epileptico dolor vel tensio in cruribus, aut alia parte externa percipiatur; imò inde etiam quasi aura quædam ad caput ascendere sentiatur: cum tamen eò loci

Signa Diagnostica.

causa.

caussa mali generata non sit, sed in utero, cujus facultas expultrix a caussa morbifica stimulata per venas & arterias malignam & venenatam materiam excludere conatur, cui calor innatus, & vis partium principalium occurrens, eam per venas & arterias in pedes, vel alia loca remotiora detrudit, ubi cumalata vires tandem acquirit, & vel nervis communicata, vel per alias vias ad cerebrum tendens Epilepsiam excitat. Ideoque in tali caussa diligenter inquirendum, an uteri affecti signa precesserint.

Curatio in paroxysmo.

Curatio.

Quamprimum æger quasi auram è parte illa elevari sentit, intercipienda ea est vinculis supra locum injectis. Et si à manu ascendit aura illa, vincula ad alam inficiantur. Hæc enim pars strictius ligari potest, quàm carpus, in quo ob carpi ossa vasa inter illa constringi satis nequeant. Affigatur eidem, si moram res patitur, cucurbitulæ scarificatæ, locusque fricetur.

Extra paroxysmum.

Si à venenatæ alicujus bestię morfu malum ortum habeat, venæ sectio & purgatio locum non habent; sed locus de morfu scarificetur, vel cucurbitulæ scarificatæ affigantur ad venenum eliciendum. Applicentur & topica valde attrahentia, adjectis iis, quæ peculiari vi illi veneno debellando accommodata sunt.

Si verò ex caussa alia quacunque

materia Epilepsiam excitans alicubi contineatur, primum corpus semel atque iterum purgandum est. Postea danda opera, ut materia, è qua vapores ascendunt, resolvatur ac discutiantur. Ergo cucurbitulæ scarificatæ parti affigantur; aut pars lavetur acri lixivio, cui sulphur admixtum sit. Si hoc nihil proficitur, cauteria usurpentur, aut valde attrahentia medicamenta ex thapsia, euphorbio, lepidio, quod Trallianus, *lib. i. c. 35.* imprimis commendat, sinapi, stercore columbino, cantharidibus, admista simul theriaca; aut emplastrum oxycroceum applicetur, cui tantum euphorbii admixtum sit, ut vesicæ pustulasque in cute exci-
ret. Efficacissimum verò est cauterium actuale; cum nihil potentius venena, ac pravos ejusmodi humores & dispositiones è partibus extirpet, quàm ignis. Videatur etiam Alex. Trallianus, *loc. allegato.*

Cranium carie affectum, malignamque saniem supra membranas cerebri destillans, excisione & unctione sanatur; de quo supra, *part. i. cap. 26.* dictum. Simul etiam medicamenta Antiepileptica adhibeantur, & cerebrum roboretur.

De Epilepsia per Consensum, ubi de fonte mali non constat.

Nonnunquam tamen accidit, ut quamvis caussa Epilepsię in capite non generetur, ita tamen occultè illa sese in cerebrum insinuet, ut, quo in loco generetur, vel per quas vias ad cere-

cerebrum tendat, satis assequi non liceat, nec prius ullo vel sensuum, vel intellectus iudicio percipi possit, antequam paroxysmum producat.

Prognostica.

Quam Epilepsiam speciem nonnulli insanabilem putant. Verum etsi curatu difficilior sit, incurabilis tamen plane non est.

Curatio.

Ut autem curetur, danda opera, ut radix mali, in quacunque etiam parte lateat, e corpore tollatur, & à cerebro auvertatur.

Pessimitur hoc frequenti corporis purgatione, quâ & materia jam genita evacuatur, & materia, è qua generari possit, subtrahitur. Facilius enim ex humore vitioso, quam ex succo probo partis alicujus mala constitutio malignam talem materiam generat. Et natura pharmaco purgante incitata, quicquid vitiosum in corpore est, facilius ad intestina, consuetamque evacuationis viam, quam ad partes nobiles, mittit.

Simul verò exhibenda medicamenta antiepileptica, & ex iis efficacissima, ut diathesis illa Epileptica, & vitium humorum occultum, ubicumque etiam latentium, expugnetur.

Si purgationes non sufficiant, per medicameta valida ex alto ad circumferentiam humores trahere, & imprimis per cauteria & fonticulos in locis convenientibus excitatos humorum evacuationem tentare convenit.

Tandem cerebrum roborandum, ut causam malignam resistere possit.

L. I.

INFANTIUM CURATIO.

Etsi ex his, quæ dicta sunt, qua ratione infantes curandi sint, facile patere possit: tamen cum morbus hic infantibus sit familiarior, nec omnia medicamenta, quæ adultis adhibentur, infantibus adhiberi possint; in specie quædam de Infantium cura addenda videntur.

In paroxysmo.

Distenta & rigida membra flexenda, vel in rectum dirigenda sunt, & tractanda ut antea dictum; cervix & occiput linteolo aqua lavendulæ calida madido fricandum; vertex oleo succini aut rutæ illinendus; ruta trita naribus admoveatur, vel oleum aut balsamum succini & rutæ; pituita ore eximatur; infundatur ori succus rutæ cum lacte, vel cum aqua tiliæ, aut cochlearie parvum liquoris alicujus Antiepileptici detur; vel pulvis alicujus Antiepilepticus cum aqua conveniente, vel lacte Scr. ß. vel Scr. j. pondere proportionate ætatis.

Pulvis puerorum contra Epilepsiam

D. Johan. Navit:

℞. Visci quer. cortice abrafo

Drach. ij.

sem. pæon Drach. j.

rad. pæon. Drach. iij. ß.

ungula alci,

coralli utriq., an. Drach. ß.

C. Cusi Drach. j. ß.

margarit. preparat. Drach. ij.

cranij hum. Scrup. ij.

sacch. albi Unc. j. ß.

F. Pulvis.

Alius:

LIII

℞. Rad.

℞. Rad. pœon. Drach. v.
 irid. illyr. Unc. ℞.
 eryng. Drach. ij. ℞.
 visci querni;
 gran. pœon. an. Scrup. v.
 sacchar. albi ℞. Unc. ij.

F. Pulvis.

Alius:

℞. Rad. pœon. Unc. j.
 serpentar. Unc. ℞.
 visci querni Drach. ℞.
 croci Orient. Scrup. j.
 corall. rubr. Drach. ℞.
 rad. & sem. straxinell. an. Scr. j.
 fol. auri puriss. N. iij.
 C. C. Scr. j.
 margarit. Oriental. non perforat.
 Drach. ℞.

Pulverisanda pulveriscentur subtilissimè.
 Misc. Fiat Pulvis. Dosis infanti quantitas pisti
 unius vel duorum, cum lacte nutricis. Ma-
 joribus natu tripla quantitas cum aqua beton-
 flor. tiliæ, ruta exhiberi potest.

Alius:

℞. Fragm. lap. pretios. an. Scr. ℞.
 rad. pœon. Drach. j.
 ireos. Scr. ij.
 bistort. Scr. ℞.
 glycyrrh. Drach. ℞.
 sem. anisi.
 pœon.
 visci querni, an. Scrup. ij.
 croci Scr. ℞.
 margarit. Scr. ij.
 sacchar. candi alb; Unc. ℞.
 F. Pulvis.

Alius:

℞. C. C. ussi prepar. Unc. j.
 sem. pœon.
 rad. ejusd.
 sem. aquileg. an. Unc. ℞.
 smaragdi prepar. Drach. j.

off. de C. C. N. j.

F. Pulvis.

Alius:

℞. Smaragd. prepar.
 corall. rubr.
 margarit. prepar. an. Drach. ℞.
 rad. pœon.
 sem. ejusd. an. Drach. ℞.
 succini alb.
 angul. alci.
 cornū alci, an. Drach. j.

F. Pulvis. Dosis Scr. j. cum aqua tiliæ.

Et cum ad bilem porraceam & æruginosam
 compescendam à multis valde commendetur
 crystallus, & verò in infantibus ut plurimum
 à bilis hujus evacuationibus, epilepsia oria-
 tar, pulvis hic, quem Crato, epist. 122. de-
 scribit, & ab Imperatore pro secreto habitum
 fuisse narrat, utilis esse potest.

℞. Crystalli prepar. Drach. j.
 corall. rubr. prepar. Scr. ij.
 margaritar. prep. Scr. j.
 smaragdi orientalis veri Drach. ℞.
 F. Pulvis.

Convenit & hoc:

℞. Ag. pœon.
 flor. tiliæ.
 dentaria, an. Unc. j.
 hirundinum.
 sirup. de succo pœon. an. Unc. ℞.
 ℞. cerasor. nigror. Drach. ij.
 magister. corall. Scr. ij.
 perlæ. Scr. j.
 extract. pœon. Drach. ℞.

M. diligenter. Dosis cochlear parvum
 in paroxysmo.

Cordis regioni emplastrum ex theriaca & c.
 radice pœon. admoveatur, vel tale Epithe-
 ma paratur:

℞. Fol. ruta. P. j.
 fl. pœon. tiliæ.
 rosar. rubr. an. ℞. ℞.
 ℞. c. alia pœon. Scr. iij.

Inci-

Incisa aspergantur. aq. apoplectica & hircundinum F. l. a. Scutum cordiale, sinderubra tegendum.

Fiat etiam lacculus ex rad. pæon. & granis ejusd. contusis, & apponatur cordis regioni

Nucha & spina dorsi inungatur seq. oleo:

℞. *Olei de castor.* Unc. ℞.

Succi ruta Unc. j.

Coq. ad consumptionem succi.

Extra paroxysmum

Censet quidem Trallianus, *lib. i. cap. 15.* in infantibus nihil molendum esse, neque agendum, quantum ad curacionem attinet. Subsequentem enim ætatem & calorem augetentem superfluum in capite humiditatem discutere posse. Verum cum, antequam illam ætatem attingat homo, hoc morbo vel jugulari, vel insigniter debilitari possit, sine auxilio non est relinquendus æger, neq; in morbo tam periculoso negotium naturæ committendum, sed naturæ arte succurrendum.

Lactentes ergo infantes commodiùs curari non possunt, quàm si medicamenta nutrici exhibeantur. Nutrix itaque primò talem vitæ rationem observet ut & ipsa sana degat, & salubri lacte infantem alat. Cibis propterea sit *εὐχρηστος καὶ εὐπεπτός*, isque justo tempore & quantitate exhibeatur. A vino vel abstineat, vel illud sit tenue & paucum, ne nervosum genus infantium adhuc tenerum & imbecillum lædatur. Exercitia sint moderata. A Venere, quæ pueris lactentibus est nocentissima, planè abstineat. Siverò lac probum nutrix non præbeat, vel alia quærenda, vel opera danda,

ut lac mutetur; & si lac sit nimis tenuis, ut crassius reddatur, utatur carnibus assis, aliisque cibis minus humidis; sin crassius, extenuetur fœniculo, aniso, anetho, ruta, recentibus & virentibus sumptis. Nam sicca magis acria sunt. Et si accidat, ut nutrix concipiat, cavendum, ne illa porrò infantem lactet, sed alia quærenda, quæ lac habeat bonum. Lactis autem boni notas tradit Alex. Trallianus, *l. i. c. 15.*

Propinentur quoque nutrici medicamenta, quæ contra Epilepsiam pugnant, & supra sunt proposita. Infans non lavetur crebrò, ne fiat humorum agitatio. Imprimis cavendum, ne terreatur, aut ad iram commoveatur.

Infantis quoque corpus à vitiosis humoribus purgetur; quod commodè fit medicamentis purgantibus nutrici propinatis. Et quidem cum nutrici duabus de causis purgantia exhiberi soleant, primò ut ipsa purgetur, secundò ut infans: si, ut nutrix à cocachymia liberetur, exhibeatur purgans, à lactatione abstinere nutrix debet, donec purgatio absoluta sit; si verò infantis gratia purgans exhibeatur, eo ipso tempore, quo purgatur nutrix, infantem lactare debet. Infanti tamen ipsi etiam ad alvum subducendam daripotest mel passulatum Hollerii:

℞. *Agaric. trochisc.* Unc. ℞.

Infundatur in aquæ ℞. ℞.

Postea exempto agarico passulæ in eadem aqua macerentur, donec turgere incipiant, turgidæ coquantur ad mellis crassitiem.

Vel *℞. Fol. fena Unc. j.*

agarie. albiß.

rad. pæon. an. Unc.ß.

Infund. in aqu. anisi. & feniculi æqual.
part. deinde imponantur.

passular. Corinthiac. lb. j.

Coqu. & exprimantur, & ad mellis
consistentiam iterum coquantur. Aut
exsiccentur passule absque expressione
facta. Utilis est hic etiam sirupus de
cichorio cum rhubarb.

Roboretur postea cerebrum melle
anthosato, speciebus electuarii pleres
Archontici, diamosch. dulc. cum lacte
matricis, vel detur hic Pulvis:

℞. Rad. pæon. Drach. ij.

ungul. alci,

visci querni,

sem pæon. an. Drach. ß.

corallior. rubror. prepar. Scrup. ij.

smaragd. prepar. Scrup. ß.

succin. albi,

croci, an. Scrup. j.

sacchar. albi Unc. ß.

F. Pulvis.

℞. Rad. pæon. iusto tempore collectar.

Unc. ß.

ungula alci Drach. ß.

succini alb. Drach. j.

croci optimi Drach. ß.

sacchar. alb. Unc. ß.

F. Pulvis.

Sutura coronali inspergatur hic
Pulvis:

℞. Granor. pæon Drach. jß.

flor. lilij convall.

pæon.

lavend. an. P. f.

succini albi Scrup. ij.

nucis mosch. Drach. ß.

F. Pulvis.

Itali, ac Florentini imprimis, quibus
hoc malum familiarius est, pueros re-
cens natos ferro candente, aut particu-
la ligni ignita adurunt, ubi summa ver-
tebra cum capite conjungitur. Alii
ex candela cerea accensa guttam unam
atque alteram ferventem in eundem
locum, eundem ob finem, destillare
sunt.

Ad præservandum verò, ne infans
unquam Epilepticus fiat, nonnulli hoc
commendant:

℞. Spiritu vini lb. iijß.

castor. Unc. ß.

radic. pæon. Unc. iij.

Mascerentur & colentur. Colat. in-
fantis totum corpus abluatur.

Et cum non raro accidat, ut in infanti-
bus circa aures, maxillas, & in aliis cor-
poris partibus ulcera & pustulæ erum-
pant, nullo modo hic naturæ conatus
impediendus. Si enim talia ulcera,
materia intrò recedente, evanescent,
cum in alios morbos, tum in Epilepsi-
am interdum infantes incidunt. Imò
si intempestivè evanescere incipiant ta-
lia ulcera, atque infans inde malè ha-
beat, conatus naturæ potius adjuvan-
dus sirupo fumar. C. C. & similibus
materiæ ad ambitum corporis motum
promoventibus.

*Cura lactentium per cōsen-
sum ventriculi.*

Præservationis gratia recens natis,
antequam lac vel alius cibus ipsis porti-
gatur, hoc detur:

℞. Sacchar. alb. Unc. ij.

ol. amygdal. dulc. recens expr. q. f.

F. Mix-

R. Mixtura instar pultis, cujus usu materia vitiosa in utero collecta in primis viis ejicitur. Alii exhibent saltem mel crudum, vel mel rosatum colatum, vel sirup. de cichorio cum rhabarb. vel mel despumatum cum modico sem. fœnicul. & radic. pœoniæ & ol. amygdal.

Nonnulli putant, naturam ipsam huic rei providisse lacte materno, quod in principio serosius est; & propterea majorem abstergendi vim habet, censentq; eos malè facere, qui lac hoc maternum, quasi utile præsidium, rejiciunt; & aliarum nutricum, quod jam crassius est, exhibent.

Caveatur etiam, ne ventriculus lactis copia oneretur, ideoq; infans rarius lactetur. Si lac coaguletur, atque in grumos concreascit in ventriculo infantis, dissolvatur exhibito mellè cum salè, oxymel. simpl. sem. fœnicul. radicibus eryngii, aut, si hæc nihil juvent, propinentur gr. v. plus minusvè coaguli hædini vel leporini: vitia quoque lactis emendentur ut supra dictum.

Vel, in Epilepsia orta è lactis concretionem in ventriculo,

R. Fol. ulmi P. iij.

Coqu. in urina pueri.

Addè butyri recentis Unc. ij.

R. Cataplasma, quod applicetur ventriculi regioni.

Vel **R.** Fol. malvæ.

absinthij.

ulmi, an. pug. j.

Coqu. in urina pueri, & cum butyri unc. ij.

addito pauco fermento & ol. nardino.

R. Cataplasma applicandum ventriculi regioni.

Infanti frequentius & copiosius lac non dandum, ut dictum, quam ut ventriculus conficere possit. Aliàs enim si copiosè & ferè assidue infans lac sugat; fieri non potest, quin magna cruditas generetur, ex qua non solum Epilepsia, sed & alii morbi proveniunt.

Cura Infantium ab lactatorum.

Infantes ab lactati quomodo curentur, docet Galenus, in consil. de pueri Epileptico: quod tamen cum sale legendum censet Hercul. Saxonia; cum infantibus concedat lactucam, apium, porrum, brassicam & lentes. Petatur etiam curatio ex præcedentibus. Alex. Trallianus decoctum hyssopi, imprimis hyeme & autumno, commendat; cum ejus solus usu plerique convalescant, ut non amplius secundum aut tertium eundem in morbum inciderent. Quippe vitiosa & crassa recrementa incidit, & non permittit; vel in stomacho, vel in thorace recrementum in crassitiem coire & spissari; aliudq; per urinas, aliud per alvum expellit.

Et cum morbus hic aliquandiu lateat, & indicias dare soleat, cura non citò abrumpenda, sed continuanda, ut radix mali extirpetur. Habentq; & hic locum cauteria in occipite, inter tertiam & quartam colli vertebra, aut ubi summa vertebra cum capite conjungitur.

Videatur etiam Alex. Trallianus, lib. 1, cap. 15. Rondelcius, de medend. morb. cap. 36. Hieron. Mercurialis, de morb. pueror. cap. 3. Jacobus Trunco-

nus, tract. 4. de custodienda puerorum
sanitate, cap. 13. tom. 2. consultat. lib. 8.
Horat. Augenus.

Dieta.

A carnibus omnino infantes abstinere bonum est, præcipuè suillis & bubulis: voluptatis autem causa, aut alio etiam urgente usu modicas accipiant, & raro; sed quæ non sunt pingues. Alex. Trallianus, loc. allegato, Idem non concedit sinapi, cæpas, daucum, ut quæ caput replent, nec apium; de quo infra, quest. 6. Plura de diæta infantium videantur apud Trallianum, loc. allegato.

QUÆSTIO I.

An solus homo Epilepsiam laboret?

Affirmare quidem hoc videtur Aristoteles, sect. 50. probl. 49. Verum id alii jure negant, utpote quos experientia aliud docuit. Referunt enim Epilepsia laborare & coturnicem, Plinius, lib. 11. cap. 23. Julius Solinus, in Polyhistor. Aloysius Mundella, Ulysses Aldrovandus, lib. 2. Ornith. logia, Alaudam, Aloys. Mundella, lib. 3. cap. 23. Aldrovandus, lib. 18. cap. 10. Accipitres & graculos, Dalechampius, in comm. in Plin. lib. 3. cap. 22. Picas & perdices, Aldrovandus, com. 1. Ornithol. lib. 12. cap. 11. Mundella, loco citato; Capos, Jacobus Olivarius, lib. 12. cap. 22. Passeres, idem, Barthol. Anglicus, Aldrovandus, tom. 2. lib. 15. cap. 30. Capras & oves, Hippocrates, in lib. de Sacro morbo; Canes, Julius Cæsar Sca-

Qua animalia Epilepsia laborant.

liger, in comm. in lib. 2. Aristot. de plantis, Cælius Rhodiginus, lib. 6. Antiq. lect. cap. 5. Alii alia etiam animalia addunt.

QUÆSTIO II.

Quodnam sit subjectum Epilepsia?

Subjectum Epilepsia omnes Medici ^{Epilepsia} cerebrum esse docent, utpote, quod ^{subjectum} omnium, quæ in Epilepsia læduntur, ^{quod.} actionum fons & causa est, & quo non affecto Epilepsia non excitatur. Solus Quercanus aliter sentit, in Tetrad. c. 8. Verum nullius momenti sunt rationes, quibus contra Galenum & vulgaram sententiam probare conatur, quod Epilepsia sedes non semper sit in cerebro, sed quod & in quibusdam Epilepticis cor primò & per se afficiatur, quia scilicet cordis actiones, non minus quam cerebri lædantur, ut ex cordis palpitatione, pulsus conversione, animi deliquis videre sit: quodq; Epilepsia quædam sit, in qua phantasia & memoria integra manent. Equidem si de loco generationis materia, quæ Epilepsiam excitat, quærat, nec Galenus, nec Galenicorum ullus unquam asserit, eam semper in cerebro generari. Verum hoc quæritur, qua parte proximè & præcipuè affecta Epilepsia excitetur. Eam cerebrum esse rectè affirmatur, utpote quod omnium actionum, quæ in Epilepsia læduntur, fons & causa est, & hoc salvo, & non affecto nunquam Epilepsia excitatur. Et licet cordis palpitatio, & pulsus perversiones in Epilepsia quandoq; animadver-

advertantur : non tamen hinc sequitur, quod cor Epilepsiae sedes sit. Fit enim hoc vel antequam Epilepsia ingruit, dum vapores maligni versus caput tendunt, & in transitu illud laedunt, vel in ipso paroxysmo Epileptico, corde ab eadem causa laeso, aut per consensum affecto. Nam cum motu animali impedito respiratio quoque depravetur, impossibile est; ut cordis actiones non depraventur. Et licet cum Epilepsia aliarum partium actiones laesae concurrere possint: tamen inter se non sunt confundendae, quod Paracelsus plerumque facit, qui suffocationem uteri, syncopen, tremorem, & palpitationem cordis, vertiginem, ecstasin, morbi caduci species facit. Licet quoque in quibusdam Epilepsiae speciebus quaedam sensuum internorum actiones non aboleantur: illud tamen non evenit, quod cerebrum tum non sit pars affecta, sed cor. Nam & tum aliae ac pleraeque actiones laeduntur, etsi aliquaes supersites maneant. Id quod accidit, quod causa Epilepsiae alia est potentior, alia debilior, & cerebrum nunc magis, nunc minus laeditur. Et dari quasdam imperfectas Epilepsias, supra diximus. Ac si omnium affectionum, in quibus cor per consensum afficitur, cor sedes esset: in plurimis morbis illud subiectum statuentum esset, ut in suffocatione uteri, malo hypochondriaco, & aliis pluribus. Et si cor primum Epilepsiae subiectum est; cur Quercetanus omnem curationem dirigat ad cerebrum, non verò ad cor?

QUESTIO III.

Quanam sit Epilepsiae
Causa proxima?

Proximam Epilepsiae causam statuimus esse expultricis facultatis in membranis cerebri à materia tenui & acri, & qualitate occulta, nervoso generi inimica, irritationem; & quidem, ut existimo, rectè, ut pluribus instituit. *libr. 2. part. 3. sect. 2. cap. 6.* demonstravimus. Etenim materia ex subito saepe sumpto ab aliqua parte initio cerebri nervosumque genus pervadit, & paulò post discutitur, saepe nullo relicto sui vestigio. Et cum Galenus, *3. de loc. affect. cap. 7.* & cum eo alii Medici omnes, Epilepsiam quandam admittant, quae excitatur, cum à parte aliqua interna quasi aura quaedam ad caput ascendit: cur in Epilepsia per primum cerebri affectum ad obstructionem ab humore crasso confugere opus est, & cur non tum eadem causa admittitur, praecipue cum sternutatio & singultus, Epilepsiae cognati affectus, eodem modo generentur? Quae de re Galenus, *loco allegato*, scribit: *Existimavi, inquit, similem aliquem in Epilepsia cerebri morum fieri, qualis stomacho interdum à re quapiam molesta accidere solet.* Et Avicennas, *Fen. 1. libr. 3. tractat. 5. cap. 8.* sternutationem parvam quandam Epilepsiam nominat, quando videlicet quod in anteriore parte cerebri molestum continetur, cerebrum excutit. Sicut enim quod in anteriore parte cerebri acre mordax inest, impetu quodam in sternutatione:

excutere natura tentat: ita in Epilepsia, quod in membranarum cerebrum investientibus & principio nervorum molestum est, natura excutere conatur. Et sicut sternutatio oritur non à crassis & viscidis humoribus, sed iis, qui acrem vaporem emittunt: ita à simili vapore & humore Epilepsiam concitari vero consentaneum est, & experientia id confirmat. Compertum enim est, quosdam à vaporibus & odoribus pravis Epilepsia correptos esse: contra aliarum rerum vapores & odores eandem discutere. Ita suffitus galbani, cornu capræ, epatis hirci manifestant Epilepsiam. Eandem contra tollunt odor rutæ, castorei. E quibus caussis externis de internis in corpore latentibus conjecturam facere non difficile est: si quidem cum plura idem efficiunt, ut in communi efficiendi ratione conveniant, necesse est. Quæ omnia satis indicant, causam Epilepsie proximam esse humorem vel vaporem acrem, aut potius malignum, peculiari vi cerebrum stimulantem, & molestantem.

Galenus equidem aliud statuit, & lib. 3. de loc. affect. cap. 5. & 7. 2. Aphor. 45. 2. de Symptom. caus. cap. 7. libr. de atra bile, cap. 5. & alii Medici, qui eum sequuntur, plurimi docent; Epilepsiam fieri ab humore crasso, qui ventriculos cerebri obstruat, non integrè quidem, ut in apoplexia, sed ex parte, quem dum conetur ejicere cerebrum, sese contrahat, quo contracto nervi etiam contrahantur, & in consensum trahantur. Ita enim in Comm. 2. Aph. 45. scribit: *Apoplexia & Epilepsia inter se*

quodammodo affines & cognata sunt affectiones. Eundem enim locum affectum, & eundem humorem habent mali causam. Hoc differunt, quod Apoplexia fiat propter virtutis ad nervos affluentis plenam consummatamque privationem: epilepsia ob motum vitiosum & perversum; quin etiam utrobique humor est frigidus & crassus. In quo quidem rectè docet, quod in Epilepsia laborantibus cerebrum concutitur, & quidem, ut humorem vitiosum excutiat: quod in infantibus Epilepsia laborantibus manu capiti applicata sæpe manifestè deprehenditur. Verùm in eo non parum fallitur, quod humorem illum ejusdem naturæ cum eo, qui apoplexiam excitat, esse statuit, & obstruendo etiam cerebrum ad concussionem stimulare docet. Etenim non credibile est, paucillum illud, quod ex partibus inferioribus, ipsius Galeni testimonio, instar auræ, per vias sæpe occultas ad superiora ascendit, crassum esse, & obstruendo Epilepsiam excitare, sed potius membranas cerebri vellicando id præstare. Si quoque obstruendo Epilepsiam excitaret materia, Epilepsie causa, motus potius tolli aut imminui, non verò convulsio excitari deberet. Et cum apoplexia & Epilepsia hoc modo, & ratione causæ saltem secundum magis & minus differrent, ob eam tamen differentiam non ita variarent symptomata, sed potius paralysis & stupor, ac animalium actionum ablatio aut imminutio inde fieret, non convulsio. Præterea si ab humore crasso cerebrum ex parte obstruente fieret Epilepsia, apoplexiam antecederet, & sequeretur

Epile-

Epilepsia. Neque enim credibile est, ut videtur Massaria, tam repente, & tam inexplicabili temporis momento integram cerebri obstructionem fieri, ut nullo modo ob inchoatam & simplicem obstructionem præcederent Epileptica symptomata, si hoc modo generaretur Epilepsia: cum sæpe dolores capitis, vertigines, & similia symptomata apoplexiam præcedere soleant. Multo minus in momento illa obstructio integra solvi potest. Ideoque cum obstructio non est integra, sive ingruente, sive desinente apoplexia, Epilepsia sequeretur.

De specifica autem hujus humoris ac vaporis natura si quærat, omnino admittendum est, simplicem acrimoniam ac malignitatem & venenositatem ad Epilepsiam generandam non sufficere. Nam dantur multi morbi, in quibus tales humores, & inde exhalantes vapores ad caput ascendunt, ut lues Venerea, febres malignæ multæ, venenatorum animalium morsus, quibus tamen, & aliis pluribus Epilepsia non conjungitur. Ideoque ad Epilepsiam generandam non sufficit, ut vapor sit acris, mordax, malignus, sed peculiaris in eo qualitas, & specifica proprietas, qua membranæ cerebri & nervoso generi peculiari modo infestus est, & omnino *Al. J. et* Epileptica in eo requiritur.

Quæ autem illa specifica sit malignitas & *Al. J. et* Epilepsiam excitans, explicare in hac naturæ obscuritate impossibile; estque ea, sicut aliorum venenorum, occulta, & non nisi ex effectu colligitur. Nonnulli qui-

L. I.

dem è Chymicis hic se rem clarius explicare posse, quàm Galenicis, promittunt, sed an re ipsa præstiterint, dubito. Paracelsus & Paracelsi sectatores plerique Epilepsiam morbum Mercurialem esse docent. Quomodo verò id clarè explicent, non video. Neque enim, ut, in tractatu de Chymic. cum Galen. consens. ac dissens. dictum, satis explicant, quid sit Mercurius, & quomodo à reliquis principiis differat. Deinde cum multi morbi Mercuriales ex eorum sententia ponantur, nõ monstrant, qua in re determinata & specifica hujus mali natura sita sit, & quomodo hic morbus Mercurialis ab aliis morbis Mercurialibus differat. Alii, ut rem clarius explicent, è Petri Severini Idea radicem hujus mali statuunt Vitriolum Mercuriale, & Quercetanus, in *Tetrad. cap. II.* scribit, nullum ex vaporibus Epilepsiam producere posse, nisi sit naturæ vitriolatæ. Et quidem plerique è Chymicis istis Mercurialem hunc morbum esse dicunt, deinde etiam ex parte aliqua salarium.

Verum enim verò asserunt quidem ita hæc, sed firmis rationibus non probantur. Nam primò quòd dicunt, morbum Mercurialem esse, ob subjectum ejus, quod sit cerebrum frigida & humida cum Mercurio naturæ, id hoc non satis prostat. Erenim etsi Epilepsia fiat cerebro proxime læso: tamè hic quæstio est non de subjecto, sed de natura specifica illius humoris aut vaporis, qui cerebrum vellicando Epilepsiam patit. Is autem non semper in cerebro generatur, sed interdum in

M m m m

cranio,

cranio, in ventriculo, utero, & aliis corporis partibus. Neq; etiã idco Mercurialis dicendus, quod caussa materialis, hunc affectum generans, in liquida seu vaporosa substantia consistit; cum vapores etiam sulphurei esse possint. Præterea nec medicamenta omnia, quæ curant hunc morbum, Mercurialia sunt: sicut ol. succini sulphureæ naturæ est; sal succini, sal C. C. magisterium coralliorum, salariæ,

Tandem cum ex illorum sententia omnis vis mordendi & dolorem excitandi à salibus sit, atque Epilepsia fiat à vapore cerebrum vellicante, potius Epilepsiæ caussi, qua talis, ad salem, quam Mercurium pertinere videtur. Ideoque ipsi Paracelsi necessarium hic censent, salem conjugendum esse; id quod nec nos negamus. Cujus autem naturæ is sit, & an satis demonstrarent, salem istum vitriolatum esse, & nullum vaporem Epilepsiam concitare posse, nisi proprietatis & naturæ vitriolatæ sit, dubito. Cum enim ipsi paroxysmum Epilepticum excitari statuunt, cum exhalationes malignæ, acres, acidæ, adstringentes & corrosivæ spiritibus animalibus miscentur: id non solum ex vitriolo, sed & aliis pluribus fieri potest, alumine scilicet & sale Armoniaco, ut & Antimonio & arsenico. Unde Petrus de Epilepsia scribit, humorem, qui Epileptici vaporis fomes est, ob copiam salis vitriolati, aluminosi & Armoniaci, quandoq; & Mercurialis & Arsenicalis, phlegmate Mercuriali, & sulphore glutinoso exuto instar aquæ fortis summam

acrimoniam, fermentationis, corrosionis, & penetrationis vehementiam acquirere. Et certè si vapor iste, quod Quercetanus non negat, malignus est, potius malignitas in antimonio & arsenico quaerenda est, quam in vitriolo. Adstricchio in alumine quoque est; vis corrodendi in omnibus salibus, unde, tot aquarum fortium differentia. Et multi in febribus & aliis morbis æruginosos humores vomitu rejiciunt, à quibus procul dubio etiam vapores congeneres in caput attolluntur, qui tamen Epilepsiam non excitant. Ergo æquè hic Chymicis ac Galenicis ad occultam & specificam qualitatem & proprietatem, necessarium illud humanæ ignorantiaæ asylum, confugiendum. Ut non immeritò magnus ille Medicus, Johannes Crato, ad Zwingerum, in Epistola à Scholizio collecta, Epistola 137. scripsisse videatur; Utinam ante vitæ meæ exitum veram dignotionem hujus mali, & verum remedium aliquis ostenderet!

QUESTIO IV.

Quomodo Cerebrum in Epilepsia afficiatur, & qua de causa omnium sensuum actiones abolentur.

Quomodo Cerebrum in Epilepsia afficiatur, id totum ex cognitione causæ proximæ pendet. Nam qui ab humore crasso Epilepsiam fieri statuunt, necessariò etiam cerebrum ut partem organicam affici, ejusq; ventriculos ab humo-

Quaratione cerebri in Epilepsia afficiatur.

humore isto obstrui sentiunt. Verum cum istam opinionem supra rejecerimus, eorumque sententiam probaverimus, qui à vapore mordace, acri, & peculiari vi cerebri infesto, Epilepsiam provenire docent, rectè etiam hic statuimus, cerebrum in Epilepsia affici quidem & secundam substantiam, & secundum spiritus, quibus peculiari modo causa Epilepsie adversa est; postquam tamen cerebrum rem sibi adversam percipit, & facultate expultrice naturali id, quod molestum est, expellere conatur, nervosum & membranofum gen⁹ in consensum trahere. Et hinc fit, ut malignitate & acrimonia materię Epilepticę vellicatum cerebrum sese cum nervoso genere concutiat, atque id, quod molestum est, excutere conetur.

Qua verò de causa omnium sensuum actiones aboleantur in Epilepsia, si ea non fit ab obstructione ab humore crasso, alii aliter sentiunt. Platerus in Epilepsia nervosum genus molestè ab humore pravo affici statuit, quam dum excutere conatur, cerebrum simul exagitari, & in consensum trahi dicit; & dum suppetias ad expellendū id, quod molestum est, afferri nititur, spiritus animales à se in nervorum initia propellere, atque ita effusis à cerebro spiritibus sensus internos cessare, & suis functionibus destitui; nō aliter, quam in lipothymia & syncope nonnquam spiritibus vitalibus effusis cor à sua functione cessat.

Alii ab angustia meatuum cerebri hoc provenire statuunt: verum non

ab obstructione, sed dum cerebrum à vapore molesto irritatur, contracti & constringi istud dicunt, unde meatum oriatur angustia. Verum magis probabile est, in Epilepsia magnam fieri spirituum animalium perurbationem, atque idè omnes actiones animales sine spirituum animalium, & quidem sese rectè habentium, ministerio perfici non possint; in Epilepsia vero spiritus animales sese rectè non habeant, sed varie turbentur: actionibus animalibus obeundis debito modo inferre non posse, manifestum est.

QUÆSTIO V.

An Motus convulsivus in Epilepsia fiat à facultate animali, an verò naturali?

De motu etiam illius convulsivi, qui in Epilepsia accidit, quoque membra variè agitantur, natura & causa inter Autores, præcipuè Thomam Erastum, & Comitum Montanum, est controversia. Thomas enim Erastus, in *Anatomia librorum Comitum Montani, & in disputatione de convulsione*, pluribus defendere conatur, morbum hunc è facultate animali provenire. Inter cetera autem utitur hoc argumento: Omnis motus, quem appetitus cum rationalis, tum irrationalis musculis imperat, sive bene sive male id faciat, animalis est, sive arbitrarius. Is autem motus, qui per contractionem musculorū ad sua capita fit, mandatur ab

Motus convulsivi in Epilepsia quis auctor.

anima seu appetitu musculis. Omnis igitur motus talis dicitur, & est voluntarius seu animalis. Minorem ita probat, quod nulla animati corporis actio, quæ ab eo, quatenus animatum est, editur, sive laudabilis ea sit sive vituperabilis, ab ulla ejusmodi corporis affectione, nihil ad hanc rem concurrente anima, produci possit. Musculorum verò illa contractio, qua, citra alicujus rei extraneæ operam, ad sua capita contrahuntur, ac membra, in quæ inserta sunt, movent, operatio est animati corporis, qua animatum. Et proinde ejusmodi musculorum motus à re nulla alia fieri potest, anima non coagente. Cum vero naturalis non sit, utpote qui per musculos voluntarii motus instrumenta exercetur, esse animalem & arbitrium statuit.

Contra Comes Montanus hoc negat, lib. 3. de morb. cap. 30. & defensione quintâ adversus Erasum, idq; hac ratione. Si facultas animalis motum impetrat partibus, imperium hoc ex appetitu oriri necesse est. Appetitus autem oritur ex cognitione, cognitio à sensu; sed sensus in Epilepsia non vigent, & illud quod corpori molestum, neque percipere, neque facultatibus superioribus communicare possunt. Deinde etsi in aliis convulsionibus & spasmo sensus sunt integri: tamen motus omnis, qui fit à facultate animali, est voluntarius, seu spontaneus; at convulsivum motum præter voluntatem, & contra eam fieri nemo ignorat; ac propterea facultati animali asseribi non potest.

Verùm etsi opiniones hæc extremè discrepare videantur: tamen neutra per se veritati planè consentanea est, sed si conjungantur, veram sententiam constituunt, cum utraque vis, & expultrix naturalis, & motrix animalis facultas in Epilepsia concurrant. Et enim motus hi convulsivi simpliciter animales non sunt; cum contra voluntatem fiant. Neque etiam simpliciter naturales; cum fiant beneficio musculi, animalis facultatis instrumenti, neque credibile sit, facultatem naturalem expultricem posse tam vehementes ac validos motus solum edere.

Itaque hac de re sic statuendum puto. Cerebri membrana, ubi à materia mordaci & maligna vellicantur ac mollescantur, illud, quod molestum est, excutere conantur. Atque hoc modo vis expultrix cerebri primò quidem movetur: eadem tamen animalem facultatem, quæ subiecto illi simul inest, in consensum trahit, eamq; ad expulsionem laceffit. Hinc fit, ut potentia illa cerebrum vehementius dilatat & comprimatur, ac ista compressione, quod sibi molestum est, excutere conetur; quod in sternutatione fieri videmus. Imò simul facultatem moventem in nervoso & musculofo genere in consensum trahit. Atq; hoc modo à facultate expultrice quidem initium motus est, motus tamen vehementiam juvat vis animalis. Aliter sese habet expulsio in parte, quæ motu destituitur; aliter in ea parte, quæ ad motum apta est: variantque symptomata secundum partes subiectas, id quod.

id quod & in sternutatione, quæ magnam cum Epilepsia convenientiam habet, videre est, ut & in singultu. Quam enim princeps & prima causa sternutationis sit vis expultrix cerebri: irritatur tamen eadem & in consensum trahit vim motricem capitis & thoracis, cerebrumque irritatum in expulsionem ista à matrice functione corporis adjuvatur, musculique capitis & pectoris contrahuntur, ut felicius ac potentius id, quod molestum est, à cerebro expellere possit. Videantur etiam quæ supra de Convulsione dicta sunt.

QUÆSTIO VI.

An sanguis in paroxysmo Epilepsie sit mittendus?

Sanguis an in Epilepsia paroxysmo mittendus.
Fuerunt quidem inter Antiquos nonnulli, qui in Epilepsie paroxysmo venam aperiendam censuerunt. Verum hodie nemo Medicorum est, qui id suadeat aut tenter. Etenim in ista vehementi & inordinata concussionem corporis nec commodè satis institui potest venæ sectio, nec, si posset, satisfactò, ac cum utilitate aliqua adhiberetur. Nam cum in paroxysmo Epileptico maxima naturæ & causæ morbificæ lucta sit, ac natura id unice agat, ut materiam illam sibi molestam excuiat, eademque valde laboret tum ob denegatum animalium spirituum influxum, ac respiratio, & hinc aliæ actiones, non rectè se se habeant: facile fieri posset, ut sanguine, & cum eo spiritibus subtractis natura succumberet,

& ita æger in ipso paroxysmo cum medicinæ ignominia expiraret. Nec ulla causa est, quæ venæ sectionem suadeat; nec per eam æger à paroxysmo citius liberari potest.

QUÆSTIO VII.

An extraparoxyssimum sanguis mittendus sit in Epilepsia?

Sunt quidem nonnulli, qui nec extraparoxyssimum in Epilepsia sanguinem mittendum censent, ea imprimis de causa, quod morbus hic ab humore frigido & crasso oriatur. Sed, ut sæpe dictum, ex falsa hypothese id asserunt. Neque enim ab humore crasso, sed potius à tenui ortum habet Epilepsia. Ideoque etsi nonnunquam fieri queat, ut corporis constitutio pituitosa adsit, aut è ventriculo, vel alia parte determinata, nullo sanguinis vitio concurrente, Epilepsia excitari possit, & ita venæ sectione opus non sit; in quibus etiam casibus nulla venæ sectionis supra facta est mentio) tamen in Epilepsia per essentiam, & si plenitudinis cuiusdam notæ appareant, aut sanguis multus melancholicus adsit, venam omnino aperienda est; cum indicans venæ sectionis adsit; modò vires id permittant. Idem faciendum, si à consuetuata aliqua sanguinis evacuatione, ut mensium in feminis vel hæmorrhoidum suppressione, Epilepsia originem habeat.

QUÆSTIO VIII.

*Quenam vena in Epilepsia sit aperienda?**Qua vena in Epilepsia aperienda.*

Quæ verò vena aliàs aperienda sit in Epilepsia, Autores non planè consentiunt. Et si verò suprà in singulis Epilepsia differentiis, quæ vena, ubi opus est, aperienda sit, definitum est: tamen, ut res clarior fiat, & quo fundamento supra proposita nitantur, patefiat; sciendum, si Epilepsia fiat per primarium cerebri affectum, & aliqua plenitudo sanguinis in capite appareat, vel in toto corpore sanguinis plenitudo adsit, quæ vel ad producendam, vel fovendam Epilepsiam faciat, viresque permittant, commodissimè in cubito vena aperitur, quæ sanguis evacuat, & à capite derivatur. Si vero Epilepsia sit per consensum ab utero, ac menstruorum suppressionem, vel à suppressis hæmorrhoidibus, venæ in cruribus aperiendæ sunt, ut & sanguini motus suppressus concilietur, & materia à capite revellatur.

QUÆSTIO IX.

*An vomitus in Epilepsia conveniat?**Vomitus an in Epilepsia conveniat.*

Et si nonnulli vomitum in Epilepsia planè improbant, ea imprimis de causa, quod vomitus caput, quod aliàs in Epilepsia afficitur, concutiat: tamen hæc ratio sufficiens non est, nec vomitus planè improbandus, sed distinctione opus est. Etenim ubi cerebrum primariò afficitur, aut ubi à parte ali-

qua externa Epilepsia causa cerebro communicatur, nullus usus est vomitus; & experientia docuit, eos, qui violentioribus per alvum & vomitum simul purgantibus in Epilepsia cerebro primariò affecti videntur, non solum nihil commodi inde percipere, sed pesus inde habere. Sed tum vomitus prodest, & locum habet, ubi Epilepsia per consensum ventriculi, partiumque vicinarum oritur, seu cum causa Epilepsia iis in locis hæret, è quibus per vomitum excludi potest. Et naturæ quædam ad vomitum satis pronæ sunt, nec facilè incommodi aliquid ex eo tum metuendum. Et sit, ut caput aliquomodo afficiatur vomitu: tamen longè majus commodum est, quod tum ex eo provenit.

QUÆSTIO X.

An Frictiones in paroxysmo Epileptico usum habeant?

Non malè, in spicilegio, cap. i. de Epilepsia, scribit Franciscus Hildesheim; in ipso paroxysmo Epileptico nullum unquam auxilium præstantius se expertum esse, quàm frictiones validas ac violentas scapularum, brachiorum, crurum, & ipsius dorfi cum pannis asperioribus & pilosis. Erasmus tamen, disp. 4. contra Paracels. frictiones non multi usus esse putat, quod nihil evacuare ex loco aperto possint, propter obtusum membrorum sensum. Verum enim verò sententia prior verior est. Et si enim verum sit, sensum tum esse obtusum: tamen si frictiones fortes

ores

ores sint, quales esse debent, sensus sopiti excitantur quasi. Præterea etiam sensus frictiones non percipiat: tamen frictiones fortes partes calefaciunt, humores & spiritus ad partem, quæ fricatur, concitant, ac movent. Unde fit, ut vapores ad caput tendentes versus inferiora & partes illas, quæ frictione incaluerunt, attrahantur & discutantur.

QUÆSTIO XI.

An in paroxysmo Epileptico sternutationem ciere liceat?

Sunt nonnulli, qui in paroxysmo Epileptico sternutationes ciendas non putant, eade causa, quod humores crassos sternutatoria è cerebro excutere non possint, verum eos movendo & agitando majores obstructions pariant; imò, capite non evacuato, visui insigne damnum adferre possint; cum experientia constet, ex intempestivo sternutamentorum usu, materia in cerebro copiosa agitata, nervorum opticorum obstructionem, & hinc cæcitatem secutam fuisse. Verum supponunt hi ex antiqua opinione, à crassis humoribus, ventriculos cerebri obstructuentibus, excitari Epilepsiam. Cum verò supra satis sit demonstratum, non ab humore crasso, sed potius tenui, imò vapore & aura Epilepsiam excitari; frustra hoc incommodum metuitur, materiamque talem ptarmica satis discutere valent. Atque usus & experientia docet, nihil damni à ptarmicis in Epilepsia exhibitis provenire, sed cum summa utilitate ea adhiberi. Interim non

negamus, in aliis morbis, in quibus materia crassa & copiosa in capite abundat, ptarmica cautè & cum circumspectione esse adhibenda.

QUÆSTIO XII.

An Apium Epilepticis sit noxium.

Avicennas, lib. 3. Fen. i. tr. 5. cap. 11. *An apium è cibis præcipuè apium rejicit, utpote quod peculiarem proprietatem Epilepsiam commovendi habeat; quem Arnoldus de Villa nova, lib. 1. cap. 22. & alii, inter quos è recentibus est Tabernæ montanus, sequuntur. Avicennam verò reprehendit Leonhard. Jac. chinus de acutor. morb. curat. & mercurii vitium esse id putat, cum Galenus, in consil. de puerro Epileptico, Apium Epilepticis concedat.*

Verum non solum Avicennas, sed & Alex. Trallianus, lib. 1. c. 15. Apium Epilepticis, ceu naturaliter eos offendens, prohibet Et Plinius, lib. 20. nat. hist. cap. 11. ex Chryssippo & Dionysio refert, in puerperio ab eo cibo comitiales fieri, qui ubera hauriunt. Cum ergo tot docti viri id affirmant, non puto planè istam sententiam esse rejiciendam, sed potius experientiam, quæ non planè refragabitur, consulendam. Et quamvis multi hodie sine noxa utantur eo; tamen ad Epilepsiam dispositi non sunt. Et licet Galenus Apium Epilepticis concedat; id tamen degustare saltem permittit, sicut & Smyrnum, quod tamen postea caput replere scribit; & similia, quæ ceteris, & in Epilepsia parum commoda, concedit: qua ipsa de causa Hercul. Saxonia hoc consilium cum sale legendum putat.

Hoc

Sternutatoria in Epilepsia an conveniant.

Hoc tamen hic monendum, cum de Apio quæstio est, petroselinum nobis ita dictum intelligendum esse. Id enim est verum apium hotrense, & domesticum antiquorum; quod verò apium hodie dicitur vulgo id est, apium palustre antiquorum.

QUÆSTIO XIII.

An Cranium humani aliquis in Epilepsia usus sit?

*Cranij hu-
mani in
Epilepsia
usus.*

Cranium humanum contra Epilepsiam hodie usurpari notissimum est. Reprehendit tamen hoc Erastus, in *disputat. contra Paracelsum, part. 4.* scribitque, Diabolum persuasisse latenter hominibus, ut pro Epilepsiae depulsi-
one uterentur pulvere ex cranio huma-
no præparato, & iussisse, ut devora-
rent fœminas fœminæ, mares masculi.
Paracelsum verò, cum inaniter offer-
ri cranij pulverem animadvertisset, ut
superstitionem confirmaret & auge-
ret, officulum quoddam parvum, an-
gulate, magnitudine unguis in capitis
vertice inveniri, mentitum esse, quod
epotum liberaret ab Epilepsia, & ne
in mendacio deprehenderetur, addi-
disse non in omnium capitibus, sed in
quorundam saltem reperiri. Ipse verò
Erastus in nullis reperiri statuit.

Verum enim verò etsi verum sit, in-
ter medicamenta passim circumferri
multa, quæ re ipsa quod de iis prædica-
tur non præstant, nolim tamen hoc
facile de cranio humano asseverare;
cum tot docti eruditique Medici tes-
tentur, verum esse, quod de efficacia

cranij humani in Epilepsia scribitur,
præcipuè cum Erastus nullam ratio-
nem, quæ contrarium suadeat affe-
rat. Ideoque etsi superstitionis for-
medicamentorum usus rectè rejicitur,
atque inde etiam Galenus, *de simpl.
med. fac.* scribat, absurdum & indignum
hominibus esse, talia usurpare: idem
tamen Galenus, *lib. II. de simpl. Med.
fac. titul. de Ossibus*, refert, se novisse,
quendam ossa combusta potui exhibu-
isse haud scientibus quid biberent, ne
scilicet ea averfarentur, ac multorum
tum Epilepsiam cum Arthritidem cu-
rasse. Id quod de cranio etiam obser-
vare cuique promptum est. Et in pri-
mis ad Epilepsiam curandam effica-
cissimus est spiritus, qui ex eo elicitur,
si infantibus gutt. vi. vel vij. adultiori-
bus plures exhibeantur; ut & sal ille
volatilis, qui in distillatione liquoris
hujus è cranio colligitur.

Paracelsum quoque officulum illud
in cranio humano reperiri affirman-
tem mendacii immeritò arguit Tho-
mas Erastus. Etsi enim ipse ea non vi-
derit: in multis tamen ad commissu-
ram suturæ coronalis & sagittalis ta-
lia officula triangularia reperiuntur.
Et sunt penes me aliqua, quæ nuper ec-
iam meis Auditorib⁹ monstravi, quæq;
habeo ex dono Dn. Michaëlis Döringii
jam Medicinæ Doctoris, & Physici Ura-
tislaviensis, qui cum iter in Sabaudia
cum Dn. Guilielmo Fabricio, Hilda-
no, Chirurgo celeberrimo, faceret, in
ossuariâ obvia multa ex cranij ibi
asservatis cum Dn. Fabricio
collegit.

*Officulum
triangula-
re in cranio
humano.*

QUESTIO. XIV.

Vtrum Amuleta profint in
Epilepsia?

*Amuleto-
rum in Epi-
lepsia usus.* Cum de Amuletis quædam in ge-
nere dicta sint, in *Tractat. de Consens. &*
Chymic. cum Aristotel. & Galen. ea, quæ
ibi prolata sunt, hic repetenda nō cen-
leo, sed argumenta solūm, quæ *loc. al-*
legato, affert Erastus contra Amuleta,
examinabo. Primò quidem scribit,
naturalia *αὐτῶν*, sive propter formam
substantiæ effectricem, sive propter
certam temperaturam rebus subjectis
insint, non aliter mutari, quam per
sensibilium qualitatum alterationem.
Quippe formæ substantiales neq; cor-
rumpuntur, neque mutantur, non mu-
tato temperamento: at ab Amuletis
ejusmodi temperamētum sensibilium
qualitatum mutari nequit. Verum
enim verò male præsupponit Erastus,
nullas in rebus dari qualitates, & per
eas mutationes, prætereas, quæ sunt à
temperamēto, primarūm qualitatum;
aut, si dantur, non mutari posse, nisi
temperamēto sensibilium qualitatum
mutato. Experientia enim multiplici
constat, dari multas occultas qualita-
tes, quæ ab ipsa forma substantiali, nō
mediante temperamento primarum
qualitatum, fluunt. Hæ ergo qualitates
cū sui generis qualitates contrarias ha-
beant, unde rerū antipathiæ proveniūt,
possunt mutari, non mutato tempera-
mento à sui generis qualitatibus.

Deinde nec illud admitti potest, oc-
cultas qualitates non, nisi proxima, &
quæ contingunt, corpora afficere, in

L. I.

remota vero, & inter quæ aliquod in-
terjectum sit, non agere. Reperiuntur
enim inter quos & feles ea est antipa-
thia, ut ad præsentiam felis etiam citæ
inclusæ, & quam non vident, animo
deficiant. Et magnetis vires trahendi
ferrum nullo obice aut obstaculo im-
pediri posse, ac per tabulam interposi-
tam ferrum à magnete trahi, res ipsa
docet. Et quod Erastus negat, ferrum
à magnete per medias carnes & cutim
trahi, id affirmat Ambrosius Paræus,
lib. 8. Chirurg. cap. 15. ubi refert, quen-
dam Chirurgum hernias puerorum
curasse magnete in tenuissimum pul-
verem redacto, & cum polenta exhi-
bito, inguine verò, quæ præcipitaban-
tur intestina, melle inuncto, & subtili
ferri limatura aspersa: de quo tamen
Lectori judicium relinquam.

Quod etiam impossibile putat Era-
stus, frustum lapidis aut radicis appen-
sum cuti tantam vim morbifici humo-
ris educere, ut morbum tam terribilem
jugulare possit, id impossibile non est.
Etsi enim sensibiliter humores vitiosos
non educant talia: in ipsam tamen
causam morbificam aliquo modo a-
gere possunt. Etenim non ipsi humo-
res, quatenus tales, causa Epilepsiæ
sunt, sed malignum illud in humori-
bus, & prava humorum *Αἰσθησις* ac
quod peculiari vi cerebro infestum est,
quod in minima etiam quantitate ma-
gnas vires habet, ut in venenis videre
est. Illud ergo si extinguatur, & qua-
litas illa si tollatur, Epilepsia cessat, hu-
more manente, modò is non totus cor-
ruptus sit. Nec impossibile est, humo-
rem aliquem qualitate prava deposita

N n n n

ma-

manens, aut certè aliorum admixtione ita obtundi posse, ut amplius non deprehendatur: sicut non solum id in coctione humorum, & febribus, extincto paroxysmo, videre est, sed & aliis in rebus apparet. Spiritus Vitr. exempl. gratia, insignem aciditatem & acrimoniam habet; at si aliquid salis vel ol. Tartari addatur, omnem illam amittit. Vina pendula corrigi possunt manente substantia. Ita & cerevisiæ acescentes sæpe qualitatem illam deponunt.

QUESTIO XV.

*An usus sanguinis humani
conveniat in Epilepsia?*

Ex Tertulliani *Apologetica adversus gentes* pater, Romæ usitatum fuisse, ut in theatro & arena jugulatum gladiatorum sanguinem recentem de jagulo decurrentem & repentem adhuc contra morbum comitialē biberent. Idem Plinius, *lib. 28. natur. histor. cap. 1.* testatur, & Cornel. Celsus, *lib. 1. cap. 34.*

Verum ut illa ipsa theatrica spectacula, & gladiatorum cædes diaboli inventum sunt: ita, ut Plinii, *loc. allegato*, verbis utar, ille everforjuris humani, monstrorumq; artifex cæde humana, & sanguinis humani effusione delectatus, ex hominum sanguine & sacrificia & pharmaca per suos sacerdotes fraudulenter instituit, hominibusq; superstitionis persuasit, ut contra Epilepsiam sanguinem humanum haurirent. Verum nullius animalis sanguis adhuc calens sine incommodo bibitur. Docetq; experientia, sanguinem animalium, potissimum adhuc

calentem & spirituosum, haustum magnam in corpore mutationem efficere; possuntq; inde Lycanthropia & Galianthropia excitari, ita ut homines eorum animalium motes referre incipiant, de quo supra, *cap. 16.* dictum. Sanguinem quoque humanum Epilepticis nihil profuisse, sed animum ferocem induxisse, eadem experientia docuit. Nota est ex Julio Capitolino historia de Marci Antonii Philosophi Imperatoris uxore Faustina. Ea enim cum amore gladiatoris detineretur & contabesceret, Marcus Imperator id ad Chaldaeos & Mathematicos retulit, qui suaserunt, ut occiso gladiatore Faustina tepidum cruorem illius biberet, viroque suo mox concumberet; quod quidem sanguine gladiatoris hausto amorem deposuit, (forsan desiderio potius per remotionem objecti, quam sanguinis haustu, sublato) vis autem illius gladiatoris sanguinis sese prodidit in partu illius Faustinae. Antonius enim, quem peperit, homo crudelis & gladiatorio animo ac temeritate factus, ut pugnis gladiatoris & eruentis cædibus Rempubl. Romanam ferè attriverit. Vid. etiam Libavius, *2. part. singul. p. 164.*

Refert quoque Joban. Langius, *epist. lib. 1. cap. 71.* quendam Pastorem sicarium & homicidam duos habuisse filios, quos sibi in sus facinoris & latrocinii, subsidium affecit. Cum verò juniorem ad tam sæva obeunda facinora pusillanimum animadvertisset, occiso in sylva Ottonis tabellario, panem sanguine occisi madidum filio esurienti edendum præbuit, quo degustato

flato tanquam dæmonis cestro percitus sese ad quævis perpetranda flagitia longè audacior factum, dum de eo sumeretur supplicium, sponte confessus est. Plura de sanguinis humani, instinctu diaboli, usu videantur in allegata modo epistola. Summa, ut Lucanus scribit:

nullus semel ore receptus
Pollutus patitur sanguis mansuescere
fauces.

CAPUT XXXII.

De Caro.

Nomen.

Carus unde dicitur.
Carus ἄρῳ τῆς κεφαλῆς, à capite sic dictus est, quod sit capitis gravitas & inexpugnabilis dormiendi necessitas. Latini nonnulli torporem, Arabes Subeth appellunt. Idem cum Caro etiam affectus videtur esse malum, quod Hippocrates, 7. Aphor. 14. & 58. ἐκπῶληξιν & ἀφωρία nominat. Quamquam ἀφωρία pro magnitudine affectus interdum apoplexiæ tribui videatur; de quo infra, de Apoplex. quest. I. Et si verò Carus nonnunquam pro comate sumitur: tamen cum de Caro propriè dicto loquimur, est is proxim⁹ apoplexiæ affectus, in quo non solum somnus longior est & profundior, quam in lethargo, sed præterea æger vocatus non audit, & nisi punctus, vix sentit, & quamvis sentit, non tamen loquitur, aut oculos aperit. Respiratio tamen illæsa est, quo ipso ab apoplexia differt, in qua respiratio est difficilis cum stertore. Quando verò Ga-

lenus, 4. de loc. aff. cap. 2. & 2. acutor. aphor. 20. scribit; in Caro hominem neque sentire neque moveri, neque intelligere, neque meminisse, id ita accipi debet, quod Carotici non sentiunt nec moventur, nisi obscure, & confuso quasi iudicio, dum videlicet objecto fortius feriente ac pungente partem contrahunt, quod non sit in apoplexia.

Definitio.

Est videlicet Carus, ut Galenus de-
 finit. de symptom. different. cap. 3. Πα-
 λυσις quædam τῆς φωνῆς τῆς κεφαλῆς, seu, ut res clarius explicetur resolutio & privatio quædam sensuum interiorum & exteriorum, motusq; voluntarii, spirandi solum facultate illæsa: seu somnus profundus cum sensus & motus, respiratione excepta, imaginationisq; seu imminutione, seu ablatione, ob impedimentum motus, ac liberum exercitium spirituum animalium.

Causse.

Causam hujus mali proximam esse
 in spiritibus animalibus, qui in organa
 sensus & motus influere, ac liberè in
 cerebro moveri non possunt, planum
 esse puto. Hoc autem impedimen-
 tum plerique ab angustia ventriculo-
 rum cerebri provenire statuunt: quod
 commodè explicandum. Neque enim,
 ut alibi dictum, in ventriculis cerebri
 spiritus animales continentur & mo-
 ventur, sed potius in substantia & me-
 atibus cerebri. Ideoq; à meatuum ce-
 rebri, sive compressione, sive obstru-
 ctione, seu angustia, Carus ortū habet.

Et quidem primò à compressione cranii & cerebri fieri Carum, docet Fernelius, *lib. 5. Pathol. cap. 2.* dum scribit, se vidisse quendam ictu vehementi ac valido concidisse, ut sanguis ex oculis, naribus, auribus, & ore emanarit, hinc totius mentis sensusq; stupor in vaserit, ut calvaria pertusa ac denovo obducta fuerit, omneq; remedium sine sensu inductum fuerit, atque is tertio mense restitutus immemor omnium, quæ acciderant. Refertq; Mercurialis, se vidisse quendam ab importuna cranii perforatione factum caroticum, ubi scilicet in vulneribus inter perforandum vel eximendum os, membrana cerebri violatur, negligentius impresso instrumento Chirurgico, quod *μωλυγγόφρακτα* appellant. Pertinet & huc musculorum temporalium ac arteriarum contusio: nisi causæ istæ commodius advertuntur, causæ genus referri possunt, de quo postea. Pertinent & huc allegati aphorismi 14. & 58. *sect. 7.*

Secundò ab obstructione meatuum cerebri, imò cerebri refrigeratione & humectatione ab humore quodam frigido & crasso, Carum fieri posse, negandum non videtur: cum omninò inter soporis præternaturalis species hæc sit gravissima. Ad hanc causam faciunt iter per loca frigida, in pluviis & nivibus, habitatio in conclavi nuper ædificato & humido.

Tertio. Sed præter angustiam causæ illæ externæ, ictus & percussiones capitis, casusq;, alio etiam modo actiones animales turbare posse videntur, videl. vel agitatis, commotis & pertur-

batis saltem spiritibus, vel etiam nervis, quibus spiritus feruntur, ruptis. De qua causa utrâque Fernelius, *loc. allegato,* ita scribit: Fiunt præterea & soporosi affectus cerebro ictu vel casu vehementius concusso. Agitatis quippe & commotis spiritibus nulla recte actio edita potest, tumq; subsistit homo quasi attonitus, ut qui aut timore aut verecundia obstupuit. At si concussionis vis & impetu fracta & depressa calvaria meningis cerebrumq; premit, sensus atque sermonis expertus obstupescit homo. At certè cum effractum cerebrum est, atque ejus, aut nervorum inde prodeuntium divulsio quædam obtigit, omnibus quidem fractis ac debilitatis, deterrimus sopor oritur, exigua nobis salutis spem relinquens.

Pertinere huc videtur & ea Carum species, quæ fit arteriis, carotidibus, & musculis temporalibus affectis. Cum enim hæc arteriæ spiritum vitalem ad animalium spirituum generationem ad cerebrum vehant, si lædantur hæc arteriæ, & spiritui vitali transitus denegetur, spirituum animalium generatio non fit, & ita spiritibus vel deficientibus, vel perturbatis Carum oritur. Idem sit musculis temporalibus contusis, compressis, vel alio modo læsis, quos idcirco Hippocrates, *lib. de articulis, καρωδεις* nominat. Habent enim non solum maximum cum cerebro consensum propter insignes nervos, qui si lædantur, facillè cerebro malum communicatur, sed & arteriæ carotides his musculis læsis lædi possunt.

Ad hanc differentiam Carum, quæ à perturbatione spirituum fit, pertinet & ille,

He, qui fit à vehemētissimis doloribus, à causa sive interna, sive externa, dissipatis videlicet spiritibus, & concidente in cerebro spirituum animalium robore; unde nonnulli etiam subsiditiam cerebri deducunt, quæ peculiaris in hoc affectu angustia causa sit.

Pertinet huc & ille somnus gravis, qui in Epileptici paroxysmi sine accidit.

Quartò. Quibus tandem meritò addimus vim narcoticam, de qua supra, cap. 2. dictum, & cap. seq. de Apoplexia dicitur, dum spiritus animales torpidi, & ad actiones suas inepti redduntur. Accidit hoc ex medicamentorum narcoticorum, cum assumptorum, tum extrinsecus applicatorum usu. Deinde quædam venena Carum inducunt, sicut ex morfu aspidis soporem & torporem lethalem accidere, Plutarchus, de morte Cleopatra, scribit; ut & fungorum quorundam esus, & alia venena. Sæpe etiam ex intus genitis malignis humoribus in malignis febribus Carus accidit. Imò interdum in intermittentibus etiam febribus in principio paroxysmi calore attenuata & fusa materia vapores ad caput elevantur, & Carum excitant, qui non prius cessat, quam vapores illi discussi sint. Et quod in febribus à toto corpore accidit quandoque, idem etiam à privatis partibus, intestinis, & ventribus in iis, ac utero accidere potest. Refert quoque Mercurialis, Sabæos populos incidere in hunc morbum. ex odore & fragrantia fructuum & florum apud eos nascentium, & curati fuffitu bituminis & barbæ hirci. Pertinet huc & fumus carbonum

accenforum in conclavi conclusorum, qui & aërem crassum & ventilando calori ineptum reddit, & vinarcotica spiritus torpidos efficit. Quod præstant & vapores illi è musto & cerevisia fervente exhalantes.

Differentia.

Differentiæ utiles & ad curationem *Differentia.* cognitu necessariæ à causarum diversitate, & locorum, in quibus illæ in corpore generantur, varietate petuntur. Carus videlicet alius est per essentiam, ubi materia, ejus causa, in capite generatur; alius per consensum: & quidem nunc ex hac, nunc ex illa parte provenit. Causæ quoque sunt variæ, ut modò dictum.

Signa Diagnostica.

Ager gravi & continuo somno *Signa Diagnostica.* opprimitur, atque oculos habet clausos, quod non fit in catalepsi; & si eos, dum magno clamore vocatur, aperit, statim iterum claudit, interrogatus non respondet; quod fit in lethargo, in quo ipsa febris semper conjungitur: cum carus, si cum febre sit, accessiones saltem febrium sequatur. Si pungatur, sentit, & membrum contrahit; quod non fit in apoplexia: libera tamen respiratio adest; nisi causæ vehementia sit maxima: ac tum parum ab apoplexia differt hic affectus.

Signa Causarum.

Causæ quoque hujus affectus sua *Signa Causarum.* habent indicia. Nam si à compressione est, præcessit contusio vel ictus;

N. n. n. 3;

quod

quod ab astantibus cognosci potest: sicut & si à fumo carbonum aut veneno hoc malum originem trahat. Si ab obstructione, vel cerebri humectatione, pituitæ signa aderunt ex antegressis causis humectantibus & refrigerantibus, ut aëre, cibus, medicamentis, ex temperamento itidem ac habitu corporis humidiores ac frigidiores, & signis aliis, de quibus supra, *part. 1.* Si febris adsit, facile suis cognoscitur signis, & naturam causæ patefacit. Si ex vermibus originem habeat, item si vapor ab inferioribus ascendens malum producat; diligenter inquirendum, in qua parte fons mali & materia, quæ vaporem illum narcoticum suppeditat, hæreat. Si à veneno ortum habeat id ex adstantium relatione cognoscitur.

Prognostica.

Prognostica.

1. Το κερῶδες ubique malum, teste Hippocrate, in *Coac. prædict.* & Galeno, I. *Prærh. Aphor. 29.* Nam & actiones animales, excepta sola respiratione, sunt affectæ, & cerebrum, quod nobile membrum est, patitur. Magis verò periculosus est Carus, in quo respiratione quoque læditur. Tum enim apoplexiam in propinquo esse, indicio est.

2. Cephallagia κερῶδης cum capitis gravitate convulsionem indicat. Hippocrates, in *Coac.* Cujus rei causam hanc reddunt, quod humor frigidus non nimis crassus in nervorum substantiam penetret, eos repleat, extendat, aut frigore vellicet, ut convulsio sequatur. Verum probabilius est, materiam, quæ seu cerebrum hume-

ctando & replendo, seu vi narcoticarum inducit, simul peculiari modo nervoso generi infestam esse, illudque vellicare, & prout in hunc vel illum locum prius incidit, hoc vel illud symptoma prius producere posse. Etenim si in epilepsia in fine paroxysmi sopor accedit, non tam obdefatigatum à nimia agitatione cerebrum, quam quod, ut rectè Platerus hac de re statuit, vapores maligni, qui prius nervosum genus afficiendo motus epilepticos excitabant, postea cerebrum labefactando soporem inducunt: cur non etiam vapor aut humor, qui prius in cerebro soporem inducebat, postea ad nervosum genus conversus idem vellicare, & convulsionem parere possit? Cujus rei documentum præbet vinum & spiritus vini. Etenim compertum est, febriis nonnunquam post soporem convulsionem supervenisse.

3. Carus in declinatione febrium continuarum proveniens, si vires sint debiles, lethalis est.

4. Si cranio confuso meningis & cerebrum contendantur, malum est; quoniam æger aphonia corripitur, & sensu motuque privatur. Si verò cerebrum ipsum effringatur, aut nervorum fiat avulsio, deteriora symptomata succedunt, cum exigua salutis spe, ut ex 7. *Aphor. 14.* & 58. colligitur.

5. Carus & somnus nimis ac gravis post quamlibet magnam inanitionem aut spirituum dissipationem & absorptionem, pessimus est.

Ægrum enim morti vicinum nunciat.

Indi-

*Indicationes.**Indicatio-
nes.*

Si malum hoc proveniat à copiosa pituita cerebrum refrigerante, humectante, & irrigante, vel etiam meatus ejus obstruente, calefacienda, attenuanda, & evacuanda ea erit, habita prius ratione totius corporis. Si autem ab humore vel vapore narcotico fiat, ea exhibenda, quæ peculiarem facultatem habent narcoticam vim infringendi: simulque partis, quæ illam materiam suppeditat, habenda ratio est. Si à veneno proveniat, curatio ad illud dirigenda. Si accidat à compressione cerebri, cranium elevandum, affluxus prohibendus, & quod affluxit, discutiendum.

*Curatio.**Curatio.*

Ergo si vel à pituita, vel à vapore narcotico originem habeat Carus, habita prius totius corporis ratione, eoque evacuato, revulsionibus institutis per frictiones glandes, clysteres acres, ut supra, *part. 1. dictum*, caput per errhina, apophlegmatismos & similia evacuetur, ut, *ibidem*, dictum. Ager frequenter rutam & pulegium olfaciat, aceto intincta; pars capitis anterior fricetur ol. rutæ, cui castoreum admixtum sit, vel etiam addatur synapiac nigella, vel sinapisini instituantur. Acetum quoque acerrimum laminæ ferræ candenti infundatur, ac vapor naribus excipiat, quod efficax est in affectibus soporosis remedium. Reliqua curatio ferè instituitur: ut, *capite seq. de Apoplexia* dicitur.

Si autem cum febre vel vermibus conjungatur Carus, vel aliunde per consensum accidat, respiciendum ad totum corpus, vel ad partem mittentem. Materia scilicet à capite avertenda, cerebrumque, quod est membrum recipiens, roborandum. Imprimis materia, quæ causam suppeditat, tollenda. Sublato enim morbo principali vel fomite, & illud, quod eum sequitur, cessat. Ea tamen non sunt negligenda, quæ vim narcoticam infringunt; ideoque acetum, ruta, pulegium olfacienda.

Si autem à veneno hoc malum inductum sit, & quidem hausto, mox vomitus instituat. Deinde dentur convenientia alexipharmaca. Si apium sumptum sit, castoreum mixtum cum oxymelite detur. Si hyocyanus; cassia lignea aut castoreum exhibeatur. Si morfu animalis venenati inductum sit venenum & hinc pendens Carus, convenientia alexipharmaca danda, ac venenum, per vulnus extrahendum. Si ignoretur venenum, propinetur theriaca antiqua cum castoreo. Sin extra admotum sit narcoticum, ol. castor. rutæ & de piperibus convenit.

Simul in his omnibus danda opera, ut æger à somno excitetur, de quo supra, cap. 2: dictum. Nimirum extrahenda ruta, & ex ea parata medicamenta, castoreum, acetum, moschus, vel applicetur capiti emplastrum ex una parte scillæ, una rutæ, & duabus castorei.

Nonnulli

Nonnulli hic plura medicamenta à proprietate iuuantia cōtra hunc affectum proponunt. Dominic. Leonus, *cap proprio*, scribit, quendam Empiricum retulisse, succum consolidæ, præcipuè minoris, quantitate Unc. ij. haustum, lethargicos & caro laborantes excitare, & omnem somnum profundū remove. Idem scribit; fel gruis tepesactum in vase plumbeo, & illitum occipiti, à somno excitare, myrrham item & thus deglutitum somnum discutere. Recenset ibidem & alia quædam sub cervicali posita, vel corpori alligata, quæ vigilias præstant, ut oculos, cor & fel philomelæ, pennam dextræ alæ merulæ, caput & cor vesperilionis, oculos upupæ; quæ tamen videntur esse superstitiosa.

Si denique à compressione cranii & cerebri originem habeat Carus, curatio instituenda ut supra, *part. I. cap. 10. dictum.*

Dieta.

Dieta.

Æger contineatur in aëre temperato, vel ad siccum & calidum vergente, lucido, non tenebricoso, & clamore forti ac vociferatione excitetur. Instituantur & frictiones & ligaturæ extremorum. Reliqua ex iis, quæ de Lethargo dicta sunt, & jam de Apoplexiâ dicentur, petantur.

Cura fumo carbonum, vel musti vapore suffocatorum.

Propter cognationem non præterunda cura eorum, qui fumo carbonum

vel vapore musti aut cerevisiæ suffocantur. Cum enim interdum accidat, ut Medicus ad eos, qui fumo carbonum, vel vapore musti aut cerevisiæ ferventis penè suffocati sunt, subito vocetur, quid tum agendum sit, ut in promptu habeat, necesse est. Forestus, *lib. 15. observ. 36. in scholio*, curationem ex Haly, *Practica. lib. 6. c. 4.* desumptam proponit. Verùm Haly eo loci non de fumo suffocatis, sed de strangulatis, & fune suffocatis agit. Æger autem talis statim in aëre liberum exportandus, & os diducendum, ac apertum servandum, & sp. vini optimè rectificatus, in quo aliquid theriacæ dissolutum sit, vel aqua theriacalis aut apoplectica vel epileptica vel hirundinæ cum castoreo, vel acetum rutaceum instillandū.

Hinc ubi æger iterum moveri incipit, vomitorium ex multo oxymelite exhibendum, dorsoque ægri concusso vomitus excitandus. Hinc aliquod sternutatorium naribus instillandum, & palato theriaca, Mithridatium cum castoreo, aliaque, de quibus de apoplexia dicetur, illinenda. Nec intermittendæ frictiones, clysteres. Tandem ea exhibenda; quæ spiritus animales & vitales reficere valent.

CAPUT XXXIII.

De Apoplexia.

Nomen.

Apoplexia, Græcis *ἄποπληξια* dicitur, quod homo ceu fulmi *Apoplexia unde dicitur* ne ictus, aut victima ad aram caesa, subito concidat. *Ἀφωριαν* & Apoplecti-

plecticos ἀφώνως appellat Hippocrates, 4. de rat. vict. in acut. 6. Aph. 51. 7. Aphor. 58. quod hoc malo correpti statim obmutescant.

Ἀφωνία
quid sit.

De voce verò ἀφωνίας notandum, etsi vox etiā lædi possit solū instrumentis voci destinatis læsis: tamen Hippocrates, ut Galenus, in Comm. ad allegatos Aphorismos, docet, ἀφώνως καὶ ἐξοχλῶ eos saltem, quibus sensus & motus ablati, quiq; non aliter atq; attoniti sine ullo sensu & motu prostrati jacent, sub nomine ἀφώνων intelligit, sub uno maximè manifesto symptomate τῆς ἀφωνίας omnes voluntarias actiones læsas comprehendens. Fit autem hoc & in Apoplexia & in caro. Ideoque ἀφώνων nomine utroque affectu laborantes comprehendit Hippocrates. Aphoniam quidem pro caro sumit, 5. Aphor. 5. pro Apoplexia verò locis modo allegatis.

De voce tamen ἀφωνίας, & qualis affectus sit, dicetur infra, quest. 1. Latini morbus sideratus & attonitus appellatur, quod quasi fulmine tacti ægri concidant. Nonnullis quoque universalis paralysis nominatur, quod omnium partium sensus & motus auferantur. Germani den Schlag/vnd/ die Hand Gottes nominant.

Definitio.

Definitio.

Est autem Apoplexia animalium actionum omnium, motus scilicet ac sensuum cum principum facultatum læsione, ablatio, ab influxu spirituum animalium in organa harum actionum denegato, orta. Cum enim omnes actiones animales per spiritus

L. I.

animales expediuntur, ubi spiritus in nervos & musculos non influunt, sensus ac motus perfici non possunt. Sola respiratio, imminuta tamen, aliquādiu reservatur, ob maximum ejus necessitatem; quia natura de salute hominis sollicita, quicquid spirituum potest, ad musculos thoracis mittit, & omnibus aliis motibus, quibus homo sine mortis periculo carere potest, ablati, respiratio, qua homo sine vitæ periculo carere non potest, quantum possibile, servatur. Præterea quia respiratio actio animalis simpliciter non est, sed præcipuè pulmonis motu perficitur, concurrente tamen motu thoracis. Servatur plerumque & pulsus integer, quia is non ab animali, sed vitali facultate proficiscitur. In vehemētissima tamen Apoplexia fit languidus, parvus & celer.

Respiratio
cur in Apoplexia
servetur.

Causa.

Cum actiones animales à spirituum animalium opera proximè proficiscantur, merito quoque actionum harum læsarum causa in denegato spirituum animalium influxu & motu quaeritur, & rectè proxima causa Apoplexiæ & læsarum actionum animalium omnium statuitur esse denegatus influxus & motus spirituum animalium. Etsi verò antiqui hac de re consentiant, & ab obstructione vetriculorum cerebri hoc fieri putent: tamen hodie non eadem est omnium Medicorum ea de re sententia, ut in Institut. dictum, & posita, in questione prima, dicetur. Hic verò, ut rem paucis complectamur, statuimus, influxum & motum

Proxima
Apoplexiæ
causa.

Oooo

spiritus

Spirituum animalium prohiberi vel à meatuum, per quos spiritus animales in sensuum & motus organa influunt, seu principii spinæ medullæ angustia, vel à spirituum animalium torpore & narcotici, vel ab eorundem spirituum, effusione aut perturbatione.

*Meatum
angustia.*

Angustia autem meatuum, per quos spiritus animales ad organa sensus & motus tendunt, cum rarum quatuor modis fieri possit, scilicet ab eorundem meatuum vel obstructione, vel compressione, & quidem cum humores pituitosi & excrementii, ut & sanguis e vasibus suis ad basin cerebri effusus meatus illos comprimunt, aut phlegmonodes *Διέσεις*, aut cranium ictu, vel alia causa externa compressum meatus illos comprimit & angustiores reddit: causæ hæc, quæ ad curationem rectè instituendam omnino discernendæ sunt, sex erunt. 1. Humores pituitosi, seu quicumque alii excrementitii, spirituum animalium influxum prohibentes. 2. Sanguis è vasibus suis ad cerebri basin effusus. 3. *Φλεγμονώδης* cerebri *Διέσεις*. 4. Cerebri à causa externa violenta compressio. 5. Vapor seu spiritus narcoticus, spiritus animales torpidos reddens. 6. Spirituum animalium à vulnere vel capitis percussione perturbatione aut effusione; de quibus ordine dicemus.

*Pituita
Apoplexia
causa.*

I. Si pituita, vel etiam simul humor melancholicus subito commoveatur, & spiritibus animalibus ad organa sensus & motus influxum prohibeat, non quidem, ut antiqui credebant,

ventriculos cerebri obstruendo, sed basin cerebri, & principium nervorum, atque omnino cerebri oblongati, & in spinalem medullam jam desinentis, partem, è qua omnes nervi originem suam habent, & per quam spiritus animales in omnes nervos influunt, seu premat, seu obstruat, spiritibus animalibus influxus & transitus denegatur. Utroque enim modo, & compressione, & obstructione id fieri posse putamus. Nam si excrementa cerebri extra cerebrum subito fundantur, principium nervorum comprimere possunt. Si vero intus cumulentur, & ad basin cerebri & principium nervorum subito moveantur; illud obstruunt. Non tamen à veritate alienum videtur, etiam pituitam tenuem & acidam, seu potius serum acidum, utpote in loco per se angusto, obstructionem facere posse. Et humoris hujusmodi in apoplecticis abundantis sæpe multa adfunt indicia. Atque est humor hic per se nervis inimicus, & sæpe pertinacem paralytin, in quam apoplexia degenerat, excitat, & apoplexia in paralytin subito desinens sæpe arguit, materiam non semper adeo fuisse crassam.

II. Si sanguis è vasibus suis seu ictu, seu contusione, seu quocumque validiore impetu ad basin cerebri & dictum locum effundatur, & non statim per ozaures, nares, quod quandoque fieri solet, effundatur, sed nervorum principio extra affusus, eique incumbens id comprimat & coarctet, Apoplexiam inducit. Hujus rei duas historias describit Fernelius, *lib. 2. de abdit. rer. causis*.

cor. Primo enim refert, se vidisse aliquando virum viribus integrum finistri oculi ictu vehementiori repente attonitum corruisse, cum omnibus fortis Apoplexiæ indicis, atque intra 12. horas mortuum fuisse: in cuius mortui aperto capite neque ossis, neque meningum, neque substantiæ cerebri quicquam contractum divulgumque, sed duntaxat internas oculi venas contusionis vi disruptas animadverterit, è quibus sanguis cochlearium duorum mensura ad cerebri basin procubuerit. Deinde alium, qui citra causam externam Apoplexia extinctus esset, se dissecuisse refert, in quo humor crassus ac viscosus similiter ad contextum retiformem inventus est, cerebri ventriculis nec opplatis, nec obstructis.

III. Non solum sanguis è venis affusus dicto modo Apoplexiam generat, sed & phlegmonodes diathesis; quando scilicet cerebri vasa sanguinis copia ita replentur, ut substantia cerebri, meatibusque angustioribus redditis, spiritibus transitus denegetur; de quo in Institutionibus. Et pluribus etiam de his agit Petrus Salius Diversus, *de affect. partic. c. 2.* Hoc saltem addo, etsi verum sit, ipsis vasis jugulatis, seu venis, seu arteriis constrictis vel obstructis, nec soporem gravem, nec apoplexiam fieri: tamen cum non solum Arabes vasa hæc apoplectica & subetica nominarint, sed & ipsi Græci carotidas appellarint, causam certè aliquam fuisse oportet, cur hoc nomen iis imposuerint, quam ego eam existimo fuisse, vel quod per hæc vasa san-

guis, qui Apoplexiæ sanguineæ, & soporis gravis causa est, ad cerebrum fertur, vel quod vapores narcotici per ea ad cerebrum ascendunt.

IV. Si ictu vel casu vehementiore calvaria deprimatur, cerebrumque, & inde nervorum principium comprimitur, idem accidere potest. Ubi tamè impossibile non est, & ruptis vasis sanguinis effusionem, & spirituum perturbationem, ut etiam sit in cerebri commotione, concurrere posse.

V. Si vapor seu spiritus narcoticus spiritus animales quasi sopiat, & ad motum ineptos reddat; neque in cerebro rectè moventur, neque in organa sensus & motus influunt, & omnino ad actiones animales inepti redduntur. Id quod accidere potest & ab opio, ac opiatis medicamentis, & à venenis ac humoribus narcoticam vim habentibus. Cum enim carus & similes affectiones somnolentæ ex humoribus in corpore genitis, & venenis quandoque producantur: Apoplexiam etiam hoc modo generari posse, impossibile non est. Frustra verò laborant, qui horum affectuum causam ex sola frigiditate deducere conantur. Atque hinc fit, ut, etsi Apoplexia in paralyin interdum desinat, tamen in ejusmodi hominibus ratiocinatio & memoria vix pristinum vigorem recuperet, sed hebetes ac torpidæ illæ actiones, præcipuà in senio confectis, deinceps relinquuntur. Quod accidit non tam quod frigida & humida intemperies cerebro inducitur, quam quod à vapore narcotico mala & torpida diathesis cerebro

*Spirituum
animalium
corporis &
narcosis.*

& spiritibus imprimitur. Pertinet huc illa à & vino & spiritu vini narcosis, qua nonnulli omni sensu & motu ablato moriuntur. Et multis nota sunt exempla illorum, qui ebrii se curru domum reversuri commiserunt, & ab assidentibus pro dormientibus habiti domum reversi mortui inventi sunt. Et memia ante paucos annos hic infantem quendam, cum in conclavi à parentibus domo egressis, ne extra domum vagaretur, conclusus esset, invento vitro spiritu vini pleno, cum magnam partem ejus exhaustisset, à parentibus domum reversis humi prostratum vitrum in brachiis tenentem semimortuum inventum esse, & paulò post exspirasse.

*Spirituum
animalium
effusio aut
perturbatio.*

VI. Tandem si cerebrum vulneretur insigniter, ut spiritus animales effundantur, vel etiam ictu aut casu ita concutiat, ut spiritus animales omnes perturbentur; id quod fit in commotione cerebri, de qua supra, parte 1. cap. 20. dictum, aut cerebrum subsideat & comprimatur, vel sanguis è vasibus suis excidat; actiones illas, quæ spiritu animalium operâ perficiuntur, aboleri, & Apoplexiam induci necesse est: de quo Hippocrates, 7. Aphor. 58. *Quibus occasione aliqua cerebrum fuerit vehementer concussum, motos procius fieri necesse est.*

Differentia.

Differentia.

Primò Apoplexia secundum gradus quosdam distinguitur. Galenus, 3. de loc. aff. cap. 7. & cap. 10. 2. Aphor. 42.

& alibi Apoplexiæ magnitudinem æstimat ex respirationis noxa majore vel minore. Fortissima enim Apoplexia est, in qua protinus cum sensu & motu in toto corpore cessat quoque respiratio; unde nec stertor nec spuma in hac apparet. Tales ante triduum sive ante horas 72. elapsas sepulturæ dandi non sunt, cum respiratio sensum nostrum latere possit, & dubium sit, utrum Apoplexia extincta sint, an vero ecstasi melancholica, vel præfocatione uteri laborent. Ita de Johanne Scoto, celebri illo Scholastico, narrant, quod bis sit mortuus, & semel sepultus. Cum enim incidisset in ecstasin melancholicæ, & examinatus similis jaceret, fratres illum pro mortuo sepeliverunt in sepulchro concamerato. Tertia nocte ad se rediisse dicitur, cumque exclamasset in sepulchro capite ad fornicem illiso, idque prospectri tumultu aliquandiu habitum esset, postea aperto sepulchro mortuus tandem inventus est. In his enim affectionibus calor cordis tam insigni ventilatione per pulmones non indiget, sed sufficienter. Ἐπὶ πνοῆς corporis per motum articularum facta aliquantis per temperatur & sustinetur; de quo Galenus, 6. de loc. aff. cap. 5. Et proinde diligens exploratio motus etiam obscuri articularum certius exhibet signum de reliqua in corpore aliqua vita, quam quæ alias capi solent ab admotis ori vel naribus lana aut gossypio carptis, aut penna molli, aut candela accensa, si moveantur, aut à tersissimo speculo ori admoto, si ad halitum maculas contrahat, aut à cyatho aquæ pleno pectori imposito, si agitatio aliqua percipiatur.

Præ-

Præterea hac intra triduum expectatione color faciei in cadaverosum mutatus, & fœtor toto corpore exurgens mortuum ostendit.

Proxima fortissimæ, atque ita fortis ac vehemens Apoplexia est, in qua æger difficulter, & cum magna violentia respirat, stertorq; auditur, & spuma circa os apparet. Tertia vehemens & ipsa est, sed minus, ubi respiratio quidem violenta est, inæqualis tamen, inordinata, & intermittens. Postremò debilis est Apoplexia, ubi respiratio aliquem ordinem servat, quæ in paralytium ferè alterius lateris desinit, materiam in spinalem medullam protrusa.

Altera Apoplexiæ differentia est, quam causarum consideratio suppeditat, quæq; sensibus facillè colligitur: nimirum quod Apoplexia alia est ab humore pituitoso; alia à sanguine è vasis violentè ruptis effuso; alia à phlegmonode diathesi; alia à cerebri à causa externa compressione; alia à spirituum animalium perturbatione & effusione ob cerebrum vulneratum & læsum.

Signa diagnostica in genere.

Signa diagnostica.

Si homo subito concidat, omnisq; sensus ac motus, ac simul vox repente auferatur, sola respiratione, sed ea difficili, remanente, nisi quod æger quasi dormiens, aut quasi mortuus (nisi adhuc aliqua respiratio, color faciei, & pulsus animadvertatur) jaceat, membrumque nullum moveat, sed omnia

membra laxa sint, & si brachium vel pes elevetur, pondere suo, ut in cadavere concidat, æger nec caudat, nec videat, nec si tangatur vel pungatur, sentiat, nec loquatur, ore hiante, & cum stertore, respiret, oculosq; clausos, vel palpebras suspensas aut contractas habeat, pulsus tamen, nisi fortissima sit Apoplexia, plenus sit & validus: is Apoplexia laborare dicitur. Resolvitur interdum in Apoplecticis & ani sphincter, sicut id ante paucos annos in Cive quodam hujus Academiæ observavi, cui cum Apoplexia corripere, anus sphinctere resolutus hiabat, ut clysterem injectum retinere non posset.

Atque his signis Apoplexiam ab omnibus cognatis affectibus discernere non est difficile.

Primò quidem à lethargo differt Apoplexia, quod lethargo laborantes somnolenti sunt, & excitari possunt: Apoplectici verò excitari non possunt, sed quasi mortui jacent, nisi quod stertunt. Præterea febris cum lethargo conjuncta est, quæ in principio Apoplexiæ non adest: progressu tamen morbi calor quidam interdum in Apoplexia percipitur.

A caro differt, quòd hic non subito, ut Apoplexia, sed sensim invadit, & libera ac facilis, sine stertore, est respiratio, aut, si stertor adest, adest cum somno, & quidem profundo, sensusq; & motus in caro non est planè ablati, ac, si pungatur æger, sentit, & quamvis non loquatur, ad punctiōnem tamen movetur, & membrum contrahit.

Ab Uteri verò suffocatione differt, quòd in Apoplexia æger faciei colorem retinet; in uteri suffocatione autem color faciei mutatur, ac cadaveri similis est. In uteri quoque suffocatione vis sentiendi nonnunquam manet, neque respiratio impeditur, aut, si causa sit vehemens, ut etiam respiratio lædatur, tunc pulsus simul obscuratur, qui in Apoplexia plenus est ac validus: cum cor in Apoplexia ita affectum non sit, ut instanti suffocationis periculo valde repugnet.

A syncope discernitur, quod in ea quoque color faciei à naturali in pallidum, & cadaveri similem mutatur: deinde quod in syncope subito, spiritibus & sanguine ad corruptis, muscoli per consensum afficiuntur, unde ægri dentes atque os, item manus arctè claudunt, ut vix aperiri possint; cum in Apoplexia membra omnia laxa sint. Neque, veluti in Apoplexia, in syncope sensus proruse est ablati. Pulsus vero nullus est, ut & manifesta respiratio nulla, aut, si quæ est, majorem æqualitatem seruat, quam in Apoplexia.

Ab *insensu* verò melancholica differt, quod in hac pulsus & respiratio obscuratur, & signa malum melancholicum indicantia præcesserunt.

Ab epilepsia differt, quod in hac corpus convellitur, & motu inordinato concutitur, qui in Apoplexia nullus est.

A catarrho suffocativo differt, quod in hoc subito humor à capite ad pectus & pulmones decumbens respiracionem & sermonem sæpius interrumpit,

hominemq; sensu & motu integro suffocat, aut certè suffocationis periculum minatur.

Signa Causarum.

1. Apoplexiam ab humore pituitoso fieri, cognoscitur ex corporis constitutione, ætate, præcedente victus & vitæ generis, & aëris ratione. Si scilicet temperatura corporis fuerit frigida & humida, corpus pallidum & molle, ætas senilis, ægerq; antea in aëre frigido, humido, nebuloso, versatus sit, in otio vitam duxerit, & fomno multo indulserit, cibisq; frigidis & humidis usus fuerit, ac consuetæ per nares & fauces pituitæ vacuatio suppressa sit. Quæ de pituita conjectura confirmatur, si æger, antequam in morbum incidit, capitis gravitatem, pigritiam in motu atque omnibus operationibus senserit, si palpebras tumidas habuerit, cum stertore dormiverit, in aqua se suffocari, aut glacie aut nive se operiri somniaverit; de quo etiam supra, *part. I.* dictum.

2. Si sanguis è vasis ad basin cerebri affusus Apoplexiæ causa sit, aliqua externa violentia, quæ vasa vicina vulneravit, vel rupit, præcessit, quod adstantes indicabunt.

3. Si à phlegmonodè diathesi cum sanguinis copia ortum habeat Apoplexia, signa ejus sunt, si æger ante morbum toto corpore, & imprimis facie, rubeat, calidæ & humidæ constitutionis sit, lautè vixerit, cibisq; boni & multo nutrimenti usus fuerit, vinum generosum biberit, in aëre calido & humido ver-

ad versatus sit, in otio vixerit, aut minus se exercuerit, somno nimio indulserit, absque sollicitudine vixerit, consueta aliqua sanguinis evacuatio suppressa sit, tensionem & gravitatem in corpore senserit; utinam crassam & rubram emiserit. Quæ signa confirmantur, si venæ colli turgeant, in somno rubra spectra appareant, ut supra, *part. 1. de Intemperie capitis cum plethora*, dictum.

3. Si narcoticum quid extra sumptum Apoplexiam induxerit, ex aliorum relatione id Medicus cognoscet: Sicut nec ille affectus latet Medicum, si quis vino vel spiritu ejus sese ingurgitaverit. Si autem intus in corpore genitus sit ille vapor, id ex eo colligitur, quod reliquarum causarum indicia absunt, & nulla pituitæ vel sanguinis abundantia in corpore animadvertitur, & nihilominus cum signis Apoplexiæ æger quasi attonitus subito concidit.

5. Si à vulnere, vel ictu, aut casu cerebrum læsum sit, nec illud Medicum latere potest.

Prognostica.

1. Quicumque sani repente doloribus capitis tentantur, & statim obmutescunt ac stertunt, in septem diebus pereunt; nisi febris eosprehendat, 6. *aphor. 51. & 5. aphor. 5.* Febris autem intelligitur non quælibet, sed acuta, quæ materiam illam pituitosam, ac spiritum flatulentum tum attenuet, tum dissolvat. Si tamen Apoplexia ortum habeat ab affectione cerebri phlegmonode, febris, quæ adest, morbum non

levat, propterea quod phrenetica quædam symptomata acceruntur, quæ omnes facultates corporis vehementius prosternunt.

2. Apoplexiam fortem solvere impossibile est, debilem non facile, 2. *aph. 42.* Ideoq; Medicus mox inter initia curationis sese prognostico muniat, & in adhibendis necessariis remediis non cunctetur; in generosis tamen ac vehementibus remediis administrandis cautus & non temerarius sit. Accipiendus autem hic aphorismus de Apoplexia quam materia pituitosa & crassa efficit, quæ facile discuti nequit, aut quam materia narcotica fortis excitat, & ubi virtus omnis, ac imprimis expultrix, obruta & confopita est, suffocationisq; periculum imminet, Quæ autem à compressione fit, & externa violentia, facilius curationem admittit, materia è venis per venæ sectionem tempestive exhausta.

3. Apoplexiæ verò vehementia ex noxæ, quam respirationi affert, vehementia dignoscitur; teste Galeno, 3. *de loc. affect. cap. 7.* Maximè enim vitæ necessaria est respiratio, tandemq; ægri spiritu præcluso suffocantur. Quatuor verò gradus seu differentias hujus morbi ex respiratione magis minusvè læsa idem Galenus, 2. *aphor. 42.* constituit, ut antea etiam dictum. Si enim respiratio ordinem aliquem servat, debilis est Apoplexia, quæ in paralyfin alterius lateris ferè definit. Si verò respiratio est quidem contenta ac violenta, inæqualis tamen, inordinata ac intermittens; vehemens jam est Apoplexia. Ubi respiratio cum magna

violentia est, stertorq; auditur, & spuma circa os apparet, fortis jam ac vehementior est Apoplexia. Unde Hippocrates, 2. aphor. 43. *Strangulati & suffocati, nondum tamen mortui, ad se non redeunt, quorum circa os collecta spuma apparet.* Sciendum tamen hic, cum spuma illa fiat ex materia humida, & spiritu sive flatu, à motu vel calore, vel utroque; materiam illam humidam duplicem esse posse in Apoplecticis, humorem scilicet pituitosum, vel propriam pulmonis humiditatem. Si materia spumæ sit propria pulmonum humiditas, quæ ob vehementissimam cordis compressionem, angustiam & calorem excitarur, spuma ea paucior est, & hinc illa Apoplexia lethalis. Si verò spuma fiat ex humore pituitoso, qui ex difficili respirazione flatu repletur, spuma est copiosior, & tales apoplectici interdum servantur. Refertq; Galenus, in comm. alleg. aphor. non nullos, quibus strangulatis spuma circa os apparuit, sibi esse restitutos, quavis id tardè accidat. Eadem stertoris ratio est; qui quòd vehementior, eò malum periculosius est. Si tamen stertor antea magnus fuit, & is jam minuatur, symptomatibus reliquis non remittentibus; mortis jam instantis indicium est. Ubi verò mox cum sensu & motu ipsa quoque respiratio ad sensum aboletur, atq; inde nec stertor nec spuma apparet, cum spiritus vel aëris inspirati reciprocatio nulla sit; fortissima Apoplexia est.

4. Et quidem ita interdum in Apoplexia ad sensum aboletur respiratio, ut, an æger vivat, an mortuus sit, am-

bigatur, & signis quibusdam ad id explorandum opus sit, de quibus antea dictum. Ac tutissimum tunc est, tales ante tertium diem finitum non fepelire; cum respiratio sensum latere possit; de quo etiam supra, de differentiis, dictum.

5. Apoplecticis si à difficili respirazione sudor superveniat, lethale est. Ea enim *è plidæoris* seu sudatiuncula ab oppressione caloris innati accidit.

6. Si Apoplexia juvenem, atque ætate invaserit, maximam causæ vehementiam ostendit: ideoq; talis Apoplexia admodum periculosa est, 2. aphor. 34.

7. Si subitaneis Apoplexiis febris mediocris ac diuturnior superveniat, periculosum, 1. *prorrh. comment.* 2. aphor. 50.

8. Apoplexia, si solvitur, plerumque in paralyisa desinit, materia naturæ robore in alterutrum latus depulsa. Neque tamen semper, etsi in paralyisa desinit Apoplexia, æger servatur: quia sæpe aut morbus ipse redit, aut sopor gravis præhendit, à quo æger non evadit, ob summam cerebri debilitatem, præsertim si sit senex. Nonnunquam apoplexia finitur fluxu phlegmatico oris, qualis lue Venerea laborantibus post inunctiones Mercuriales accidit.

Curatio in genere.

Medicus ad ægrum vocatus, si eum Apoplexia correptum videat, eamque fortissimam esse animadvertat, non temerè aut facillè ejus curationem suscipiat. Ne tamen planè eum deseruisse, aut

Curatio in genere.

aut neglexisse videatur, frictiones, clysteres, & alia, quæ spiritus animales excitare possunt, adhibeat; generosiora verò medicamenta non prostituit. Si verò aliqua vitæ spes superfit, adurationem, cum prognostico tamen, accedat & quidem maturè; quod faciendum est faciat, idq; seu de die, seu de nocte exsequatur; cum morbus exiguo tempore incrementum capiat.

Cum itaque in Apoplexia actiones animales ablatae sint, & facultates quasi sopitæ, danda opera est, ut facultas animalis excitetur. Et cum actiones animales cessent ob spirituum animalium denegatum influxum, curandum, ut iis in principium nervorum transitus pateat, & ne plus humorum vel vaporum, qui malum augere possent, ad caput feratur, cavendum. Reliqua curandi ratio, quæ causam aufert, pro diversitate causarum instituenda.

Primum itaque æger in loco temperato collocetur, nec omnino supinus & extensus decumbat, sed aliqua ex parte sedens, erectaq; cervice, ut facilius aërem attrahat, tegumenta sint levia, & cuneo interposito os apertum fervetur, nares prehendantur, pili, præfertim in cruribus, vellentur, digiti complentur, totum corpus concutiat, ut spiritibus via aperiatur, moderate tamen, ne agitatione vehementiore fusa in corpore pleno materia morbum augeat & foveat.

Partes extremæ, ac potissimum volæ pedum, fricentur sale & aceto, extrema fortiter ligentur: ruta, cujus loco balsamum rutæ, vel Apoplecticum, ut & succini, salviæ, castoreum usur-

L. I.

pare licet, naribus admoveatur, ut & vertici & nuclæ.

Cucurbitulæ cruribus affigantur. Imò in Apoplexia summum & unicum remedium habentur cucurbitulæ capiti impositæ: quod remedii genus D. Fracastorius Apoplexia correptus nutibus suis indicasse fertur; sed non intellectus perit. Ano glandes indantur, clysteres insiciantur. Et quidem clysteres tam ante, quam post venæ sectionem, si ea opus sit, adhibere licet; qui etsi ex primis viis solum, ac intestinis evacuare videantur: tamen consecutionis ratione à toto corpore trahunt, & vapores exhalantes à capite avertunt. Itaque eadem die duos vel tres clysteres insicere licet, seu diu seu noctu id fiat, prout res postulat. Sint autem glandes aut clysteres paulò acriores.

Exempl. gratia:

℞. *Spec. hier. logad. vel hier. colocyth.* Drach. ij.

sem. carvi,

rutæ, an. Scrup. ij.

castor.

sal. gemm. an. Scrup. j.

Cum s. q. mellis cocti: F. Suppositoriū.

Clyster fiat. talis:

℞. *Parietar.*

betonic.

bitæ,

salviæ,

rutæ,

origan.

primul. veris, an. M. j.

sem. carvi,

fenicul. an. Drach. ij.

Coq. in aqua fontana.

PPPP

Colat.

Colat. ꝑ. ꝑ. j. In ea dissolve.

el. diaphœnic. Drach. vj.

Indi major.

bened. laxat. an. Drach. ij.

ol. chamamel.

rutac. an. Unc. jss.

mellis rosat. colat. Unc. ss.

salis comm. Drach. jss.

E. Clyster.

Vel. ꝑ. Herb. chamapyc.

paralyf.

salvia.

hyssop.

calamith.

ruta.

parietar.

beton.

centaur. minor. an. M. ss.

sem. seseleos.

urtic.

ruta.

fœnicul.

anisi, an. Drach. ij.

flor. rorismar. P. j.

stachad. Arabic. P. ij.

Coq. in aq. communi.

Colat. ꝑ. Unc. x. In quibus dissolve.

elect. bened. laxat. Unc. ss.

diaphœnic. Drach. vj.

ol. de castor.

ruta, an. Unc. j.

M. pro Enemate.

Sunt etiam qui croci metallorum aliquid clysteribus hic addunt, vel Drach. j. ejus in spiritu viniebullire sinunt, & postea cum reliquo decocto miscunt. Verum an fatiscitudo dubito. Compertū enim est, etiam à gr. iij. vitri antimonii glandi inditi, non solum alvum copiosè motum, sed & duos vo-

mitus excitatos fuisse. Idem ergo nã & hic accidat, metuendum. Quod si accideret, sanè incommodum foret, timendumq; , ne ex conatu vomendi suffocatio acceleraretur.

Alius fortior:

Re. Rad. angelic.

ireos, an. Drach. iij.

fol. ruta.

calamintha.

pulegij.

hyssop.

centaurij minor.

lauri, an. M. ss.

flor. stachad. Arabic.

lavendul. an. M. ss.

fol. sena.

semin. cartham. an. Unc. ss.

baccar. juniperi Drach. iij.

agar. albi Drach. ij.

pulp. colocynth. in petia ligatas,

vel, hujus loco in melan-

cholico humore helleboro-

nigri Drach. j.

Coq. in f. q. hydromel.

Colat. ꝑ. ꝑ. j.

olect. hier simpl. Drach. vj.

hier. Logad.

benedict. laxat. ana.

Drach. ij.

pilul. coeb. Scrup. j.

ol. rutacei Unc. iij.

mell. rosat. colat. vel anthosf.

Unc. j.

sal. gemm. Scrup. iij.

E. Clyster.

Si clyster debito tempore non redatur, glande alvus provocetur. Sæpe tamen accidit, ut antea etiam dictum, ut sphincter ani resolvatur, unde anus planè,

planè pateat, ac clysteres sine fructu inficiantur, cum retineri non possint; qui casus plerumque desperatus est.

Imprimis verò sollicitus sit Medicus, an venam aperire liceat, & necesse fuerit. De hac enim verum quod Celsus, lib. 3. cap. 28. scribit: *Si omnia membra vehementer resoluta sint, sanguinis detractio vel occidit, vel liberat. Aliud curationis genus vix unquam senectatem restituit, saepe mortem tantum differt, vitam interim infestat. Post sanguinis missionem si non redit & motus & mens, nihil spei superest; si redit, sanitas quoque conspicitur.*

Ergo considerandum, an sanguis causæ principalis, vel adjuvantis, vel sine qua non, rationem habeat, viresque venæ sectionem ferant, tumque sanguis mittendus. Vires autem non actionum animalium ablatione æstimandæ sunt, sed, quales ante Apoplexiæ invasionem fuerant, considerandum. Si enim tum satis fortes fuerunt, etiam nunc permittunt venæ sectionem; nisi planè fortis sit Apoplexia. Nec vires sunt in Apoplexia debiles per resolutionem, (quæ debilitas venæ sectione prohibet) sed per suffocationem & oppressionem. Ac proinde non solum non prohibent, sed & coindicant venæ sectionem. Si verò nullo modo sanguis peccet, aut vires sint defectæ, aut æger admodum senex, venæ sectio intermit-tenda.

Statim verò, & sine omni mora sive noctu, sive de die Apoplexia quis corripiatur, venæ sectio instituat, & quidem ante clysterem, præsertim si fortior Apoplexia. Si non adeo for-

tis, clyster præmitti potest. Fricetur tamen prius corpus, & aperiatur vena in brachio. Quanquam enim nonnulli à saphena incipiant; tamen ejus sectio parum prodest in tam præcipiti morbo; cum vena sit exigua, & tam longè à capite ac sanguinis officina distet, nec satis citò, nec satis copiosè sanguinem à capite revellere possit. Licet quoque sanguinis evacuatio aliqua suppressa Apoplexiæ antecesserit; tamen in paroxysmo Apoplexiæ non agitur de sanguinis evacuatione suppressa revocanda, sed laboratur, ut emittatur sanguis, qui ita urget, ut nisi subito evacuetur, mortem minetur.

Aperiatur verò cephalica vel communis, & plus vel minus sanguinis emittatur, pro copię ratione, & virium tolerantia.

*Quantum
vena ape-
rienda.*

Est & hoc hic notandum; utilius ac tutius esse, non una vice mittere, quantum opus est, sanguinis, sed per vices, intra tamen paucarum horarum spatium. Nam per iteratam illam sanguinis missionem & materia facilius movetur, & vires non dejiciuntur. Atque inspicitur post primam venæ sectionem ægrifacies, & pulsus exploretur, & si color faciei vividior reddatur, & respiratio facilior, ac pulsus se bene habeat, bene sperandum, & confidentius sanguinis missio repeti potest.

Si venæ sectione uti non liceat, revulsio fiat per cucurbitulas cum scarificatione applicatas scrubus, brachiis, scapulis; non vero posteriori thoracis parti, aut hypochondriis, ne contractis thoracis & abdominis

*Cucurbitula cum
scarificatione
quibus
partibus ap-
plicanda.*

*Vena se-
ctio.*

*Quando
vena se-
ctio institu-
enda.*

musculis respiratio magis impediatur. Quamquam Aëtius post purgationem corporis etiam hypochondriis eas adhibere non dubitet: sicut & capiti nonnulli unam magnam cum multa flamma adhibent.

Venarum jugularium sectio.

Ad evacuationem materiae proxima à capite expedit, si fieri potest, venas narium aperite, aut mediam frontis. Nonnulli venae jugularis sectionem commendant, secundum longitudinem factam, ut facilius coalescat; estque illa in Apoplecticis satis conspicua, ut collum stringere vel ligare opus non sit. Peritum tamen & prudentem chirurgum haec sectio requirit; & ne post venae sectionem arctiore ligatura opus sit, emplastrum de bolo Armeno, aloe, pilis leporinis, & albumine ovi vulneri imponatur.

Aquarum apoplecticarum usus

Commodè quoque in paroxysmo Apoplectico aliquid aquae Apoplecticae aegro infunditur, siue sit à vapore narcotico, siue à pituita, Apoplexia. Aquae enim haec ob summam penetrandi vim praesentissimum saepe afferunt auxilium, & multos ab imminente Apoplexia, vel etiam jam praesente, liberarunt: modò sanguis non valde abundet, qui aquarum istarum usu fundi posset; aut à causa externa, aut violenta quadam malum ortum habeat, ut postea, *quæst. 5.* dicetur.

Vel de hac Potiuncula;

R. Aq. Langij,
cardamom. an. Unc. β .
cubebar. Unc. \jmath .
apoplectic. Unc. $\jmath\beta$.
essentia ambros,
saly. an. Drach. \jmath .

flor. pæon.

gran. Kerm. an Drach. β ,

extract. pæon. Scr. β .

succini alb. preparat. Scrup. \jmath .

Misce.

Si a causa interna ortum habeat Apoplexia, sternutationem quoque citare utile est; de quo mox dicetur in curatione Apoplexiae pituitosa.

Curatio Apoplexiae pituitosa.

Curatio Apoplexiae pituitosa.

Reliqua curatio secundum causarum diversitatem, quae supra fuit proposita, instituenda. Primò ergo Apoplexiam, quae à pituita ortum habet, quod attinet, praeter ea, quae antea in genere sunt proposita, & ad excitandum spiritum animale necessaria sunt, in specie quaedam adhuc monenda sunt.

Imprimis & hic Medicus attendat, an venam aperire liceat. Quod faciendum, si sanguis pituitae permisceatur, ac causae adjuvantis, vel sine qua non, rationem habeat, viresque ferant. Minus tamen in hac specie Apoplexiae, quam in sanguinea, sanguinis evacuandum. Vulnus in venae sectione fiat amplius. Aliàs enim sanguis, qui crassior est, statim subsistit.

Venae sectio.

Si venae sectione uti non liceat, cucurbitulis cum scarificatione utendum, ut antea in genere dictum.

Cucurbitularum a pl:catio.

Nec post venae sectionem à reliquis revulsionum generibus supra propositis desistendum.

Imprimis clysteres repetendi ex radic. angelic. fenicul. pæon. cortic. sambuci, fol. ruta, salvia, byssop. organ. betonic.

Clysterum injectio.

rotis-

rorismar. majoran. calaminth. pulegij,
 florib. stœchad. Arab. lavendula, gra-
 nis juniperi, ebuli, sem. pœon. fenicul. a-
 nisi, agarico, sena, colocynthide, sem. car-
 thami, el. hiera simpl. diacolocynth. Lo-
 gadij, Pachij, diaphœnic. benedict. la-
 xat. pilul. roch. melle anthosat. ol. rutac.
 laurin. chamamel.

Et omnino laborandum, ut materia
 ad diversas corporis partes distrahatur,
 cerebrumque ab angustia & oppressi-
 one liberetur.

Purgatio.

Pòst purgatio instituat cum pilul.
 foetid. cochiis, aureis, Arabicis, Indis,
 quæ acuantur trochisc. alhandal, di-
 agryd. vel extr. scammon. addito gr.
 uno atque altero castorei. Aut loco
 pilularum extracta illarum, vel alia
 convenientia extracta usurpentur. Et,
 ut facilius deglutiantur, pilulæ dissol-
 vantur conveniente liquore. Neque
 ingratus sapor illarum metuendus;
 cum sensus gustus in ægris his etiam
 torpeat. Vel extra purgantia in li-
 quore dissoluta exhibeantur,

℞. Pilul. coch. Scr. ij.

de agarico Scr. j.

trachisc. alhandal. gr. iij.

diagryd. gr. ij.

castor. gr. iij.

F. Mâssa cum mellè anthosato, quæ
 dissolvatur in aq. salviæ Unc. iij.

Vel ℞; Extracti catholici Scr. ij.

in aqua salviæ Unc. iij. exhibe-
 antur, additis extract. liquid. castorei
 gutt. iij.

Vel fiat talis Pötio:

℞. Fol. senæ Drach. iij.

follicul. senæ Drach. ij.

agar. albi Drach. jss.

turbith. elect, Drach. ß.

zingiber.

galang. an. Scr. ij.

Coqu. in aqu. salviæ & rorismar.
 Colat. Unc. iijß.

add. diaphœnic, Drach. jss.

castor. Scr. ß.

oxymel. simpl. Unc. ß.

F. Potio.

Vomitória verò fugienda, ne suffo-
 cationis periculum augeatur, & caput
 repleatur.

Vomitória
 an locum
 hic habe-
 ant.

Ideoque etsi purgantia vehementio-
 ra conveniunt; ut exigua quantitate
 exhiberi possint: antimonium tamen
 hic non convenit; cum vomitum si-
 mul moveatur.

Avicennas post evacuationem eti-
 am ferrum candens admovet corona-
 li futuræ & occipiti; quod ratione
 doloris & caloris sensum ablatum re-
 vocat, & in hac pituitosa saltem A-
 poplexia locum habet. Rhases sartagi-
 ne candente blandius utitur; quam ita
 capiti admovet, ut capilli saltem adu-
 rantur, non cutis. Possunt & vesicato-
 ria brachiis, pedibus, & sincipiti ad-
 moveri.

Particula-
 res capitis
 evacuatio-
 nes.

Corpore universo purgato particu-
 lares evacuationes instituendæ sunt,
 tam quæ sensibilibiter per os & nares fi-
 unt, quam quæ insensibilibiter per po-
 ros cutis in capite, de quo, part. 1. cap.
 10. dictum.

Lingua ergo & palatum inungan-
 tur Mithridatio vel theriaca veteri, vel
 aurea Alexandrina, vel diacoro, vel
 confect. anacardina. Sinapi etiam se-
 men pituitam potenter provocat. Co-
 quitur autem in vino forti, & eo pala-
 tum

Lingua &
 palati. n-
 unctioes.
 Sinapi usq.

rum fricatur, vel in pulverem redactum, & melle exceptum palato inungitur. Pyrethri radices in oxymelite coctæ idem præstant. Omnibus vero hisce utiliter admiscetur castoreum.

Errhina. Parantur & errhina cum vel sine sternutatione, quibus materia è capite elicitur; quæ sunt ex majoran. semine nigellæ, pipere, castoreo, & similibus.

Ut *℞. Pulv. maioran.*

piperis,

nucis mosch.

sem. nigell. an. Scrup. ij.

castor. gr. vj.

Cum oleo irino M. informam Liniamenti.

Vel cum cera & terebinth. fiant Natalia figura pyramidalis, quæ alligata filo naribus indentur.

Sternutatio magis movetur, si forma pulveris indantur, vel naribus infentur. Fortiora sunt pyrethrum, helleborus albus.

Utendum deniq; iis, quæ caput per insensibiles meat⁹ evacuunt; cujus modisunt olea calida spinali medullæ, e-
jusque potissimum initio, & capiti, ab-
rasis prius pilis, applicata & inuncta;
qualia sunt; *Oleum rutæ, irinum, lauri-
num, castor de laseribus, de piperibus. ol.
destill. spica, rorismar. juniperi, cera, te-
rebinth.* quibus spir. vini, vel aquæ A-
poplecticæ addi possunt. Item Bdelli-
um aqua vitæ dissolutum.

*Cerebrina-
boratio.*

His ita peractis ad cerebrum robo-
randum, & reliquam materiam discuti-
endam medicamenta exhiberi pos-

sunt. Inter quæ facile primas obtinent.
*aqua destillata & spiritus; ut aqua laven-
dula, cinamomi, salvia, rorismarini, ruta,
lilij convallium, flor. tilia; & composita
Apoplectica dicta, quarum passim mul-
tæ descriptiones existant apud Langi-
um, Vid. Vidium, Evonymum, Wec-
kerum, Quercetanum, & alios.*

Unam atque alteram saltem hic af-
ferre libet.

Aqua Apoplectica meæ descriptio-
nis, quæ in nostro pharmacopolio pa-
rata habetur, hæc est:

℞. Flor. primul. veris Unc. xvj.

Affunde Spirit. vin. lb. j.

Stent in infusione. Suo tempore ad-
de

flor. lilij convall. lb. iij.

rorismar. lb. j.

vini Rhenan. cant. jv.

Iterum destillentur.

Stent in digestionem diebus 4. postea
destillentur.

Hinc suo tempore

℞. flor. tilia Unc. vj.

lavendul. lb. j. s.

fol. & flor. betonic.

salvia,

ruta, an. M. j.

flor. stechad. Arabic. M. ij. s.

rad. peon.

visci querni, an. Unc. vj.

sem. peon.

eruca, an. Unc. iij.

Affunde destillatum liquorem.

Stent in infusione dieb. viij. postea
destillentur.

Similiter

℞. Cubebar. Unc. ij.

nucis moschate.

granor. Paradisi,
 cardamom. an. Unc. j. ℞.
 salam. aromas.
 cinam. an. Unc. j.
 caryophyll. Unc. ℞.
 spec. diamb. cum moscho & ans-
 bra,

diamosch. an. Drach. ij.

Affunde vini Malvatici q. s.

Stent in infusione dieb. 8. Hinc de-
 stillentur. Tandem destillatum utrūq;
 conjugatur, aromatib⁹ iterū affunda-
 tur, atq; iterum destillentur. In ultima
 hac destillatione liquor dividi, & tertia
 parti in destillando castorei Unc. j. ad-
 di potest: Solent quidem nonnulli i-
 stis aquis totis in destillando admisce-
 re castoreum: verum cum eā & præ-
 servationis loco parentur, castoreum
 verò ingratum illis saporem conciliat
 præstat eas sine castoreo parare, & par-
 ti saltem alicui castoreum addere.

Aqua Apoplectica D. Sigismundi
 Kolreuteri:

℞. Nuc. mosch.
 caryoph.
 macis,
 zingib.
 zedoaria,
 galang. maj. & min.
 piperū albi,
 nigri,
 longi,
 sinamomi,
 salami aromas.
 cyperi ros.
 aromic.
 gran. parad.
 cardamomi,
 subeb.

castorei,
 sem. carvi,
 fanic.
 anis.
 cort. citri,
 limon.

aurantior. an. Drach. iij.

thuris,
 myrrh.
 mastich.
 aloës hepat. an. Drach. ij.
 spic. Ind.

Celric.
 vulgar.
 rad. gentian.
 eryng.
 ireos,
 pæon.
 pyreth.
 ligni visci q.
 corylini, an. Unc. ℞.

fol. chamadr.
 nepeta,
 chamapyt.
 melissophyll.
 salvia,
 rosmar.
 maioran. an. M. ℞.
 euphras. M. ij.
 pulg.
 menth.
 byssop.
 artemisia,
 origan.
 serpill.
 chelidon. an. M. ℞.
 beton. M. j.
 aneth. M. ℞.

add. tylos.

amgd.

amygd. d. an. Unc. ℥.

baccar. juniperi M. ℥.

fl. sambuc.

violar.

lavendul.

tilia,

rosar. rub.

pæon.

primula ver. an. p. ij.

borrag.

bugloss.

lil. convall. an. p. ij.

croci Drach. j. ℥.

Concis. & conuass. superinfund.

vini albi Rhen.

spir. vini opt. & puriss.

an. canth. i. ℥.

Bene obturato vase ponantur per
mensē integrum ad Solem æstivum,
vel prope fornacem tempore hyema-
li, singulis diebus bis vel ter agitando,
ac postmodum fiat Destillatio.

Vel ℞. Flor. lavendul.

tilia,

pæonia.

salvia,

anthos,

lilij convall. an. Unc. j.

visciq. Luna decrescēte collecti

Unc. ℥.

fol. beton.

primula veris,

hyssopi, an. M. j.

cubebæ.

macis,

nucis mosch. an. Unc. ℥.

sem. eruca Drach. ij.

Affunde vini q. s. Destillentur.

Alia:

℞. Cardamomi min.

cubebæ.

nucis mosch. an. Unc. ℥.

ligni de visco q. Unc. j.

fol. ruta,

salvia min. an. Unc. j. ℥.

flor. lavendul. Unc. iij.

castorei opt. Unc. j. ℥.

Incisus & contusis affund.

vini Rhenan. opt. vel aq. lil. con-

vall. cum vino destill. q. s.

Digerantur per d. 14. in vitro probè
sigillato, Destillentur deinde. s. a. in B.

Alia:

℞. Fl. lavend. M. ij.

anthos,

spice,

sambuc.

ruta,

rorismar.

puleg.

calamintb.

menth. crisp.

origan.

serpill.

beton.

salvia,

major.

fol. lauri an. Unc. ℥.

sem. anisi,

fanic.

pæon. an. Drach. iij.

eruc.

rad. enul.

iræos Flor.

angelic.

dorom.

ostrutj,

pyreth.

pimpinell.

pæon.

pæon.
afari, an. Unc. ℥.
cinamom. Unc. ℥.
zingib.
cubeb.
nuc. mosch.
caryoph.
macis, an. Drach. ij.
gran. Parad.
cardamomi,
galang.
zedoar.
croci,
piper. triam gen. an. Scrup. iiii.
cal. arom. Unc. ℥.
spic. Ind.
schœnanth.
stach. Arab. an. Scrup. iiii.
visci q. Unc. j.
castor. Unc. ℥.
fl. lil. convall. M. iiii.
 Incis. & contus. grosso modo admisc.

spec. diamosch. d. Drach. ij.
diapraf. Unc. j.
diapæon. Unc. ℥.
 M. F. Nodus.

Superfund.

vini opt. Rhen. ℔. jx.
sp. vini opt. ℔. viij.
aq. saly. ℔. j.
lavend.
spice,
hyssop.
tilie,
lil. alb. an. ℔. ℥.
rorismar.
majoran. an. Unc. viij.

Infunde omnia simul in vitro per
 14. d loco calido. Deinde destill. s.a.

L. I.

& prima aq. cujus fiat ℔. jv. separatim
 fervetur, & deinde altera seorsim.

Aquarum istarum loco etiam tale
 Electuarium usurpari potest:

℞. *Conserv. flor. lavendul. Unc. j.*

anthos,

salvia,

maioran.

betonic. an. Unc. j.

calam. arom. condit. Unc. ℥.

spec. diamb.

diamosch. dulc. an. Drach. ℥.

sem. eruce Drach. j.

Cum melle *anacardino* & *sirup.*

stachad. simpl.

F. Electuarium.

Aliud:

℞. *Conf. salvia,*

rorismar.

maioran.

stachad.

lavend. an. Unc. ℥.

cal. arom. cond.

conf. anacard. an. Drach. ij.

puly. diamb.

diamosch. an. Drach. ℥.

sem. eruc.

ruta, an. Drach. j.

Cum *oxymel. scillit.* vel melle

anacard.

F. Electuarium.

Dosis instar castan. alternis diebus.

Addi quoque possunt *castor. gr. ali.*
quot.

Vel propinetur hujus Potiuncule
cochlear j.

℞. *Aq. fl. tilie,*

cubeb.

lilior. convall. an. unc. j.

spir. cerasor. nigr. unc. ℥.

℞℞℞

sirup.

sirup. de pæon.
de cort. cistri, an. Drach. ij.
succini alb. preparat. Scrup. j.
brodij nuc. mosch. condit. Drach. ij.
aq. apoplect. Drach. j.
 M.

Confectio anacardina, ut in omni-
 bus cerebri frigidis morbis, sic & hic
 summopere probatur, per se eam ex-
 hibendo, (modo æger ad se redierit, &
 medicamenta solidiora admittat) vel
 cum aqua vitæ dissolvendo. Convenit
 & sinapis semen contusum, & Drach. ss.
 pondere cum oxymelite exhibitum;
 sicut & castoreum gr. vj.

Vel parentur hi Morfuli:

spec. arom. ros. Drach. j.
diamb. Scrup. ij.
diaplr. c. mosch.
dianth. an. Scrup. j.
pulv. macis;
nuc. mosch.
caryoph.
cubeb.
cardamom. an. Scrup. j.
cons. fl. laven.
anthos, an. Drach. j. ss.
extract. pæon. gr. v.
galanga gr. iij.
solut. corall. rub. Scrup. j.
ol. nuc. mosch. express. gr. jv.
saryophyll.
succini, an. gutt. ij.
sacchar. in aq. rosmar. & lil.
convall. dissol. q. s. F. l. a. Mor-
suli.

Alii:

spec. succini alb. prep. Drach. ij. ss.
spec. arom. ros.
diamb.
dianthos.

diaplr. an. Scrup. ij.
sacch. in aq. beton. dissolv.
 Unc. viij.
 F. Morfuli.

Valde efficaces etiam sunt Rotulæ
 ex oleo cubeb. paratæ.

Vel præparentur hæ Rotulæ:

se. Extract. rad. pæon. Scrup. j.
cal. arom. gr. xj.
margarit. prep. Scrup. ij.
corall. rub. prepar. Drach. ss.
ol. nuc. mosch. expr. Scrup. j.
ol. nuc. mosch. destill. gutt. xij.
fenicul. gutt. vij.
sacchari in aq. pæon. dissolv.
 Unc. iij.

F. s. a. Rotulæ:

Simul etiam externa cerebrum ro-
 borantia usurpanda.

Multum hic commendatur oleum
 nuc. mosch. destillatum, sinaribus &
 auribus instilletur, palatoq; illinatur.

Magni etiam usus sunt Balsama A-
 poplectica.

Ut *se. Ol. nucis mosch. express. Unc. ss.*
destill. lavenul.

maiorana.

rosmar.

ruta, an. Scrup. ss.

cinanomi,

caryophyll. an. gutt. v.

succini Scrup. ss.

amb.

zibeth.

mosch. an. Scrup. j.

Misceantur:

Vel *se. Ol. nuc. mosch. Drach. iij.*

zibeth.

amb.

mosch. an. Scrup. j.

balsam. Orients.

℞. succini albi.
maioran.

lavend. an. Scrup. j. ℞.
caryophyll. Scrup. ℞. M.
Aliud.

℞. Ol. nuc. mosch. destill.
macis, an. Scrup. ij.
lavend.
succini,
caryophyll. an. Scrup. j.
maioran.
spica,
ruta,
anthos, an. Scrup. ℞.
nuc. mosch. express. q. ℞.
Misc.
Aliud.

℞. Ol. nuc. mosch. expr. Drach. ℞.
zibeth. gr. viij.
ambr. gryf.
mosch. opt. an. gr. xj.
ol. ruta destill. Scrup. ℞.
Misc.
Aliud.

℞. Ol. nuc. mosc. expr. Unc. ℞.
ambr. gryf. gr. viij.
mosch. opt.
benzoes,
styrac. calam.
ladani opt. an. Scrup. ℞.
ol. destill. lavend.
cinamomi,
ruta,
rorismar. an. Scrup. ij.
caryophyll. gutt. viij.
succini gutt. iij.

M. optimè in scutella argentea.

Sequentia etiam simul caput roborare, & materię reliquias evacuare ac discutere possunt:

℞. Extract. ruta Drach. j.
paon. Scrup. j.

ol. nuc. mosch. expr. Drach. ℞.
destill. gutt. vij.

ruta,
fenic. aa. Scrup. ℞.
succini gutt. v.
M. pro linimento.

℞. Spec. diaga'lange Drach. j. ℞.
pulv. pyreth.
piper. an. Scrup. j.
cubebar. Scrup. ℞.
sinap. gr. v.
conf. anacard. Scrup. j.
theriac. Drach. j.
aq. salvia,
lavend. an. Unc. ℞.

Cum sir. de stath.
F. Linimentum.

Vel Fiat talis Compositio:

℞. Sem. sinap.
piper.
rad. pyreth.
castor. part. æq.

Excipiantur melle & succo ruta

Fiatque Illinitio linguæ & oris.

Convenit & Gargarismus, cujus u-

sus sit manè:

℞. Rorismar.
ruta,
origani,
salvia,
vincapervinc. an. p. j.
zingib.
pyreth. an. Drach. j. ℞.
rad. lappa major. Scrup. iij.

Decoqu. in tb. ij. ad tertię part.

consumpt. &

Colaturæ add.

aceti rosac. acerr. q. ℞.

F. Gargarismus.

Fomenta quoque capiti ex plantis cephalicis applicentur. Ut:

Q q q q 2

℞. Fol.

℞. Fol. *salviae*,
maioran.
puleg.
ruta, an. M. j.
flor. chamam.
stach. Arab.
melilot. an. M. β.
rad. calami aromat.
sem. anisi,
hacc. juniperi, an. unc. β.
nucis mosch.
cubeban. an. Drach. ij.

Coqu. in vase clauso in f. q. vini Colatura pro fomento capitis usurpetur. Si prædictis ad mollitiem coctis & contusis ol. irinum vel rutac. addatur, F. Cataplasma capiti applicandum. Vel ℞. Ol. *rutac.*

Cataplasma
 smata &
 linimenta.

nardin. an. unc. j β.
destill. è baccis juniperi
 Drach. iij.
puly. castor. Drach. j.
euphorb. Drach. β.
cera q. l.

F. Linimentum pro capite & principio spinalis medullæ.

Vel ℞. Ol. *massich.* Drach. iij.
castor. Drach. j.
ruta Drach. j. β.
puly. lavend.
baccar. lauri, an. Drach. β.
caryophyll. Scrup. j.
singued. vulp. Drach. iij.
ol. ruta destill. gutt. v.
salvia gutt. vij.
succini gutt. iij.
medull. crur. vituli Drach. ij.

F. Linimentum, quod nuchæ & vertebri dorsi inungatur.

Vel ℞. Ol. *petra,*
laurini, an. Drach. ij.

nuc. mosch. expr. Drach. j.
destill. salvia,
fl. lavend.
caryophyll.
galbani, an. Scrup. β.
 M.

Potest & capiti post fomentationem Sacculitalis Sacculus imponi.

℞. *Caryoph.*
nuc. moschata,
cubeban. an. Unc. β.
maioran.
ruta, an. Unc. j.

Concisa & crasso modo contusa insuantur sacculo è tela tenui, quo calefacto caput foveatur, hinc oleis antea nominatis illinatur.

Multum quoq; prodest Epithema ex Epithema succino pulverisato in sacculum oblongiorem interpassatum incluso, si sacculus iste in aqua vitæ vel spiritu vini cum pipere longo imbuto madefiat, & ol. succini aliquot guttis aspergatur, futuræq; coronali imponatur.

Circa oleorum tamen calidorum, præcipuè destillatorum, usum hoc observandum, ut non sola usurpentur, sed cum cera & pinguibus misceantur, ut cuti tenacius adhæreant. Sola enim adhibita facile dissipantur, & in auras evaporant;

Quidam & Phænigmos capiti raso applicent forma emplastri, è f. q. sicum leniter coctarum, & duplo sem. sinapi contusarum, adjecto, si videbitur, paucocastoreo & euphorbio. Valenter quoq; ad externa trahit emplastrum oxycroceum cum ol. laurino subactum, quod potentius præstat, si aliquid sinapis, pyrethri, & staphidis agricæ addatur.

Vel applicetur hoc Emplastrum:

℞. Gal-

℞. Galbani,
 opopanax.
 pyrethri,
 sem. sinap.
 castorei.
 piper. an. Drach. ij.
 sulphuris Drach. j.
 terebinth. unc. ℞.
 ol. destillati ruta & salvia, ana
 Scrup. ℞.

Pulverifatis pulverifandis misceantur,
 ac super aluta extendantur, & capiti
 calidè applicentur.

*Cauterio-
rum usus.*
 De Cauterio actuali, & sartagine
 candente, antea dictum, quam igni-
 tam, aliis non proficientibus, nonnul-
 li supra caput per horæ quadrantem
 detinent, ut caput non tangat, nec
 urat, sed calefaciat solum, & capillos
 ferè comburat:

Oleis illis. calidis & ex inungendæ
 sunt partes, quæ magis paralyti tentari
 videntur, ut ita paralyti excitetur, &
 materia à capite ad partes ignobiliores
 transferatur. Præstat enim usum ali-
 cujus partis amittere, quam hominem
 mori. Et paralyti dat Medico ad a-
 gendum inducias, quas non concedit
 Apoplexia.

Nonnulli cæteris non juvantibus fe-
 brem excitandam esse, quæ præsentaneum sit,
 ad materiam pituitosam ex-
 cecandam & resolvendam, remedium:
 & propterea confectioem anacardi-
 nam cum hydromelite, vel alio conve-
 niente liquore Drach. j. pondere exhi-
 bendam censent.

Si jam in Paralyti morbus desinat,
 reliqua curatio ad eam dirigenda.

Quæ à Chymicis hic commendantur *Chymicis.*
 tur, pleraque vulgata etiam sunt, & è
 simplicibus, quæ in vulgari contra A-
 poplexiam usu sunt, parantur, nec *Galenicis*
 lenis ignota sunt, spiritus scil. lilio-
 rum convall. cerasorum, granorum iuni-
 peri, salvia, flor. lavendula, visci querni,
 cranij humani: essentia, rorimarini, la-
 vendula, salvia, pæonia: tinctura, coral-
 lior. succini, smaragdi: olea destill. la-
 vendule, salvia, maiorana, rorimarini,
 nucis moschata, ruta, angelica, sambuci,
 carvi, succini, caryophyll. extract. pæo-
 nie, salvia, cardamomi: sal, salvia, pæo-
 nie, succini, cranij humani: fecula, pæo-
 nie, magisterium, cranij humani, suc-
 cini, margaritarum, coralliorum: balsa-
 mum, ruta, maiorana, succini, angelica.
 Quibus addunt medicamenta ex ar-
 gento præparata.

Dieta.

Diætam quod attinet, in hac Apo- *Dieta.*
 plexiæ specie aër ad calidum vergat. *Aer.*
 Cibi in paroxysmo nihil exhibeatur. *Cibus &*
 nec facilè exhiberi potest: usque ad de- *potus.*
 clinationem: Sit autem tum cibus at-
 tenuans. A vino abstinendum. Potus
 sit hydromel salvia, hyssopo, roremar-
 rino, calamintha, origano, pulegio,
 melissa conditum. Cibi etiam con-
 dianur hyssopo, roremarino, thymo,
 satureia, ruta, salvia, nuce moschata,
 ut de paralyti dictum.

Curatio Apoplexiæ à san- guine orta.

Si Apoplexia sit à sanguine orta, *Curatio*
 quæ in genere proposita sunt, non ne- *Apoplexiæ*
 sangui- *sanguinea.*

Vena se-
ctio.

glectis, mox, si vires id ferant, atque Apoplexia non sit fortissima & desperata, etiam ante clysterem vena aperienda, & venæ sectio administranda, ut ante de Apoplexiæ curatione in genere dictum. Plus verò in hac Apoplexiæ specie, quam in pituitosa, sanguinis emitendum, sanguisq; satis liberaliter, & quantum vires fuerunt, evacuandus. Rhafes in utroque brachio venam aperit, quod interjectis 6. vel 7. hor. fieri potest, ut expeditius sanguis à toto corpore & capite educatur, & iterata ista venæ sectio, ut antea quoq; dictum, materiam facilius moveat, nec vires deficiat. Prudentia tamen hic opus est, & si ex pulsu ac facie consiciat Medicus, ægrum non satis bene tolerare phlebotomiam, repetenda non est, ne æger in periculum consiciatur.

Cucurbi-
zularum
cum scarifi-
catione ap-
plicatio.

Si autem æger venæ sectionem non toleret, cucurbitulis scarificatis utendum. Post sanguinem evacuatam clysteres & omnia revulsionum genera, ut antea dictum, usurpanda & repetenda.

Purgatio.

Cæterum cum sanguis purus raro peccet, purgantia post venæ sectionem quoque exhibere non abs re fuerit. Instud autem de purgatione, & quidem in omni Apoplexia, monendum, ut ea maturè, horis non multis post venæ sectionem, instituat, neglecta temporum electione. Neque enim vehementia morbi tempus matutinum, venæ sectioni & purgationi aliàs commodissimum, semper expectare sinit.

Particula-
res evacu-
ationes.

Post purgationem exhibitam abstinendum aliquandiu à frictionibus, li-

gaturis, cucurbitulis; quoniam hæc contra, quam pharmacum, ab interioribus ad exteriora trahunt.

Corpore universo purgato & particulares evacuationes instituere licet, quæ tamen hic moderatiore sint, & medicamenta, quæ adhibentur, minus calida.

Curatio Apoplexiæ à vapore narcotico.

Si à vapore narcotico Apoplexiæ Curatio A-
oriatur, mox etiam omnia revulsio-
num genera, quæ in genere supra dicta *poplexiæ à narcotico.*
sunt, adhibenda; & si vaporem illum materia aliqua foveat, evacuanda ea est. Deinde usutpanda & propinanda, tum extrâ applicanda ea, quæ vim sopitam excitant, & peculiari facultate vaporum narcoticorum vim infringunt. Imprimis utile est castoreum, ruta, pulegium, quæ cum aceto mista naribus admovenda. Acetum enim & acida maximè narcoticorum vim retundunt & infringunt. Comoda quoque sunt balsama Apoplectica, rutæ, maioranæ, quibus aliquid castorei addi potest.

Exhibeantur etiam pleraque quæ sunt in Apoplexia pituitosa sunt proposita, qualia sunt, salvia, ruta, betonica, rosmarinus, lavendula, maiorana, pulegium, stœchas Arabica, &c. Nec omitrantur sternutatoria, quæ & ipsa vaporem illum discutere valent.

Huic Apoplexiæ cognatus affectus est, ut dictum, qui ex spiritus vini nimio usu excitatur. Ideoq; hujus curatio non prætereunda.

Cum

*Affinitu
vini super
inebria-
tio.*

Cum verò spiritus vini non solum periculosum stuporem, sed & maximum calorem excitet, ea exhibenda; quæ & calori, & facultati narcoticæ resistunt. Primò ergo vomitum excitare utile est, quod fieri potest aqua calida cum oleo communi ac butyro exhibita. Deinde exhibeatur lac caprinum, vel aliud: item emulsio ex amygdalis dulcibus ac semine cucurbitæ ac melonum cum aqua hordei parata, acida item ac acetum ipsum, & sirupi acidi.

Diæta in Apoplexia à vapore narcotico sit qualis in Apoplexia à pituita. A vino & omni potu inebriante toto curationis tempore abstinendum.

Curatio Apoplexiæ à causis externis. Et violentis.

Cum reliquæ tres Apoplexiæ species, quæ vel à sanguine è vulnere ad basin cerebri effuso, vel à cerebro cõpresso, vel ab eisdem vulnere, & læsione insigni ortum habent, curatione maxima ex parte convenient, eas quoque conjungemus.

Si ergo quis in oculo vel alia parte capitis vulneratus sit, atque in Apoplexiam incidat, aut ex alto aliquid in caput decidat, aut lapide, vel alia re gravicaput percussum, cerebrumq; compressum aut commotum sit, ut æger sine sensu & motu jaceat; primò omnium, si vires ferant, statim, seu die, seu noctu, cephalica vena aperienda, & postea clyster inficiendus, ut materia à capite revellatur; aut, si venæ sectio-

nem ægri vires non ferant, cucurbitulæ scarificatæ partibus inferioribus asfigenda. Reliqua curæ ratio ad ipsum caput læsum dirigenda; & primò ad sanguinis affluxum inhibendum repellentia adhibenda; postea etiam diggerentia. Et, si cranium depressum sit, illud retrahendum ac elevandum: officula, sic cerebrum pungant aut premant, eximenda.

Apoplexia, quæ fit ab insigni cerebri vulnere, est plerumque desperata ac letalis sit, quamdiutamen vivit homo, vulnus infectum ex arte tractandum. Cætera verò naturæ permitienda sunt; quæ interdum per aures, nares, & os sanguinem expellit, quas vias Medicus facile quærere non potest. De quibus videantur, *part. I. cap. 20. 21. & seqq.*

Victus ratio in his Apoplexiæ generibus sit tenuior; & in principio carnis, & omni pleniori victu, ut & vino abstinendum, & pituitosa hordeacea, aut aqua cum semine coriandri, aut cinamomo decoctâ, aut decocto hordei utendum: reliqua etiam victus ratio ad frigidum declinet; cum plerumque è sanguine è vasis effuso putredo & febris excitetur.

PRÆSERVATIO AB APOPLEXIA.

Cum autem longè utilius & tutius *Præservatio ab Apoplexia.* sit ab imminente Apoplexia ægrum præservare, quàm à jam præsentem liberare; prætereandâ sit opera, ut, qui semel à paroxysmo apoplectico liberatus est; imposterum ab eo non corripiatur, quod sæpius accidere solet de præse-

*Curatio
Apoplexiæ
à causis
externis.*

præservatone ab Apoplexia etiam dicendum.

Apoplexia imminens signa. Signa autem imminens Apoplexiæ sunt, diuturna gravitas & dolor capitis, ac in somnum propensio, segnior totius corporis motus, frequens vertigo, tenebræ oculis offusæ, vel incerti ac discurrentes ante oculos lucis splendores, frequens incubus, somnia terribilia, aurium cinnitius, inflatio venarum jugularium, tremor totius corporis, vox tremula & interrupta, mentis abalienationes, rerum oblivio, mœstitia, refrigeratio extremorum sine causa.

Præservatio in quibus consistat. Ut autem curatio Apoplexiæ in eo præcipue consistit, ut causa illa proxima, quæ influxum spirituum animalium impedit, tollatur: ita præservatio in eo occupatur, ut causæ antecedentes, quæ, nisi amoveantur, Apoplexiam excitare possent, tollantur. Quæ autem causæ antecedentes sint, jam antea dictum. De causis verò illis violentis dicere nihil opus est, cum Medici arbitrio dirigi non possint.

In præcavenda ergo Apoplexia hæc prospicienda; primò, ut humor, qui angustiam cerebri parere potest, vaporesque, qui spiritus torpidos reddunt, non generentur, aut, si adsint, tollantur: deinde ut cerebrum, quod humores seu vapores vel gignit, vel admittit, & discutere non potest, roboretur.

Præservatio ab Apoplexia sanguinea. Primò itaque si à sanguinis copia metuenda sit Apoplexia, sanguis, quantum opus, imminuendus: & cum nihil commodius hic esse possit, quam hæmorrhoides fluere, danda est opera,

ut provocentur; cum, quamdiu fluunt, faciliè ab Apoplexia immunitatè polliceantur. Cæterum si id fieri nequeat, per venæ sectionem & cucurbitulas sanguis detrahatur, &, ne copiosior generetur, præcaveatur. Ideoq; etiam à crapula, & imprimis vino multo ac generoso abstinendum.

Cum autem sanguis non solum quatenus copiosus, (cum multi sanguinei ab Apoplexia immunes sint) sed etiam quatenus spirituosus nimium, aut potius vaporosus est, seu vaporibus multis spiritus animales turbat, causa Apoplexiæ sit, & talis sanguis adustus in atrabilem degenerare solet; omnino necessarium est, per intervalla corpus itis, quæ humoribus biliosis conveniunt, evacuare.

Alterantia quoque exhibeantur, quæ talibus adustis humoribus & sanguini vaporoso conveniunt. Inter purgantia imprimis conveniunt. fol. senæ & rhabarb. cui addi possunt polypod. quern. epithimum.

Ut: R. Rad. polypod. quern.

peronia,

cichor. an. Drach. iij.

passul. minor. Drach. vj.

Coq. in aqua pura.

In Colat. infundantur

fol. senæ Drach. vj.

rhabarb. Scrup. ij.

flor. borrag.

bugloss.

violar. an. P. j

zingiberis,

galang. an. Scrup. jß.

calam. aromat. Scrup. ß.

In Colat. Unc. iijß. dissolve,

manna Unc. ℞. vel *Drach.* vj.
 adde *sirup. cichor. cum rhabarb.* Unc. ℞.
 Misce.

*Diatara-
tio.* Exercitia sint moderata. Caveant
 à somno meridiano, imò nec post cœ-
 nam mox cubitum eant, sed duabus
 demum horis a cœna peractis; quo
 temporis spatio etiam potandum non
 est.

*Aquarum
apoplecti-
zarum usq.* Abstinentum quoque ab aquis vitæ
 dictis, etiam iis, quæ ad Apoplexiam
 aliàs commodæ sunt, & aquæ Apople-
 cticæ dicuntur, in hac Apoplexiæ spe-
 cie: etsi à nonnullis non satis cautè
 usurpentur; cum in corporibus ejus-
 modi plenis, & sanguine spirituosò ac
 vaporoso abundantibus caput nimi-
 um repleant. Eadem de causâ vitan-
 da sunt vina crassa, turbida, dulcia, &
 potentia, quæ copiosorem ac crassio-
 rem sanguinem suppeditant. Non ve-
 rò omittenda cerebrum confortantia:
 de quibus postea dicitur. Ea tamen
 eligenda, quæ sanguinem non nimis
 calefaciunt.

*Præserva-
tio ab Apo-
plexia pi-
tuitosa.* Secundò si à pituita metuenda sit
 Apoplexia, ac in senibus præcipuè, ob
 calorem nativum jam debilem, & spi-
 ritus pauciores, cerebrum nec bene co-
 quat, nec humores excrementitios sa-
 tis rectè excernat, atque inde pituitosi
 & crudi humores in capite cumulen-
 tur, ob quos in hyeme præcipuè ad
 hoc malum proclives sunt: imprimis
 danda est opera, ut cerebrum robore-
 tur, & ita generatio pituitæ præcavea-
 tur, & quæ generata est, evacuetur.

Et cum indies magis magisque tem-
 peramentum debilitetur, singulis die-
 bus quod lapsum illum in cerebro cor-

L. I.

rigat, cerebri calorem conservet, spi-
 ritus animales recreet, assumendum.

Ut: ℞. *Consev. lavendul.* Unc. iiii.

Electuaria

*primul. veris,
lilior. convall.*

*salvia,
beton.*

anthos, an. Unc. j.

calam. aromat. Unc. ℞.

spec. diamb.

cubeb.

nuc. moschat. an. Drach. ℞.

Cum *sirup. pæon. & stæchad.*

F. *Electuarium.*

Imprimis ambra ad cerebrum ro-
 borandum & spiritus instaurandos
 maximè valet.

Vel ℞. *Ol. destillat. anisi gutt.* iiii.

Rotula.

nuc. moschat.

caryi, an. gutt. iiij.

caryophyll. gutt. j.

ambr. gr. vj.

sacchar. in aqu. rosar. dissolut.

Unc. iij.

F. *Rotulæ*, quibus & *ol. succini* ad-
 dere licet.

Vel ℞. *Spec. diamb.* Drach. jss.

diamosch. dulc.

diaxyloal. an. Scrup. j.

ol. anisi destillati,

nuc. moschat. an. gutt. ij.

sacchar. in aqua rosar. & laven-

dul. dissolut. Unc. iij.

F. *Rotulæ.*

Vel ℞. *Ol. destillat. nuc. moschat.*

cinamomi

caryophyll. an. gutt. iiii.

succini gutt. v.

salviae gutt. iiii.

R r r r

sacchar.

facchar. in aq. rosar. dissol. Unc. iij.

F. Rotulæ.

Utilissimæ etiam ad præcavendam Apoplexiam sunt hæc Pilulæ:

℞. Cubebar.

calaminthe.

mastiche.

nucis moschatæ.

caryophyll. an. Drach. j.

ambra Drach. ℞.

mosch. gr. vj.

Cum succo vel extract. majoranæ formentur Pilulæ, de quibus Scrup. j. nocte. novilunium & plenilunium præcedente exhibeatur.

Ad cerebrum quoque roborandum usurpandæ aquæ Apoplectica, quarum supramentio facta. Quibus hæc addi potest:

Aqua apoplectica.

℞. Flor. lavendul. M. ij.

anthos.

bétonica.

salv. an. M. j.

cubebar.

gran. Paradysi, an. Unc. ℞.

nuc. moschat. Drach. ij.

Stent in infusione spirit. vini opt. ℞. ij. in vase diligenter clauso per dies aliquot, postea colentur. De hoc spiritu, tempore hyberno imprimis, ante novilunium præcipue, ut & alio tempore, Drach. j. vel altera, pro temporis ratione, cum pane albo sumatur.

Pulvis.

Commendatur etiam, & multis in usu est hic Pulvis:

℞. Succini albi Drach. j.

spec. diarrhod. abb. Drach. ℞.

rad. pæon. Scrup. j.

Datur Drach. j. cum aqua conveniente ante novilunium.

Alii tamen

℞. Succini Drach. j.

spec. diarrhod.

rad. pæon. an. Drach. ij.

Aliam proportionem observant.

Nucem quoque moschatam, cubebas, semen crucæ, sape ore detineant & mastigent, qui ab Apoplexia sibi metuunt. Aut semen carvi & crucæ in pulverem redactum, & cum saccharo mistum masticeretur. Efficax est & hic

Pulvis, de quo sumatur manè ad fabæ magnitudinem:

℞. Sem. eruc.

cubebar.

cardamom.

seseli Cretici.

piperis albi, an. Drach. j.

P. Pulvis.

Odoramentum quoque naribus ad moveatur, & imprimis balsama Apoplectica.

Vel ℞. Ol. nuc. mosch. express. Unc. j.

ambra.

mosch.

zabih.

balsami Oriental. an. Drach. ℞.

M. & ol. caryophyll. & cinamomi quantumlibet addatur.

Utile est & hoc Emplastrum ad caput roborandum, & Apoplexiam præcavendam:

℞. Myrrhæ elect.

styrac. calam.

benzoes.

ladani, an. Unc. ℞.

gammij juniperi Drach. iij.

cranij hum. pulveris. Drach. ℞.

lap. lazul. Scrup. ℞.

Cum styrace liquid. & cerebinth.

F. Em.

¶ F. Emplastrum, cujus portio pan-
no serico magnitudinem teleri æquan-
ti illinatur, & vertici imponatur.

Manè lingua & os mundetur aqua,
cui aliquid aquæ origani, rorismarini,
salviæ, & lavendul. admistum sit.

Vitandus aër frigidus & austrinus,
& contra eum caput muniendum.
Cibi condiantur aromatis, ita ta-
men, ne caput repleant; vel condian-
tur sem. carvi, salviæ, & similibus. Post
cibum sumptum fumantur pulveres
peptrici de semine coriandri, cumini,
galang. sem. fœniculi & mastich; vel
diacydon. cum speciebus paratum; &
similia supra; part. i. proposita.

Imprimis verò recta victus ratione
hic opus est, qua præcaveatur; ne hu-
mor iste, quantum fieri potest, genere-
tur, abstinendumq; à cibis pituitosis,
ac multorum piscium, olerum & lacti-
ciniorum esu; ac magna ventriculi ra-
tio habenda est, cum ad humoris pitui-
tosi generationem multum faciat.

Quia verò vix præcaveri potest in
corporibus dispositis pituitæ genera-
tio, per intervalla convenientibus me-
dicamentis evacuanda est, atque eva-
cuationes secundum individui cujus-
que rationem instituendæ.

Utilissimum & efficacissimum est &
hoc Decoctum, quod non solum ma-
teriam detergit, incidit, & obstructio-
nes viscerum solvit, sed & membra in-
terna, ac cerebrum imprimis, robo-
rat:

℞. Sarsa parilla. Unc. ij.
ligni sassafras Unc. j.
sem. fenic. Drach. vi.

Infundantur hor. xxiv. in aq. fon-
tanæ lb. iij. vel v.

Coqu. ad dimidiæ part. consumptio-
nem: sub finem adde

flor. primula veris,
anthos, an. M. j.

ligni aless Drach. ij.

Colat. servetur ad usum in vase vi-
treo. Dentur mane Unc. iij. vel v.
cum aq. cinamomi cochleari dimidio,
ut sudor leniter provocetur.

Multum etiam ad præservandum
ab Apoplexia faciunt fonticuli in bra-
chiis excitati.

Præterea in nares aqu. majora. in Errhino-
qua semen nigell. erucæ, & parum zin-
giberis infusa sint, attrahere utile est. gargari-
smo utendum hoc Gargarismate:

℞. Rorismarin.

salvia,

ruta,

origani, an. P. j.

zingiber.

pyrethr. an. Drach. jß.

rad. lappa maj. Drach. lb.

Coqu. in lb. j. aquæ ad tertiæ partis
consumptionem.

Colat. adde aceti quantum sufficit.

Vel ℞. Aq. lavendula,

salvia,

rorismarini,

ruta, an. Unc. iij.

pyrethr.

zingiber. an. Drach. jß.

oxymel. scillit. Drach. jß.

Servetur ad usum pro Gargarismo.

Tertiò. Cum Apoplexiæ, quæ à va-
poribus ortum habet, præcipuè obno-
xii sint, qui cruditatibus & crapulæ de-
diti sunt; quiete & abstinentia, talibus
impri-

inipræmis, opus est, & proinde vitanda maximè crapula, & quæ hinc oritur, cruditas, ciborum va ietas, exercitia post cibum, ira & vehemens animi motus. Et cum ex ista causa Apoplexia maximè metuenda sit melancholicis, melancholicusq; humor præcipuè literatis, & aliis ingeniis excellentibus ab anno 40. ad 60. molestus esse solet, à curis molestis, & aliis causis humorem melancholicum cumulantibus, cavendum, & hæmorrhoidum fluxus, si fieri potest, provocandus, humorq; melancholicus convenientibus medicamentis præparandus & evacuandus, ut supra, *part. 1. cap. de Intemperie cum humore melancholico*, dictum. Deinde medicamenta modò proposita ad cerebrum roborandum, & vapores discutiendos adhibeantur. Præcipuè & hic utilis est pulvis è succino, spec. diarrhod. abbat. & radic. pœon. ut & sem. carvi, quod comestum & olfactum hîc valde utile est, & odores & vapores, qui cerebrum infestant, vertiginem excitant, apoplexiamq; minantur, corrigat ac discutit. Efficacissimum verò est ejus oleum destillatum. Castoreum quoque acetomadidum naribus admoveere cõvenit. Viro cuidam literato jam sexagenario, ob cruditatem ventriculi, & vapores inde in caputelevatos, semel atque iterum Apoplexiæ initia sentienti, valde profuerunt hæ Rotulæ:

℞. Ol. carvi Scrup. ℞.
nuc. mosch. gutt. viij.
sacchar. albi Unc. ij.
F. Rotulæ.

Avertantur etiam vapores à capite:

lotionibus pedum matutinis è decoctis herbarum cephalicarum, & frictionibus.

QUÆSTIO I.

An à sola intemperie cerebri possit Apoplexia generari?

Causas Apoplexiæ supra suo loco recensuimus. Inter eas numerata non est intemperies cerebri. Cum vero experientia testetur, Apoplexiam esse morbum hæreditarium, & quorum parentes Apoplexia mortui sunt, iisdem malum hoc metuendum esse; non verò angustia cerebri & principii nervorum ab ortu contrahi & communicari possit: ipsa etiam cerebri substantia in talibus malè affici & disposita esse videtur. Nam cum compressio illa aut obstructio sit extra cerebri substantiam, eaque tantum in paroxysmo accidat, nemo autem actu Apoplecticus, seu in ipso paroxysmo generet: omnino statuendum videtur, dispositionem aliquam pravam, intemperiem, ac debilitatem in cerebro ejus, qui Apoplexia demum corripitur, antequam ea corrigereetur, adfuisse, quæ, sicut alii morbi hæreditarii, cum semine derivari & communicari soboli potest. Quibus accedit & illud, quod Plæterus præter causas supra enumeratas aliam adhuc ponit, scilicet spirituum animalium consumptionem tantam, ob quam non solum functionum animalium debilitas, sed & omnimoda illarum subsequatur abolitio, & gravis omnino, hominemq; subito jugulans exci-

retur

retur Apoplexia, quæ senes aliquando intereant. Quæ ipsa causa ad intemperiem cerebri, seu ejus debilitatem, ob quam spiritus animales amplius non generantur, redigenda videtur. Præterea cerebri imbecillitas sæpe diu antè percipitur, & facultatis animalis, intellectus, memoriæque debilitas, torpor in omnibus actionibus, aurium tinnitus ac sibilus, ac vertigo animadvertitur.

An Apoplexia sit morbus hæreditarius.

Sunt tamen, qui Apoplexiam morbum hæreditarium esse negant: Cum enim non generent podagricos, nisi ii, qui ipsi podagra laborarunt; nec leprosos aut lue Venerea affectos, nisi qui ipsi lepra vel lue Venerea affecti fuerunt, & plerique in ipso paroxysmo Apoplectico pereant, nec post paroxysmum generent: fieri non posse videtur, ut morbum, quo non laborarunt, in sobolem transfundant: Præterea cum multi Apoplexia subito corripiantur, qui operationes cerebri integras habuerunt; probabilè non videtur, ut, qui omnes operationes integras habuerunt, morbum aliquem in sobolem deriverent. Insuper cum intemperies non subito, sed per diurnas alterationes inducatur, Apoplexia verò hominem subito & in instanti corripiat: non videtur ab intemperie ortum habere posse.

Verùm enim verò utraque opinio aliquid veri & aliquid falsi continet. Primò enim omnino concedendum, intemperiem quandam in Apoplexia concurrere posse; cum negari non queat, atque id experientia testetur, Apoplexiam sæpe morbum esse hæredita-

rium, qui omnino ab intemperie ac dispositione aliqua, & cerebri imbecillitate à parentibus communicata ortum habeat. Neque necessarium est, ut, qui Apoplexiæ obnoxios generant, ipsi jam ante Apoplexia laboraverint: Sufficit, ut dispositionem, à qua causâ Apoplexiæ provenire potuerit, habuerint, eamque soboli communicaverint, ob quam in liberis olim, ac suo tempore causâ Apoplexiæ gigni possit, etsi, cum generaverint, Apoplexia nondum laboraverint.

Interim tamen nec illud negandum, ab intemperie, qua talis, Apoplexiam proximè produci non posse; cum intemperies actiones saltem depravet vel imminuat, rarò planè aboleat: & licet hoc præstet, sensim tamen & paulatim hoc faciat. Sed ab intemperie ac dispositione illà, & intemperie cerebri causâ proxima producitur, quæ vel angustiam parit, vel spiritus perturbat, pituita scilicet copiosa, & vapores ac flatus.

An autem à consumptione spirituum animalium omnimoda fieri possit Apoplexia, quod vult Platerus, dubito. Cum enim illam consumptionem à cerebri debilitate in senibus fieri statuat Platerus; subito accidere non possit, sed, quod fieri solet, sensim ac in dies spiritus imminuerentur, & propterea satis manifestæ functionum animalium immutationes in aliis partibus omnimodam illam, ob quam lethalis accideret Apoplexia, consumptionem præcederent: cum tamen senes sæpe sensus omnes atque integros habentes subito Apoplexia corripì videamus.

QUÆSTIO II.

Quæ sit Causa Apoplexiæ proxima?

Causa Apoplexiæ.

De causis Apoplexiæ pluribus in Institutionibus egimus, quæ hic repetere supervacaneum puto. Ut tamen quædam addamus, primò hoc præsupponendum est, spiritum animale dari, atque differre à vitali, & proximum instrumentum animalium actionum esse; ut id satis, *lib. I. Instit. cap. 6.* probavi. Neque dum satis evidentes & graves rationes vidimus, ob quas ab illa sententia nobis recedendum sit. Sunt quidem è Recentioribus, qui statuunt, argumèta, quæ pro spiritu animali probando adducuntur, nihil aliud ostendere, quam ad sensum & motum requiri partis sentientis & mobilis cum cerebro communicationem; quæ tamen fieri possit per solum spiritum vitalem, ut spiritus animales fingere opus non sit. Et ut principes actiones eduntur ministerio spiritus vitalis in cerebro existentis, (scil. implantati & influentis) ita eundem spiritum in nervis habitantem species sensibiles ab organo sensuum ad cerebrum, & contra imperium facultatis superioris, à cerebro ad musculos, deferre putant. Deinde nullam dari officinam generationis spirituum animalium in cerebro existimant, cum nulla cavitas in cerebro detur, in quam spiritus vitalis ex arteriis & cerebri sinibus, vel aëre per nares attractus (quæ sunt spiritus animalis materia) attrahatur. Tertio infan-

tes in utero sine spiritus animalis operamoveri statuunt utpote qui neque à matre suppeditetur, nec ab infante generetur. Non suppeditari à matre putant, quia nullus nervus à matre infanti planteretur: non generari verò infantes, quia aër desit, & per inspirationem in cerebrum non attrahatur.

Spiritum autem vitalem immediate inservire sensui & motui, probare conantur his rationibus: 1. Quia Venus nimia etiam actiones animales debilitat; cum tamen solus vitalis spiritus semini permisceatur. 2. Quia spiritus vitalis interceptio in carotidum angustia actiones animales abolet. 3. Quia in syncope actiones animales etiam abolentur. 4. Et in timore ac metu, in quibus spiritus vitalis perturbatur, tremor, qui facultatis animalis est symptoma, accidit. 5. Quia motus nimius lipothymiam, quæ facultatis vitalis symptoma est, inducit; & meditationes nimix coctionem ventriculi turbant, spiritum vitalem à ventriculo avocando.

Verum nullo modo concedendum, quod communicatio, quæ est inter cerebrum & organa sensus ac motus, fiat per spiritus vitales. Ratio enim illa, quæ ad id probandum adducitur, falsa est, quod videlicet actiones animales principes opera spirituum vitalium administrantur. Etenim spiritus insitus, seu calidum innatum cerebri non est spiritus vitalis, sed animalis insitus. Nam calidum innatum, seu spiritus insitus

litus, non omnium partium idem est, sed pro diversitate partium & actionum varius: in aure est naturæ aëreæ, seu aër insitus & implantatus; in oculo luminis insiti nomine venit spiritus innatus. Ita & cerebrum calidum innatum peculiare habet, cujus beneficio quod sibi proprium est, agit, quodque à calido insito cordis & epatis differt. Neque etiam spiritus mobiles in cerebro, quorum ministerio principes actiones obeuntur, vitales sunt; & dum id affirmatur, principium petitur. Quorsum enim cerebri substantia, cui similis in toto corpore non est, & tanta ejus moles & structura tam artificiosè facta essent? Certè nisi spiritus animalis ratione facta sunt, frustra facta sunt. Itaque petitio principii est, ut diximus, quod spiritus, à quibus species sensibiles ab organis sensuum ad cerebrum deferuntur vitales sunt.

Cavitate verò sensibili nulla ad spirituum animalium generationem op^o est; sufficit substantia cerebri illa mollis & spongiosa; Si lactanta copia in mammis generari potest, si semen in testibus, ubi tamen nulla sensibilis cavitas apparet: quidni spiritus animales longè subtiliores in substantia illa cerebri spongiosa, quò spiritus vitalis & aër facile penetrare potest, generari possint? Sunt quidem nonnulli in ea sententia, ut in Inkur, *libr. 1. cap. 6.* & supra etiam, *part. 1. cap. 17.* dictum, spiritus animales in quarto ventriculo cerebri, qui cerebro oblongato insculptus sit, seu generari, seu colligi. Verum

Acatomici diligentiores demonstrant, ventriculi nomine hanc cavitatem vix dignam esse, neque in ipsa cerebri cerebellivè substantia sitam esse, neque primaria intentione à natura efformatam, sed ex corporum dispositione ita emergere, nihilque aliud esse, quàm cavitatem quandam teretem, è duobus finibus semicircularibus efformatam; & superiorem ejus portionem cerebellum, inferiorem spinalem medullam conferre.

Infantes moventur spirituum animalium beneficio, quorum sufficiens copia (magna enim opus non est; cum sensus & motus ferè orientur in infantibus in utero) ex spiritu vitali in cerebro generari potest.

Quæ verò afferuntur ad probandum, spiritum vitalem ad sensum & motum sufficere; id non satis probant. Quod enim Venus nimia facultatem animalem lædit, accidit, quia spiritus vitales, qui animalibus materiam præbeant, subtrahuntur; Sunt tamen, qui & spiritus animales ad seminis generationem concurrere statuant. Eadem de causa in carotidum angustia & syncope, in terrore & metu, in exercitiis nimis actiones animales cessant, vel alio modo laeduntur, quia materia spirituum animalibus generandis necessaria subtrahitur. Spiritus equidem vitales ad actiones animales necessarii sunt, verum non ut causa proxima, sed ut remota, ut materia scilicet, è qua animales, qui proximum facultatis animalis instrumentum sunt, generentur.

Et si à spirituum vitalium defectu fieret Apoplexia, quæ differentia esset inter syncopen & Apoplexiam? Quam tamen omnes Medici admittunt, & recedunt; cum maxima inter hos affectus sit differentia, atque in syncope, spiritibus scilicet vitalibus affectis, pulsus lædatur, qui in Apoplecticis non mutatur. Et quod causa Apoplexiæ in meatibus spiritus animales ferentibus, non in arteriis aut ulla parte spiritus vitales continente, consistat; vel ex eo evidenter patet, quod Apoplexia mutatur in paralyin, quam nervis affectis fieri, extra controversiam est.

Cum ergo spiritus animales proximum actionum animalium instrumentum sint, etiam læsarum harum actionum causa in illis quærenda. Etenim quicquid secundum naturam sese habens animalium actionum integrorum causa est proxima, id etiam præter naturam sese habens causa est læsarum earundem. At non spiritus vitalis, sed animalis, proximum actionum animalium instrumentum est. Ergo etiam ab hoc, non ab illo, actionum animalium causa pendet. Et proinde sicut sensus & motus privatim ab eorum defectu læduntur; ita etiam illius universalis sensus ac motus læsionis in Apoplexia causa in spiritibus animalibus quærenda est. Nimirum sicut in tremore, paralyi cæcitate, surditate, stupore, causa recedè in spiritibus animalis in parte illa, cujus actio imminuta vel abolita est, imminutionem vel defectum refertur; ita etiam omnes ferè antiqui & Recentiores causam Apoplexiæ, in qua omnes animales actio-

nes abolentur, in spiritus animalis influxum omnimodè prohibitum rectissime retulerunt.

Sed quæ causa sit, ob quam spiritus animalis influxus in organa sensus & motus in toto corpore prohibeatur, de eo Autores non consentiunt. De causis reliquis jam non dicam, quarum supra in enumeratione causarum facta est mentio; solum de angustia, ob quam spirituum animalium influxus prohibetur, aliquid afferam; cum de ea Autores valde dissentiant. Antiqui, qui in ventriculis cerebri spiritus animales & generari, & contineri, & moveri, ac pereos in nervos influere crediderunt, omnes Apoplexiam ab omni moda ventriculorum cerebri obstructione provenire statuerunt. Verùm Recentiores, Varolius, Platerus, Bauhinus, & alii diligenti cerebri anatomia edocti, falsum hoc esse demonstrant; & in ipsa substantia cerebri membranis suis conclusa spiritus animales contineri, & hinc in nervos influere rectè docuerunt. Præterea observatum est à Fernelio, *lib. 2. de abdit. ver. caus. cap. 15.* & Casparo Bauchino, *in Anatom. libr. 3.* non semper in ventriculis cerebri Apoplexia extimatorum aliquid reperiri, quod obstructionis causa esse poterit.

Itaque alia causa quærenda est, ob quam influxus spirituum animalium ad organa sensus & motus planè inhibetur. Eam verò esse putamus talem viarum, per quas spiritus animales influunt, angustiam, ut spiritibus animalibus via omnis intercludatur. Non verò opus esse putamus, ut tota cerebri medulla

medulla obstruatur vel comprimatur; sed ad Apoplexiam excitandam sufficit medullæ cerebri oblongatæ, seu principii nervorum in basi cerebri posteriora versus talis angustia, ob quam in omnia sensus & motus organa in toto corpore spirituum animalium influxus prohibetur. Et si enim Antiquialiter senserint: tamen Recentiores Anatomici summa diligentia adhibita observarunt, nervos ad unum omnes à medulla cerebri oblongata prodire; et si alii, dum medulla hæc calvariæ adhuc inclusa est; alii postquam cranium reliquit, & per dorsum vertebrarum foramina procedit, jamque spinalis medulla propriè dicitur, enascuntur. Hoc ergo nervorum omnium principium si ita afficiatur, ut spirituum animalium in nervos, qui in organa omnium sensuum externorum referuntur, & è locis vicinis, una scilicet cerebri medulla oblongata, oriuntur, influxus denegetur, Apoplexia excitatur.

Fit autem hoc ubi medulla cerebri oblongata obstruitur vel comprimatur. Et quidem in forti Apoplexia anterior & posterior pars medullæ cerebri oblongatæ comprimatur vel obstruitur: in debili & mitiori nihil prohibet angustiam in alterutro saltem esse. Et est ea nervorum sensibus externis inservientium in origine vicinâ, ut, si causa gravis sit, quod in Apoplexia accidit, omnes simul afficiantur.

Id quod ipsa experientia confirmat, ut rationes conquirere opus non sit, Refert senim Fernellius, *loc. modo allega-*

L. I.

to, virum quandam viribus integrum sinistri oculi ictu vehementiore repente atronitum corruisse, moxque sensu ac motu privatum fuisse, cum spiritu difficili ac stercore, & cum aliis fortis Apoplexiæ indiciiis, eumque nec venæ sectione, nec alia potuisse ratione servari, quin horis duodecim interiret. Discisso apertoque capite neque ossis, neque meningum, neque substantiæ cerebri quicquam contractum divulgatumve, cerebri etiam ventriculos prorsus illæsos & inanes, sed duntaxat interiores oculi venas contusionis vi diruptas animadvertit, è quibus sanguis cochlearium duorum mensura in cerebri basin procubuerat, qui non, ut Fernellius vult, retiformem contextum obstringebat, sed principium nervorum comprimebat.

Et si Apoplexiæ terminationem, & in alios morbos mutationem diligenter consideremus, facile patebit, nullo alio in loco, quam quo diximus, causam apoplexiæ consistere posse. Mutatur verò Apoplexia vel in paralyfin lateris alterutrius, vel in memoriæ & ratiocinationis læsionem. Prius accidit, cum humor è cerebro oblongato, & principio nervorum in spinalis medullæ alterutram partem à natura excutitur, unde cerebro & nervorum principio ab humore vitioso liberato sensibus quidem suus vigor redit, brachii verò & cruris alterutrius motus tollitur. Si verò è principio nervorum in ipsam substantiam cerebri hinc inde humor dispergatur, ac cerebrum eo quasi irrigetur, tunc morbus in via quidem cessat, sed cerebrum, ut simila-

S s s s

ris

ris pars, male afficitur, unde memoria & ratiocinatio laeditur, sensibus externis & motu corporis salvis; ægrique cum tali memoria & mentis imbecillitate sæpe diu vivunt, ut exempla passim nota sunt. Que omnia, si alio, quam quo dixi, loco causa apoplexiæ consisteret, fieri nullo modo possent.

Causa tamen, quæ istam angustiam inducit, non semper in eodem loco hæret. Nonnunquam enim causa est in ipso cerebro. Aliquando verò eandem angustiam etiam humores extra cerebrum ad basin ejusdem effusos, & principium nervorum comprimentes, atque ita ventriculis non obstructis, efficere posse, supra, ut & in Institut. dictum. Licet verò nervi optici non ex medio basis cerebri, parte anteriore, oriantur, ut antiqui crediderunt, sed revera, si capite inverso, Varoliano modo, sectio administratur, ex principio truncorum priorum spinalis medullæ; tamen eo in loco est eorum exortus, ut à causa apoplexiæ excitante simul seu comprimi, seu obstrui possint. Et sit sanè in nervos opticos influxus liber, tamen cum actio sensuum externorum non absolvatur in suis organis, sed sensus internos concurrere necessarium sit; si illi laborant, neque visus, neque alius sensus perfici potest; & quamvis oculi speciem visibilem percipiunt; tamen nisi facultas princeps concurrat; nulla sit visio, ut alibi monstravi.

Tandem id aliquem dubium reddere possit, quod in Apoplexia sensus communis, phantasia, & cæteræ actiones principes etiam rectè se se non habent.

Est enim influxus spirituum animalium in organa sensuum externorum & motus prohibetur: quia tamen cerebrum salvum est, & spiritus animales in eo; causa nulla esse videtur, cur non & actiones hæ, & facultate & organis rectè se se habentibus, fieri debeant. Verum nec istud nos de nostra sententia dimovet: Causas enim, cur principio nervorum affecto in Apoplexia sensus etiam interni lædantur, in Institution. lib. 2. part. 3. sect. 2. cap. 6. easque tres, proposuimus. Prima est, quod spiritibus animalibus motu, qui ipsis est perpetuus, denegato, eos quasi suffocari necesse sit. Cum enim spiritus animales non tardè, sicut humores, generentur, sed in perpetua generatione sint, & hinc etiam in perpetuo motu: si canales, per quos in totum corpus distribui debent, ocludantur, eos in cerebro detineri quasi concentrari, atque ita ad actiones sensuum internorum edendos ineptos fieri, necesse est; præcipuè cum spiritus vitales assidua copia largiori ipsis permisceantur, indeoque non tantum illorum generationem interturbetur, sed & generatorum actiones confundantur. Apparet hujus rei exemplum in corde, in quo si spiritus concentrentur, nec liberè in corpus diffundantur, actiones corporis læduntur. Secundò, membro una ex parte saltem læso totam ejus œconomiam turbari necesse est, ut epilepsiæ exemplò id manifestum est, & cerebri commotio ac percussiones docebunt. Tertio, cum cerebrum ita graviter affectum spirituum animalium generationi non sufficiat, mirum non est, actio-

actiones etiam internas turbari. Si enim in iis, quibus cerebrum pituita repletum est, & discursus & memoria laborat: quid nisi in Apoplexia, cerebro tam graviter affecto, omnes actiones aboleri queant? Ut enim causæ, sic effectus magnitudine differunt.

QUÆSTIO III.

An à vapore narcotico fiat Apoplexia?

Cum supra inter causas Apoplexiæ etiam vim narcoticam recensuerimus, de ea verò non omnium eadem sit sententia; aliquid de eo dicendum est. Et quidem à recentioribus quibusdam hæc pro sola causa ponitur, ut ex Quercetano, in *Terrade*, videre est; vapor scilicet, seu nebulosa exhalatio in cerebrum elevata. Quam causam equidem libenter, sed non solam, admittimus, ut supra, & in Institut. dictum. Hoc saltem hic addimus, etsi Quercetanus & alii in natura hujus vaporis definienda laborant: vix tamen commodius illam explicari posse, quam si dicatur, eam vim narcoticam spiritus animales seu stupefaciendi, seu congelandi, & in aliam quasi naturam vertendi potentiam habere. Narcotica enim spiritus quasi ligant, stupefaciunt & sopiunt, ac sensui ac motui maximè obfunt. Atque tales humores & vapores in corpore nostro generari, impossibile non est; cum constet, soporem, carum, & similes somnolentos af-

fectus, ex humoribus in corpore genitis provenire, quorum causæ frustra ex sola frigiditate deducuntur. Atque hinc fit, ut, etiamsi Apoplexia in paralytin desinat: tamen raro in ejusmodi hominibus ratiocinatio & memoria ad pristinum planè vigorem redeant, sed hebetes ac torpida illa actiones, præcipuè in senio confectis, deinceps relinquuntur; quod accidit non tam quod frigida & humida intemperies, quàm quod à narcotico vapore mala & torpida talis *Algeros* cerebro imprimitur. Idque multò minus accidere posset, si ab alia causa extra cerebrum, & citra spirituum animalium vitium, Apoplexia generaretur. Et quamvis narcotica plerumque soporosos saltem affectus inducant: tamen impossibile non est, si eorum vis sit major, quin ipsam Apoplexiam inducere possint. Imò lethargus & carus sæpe in Apoplexiam degenerant, ut experientia testatur; unde causas eas habere communes necessum est, ut magnæ etiam Medici dubitaverunt, quomodo hi affectus differant. Et ex vini & spiritus ejus potu nimio Apoplexiam excitari, supra dictum, atque ebrios à *Pluvius* interdum fieri, testatur Hippocrates, §. *Aphor. 5.*

Qui vero aliter naturam hujus vaporis explicare conantur, iis id quidem per melicet; an verò commodius id faciant, dubito. Quercetanus, in *Terrade*, ad Spiritum vitriolarum, congelandi, coagulandi, cōstringēdi & coarctandi vim

habentem, qui nebulosas exhalationes in cerebrum evectas subito in glaciem & gelu quasi convertat, generationem Apoplexiæ refert. Verum enim verò dicit ista, sed non probat; &, quomodo in corpore vivente & actu calente talis vaporum in glaciem quasi & gelu conversio fieri possit, non video, neq; id in Anatomia eorum, qui Apoplexia extincti sunt, deprehenditur. Et qui effectus opii & aliorum narcoticorum cum vitrioli acfiditate contulerit, simulque cum his Apoplexiæ symptomata comparaverit, facile animadvertet, stuporem, & reliqua symptomata, quæ in Apoplexia & cognatis soporosis affectibus contingunt, rectius ad vaporem narcoticum, quam ad vitriolatum, acidum, & constringentem referri posse; imprimis cum acida vim narcoticorum infringant.

Si quis tamen Quercetani sententiam mitius interpretari, & statueret velit, vel à cerebri dispositione peculiari, vel à vaporibus quibusdã seu narcoticis, seu coagulantibus spiritus animales à natura sua deijci & mutari, & quasi acquiescere, & à spirituosa natura in crassam & aqueam quasi mutari, & ad actiones animales ineptos reddi, ille non multum diverſi dixerit, & contra me non pugnaverit. Refert Faventius, *lib. 7. annal. ex historia Bavarica*, An. 1548. ex terræ motu plures quàm 30. rusticos ita mulgentes cum vaccis extinctos riguisse & corpora in salinas quasi statuas redacta. Et quomodo à fulmine vinum interdum vasis quasi coaguletur, non ignotum. Quidni ergo talis spiritus in corpore generari possit, qui cum ante.

quietus latuisset, vel ira, vel terrore, vel alia causa agitur & motus, instar venenorum subito in actum erumpat, & spiritus animales à natura sua mutet & quasi conguet? Quid carbonum fumus possit, & quomodo homines attonitos subito reddat, non ignotum est, & collegit ejus rei exempla Marcell. Donatus *de histor. medic. mirab. lib. 2. cap. 12.* Idem calcei vapores præstant: refert que Valerius Maximus, *lib. 9. cap. 2.* Quintum Catullum à Mario propter publicas dissensiones mori jussum, recentem calce illito, multoque igne per calefacto cubiculo se inclusum peremisse. Ita etiam musti & cerevisiæ recentis ferventis vaporem homines subito, quasi attonitos, concidere, & quandoque mortuos fuisse, omnibus notissimum est.

Cujus rei etiam alii alias causas reddant: maximè tamen veritati consentaneum est, vapores illos, seu fumos è carbonibus accensis, musto & cerevisia exhalantes aëri permisceri, & sic cū spiritu, quem ducimus, attrahi, atq; ad cerebrum penetrare, ibique spiritibus animalibus misceri, & eos à natura sua immutare, & ad officium suum ineptos reddere. Nam quod nonnulli putant, idem ex hac causa attonitos concidere, quod in iis, quibus cerebrum excrementiis humiditatibus scætet, eam ab hac causa fundantur, quæ fusæ obstruendo postea Apoplexiæ causa sint, verò consentaneum non est. Nam vapores hi in omnibus, non tantum in iis, quorum cerebrum vitiosis humoribus repletum est, idem præstant. Nec humorum forum indicia in iis satis apparent.

Si

Si quis tamen à sola vi narcotica Apoplexiam excitari credere nolir, cum eo quidem non litigabo. Interea hoc vero consentaneum est, quod ille ipse humor, qui angustia in cerebro caussa est, simul talem vim narcoticam obtineat; ut ex pertinaci illa paralyfi, & mentis ac memoriae læsione, quæ apoplexiam sequitur, patet, ut antea dictum. Et forsitan hoc etiam in caussa est, quod pueri rarius Apoplexia corripiuntur. Et si enim non nego, id etiam ideo fieri, quia facultas expultrix in iis fortiori non facile permittit pituitam copiosam coacervari; tamen & hoc probabile, in pueris humores tales narcotica vi præditos non generari, sed in ætate senili præcipue accidere; unde etiam senibus Apoplexia familiarior est.

Henningus Scheunemannus, *Med. resor. cap. 3.* è Mercur. ceramose seu destillato Apoplexiam deducit, & exemplo fulminis rem explicat. Sicut videlicet fulmen sacculis illæsis nummos conflat, aut vagina illæsa ens liquat, integra cute ossa comminuit: ita & Mercur. destillatum in unam massam cogere & colliquare cerebrum & pulmones, haud aliter, ac si cera essent. Verum portentosa illa opinio refutata est. *de Consens. ac dissens. Chymic. cum Galen. cap. 16.*

QUÆSTIO IV.

An Aqua Apoplectica statim in principio conveniant?

Et si apud Antiquos, ut & Practicos

posteriores plurimos, nulla istarum aquarum fiat mentio: tamen hodie in Germania notissima & frequentissima sunt, nihilque eis cum in præcavendis, tum in curanda apoplexia est ut status. Et res ipsa loquitur, ob summam, quam habent, vim penetrandi præsentissimum sæpe afferre auxilium. Quæritur tamen, an in omni Apoplexia, & mox in principio, nec venæ sectione, nec corporis purgatione aliqua præmissa, tum, & sine alicujus incommodi metu, usurpari possint. Ex hoc dubio nos expediamus, sciendum, istas aquas insignem vim habere, vapores illos apoplexiam excitantes, humoresq; frigidos discutiendi & dissolvendi, calorem nativum & facultatem sopitam excitandi, cerebrum roborandi, & spiritus animales à natura sua quasi degenerantes conservandi, & in pristinum statum reducendi. Præterea in minima quantitate maximam vim obtinent, & totum corpus facile ac subito penetrant. Ac proinde apoplecticis, qui ferè nihil deglutite valent, commodæ sunt, & commodissime exhibentur iis, qui à vaporibus illis narcoticis, & spirituum animalium vitio, aut pituita sine sanguinis permissione apoplexia laborant, corporis constitutione frigida præditi, aut in senectute constituti sunt, in quibus nullus metus est; ut humorum aliquis imperus & fluxus ad caput concitetur. Sin autem à sanguine Apoplexia ortum habeat, vel alii etiam humores sanguiniam permisti abundant, non satis tutus usus harum aquarum mox in principio; cum humores fundant,

caput repleant, & hoc modo morbum augeant.

QUÆSTIO V.

An Purgantia sint exhibenda in Apoplexia?

Purgantia an in Apoplexia exhibenda.

De Purgatione in Apoplexia instituenda duas difficultates objicit Petrus Salius Diversus, in annotat. in Alimmar. cap. 19. Unam; an stante cruditate pharmacum exhibere liceat, contra præceptum Hippocratis & Galeni: alteram; quomodo medicamentum, licet intra fauces ponatur, possit in ventrem descendere; cum Apoplectici sint toto corpore resoluti, atque ideo facultate deglutendi careant. Ac proinde in cassum credit exhiberi purgantia, nisi in declinatione morbi id fiat.

Verum ptiorem difficultatem quod attinet, nullam hic propriè dictâ cruditatem, & quæ prohibere possit purgationem, ac de qua Hippocrates & Galenus, cum cruda purgare prohibent, loquuntur, adesse facile patet, si ea quæ, Institut. libr. 5. part. 2. sect. 1. cap. 6. & 7. dicta sunt, perpendantur. Ideoq; humor hic statim purgantibus tolli potest. Si tamen crassus sit non nihil, ut præparatione aliqua indigere videatur, attenuantia purgantibus admisceri possunt. Ut verò soli præparationi opera detur, morbi magnitudo, & præsens, quod summo opere urget, periculum prohibet. Facile enim fieri posset, si tempus in humore præparando consumatur, ut interim ob materiam ipsam caput affligentem homo de vita peti cliretur.

Et omnino in paroxysmo hujus morbi magis periculi metuendum à copia materię peccantis, quam ejus aliqua crassitie. Si tamen morbum inducias dare animadvertatur, & is aliquo modo minuatur, aut saltem in præceptum periculum non labatur; humores præparare & attenuare convenientibus medicamentis licet: quæ tamen præparatio propriè cœctio non est.

Altera difficultas non est de nihilo, & verum est, communia illa medicamenta purgantia in principio statim vix exhiberi posse, & ut Hercules Saxonia ait; si in his casibus præbeatis aliquod medicamentum commune, suffocabitis ægros. Ergo tum demum, cum post venæ sectionem & alia adhibita medicamenta æger iterum aliquid deglutire potest, exhibenda ista vulgaria medicamenta. Si verò in principio statim aliquid exhibere libet, validum sit illud, & in exigua, quantum fieri potest, quantitate: qualia fieri possunt è trochiscis alhandal. dyagrid. extract. scammom. Antimonium equidem, ut & Mercur. ob exiguam molem hic satis comoda essent, sed an exhibenda sint, è sequenti quæstione patebit.

QUÆSTIO VI.

An Vomitoria in paroxysmo apoplectico sint exhibenda?

Avicennas, Paulus Ægineta, Aë-An vomitioria apoplectici exhibenda. & alii vomitum provocare jubent, penna oleo imbuta, & in fauces immissa.

missa. Sed cum Apoplecticus motu sit destitutus ac conatum illum, qui ad vehementem istam excretionem est necessarius, adjuvare non queat; metus est, ne diaphragmate & thorace vehementius compresso, spiritusque vitis arctius astrictis, suffocatio acceleretur. Ac proinde verisimile est, Autores illos vomitum præcepisse in progressu morbi, quando evacuationes universales jam præmissæ sunt, & æger paulatim restitutus conatum illum adjuvare potest, atque ad vomitum promptus est. Nam mox ante evacuationem, repleto corpore & capite, vomitum non profuisse, compertum est; quale exemplum etiam habet Forestus, *lib. 10. in schol. observ. 76.*

QUÆSTIO VII.

An Repellentia in Apoplexia convenient?

Repellentia in Apoplexia Rhales proponit. Medicorum nullus iis utitur, inquit Leonhart. Jacchinus & Paulus, Avicennas, & Medicinalii hoc auxilium prætermittunt: Putat tamen Massarias, si Galeni doctrinam sequamur, qui docet, materiam, qualisunque ea fuerit, fluentem à capite repellendam esse, utiq; negandum non esse omnino, quod repellentia quoque possint convenire. Verum enim verò et si inter auxilia, quibus materia ad caput præter naturam fluens ab eo avertitur, etiam repellentia à Galeno pro-

ponantur: tamen non ibi docet, quod simpliciter in omnibus affectibus capitis, ut & aliarum partium, illa omnia semper sint adhibenda; sed satis est, si nunc hæc, nunc illa usurpentur: & repellentia tum locum suum habent, ubi cum fructu, & sine omni incommodo, materia ad caput fluens per ea à capite averti potest; quod in omni apoplexia fieri non potest. In pituitosa enim Apoplexia nullum locum habent repellentia; ut & in ea, quæ fit à vapore narcotico: cum causæ in ea apoplexia repellentium usu à cerebro averti non possint, sed magis cerebro impingantur, & ad dissolvendum ineptæ reddantur. In apoplexia tamen sanguinea, si caput admodum æstuarè videatur, repellentia planè rejicienda non videntur. Et si enim morbus mox ad statum perveniat: tamen ut difficilius angustia cerebri tollatur, sanguis magis magisque affluens facere potest. Ideoq; ejus affluxus principaliter quidem repellentibus, atque imprimis venæ sectione, inhibendus. Post venæ sectionem verò repellentia planè rejicienda non sunt. Cautè tamen iis utendum, ne materiam, quæ in superficie est, intro pellant. Ideo adstringentia non sint, sed sufficiunt oxyrhodyna ex ol. rosarum & aceto, vel ol. & aceto. Ubi tamen suspicio humoris pituitosi admixti ad est, satius est, omissis repellentibus in revulsoriis subsidiis consistere.

CAPUT XXXIV.

De Catarrho & Cerebri Excrementis retentis.

HAecenus symptomata recensuimus, quæ cerebro accidunt, quatenus functionum animalium principium, & loco moyentis facultatis organum est. Nunc, priusquam ad externorum sensuum accedamus vitia, illud adhuc symptomatū genus, quod cerebro accidit, non quatenus animalis, sed & facultatis naturalis instrumentum est, Excretorum scilicet & Retentorum vitium, quod multorum aliorum in universo corpore malorum fons & principium existit, explicandum. Est illud, dum excrementa cerebri vel in eo, vel circa illud detinentur, & non debito modo evacuantur, vel in cerebro copiosius cumulata in alias subjectas partes defluunt. Ideoq; hic in genere quædam de excrementis cerebri dicenda, imprimis qualis sit illorum materia, à quibus caussis procreentur, per quæ loca evacuentur, & quas denique præter naturam affectiones suo in varias partes decubitu efficiant.

Excrementorum cerebri materia qualis sit?

I. Cerebrum cum peculiarem substantiam & *παρέγχυμα* habeat, quod non solum ipsum nutritur, sed & in quo spiritus animalis generatur: in eo etiam quædam excrementa generantur; sed illa pauca, quæ in sanis per nares & palatum evacuantur. Excrementa autem illa pituitosa sunt, frigida & humida, sicuti ipsius cerebri intemperies ad frigidum & humidum de-

clinat. Et pituitosa quidem in sanis pura, ut & in ægris nonnunquam, interdum verò cum aliis humoribus mixta, frequentius cum bile, rarius cum humore melancholico. Sic Plato scribit, in *Timeo*, quod Galenus, 8. de *plac. Hippocrat. & Platon. cap. 5.* repetit, pituitam acidam & salam esse fontem omnium morborum, qui *κατὰ πινος* sunt, aut à destillatione ortum habent. Præterea sunt excrementa illa *ουδός* sua plerumque tenuia & acria, nonnunquam crassa, accedente utrobique lentore. Quod ad cæteras qualitates, maxima ex parte sunt frigida, interdum de caliditate aliquid participant; quædam item dulcia, vel insipida sunt, quædam salsa, acria, aut amara, sive per adustionem talia sint facta, sive per putredinem, sive per admistionem feri aut bilis, quædam acida, summè cruda, aliasq; qualitates habent, prout ex corruptis humoribus genita sunt, aut ex cibo potu ve resoluta, iterumq; in liquorem densata. Sed fere principio pituita est tenuior; ubi diutius in corpore hæret, sensim calore crassescit, ut ex tenui & aqua primùm lenta & mucosa fiat, postea vitrea, tandem gypsea.

II. De caussis excrementa in cerebro gignentibus & cumulantibus sciendum est, cerebrum, veluti tectum fumosa domui impositum, assiduè excipere halitus & vapores ex imis in variis coctionibus sursum elevatos, tū per patentes vias venarum, arteriarum, ventriculi, gulæ, trachææ; tum per occulta spiracula, quæ in viventibus semper hiant, à spiritu & calore referata.

Ea

Excrementa cerebri à quibus caussis generentur?

Ea enim est halituum & vaporum natura, ut continuè sua levitate sursum ferantur, donec vel dissipentur in itinere, vel in cerebrum ingredientibus, ibique condensati, & in liquorem coacti inde delabantur, propemodum ut nubes & pluvix ex terræ halitibus reciproco moru generari solent. Neque solum excipit vapores cerebrum, ut limbes corporis superioris extremus, sed, si immoderatiore calore præditum sit, hujus vi plurimum quoque ex universo corpore attrahit. Quò etiam faciunt meditationes intensiores & frequentiores, quibus cum spiritus animales absumentur, vitales multo iis reficiendis suppeditari necesse est, cum quibus humores & vapores, qui in corpore abundant, faciliè in caput rapiuntur. Quod si præterea ex inferioribus membris aliquod, eparimprimis, dystrasia calida laberet, non tantùm sanguinem adustum ad caput mittit, per totam venarum ambitum, præcipuè verò per venas jugulares externas & internas, sed simul etiam caput calidorum halituum copia replet, quos cerebrum discutere nequit.

Accedit & hæc causa, quod cerebrum & medullæ substantia ampla in homine per se multo indiget alimento, à quo multùm etiam excrementorum gigni, faciliè est intelligere.

Si denique cerebrum sua natura frigidius humidiusq; sit, ac debiliter & imperfectè nutrimentum suum concoquat, aut si à quacunque alia causa copia crudorum halituum obruatur, accedente otiosa vita & victus intem-

perantia, magnum ex his causis excrementorum in cerebro proventum existere, necesse est.

III. Quoad locum excrementorum cerebri, ille plerumque extra vasa Excrementa cerebri per qua loca evacuantur continetur. Nam de sanguine, qui in vasis intra cranium ultra mensuram abundat, ut phrenitidis, apoplexiæ, anginx, parotidum, aut tumorum aliorum calidorum in capite autor est, in præsentia nihil dicemus. Extra vasa autem excrementa illa (crassiora scilicet, Nam tenuia per suturas cranii exeunt) vel intra cranium, vel extra hoc continentur. Quæ intra cranium in cerebri ventriculis, anfractibus, poris substantiæ ejusdem, & circa meninges consistunt, ea, si copia modum excedunt, maxima sui parte in palatum decumbunt, per vias ad hunc usum destinatas: reliqua per foramina secundi paris nervorum cerebri, ut Vesalius docet, ad oculorum radicem feruntur, unde per amplum quoddam foramen, & minora alia in narium capacitatem corrivantur. Si immoderatius abundant, per sinus organorum olfactus, & per os ἡδμοειδές, aliquid etiam in nares expurgatur, via non naturali nec legitima, ut in coryza sive gravedine contingere solet. Docetq; Galenus, 8, de usu part. cap. 6. in fanis non necessariò pituitam per nares excerni, sed sufficere expurgando cerebro illos canales, quæ glandula pituitaria in os desinunt, usumq; proprium narium esse, odores excipere, & respiracioni inservire, pituitam verò effundi per narium meatus exusu abundante. Quæ extra crani-

cranium, sub cute præsertim verticis, cumulantur, ea vel ex ramulis jugularium externarum per faciem & tempora sursum sparsis, & in cutem deficientibus resudant, vel ex halitibus per illas venas effumantibus concresecunt. Nam hæ venæ omne supervacaneum in cutem effundit, quod ibi retentum accessione novorum halituum assidue augetur, & in liquorem cogitur, qui sæpe cutem à cranio divulsam in tumorem satis manifestum, instar ceræ mollem, attollit, interdum putredine accedente achores, aliosq; tumores & pustulas in capite parit.

Quæ pr. n. affectiones ab excrementis cerebri gignantur?

IV. Quod ad affectiones præternaturam, quæ ab excrementis cerebri gignuntur; excrementa illa, quæ intra cranium concervantur, in corporis partes internas magna ex parte præcipitantur. Atque si materia ad ventriculos cerebri expressa membranas cerebri investientes vellicet, epilepsiam; si ad basin cerebri & principium nervorum delabatur, apoplexiam; si ad spinalem medullam & nervos detrudatur, stuporem, paralytin, tremorem, & convulsionem gignit. Quæ verò ad anteriores capitis partes fertur, si ad nates confluat, gravedinem, aut odoratus læsionem; si ad oculos, cœcitatem; si ad aures, tinnitum aut sordiditatem affert. Quod denique per os delabatur, si in fauces procumbat, Catarrhum propriè dictum; si in columellam, *sc. quæritur*, hoc est, ut vè speciè apparentem, in dependente illa tumorem; si in musculos laryngis, anginam; si in trachæam arteriam,

branchum; si in pulmones, tussim, asthma, dyspnoeam omnem, sputum sanguinis, phthisin; si in thoracis cavitate, empyema; si in ventriculum, *ἀποψιαν*, lienteriam, vomitum; si ex ventriculo porro in intestina effundatur, diarrhœam; si ex intestinis in epa: sese insinuet, obstructions hujus, aliorumq; viscerum efficit. Neque solum per parentes hæc vias materia à cerebro defluit, sed nonnunquam tantùm per latentes, cujusmodi potissimum sunt venæ & arteriæ. Quæ enim tenuis & acris materia est, primò latasive amplas, mox angustas quoque venas ingreditur, atque ita per universum corpus distribuitur. Quæ verò crassa est, in amplioribus venis detenta, eas obstruit; unde putredo & febres, veldiaræ, vel putridæ excitantur.

Descendit aliquando etiam materia à capite per arterias ad oculos; unde diurna & acris fluxione illi infestantur, à qua vix sanari possunt, nisi arteriæ dissecantur, ut Galenus, 13. *method. mod. cap. ult.* scribit.

Cæterùm quæ excrementa cerebri extra cranium, sub cute potissimum verticis, congeruntur, in externas ferè corporis partes diffunduntur: quæ scilicet aut ob situs oportunitatem, aut ob imbecillitatem, excipiendæ fluxioni magis aptæ sunt, ut in oculorum partes externas; unde lachrymarum fluxus & tumores præternaturam existunt, in maxillas, in dentes, in cervicem, in scapulas, in brachia, in latera, in dorsum, in coxendicem, in crura, in om-

ness

omnes demique articulos. Atque ita externa hæc destillatio omnis arthritidis, (an recte, suo loco dicitur) omnimodè ferè doloris externi, qui sine tumore manifesto est, causa à Fernelio statuitur. Etsi autem cranii interventu hi fluxionum, internæ scilicet & externæ, fontes distinguuntur: tamen inter se communicantur per venas & arterias, & per poros membranarum, ut ab internis semper aliquid penetret ad externa, & ab his vicissim intra cranium quædam subeant. Ut ita verum sit, quod Hippocrates, *lib. de princip.* scripsit; ὁ ἐγκέφαλος ἐστὶν μετρόπολις τοῦ ψυχροῦ καὶ τοῦ κολλώδους: *Cerebrum est metropolis frigidi glutinosi seu pituitosi humoris.* Caputque multum ad feri in totum corpus distributionem facit. Cum enim extra & intra caput venæ & arteriæ multæ, in quibus etiam serum multum continetur, perrepent, sanguis quidem in nutrimentum capitis absorbitur, serum autem cum ad nutriendum ineptum sit, neque tamen per vias, per quas ad caput pervenit, recurrere, neque ob cranii densitatem sensibilibiter exsudare, neque etiam insensibilibiter ob calorem illarum partium debiliorem discuti possit, eò loci cumulat; & cum pondere suo natura deorsum tendat, & in loco declivi hæreat, faciliè à capite secundùm ductum membranarum & nervorum in inferiores corporis partes descendit. Quæ autem in genere de fluxionibus istis è capite curandis dici possunt, faciliè ex iis, quæ supra, *part. 1. de Intemperiebus capitis cum materia*, diximus, patent, & ex iis

etiam, quæ jam de Catarrho dicemus, patebunt.

Postquam hæc in genere de excrementis cerebri diximus, jam de Catarrho in specie dicemus. Sunt enim symptomata in excretis hic duo: cum scilicet excrementa illa copiosius, quàm debent, excernuntur, quod symptoma in genere Catarrhus appellatur: vel cum detinentur; de quibus jam in specie agemus, & primò de Catarrho.

De Catarrho.

Duo præcipuè vocabula occurrunt, quibus motus humorum præter naturam in corpore nostro exprimentur. Generalissimum est ῥῥμα & ῥῥμασις, fluxus seu fluxio, quæ vox omnem motum cujuscunque humoris è quacunque in quamcunque partem nostri corporis significat. Κατάρρσις verò, κατάρρσις, & κατάρρσις, Celso destillatio, (male enim Argenterium, in *comm. ad aphor. 4. lib. 2.* scripsisse, Latinos non habere proprium vocabulum, quo Catarrhi nomen expriment, ex Plinio, *lib. 19. cap. 6. & libr. 23. cap. 8.* patet.) Græcis etiam aliàs καταρρσις tantùm humoris supervacanei è capite, & præcipuè cerebro, in alias partes prolapsum & defluxum significat.

Avicennas tamen, ejusq; interpretes, & superioribus sæculis alii Arabes secuti, hæc vocabula confuderunt. Unde, *lib. 3. Fen. 2. tr. 11. cap. 11.* anginam, pleuritidem, & peripneumoniam à Catarrho fieri, Avicennas scripsit.

Catarrhus

Catarrhi nomen rursus tripliciter sumitur, vel generalissimè, pro quacunque humoris in partem corporis quamcunque fluxione. Ita 3. aphor. 12. Catarrhi vox tribuitur fluxionibus per venas & arterias ad pectus & cor, ut ex Hippocrate, *libr. de aere, aquis & locis* patet. Ita *κατάρρως* defluxio in spinalem medullam nominatur, in *Conc. praxion.* Sic Catarrhi ad dentes, ad oculos ad aures, ad nervos & ad musculos ac inania membrorum spatia, unde dolores varii oriuntur, fieri dicuntur.

Deinde Catarrhi nomen strictius quidem, sed generaliter adhuc sumitur de fluxione humoris è cerebro in palatum, ac os & nares. Specialissimè verò Catarrhus est defluxio humoris è cerebro in palatum, os, ac pulmones. Atque ita Catarrhi vox generaliter accepta tribus fluxionibus tribuitur, Catarrho in specie dicto, Brancho, & Coryza. Hoc autem loco Medici non de Catarrho generalissimè accepto, seu de omnibus, quæ à cerebro & capitis vasibus ad alias tum remotas, tum vicinas partes fieri possunt, fluxionibus, de quibus antea in genere diximus, sed de Catarrho in posterioribus duabus significationibus accepto agere solent. Quos & nos imitabimur. Interdum tamen & quædam immiscebimus, è quibus & aliarum è capite fluxionum generatio innotescere possit.

Catarrhus
specialiter
acceptus
quid sit?

In specie enim Catarrhus est defluxio humoris à capite in palatum, os ac pulmones, teste Galeno, 3. de *Sympt. caus.* cap. 4. & 2. *Prognost. rex.* 64. & in *comment.* 12. *Aphor. lib.* 3. ubi scribit:

(ita enim legendum; cum locum hunc Leoniceus & Altimarus malè vertent) *Per hæc verba videtur Hippocrates significare, non qui maximè consueto more catarrhi dicuntur, qui ex capite per asperam arteriam in pulmonem, sed omnes, quæ à capite per venas deferuntur, fluxiones ad partes inferiores.* Branchus verò est excrementorum è capite in fauces destillatio, cum vocis obscuritate & raucedine. Coryza verò, sic ut posteriores Græci hoc vocabulo usi sunt, est ejusdem humoris in nares defluxus. Latinis Gravedo dicitur, quod in parte corporis anteriore circa frontem sensus quidam gravitatis percipitur, ut oculi vix attolli queant. Hippocrates tamen Coryzæ vocabulum olim generalius usurpavit.

Verum etsi usus ita obtinuerit, ut Catarrhus in specie dictus à Brancho ita distinguatur, quod in Brancho præcipuè catarrhus ad vocis instrumenta decumbit; tamen utrobique ex eodem cerebri loco, & in os humor defluit, ac præterea nonnumquam etiam in ventriculum catarrhus delabitur, qui tamen peculiarem appellationem non accepit.

Est igitur Catarrhus, ut quidem hoc *Catarrhus* loco de eo agimus, in genere sympto-^{generaliter}ma præter naturam excretorum è cerebro, ut ex Galeno, 3. de *symptom. caus.* ^{& sic iustè sumitur} cap. 4. patet, seu humoris excrementi-^{quid sit?}tii fluxus præter naturam è cerebro in partes inferiores.

In specie verò, ejusdem humoris è cerebro ad palatum, os & pulmones defluxus, factus expultrice cerebri

bria de ea, quæ sibi molesta sunt, expellenda stimulat. Neque enim secundum naturam iis, qui optima valetudine fruuntur, ejusmodi materia destillat, sed exigua saltem salivæ aut mucii pars interdum per os aut nares detruditur. Afficitur autem hic primò cerebri, sicut ex eodem Galeni loco constat. Quale enim *πύδι* in ventriculo diarrhœa est, orta ex *δυσπεψία*, sive mala & imperfecta ejus coctione tale in cerebro est Catarrhus & Coryza.

Causse.

Proxima Catarrhi causa. Proxima nimirum Catarrhi causa est humor, seu quantitate seu qualitate facultatem cerebri expultricem ad expellendum stimulans. Ut autem generatio & natura Catarrhi recte explicetur, cum materia, tum efficientes causse considerandæ sunt: seu, quod in omni fluxione necessarium est, consideranda materia seu mobile, movens terminus à quo, seu locus, unde suppeditatur materia, locus per quem, & terminus ad quem. Ideoque dicendum de Catarrhi materia, ubi ea generetur, quibus de causis, unde moveatur, ad quas partes fluat, & per quas vias fluat.

Materia Catarrhi qualis sit? Materia Catarrhi est humor excrementitius, cui pituitæ nomen vulgò tribuitur. Licet enim excrementitii hujus humoris pro alimenti & humorum ac vaporum, qui à partibus inferioribus ac caput mittuntur, diversitate magna sit diversitas dum interdum nulla insigni qualitate præditus est, & saltem copia peccare videtur, nonnquam etiam alienam qualitatem habet,

& frigidus est, vel calidus, acidus, salisus, acris, malè coloratus, nonnquam etiam corruptus & substantiæ peccans; unde Catarrhi epidemii & contagiosi ortum habent, ut infra de differentiis dicitur; tamen omnis ille humor excrementitius de capite destillans pituita nominatur; cum peculiarem alterationem in capite à cerebro accipiat. Ut enim aliæ partes, sic & cerebrum, habent innatam & propriam vim, non solum assumptum alimentum coquendi & assimilandi, sed & excrementa peculiari modo alterandi & elaborandi.

Colligitur autem humor iste in capite & cerebro, quod ob id, ut dictum ab Hippocrate, *libr. de princip.* (aliis de *catarrhibus* inscribitur) pituitæ metropoliis appellatur. *vbi, & qui bo de causis Catarrhi materia genere- tur?*

Cæterum Catarrhi materiam alia gignunt, & suppeditant, alia movent & ad fluxum impellunt. Gignitur & colligitur materia in capite, vel ipsius cerebri, vel partium inferiorum vitio; seu generatur materia in capite vel læsa facultate cerebri coctrice, ob morbum, vel frustrata ob errorè externum, dum scilicet aut nimia copia alimenti cerebro offertur, aut id alienis qualitatibus infectum actioni ejus resistit.

Cerebrum materiam Catarrhi suppeditat, & gignit, cum ob debilitatem nutrimentum non bene concoquit, & ita multa excrementa gignit; & cum vapores in caput ascendentes non resolvit ac discutit. Idque accidit ob frigidam imprimis cerebri intemperiem, præcipuè si humiditas concurrat. Et pro materiæ dispositione nunc excrementum

pituitosum, insipidum, & subdulce parit; nunc acidum. Atque huc facit ætas senilis, æt̄ frigidus & humidus, pluviosus, hyems, quo tempore cum pituita abundet, etiam Catarrhi sunt frequentiores, somnus nimius ac longus, & in loco humido ac subterraneo, diurnus item, pedum refrigeratio. Calidum verò & siccum cerebrum, etiam si, *in arte medica, cap. 18.* excrementis carere dicatur; tamen id de cerebro intra sanitatis limites constituto accipiendum est. Si verò intemperatum sit, alio modo ad Catarrhos generandos facit, dum scilicet copiosius ab inferioribus attrahit Catarrho materiam.

Non verò semper cerebri & capitis vitio materia catarrhi principaliter colligitur, sed sæpe etiam partium inferiorum culpa, puta ventriculi, epatis, lienis, venarum mesaraicarum, uteri, imò & nonnunquam totius venosi generis: quæ partes cum vitiosos humores cumulant, non solum multi vapores ab iis ad caput ascendunt, sed & ipsi vitiosi humores ad caput feruntur & protruduntur, atque ab illo rursum ad subjectas partes descendunt & defluunt. Unde frustra sæpe in catarrhis avertendis ad caput solum respicitur; cum fons mali, unde catarrhus gignitur, in partibus longè remotis hæreat, ventriculo puta, epate, liene, utero. Magis tamen catarrhis obnoxii sunt, qui cerebrum debile habent. Illud enim humores & vapores ex partibus inferioribus facile admittit. Cerebrum verò robustius vel non admittit, vel facile discutit. Atque ad hoc

causæ genus pertinent omnia, quæ ad vitiosorum humorum in ventriculo & partibus aliis inferioribus generationem & collectionem faciunt, ut crapula, ebrietas, victus ratio humida, cibi à quibus multi vapores ad caput attolluntur & difficulter coquantur, & ob quos ventriculus non clauditur, ut & alia omnia, quæ in aliis partibus inferioribus humores vitiosos generant.

Ea enim ipsa materia, quæ à partibus inferioribus suppeditatur, atque in cerebro & capite colligitur, non solum ex eo per internas vias & intra cranium in partes subjectas delabitur; sed & excrementitii humores in externis partibus colliguntur, maximè sub cute verticis, quò venarum per faciem & tempora caput irrepentium extrema defluunt. Nam quoties hæ vel sero, vel alio humore excrementitio turgent, supervacanea sub cutem effunduntur, & in externas corporis partes feruntur, non tantum intra cutem & carnem, sed etiam per continuitatem musculorum, membranarum, nervorum, per venas, arterias, atque in oculos, in dentes, in maxillas, in cervicem, in scapulas, in brachia, in latera, in dorsum & lumbos, in coxendicem, in crura, & alias partes externas influunt, ut supra etiam dictum: unde dolores in variis partibus excitantur; quandoq; & tumores. Atq; hinc Fernelius, *lib. 5. de part. morb. & sympt. cap. 4.* distillationem seu catarrhum in genere dictum dividit in Internum & Externum.

Materiam verò in cerebro seu ejus vitio ibi genitam, seu aliunde transmissam *Vnde mor- veatur materia Catarrhi.*

fam, commovent, & ad motum, acut in partes subjectas defluat, impellunt, primò expultrix cerebri irritata à materia vel copia, vel qualitate, vel utraque. Dum enim plushumoris excrementitii in cerebro collectum est, quam ut à natura sensim & quotidie per consuetas vias evacuari possit, id ejus copia gravatum, & se exonerare cupiens, cōfertim ad partes inferiores eum protrudit. Idem facit, dum ejus salsedine, a credine, vel corruptione stimulat.

Deinde commovent materiam in capite congestam causã frigefacientes, ut aër frigidus, venti boreales, medicamenta frigida capiti applicata; id quod & experientia testatur, quacunque etiam vi id præstent. Vulgata equidem opinio est, frigus comprimendo & constituendo cerebrum id præstare. In dubium tamen id vocat Mercatus, *libr. 2. Prax. cap. 1.* qui impossibile existimat, ut cerebrum in animali vivente tantam possit sustinere frigiditatem, ut partes præcongelatione densatæ intracranium humores expellant. Ipse verò putat, frigiditatem aëris ambientis cutem & partes externas densare, partes verò internas calidiores inde fieri, quo calore commotis & liquatis humoribus ac viis apertis, fluxiones excitantur. Verum probabilius est, non à calore acto tum Catarrhi materiam moveri, sed à frigore partim poros occludi, per quos alias vapores discuti solent, & hinc materiam Catarrhi cumulari, partim vapores in capite collectos condensari, & in humores mutari, & forsan etiam cerebrum nonnihil constringi, cum

viã satis patentibus sint, per quas frigus intrò ad cerebrum penetrare possit.

Humores quoque fundunt causæ calefacientes, ut æstus, radii Solares, & omnino aër calidus, ob quem tempore verno Catarrhi frequentiores sunt, quod humores hyeme in capite collecti aëre calidiore resolvantur, ac diffluant; calor item balnei, hypocausta calida, frictiones intempestivæ capitis cum pannis calidis, motus animi & corporis vehementes, medicamenta calida mox à cibo usurpata, coopertura capitis nimia.

Materia verò sive è cerebro expulsa, *Ad quas partes fluat materia Catarrhi.* sive quacunque causã commota ut fluat, in Catarrho in specie dicto fluit vel ad nares, vel in fauces & palatum, & his subjectas partes. In Catarrho generaliter sumpto ad loca multò plura defluit, nimirum vel in totum corpus cum sanguine pervenas, atq; hinc gignitur interdum febris catarrhalis nominata, interdum atrophia vel cachexia, quæ non ab epate, sed capite ortum habet, vel ad partem aliquam extra cranium, oculos, aures, nares, os, fauces, thoracem, ventriculum, artus, ut modo dictum.

Illud tamen, quod modò de febris catarrhi dictum, diligenti consideratione dignum est. Esti enim negandum non censeam, febrem quandoque hoo modo generari posse: tamen nec illud contra absurdum est, naturam, ut per febrium initia interdum excretiones quasdam per alvum, vomitum, hæmorrhagias nasium instruit, ita & materiam ad caput protrudere posse, unde Catarrhus generetur. Atque ita febrem talem esse ex earum genere, quæ

quæ comitatæ dicuntur, febrigue catarrhum accidere.

Fertur autem materia nunc ad hanc, nunc ad illam partem, prout attrahitur vel calore, vel dolore, aut transmissa recipitur ob partis debilitatem, vel ad recipiendam fluxionem aptitudinem, sicut hæc causæ, *Inst. lib. 2. part. 2. cap. 11.* explicatæ sunt. Ab Hippocrate, *lib. de glandulis*, septem loca enumerantur, ad quæ fluit materia; aures, oculi, nares, palatum, venæ & arteriæ, vertebræ, spinæ dorsi & nervi: de quo videatur Crato, *Consil. 3.*

Per quas
vias fluat
materia
Catarrhi.

Tandem etiam via per quam consideranda est. Nunc enim per partes internas è ventriculis cerebri, per vias intra calvariam, in os, fauces, pectus, vel nares materia fluit; nunc verò per externas partes, seu extra calvariam, potissimum sub pericranio, in partes corporis externas fertur.

Chymico-
rum de
Catarrhi
natura &
caussis sen-
tentia qua
sit.

Atque hæc Galenicorum de Catarrhi natura & causis doctrina est, cuius aliquid lucis & perfectionis è Chymicorum dogmatibus accedere possit, dubito. Nam qui Mercurium causam Catarrhi esse dicunt, nihil, quod animi veritatis avidum satiet, afferunt, nisi prius, quid Mercurius sit, explicaverint, de quo, *in tractat. de consens. & dissensu Chymic. cap. 12.* dictum. Qui Catarrhum Sal esse dicunt, etiam rem penitus non attingunt. Quanquam enim verum sit, Catarrhos multos salios & acres esse: tamen etiam nonnulli planè insipidi sunt. Qui verò morbum Tartareum esse dicunt, nihil aliud ferè, quam Galenici docent, nisi quod verbis saltem discrepant, & præ-

terea dum dicunt, Tartarum esse impuritates & superfluitates, uti alimento permistas, non ita propriè voce Tartari utuntur, ut, *extractat. alleg. cap. 16.* patet Neq; tamè hoc ipsi cõcedi potest, quod omnis Catarrhus ex impuritatibus & superfluitatibus alimento mixtis ortum habeat, sed sæpè nullo alimentivi vicio materia catarrhosa gignitur, si scilicet cerebrum debile sit, atq; alimentum satis elaborare non possit, atque multum excrementi ita generet.

Differentia.

Atque hinc variæ Catarrhorum *Catarrhi* sunt differentiæ. A materiæ varietate *differen-* alius est pituitosus, insipidus, subdul- *tia.* cis, acidus, salus; alius crassus, tenuis; alius contagiosus. A causâ efficiente, quod alius primario cerebri vicio, alius per consensum oritur. A loco, à quo fluit; quem vel totum, vel aliquam partem esse diximus. A modo fluxus, quod alius repenti & confertim fluit, qui Catarrhus *συντόμως ὑποπίπτει*, vulgo Suffocativus appellatur: alius sensum fluit.

Imprimis verò hîc notanda est differentia Catarrhi, cuius supra etiam facta est mentio, à termino à quo, & via per quam, & termino ad quem, in catarrhum internum & externum. Internus est, cum materia è ventriculis cerebri & locis intra calvariam in vicinas partes defluit, varios morbos excitans; de quibus supra dictum. Externus verò est, cum in externas partes varias ruit; unde tumores & dolores in oculis, dentibus, maxillis, cervice, scapu-

scapulis, brachiis, dorso, cruribus & articulis oriuntur.

Notatu præcipuè digna est differentia, quod Catarrhus alius est contagiosus & malignus, alius malignitatis expers. Unde etiam alius est sporadicus, alius epidemicus, qualis fuit, qui anno & 1558. 1577. grassatus est, de quo Mercatus, *lib. 2. pract. cap. 1. & libr. 4. de febribus cap. 15.* & Forestus, *lib. 6. de febr. observ. 1. & 2.* Valleriola, *in appendice Loc. Commun. cap. 2.* qui eundem morbum antea etiam anno 1510. viguisse refert. Inprimis verò ille, qui patrum memoria cum febre & tussi sub Syrii ortum, maximè autem circa novilunium æquinoctii autumnalis, totam Europam, imò ferè universum orbem pervagatus est. Nec ab similibus fuit febris illa catarrhalis, quæ anno 1591. in plurimis Germaniæ locis homines invasit.

Signa Diagnostica.

Signa diagnostica.

Catarrhus ipse facillè sensibus obvius est, quando scilicet humor è cerebro per os, nares, oculos præter naturam excernitur; vel si ad partem aliquam corporis dilabitur, atque in ea continetur, ex effectis, functionibus ejus partis læsis, qualitatibus atque excrementis à naturali statu mutatis, percipitur. Qualis autem materia catarrhi sit, agnoscitur à substantia ejus, qualitate, atque aliis circumstantiis. Si enim Catarrhus sit tenuis, acris, caput calidum, facies & oculi rubicundi appareant, partes, per quos defluit, exasperentur & exulcerentur, si amaritu-

do, salsedo percipiatur, si febris adsit, quæ tamen non juvat, si calida adhibita noceant; à materia calida, & quæ salios humores admistos habet, erit Catarrhus; præsertim si ætas, temperamentum, habitus corporis, aërisq; constitutio, & victus ratio præcedens consentiat.

Si verò humor, qui destillat, sit insipidus, minimè que mordax, ac gravitas & tensio, citra oculorum & faciei rubedinem & calorem adsit, ac præcesserit victus ratio frigidior, cruditas ventris, & cum his consentiat ætas, temperatura, aëris constitutio; materia Catarrhi erit frigida.

Verum hic notandum, materiam Catarrhi posse esse frigidam, cum tamè causa impellens & movens sit calida; ut si ex humore pituitolo soluto & liquato à radiis Solaribus, à balneo, calore externo, & similibus Catarrhus fiat. Contra materia Catarrhi calida à frigore moveri potest. Itaq; diligenter inter se conferenda sunt signa materiæ & causarum moventium ac impellentium. Etsi enim quis ex mora sub Sole, & balneo, vel exercitio corporis nimium incaluerit, atque ita catarrhum contraxerit; si tamen materia non sit acris ac mordax, salsa vel amara; frigida potius, quàm calida dicenda. Contra et si diutius quis sit versatus in aëre frigido; tamen si materia sit tenuis, acris, mordax, salsa, vel amara; judicandum, materiam Catarrhi esse calidam, etsi causa eam movens sit frigida.

Inter materiæ conditiones perpendenda quoque signa sunt cruditatis & coctionis, quæ Galenus proponit,

Lib. de totius morbi temporib. cap. 8.
Humorum, inquit, qui è cerebro per palatum & nares defluunt, indicium quidem est, cum aquei tenuesq, item copiosi & acres apparent. Extremam enim hoc cruditatem indicat. Coctionis verò nota sunt, crassior & minus acris, modiceque humor descendens. Quod si mucus etiam simul egrediatur, certius jam hoc coctionis signum est.

Partem primario affectam investigandi ratio.

Verum quanquam Catarrhum è materiæ qualitate cognoscere non ita difficile est; sicut quoq; ex ægri relatione facile innotescit, si quæ causa catarrhum movens præcesserit: longè tamen difficilius, sed quod ad curationem rectè instituendam magni momenti est, partem investigare, in qua materia Catarrhi primò generatur. Neque enim, ut dictum, semper in capite gignitur; sed sæpe à partibus longè remotis suppeditatur; ideoque tunc frustra medicamenta capiti adhibentur; nisi materiæ prima scaturigo sublata sit.

Materiam in capite generari, indicio est, si Catarrhus diu per se veraverit, & æger facillè ac sæpe eo affligatur; nec aliarum partium affectarum signa adsint. Cum autem caput laborat, distinguendum est, an intemperies sit frigida vel calida; de quo supra, *parte 1. de intemperie capitis*, dictum.

Si verò intermissiones vel dierum vel mensium adsint, magna ex parte ab inferioribus partibus materia Catarrhi suppeditatur. Unde verò transmittatur cognoscitur ex partis debilitate, & excrementis consuetis retentis. A toto corpore materiam Catarrhi sup-

peditari, indicio est, si febris adsit, & cum hujus paroxysmis catarrh⁹ augeatur vel minuatur. A parte verò aliqua materiam Catarrhi suppeditari, argumento est, si alicujus partis morbus adsit vel præcesserit. Pars enim debilis semper plura excrementa cumulat. Sic quoque si partis alicujus excrementa retinentur, à parte illa humorem excrementitium suppeditari, indicio est. Ita quidam ex alvi obstructione Catarrho laborant; alii ex suppressione sudoris consueti, vel hæmorrhoidum, ut & sæminæ ex suppressis mensibus. Si verò totum corpus, omnesque partes bene constitutæ sint, Catarrhi materiam ex victus ratione atque errore collectam esse indicatur; id quod ex ægri relatione facile cognoscitur.

Patescit quoque facillè pars, in quam Catarrhus decumbit. Si enim per arteriam transit, & in pulmonem dilabitur; oritur tussis; si in ventriculû, *adogælia*; si per partes sub cute externas fertur, ex dolore vel vago, vel certarum partium id apprehenditur.

Prognostica.

1. Catarrhus non contemnendum ^{*Prognostica*} semper malum est, & qui frequentius catarrhis, præsertim gravioribus; insistantur, in variis morbis pectoris, & imprimis phthisi, sunt obnoxii.

2. Destillationes & raucedines senibus familiares sunt, teste Hippocrate; *3. aphor. 12.* & in valde senibus coctionem non admittunt, *2. aph. 40.* quia à frigidis causis oriuntur, quas calor senum imbecillis superare facillè non

potest. Destillatione etiam cum impetu ad pectus ruente ex valde senibus nonnulli repente intereunt: aliis pars dextra vel sinistra resoluta stupet, teste Hippocrate, *lib. de aer. aqu. & loc.* Id quod, ut Galenus, 3. *aphor.* 12. monet non tam de consuetis catarrhis, qui ex capite in pulmones decumbunt, & diuturni esse solent, quam de fluxionibus, quæ ex parte affecta per venas in subjectas partes feruntur, & subito nonnunquam moventur, intelligendum est. Cujus generis etiam Catarrhus fuit, quo ante aliquot annos Professor è hic celebrem p. m. laborare memini. Corripiebatur illo subito ante vesperam, cujus quidem pars magna per nares evacuabatur, reliqua verò ad linguæ principium decumbebat ad eò, ut loquendi potentia ipsi adimeretur, reliquis sensibus internis & externis nihil læsis. Unde in tabula, quo loco sibi malè esset, scribere necesse habebat. A quo symptomate elystere injecto; frictionibusq; ceturum adhibitis, intra paucas horas liberatus est.

3. Imò destillationes ex humore frigido ortæ neque in juvenibus facile coquantur, propter magnam cerebri dyscrasiam frigidam. Galenus, 2. *aphor.* 40. Destillationibus etiam pueri obnoxii sunt; quoniam cerebrum habent humidius, & excrementis plenum. Galenus, 3. *aphor.* 26. Quibus etiam sæpe suffocantur, si ad pectus ruant.

4. Catarrhi natura sua frigidi diuturni sunt, difficulterque coquantur, sicut omnes morbi frigidi; Catarrhi vero calidi, & à causâ calida orti citius

finiuntur. Si verò vim erodendi habeant, periculosiores sunt; quia partes exulcerant. Cumque propter tenuitatem expelli nequeant, vehementem tussim excitant, qua caput magis repletur, & periculum est, ne pulmones exulcerentur. Et cum propter tenuitatem expulsionem resistant, metus est, ne vas aliquod rumpatur.

5. Ratione termini à quo etiam periculum aestimari potest. Si enim magna plenitudo sit corporis vel capitis, & omnino magna destillantis materiæ copia, periculum non contemnendum est; cum si subito & confertim ruat, strangulationem afferre possit.

6. Ratione viæ & spatii, per quod fluit, minus periculosus est catarrhus, qui fluit per nares; magis, qui per tracheam & œsophagum; minus etiam periculosus est catarrhus, qui per inania membrorum spatia discurrit; magis periculosus, qui per nervos & venas; pessimus, qui per arterias; quia syncope minatur.

7. Ratione termini ad quem Celsus, *lib.* 4. ita distinguit: Si in nares destillatio fiat, leve est; pejus, si in fauces; pessimus, si in pulmones, ubi periculum est ab exulceratione; & addit: Si destillationes breves neglectæ fuerint, longæ esse consueverunt.

8. Dolor capitis conjunctus cura catarrho auget fluxionem, quia ob dolorem fit attractio.

Indicationes & Methodus curandi Catarrhos.

Tria potissimum in curatione Catarrhi attendenda: 1. Pars, à qua *Indicatio-*

Vuuu 2

catar-

catarrhus provenit. 2. Humor, qui est Catarrhi materia. 3. Pars per quam, & ad quam fluit Catarrhus.

Primum quod attinet: cum in omni catarrho materia à capite fluat; capitis in omni catarrho habèda est ratio. Verùm cum materia in capite quandoque generetur, quandoq; aliunde transmittatur, non solum ad caput curam dirigere satis est, verum etiam ad partem, quæ materiam suppeditat, respiciendum; ut hætenus aliquoties, & supra etiam, *part. I.* dictum est.

Simul tamen respiciendum ad causam, ob quam fluere incipit materia, perpendendumque, an causa aliqua externa humorem ad motum impulerit. Et si moveatur materia attracta, causa attractionis, dolor aut calor, anodynis aut frigidis tollenda; si moveatur materia propter refrigerationem, caput calefaciendum; si propter caliditatem, refrigerandum. Quæ in re tamen, ut antea dictum, attendendum, an causa excitans fluxionem fluenti materia sit contraria, ne, dum causæ fluxionis remedia opponim9, ipsam causam maliqu; principium augeamus.

Secundo. Si materia catarrhi in capite tota generetur, nec sit copiosa; tantum sua temperies cerebro restituenda, à quo facile discutietur. Si verò materia sit copiosa, evacuanda est, postea reliquum ejus exsiccandum & absorbendum. Ac si cum impetu & periculo in partem aliquam ruat, revellenda, fluxusq; ejus omnib9 modis sistendus. Si calida, acris, & mordax sit, refrigeranda, ejusque acrimonia mitiganda.

Tandem pars, in quam catarrhus decumbit, si nobilis sit, confirmanda, ne illabenti materia locum præbeat.

Summa; in omni Catarrho primum materia ejusevacuanda, &, ne amplius generetur, præcaendum, partisq; quæ eam suppeditat, vitiosa dispositio corrigenda: secundo caput roborandum: tertio humor, si ad partem nobilem, & in qua periculum aliquod evenire possit, fluat, avertendus & interceptus, ac materia vitiosæ qualitates corrigendæ & alterandæ: quarto pars, ad quam fluit, si nobilis, roboranda. Seu in omni catarrhi curatione ratio habenda materia fluentis, & causæ, propter quam fluit, & loci, per quem fluit.

Quibus autem auxiliis istis indicatibus satis fieri possit etsi maxima ex parte ex iis, quæ supra, *part. I.* dicta sunt, patere possit: tamen quædam addere, & in specie de Catarrhi curatione aliquid dicere libet.

DE CATARRHI A CEREBRO *frigido, vel frigido & humido, seu pituitosi curatione.*

Et primò quidem, si sine reliqui corporis, vel aliarum partium vitio, à solo Catarrhi frigidi curatione. capite, vel præcipuè cerebro, ortum habeat Catarrhus; materia convenienti modo præparanda & evacuanda, &, si ædgidus ac cum impetu, ad pectus ruat, avertenda, ejusque motus inhibendus, tandemque intemperies cerebri corrigenda.

Ita-

Vena sectio. Itaque principiò, etsi materia solum à capite fluat, tamen si copiosa sit, aut majore cum impetu ruat, atque metuendum sit, ne à reliquo etiam corpore affluat, & catarrhum augeat, (sicut plerumque accidere solet, ut, qui catarrhis obnoxii sunt, cerebrum habent frigidum, jecoris verò & reliqui corporis constitutionem calidam) etiam in catarrho frigido, tum vena aperienda, & ab externa cubiti vena, & quidem parè, sanguis mittendus. Si verò materia frigida sit pauca, nec cum impetu ruat, ac propter temperaturam ac constitutionem corporis reliqui, ætatemq; senilem, nullus affluxus materiæ ad caput metuendus sit, venæ sectione opus non est.

Præparantia.

Præparantia. Inter præparantia autem convenientea, quæ supra, *part. 1. de Intemper. capit. cum pituitâ*, proposita sunt. Si autem materia ad pectus ruat, ad pectus quoque respiciendum: ideoque ex pituitam præparantibus eligenda cephalica & thoracica.

In præparatione verò & evacuatione catarrhi frigidi distinguendum, an materia sit tenuis & acris, an verò crassa. Nam si est tenuis, & aquosa quasi, incrassantia non nihil adhibenda. Ac convenit hîc decoctum thuris, mastiches, fol. betonic. salviæ, spec. diatragacanth. calid. nux moschata. Si autem materia sit crassa, calefacientibus & attenuantibus opus est; qualia sunt, hyssop. marrubium, fœnicul. organ. oxymel. simpl. & scillicit.

R. Aq. hyssop.
betonic. an Unc. j.ß.
sirup. de betonica Unc. ß.
essent. salis Scrup. j.
oxymel. simpl. Unc. ß.
Misc.

Purgantia.

Si materia tenuis sit & aquosa, inter evacuantia imprimis utilis est manna, quæ tenues humores educit; item mechoacanna, pillul. alcëphanginæ; de hiera. Atque hoc etiam observandum, ne materia tenuis fortioribus purgantibus nimis agitetur, ne mota conferim & *adgōws* ad pectus præcipitetur; sed præstat levioribus medicamentis eam sensim evacuare.

Materia verò crassa agarico, pilul. cochiis, de agarico, de hiera cum agarico vel horum extractis, vel extracto aliquo phlegmagogo evacuanda. Ac si potio alicui arriserit, infundatur agaricus in decocto cephalico & pectorali.

Capitis evacuatio Particularis.

Universalibus evacuationibus præmissis, capitis evacuationes particularis, per erichina, apophlegmatismos, & gargarismos instituantur. Non tamen quælibet harum evacuationum in quolibet catarrho tutò institui potest, & videndum, ne per illas materia amplius agirata ad locum, in quem aliàs cum periculo tendit, affluat, sed potius ab eo avertatur. Ideoq; si materia per palatum ad pectus, & præcipue

què confertim, fluat, non per masticatoria, gargarismos, & apophlegmatismos evacuanda materia, sed potius per errhina. Eadem ratio est, si materia ad ventriculum fluat. Si verò ad oculos, aut ad nares jam antea morbo affectas fluat, potius per masticatoria & apophlegmatismos, quàm per errhina, evacuanda.

Errhina & apophlegmatismi. Errhina autem & apophlegmatismi supra part. I. sunt proposita. Inter errhina autem facile hic semen nigellæ primas obtrinet, quod sæpius odoratum in quovis etiam catarrho utile est. Idcoque torrefactum & aceto conspersum cerebrò naribus admoveatur, vel pulverisatum, & cum aqua majoran. mistum, naribus attrahatur; vel ol. nigell. naribus interioribus illinatur.

Vel ℞. *Aq. majoran.* Unc. iiijß.
succibeton. Unc. j.
sem. nigell. pulveris. Drach. ß.
nucis moschat. Scrup. j.
 Misce.

Ditioribus aliquot grana ambrae vel moschi addantur.

Exempl. gr.
 ℞. *Aq. majoran.* Unc. ij.
moschi gr. ij.
ambr. gr.

Misce.
 Laudatur & hoc:
 ℞. *Ligni Guaiaci comminuti* Unc. j.
aq. pura ℞. j.

affundatur aqua prius calefacta, & per noctem macerentur. Deinde coqu. ad medietat. consumptionem. Sub finem adde.

majoran.
rosar. rubr. an. P. ij.
 Coleantur.

In usu tamen horum remediorum notandum: 1. ne mox initio, & dum adhuc caput plenum est, ac materia nondum concocta, iis utamur. 2. ne fortius resolventia in catarrho frigido, cujus materia tenuis est, sola usurpentur, ne materiae tenuis spontè aliàs ad fauces fluentis impetus ad pectus & pulmones augeatur, sed incrassantia quædam, aut quæ impetum humoris ruentis figunt, iis admiscenda; qualia sunt, rosæ rubrae, mastiche, spica Indica, semen coriandri, gummi juniperi, atque alia, quæ in catarrhi calidi curatione proponuntur.

Hinc in catarrho tenui vel sola mastiche masticetur, vel hi Trochisci:

℞. *Nuc. moschat.* Drach. j.
mastic.
gummi Arabic. an. Drach. ß.

Redigantur in pulvrem, & cum aqua rosarum fiant Trochisci.

Catarrhum exsiccantia & caput roborantia.

Corpore & capite convenienter evacuato ea adhibeantur, quæ exsiccando reliquam Catarrhi materiam absument, simulque caput roborant, partim interna, partim externa, medicamenta, quorum multa supra, part. I. cap. de Intemper. capit. frigid. & humid. & de Intemper. capit. cum pituita, proposita fuerunt, quæ hic repetere non libet.

Interna

Interna quod attinet, sumatur de iis modò lenioribus, modò validioribus, prout usus postulaverit, portio exigua vesperi ante somnum, & post prandium, ut eorum vis una cum vaporibus ingesti cibi ad caput feratur; manè verò stomacho jejuno plus exhibere licet:

Utilis est & hæc Mixtura:

℞. *Spec. latit. Gal. Scr. ij.*

dianth.

diamosch. dulc. an. Scr. j.

aq. anthos,

melisß. an. Unc. j.

betonic. Unc. ij.

Incalescant lento igne, ut ebullire incipiant, & permittantur in infusione horis 4. Postea coentur. In Colatura dissolv:

conf. Alkerm Drach. ß.

magister. corall.

smaragdi, an. Scrup. ß.

essent rorimar. Drach. ß.

aq. cardamomi,

apoplectica, an. Drach. vj.

Misce.

De hæc mixtura cubitum ituro, & è lecto surgenti, cochl. j. propinetur.

Monendum & hoc: calidis cephalicis medicamentis exsiccandi, & vaporum ad caput ascensum prohibendi gratia conservam rosarum commodè admisceri, etiam in Catarrho frigido.

℞. *Conserv. rosar. rubr. Unc. ij.*

spec. aromat. rosar. Scrup. ij.

nuc. moschat. Scrup. j.

thuris albiß. Scrup. ij.

Cum sirupo de rosis siccis, aut de betonica;

F. Electuarium, de quo sub tempus somni portio magnitudine nucis juglandis sumatur.

Vel ℞. *Conserv. rosar. rubr. Unc. ij.*

lavendul.

anthos,

salvia, an. Unc. j.

spec. dianthos,

diamb.

aromat. rosar. an. Drach. ß.

corall. rubr. prepar.

pulveris nuc. moschat. an. Scr. j.

Cum sirupo siccis had. simpl.

F. Electuarium.

Vel ℞. *Conserv. salvia.*

pæon. an. Drach. vj.

rorimar.

rosar. an. Unc. ß.

nuc. moschat. cendit.

myrobalan. chebular.

cond. an. Drach. iii.

acori cond. Drach. j.

spec. diamosch. dulc. Drach. ß.

arom. rosar. Scrup. j.

sem. pæon. Drach. ß.

cubeb. Scr. j.

coriandr. prepar.

margarit. prepar. an. Scrup. ß.

Cum sirupo de rosis & beton. q. s.

F. Electuarium, de quo manè & vesperi portio nucis moschatæ magnitudine capiatur.

Aliud:

℞. *Conserv. rorimar.*

salv.

lavendul. an. Unc. ij.

pæon. Unc. j.

rosar. Unc. ß.

confect. Alkerm. Scrup. j.

specier. diaphir. Drach. ß.

solut.

solut. perlar.

corallior. rubr. an. Scrup. j.

essent. salv. Drach. j.

Mixt. dat. Drach. ij.

aq. apoplect. Drach. iij.

Cum sirup. de stœchad.

F. Electuarium.

Si forma Morfulorum placet, sequens Confectio de thure præstantissima est:

℞. Sem. coriandri præp. Unc. β.

nucis moschat.

thuris, an. Drach. iij.

glycyrrh.

mastich. an. Drach. ij.

eubear. Dra. j.

conserv. rosar. rubr. Unc. j.

sacchar. albi Unc. x. in aq. rosar. dissol.

F. Confect. in Morfulis, quorum singuli Drach. iij. pendeant, de quibus mane & vesperi unus sumatur.

Vel parentur seq. Rotulæ:

℞. nuc. mosch. expr. Drach. j.

margarit. præp. Scr. j.

smaragdipræp. Scr. j.

sacchar. in aqu. lavendul. dissol.

Unc. vj.

F. f. a. Rotulæ, de quibus capiantur mane & vesperi, 4. vel 5.

Aliæ:

℞. Specier. diamosch.

diamb. an. Drach. j.

succini albiß. Scrup. j.

ol. anisi gutt. iij.

sacchar. in aq. lavend. dissol.

Unc. iiij.

F. Orbiculi.

Vinum etiam hoc contra Catarrhos utile est:

℞. Cortic. myrobal. omnium, ana Drach. iijß.

cinamomi Drach. j.

caryophyll.

galang.

cubebar.

cardamom.

granor. paradisi,

nucis moschat. an. Scrup. j.

rosar. rubr. siccarum Drach. ij.

flor. anthos,

lavendul.

Affundatur vini quantum libet.

In Catarrho diuturniore decoctum ligni Guajaci, Sassafras, radic. Chinæ, sarsaparill. cum diæta conveniente exhibitum cerebrum ab humore frigido sanat & liberat. Et omnino in talibus morbis continuatione opus est, nec à medicamento alicujus semel atque iterum saltem exhibitum usu salus speranda. Quam ad rem utilissima sunt vina medicata, ut & cerevisiæ.

Exempl. gr.

℞. Rad. caryophyll. M. ij.

granor. juniperi M. .

sarsaparilla lb. jß.

salvia,

rorismar.

chamæpit. an. M. iij

caryophyll.

galang. an. Drach. β.

Affundatur sufficiens quantitas musti vel cerevisiæ recentis in dolio convenienti, ut fiat vinum vel cerevisia medicata.

Externa.

Externa medicamenta caput roborantia, & catarrhum simul exsiccantia etiam

etiam supra, *part. I.* sunt proposita, quibus pauca addemus. Adhibeantur imprimis lotiones capitis & pedum, suffitus, pileoli, cerota seu emplastra, pulveres.

Lotio capitis & pedum.

℞. Fol. betonic.
 maioran.
 salvia,
 origani, an. M. j.
 flor. anthos,
 chamemel.
 stœchad. utriusq., an. M. j.ß.
 nigella Drach. ij.

Coqu. in lixivio pro capitis lotionè ante prandium, à qua caput linteis calidis probè abstergetur. Efficacius remedium erit, si de sublimi embrochæ modo in caput demittatur.

Etiam thermarum aquæ vim sulphuris habentes per embrochâ capiti immisâ plurimum valeat ad siccandum Catarrhum frigidum, si post diligentem capitis purgationem adhibeantur, ac victus ratio idonea servetur.

Suffitus.

Ad suffitum linteorum, quibus caput exsiccatur, vel tegumentorum capitis hic Pulvis utilis est:

℞. Trochisc. alipsæ moschat.
 fol. salvia,
 maioran.
 rosmarin. an. Drach.ß.
 lauri,
 caryophyll.
 cinamom.
 L. I.

ligni aloes, an. Scrup. j.
 thuris,

styracis calamit. an. Drach. j.

F. Pulvis carbonibus iniiciendus.

Si cum mucilagine tragacanth. excipiantur, Pastilli formari possunt, super carbones iniiciendi.

Vel ℞. Benzoes Drach. ij.

styracis calamit. Drach. j.

ligni aloes,

cinamom. an. Drach.ß.

caryophyll. Drach. j.ß.

moschi gr. vi.

F. Pulvis, vel Trochisci carbonibus iniiciendi pro suffitu.

Pileolus.

℞. Fol. maioran.

salvia,

origani, an. Drach. j.

flor. stœchad. Arabic. Drach.ß.

lavendul.

rosmarini,

caryophyll.

macis,

nuc. moschat.

ligni aloes, an. Scrup. j.

thuris Drach.ß.

rosar. rubr. siccat. Drach. ij.

Trita & sacculo ex sindone rubra parato insuta suturæ coronali imponantur.

Vel ℞. Flor. rosar. rubr. M. j.

meliss.

origan.

betonic.

rosmarin. an. M.ß.

thuris,

massich.

ligni aloes,

Xxxx

gran.

Pileoli seu
 cucurpha.

Suffitus.

gran. juniperi, an. Drach. iiii.
 nucis moschat.
 macis, an. Drach. j.
 caryophyll. Drach. ℥.
 nucis cupress. Drach. j℥.
 gran. Kerm. Drach. j℥.

Præparata l. a. sindoni rubræ, ad
 formam pileoli concinnatæ, inclu-
 dantur, & cum gossyp. intersuantur.

Alius:

℞. Fol. meliss.
 maioran.
 betonic.
 summit. origani, an. M. ℥.
 rosar. rubr. P. ij.
 nucis moschat.
 caryophyll. an. Drach. ij.
 granor. Kermes;
 macis, an. Drach. j℥.
 thuris,
 mastich. an. Drach. iij.

In pulverem grossum redacta serico
 rubro includantur; & interpassentur.
 F. Pileolus.

Pulvis capiti insper- gendus.

Sub ingressum lecti anterior pars
 capitis hoc Pulvere conspergatur:

℞. Nigella torrefact. Drach. ij.
 rad. cyperi Drach. j
 stor. rosar. rubr.
 stæchad. Arabic. an. P. ij.
 nuc. moschat.
 caryophyll. an. Serup. ij.
 succini Serup. j.
 F. Pulvis.

Vel ℞. Origani,
 stæchad. Arabic.

maioran. an. Drach. j.
 rosar. rubr.
 gummi juniperi, an. Drach. j℥.
 ligni aloes Drach. j.
 macis Drach. ij.
 F. Pulvis.

Alius:

℞. Benzoes Drach. j℥.
 styrac. calam.
 ligni aloes, an. Drach. j℥.
 F. Pulvis grossus.

Odoramenta.

Ad Odoramenta pertinent suffitus <sup>Odorame-
 ta.</sup>
 supra enumerati. Nigella quoque a-
 ceto rosaceo quatuor dies macerata &
 pulverisata, ac cum aqua majoranæ
 mista, & in nares attracta non tantum
 caput purgat, sed & roborat.

Vel R. Rosar. rubr.

caryophylli
 sem. nigellæ,
 cinamomis
 nuc. moschat. an. Scr. ij.
 styracis calamit. Serup. ℥.
 moschi gr. iij.

Includantur serico, fiatq; Nodus
 odoratu caput siccans & roborans. Po-
 morum ambrae & balsamorum descri-
 ptiones ad caput exsiccandum supra,
 part. i. propolice sunt.

Cerota & Emplastra.

Bregmati etiam imponi possunt ce-
 rotum de betonica in dispensatorio <sup>Cerota &
 Emplastra</sup>
 Augustano descriptum, vel Montanæ
 gnanz hoc:

R. Ladani,
 gummi elemi,
 juniperi,

thuris,

thuris,
styracis liquid.

calamit.

myrrha, an. Drach. j.

Commista diligenter in formam
Ceroti redigantur.

Vel R. *Mastich.*

gummi juniperi,

nucis moschat.

caryophyll. an. Scrup. j.

ladani Drach. vj.

Ducantur pistillo calido in mortario,
& addita olei mastichini f. q.

F. Emplastrum.

Vel R. *Macis,*

nuc. moschat.

gummi juniperi,

mastich.

thuris,

styrac. calam. an. Drach. jß.

rosar. rubr. Unc. ß.

ladani Unc. iiij.

terebinth.

cera, an. q. f.

F. Massa, de qua portio q. f. corio
rubro ad convenientem formam in-
ducatur, sericumq; rubrum superdu-
catur, & interpassetur.

Vel R. *Flor. rosar. rubr. Unc. ii.*

gummi juniperi Unc. j.

macis,

nucis moschat. an. Unc. ß.

caryophyll. Scr. j.

F. Pulvis subtilis, & cum *ladani, ce-
ra, ol. chamamel. vel irini. f. q.*

F. Ceratum.

Quæratione autem Catarri fluxio-
ni, si impetuosior sit, & cum periculo
ad aliquam partem confertim ruat, oc-

currendum sit, paulò post in curatio-
ne Catarri calidi dicitur.

DE CATARRHI CALIDI CURATIONE.

Si verò materia Catarri sit calida, *Catarri*
primò imminuatur leni pharmaco, ex *calidi cu-
decocto jujubar. sebesten, prunor. flor. ratio.*
violar. capillor. Ven., glycyrrh. hordei,
in quo mannæ Unc. jß. dissoluta sit,
aut sirup. rosar. solut. Unc. iij. vel iiij.
exhibeantur.

Si sit corpus calidiore sanguine re-
pletum, ut metuendum sit, materiam ad *Vena sollio*
caput affluxuram, atque ipsa materia
tenuis in partem aliquam cum vitæ
periculo ruat, venæ sectione opus est,
quæ corpus refrigeret, materiam eva-
cuet, & ne ad caput, atque hinc ad
partem aliquam, cum periculo ruat,
impediat. Si autem propter vires, aut
ætatem venæ sectione uti non liceat,
cucurbitulæ illius vicem suppleant.

Postea adhibeantur quæ humoris *Preparan-
fervorem ac acrimoniam mitigant, ut tia.*
sunt sirup. de ros. siccis, de succo ace-
tos. violar. de nymph. de papav. cum
aquis & decoctis refrigerantibus ac
modicè adstringentibus.

Propinetur igitur exempl. gr. talis
Haustus:

R. *Aq. papaver.*

borrag, an. Unc. jß.

sirup. violar. Unc. j.

essent. papav. Scrup. ß.

Spir. Sulph. acid. gutt. iiij.

Misce.

Evacuetur deinde materia rha-
barbaro, tamarind. electuar. diaca- *Purgantia*
thol. diaprunis, diasebsten, rosato

XXXX 2

Mesue,

Mefue, de succo rofar. pil. Arab. aureis, & aliis, quæ humori huic conveniunt.

Corpore evacuato caput etiã privatim evacuandum, ut antea dictum. Cavendum tamen, ne materia tenuis nimium agiretur, unde periculum sit, ne ad pulmones cum impetu fluat.

Exsiccatia & caput roborantia interna; & externa.

Capite quoque evacuato reliquias exsiccandæ, & caput roborandum. Interna sunt conserva rofar. spec. arom. rofar. thus. nuc. moschat. Extra verò pulvis capiti inspergatur, aut sacculus imponatur, ex floribus rofar. rubrar. sem. coriandr. præpar. santalis, cortic. papav. albi, gummi juniperi, thure, mastiche, quorum formulæ, ubi de sistendo catarrho dicitur, proponentur.

Exempli gratia:

℞. Gummi juniperi. Scrup. ij.
flor. rofar. rubr. P. ij.
myrill. Drach. j.
mastic.
nuc. moschat. an. Scrup. ℞.
thuris.
sem. pæonia.
cortic. papav. an. Scrup. ij.
nucis cupress. Scrup. ℞.

Pulverisentur, & cum floccis panis coccinei fiat: Sacculus ex sindone rubra.

Vel Cerotum tale fiat:

℞. Mastich.
cortic. thuris, an. Drach. ℞.
sandarac.
corall. rubror.
rosar. rubr.
myrillor.

balaustior.

cortic. granator. an. Drach. j.
ladani q. s.

Cum olei rofar. & cera ℞. q.

℞. Cerotum ad futuram coronalem, obducendum sindone rubra.

In declinatione etiã jejuno stomacho caput lavetur decocto rofar. majoran. betonicæ.

DE CATARRHO CUM IMPETU RUENTE SISTENDO.

Atque hæc quidem sæpe ad Catarrhum tam frigidum, quam calidum curandum sufficient; si nimirum materiæ copia non magna sit, nec cum periculo ad partem aliquam, præcipuè pulmones, ruat: Si autem Catarrhus cum impetu ad pectus & pulmones ruat, fluxus omnibus modis inhibendus.

Avertentia & Revellentia.

Universalis corporis evacuatione præmissa materiam divertere, ne ad unum locum confluat, convenit. Securius quidem omnino est, ut Mefue monet, distillationem non subito sistere, & materiam in corpore retinere: Si tamen præsens suffocationis, vel pulmonum exulcerationis periculum imminet, omnino catarrhus sistendus est, & præsidis convenientibus avocanda materia à parte nobiliore ad ignobiliorem, ac dissipanda.

Fiunt autem diversiones per clysteres, per lotiones extremorum antecubum, per frictiones & ligaturas eorundem.

dēns, per cucurbitulas, ut supra, *part. 1.* dictum.

Galenus etiam, 5. *meth. med. cap. 13.* in Catarrho calido emplastrum ex simo sylvestriū columbarum, & quod ex thapsia paratur, usurpat: de quo quid sentiendum sit, postea, *qu. 1.* dicitur.

Setaceum quoque occipiti applicari potest: Nonnulli revulsionis gratia futuræ coronæ cauterium applicant. Verum quid de eare sentiendum, supra, *part. 1. cap. 1.* dictum.

Catarrhum intercipientia & incrassantia.

Intercipientia & incrassantia.
Siverò acris, tenuis, & calidus fluxus sit, cum tussi vehementi, vigiliisq; continuis, de sistendo Catarrho cogitandum est.

In sistendo tamen catarrho observandum, sistētibus catarrhum tantum utendum esse, dum materia ad pectus destillat, non postquam ad pectus influxit: Tum enim potius quæ materia collectam per tussim evacuant, conveniunt: Et cum materia per somnum ad pectus maxima ex parte fluat, post cœnam, sub ingressum lecti, exhibendæ sunt Catarrhum sistētia; sicut per vigiliās illud, quod in pectus jam influxit, evacuandum. Non tamen statim in principio, tunc usurpantur sistētia, sed præstat potius divertentia adhiberi, nisi forsā materia cum periculō ad pectus ruat, & suffocationis periculum adsit.

Inserviant quoque huic scopo ea;

quæ vim adstringendi & incrassandi habent, adhibita forma sruporum, eclegmatum, gargarismorum, pilularum, trochiscorum, rotularum in ore detinendarum, odoramentorum, pulverum capiti inspergendorum, ac ceratorum: Et quidem si externa non sufficiant, interna, ut pilulæ de cynoglossa, quæ exhibentur à gr. vi. ad Scrup. j. sub tempus somni,

Vel. ℞: *Thuris albiss.*

sandarac. Arac.

myrrh. an. Drach. ℞.

ligni aloes.

nucis moschata.

macis.

croci, an. Scrup. j.

ladani purissimi,

styrac. calam. an. Drach. ij.

moschi gr. v.

Cum sive de stœchade

℞: *Pilulæ, è Drach. j. numero vi.*

Utile est & Laudanum Opiatum gr. ij. vel. iij. pondere sumptum.

Exempli gratia:

℞: *Laudani opiat. gr. ij.*

puly. massich. gr. v.

olibani gr. iij.

extract. croci gr. j.

Cum aq. violar.

℞: *Pilulæ numero v.*

Item theriaca recens, vel bolus Armenus qui in catarrhis sistendis valde utilis est. De quo vide *libr. 2. part. 3. cap. de asthma, in quest.*

Vel dentur deglutienda grana mastiches & thuris hora decubitus vel per se, vel ita præparata:

Xxxx 3

R. Gra-

R. *Granor. thuris.*
maslich.
sandarac. Arab.
tragacanth. an. Drach. ℥.

Macerentur in vino rubro. Deinde
 exsiccentur & deglutiantur num. v.
 vel vi.

Vel R. *Sirup. de rosīs siccis,*
de iuiub.
de papav. an. Unc. ℥.
bol. Armen. aq. rosar. lot.
 Scrup. iij.

Misceantur, & sumantur duo cochl.
 sub tempus somni.

Vel R. *Cap. papav. num. jx.*
siliquar.
glycyrrh. an. Unc. iij.
sem. althæ,
bombac. an. Drach. iij.
iuiubar.
sebest. an. num. viij.

Coqu. in s. q. aquæ.
 Colaturæ adde
sacchar. candi Unc. iij.

Coqu. iterum ad spissitudinem mel-
 lis.

Utile est & diacodium sub ingressum
 lecti sumptum.

Vel R. *Loh. de papav. Unc. j.*
spec. diatragacan. fr. Drach. j.
diacodii Mesua Drach. ij.

Cum *sirupo iuiubino vel de papav.*
 Fiat Eclegma.

Vel patetur sequens Electuarium,
 & portio nucis moschatæ quantitate
 hora somni præbeatur:

R. *Conserv. violar. recent. Drach. iij.*
beronic. Drach. j.
ros. rubr. antiq. Unc. ℥.
spec. diatrag. frig. Drach. ℥.

diacodij Drach. ij.
corall. rubr. preparat. Scrup. ℥.
boli Arm. prep. Scrup. j.
 Cum *sir. derosis sicc.*

F. Electuarium.
 Vel R. *Diacodij Unc. j.*
diacydon. simpl. Unc. ℥.
spec. diapapav. Drach. j. ℥.
diatragac. fr. Drach. ℥.
conserv. rosar. alb. Unc. j.
nymph. alb. Unc. ℥.
rob. ribes Drach. iij.
succini albi præp. Drach. ℥.
 Cum *sir. de papav.*
 F. Electuarium.

Gargarismi.

R. *Rosar. rubr. M. ℥.*
plantag.
balaustior. an. Drach. ℥.
cortic. capitum papaver. Drach. j.
nigell. Drach. j. ℥.

Coqu. in aq. simplici.
 Colaturæ adde
sirup. de papav.
myrthini, an. Unc. j.
boli Armeni Scrup. j.

M. pro Gargarismo, vel potius sine
 multa agitatione liquor in ore deti-
 neatur.

Vel R. *Flor. rosar. rubr.*
balaustior. an. P. j.
capit. papav. c. sem. nrm. ij.
myrtill. Drach. j.
rasura santali rub. Draah. ℥.

Coqu. in aqua communi ad ter-
 cias.

Colaturæ R. Unc. v. In quibus
 dissolv.

Gargaris-
 mi.

Boli

Boli arm. prap. Scrup. j.

fir. myrt. Vnc. j.

M.

Alius:

R. *Aq. lactuc.*

rosar. an. Vnc. iij.

vinigranator. Vnc. j.

fir. depapav. Vnc. j. ℞. M.

Vel R. *Aq. plantag.*

solani,

rosar. an. Vnc. ij.

myva cydonior. Vnc. j. ℞.

essent. papav. Drac. ij.

phlegm. aluminis rectificat. Vnc. ℞.

M.

Rotula, Trochisci, Pilula in ore tenenda.

Rotula, R. *Boli Armeni* Drach. j.

Trochisci

*& Pilula
sublingua-*

les.

rosar. siccar.

terra sigillat. an. Scr. j.

spes. diatragacanth. frigid.

Drach. j.

anis,

gummi Arabic. an. Drach. ℞.

Diffolyantur cum albumine ovi, & addito sirupo violarum aut de papavere F. Trochisci sub lingua tenendi

Vel R. *Boli Armeni* Drach. ij.

gummi Arab.

tragacanth. an. Scr. ij.

sem. papav. albi Drach. j.

nuc. moschat. Drach. ℞.

sacchar. penidij

candi, an. Vnc. ℞.

Cum mucilagine seminis cydoniorum facta cum *qua rosar.*

F. Orbiculi.

Vel R. *Cap. papav. num.* vj.

siliquar. Vnc. j.

rad. glycyrrh. Drach. v.

ireos Drach. j. ℞.

passular. Drach. iij.

Coq. l. a. in f. q. aq. ad tertias

Indecocto colato dissol.

sacch. Vnc. jv.

extr. glycyrrh. Scrup. j.

croci Scrup. ℞.

F. l. a. Orbiculi.

Vel parentur teq. Trochisci.

R. *Spec. diatrag. frig.*

diapapav. an. Drach. j.

boli Armen. prap. Scrup. ij.

tragacanth. Drach. ℞.

amyl,

succi glycyrrh. an. Scrup. j.

sacch. candi alb. Drach. ij.

Cum *sirup. de papav.* q. f.

F. Trochisci sublinguales, de quibus unus atque alter sapius die nocturque in ore detineatur.

Alii:

R. *Boli Arm. prap.* Drach. j.

gumm. tragac.

sem. papav. alb. an. Drach. ℞.

gummi Arab. Scrup. ij.

glycyrrh. Drach. ℞.

sacch. Vnc. j. ℞.

Pulverifata excipiantur mucilag. *sem. psyllii,* & F. l. a Trochisci sublinguales.

Vel R. *Amyli* Drach. ij.

sem. lactuc.

papav. albi, an. Drach. j.

gumm. Arab.

tragacanth. an. Drach. ℞.

boli Armen. Scrup. ij.

Cum mucilagine *sem. psyllij.*

F. Pilulae

F. Pilulæ sub lingua tenendæ.

Si humor falsus sit, spica addatur, aut spica noctu in ore teneatur; quod tanquam expertum Mesues commendat.

Suffitus, Odoramenta.

Suffitus & odoramenta.

R. Sem. coriandri. Scrup. ij.

gummi. hedera,

juniperi,

massich.

thuris, an. Scrup. β.

trochiscor. de camphora,

sem. papav. an. gr. jv.

F. Pulvis, cujus accensi fumus naribus excipiatur, vel eo capitis tegumenta suffiantur.

Vel R. Sandarac. Arab. Drach. j.

massich.

succini alb. an. Drach. β.

F. Pulvis.

Alius:

R. Succini alb. Drach. ij.

massich. Drach. j. β.

thuris,

sandarac. Arab. an. Drach. β.

gumm. anima,

tacamabac. an. Drach. β.

fl. rosar. rubr. p. j.

F. Pulv. grossus.

R. Styrac. calamis.

caryophyll.

nucis moschat.

massich.

thuris,

ladani, an. Scrup. j.

ambra gr. liij.

Cum aqua rosar.

F. Trochisci carbonibus injiciendi in Catarrho frigido.

In Asthmaticis tamen suffitus vix conveniunt; ut nec ii, quibus caput debile est, suffitus vehementes ferunt, sed sufficit cum styracæ & momento thuris ac succini albi carbonibus inspersum excitare.

Noduli & Pulveres capiti inspergendi.

Noduli & pulveres capiti inspergendi.

R. Santal albi,

rubri, an. Scrup. ij.

citriini Drach. j. β.

rosar. rubr.

coriic. papav. albi, an. Drach. ij.

Redigantur in pulverem, & nodulo inferantur, qui aqua rosar. madidus odorandus præbeat in Catarrho calido.

Utilis est & sequens Nodulus:

R. Flor. rosar.

violar. an. p. ij.

santalor. omnium, an. Scrup. j.

camphor. gr. v.

Concisa includantur nodulo ex sindone rubra parato.

Vel R. Rosar. rubrar. Drach. ij.

gummi juniperi Scrup. ij.

nuc. mosch.

macis, an. Scrup. β.

rosar. rubrar.

balaust. an. Drach. j.

sem. pæon.

thuris,

massich. an. Scrup. j.

nuc. cupressi Scrup. β.

Cum serico F. Sacculus pro capite in Catarrho calido.

Vel R. Gummi juniperi, tragacanth.

*caryophyll. majcerator. in aqua
rosar. & exsiccat.
an. Drach. ij.*

nucis moschat.

macis,

flor. stœchad. Arab. an. Scrup. ij.

rosar. rubr.

myrcillor. an. Scrup. j.

Cum serico F. Sacculus.

Non incommodè etiam capiti in-
spergi potest sequens Pulvis:

℞. *Succini alb.*

sandarac. Arab.

mastic.

benzoes,

nucis mosch. an. Vnc. j.

cubebæ. Unc. β.

thuris Drach. v. Scrup. j.

sortic. thuris Drach. ij.

F. Pulvis.

Ceratum.

Ceratum ex mastiche, gummi jun-
peri, nuc. moschat. caryophyll. lada-
no, supra fuit propositum, quod & hic
locum habet.

DE CATARRHO SUFFO- CATIVO.

De Catar-
rho per
venas ris-
ente, vide
Hippoer.
aph.

Et si ex iis, quæ hæcenus de catar-
rho sistendo & inhibendo diximus,
facile etiam, qua ratione catarrhus
Suffocativus curandus sit, pateat: ta-
men in specie aliquid ea dèrè addere
non inutile fuerit.

Catarrhi
Suffocativi
Curatio.

Si quando Catarrhus tanto impetu
ad pulmones fluit, ut suffocationis pe-
riculum impendeat, danda opera, ut
materia in plures partes statim distra-

L. I.

hatur, revellendo, derivando; catar-
rhusque sistatur internis & externis
medicamentis exhibitis.

Auxilia.

Actibus nimirum clysteribus alvus
provocetur, extrema fricetur vincian-
turque, cruribus & brachiis cucurbi-
tulæ affigantur, venæ sectio etiam, si
opus sit, sine ulla mora administretur,
purgantibus materia à pulmonibus a-
versa trahatur in ventriculum & in-
testina; gargarismis adstringentibus &
aliis, quorum formulæ, ante proposi-
tæ, fluxus intercipiatur & sistatur. Pò-
stea fumus excitetur è mastiche, thu-
re, & succino. Per vices etiam acetum
rolaceum super lapidem ignitum af-
fundatur. Alii gummi racamahacæ
solum cum pistillo calido dissolutum,
& alutæ indictum bregmati & tempo-
ribus applicant. Nonnulli pulverem
succini, thuris, & mastic. cum al-
bum. ovi, & aqu. rosar. impastant,
quod linteo illinunt, & fronti tempo-
ribusque admovent. Quod tamen
post horam aliquandiu removendum,
ne catarrhum plus justo sistat: hinc re-
novandum. Nucha inungatur ol.
succini, vel seq. Unguentum adhibea-
tur capiti, quod efficacissimum est:

R. *Pulv. nuc. capress.
alumin. asti,
Sulph. vivi,
pyrethri,
olibani,
mastic.
camphor.*

γγγ

gallar.

gallar.
cortic. granator.
rosar. rubr. an. Drach. β.

Cum aqu. fol. *quercus* q. s. misc. ad-
dendo.

succ. acacia,
cydonior. an. Unc. β.
M.

Si maximum periculum instet,
phœnigmis quandoque & vesicato-
riis opus est. Phœnigmi hæc formula
erit:

Re. Rad. asphodeli,
baccar. lauri,
gummi juniperi,
rad. pyrethri,
piper longi,
sinapis, an. Drach. β.

Terantur in Pulverem, & inuncto
prius verrici oleo costino aliquid ejus
inspergatur circa futuram coronalem;
vel cum oleo euphorbiæ & cera F. Ce-
rotum futuræ coronali imponen-
dum.

Re. Nigell. torrefact. Unc. β.
sinapi Drach. iij.
thuris,
massich. an. Drach. β.
fimi columbini,
farina hordei, an. Unc. β.
oxymelie simpl. q. s.

F. Emplastrum pro futura cor-
nali.

Re. Fermenti parum,
cavicam pinguem N. j.
santharid. alii & capitibus abscessu
N. vj.

Cum aceto scillitico fiat Massa, quæ
capite raso futuræ coronali impona-
tur, & post sex circiter horas vesica
excitata rumpatur.

Vel applicetur tale Vesicatorium.

Re. Ol. castor.
costinis an. unc. β.
pulv. cantharid. præp. Scrup. ij.
fermenti acerrimi q. s.

F. Cataplasma, ducatur super alu-
ta, longitudo. $\frac{1}{2}$ & latitudo ad digitorum,
& parti capitis anteriori rasæ applice-
tur, vel ad primam colli vertebra, &
per noctem relinquatur.

Locum etiam hic habet Ceratum
Galenî de stercore columbarum &
thapsia, cujus supra fuit facta mentio.
Proliciat quoque pituita è naribus,
palatique inunctionibus incitetur ad
expulsionem.

Et si materia crassa est, ac magna
ejusdem copia in pectore continetur,
loch de scilla cum oxymelite & ammo-
niaco est dandum, & alia, quæ in asth-
mate sunt utilia.

Partium, ad quas Catar- rhus ruit roboratio.

Et si divertentibus & catarrhum inter-
cipientibus ipsi quoq; parti recipienti
consulatur: tamen etiam utile est, ipsam
partem recipientem confirmare per
adstringentia, quibus expultrix ita ro-
boratur, ut non solum non admittat
materiam à capite ruentem, sed & eam
expellat. Talia sunt, rosæ, balauſtia,
plantag. myrill. bolus Armenus, nuc-
cupressi, & similia, quæ pro partium
varietate alio atque alio modo exhi-
benda. Pectori tamen & pulmomi ad-
stringentia non conveniunt, præ-
sertim postquam materia inflexit, quæ
nullo

nullo modo in pectore retineri, sed effici debet.

Ubi verò destillatio in parte recipiente peculiarem morbum generat, in oculo ophthalmiam, in alia parte alium; peculiarem illorum morborum curationes requiruntur: de quibus suo loco diceatur.

Qua ratione partium, quæ Catarrho materiam suppeditant, sit habenda ratio.

Unum adhuc in Catarrhi curatione restat, qua ratione scilicet partes tractandæ sint, quæ Catarrho suppeditant materiam. Ubi in genere retinendum, quæcunque etiam pars materiam Catarrho suppeditet, utile esse, ut ii, qui Catarrhis frequenter obnoxii sunt, singulis mensibus, paulò ante novilunium, corpus leniter purgent; idque iis præcipuè necessarium est, quibus alvus est sicciior. Nisi enim alvus quotidie suum officium spontè faciat; & caput & alia membra vaporibus replentur. Ideoque danda opera, ut alvus quotidie respondeat. Quod nisi fiat, lenioribus medicamentis id procurandum.

Et cum sæpe accidat, ut membrum aliquod vitiosum habitum contraxerit, unde quotidie aliquid materiæ ad caput transmittitur, atque inde Catarrhi & alii morbi excitantur: in tali casu sæpe requirit necessitas, ut fonticulus excitetur; quod commodissimè fit in brachio, ut materia illa propiore via evacuetur.

Ventriculi In specie, ut supra etiam, part. 1. di-

etum, si ventriculi frigidioris vitio materia catarrhi subministratur, ventriculus cibo & potu non est gravandus, neque ea assumenda, quæ vapores & fumos multos in caput emittunt. Ideoque nec generosa vina bibenda, nec raphanus, cœpe, porrum, sinapi, & id genus alia usurpanda: item viscida, lenta, pituitosa vitanda. Condiendus verò cibus aromatibus, macere, caryophyllis, nucem moschata, salvia, rosmarino, majorana; & post cibum semen coriandri, anisi, feniculi, saccharo incrustata, & alia supra proposita sumenda. In usu tamen aromatum observandum, medicamenta ea moderatè usurpanda, ut cibum saltem condiant, non verò caliditate epati & renibus nocent, sanguinemque acrem generent, aut caput imbecillum petant. Roborandus quoque ventriculus medicamentis cum internis, tum externis, quæ suo loco proponuntur.

Ventriculo suum officium rectè faciente etiam Epar melius habet. Ipsi tamen quoque, si opus sit, succurrendum. Sit ergo in intemperie calida epatis usus frequens hordei; cichorium sæpe usurpetur, ut & species diarrhodontis, & similia. Ita si pars aliqua alia, ut lien vel uterus, materiam catarrho suppeditet, ad eam primùm, præcipuè in præservatione à catarrho, curatio dirigenda est.

Dieta.

Medicamentis hætenus propositis *Dieta* diæta respondeat, necesse est. Aer sit temperatus, & in Catarrho frigido *Aer* non nihil calidior. Ventri austrini & *aqui-*

in catarrho ut habenda ratio.

Partes materiam Catarrho suppeditantes tractandi ratio.

*Cibus &
potus.*

aquilonares vitentur, & subita omnis modò ad frigidum, modò ad calidum mixtio. Nocet etiam cibus copiosior, unde Celsus dimidium de consueto demit. Vitentur, urantea etiam dictura, cibi concoctu difficiles, vaporosissimi, acres, excrementitii. Cœna parca sit. Quanquam enim nonnulli contrarium statuunt: tamen non solum experientia constat, cœnam lautiorẽ catarrho obnoxiiis parum commodam esse, sed idem quoque ratio suadet. Si enim parum cibi assumatur, natura facilius & rectius in humoribus vitiosis noctu, & in quiete coquendis occupari potest; neque tot vapores & halitus in cerebrum attolluntur, qui per somnum, ut in vigiliis, ita discuti non possunt, sed in capite retenti Catarrhum augent. In secundis mensis ad vapores reprimendos utile est sumere aliquid de carne cydoniorum, vel pyris coctis, itẽ coriandrum, & tragemata supra, *part. 1. proposita*. Ab omni potu caput vehementer replente abstinendum. In nostris tamen regionibus frigidioribus, & crapula nostrorum hominum, moderatus usus vini concedi potest, ut auctus calor natus Catarrhi maturationem promoveat. Cerevisia non contineatur in vasis valde picatis. Post cibum neque legere neque scribere jubet Celsus, *lib. 1. cap. 5.*

Somnus sit moderatus; nec eorum consilium audiendum, qui Catarrho laborantibus vigilias præcipiunt. Vigiliæ enim cruditatem pariunt. Dormiendum itaque moderatè, sed non

de die; nisi quis forsan diu somno meridiano assuetus sit, aut noctu vigilaverit, Diurnus enim somnus, & qui à cibi repletionẽ initur, caput replet. Quæ autem forma decubitus, & situs capitis esse debeat, mox, *quest. 2.* dicitur.

QUÆSTIO I.

*An Cerota & Emplastra è
fimo columbino & thapsia
in Catarrho calido
convenient?*

Galenus, *5. method. med. cap. 13.* de Catarrho calido cum impetu ruente, & sanguinis sputum excitante, cum metu exulcerationis pulmonum agens, historiamque curationis, quam in nobili femina Romæ peregerat, narrans, inter medicamenta ab initio adhibita etiam mentionem facit Ceroti ex fimo sylvestrium columbarum, quod vertici imposuit; nec non esus, quod ex Thapsia paravit. Idem ex Thapsia cerotum etiam *cap. 14.* proponit. Idem cerotum in catarrho, ubi de pulmonum exulceratione metus est, proponit Aëcius, *terrabil. l. 2. ferm. 4. cap. 60.* Paulus Ægineta, *lib. 3. cap. 31.* qui tamen illud non statim initio proponit, sed ubi aliis remediis malum non cessit. Habet idem remedium Avicennas, *lib. 3. Fern. 10. tract. 3. cap. 6.* qui & ipse non statim initio, sed ubi alia remedia non profuerunt, illud adhibet. Alexander Trallianus tamen, *ex allegat. cap. 13. l. 5. method. med. Galeni,* catarrhum illum calidum,

salum.

salum, & acrem fuisse, accaputillius
 foeminae intemperie calida laborasse
 colligens, reprehendit curationem
 propositam, eo nomine, quod nullo
 refrigerante & humectante medica-
 mento usus Galenus statim ab initio
 siccantia & calefacientia adhibuerit,
 quibus caput calidius redderetur, & ca-
 tarrhi acrimonia adaugeretur. Ideo-
 que ipse potius primum refrigeranti-
 bus & humectantibus, quae acrimoni-
 am catarrhi temperent, utendum cen-
 set. In d. ipse Galenus, 6. de tuend. sa-
 nit. cap. 9. medicamentum ex thapsia
 & sinapi nocere scribit, ubi caput in-
 temperie calida laborat.

Hieronymus Capivaccius, ut Ga-
 lenum contra Trallianum tueatur,
 docet, calefacientia tribus nomi-
 nibus usurpatis posse, vel tanquam
 evacuancia, vel tanquam retrahen-
 tia, vel tanquam calefacientia. Gale-
 num autem iis usum potissimum esse,
 ut retraherent materiam, deinde et-
 iam ut insensibiliter eam discuterent.
 Quae responsio si recte explicetur, lo-
 cum habere potest. Etenim cum Ga-
 lenus ipse agnoverit, catarrhum illum
 calidum & salum fuisse, nullo modo
 ad calefaciendum, sed ad catarrhum
 illum retrahendum eo medicamento
 usum fuisse, planum est. Quod vero
 statim initio ceroto talis usus est, metus
 urgentis periculi fecit. Etenim etsi
 ad fuerit in proposito catarrho intem-
 peries calida, quae refrigerationem pos-
 tulabat: tamen plus urgebat fluxus
 praecipuus materiae ad pulmones, quam
 caliditas, utpote quae jam sputum fan-

guinis excitabat, & metum exulcera-
 tionis pulmonum incutiebat. Et licet
 nonnihil aufereretur intemperies capi-
 tis & causae morbificae: tamen per hoc
 remedium maximum periculum de-
 clinabatur, quo evitato postea intem-
 periem capitis & materiae corrigere
 licet. Refrigerantibus & exsiccanti-
 bus idem praestari non potest. Cum
 enim sint partium crassarum, tardè
 operantur, & exprimunt potius humo-
 rem, atque effectum, qui statim expe-
 titur, non praestant. Si autem destil-
 latio non urgeat, nec fluxus sit praeci-
 puus, in intemperie calida à calefaci-
 entibus abstinere tutius est: de quo ca-
 su intelligendus est locus Galeni, 6.
 de tuenda sanitate, cap. 9. Loquitur e-
 nim ibi de destillatione non urgente,
 & quae in latitudine sanitatis accidit.

QUAESTIO II.

*Quanam forma decubitus
 & situs capitis in Catar-
 rho esse debeat?*

De forma decubitus, & capitis situ
 somni tempore, in lib. 3. Avicenna non
 idem sentire videntur Interpretes. Et-
 si enim de curatione Catarrhi & de-
 stillationis tractans Avicennas, 3. fen.
 5. tracta. cap. ult. inter alia, quae de som-
 no inquit, & hoc praecipit, ut, qui
 Catarrho sunt obnoxii, capite dormi-
 ant minimè elevato, sed potius demis-
 so, decliviq; pulvinari: olim tamen
 aliter hunc locum legerunt, ita nimi-
 rum, Et oportet secundum omnem dis-

*Forma de-
 cubitus in
 Catarrho.*

monet

positionem, ut regatur cum elevatione capitis, & eleuetur pulvinar.

Verùm enim verò non ita simpliciter nec hoc, nec illud affirmari potest. Etenim situs capitis conveniens eligendus, vel ob materiam ad caput ascensum, vel ob eiusdem è capite delapsum. Ascensum vaporum quod attinet, scribit Aristoteles, 10. *problem.* ideo bruta non laborare destillationibus, sicut homines, quoniam brutis calor & humores, qui calorem sequuntur, in artus sese efferant, unde per refractionem disiecti partim quidem in cervicem & caput, partim in spinam & lumbos, & ita non in unam partem ferantur; cum in homine, qui figuram erectam habet, calor non dispartitus non partim ad anteriora, partim ad posteriora, sed totus ad caput eleuetur, quem humores sequuntur. Hanc Aristotelis rationem etiam in Catarrhis locum habere putat Hieronymus Mercurialis, *cap. 15. lib. 2. variar. lect.* & in figura ac situ capitis recto & elevato plus vaporis & humoris ad caput ferri putat, quam in situ declivi. Verùm non satis firma est hæc ratio, & tum solum locum haberet, si vapores & humores liberè, instar vaporum in aëre, aut fumorum in furno vel fornace, & non vasis maximam partem conclusi, ad caput ferentur: sed cum per vasa præcipuè ascendant, ratio hæc locum hic non habet; & cum in brutis, tum in homine ex epate ac corde humores & vapores per venas & arterias ad caput feruntur. Imò si humores attendendi sint, cum illi sua natura sint

graves, difficiliùs in erecta figura, quam declivi, caput petunt. Unde rectè scribit Orisbanus, (quod & experientia docet) *lib. 6. collect. in fine. cap. 1.* decubitus à pedibus altiorem caput replere & instrumenta sensuum. Descensum verò Catarrhi quod attinet, distinctione opus est. Si materia iam sit in capite seu ibi genita, seu aliunde transmissa, erecta capitis figura facilius materia delabitur, quæ gravis est. Ideoq; considerandum, utrum plus urgeat incommodum, quod partibus inferioribus delapsu Catarrhi infertur; an verò commodum, quod accidit capite sese in inferiora & partes ignobiles exonerante. Si illud plures urgeat, capite declivi cubandum, aut certè non valde erecto; si hoc, capite erecto. Si tamen ad sit difficultas spirandi, quod sæpe in destillatione accidit, caput in lecto sublime habendum est, ut moxerit Celsus, *lib. 4. cap. 4.*

DE EXCREMENTIS CEREBRI RETENTIS.

Ut excrementa cerebri quandoque copiosius, quam par est, evacuati solent: ita eadem quandoque præter naturam retinentur. E quibus in cerebro retentis varia mala, epilepsia, apoplexia, carus, & similia oriuntur. Retinentur autem vel obstructis viis, vel dum facultas expultrix officium non facit. Aperiunt verò vias, & facultatem ad expellendum irritant, errhina & apoplegmatisimi; de quibus supra, *part. 1.* & hæcenus sæpius dictum.

Topica

Topica quoque resolventia, quæ materiam insensibiliter discutunt, aliis præmissis utiliter usurpantur, de quibus etiam supra dictum.

Si nares sint obstructæ, unguento aliquo humectante & attenuante superior pars nasi illinatur.

Ut *℞. Ol. amygdal. dulc.
amarar.*

*adipis gallina, an. Unc. ʒ.
Misce.*

Naribus attrahatur aqua majoranæ, in qua semen nigellæ maceratum sit.

Vel *℞. Betonic.*

major. viridium, an. M. ij.

Exprimatur succus & naribus attrahatur. Infantibus commodè particula butyri sine sale, magnitudine pisi, naribus inditur. Pertinet hûc etiam suomodo Sternutatio. Verùm de

eâ agetur infra, part. 3.

sect. 4, cap. 9.



LIBRI

LIBRI PRIMI

PARS III.

De Morbis ac Symptomatibus, quæ accidunt organis ac functionibus sensuum Externorum.

SECTIO PRIMA.

De Symptomatibus sensus Tactus, & Dolore Capitis.

CAPUT I.

De Stupore & Torpore.

CUm hætenus morbos, qui cerebro & capiti accidere solent, & symptomata, quæ in actionibus sensuum internorum, & motu voluntario; ut & in excrementis cerebri, contingunt, explicaverimus: proximum jam est, ut morbos, qui organa sensuum externorum infestare, & symptomata, quæ in actionibus sensuum externorum obeundis accidere solent, explicemus. Cum autem sensus tactus communissimus sit, & omnibus reliquorum sensuum organis in sit, ab eo initium facere libet. Cum verò in tactus organo, ut in aliorum sensuum organis, multi morbi non occurrant, saltem de symptomatibus dicemus. Quæ verò de morbis dici possunt, inter causas eorum proponentur.

Tactus autem instrumentum esse membranam, in *Institut, lib. 1. cap. 12.* monstravimus. Læditur autem Tactus, cum imminuitur, vel aboletur, vel depravatur. Imminuitur & aboletur in stupore & torpore; depravatur in dolore, de quibus jam dicendum.

Νάρκη & νάρκωσις, Latinis Stupor seu Torpor, et si in genere actionum imbecillitatem significat, quo sensu Hippocrates, *6. Epid. comm. 2. νάρκωσιν γνώμης*, mentis stuporem & hebetudinem dixit, & *6. Epid. comm. 3. 1. νάρκω-*

νάρκησιν κοιλίας, ventris stuporem & legnitiem: tamen in specie sensûs tactus & sæpe etiam motus imbecillitatem significat, quæ nihil aliud est, quàm inchoata paralytis, causarum saltem magnitudine à vera paralyti differens. Quò pertinet affectus, quem Germani Obdormitionem vocant, qui tamen mixtus videtur affectus ex torpore & dolore.

Causse.

Causa continens hujus mali est spirituum animalium sensui & motui in parte aliqua destinatorum defectus. Cum enim partes sensui tactus destinatæ membranosæ sint; patet hinc, subjectum stuporis esse partes, quatenus membranosæ & nervosæ sunt. Et cum eadem partes suas actiones expediant spirituum animalium beneficio, & spiritibus animalibus denegatis nulla actio animalis perfici possit: manifestum hinc evadit, proximam stuporis causam esse spirituum animalium defectum. Atque ita Stupor & Torpor erit sensus tactus, nonnunquam & motus, imminutio, vel etiam abolitio, à spirituum animalium defectu orta. Hinc torpor præludium atque initium quoddam paralytis est. Sensus enim tactus non planè extinctus, sed admodum labefactatus est.

Et quanquam interdum in toto corpore stupor accidat, sicut Brassavolus, ut, *ad aphor. 9. lib. 7.* refert, vidit, quendam ab hæmorrhagia narium corporis totius stuporem incurrisse, quem mors excepit, nil proficientibus remediis, & Fernelius scribit, *lib. 5. path. c. 3.*

L. I.

universi corporis cutem ex crapula & vinolentia stupore affectam, illa sero motu, Matthiolus etiam refert, rusticum quendam, cum hasta serpentem prægrandem occidisset, duobus annis postea universi ferè corporis stupore laborasse: tamen rarissimum hoc est, & plerumque saltem una pars, vel plures stupore afficiuntur.

Causæ ergo omnes, quas nuper in paralyti recensuimus, & hic locum habent, quæ saltem hic sunt minores & leviores. Deficiunt nimirum spiritus, quia non transmittuntur, vel quia transmissi non admittuntur, vel, licet influant, cum ipsa partè malè disposita non uniuntur. Non transmittuntur, ubi vitium est in cerebro, quod rarissimè accidit. Nonnunquam tamen id evenit nervorum principio affecto. Frequentius verò accidit vel ipsius partibus, quæ stupore laborat, vitio, vel nervorum, per quos spiritus animalis transmittitur. Neque enim in parte affecta causa semper quærenda est, quod Empeirici faciunt; habeturque hujusmodi exemplum apud Galenum, *1. de loc. affect. cap. 6.* Occurrit Galeno quidam medicamentum digitis adhibitum ostendens, dixitque, triginta jam diebus sensum se amisisse, illa sero servato motu, sed nihil auxilii ab impostis medicamentis percipere potuisse. Galenus, cum interrogasset, cujusmodi remedium adhibuisset, atque intelligeret, ad rem id esse idoneum, causam investigare cœpit, cur nullum ab eo auxilium consequeretur. Inquirens ergo, quæ præcesserint accidentia, invenit, atque ex ægri relatione cogno-

Zzzz

vit,

Stupor universalis.

Vit, eum à vehiculo decidisse, & non multò post digitorum hunc affectum incurrisse. Et cum animadverteret, in primo exortu nervi post septimam vertebram oriundi causam mali hærere, idem illud medicamentum a digitis amovit, & dorso applicavit, atque ita sensum in digitis cum multorum admiratione recuperavit. Partis verò ipsius vitio stupor excitatur, cum, licet spiritus animalis influat, constitutio partis sive à frigiditate, sive ab occulta qualitate mutata est, à spiritu animali non, ut debet, afficitur, neque vis sentiendi in actum deduci potest. Et si verò etiam ab externo frigore temperies partis mutari, & hoc modo stupor induci possit, sicut ex 1. de loc. affect. cap. 4. & 6. videre est; tamen quæ narcotica dicuntur, non frigiditate, sed occulta vi & malignitate id præstant, ut de torpedine, pisce, naturalis historix scriptores referunt, & de rustico, qui, cum serpentem hasta transfodisset in stuporem totius corporis incidit, historiam ex Matthiolo supra recensuimus. § Obdormitio autem à causa externa plerumque excitatur, compressione scilicet membri & nervorum in eo; unde influxus spirituum animalium inhibetur, qui postea laxatis nervis copiosè & subitò ad externas membranas partes excurrunt, & subitam in iis alterationem faciunt, quam dolor ille & molestia sequitur.

Plura, quæ supra de causis Paralysis dicta sunt, hic de causa stuporis afferre opus non est. Hoc saltem monendum aut repetendum, neminem

stuporis, ut & paralyfis alicujus partis, causas omnes rectè investigare posse, qui Anatomia gnarus non est, & cognitum non habet, unde quilibet pars nervos suos accipiat; cum sæpe accidat, ut non in ipsa parte affecta, sed loco remotiore, in nervi principio, vel ejus ductu, causa mali hæreat.

Differentia.

Stupor 1. vel simplex est; sensus tactus videlicet solius læsio, vel cum læsione aliqua motus conjunctus. 2. Stupor alius est totius corporis, ac artuum imprimis extremorum; alius certæ cujusdam particulæ.

Signa Diagnostica.

Affectus ipse ex relatione ægrotantis cognoscitur, qui se vel nullo modo, vel difficulter & obscurè ea, quæ tactui offeruntur, percipere conqueritur, plerumque cum debili etiam motu, sive in una aliqua, sive pluribus corporis partibus. Quæ autem signa causarum sint, ex iis, quæ supra de paralyfi dicta sunt, patet.

Prognostica.

1. Stupor si in aliqua parte diu perseveret, in paralyfin desinit; nonnunquam & in spasmus.

2. Stupor, qui totum corpus occupat, nec evacuationi cedit, & caro quid simile habet, & cui vertigo succedit, malum; quoniam imminentem Apoplexiam nunciat, teste Avicenna. Imò per stuporem ex vehementi spirituum resolutione homo una die moritur.

3. Stupor in facie torturam oris portendit.

4. Periculofus stupor est, in quo cum sensu simul laesus est motus; & qui diutius perseverat, & qui plures corporis partes, cerebroque vicinas, oblidet.

Curatio.

Cum stupore ex iisdem caussis oritur, à quibus paralyfis, quanquam illis levioribus: curandi rationem similem requirit; nisi quod minus valida hinc praesidia adhibentur.

Praemissis ergo universalibus evacuationibus, ac, ubi opus est, particularibus, partem affectam Medici jubent immergere vinaceis calentibus recens expressis, vel lavare decocto salviae, rosmarini, aut lavendulae, facto cum vino vel aqua eorum: vel fricare spirita vini, in quo pyrethr. vel castoreum sit infusum, vel aqua apoplectica aliqua vel paralytica, & alia adhibere, quae de paralyfis curatione supra proposita sunt.

CAPUT. II.

De Doloze in genere.

Depravati verò tactus sensus symptoma egregium est Dolor; de cuius natura & caussis varia & proluxa disputationes apud Medicos extant; & dicta sunt quaedam hac de re instit. lib. 2. part. 3. sect. 1. cap. 6. & sect. 2. cap. 3. quae hic repetenda non censemus. Necessaria tamen quaedam addeimus. Monstratum autem eò loci, Doloze esse molestiam, quae ex sensu &

perceptione objecti ingrati tangibilis oritur; seu, ut Galenus definit, Doloze rem esse tristem sensationem, in tactu puta. Causam verò proximam esse solutionem continui in parte sentiente seu membranosa: aut, si cui *ἀνεξβολογέιν* cum Philosophis libet, repentinam & violentam alterationem à qualitatibus tactilibus, continuum solventem. Uti ita Dolor sit molestia seu sensus tristis à continui solutione partis sentientis; seu, molestia ab objecto confertim & violenter in partem sentientem agente, atque ita continuum solvente, ortum habens.

Subjectum nimirum doloris sunt partes sensu tactus praeditae, id est, membranosa: unde quae pars membranam nullam habet, sensuque tactus praedita non est, dolore etiam non infestatur. Cum verò sensibus aliis omnibus etiam tactus substratus sit, utpote quorum organa membranas participant, etiam aliorum sensuum organa dolore afficiuntur; de quo Galenus, lib. de differ. symptom. cap. 3. Maximi dolores, inquit, sensui tactus contingunt; quippe qui ex aurium phlegmone, aliove affectu eos afficiunt, ij proprii auditus dolores non sunt, sed tactus. Est enim sensus omnium sensoriorum communis, reliqui quatuor sui quique solius. Ad eundem modum in oculis non raro dolores immodici urgent, tangendi scilicet in his sensu contristato.

Porro sicut ad sensum quemlibet, *Qua ad sensum sine necessaria,* ita ad dolorem, non sufficit objecti molestia in organo apprehensio, sed etiam facultas cognoscens & superior concurrat, necesse est. Quo enim mo-

mento pars sentiens seu membranosa ab objecto sensibili afficitur, eodem simul facultati superiori & cognoscenti species communicatur, & inde ab eodem seu gratum seu ingratum iudicatur. Si verò facultas cognoscens superior non concurrat; nec objecti apprehensio, nec dolor fit. Unde Hippocrates, 2. aphor. 6. *Quicumq; dolentes aliqua parte corporis dolorem non sentiunt, iis mens aegrotat.* Et qui delirant, cum facultas superior in iis laboret, dolores non sentiunt; nec sapores discernunt. Et sæpe graviter vulnerati ardore pugnae & vindictae mentis aliò conversa dolorem non percipiunt.

Dolor quomodo fit de depravata actio.

Refertur autem dolor ad depravatas actiones, non quod, ut in aliis sensibus depravatis accidere solet, decipiatur tactus, & erret circa proprium objectum, & aliquid, quod non est, esse putet; cum quod est calidum, pro calido, quod frigidum, pro frigido, quod est asperum, pro aspero accipiat: sed eo modo depravata actio dicitur, quia non fit secundum naturae leges, & objectum organo non est proportionatum. Hinc Galenus, *de differ. Symptomati. cap. 3.* tactum in sua functione præter reliquos sensus symptoma: esse aegrotorum obtinere, dolorem uempe, scribit, id est eximium, & ab aliis actionibus depravatis suo modo diversum.

An verò dolor sit ipsa sensio, an molestia inde orta, etiam in *Institut. loco allegato*, dictum, nimirum proprie loquendo dolorem non esse ipsam sensationem simpliciter, sed molestiam ex sensatione ortam; seu, ut Galenus

scribit, tristem sensationem, hoc est, tristitiam aut molestiam in sensatione aut ex sensatione. Neque enim hic de verbis tantum contendendum, neque, ut Galenus, *de causis. sympt. cap. 6.* scribit, refert, an molestum, an triste, an dolorificum, an dolorosum, an laboriosum appelles: sicut nec, si passionem ipsam molestiam dicas, an tristitiam, an dolorem, an laborem.

Quæ sit proxima Doloris causa.

De proxima verò doloris causa prolixæ disputationes extant apud Medicos, ut etiam *Institut. lib. 2. part. 3. sect. 2. cap. 3.* docuimus. Præ cæteris autem duæ magis probabiles sententiæ sunt; una eorum, qui statuunt, solutionem continui esse proximam doloris causam; alteram illorum, qui subitam & violentam mutationem qualitatum activarum, seu qualitates tangibiles subito & violentè in tactum agentes, proximam doloris causam statuunt; neque inter se duæ istæ opiniones multum discrepare videntur.

Galenus equidem, 1. *de sympt. causis. cap. 6.* ex Platonis Timæo illud, quod præter naturam est, & violentè ac repente nos afficit, dolorem parere scribit. Verum cum illius violentæ & repentinae mutationis, si dolorem inducere debet, terminus sit solutio continui; etsi violentam & subitam mutationem in organo tactu factam in qualitatibus activis pro proxima causa doloris admittamus; tamen determinanda

anda videtur per solutionem continui: Tum enim subita & violenta facta à qualitatibus tangibilibus mutatio dolorem inducit, cum continuum solvit. Utrumque complexus videtur Hippocrates, in libr. de locis in homine, cum abiis, quibus natura alteratur & corrumpitur, dolores fieri scribit; & post eum Aristoteles, cum, libr. 2. de Anima, cap. 12. τῶν αἰσθητῶν τῆς ὑπερβολῆς φέρειν τὴν αἰσθητήρα. docet: neque sine causa. Cum enim unum & ens simul sint, 10. Physic. & unum sine altero non existat, unitasque perfectionis, multitudo verò imperfectio- nis comes sit: certè etiam homo unum erit, & ad sanitatem unitas neces- saria, qua amissa morbi & interitus se- quuntur. Cum verò tactus ad vitæ con- servationem datus sit, & abiis, quæ corpori nostro profunt, suaviter, ab iis, quæ obsunt, malè afficiatur: certè illud, quod corporis nostri perfectio- nem evertere natum est, ingratis- simum occurrit. At nihil naturæ, quàm unitatis solutio, infestius, nihil perfe- ctioni nocentius. Ab ea ergo dolor etiam, symptoma omnium ingratis- simum tristissimumque, orietur. Hinc omnia, quæ dolorem inferre dicun- tur, ideo id præstant, quod suavissi- mam illam, gratissimamque, non so- lum animalibus, sed etiam entibus om- nibus, unitatem solvunt.

Etsi verò una proxima & immedia- ta est doloris causa, nimirum continui solutio: tamen sunt aliæ principales, quæ proximè hanc antecedunt, quali- tates nimirum primæ, qualitates se- cundæ, & humorum copia. Qualita-

tes primæ continui solutionem non ita manifestam efficiunt, sed ratione contemplantibilem. Copia verò humo- rum, & qualitates secundæ manifestè continuum solvunt. Unde facilè Ga- leni loca in speciem pugnanti conciliari possunt: Aliquando enim proxima doloris causam, quæ una est, proponit; ut, 4. de simpl. med. fac. cap. 2. comment. 3. in libr. Hippocrat. de fract. text. 54. libr. de inequali intemperie, cap. 6. 12. method. medend. cap. 7. Aliquan- do verò non proximam doloris causam proponit, sed principales; ut; 2. de diata. loc. affect. cap. 5. 2. victus ration. in acu- tu, textu 1. artis medica cap. 80. Et ipse, qua ratione hæc loca conciliari pos- sint, docet; 12. meth. med. cap. 7. Cum enim dixisset; Naturalis ratio nos docet, vitium id corporis, ex quo sit doliturum, aut continuitatis divisionem oportere esse, aut alterationem aliquam, pauld post addit; illud verò inquirere, an ipsum quod vehementer excalescat aut refri- gerat, divisionum aliquam continui effi- ciat, longiore forsitan disputatione e- ger, & utrumq; ostensum est à nobis in Commentariis de simplic. medicament. facultat. Verùm, quid agendo, quæ vehe- menter vel calefaciunt vel refrigerant, dolorem inferant, querere, ad propositam rem minimè est necessarium.

Causæ nimirum doloris tot sunt, quot tactus objecta, hoc est, quicquid supra modum calidum, frigidum, du- rum, acutum, grave, repente in ta- ctum irruit, organumque tactus offen- dit. Hoc tamen & hic monendum est; solutionem continui, non solutam u- nitatem, esse proximam doloris causam

lam. Fit autem solutio continui dum pars secatur, pungitur, distenditur, uritur; soluta autem unitas est, dum punctio, sectio, divisio absoluta est, & membrum, quod antea unum erat, divisum. Fit verò dolor, ut dictum, à continui solutione, non à soluta unitate. De quo Hippocrates, *de loc. in homine. li. quorum natura corrumpitur, dolore afficiuntur, non quorum mutata & corrupta est.* Et licet inflicto jam vulnere dolor adhuc perseveret: tamen is non est à soluta unitate, quæ solutione inducta est, sed ex humorum ad partem vulneratam affluxu, qui eam distendunt & irritant, & ita solutionem continui efficiunt; qui dolor etiam tam diu durat, quam diu is humorum affluxus durat.

An omnis
intempe-
ries dolo-
rem indu-
cat.

Reliqua verò, quæ dolorem inducunt, mediante solutione continui dolorem excitant. Ita intemperies mediante solutione continui dolorem inducunt. Sed an omnis intemperies, & quidem sine materia, dolorem inducat, Galenus non idem docuisse videtur. Nam, *12. meth. med. cap. 7.* saltem quæ excalefaciunt, & quæ refrigerant, dolorem excitare tradit Idè, *1. desympt. caus. cap. 6.* docet, Verù, *in comm. 2. lib. Hippocr. de ratione victus in acutis, t. 1.* corpora nostra dolore affici statuit, cù calefiunt, refrigerantur, siccantur, & humectantur. Idem docet *artis medica cap. 80.* Et, *lib. de inæquali intemperie, cap. 4.* ab omni quidem intemperie dolorem proficisci & induci statuit, potiores tamen à calida & frigida, utpote quæ qualitates efficacissimæ sunt, & *lib. 2. de compos. medic. sec. loca, cap. 7.* calorem & frigus vehementissimos facere

dolores, siccitatem mediocres, humiditatem nullum statuit.

Verùm enim verò intemperies considerantur vel sine, vel cum materia. Si sine materia, tum & calida & frigida intemperies dolorem magnum & evidentem indicunt; siccitas verò moderatum. Humida verò sine materia nullum dolorem inducit; cum repenti & confertim naturam mutare non possit, & unitatem potius cõserves, quàm solvat. Si verò intemperies consideretur cum materia, tum à qualibet dolor induci potest, etiam humida, sed pariter distendendo.

Differentia.

Sunt autem variæ dolorum differentia, partim ex partis affectæ natura, partim à causis desumptæ. Præcipuæ hæ sunt.

Doloris
Differentia.

Bæqûs, gravis, Barbaris gravativus, sic dictus, quod æger veluti ponderis loco affecto incumbens sensum percipit. Provenit hic dolor à causa in membro per se sensu destituto, membrana involuto; qualia membra sunt, epar, lien, renes, pulmo. Nam si tale membrorum parenchyma vel inflammatio, vel apostema, vel calculus, vel humor occupet; etsi ipsa caro visceris non sentiat, tamen, dum ambiens membrana tenditur, aut deorsum trahitur, fit inde dolor talis gravis.

Dolor gra-
vativus.

Νογματῶδης, Punctorius, qui membranis, præcipuè illis majoribus, accidit, eò loci quidem fixus, ubi membrana pungitur; ad magnum tamen spatium circumcirca sese diffundens. Talis dolor accidit in pleuritide, membrana costas succingente inflammata, item in

Dolor pun-
ctorius.

teni-

renibus & epate, eorum tunicis inflammatis; vel membranis, quibus vicinæ partes connectuntur, in consensum tractis.

Ὁξύς; acutus, pungens, Barbaris pungitivus, punctorio cognatus, cum membrum quasi acu, terebra, aut palo impacto, perforari videtur, ut interdum in colo intestino accidit, & in cephalæa quandoque, præcipuè verò calculo aspero in ureteribus hærente.

Dolor mordax. Ὁ μεταδύξεως, mordax, à mordaci humore partes sensiles vellicante. Quò pertinet & pruriens, seu pruritivus, qui ab humore acri & falso per cutem diffusio accenditur.

Dolor pulsatorius. Σφυγμάδης; ἢ σφυγματώδης, pulsatorius, in quo æger manifestam sentit pulsationem. Equidem in homine sano solùm arteriæ pulsant, earumque pulsatio sine dolore percipitur. Ubi verò inflammatio oborta est, vel affectus phlegmonodes, ut erisypelas & abscessus, earum pulsatio cum dolore percipitur, ob angustiam partium, quas arteria, dum attollitur, comprimit. Itaque dolor pulsatorius inflammationis proprius est, sed non omnis, verùm majoris tantùm, neque in omnibus partibus. Tria enim ad dolorèm pulsatorium efficiendum requiruntur: Primò, ut pars affecta sit sensu prædita. Secundò, ut arterias habeat. Tertio, ut membrum distendatur, & majori ventilatione opus habeat. Undè neque fit in scirthis; neque in œdematis propriè dictis, neque in peripneumonia, neque in pleuritide, neque in aliis parti-

bus, quibus vel arteria, vel sensus deest.

Ὁ σκόπιος, id est, Ossium dolor; Barbaris frangitivus, membranis, quæ ossa tegunt, proprius, qui propterea profundus est, & in intimo corporis sentitur, in quo æger ossa quasi frangi sibi & contundi queritur. Oriturque à flatu aut humore seroso inter os & membranam sese insinuante.

Τενώδης; Tensivus, est membranarum, in quibus nullæ sunt arteriæ, & cutis, ac glandularum, cùm inflammatione laborant: capiti etiam sæpè accidit, & quidem à spiritus tenuis & flatuosi copia, si citra gravitatem & pulsus fiat. Si verò cum pulsu, membranæ inflammationem, si cum gravitate, humorum multitudinem intra membranas contentam significat. Accidit frequentissimè ob repletionem humoris sive vaporis, & flatus. Estque symptoma commune inflammationum & tumorum, imprimis calidorum. Nam venæ, arteriæ, & nervi tenduntur, ut per tota membra ab inflammato loco usque ad alas & inguina tensio percipiatur. Exortatur quoque dolor ab immodicis exercitationibus, unde & lassitudines tensivæ appellantur, quæ musculorum sunt. Plura de his vide apud Galenum, 2. de locis affect. cap. 3.

Signa Diagnostica.

Dolor ipse, ut molestissimum symptoma, facillè ex ægri relatione & querela.

querela cognoscitur. Causæ etiam externæ calefacientes, frigefacientes, seccantes, urentes, distendentes, similesq; corpus violenter afficientes, itidem ex ægri relatione patefiunt. Internæ vero causæ signis investigandæ sunt, de quibus in cujuslibet partis morbis in specie agerur.

Indicationes & Curatio.

*Doloris
Curatio.*

Dolor indicat remedium anodynum, sive dolorem tollens. Cum autem, ut exiis, quæ antea de natura & causis doloris diximus, patet, dolor quidem non sit ipse sensus, sed molestia seu tristitia, non tamen sit sine sensione; ad sensionem autem duo requirantur, ipse partis sensus, & animadvertentia, seu superioris facultatis concursus: si unum horum desit, non fiet dolor. Itaque quæ uni horum sunt contraria, etiam dolori sunt contraria.

Molestæ sensationi contraria est jucunda sensio. Talem autem efficiunt, quæ substantia sunt molli, ac blando tepidoque, & temperato colore prædita. Unde Galenus, 7. meth. med. cap. 6. balneum aquæ tepidæ sensui tactus jucundissimum & dulcissimum esse scripsit. Et Hippocrates, 6. Epidem. sect. 4. §. 8. cum Medicum suaviter erga ægrum sese gerere jubet, præcipit, ut mollia tactui offerantur, tanquam gratissima. Et Galenus, in Commentario, addit, mollia ita tactui esse jucunda, ut suaves voces auditui. Hinc vola manus cuiusque parti apposita

dolorem mitigat, & unctiosa ac pingua & contactu suo, & calore tepido suavem parientem sensionem, ut oleum commune dulce, pinguedines animalium temperatæ. Atque hæc sunt propriè Anodyna.

Sensionem autem contraria est sensus privatio. Sensio autem non fit vel ipso sensu ablato, vel anima non animadvertente. Quæ ipsum sensum tollunt, naturalem temperiem partis tollunt, aut potius spiritus, sensionis instrumentum, quasi sopiunt ac stupefaciunt, & talia propriè Narcotica dicuntur, quæ non, nisi summa necessitate urgente, & cautè adhibenda sunt. Narcoticis substitui possunt Hypnotica; Hypnoticum in somno omnes sensus cessent: modo hyponotica non sint simul narcotica. Aliàs enim nulla inter ea esset differentia.

Animadvertentia tollitur, dum æger ad alia objecta avocatur, quæ attentionem requirunt. Sic suavia colloquia, cantus suavis, inspectio rerum jucundarum, animum aliò avocando dolorem leniunt. Hinc etiam doloribus duobus corpus infestantibus major minorem obfuscat, & ob iram & animi perturbationem dolor ex inflato vulnere sæpe non percipitur. Atque hæc genuinæ, quas dolor per se suppeditat, Indicationes sunt, & hæc vera dolorem, quatenus talis, curandi ratio est.

Dum verò alii medicamenta anodyna resolventia & calida in primo, ac tenuium partium esse statuunt, quæ scilicet evacuent, digerant, rarefaciant, extenuent, concoquant, & æquabile reddant

reddant quicquid in partibus dolore affectis aut humorum acrium, aut lentorum, aut crassorum, aut multorum, tenuibus spiraculis infarctorum, aut etiam vaporosi, aut crassi, aut admodum frigidi spiritus, exitum commodum non inveniunt, inhærescit, aut conclusum est, ut Galenus, 5. de s.m. fac. cap. 19. hac de re loquitur; non propriè anodyna, & quæ omni dolori, à quacunque etiam causa proveniat, communia sunt, proponunt, sed medicamenta, quæ certis causis dolorem parentibus occurrunt. Anodynorum autem, ut & narcoticorum, materia in Institut. lib. 5. part. 1. sect. 1. cap. 7. proposita est. Et si inter anodyna & dolorem lenientia etiam calida in primo recensentur, ab autoribus fit hoc, quia calida in primò non multum differunt à temperatis, neque illos limites semper exactè distinguere facile est. Et licet aliquid materia digerant, atque ita remedia causæ dici posse videantur; tamen materiam totam digerere non possunt.

Sanctor. Sanctorius, in comment. in 1. fen. Avicenn. coll. 668. pro sedandis maximis doloribus, quando anodyna digerentia prius applicata non profuerunt, vesica aqua frigida plena partem dolentem velociter tangit, & sine mora eam rursus amovet, idque bis vel ter facit, & hoc modo dolores magna ægri & adstantium admiratione sanari scribit; causam reddit ex Hippocrate, qui, 5. aphorism. 21. scribit: In distensione in juvene carnoso ætate media frigida perfusionem calorem revocare, & sanare. Et quidem vesicæ

L. I.

cam aqua frigida refertam multò commodius id præstare scribit, & sine ullo detrimento: quia partes dolentes frigida perfusione madefiunt, & non ita facile exsiccantur; quod incommodum vesica non adfert, quæ actualem humiditatem non relinquit.

CAPUT. III.

De
Dolore Capitis.

Cum autem dolor omnibus partibus sensu tactus præditis accidere possit, sæpius inter symptomata in variis corporis partibus doloris fit mentio. Hoc loco saltem de dolore Capitis agemus: de reliquarum partium etiam suo loco acturi.

Dolor capitis, Græcis ὀδύνη, ἄλγημα, καὶ πόνος κεφαλῆς, atque una dictione κεφαλαλγία & κεφαλαία dicitur, appellatione à symptomate & parte affecta simul sumpta: Arabibus Soda.

Causæ.

Causa continens, ut aliorum dolorum omnium, est solutio continui in partibus sentientibus, seu membranosis in capite. Remotiores sunt, quæcunque continuum solvunt; quæ partim sunt externæ, partim internæ.

Externæ seu evidentes sunt aër calidus ambiens, sive à Sole talis, sive ab igne; frigiditas nimia, flatus & ventus

Aaaaa

aqui-

æquilonatis & austrinus, odor gravior, percussio, ictus, & casus.

Internæ sunt primò nuda intemperies calida & frigida. Calida quidem vel intemperiem conciliando, vel humores ad caput evocando, vel jam in eo contentos flatus dissolvendo, liquando & extenuando, agitando. Huc faciunt vigiliæ, inedia, exercitatio & motus corporis atque animi nimii, qui humores exagitant, extenuant, calefaciunt, & in fervorem agunt. Frigida verò condensando, adstringendo, dum fuliginosa excrementa retinet, calorem naturalem intro agit, spiritus incendit, aut in repletis per austrum capitibus excrementa retinet, in corpore verò puro digerit & dissipat per accidens. Quæ enim linguæ intemperies capitis causas habeant, supra, *part. I. cap. 2. 3. 4.* dictum.

Deinde materia peccans seu qualitate, seu quantitate. Qualitatis vitia in materia sunt excessus caloris & frigoris, acrimonia, malignitas, ut in lue venerea, & febribus malignis. Quantitas *περὸν ἢ ὑποὸν*, seu *περισσὴν* materiæ parit, qua aut humores boni æquabili analogiâ redundant, ut in plethora; aut vitiosi & pravi, ut in cacochymia, quarum utraque obstructionis meatum in capite causa existit, & vasa distendere ac membranas comprimere solet.

Et materia illa aut humor, aut vapor seu flatus. Ac interdum vapor seu flatus ex pituita viscida copulis membranarum, pericranii scilicet, & duræ matris, inter suas inhaerente

genitus, ita crassus & validus est, ut præter insignem dolorem, quo affligit, etiam copulas illas membranasque distendendo compagem suturarum craniæ relaxet. Cui malo mulieres non ineptatione fasciis caput vinciendo consulunt; et si superstitiosa nescio quæ mensuratio sæpe accedat. Nam & Hippocrates, in libro de iis, quæ in medicat. sunt, sub finem, *δοσιμετρίας* nominat, quibus ossium capitis in futuris *Ἀγασσιν*, atque hinc natum dolorem, sanare docet, Et Galenus, 2. de loc. affect. c. 7. *Κεφαλαλγῆ Ἀγασσιν* meminit ex Archigenis sententia in Cephalalgia citra phlegmonem, cujus usus erat, ut compressione sua affluxum humorum & vaporum ad caput impediret, & efficeret, ne arteriarum in temporibus pulsu vehementiote caput concussum magis doleret, sicut dolore ~~tolere~~ solent partes affectæ, dum moventur.

Cæterum & hoc observatum est, a vermes quoque capitis dolores extitisse à vermibus in ipso genitis. Cujus exemplum ab Hollerio memoratur, ut & à Francisco Hildesheimio, in *specilegio* Videatur & Schenckius, *lib. I. observ. 82. 83. 84. 85.* Tandem calculos in cerebro genitos intolerabiles capitis dolores excitasse compertum est; ut apud Kentmannum, in *libello de lapidibus*, videre est. De quibus etiam supra, *part. I. c. 18.*

Affligitur autem caput dolore à materia, hoc est, ab humore vel vapore, vel per *ἰδιοπαθειαν*, vel per *συμπάθειαν*.

*Suturarum
capitis dis-
tensio &
relaxatio.*

*Vermes &
calculi in
capite.*

Per

*Dolor ca-
pitii per
essentiam.*

Per *ιδιοπάθειαν* & per essentiam, quando materia continuum solvens doloremque creans in ipso capite consistit, genita ibidem & cumulata ex imbecilla aut vitiosa nutrimenti concoctione, ob cerebri & partium capitis, *ἀδύνησιν* & *δυσκροσίαν*. Et omnino si caput debile fuerit, ad dolorem cum ab externis, tum internis caussis contrahendum paratius est. Scribit quoque Galenus, 6. *Epidem. comm. 1. aphor. 3.* acuta capita, in quibus dencium positus immutatus videtur, ut inferiores è regione superiorum non sint, sed veluti revulsus ac distortum os videatur, doloribus assiduis conflictari.

*Per con-
sensum.*

Per *συμπάθειαν*, quando materia ad caput fertur, sive eâ attracta à dolore aut calore, sive ad caput imbecillum transmissa à partibus aliis robustioribus, idque motu vel critico, vel symptomatico. Transfertur autem à toto corpore, ut in febribus vapores, in plethora boni humores, in cacochymia pravi; vel ab aliqua parte, ut imprimis à ventriculo, è quo per œsophagum vapores sursum ad caput ascendunt, ab epate item vapores & humores; ut & à liene, utero, renibus, intestinis, & genitis in his vermibus, per venas & arterias, & per cœca quoque corporis spiracula. Caput enim, veluti tectum fumosæ domui impositum, excipit quæcunque ab imo effumant, sursumque feruntur; unde illud affici necesse est à partibus inferioribus, vel à toto etiam corpore, per connexionem vasorum, quæ in universum

corpus sunt, dispersa, ut supra etiam, *lib. 1. part. 1. cap. 6.* dictum.

Fiat hæc sympathia *κατὰ κοινωνίαν* partium inferiorum, qua vapores aut humores capiti ab iisdem communicantur; cum alia *κατ'ὀμιλίαν* fiat, ratione vicinitatis partium dolentium, ut thoracis, faucium, scapularum; alia denique *κατὰ σύμφυσιν*, ut à spinalis medullæ affectione aliqua, & partium cæterarum, quæ vel tunicas à membranis cerebri, vel nervos sensus causa ab ipso cerebro accipiunt.

Atque ita caput consensum habet cum omnibus ferè corporis partibus, etiam remotissimis, pedibus nempe, adeo ut vel minima dolente facilè illud simul compatiatur. Fitque frequentissimè iste consensus cerebri, spinalisque medullæ, & nervorum beneficio. Consentit verò maximè cum ventriculo, ob nervos insignes à sexta conjugatione prodeuntes. Hinc affecto stomacho ilicò simul etiam ipsum cerebrum in consensum trahitur, & afficitur. Sicut contrà cerebrum affectum ventriculum in consensum trahit, unde delirantes, stupidi, vel alio cerebri morbo graviore affecti nihil appetunt, & si illud ob contusionem & percussionem gravio-rem commotum sit, mox ægri vomitus incurrunt molestos, sæpe etiam periculosos, qui non, nisi sanato cerebro, sisti possunt. Quemadmodum & cum utero, cujus læsio vertiginem, & alios cerebri affectus inducit, inprimis autem gravissimos capitis dolores,

vaporibus illuc transmissis, excitat, quos è regione capitis dolente, tanquam signo certo, à doloribus ex ventriculo abortis distingui posse, Laurent. Joubertus, *cap. de Cephalalg.* docet, ubi scribit, se experientia frequenti cognovisse, dolores capitis à ventriculo abortos magis anteriorem capitis partem offendere; dolores verò ab utero verticem & occiput. Et doctissimus Langius, *lib. 1. epist. 49.* idem ferè testatur, quando refert, se illud plusquam centies experitum fuisse in hysteriarum, & quavis uteri affectione, solum verticem capitis, prope futuram coronalem, ubi mulieres glaciei frigus & pondus se sentire fatentur, utero affecto lege quadam confortii condolere. Quod (inquit) si observaveris, ad discernendum, quando caput per matricis consensum doleat, tibi plurimum proderit. Quod quomodo accipiendum sit, & quæ ejus sit ratio, *supra, lib. 1. part. 1. cap. 6. in questione*, diximus.

Differentia.

Differentiæ dolorum capitis sumuntur ab objecto & causa efficiente; qua ratione dolor alius est acer & perforans, excitatus ab humore aut vapore bilioso vel adusto, membranas mordicante; alius gravans, qui *καρφηλαία* dicitur, à pituitosorum humorum copia, vel à plethora, vel ab ebrietate; alius distendens, à flatuum, vel mitiorum humorum abundantia, inter calvariam & pericranium, vel inter calvariam & duram cerebri

membranam; alius pulsans, à tenui biliosoque sanguine, vel à spiritu redundante, quo fit, ut arteriæ impletæ ac distensæ vehementius pulsent, membranasque concutiant, quibus continguntur ac fulciuntur.

Deinde à parte affecta, ubi dolor aliàs totum caput occupat, aliàs partem ejus duntaxat, dextram vel sinistram, anteriorem vel posteriorem. Qui totum caput, aut maximam ejus partem obsidet, ac recens est, nec ægro consuetus vel diuturnus, nec ita vehemens, ex quacunque causa oritur, *κεφαλαλγία* dicitur. *Κεφαλαία* verò, qui inveteratus ac vehemens est, levicula occasione exacerbatur adeò, ut nec strepitum aut vocem, nec splendorem lucis, nec vehementiorem paulò motum, nec vini potum ferre æger valeat, sed quietem ac tenebras amet. Arabes Ovum, ac passionem Galeatem appellant. Atque hic dolor vel continuus est, & curari difficilis, vel per intervalla, tanquam paroxysmorum, recurrit & invalescit, ut in epilepsia, & morbis periodicis nonnullis aliis, qui vel sunt ordinati, certis diebus septimanisve, vel manè, vel sub noctem redeuntes; vel inordinati, qui omni tempore redeunt, præsertim autem tum, quando à causa externa exacerbantur. Qui verò dimidiam capitis partem affligit, *ημιεαία* & *ημιεαία* dicitur, atque hic etiam vel recens est, vel inveteratus, sive causam fixam in cerebro habeat, sive aliunde communicatam. Frequenter tamen per sympathiam fit hypochondriorum, & ex intervallis reverti solet.

Postre-

Postremò à loco aut situ doloris, qua ratione dolor alius est externus, alius internus. Externus pericranium obsidet, & in superficie percipitur, ad radices capillorum, manusq; pressu exacerbatur. Internus ad tactum mitescit, præsertim si sit sine distensione. Uterq; eo usque aliquando intenditur, ut ad oculorum radices perstringat. Quanquam enim Galenus, 3. de loc. affect. cap. 9. interiores solum dolores capitis ad radices usque oculorum pertingere scribat: tamen & à pericranio oculorum cavata succingi, Fernelius monet.

Signa Diagnostica.

Signa doloris capitis.

Causas evidentes Medicus vel sensus, vitus nempe, tactusq; judicio cognosceret, vel ab ægro & adstantibus de iis certior fiet; nisi fortè mens quoque ægrilaboret. Evidentes causæ si nullæ præcesserint, conjecturam facere oportet, dolorem ab interna aliqua exitisse. Ac ab intemperie nuda caput dolebit sine sensu gravitatis, tensionis, punctiois, morfus. Si à materia dolor capitis excitabitur, & quidem à vapore, vel spiritu flatulento, rensis aderit sine gravitate, & punctio per intervalla, atque alia signa, supra, part. 1. cap. 7. enumerata. Si verò ab humore dolor erit; sensus percipietur gravitatis, & dolor erit stabilior. Quæ verò intemperies causa doloris sit, quæ item materia, ex iis, quæ supra, part. 1. de signis Intemperier. capitis cum & sine materia, dicta sunt, patebit. Peccant vero hæc causæ magis qualitate, si nec rensis, nec gravitas adsit, sed sensus

tantum præter naturam caliditatis, frigiditatis, siccitatis. Magis vero quantitate seu copia, si dolor cum tensione & gravitate sit conjunctus.

Cæterum exactè definire, utrum in dolore capitis afficiantur membranæ cerebri, an cerebrum ipsum, vel partes huic vicinæ, id adeo necessarium ac utile ad curationem Galenus, in fin. 2. de loc. affect. esse non putat; cum semper remedia capiti applicentur. Dolor tamen punctorius membranas cerebri affligi indicat, qui si cum magna pulsatione sit, inflammationis argumentum est, arteriis, quæ membranas cerebri intexunt, tenui fervidoq; sanguine impletis ac distentis. A cæteris circa cerebrum partibus dolor potius cum gravitatis sensu existit.

Signum doloris capitis à vermibus est dolor cum rosione quadam, & cum pruritu in naribus. Signa doloris à vermibus.

An autem caput per se, an per consensum afficiatur, sic discernitur. Proprius & primarius capitis dolor est, ubi læsio in aliqua cerebri functione, sive principe, sive sensus & motus ministra, deprehenditur, cæteris extra caput membris præter naturam haud affectis. Dolor verò per consensum fit, quando caput per se sanum & bene valens aliunde malè afficitur. Præterea dolor primarius plerumque continenter, & sine intermissione fatigat; per consensum verò ingravescit & mitescit, prout intenditur vel minuitur affectus in parte, à qua malum capiti communicatur, teste Galeno, in fine 2. de loc. aff. Quod si tamen in primario capitis affectu materia per intervalla in capite gignatur, Capitis primarij doloris signa.

Per consensum signa

rar dolor primarius intervalla quoque sua habebit: sicut contra dolor per consensum continuus esse potest, si genita extra caput in parte aliqua materia continenter ad caput feratur. Sed de his, & à qua parte materia, doloris causa, capiti communicetur, dictum est supra, *part. 1. cap. 5. & 6.* Hoc saltem adhuc monemus, præter alia signa etiam consideranda esse, quæ ab ægri temperie, ætate, idiosyncrasia, sexu, habitu corporis, consuetudine, vitæ genere, anni tempore, cæli statu sumuntur, ut in quacunque doloris capitis specie de ejus causis conjectura certior capi possit.

Signa doloris capitis ex urina.

Morbi quoque, qui dolorem capitis comitantur, ut & urinæ signa hæc præbere possunt. Nam quibuscunque urinæ in febribus turbata sunt, qualis fumentorum, iis dolor capitis adest vel aderit. *4. aphor. 70.* Ex agitatione enim & fervore humorum per febrem spiritus flatulentus una cum calore promptè ad caput attollitur, qui dolorem ibi concitat. Si etiam urinæ, quæ in morbis claræ minguntur, non facile turbantur, signum est doloris capitis; quoniam calor naturalis debilis non separat crassa à subtilibus; & qui præter naturam calor adest, vapores calidos de materia crassa resolutos sursum ad caput secum effert. *4. aphor. 17.* Bullæ parvæ per coronam urinæ sparsæ capitis dolorem adesse significant. Eritque dolor acrior, si bullæ illæ aureæ aut citrinæ fuerint; mitior, si albæ; diurnus, si diu permaneant. Ferne-lius, *de urin. cap. 16.*

Prognostica.

1. Dolor capitis in cute vel pericranio capitis ab externa causa exci-tatus, aut si ab interna à flatibus, vel à materia non admodum copiosa & crassa, vel ab interperie, quæ in habitum nondum abiit, oriatur, facilius curatur, quam qui meninges obsidet, vel à contrariis causis ortum habet. *Doloris corporis qui pericranio.*
2. In doloribus capitis minus periclitantur ægri, quàm in doloribus aliarum partium; aut aurium, oculorum, dentium, coli, periostii ab osse avulsione, eò quod cerebrum per se sensus expers est, teste Galeno, *1. de caus. sympt. cap. 8.* Propterea Galenus, *in 2. de compos. medic. secund. loca cap. 1.* inquit, ob capitis dolorem vehementem neminem unquam aut syncope correptum fuisse, aut se ipsum occidisse, quemadmodum quidem coli dolore vexati fecerint: quod tamen ita intelligendum est, quatenus dolor non alios graviore affectus accersit.
3. In vehementi capitis dolore cum febre acuta, si urina alba & clara conspiciatur, malum est. Significat enim bilem sursum ad caput ferri, unde inflammatio metuenda est, ad quam delirium sequi solet, teste Galeno, *in lib. de urin. cap. 5.*
4. Dolor capitis fortis subito delitescens, non sequente alleviatione per crisin, est lethalis: quia cerebri læsionem, virtutisque animalis destructionem significat.
5. In vehementi capitis dolore extrema frigescere, malum est. Ob

vehe-

vehementiam enim doloris calor naturalis intus retrahitur ad locum affectum, unde phlegmone facile excitari potest, ex 4. *aphor.* 48. & 7. *aphor.* 1. & 26.

6. Si dolor capitis, præsertim circa frontem & tempora, vehemens & continuus fuerit, cum febre acuta, & quarto die signum aliquod perniciosum apparuerit, septimo die mortem portendit, vel paulò post: si contra signa salutaria sese quarto die ostenderint, septimo crisis futura est. Quod si verò ante vigesimum perniciosa signa adfuerint, dolor tamen capitis cum febre ultra id tempus perseveraverit, tum sanguinis è naribus eruptionem, aut ad diversas partes abscessum expectare oportet, teste Hippocrate, 3. *Prorrh. aphor.* 11.

7. Caput vehementer dolentibus, vel aqua, vel sanguis per nares, os, & aures effluens, febrem solvit, teste Hippocrate, 6. *aphor.* 11.

8. Quibus ex morbo partium inferiorum convalescentibus dolor capitis vehemens supervenerit, si non præcedat excretio manifesta iis in cerebro futurus est abscessus, non orbi materia ab inferioribus ad superiora conversa. 4. *aphor.* 32.

9. Qui in doloribus capitis æruginosa vomunt, & cum surditate vigiliant, ii citò vehementer insaniunt, ob collectam in cerebro bilem adustam, & consensum orificii ventriculi cum cerebro: 1. *Prorrh. comm.* 1. *aph.* 10.

10. Capite dolentes, & catoche detenti, ac delirantes, cum intercepta

alvo, & ferociente intuitu, facieq; impensè rubentes, opisthotono corripuntur. 1. *Prorrh. comm.* 2. *aph.* 56.

11. In capitis dolore coma & surditas, & hypochondriorum tensio, & corporis incontinens jactatio, parotides vel abscessus ad aures significat, ex raptu materiæ ad superiora. 1. *Prorrh. comm.* 3. *aphor.* 26. & 77.

12. Dolores capitis ex parotidibus, aut alia quacunq; causa, cum febre acuta, si in die non critico solvantur, aut repenti evanescant, inutiliter solvuntur. Significat enim *μετάστασις* seu translationem materiæ ad alias partes, teste Galeno, 1. *Prorrh. comm.* 3. *aphor. ult.*

13. Quibus capitis dolores fiunt, & sonitus aurium sine febre, & vertigo, & vocis surditas, & manuum torpor, ii aut apoplectici, aut epileptici, aut obliuosi fiunt, ex pituita crassa viscida in cerebro & nervis cumulata. Hippocrates, in *Coac. prædict. tota parte, qua de dolore capitis agit.*

14. Quicumque sani capitis dolore repenti corripuntur, & statim obmutescunt, ac stertunt, ii intra septem dies pereunt, nisi febre valida corripiantur, teste Hippocrate, 6. *aphor.* 51. Apoplexia enim significatur ex spiritus flatulenti, aut humoris crassi copia, nervorum principium obstruente, quam materiam febris concoquere & dissolvere solet.

15. Quicumque in febre non lethali dixerit, sibi caput dolere, aut præ oculis obscurum quid apparere, si cardilogmus accesserit, ei biliosus vomitus expectandus erit; præsertim si rigor

*Hæmor-
rhagia fu-
ura signa.*

rigor partium infra hypochondria supervenerit. Quibus verò in eiusmodi febre caput dolentibus visus hebetudo contingit, aut splendores ob oculos obverfantur, & pro cardiogmo aliquid tenditur in hypochondrio dextro aut sinistro, neque cum dolore, neque cum inflammatione, iis sanguis è naribus fluxurus est, 3. prognost. aphor. 30.

16. Si dolor capitis non ab initio ægritudinis affuerit, sed circa tempus crise os affligere cœperit, & spiratio repente facta sit difficilis, retractis hypochondriis, & pulsus tumeant, & arteriæ in temporibus pulsent, & genæ vel nasus rubicundior sit, ac spontaneæ lachrymæ adsint, aut splendores ante oculos versari videantur, & æger manibus nares scalpat, nonnunquam etiam delirium accedat, ex humoris ad superna motu; tum sanguinis per nares fluxum expectare oportet, teste Galeno, in fin. lib. 1. ad Glaucon.

17. Uterum gerentibus capitis dolores soporosi cum gravitate obvenientes, mali sunt. Fortassis autem his etiam convulsivum quid pati contingit. 1. Prorrh. comm. 3. aphor. 11.

18. Dolor capitis vehemens & assiduus, qui nullis præsiidiis cedit, merum affert secururæ cœcitatæ, ob fluxum humoris ad oculos. Rhases, in 9. ad Mansorem.

Indicationes.

Indicationes sumuntur vel à dolore ipso, vel à doloris causis.

A dolore, qui per se anodynum indicat, sumta indicatio non attenditur,

nisi is adeo vehemens sit, ut curatiorem ad se trahat; quod fit, quando vigiliis continuis & intensis vires prostrernit. Actum, ut dictum, postulat, remedium anodynum, idq; quod aut verè tale est, si dolor ipse sit remissior; aut sic tantum appellatum, si dolor sit intensior. Utrumque quale sit, capite præcedente dictum.

A causis doloris indicationes sumptæ dolorem una cum causa auferre, partiq; integram sanitatem restituere docent. Si nimirum causa doloris sit externa & evidens, removeatur illa, ne malum foveat vel augeat. Si interna sit, eaq; intemperies, per oppositionem contrarii mutetur; si materia sit, seu intemperies cum materia, materia illa evacuanda, revellenda à capite, vel, si fixa ibi hæreat, discutienda; intemperiesq; temperanda, & caput roborandum; sicut hæ indicationes supra, parti 1. propositæ sunt.

Curatio.

Dolorem itaque tanquam anodynum mitigat succus aut mucilago malvæ vel althææ cum oleo rosar. vel cum lacte muliebri capiti applicata, emulsio amygdalar. dulcium, decoctum flor. chamæmeli, meliloti, sem. fœni græci, panis è tritico lacte tepido madidus, ol. chamæmeli, anethini, commune cum vino albo tenui.

Si hæc non sufficiant, & dolor ac vigiliæ invalescant, veniendum est ad hypnotica & narcotica, ut sunt lactuca, nymph. solanum, mandragora, capita papav. opium. Progrediendum verò est à mitioribus ad valentiora & opiata.

*Curatio
doloris
capitis.*

*Opium ce-
rebro &
nervis nocet.*

opiata. Atque talia narcotica non applicentur futuræ coronali, quo loco facile non cerebrum penetrare possunt, nec occipiti, ubi principium est nervorum & spinalis medullæ, sed fronti. Cerebrum enim & nervi opium & narcotica sine damno non ferunt. Si intrinsecus quoque ob doloris vehementiam iis uti requirit necessitas, cautè propinentur, & bene correctæ, ut *Philonium Romanum*, *Trypherramagna*, *Requies Nicolai*, *pilula de cynoglossa* à *Scrup. j. ad Scrup. ij.* & præcipuè *Laudanum opiatum* ad *gr. ij. vel iij.* Tempus utendi hisce est, si dolor vehementer urgeat, ut spes non sit, illum evacuatione priùs, vel per venæ sectionem, vel per pharmacum purgans mitigatum iri.

Doloris capitis ab intemperie curatio.

Quomodo autem causæ doloris tollendæ sint, & qua ratione intemperies nuda, ut & cum materia, scilicet cum sanguine, pituita, bile, melancholia, flatu, per primarium cerebri affectum & per consensum, tollendæ sint, supra, *part. i. dictum*, quæ hic repetere opus non est. Hoc saltem monemus, ut in topicis eligantur ea, quæ simul sunt anodyna. In temperie frigida hoc Epithema commendatur:

R. Pulv. zedoaria Drach. j.

aq. betonica,

verbena,

sambuci, an. Unc. j.

Misce.

In omni etiam dolore capitis tanquam singulare medicamentum commendatur aqua verbenæ destillata, quæ & capiti extra applicatur, & pondere

L. I.

Unc. iij. vel v. assumitur. Imò amuleti loco eadem viridis collo appendi potest; quo remedio miraculi instar ægrum quendam, qui nullis aliis remediis, quantumvis optimis, sive internis, sive externis curari potuerit, restitutum fuisse, refert Forestus, lib. 9. observ. 25. Potest etiam eadem herba in coronæ modum circumponi, vel cum rosaceo & aceto applicari. Alia amuleta ad capitis dolores enumerantur ibid. in seholio.

Amuleta.

Si verò dolor capitis ortum habeat à calore externo, qualis est Solis, balnei, ventorum australium, quam cephalagiam *δι ἐγκύουσι* veteres nominarunt, Galenus, 2. de compos. medic. secund. loc. tit. 3. caput instigidantia adhibet, quæ si actuali sua frigiditate minus præstant, quam præstare debebant, ulterius illa refrigeranda vel demergendo in aquam gelidam, vel circumponendo glaciem. Ita enim fieri affirmat, ut non solum calor in capite & vapores, qui ad caput fortè impetum faciunt, deorsum in corpus truantur, ubi discuti postea facile sive à natura, sive ab arte possunt. Qualia autem ista sint, & quomodo applicari debeant, supra, *part. i. cap. i. dictum.*

A calore Solis.

Quòd si dolor capitis existat à casu vel ictu, sitq; sola contusio absque vulnere & cranii fractura, præmissa revulsione gratia phlebotomia, aut clystere, aut utroque, caput rasum inungatur oleo rosaceo & myrtino mixtis, & aspergatur pulvis rosarum siccarum & myrtillorum ad prohibendam in-

A casu vel percussione.

Bbbbb

flam-

Verbena vis.

flaminationem, quam febris & delirium comitari solent.

Vel ꝛ. *Puly. myrtill.* Unc. j.

nucis cupress.

sumach,

balauſt.

roſac. rubr. an; Drach. ij.

ol. roſac, vel *chamamel.* q. ſ.

F. Cataplaſma.

In fine ad diſcutiendum & reſolvendum addatur abſinthium, ſchœnanthum, farina ſlentium, fabarum. Laudatur & unguentum è matrifylva, quod materiam foràs è capite attrahit.

Si verò cranium vel fractum, vel contuſum eſſe ſuſpicio adſit, curatio inſtituatur ut ſupra; *part. 1. cap. 21.* & ſeqq. dictum.

Doloris Capitis ab ebrietate curatio.

Dolor capitis ab ebrietate, etſi præſidia medica mereri non videatur: tamen quia ebriis graviffima ſymptomata accidunt, qualia ſunt delirium, vertigo, tremor, convulſio, apoplexia, & denique mors ipſa, ut ex *3. ſect. problem. Ariſtot. & ex 5. aphor. ſect. 5.* conſtat, planè negligi non decet. Perficitur autem materiæ evacuatione, & à capite repulſione, & intemperiei, ſi quæ induc̄ta eſt, alteratione. Itaque ſi crudum vinum in ventriculo fluctuat, æger mox evomat. Poſt repellentibus utendum eſt, ut *ol. roſac.* cum aceto, aut cum hederæ & braſſicæ ſucco. Vel imponatur hoc Oxyrrhodinum:

ꝛ. *Aq. roſar. optim.* Unc. iiij.

chamamel.

flor. ſambuc.

perſicor.

anethi, an. Unc. ſ.

ſucc. roſar. Drach. vj.

acet. roſac. Unc. ij.

M. pro Oxyrrhodino.

Utatur etiam medicamentis calorem à vino temperantibus.

Exempl. gratia tale decur Electuarium:

ꝛ. *Conſerv. roſar.* Unc. iiij.

acetof. Unc. j.

rob. ribes,

rad. condit. cichor. an. Unc. ſ.

ſpec. diamargar. frigid.

corall. rubr. præpar. an. Scr. j.

Cum ſirup. acetofit. citri,

F. Electuarium.

Imprimis, ſirup. de ſucco citri, ut & granator. vel julep. ex iis cum aq. convenientibus paratus extinguit calorem à potu vini contractum, & vapores deprimit.

Quod ſi dormire nequeat, fricentur pedes & manus ſale & aceto. Tandem alatur cibus boni ſucci, moderatè refrigerantibus, & vaporum ad caput aſcenſum prohibentibus, ut piſana hordeacea, pullis gallinaceis cum agreſta vel lactuca, pyris coctis, cydoniis conditis, & in fine menſæ de pulvere coriand. ſumat cum ſaccharo.

Quod autem vulgo perſuaſum eſt, ^{An vini potus vini noxam tollat.} vini noxam vini potu deleri, id in iis locum habet, qui ob ventriculi imbecillitatem ex frigiditate vinum heſternū & immoderatè aſſumptum integrè non concoxerunt, unde crudi halitus ap caput mittuntur. Talibus enim Hippocrates vini meraci cotylam ſeu heminam, qui dimidiuſextarius eſt, propinat, in fine *2. Epidem*, ut coctio nutrimenti juverur, cruditates corrigant.

gantur; & vapores crudi in capite discutiantur. Iisdem etiam jejunium nocet; cum vaporum sursum ascendentium copiam & acrimoniam augeat, quos cibus assumptus reprimit & mitigat. Et omnino, si quis ob copiam aut vitium alimenti cruditatem patiatur, parum iterum alimenti sumere, quod melioris sit substantiæ, cruditatem aufert. Natura enim novi alimenti, ejusque grati, adventu coctionem aggreditur, & quam antea non valuit perficere, novi alimenti accessu coctionem perficit; aut certe natura novum alimentum, ut gratum, arripit & coquit, crudum autem, in quo coquendo frustra laborabat, dimittit; hinc facultas expultrix exurgit, & id expellit, unde accidit, ut amplius naturæ molestum non sit. Nam crudum, quod superingestum in cruditate nocet, id tantum est, quod iterum quantitate ventriculi vires superat; at quod in pauca quantitate sumitur, naturam ad coctionem revocat, & cruditatem corrigit, non nocet.

Ultimò, si à vermibus in capite contentis sit dolor, quomodo is curandus sit, ex iis, quæ *part. 1. cap. 18.* dicta sunt, patet: & omnino quomodo causæ omnes doloris capitis tolli debeant, ex iis, quæ *part. 1.* dicta sunt, manifestum evadit.

De Κεφαλαία & Ημιερανία.

In specie saltem aliquid de Cephalæa & Hemicrania dicere libet. Uterque hic affectus diuturnus & δύσλυ-

τῶ est, nisi quod alter caput totum alter partem ejus duntaxat alteram occupat; quanquam Hemicrania vocabulum etiam de recenti dolore dimidii capitis vulgò usurpetur. A Cephalalgia verò differt, non caussis & signis, sed caussarum magnitudine & pertinacia. Nam in Cephalæa & Hemicrania dolor non solum diuturnus, sed adeo quoque vehemens & gravis est, ut æger in tenebris & quiete contineri cupiat; leviq; occasione dolor ita exacerbatur, ut tanquam malleo percussus caput, & frangi ac divelli æger existimet. Quemadmodum Galenus scribit, *in 2. de Compos. med. secundum loca, cap. de Cephalæa, &c. in 3. de locis affect. cap. 9.* Malum hoc fœminas frequentius affligit, teste Aureliano, ob diligentiam in alendis & ornandis capillis.

Quoniam igitur Cephalæa ex confirmata aliqua capitis intemperie, aut ex copia crudorum & crassorum humorum caput replente & obstruente, vel vapores quoque continenter emittente, aut ex acrium humorum in alto capitis residentium morfu, aut denique ex pericranii & meningum cerebri diuturnâ quadam affectione oritur: facillè est intelligere, iisdem præsidiiis ac remediis hic utendum esse secundum caussarum diversitatem, quibus in Cephalalgia differentiis & intemperiebus capitis cum materia; fortioribus tamen, diutiusque & frequentius, ob caussarum vehementiam & contumaciam majorem. Neque differenda est hujus mali curatio. Nam

Doloris capitis à vermibus curatio.

Cephalæa & Hemicrania.

ex vigiliis delirium & insaniam sæpe numero affert. Sequi etiam solent cæcitates, apoplexiæ, epilepsiæ, paralytes, lethargi, & similes affectiones capitis *graviſſimæ*.

Itaque evacuationes omnis generis universales & particulares hîc conveniunt, & revulsiones ac topica, prout conditio materiæ, & affectio vel totius, vel capitis solùm, & loci in capite requirit.

Si plethora adsit, phlebotomia quoque fiat, & cephalica aperiatur. Tandem & vena frontis secetur, vel narium venæ aperiatur, & cauteria applicentur. Imò nonnulli etiam arterias aperiri suadent, de quibus omnibus supra, *part. i.* dictum.

Utile etiam est in inveterato hoc malo decoctum ligni Guajaci vel Chinæ, vel sarsaparillæ, vel ligni sassafras;

quorum formulæ supra etiam propositæ, & passim extant.

Dieta.

Dieta medicamentis respondeat; quæ qualis esse debeat, supra, *de Intemperiebus capitis*, dictum. Sicut autem in omni dolore capitis vitanda sunt, quæ ipsum replent, aut sua acrimonia cerebro molesta sunt, qualia supra, *part. i. cap. i.* enumerata sunt: ita alimentis semper admisceantur, quæ cerebrum natura sua roborant; quo in genere sunt rosmarinus, majorana, salvia, fœnicul. nux moschata, coryophylli, & ex frigidis rosæ & violæ. Somnus denique immoderatus in omni capitis dolore improbatur, præsertim meridiano, & qui à cibo statim capitur. Hic enim caput insigniter replet.





LIBRI PRIMI

PARTIS III.

SECTIO SECUNDA.

De Oculorum & Visus Morbis ac Symptomatibus.

CAPUT I.

Continens nomenclaturam Affectionum quæ Oculis accidunt.

Cum Symptomata, quæ tactui, ut sensui communissimo, accidunt, proximè explicaverimus: jam etiam qui reliquis sensibus, & eorum organis, accidunt morbi & symptomata, dicendum. Cum autem inter sensus externos facillè primas obtineat visus, ab eo faciemus initium, & primò morbos, qui oculo accidere solent, proponemus; deinde de variis visionis laesionibus, & aliis symptomatibus, quæ oculis accidunt, dicemus. Etsi verò oculus parva corporis pars est: tamen vix ulla alia est, quæ tot morbis sit obnoxia, & ingentibus ac variis calibus oculi nostri patent, ut Celsus, lib. 6, cap. 6. loquitur. Cum autem, ut idem Celsus subjicit, magnam partem ad vitæ usum & dulcedinem conferant oculi, summa cura tuendi sunt, ideoque etiam

de eorum affectionibus præter naturam diligentius agemus.

Et primò quidem morbos oculi quod attinet, de iis acturus Medicus omnino oculorum naturalem constitutionem cognitam habeat, necesse est: quæ qualis sit, ab Anatomicis cognoscendum, & præcipuè Jul. Casserio Placentino, de sensuum organ. lib. 5. & Hieronymo Fabricio ab Aquapendente, lib. de oculo, visus organo.

Oculus autem dupliciter consideratur; primò & propriè, ut ex iis partibus, tunicis, humoribus & nervis, opticis scilicet, quæ ad visum proximè conferunt, constat; deinde ut etiam eas partes connexas habet, quæ sive propter ejus custodiam, sive propter commodiorem ejus usum, adjecta sunt, quo modo etiam ad oculum pertinent cilia, palpebra, musculi. Atque posteriore

Oculi partes duplices.

Oculus variis morbis obnoxius.

steriore hoc modo de oculo agit Gale-
nus, 4. de compos. medic. sec. loca, quem
& nos sequemur.

*Morbi oculi
li quosupli-
ces.* Atque ita dividemus morbos oculi
in tres classes. 1. sunt morbi partium,

quæ oculis quasi tegumento & muni-
mento sunt, palpebrarum puta: 2. sunt
morbi, qui singulis partibus, quæ oculo
constituunt, & ad eos pertinent, ac-
cidunt: 3. sunt morbi totius oculi.

*Palpebra-
rum vitia.* Primò palpebrarum vitia quod at-
tinet, sunt ea: Tumor, ἐμφύσημα, a-
speritas, κάλλοσις, scabies palpebra-
rum, Græcis τεράχωμα, τεραχίτης,
δασύτης, σίκωσις, τύλωσις, Ψωρο-
φθαλμία: Tumores & tubercula palpe-
brarum, ὕδαρις, verrucæ, κείρη, hor-
deolum, χαλάζιον, grando, λιθία-
σις, nodi & excrementiæ, ἐκτερόπι-
ον, palpebrarum inversio, & λαγόφ-
θαλμία, vel λαρόφθαλμιν: pal-
pebrarum inter se & cum aliis oculo
partibus coalescentia & cohærentia,
ἀγκύλωσις & ἀγκυλοβλέφαρον,
cancer palpebrarum, livor palpebra-
rum ex percussione, φθειρίασις, ubi in
palpebrarum pilis pediculi nascuntur,
quæ tamen & aliis partibus pilosis com-
munis est. Φαλάγγωσις, τριχίασις,
ubi pili inutiles, & oculos pungentes
in palpebris nascuntur, διςτριχίασις,
ubi duplex vel multiplex pilorum ordo
nascitur, μαδάρεωσις vel μιλφωσις,
pilorum palpebrarum defluvium, Πι-
λωσις, palpebrarum crassities cum pi-
lorum defluvium.

Symptomata, quæ motui palpebra-
rum accidunt, sunt, oculos aperiendi
impotentia, & ἵππ⊙, tale vitium quo
palpebræ instabiles perpetuè nictant.

Alii tamen totius oculi vitium esse mā-
lunt.

Interdum quoque res externæ oculis
incidunt, quæ sub palpebris hærentes
oculos infestant.

Deinde singulæ oculi partes suos
morbos habent, & primò quidem tuni-
cas quod attinet, annatæ seu conjuncti-
væ morbi sunt, *Annata
tunica vitia.* πύρεξις, ὀφθαλμία,
χήμωσις, pannus, πτερύγιον, unguis
seu ungula.

Annatæ cum palpebris communes
morbi sunt; σκληροφθαλμία & ξη-
ροφθαλμία.

Corneæ tunicæ morbi sunt, calor
vitiosus, albugo, pustulæ, & ulcera va-
ria, quæ secundum varias circumstan-
tias varia nomina accipiunt, ἑσπύριον,
quando pus sub cornea continetur, ru-
ptura corneæ. *Cornea
vitia.*

Annatæ & corneæ communia vitia
sunt, ἑσπύραγμα seu suffusio, aut
suggillatio, pannus, vulnere, pustulæ,
ulcera.

Uvæ tunicæ morbi sunt *Uvæ vitia* πρὸπτω-
σις, seu proidentia, quæ varia nomi-
na pro varia ratione accepit.

Pupillæ morbi sunt, μηδρίασις, pu-
pillæ dilatatio, φθίσις, pupillæ angu-
stia, ἑσπύριον, pupillæ obstructio, &
humoris præter naturam inter corne-
am & crystallinam collectio. *Pupilla
vitia.*

Habent & anguli oculi sua vitia, *Angulo-
rum vitia.* quæ sunt pruritus, αἰγίλωψ, ἐγκανθίς,
cum caro augetur, βυαῖ, tumores scir-
rhosi.

Humoris Crystallini vitia sunt, glau-
coma, exsiccatio, diminutio, situs mu-
tatio. *Crystalli-
ni vitia.*

Humo-

Aquei vitia.

Humoris quoque aquei dantur vitia & morbi; quando scilicet is minus est pellucidus, inæqualiter crassus, opacus.

Vitrei vitia.

Vitreus etiam humor sua habet vitia, ut si sit impurius, obscurior, debitam figuram non habet.

Nervorum opticorum vitia.

Nervis opticis accidunt, obstructio, coarctatio, ruptio, convulsio.

Spiritus opticorum vitia.

Spirituum opticorum vitia sunt, dum fiunt obscuri, crassi, imminuuntur, aut deficiunt. Pertinent huc splendores nocturni, dum lumen oculis nocte observatur.

Musculorum vitia.

Musculorum vitia sunt, cum vel coarctantur, vel laxantur, vel secantur.

Totius oculi morbi.

Toti verò oculo accidunt, ἀγροφία, seu imminutio, καταστροφὴ, seu prociencia, strabismus, vulnera, cancer, tumores.

Symptomata oculorum.

Atque hi sunt morbi oculorum. Symptomata quod attinet, & primò actiones læsas, cum oculus sit videndi organum, huc pertinent omnes visus læsiones, ἀμβλυσίς, ἀμβλυωπία, visus hebetudo, lusciositas, cæcitas, visus depravatus ut nyctalopia, παραρραξίς, strabismus, cum una res duplex apparet, cum res omnes inversæ apparent. Et cum, ut commodior visio fiat, oculi etiam sint motu præditi, in motu quoque accidunt symptomata, paralysis & convulsio. Et cum oculus etiam tactu sit præditus, sæpe etiam dolori obnoxius est. Cum etiam ut aliæ partes nutriantur oculi, in nutritione contingens vitium est atrophia. Deinde in qualitatibus mutatis est color præter naturam. Tandem excrementorum vitia sunt epiphora & lachrymæ, λίμναι,

lachrymæ cruentæ. De quibus jam ordine dicemus.

De Morbis & Vitiis palpebrarum.

CAP. II.

De Tumore Palpebrarum Emphysemate & Inflammatione earundem.

Palpebrarum officium est, oculos clausos ab externis injuriis tueri, & tempore somni lumen arcere: ubi verò aperti sunt, præstare, ut oculis species visibiles admittere possit. Unde palpebræ facultatem habent, qua motu voluntario moveri possunt, præsertim superior, ut scilicet oculi aperti & claudi possint, quotiescunque liberit. Hinc palpebræ proprios musculos habent, nervos, qui spiritum animale advehunt. Quapropter symptomata, quæ palpebris accidunt, præcipuè in motu læso erunt. Morbi verò, qui his accidere possunt, varii sunt, quos alii aliter recensent. Commodissimè tamen sequenti modo enumerari, & appellationibus distingui posse videntur.

Inter eos primò est Tumor. Tumor autem palpebrarum aliquando à causa externis ortum habet, ut contusione, ictu vespæ, apis, araneæ, vel similibus insecti, à contactu urticæ; aliquando ab internis; ab humore aut vapore, vel calido, inflammationem aut

aut exulcerationem pariente, vel frigido, palpebras inflante, qui tumor *ἔμφύσιμος*, & palpebrarum inflatio appellatur.

Palpebrarum inflatio.

Et quidem hoc malum alias à causis externis excitatur, nonnunquam affectus alios sequitur, ut apostema in locis circa oculos & genas, lethargum, carum, item cachexiam & hydropem, quæ singula suam curationem peculiarem requirunt. Plerumque ophthalmiæ graviori succedit, quando tumor ita increfcit, ut palpebræ vix claudi possint.

Si à causa calida sit tumor, locū habet medicamēta, quæ in ophthalmia usurpari solent; de quib? postea dicitur: quale etiam est ophthalmicū, quod in curatione ophthalmiæ Rhafes præscripsit, atque primum est inter ocularia illa remedia, & infra, *cap. 12.* proponetur.

ἔμφύσιμα.

Ἐμφύσιμα verò, quod est tumor latus sine dolore *οιδήματι* similis, ab humore aquoso ac serolo ortum habens, accidit in febribus diurnis, vigiliis, in cachexia, hydropem, lethargo, caro, & propterea curatur morbis iis, quibus jungitur, sublatis. Fovere tamen licet palpebras decocto florum chamæmeli, rutæ, cumini; vel inungantur palpebræ oleo chamæmeli, anethi, rutæ, vel melle.

Si à vespræ vel apis ictu tumor sit, remoto aculeo lamina ferrea imponatur, donec dolor è punctione evanescat; postea resolventia adhibeantur, vel apis ipsa contrita imponatur. Si ab araneæ punctura tumor sit, theriaca vel Mithridatium imponatur. Si à contactu urticæ vel aliarum rerum ca-

lidarum, inungatur palpebra oleo rosarum, vel succo plantaginis aut semperivi cum ovi albumine.

CAPUT III.

De Trachomate, Densitate, Asperitate, Callositate & Scabie Palpebrarum.

Tράχωμα, τραχύτης, δασύτης, τεγίχωση, σίκωσις, τύλωσις, ψωροφθαλμία, μα palpebrarum. Densitas, Asperitas, Callositas, Scabies *brarum*. Palpebrarum, etsi ut distincti affectus ab autoribus proponi soleant: tamen cum communes causas, & communem generationis modum habeant, & solum gradibus differre videantur, omnes hos affectus hoc capite conjungemus: sicut etiam nonnulli alii Medici sub communi *τραχώματι* nomine eos comprehendunt. Cum enim palpebræ continuò, dum aperiuntur & clauduntur, supra tunicis oculi externis moveantur, membranæ verò illæ leves & exquisito sensu præditæ sint; etiam palpebræ intus molles & leves esse debent, ut facilè, & absque molestia supra oculorum tunicis moveri possint. Quæ earum constitutio naturalis cum in omnibus affectibus nominatis mutetur, etiam communi *τραχώματι* seu asperitatis nomine omnes comprehendi solent.

Τεγίχωμα autem est internæ palpebrarum partis asperitudo cum rubedine & pruritu; nonnunquam & cum pustulis

pustulis seu tuberculis semina ficus vel milii referentibus, ab acri & falso humore ortum habens.

Et primò quidem dum materia hæc pauca est, saltem asperitatem quandam & pruritus excitare solet, cum molestia quadam in parte interiore palpebræ præsertim cum movetur, ad quam frictio sequitur, & ad hanc copiosioris materiæ attractio, unde scabies succedit. Affectio nimirum hæc est morbus in superficie & in continui solutione, cui symptomata accedunt, pruritus & rubor.

Causa.

Causa proxima est humor adustus, mordax & falsus, sive sit sanguis adustus, sive bilis, sive pituita falsa, sive humor serosus, falsus, sive bilis atra. Plerumque tamen à mixto in massa sanguinea humore hoc malum excitatur. Possunt etiam hoc malum inducere collyria nimis acria, nimis diu adhibita.

Hinc ad malum hoc faciunt humores acres, falsi in capite collecti, aut hinc inde fluentes, & quæcunque ad talium humorum generationem faciunt, ut cibus falsi, &c.

Differentia.

Recensentur autem hujus affectus tres species seu gradus. Primò enim cum palpebræ, si invertantur, quasi densiores & inæquales apparent, affectio ea, ut Aërius ex Severo, *tetrab.* 2, *serm.* 3, *cap.* 43, tradit, *Δασύτης*, Densitas palpebrarum nominatur, in qua palpebræ intus rubent, inæquales & asperæ sunt, ac pruriunt.

Secundus gradus est, cum jam major

L. I.

est affectio, & non solum densitas & inæqualitas in palpebris inversis apparet, sed manifesta jam asperitas & rubor, adedò ut intra eam emineant quasi grana ficus immatura; unde Græcis hæc affectio *σύνκωσις*, Latinis ficosa palpebra nominatur.

Tertius gradus est, quando jam invertavit vitium, & pars interna palpebræ exulcerata est, ac scissuram & callositatem contraxit, Græcis dicitur *τύλωσις*, Latinis callositas palpebræ. Germani vocant, *den Ascher Schüttel* quia mulierculæ credunt, malum hoc ex cineribus, ex quibus lixivium paratum fuit, generari, si nimirum quis ad locum illum, in quo tales cineres jacent inopinatò devenit.

Adjungenda est his *φωροφθαλμία*, Scabies palpebræ. Quanquam enim à trachomate, ejusque speciebus in eo differat, quod non solum pars palpebræ internæ afficitur, sed tota palpebra, præsertim versus oculorum angulos, eum pruritu rubet, aspera ac scabiosa est, & exulceratur: tamen cum eundem generationis modum habeat, eam hic conjungere libet.

Signa Diagnostica.

Si palpebra invertatur, rubea apparet & aspera, ac veluti ficus semen, vel milii grana eminere videntur. Si à sanguine est, major adest rubedo sine magno pruritu: si à bile, minor rubedo, & major pruritus, ac pustulæ parvæ apparent: si à pituita falsa, major est pruritus, & major serosi humoris copia exit: si à bile atra, rubedo est obscura, asperitas major, & quod effluit, lividum est.

Cccco

Progn.

Trachoma
is diffe-
rentia.

Densitas
palpebra-
rum.

σύνκωσις.

Psoroph-
thalmia.

Prognosticum.

Τεχνικω in primo gradu curatio-
nem suscipit; *συνωσις* raro; *τυλωσις*
raro aut nunquam, & maxima cum
difficultate.

*Curatio.**Curatio.*

Totum corpus & caput, prout hic
vel ille humor peccat, convenienti mo-
do primò evacuandum est; materia à
capite avertenda, & si materia per ve-
nas & arterias externas fluat ad oculos,
repercutientia inter initia in fronte &
temporibus adhibenda, ut supra, *parce*
1. dictum:

Deinde adhibeantur topica, primo
quidem emollientia & intemperiem
partis alterantia, atque acrimoniam
humorum temperantia; postea verò
abstergentia & exsiccantia usurpen-
tur.

Ad emolliendum instituatursomen-
tum ex decocto hordei, violarum, ra-
dic. althææ, semin. fænigræci, & simil.
faciem super vaporem convertendo,
aut panum linteum duplicem hoc de-
cocto madidum supra oculos aliquoti-
es ponendo.

Vel R. *Malva*,*beta*,*portulac.* an. M. j.*acetosa* M. ß.*flor. rosar. rubr.**meliloti*, an. p. j.

Coquantur in aqua, cujus vapore
mane & vesperi oculi foveantur.

Vel R. *Endivia*,*portulaca*,*dentis leonis*, an. q. f.

Contundantur, & cum albumine *ovis*
& modico *oleo rosar.* misceantur & oca-
lis imponantur; vel succus horum
expressus imponatur. Hoc enim mo-
do pars refrigeratur, mala intemperies
tollitur, & acrimonia humorum tem-
peratur. Vel linteo aqua rosarum, ta-
raxaci, acetosæ, & oxylapathi madido
oculus sæpe foveatur.

Ad abstergendum, quæ primò loco
leniora, postea fortiora esse debent, uti-
lia sunt, *sacchar. candum*, *crocus*, *aloe*,
ruta, *Vitriolum*, *alumen*, *camphora*, & si-
milia.

Ut R. *Vnguenti pomata* Unc. ß.*turtia aqua rosar. lota*,*stef. albi*, an. Drach. ß.*Vitrioli Romani* Scr. ß.

F. Unguentum pro palpebris.

Vel R. *Fol. ruta*,*chelidon. major.**flor. cyani*, an. M. j.*Vitrioli*,*aluminis*, an. Unc. ß.*camphor.* Drach. j.

Affundatur aquæ agrimonie & vini
albi, an. q. f. Stent in infusione per bi-
duum. Postea destillentur in Balneo:

Fortius est hoc:

R. *Aqu. flor. cyani*,*chelidon.* an. Unc. iiij.*sem. ruta* Unc. ß.*Vitrioli albi* Drach. ij.*viridis aris* Drach. ß.

Coqu. in vase clauso, postea colentur.

Vel R. *Aris usti*,*cadmia lota*,*cerussa lot.* an. Drach. j.*aloes*,*myrrb.*

myrrh. an. Drach. β.

sal. ammoniac.

floris aris, an. Scr. β. M.

F. Pulvis subtilis. & conficiatur inde cum melle Linimentum pro palpebris.

Fortius est si ef rubrum Rhafis; mi-
tius rubrum Mesuæ, in quo Virriolum
omittitur.

Sarcocolla quoq; in lacte nutrita, &
cum succo chelidon. mixta, ac palpe-
bris illita, pruritum tollit.

Cautio in
palpebris
curandis
observan-
da.

Diligenter verò in horum usurpati-
one attendendum, ne fortius, quàm ex
usu est, vim tuam oculis imprimant. Et
proinde si dolor ac rubor intensior se-
quitur, dies aliquot ab hisce remediis
abstinendum. Sæpe, cum recens ma-
lum est, sufficit parùm aloes cum aqua
rosarum mixtum & palpebris illitum,
vel myrrha cum lacte mulieris dissolu-
ta, vel unguentum rosarum Mesuæ cum
pauillo tutiæ præparatæ mixtum ad-
hibitum.

Ubi malum medicamentis hæctenus
expositis non cedit, frictionem palpe-
bræ præcipiunt, & ægro supino jacen-
te palpebram invertere jubent eamq;
foliis ficus aut parietariæ, aut cum sac-
charo cando, aut cum spuma maris, vel
osse sepia fricare leniter, & quidem eo
usque, donec sanguis prorúpat, & gra-
nulosa substantia absumatur; postea o-
culum aqua rosarum tepida abluere.
Rhases instrumenti meminit, quod, di-
vision. l. i. cap. 22. Rosam nominat,
Græcis βλεφαροξύςον dicitur, à cuius,
usu palpebram abluit aqua cum pauco
aceti mixta, & alia administrat, quæ ci-
tato loco videantur.

Ad scabiosas, rubras, & exulceratas ^{Scabies}
palpebras post universalia remedia u-
tilis est in principio fomentatio cum ^{rum.}
decocto rad. oxylapathi, acetosæ, &
malvæ.

Postea

R. Aq. pimpinell.

chelidonij,

oxylapathi, an. Unc. ix.

alumin. ussi,

champhora,

oculor. canceri præp. an. Drach. β.

Coq. & aqua ista de diebis vel ter
palpebra scabiosa abluatur.

Forestus feliciter usus est linimento
ex unguento rosato, adjecto pauillo
tutiæ præparatæ.

Vel R. Buryi sine sale Unc. j.

aq. rosar. Drach. ij.

terebinth. Drach. j.

albumen ovi unius,

Conquassentur diligenter, donec
commisceantur.

Vel R. Unguent. rosat. Unc. j.

saponis Veneti Drach. β.

Sulph. vivi Drach. j.

sarcocoll.

aloes epatic. an. Scr. j.

M. in mortario.

Vel R. Mellis Unc. ij.

succini.

aloes epat. an. Drach. ij.

coriic. granator.

aluminis, an. Scr. j.

M. pro Unguento.

R. Cadmia aq. rosar. lotæ Drach. β.

sanguin. dracon. Drach. ij.

viridis aris Scr. j.

aloes epatic. Drach. iij.

CCCC 2

F. Pul-

F. Pulvis subtiliff. cui adde
olei commun. Unc. iij.

pinguedinis porci sine sale Unc. ij.

M. omnia diligenter, & addatur cam-
phora. Drach. j.

E. Linimentum.

Plura ejusmodi medicamenta vide-
antur apud Aetium, tetrabibl. 2. ferm. 3.
6. 43. & Cornelium Celsum, lib. 6. c. 6.
S. Ad oculos scabros collyria.

Dieta.

Aër, in quo æger degit, sit tempera-
tus, & ad obscurum potius, quam lu-
cem vergens; ventus, pulvis ac fumus,
& ejusmodi externa alia oculos læden-
tia vitentur. In diætâ etiam vitentur
omnia, quæ humores acres & salos
gignunt, & quæ vaporosa sunt, tam ex
cibus, quam potu: vestimenta circa
collum non nimis angusta sint, mo-
nente Avicenna, ne sanguis & vapo-
res sursum exprimantur. Facies non
continenter prona servetur. Decubi-
tus non sit depressus.

CAPUT. IV.

De Tuberculis, Nodis, & aliis Palpebrarum tu- moribus.

Ἰδαρίς, Aquila.

Tubercula
palpebra-
rum.

Solent etiam varii tumores & tuber-
cula in palpebris oriri; inter quæ pri-
mò est Ἰδαρίς, aquila, seu palpebra-
rum aquositas, Germanis, Wassergall!

oder Wassergeweck / substantiæ illius Hydatides.
unctuosæ in palpebra superiore tale
incrementum, & pondere suo palpe-
bram ita gravans, ut vix attolli que-
at, humorem perpetuò fundens, & a-
quam inter cutem in palpebris repræ-
sentans. Etenim cum palpebra supe-
rior duabus membranis constet, ea-
rum medium unctuosæ atque viscosæ
occupat substantia, quæ palpebræ a-
lioquin siccæ non nihil emolliuntur.
Hæc substantia in quibusdam, præci-
puè pueris, ut natura humidioribus,
ex seroso humore incrementum su-
mens Ἰδαρίς generat, & palpebra a-
quam intercutem repræsentat, ac si di-
gitis comprimatur, itque subito remo-
veantur, vestigium compressionis re-
manet, & quod inter digitos fuit, attol-
litur, humoremque palpebra, præser-
tim horis antelucanis, fundit, neque
Solis radios oculi sustinent, sed lachry-
mas fundunt.

Si malum sit recens & parvum, saepe
sponte evanescit, vel medicamentis fa-
cile curatur. Si verò tumor sit ma-
jor & diuturnus, ac peculiari mem-
branam includatur, non nisi manus
opera tollitur.

Nonnulli incipientem hunc tumo-
rem manè saltem jejuna saliva illinunt.
Aut foveatur decocto absinthii, flor.
chamæmeli, & semin. fœnigræci.
Hinc imponatur emplastrum ex dia-
chylo simpl. & ammoniaco aceto dis-
soluto, cui add. pauxillum salis ammo-
niaci & radic. ireos.

Commendatur & hoc Unguen-
tum:

R. Pin-

℞. *Pinguet. talpa* Drach. iij.ß.
ol. sambuc. Drach. iij.ß.
cineris ungula asini Drach. j.
thuris.
maslich.
mercurij mortificati,
cerusa, an. Drach. ß.

M. F. Unguentum.

Vel ℞. *Mellis despumat.* Drach. vij.
olei è nucibus pinus Unc. ß.
ol. ovorum Drach. ij.
farina fabarum,
pulv. rad. cappar. an. Drach. ß.

F. Unguentum.

Si verò hic tumor sit durior, nec medicamentis cedat, curatur manus operata, ut nodi & aliæ in palpebris excreſcentiæ, ut dicitur.

Verruca.

Verrucarum genera omnia, quæ in aliis partibus generari ſolent, in palpebris etiã interdum oriuntur. De quarum generatione, differentiis, & ſignis ſuo loco dicitur. Hic ſaltem pauca de curatione dicemus.

Ad Acrochordonas, ſeu verrucas aſperas & penſiles utile eſt hoc Linimentum:

℞. *Pingued. ardea* Drach. v.
olei olivar. Drach. ij.ß.
apum uſtarum Drach. j.
cineris murium Drach. ß.

F. Linimentum.

Vel ℞. *Olei hyperic.* Unc. ß.

Tartar. per deliquium Scrup. j.

Miſce.

Vel ℞. *Agrimon. fol. & radic. viridium*
 Drach. v.

capa. Unc. ß.

Contundantur ſimul, poſtea adde
ol. lini Drach. vij.

Tartar. per deliquium.

Contundantur ſimul, tandem adde
ceruſſæ citrina Drach. ij.

Miſce.

Ad myrmecias, verrucas glabras ac ſeffiles.

℞. *Herba cancri,*

radic. capparum.

ranunculi ærentis, an. M. ij.

aluminis Unc. j.

Comburantur in olla nova in fornace figulina.

F. Pulvis, qui in vulneratas & aperatas non nihil verrucas prius inſpergatur:

Vel ℞. *Scilla* Unc. iij.

efula Unc. ij.

herbi cancri,

rao. chelidon. an. Unc. j.

Contundantur & deſtillentur.

F. Aqua, qua verrucæ illinantur.

Ad Thymos:

℞. *Mellis* Drach. vj.

ſtercoris ovilli Drach. v.

caprini.

aceri, an. Drach. iij.

Miſce & imponatur.

Hieron. Fabricius ab Aquapendente, de operat. cheiurg. portulacam tuſam vel ſabinam pulveriſatam ad verrucas cum expalpebris, tum aliis corporis partibus exterminandas commendat.

Κείδη, HORDEOLUM.

Κείδη, Hordeolum, Germanis *Get* Hordeofſtenforn/oder Augenhaber/ (Græci et- lum paliam *νοδία*, id eſt, præputiolum vo- pebrarum.) eſt tuberculum in ſumma palpe-

bra succrescens propè cilia, aliquantis-
per longum, quod suppurascens simile
est grano hordei, unde & nomen ac-
cepit.

Ortum habet ab humore pituitoso
& crasso cum sanguine mixto, atque
in ea, ut Celsus ait, tunica quiddam,
quod difficulter maturescit, compre-
henditur.

Curatur universalibus præmissis, si
fomentetur cera cãdida aut adipe gal-
linæ, vel saliva manè inungatur, aut
corpore muscæ, capite abjecto, frice-
tur, quod à plerisque pro efficacissimo
remedio habetur: vel foveatur locus
panno calido, aut imponatur galba-
num cum modico nitri subactum, vel sa-
gapenum aceto dissolutum; vel fo-
veatur oculus decoct. hordei & flor.
chamamel & postea sanguine colum-
bino aut turturis aut perdicis illina-
tur.

Vel ꝑ. *Sem. lini,*

fœnigraci,

radic. althææ, an. Drach. v.

Infundantur per noctem

in aqua flor. sambuc. ut extra-

hatur mucilago. Hujus Unc. j. adde

pinguedin. gallinæ Drach. vj.

ol. lilior. albor.

cera alba, an. Dra. jß.

Coquantur ad humiditatis consum-
ptionem, & F. Linimentum, quo pal-
pebræ inungantur.

Vel ꝑ. *Pingued. gallinæ* Unc. j.

ol. lilior. albor.

chamamel. an. Unc. jß.

epoponac.

galban. aceto dissoluti, ana

Drach. ij.

Misce super igne pro Linimento.

R. *Sevi cervini* Drach. v.

ol. lini Drach. iij.

cera alba Drach. ij.

galbani,

ammoniac. an. Drach. f.

sal. gemma Scrup. ß.

F. Emplastrum.

ꝑ. *Thuris,*

myrrha, an. Drach. ij.

ladani Unc. ß.

niri,

cera,

alumin. an. Drach. j.

secum ol. lilior. albor. q. s.

F. Linimentum.

Si suppuratur, nec sponte aperitur,
scalpello aperiatur, & tumor ac pus ex-
primatur, & postea medicamentis cõ-
venientibus curetur.

Si verò his medicamentis hordeo-
lum nec discuti, nec ad suppurationem
deduci potest, sectione tollendum.
Animadvertendum autem, an tuber-
culum magis versus exteriorem par-
tem palpebræ, an versus interiorem
vergat. Si enim vergat magis versus
exteriorem partem, secunda palpebra
secundum longitudinem versus infe-
riora. Si verò magis vergat versus in-
teriorem, palpebra invertenda, & tu-
mor secundum latitudinem palpebræ,
seu transversim incidendus. Cure aper-
ta tuberculum extrahendum; quod
commodius fit, si tuberculum acu in-
curvata cum filo serico perforetur,
postea acu abscissa, utraque fili extre-
mitate apprehensa tuberculum, quan-
tum fieri potest, extrahatur, & nova-
cula vel scalpello à palpebra separetur,
cautè

cautè tamèn, ne tota palpebra dissece-
tur. Tuberculo exempto, hapsus lini
albumine ovi in aqua rosarum disso-
luto madidus oculo imponatur: po-
steriori die vulnus, si sit in parte exte-
riore, oleo ovorum inungendum, &
emplastrum conveniens imponendū:
in interiori verò parte lac virginis, vel
unguentum ex saccharo Capricorni
imponendum.

Καλάζον, Grando.

*Grando
palpebra-
rum.*

Cognatum hordeolo vitium est
Grando, tuberculum rotundum,
translucidum, atque huc & illuc mo-
bile. Materia enim grandinis est ma-
gis dura & quasi lapidescens.

Curatur emollientibus & discutien-
tibus; quibus si non cedit, ad sectio-
nem accedendum.

Imponendum itaque ammoniac-
cum aceto dissolutum, cum adipe gal-
linæ, vel terebinthina cum cera mixta.
Si per medicamenta resolutiva discuti
non potest, ad manus operam acco-
dendum, & incisio facienda ut de hor-
deolo dictum.

Λιθιασις.

*Λιθιασις
palpebra-
rum.*

Similis ferè affectus est λιθιασις, cum
in palpebra generantur nodi & excre-
scentiæ, & aspera quædam corpora,
lapidis instar dura, & oculos premen-
tia. Generationis & curationis modus
idem est, qui hordeoli & grandinis.
Vide Actium, *retrabil. 2. ferm. 3. cap.*
79. 80. 81.

Nodi & Excrescentiæ.

*Nodi pal-
pebrarum.*

Ptæter hæc tubercula & alii tumo-
res majores interdum in palpebris ori-

untur, quos juniores Medici uno No-
dorum nomine complectuntur, Ger-
mani *Werberlein* vocant. Græci verò
commune nomen non habent, sed, ut
in aliis partibus, ita etiam in palpebris,
pro diversitate materiæ, è qua generan-
tur, & quæ, ubi tumor aperitur, oculis
sele exhibet, variis nominibus indigi-
tant. *Μελικερίδας* nominant, quan-
do vesiculam continent, plenam hu-
more, qui colore & consistentia similis
melli est: *πατώματα*, quando id,
quod in iis continetur, est veluti adeps:
ἀπερώματα, quando quasi pulvem con-
tinet tumor. Pertinent huc & illi tu-
mores, qui Ganglia dicuntur.

Quæ autem causa horum tumorum
sit, dicetur, ubi in genere de tumoribus
agetur. Hic solum de curatione di-
cemus.

Et quidem ubi tumores recentes &
parvi sunt, medicamentis emollienti-
bus & resolventibus discuti & tolli po-
sunt, ut:

R. *Medulla crurum vituli,*
cera, an. Drach. vj
ammoniaci Drach. ij.

Misce.

Si verò malum diu duraverit, & in-
crementum sumplerit, non, nisi sectio-
ne & manus opera curatur, & frustra
tunc emplastra vel unguenta adhiben-
tur. Sectio autem hoc modo insti-
tuenda. Ager in loco lucido in sedili
firmiter, ne manus vel caput movere
possit, contineatur. Hinc cutis super
tumore ex una parte cheirurgi, ex alte-
ra parte ministri digitis extendatur (ni-
si antea à mole tumoris cutis satis sic
exter-

extensa) Hinc novacula acuta citem palpebræ è parte superiore versus inferiorem ad tumorem usque incidunt nonnulli. Sed tutius est, cum Celso lineo transversa secare, sequendo fibras transversas, ne illæ incidantur. Postea acu incurvata filum sericum non contortum continente tumor trajiciatur, acuj; abscissa, & filo utraque extremitate apprehenso, tumor, quantum fieri potest, extrahatur, & hinc a palpebra separetur. In separatione attendendum, ut nec palpebra perforetur, nec aliquid de tumore relinquatur. Tumore extracto albumen ovi aqua rosarum dissolutum cum hapsulo lini imponatur. Tandem hoc medicamentum ad vulnus conglutinandum adhibeatur.

R. Ol balsamina vel momordica:

Unc. jß.

hyperic. Unc. j.

maslich. Unc. ß.

Misce.

Vide Celsum, lib. 7. cap. 7. Paulum, lib. 6. cap. 14. Hieron. Fabric. ab Aqua pendente, de operat. Chirurg.

CAPUT V.

De Cancro Palpebrarum.

Cancer palpebrarum.

Interdum & palpebras Cancer corripit, quod malum gravissimum & horrendum est. Causam & generationem habet eandem, quam in aliis partibus; de qua de cancro in genere dicitur.

Et si verò malum longè gravissimum,

& curatu planè difficile sit: tamen, ne æger sine auxilio relinquatur, quædam tentari possunt. Si cancer nondum exulceratus sit, corpore convenienter prius évacuato hæc Aqua usurpari potest:

R. Granor. seu baccar. rubrar. solani M. iij.

rosar. rubrar.

dasylor. an. M. ijß.

absinthij M. j.

radis. iridis cælestis M. ß.

Herbæ omnes virides ac recentes contundantur, & affundantur. aq. solani lb. iij. Digerantur ij. diebus & postea in B. destillentur.

Aqua bis de die linteolis oculo imponatur.

Si verò cancer jam exulceratus sit, inspergatur hic Pulvis:

R. Erinaceum vivum,

rad. sambus.

arundin. major.

testudinum nigrar. nemoralium,

an. M. iij.

Comburantur simul in fornace figulina in olla clausa: materia combusta pulverifetur, & pulvis cancro inspergatur.

Vel R. Rad. cardopatie,

dracunculi,

scrophular. an. Unc. iijß.

Comburantur in olla clausa in fornace figulina: materia combusta pulverifata similiter cancro inspergatur.

Nonnulli & hanc Potionem commendant:

R. Vincetox. Unc. ij.

tormentill.

serpentar.

sanicul.

Sanicul. an. Unc. β .

valde bone,

salvia, an. Unc. j.

Infundantur horis 14. in cerevisia, postea coqu. colentur, & ægro manè & vesperi cochlearia quatuor exhibentur.

Quod si medicamenti malum tolli non possit, ad Cheirurgiam accedendum, & cancer sectione tollendus. Quæ in re danda opera, ut potius aliquid de parte sana tollatur, quàm de corrupta & cancrosa aliquid relinquatur. Postquam cancer exsectus est, sanguis non statim supprimendus, sed, ut aliquantisper fluat, relinquendus. Hinc albumen ovi cum hapso lini imponendum, & reliqua curatio convenienti modo peragenda.

CAPUT. VI.

De Palpebrarum Inversione, & Contractione.

Palpebrarum inversione.

IN situ quoque & connexione palpebræ morbis obnoxia sunt; cum scilicet vel aperta manent, vel cum non aperiuntur, & inter se, vel cum aliis partibus vicinis coalescunt. Prior morbus appellatur *επιερόπιον*, Palpebræ Inversio, Germani vocant, *Ein ylar Auge / oder überstülpte Augentie.* der. Estq; affectus inferioris palpebræ, quæ invertitur, & deorsum trahitur, ut internæ palpebræ pars cum deformitate videatur, & instar rubræ carnis appareat; neque cum superiore committitur, sed pendet achiat.

L. I.

Causæ hujus mali variæ sunt; 1. Incrementum carnis in parte interna palpebræ, ob quod palpebra invertitur. 2. Si vulnus vel ulcus in palpebra inferiori malè curatum sit, & palpebra in agglutinando nimis versus inferiora retracta sit. 3. Paralysis vel convulsio inferioris palpebræ, ob quam attolli nequit.

Curationem quod attinet, si à causa interna & nimio incremento carnis palpebræ malum superveniat, primò corpus conveniente modo purgandum: hinc alumen rochæ in vino coquendum, & palpebra decocto lavanda.

Vel R. *Aceti vini* Drach. νj .

acacia Drach. j.

alum. ussi Drach. β .

Coqu. & decocto palpebræ pars interna illinatur.

Vel R. *Vitr. albi,*

aluminis,

Tartar. albi, an. Drach. j.

Pulverisentur subtiliter,

hinc add.

lapid. hamatit. Drach. j.

Antimonij,

tutia, an. Drach. β .

F. Pulvis subtilis, quo caro luxurians conspergatur.

Vel R. *Æris ussi* Drach. β .

Vitrioli ussi,

chalcitidis,

myseos tost. an. Drach. j.

F. Pulvis subtilis.

Hinc oculo imponatur Emplastrum Guilhelmi Placentini,

D d d d d

R. Far.

R. *Farin. sem. fœnigraci* Unc. iij.
pulv. flor. chamemel.

rosar. rubr. an. Unc. β.

vini rubri q. s. ad incorporandum.

F. Cataplasma, de quo sume q. s. & adde vitellum ovi unius, atque oculo imponatur. Hinc pulvis aliquis enumeratus palpebræ inspergendus.

R. *Antimonij,*
tutia,
viridū aris,
lapid. hematit.

lichargyr. an. Drach. j.

F. Pulvis subtilis, qui per sindonem trassiciatur, & palpebræ inspergatur. Simulemplastrum aliquod, quod fortiter adhæret, palpebræ extra imponatur, & palpebra versus partem superiorem adducatur.

Si medicamenti caro superflua non cedit, & tantum incrementum sumpsit, ut medicamenti facillè absumi non possit, manus opera adhibenda. Aëtius, *tetrabibl. 2. ferm. 3. cap. 72.* modum sectionis hoc modo docet:

Ex interna palpebræ parte duæ sectiones fiunt literæ Græcæ Α figuram habentes, ita ut angusta literæ pars sit infernè versus maxillam, lata verò ad palpebræ marginem. Deinde particula illa cutis Α figuram referens excindatur, resecta simul etiam subjecta carne. Postea labia incisionis juxta partes marginis contrahenda. Sic enim incurvata & elevata palpebra ad interiora remittitur. Tandem reliqua curatio peragenda, ut, *loco allegato*, Aëtius docet.

Alii carnem superflua duobus vel tribus locis acu incurva filum sericum ducente perforant. Hinc carnem attrahunt, & scalpello vel novacula & palpebra separant. Carne superflua separata Aquam istam imponunt:

R. *Aq. prunor. sylvestr.* Unc. iij.

alumin. crudi Drach. vj.

camphor. Drach. β.

Coqu. in aqua, qua palpebra intus abluatur. Hinc palpebra versus superiora, & in naturalem situm reducatur, & albumen ovi conquassatum cum hapso lini imponatur. Horis viginti quatuor elapsis ligatura solvatur, & vulnus postea lacte virginis, vel alio conveniente medicamento curetur. In curatione ista hoc semper observandum, ut palpebra versus superiora semper attrahatur, conveniente emplastro conglutinante imposito; qualia passim obvia sunt. Utile est & hoc:

R. *Amyli* Drach. vj.

farina fabarum,

pulv. radic. consolidæ;

sem. lini, è quo oleum jam est
expressum, an. Unc. β.

gummi tragacanth.

bol. Armeni, an. Drach. ij.

F. Pulvis, qui in usu cum albumine ovi misceatur.

Si ex ulceris vel vulneris mala curatione sit *carcinosus*, cutis palpebræ lunata figura incidenda, ut cornua ad maxillas, non ad oculum, convertantur. Altitudo plagæ sit ad cartilaginem, ipsa non læsa. Nam si ea lædatur, palpebra concidit, neque attolli potest. Hinc cutis diducatur, ut paulum

Hum minima oculi ora descendat, & super plaga hiet. In hiantem plagam linamentum consiciendum est, quod & conjungi diductam cutem prohibeat: & ut in medio caruncula generetur, quæ ubilocum implevit, postea rectè oculus aperitur.

Si vero à convulsione vel resolutione inferioris palpebræ sit malum, conveniente modo ea symptomata, ut dicetur, curanda. Vide etiam Aëtium, *ettrabibl. 2. serm. 3. cap. 71. & 72.*

Λαγόφθαλμον.

Lagophthalmos.

Quod in palpebra inferiori est *επιόπτιον*, id in superiore est *λαγόφθαλμον*, oculus leporinus, Germanis *Hasenschlaff*/ quando scilicet superiora palpebra ita sursum adducta est, ut oculum totum contegere non possit, sed per somnum etiam aliquantum apertus maneat. Cum Lagophthalmia idem ferè affectus est Corybantismus, cujus mentionem facit Plinius, dum, *lib. 11. cap. 37.* scribit, oculis patentibus dormiunt lepores, multiq; hominum, quod Græci *Corybantiζν* dicunt; ideo procul dubio, quod Corybantes, Jovis Sacerdotes, excubias agere, & quasi apertis oculis dormire cogentur.

Corybantismus.

Causæ hujus affectus plures sunt. 1. Interdum in utero palpebra ita, ob materiæ defectum & conformationis vitium, formata est. 2. Interdum à consuetudine hoc malum ortum habet, cum infantes in cunis sursum vel retrò continuò spectant. 3. Idem à convulsione fieri potest. 4. Cum pal-

pebra à vulnere vel ulcere & cicatrice malè curatà imminuta, vel sursum tracta est, unde vitium hoc aliis naturale à conformatione prima, aliis consuetudine contractum, alii denique morbosum.

Prognostica.

1. Si à primo ortu, & conformatione in utero hoc malum contractum sit, incurabile est.
2. Si multum palpebræ deest, malum incurabile est: si parum, curari potest.
3. In febribus apertis oculis dormire, malum portendit; cum convulsione sit indicium.

Curatio.

Si à consuetudine malum contractum sit, dum infantes in cunis jacentes semper retrò conspiciunt, contraria consuetudine curandum; seu potius, ne contrahatur, præcavendum, quod fit, si pannis nigris cunæ circa caput obvolvantur, & si caput versus tenebras, & pedes luci obvertantur, ut ita versus lucem continuò adspiciant.

Si à convulsione aut contractione palpebræ malum hoc ortum habeat, ut laxetur palpebra, danda opera. Talis igitur fiat Potus:

℞. Rad. *althææ*,
sem. *fenigrac.*
flor. *chamamel.* an. Drach. ij.
croci Drach. β.

F. Sacculus, qui aqua conveniente calefactus oculo imponatur.

℞. *Pinguedin. gallin.*
medulla cervi, an. Unc. β.

D d d d d 2

ol. cha-

al. chamamel.

lilior. albor.

unguent. dialthææ, an. Drach. ij.

Misce,

Eadem quoque medicamenta adhiberi possunt, si à cicatrice aut vulnere & ulcere malè curato ortum habeat: *λαγόφθαλμον*, & danda opera, ut cicatrix emolliri queat. Quod si non possit, manus opera adhibenda. Paulò nimirum infra supercilium cutis incidenda lunata figura; cornibus sectionis deorsum spectantibus usque ad cartilagineam, id est, usque ad substantiam palpebræ membranæ; & cutis postea diducenda, ut paulum in ima oculi ora descendat, & plaga hiet, in quam linamentum conjiciendum est, quod & conjugi diductam cutem prohibeat, quod ubi locum implevit, postea oculus aperietur. Vide Aetium, *tetrabibl. 2. serm. 3. cap. 27.* Celsum, *lib. 7.* Hieron. Fabricius ab Aquapendente, *de operat. Chirurg. tit. de Lagophthalm.* ob pericula & incommoda, quæ Chirurgia conjuncta habet, alio modo utitur. Glutinum nimium, quod duas aut tres habet alas appensas habeat, ad superiorem palpebram applicat, & aliud ex adverso, habenulasq; subinde arctius adstringit, & ita inferiorem palpebram ad superiorem perducit.

CAPUT VII.

*De Palpebrarum inter se,
& cum aliis oculorum partibus Coalitu & Co-
hærentia.*

SI palpebræ vel inter se, vel cum alba, aut cornea aut utraque oculi tunica coalescant, & præter naturam ^{Palpebrarum Coalitu.} hæreant, ut oculus aperiri non possit, malum hoc Græcis *ἀγκυλοβλέφαρον*, Aëtio etiam *ἀγκύλωσις τῆς ἐλεφάρας*, & *περὶ σφουσις τῆς βλεφάρας* est, *tetrabibl. 2. serm. 3. cap. 66.* Vulgo concretionem seu inviscationem palpebrarum nominant.

Causa hujus mali est ulcus negliger & imperite curatum, cum scilicet vel post *πράχωμα* aut ungulam oculi, vel aliud malum ulcus in parte interiore palpebræ relinquitur; quod & in variolis, atq; interdum post combustiones accidit. Dum enim oculus cerebrò non aperitur, sed clausus manet, palpebra exulcerata vicinis partibus adhærescit, & sanescendo, quod diduci potuit ac debuit, agglutinatur, & palpebræ vel inter se, vel cum vicinis partibus coalescunt.

Huc etiam refertur potest, etiam si alterius generis, illa palpebrarum coherentia, quæ fit, cum per somnum multa pituitosa & viscida materia, quæ Græcis *λήμη*, ad palpebras affluens, earum extremitates ita conglutinat, ut vix aperiri possint.

Prognostica.

1. Palpebrarum cum oculo coalitus vel non, vel difficulter curatur.

2. Si extremitate sua solum palpebra oculo adhærescat, facilius curatur: si verò tota palpebra cum oculo coa-
luerit, curatur difficilior.

3. Cu-

3: Curatur etiam facilius hoc malum, si annata saltem palpebra adhaereat; si verò corneae simul concreta sit, ferè nunquam, & nisi cura difficultate, curatur.

4: Si verò palpebrae inter se solum coalescant, non difficulter quidem diducuntur, sed saepe rursus coalescunt.

Curatio.

Et si, ut modò dictum, plerumque vix aliqua spes curationis supersit: tamen, si aliquid tentare libet, Chirurgia adhibenda. Nimirum quae oculo adhaerescit palpebra, scalpello, novacula, vel forcipe cautè liberanda est, ut neque ex oculo, neque ex palpebris quicquam abscindatur, aut, si omnino quid abscindendum sit, id potius ex palpebra fiat, quam ex oculo.

Et, ut tutius ista sectio fieri possit, nonnulli acu incurva super loco, in quo oculo cohaeret, palpebram perforant, hinc acu abscissa filo utrinque apprehenso palpebram attollunt, & postea eam ab oculo liberant. Palpebra ab oculo liberata inungatur medicamentis, quibus asperitudo curari solet, & palpebra saepe moveatur, ut non solum medicamentum oculo indatur, sed etiam ⁱⁿ palpebra rursus coalescat.

Si palpebrae inter se coaluerint, scalpello liberandae. Atque, ut etiam hic sectio tutè peragi possit, nonnulli acu incurva, sericum filum mollè ductente, utramque palpebram transversim perforant, cavendo tamen, ne cornea vel pupilla laedatur. Hinc acu

abscissa, filo prehensio, palpebras diducunt, easque primò novacula, hinc forcipe liberant. Palpebris seu filo, seu specillo diductis, linamenta seu penicilli interponendi aqua rosarum madidi, donec ulcus palpebrae curatum sit. Alii laminam plumbeam oleo rosaceo illitam interponunt. Vide Hier. Fabric. ab Aquapendente, de oper. chirurg. tit. de Ancyloblepharo.

Si verò ex pituita solum coalescant palpebrae, corpus convenienti modo purgandum, & per vesicatoria, atque aliis modis materia ab oculis avertenda. Postea cubitum iturus aeger palpebras aqua rosarum, in qua balaustia vel rosae coctae sint, abluat, vel succo sempervivi; aut ol. rosar. cum pinguedine gallinae mixto palpebrae inungatur.

CAPUT VIII.

De Pediculis, & Ciliarum vitis.

φθηλασις.

UT in aliis corporis partibus, praecipue pituitosis, pediculi nasci solent: in ciliarum, ta etiam quandoque in ciliis seu pilis palpebrarum nascuntur, quod malum Graecis φθηλασις nominatur, ortumque habet, ut alii pediculi, de quo suo loco dicetur, ex sordibus in iis, qui lotionibus & balneis non utuntur, ac corporis curam non agunt, & pravo victu in hominibus non puris & obscanis; unde lue Venerea laborantibus hoc malum familiare est. Etiam per con-

ragium contrahitur interdum, si quis in lecto, in quo $\Phi\theta\epsilon\iota\acute{\alpha}\sigma\epsilon\iota$ laborans dormivit, cubet, aut pectione utatur, vel linteo caput abstergat, quo alius hoc malo infectus usus est.

Malum non contemnendum est. Acre enim fluxiones concitat, & oculi tandem ab iis valde læduntur.

Ut verò hi pediculi tollantur, abluantur palpebræ aqua marina, vel decocto betæ, & staphisagriæ, vel unguento convenienti illinantur, ut:

℞. Aloës,

myrrhæ, an. Drach. ij.

Cum lardo misceantur.

F. Linimentum.

Vel fiat Linimentum ex staphide agria, aloë, & melle.

Vel ℞. Pinguedin. porci Unc. f.

pulver pyrii Drach. ij.

Mercur. vivi Drach. j.

Misce.

℞. Pingu. porci antiqu. Unc. f.

hellebor. albi Drach. j.

Sulp. citrini Unc. ℞.

Vel ℞. Mercurij vivi saliva hum. extinct.

pingued. porc. an. Unc. ℞.

pulv. staphyd. agr. parum. M.

F. Unguentum.

Misce.

Aut albumen ovi cōctione induratum imponatur in acetum vini horis 6. postea sub somnum oculis imponatur. Ubi manè remouetur, pediculi inhærentes simul extrahuntur. Tolluntur etiam pediculi, si palpebra fricetur corio, vel panno xylyno, quo aurifabri vasa recens in aurata extergere solent. Vel fumus argenti vivi, ore tamen ac naso diligenter clausis, & panno obvolutis, palpebris excipiatur.

De Ciliorum vitis.

Affectiones τῶν βλεφαρίδων, qui palpebrarum pili sunt, hæ præcipuè enumerantur: 1. Inversio eorum, quia vel pili ipsi à siccitate intorquentur, vel pori, per quos enascuntur, tortuosi redditi sunt, vel palpebra versus oculos ad interiora est incurvata; quod vitium $\Phi\alpha\lambda\acute{\alpha}\gamma\gamma\omega\sigma\iota\varsigma$ & $\pi\acute{\omega}\sigma\iota\varsigma$, seu laxatio & lapsus palpebræ nominatur; vel radix pili unius ab alterius radice impedita pilum intrò reflectit. 2. Illorum abundantia, quod vitium in genere $\tau\epsilon\iota\chi\iota\alpha\sigma\iota\varsigma$ appellatur. 3. Eorundem defectus, qui $\mu\acute{\omega}\delta\acute{\alpha}\rho\omega\sigma\iota\varsigma$ & $\mu\iota\lambda\phi\omega\sigma\iota\varsigma$ nominatur. 4. Color alienus, ut cum pili albescunt, vel ob defectum humiditatis nutrientis, & tum in extremitate albescere incipiunt) ex diuturna ægritudine, vel ob præsentiam materiæ phlegmaticæ in radice pilorum situm quasi contrahentis, ut in canitie, vel denique ob cutem vitilagine alba laborantem; de quibus jam dicendum.

$\Phi\alpha\lambda\acute{\alpha}\gamma\gamma\omega\sigma\iota\varsigma$.

$\Phi\alpha\lambda\acute{\alpha}\gamma\gamma\omega\sigma\iota\varsigma$, ὑπὸ τῆς τῶν τευχῶν $\Phi\acute{\alpha}\lambda\alpha\gamma\gamma\omega$, id est, à pilorum, acie ita dicta, non uno modo apud Autores accipitur. Aliàs enim sumitur pro eo palpebrarum affectu, cum cilium intro spectat, pilorum acie simul cum eo conversa, sic, ut pili oculos pungant, seu, ut Aëtius, *tetrabibl. 2. ferm. 3. cap. 66.* habet, est palpebræ $\chi\acute{\alpha}\lambda\alpha\sigma\iota\varsigma$, cum palpebræ ita laxantur, ut eorum extremitates intrò vergant, ut pili non facillè appareant, nisi quis eas attollar, ut ita in $\Phi\alpha\lambda\alpha\gamma\gamma\omega\sigma\iota\varsigma$ hoc modo sumpta nulli pili novi, ut in $\tau\epsilon\iota\chi\iota\alpha\sigma\iota\varsigma$, nascantur, sed naturales saltem intrò

ver-

vergant & pungant. Galenus tamen, in *Isagoge*, *Φαλάγγωσι* esse dicit, cum pilorum duplex, triplexq; acies in superiore vel inferiore palpebra præter naturam subnascitur; ut tam *τῆς τριχιάσεως* species sit *Φαλάγγωσι*.

Sed de priorè modo sumpta *Φαλάγγωσι* primò agemus, quæ & *πλωσις*, seu palpebræ laxatio & casus appellatur. Ortum autem habet hoc malum vel ab humoribus pituitosis palpebram occupantibus, eamque deprimentibus, vel ab exsiccatione cartilaginis in palpebris, & hanc sequente cutis corrugatione, & versus cilia depressione.

Quod verum, quia non solum turpitudinem in facie parit, sed &, quia cilia in versa oculos pungunt, non negligendum est.

Uniuersali autem corporis evacuatione præmissâ oculus fomentetur hoc Sacculo:

℞. Nucleorum nucis juglandis.

Unc. j.

sem. fanigræ.

lini,

rad. althæe, an: Unc. β.

verbena Drach. ij.

Includantur Sacculo, qui calefiat in acetò, & palpebris imponatur.

Vel R. Fermentum magnitudine ovi, pulveris magnetis Drach. j.

alumin.

succini,

nucum cupressi, an: Drach. β.

Mixta omnia noctu palpebræ imponantur.

Si malum medicamentis non cedat, opera chirurgica adhibenda; de qua

videatur Celsus, lib. 7. cap. 7. Paulus, lib. 6. cap. 13. Aroulanus palpebram exteriore parte scindit, eamque contrahendo versus exteriora & superiora ita sicut necitque, ut tarsus prominens pilos in versos secum ad exteriora ab oculi contactu averrat. Nonnulli alium modum usurpant. Fiat retinaculum ferreum convenientis figuræ, & postea digitis duobus palpebra relaxata, quantum opus, & potius plus, quam minus, attollatur, & retinaculum ferreum applicetur, trochlea versus aures conversa, retinaculum hoc singulis diebus acutius constringitur, ut palpebræ pars illa retinaculo inclusa tandem abscindatur, & à reliqua palpebra separetur, quod tamen vix trium septimanarum vel mensis spatio accidit; idque ut eo facilius fiat, bis singulis diebus locus oleo hyperici illinatur. Ubi pars illa palpebræ separata fuerit, eodem oleo, addito pauxillo pinguedinis lucii, curatur.

τρίχιασις.

Si vero pili præternaturales in palpebris nascuntur, & sub pilis naturalibus exorti, ac intrò nuentes tunicas oculorum pungunt, vitium id Græcis in genere *τρίχιασις* nominatur, cuius species sunt *δισίχιασις*, seu duplex ordo pilorum, & *Φαλάγγωσις*, cum multiplex ordo, & quasi acies pilorum subnascitur.

Generantur autem hi pili superflui ex humoribus pilos nutrientibus ad palpebrarum extremitates fluentibus.

Ut e-

Ut enim terra pluviis nimis irrigata luxurians quasi plurimas plantas profert: ita etiam si ad palpebras copiosi humores, minimè tamen mordaces, confluant, plures pili proveniunt. Occasionem etiam huic malo præbent interdum tumores diuturni, vel deligatio diuturnior, à qua cilia intus comprimentur; unde major ad radices pilorum humorum affluxus concitatur.

Malum hoc non est contemnendum, cum pili isti luxuriantes oculos pungant, & acutos dolores pariant, & affluxum humorum ad oculos concitent, tandemque cæcitatem inducant. Unde *τρυχίασις* in palpebris cæcitatibus imminentis plerumque indicium est.

Curatio.

Triplex verò pilos superfluos in palpebris curandi ratio est. Primò, si evellantur, & ea medicamenta, quæ pilorum generationem prohibet, postea adhibeantur. Deinde, si pili per medicamenta corrodantur. Tertio, si sektionem tollantur.

Curandi
ratio præ-
cipua.

Primum modum quod attinet, ubi pili superflui & oculos pungentes seu plures, seu pauciores adsunt, vossella evellendi sunt, Danda verò opera, ut pili toti evellantur. Nam si abrumpantur, plus pungunt, quam si integri essent. Postea verò loco, è quo pili evulsi sunt, adhibenda ea, quæ pilos renasci prohibeant; qualia sunt, sanguis muscæ caninæ, quam *Cossum* nominant, item ranarum viridium sanguis: vel adhibeatur rubigo ferri cum saliva hominis jejuni, vel spuma maris cum aqua

Psylli vel erinacei terrestres fel & sanguis cum modico castoreo.

Vel R. Rad. mandragora Drach. vj.
sem. persicaria Unc. β.
camphor. Scrup. β.
aceti cochlear. j.

Misce in mortario, & succus exprimitur, quo pori, è quo pili evulsi sunt, illinantur.

Vel R. Succichondrilla Unc. β.
mastich. Drach. j.
aceti,
alumin. usti, an. Drach. β.
M.

R. Cineris erinacei terrestres,
Unc. β.
rubigin. ferri Drach. ij.
cineris ovorum formicarum
Unc. j.

F. Pulvis, quo pori, è quibus pili evulsi, conspergantur. Plura vide apud Aëtium.

Si medicamentis pilorum generatio prohiberi non possit, nonnulli corrosivis medicamentis eos extirpare conantur. Agrum supinum in scamnum ponunt, & linteum, crucis vel brachii crassitie contortum, cervici supponunt, ut caput versus deorsum propendeat. Hinc palpebras aperiant, & gossypio oculi globum tegunt, ne à corrosivo medicamento lædatur. Postea luxuriantibus pilis corrosivum medicamentum illinunt, agrumque ita supinum horæ quadrantis dimidii spacio jacere sinunt. Postea linteum vel spongia munda medicamentum corrosivum diligenter abstergunt & aqua, quæ postea proponetur ad palpebras sanandas utuntur.

Corro-

Corrosiva medicamenta talia sunt sequentia:

℞. *Calcis viva,*
vitrioli albi,
cupri seu aris squamma,
cineris montani, an. Unc. j.
viridis aris,
sal. gemma,
Vitr.
aluminis, an. Drach. β.

F. Pulvis, cui in olla vitreata affunde acetum acerrimum, ut fiat mixtura pultis instar: hinc coquantur ad siccitatem; iterum pulverisentur, iterumque novum acetum affundatur, & ad siccitatem coquantur, idque sexies repetatur. Tandem pulverisentur, & in vitro pulvis asservetur. Quo uti ubi volueris, affunde aceti rosati q. s. ut fiat mistura instar pultis. Calefiat super igne, & pilis superfluis illinatur.

Vel ℞. *Calcis viva,*
cineris montani,
Vitr. albi, an. Unc. iiij.
sal. ammoniac. Unc. iiij.

In olla vitreata affundatur acetum, & coquantur ad dimidias. Hinc ponatur in cella octo diebus, ut subsideat. Clarum effundatur, & in vitro servetur: cui usus tempore admisce pulverem calcis vivæ, ut fiat instar pultis liquidioris, & mixtura calefacta palpebra, seu locus pilorum inungatur.

Aqua, quæ post corrosivum adhibetur, hæc est:

℞. *Aqua cantharum dimidium,*
aceti cerevisia, Unc. jx.
 L. I.

Simul coqu. ac dum calent adde

lithargyri argenti,
ceruß. an. Unc. β.
thuris,
massich.
oculor. cancri, an. Drach. ij.
camph.
salis, an. Drach. j.

Colentur, & liquore locus post corrosivum amotum bis de die illinatur.

Tertia curandi ratio fit per sectionem. Modum prolixè docet Aëtius, *tetrabibl. 2. ferm. 3. cap. 69.* Recentiores chirurgi duobus modis utuntur. Nonnulli acu incurvata filum sericum ducente palpebram perforant tribus locis. Hinc filis simul apprehensis palpebram attollunt & ducunt, & post fila palpebræ partem radices pilorum continentem novacula abscindunt.

Verum cum ob perforationem hanc triplicem hic curandi modus tardior & molestior sit, commodius est, si forcipe lato palpebræ pars ea, quæ pilorum radices continet, prehendantur, & forcipe pars palpebræ, quousque radices pilorum se extendunt, abscindatur. Facta sectione albumen ovi conquassatum cum hapsō lini imponatur: postea ablato altumine ovi medicamenta ad vulnus conglutinandum idonea, ac, si opus sit, etiam aquæ pilorum regenerationem prohibentes imponantur. Vide Hier. Fabricium, *de operat. Chirurg.*

De Pilorum defluvio.

Contra nonnunquam pili e palpebris decidunt, quod vitium *Pilorum e palpebris defluviū.*
 Eeeee *δ'αρωατς,*

δαρῶσις & μιλφωσις, pilorum palpebræ defluvium, casus pilorum, & glabrities palpebrarum appellatur. Ortum habet hoc malum ex vitiosis & acris humoribus ad ciliorum radices confluentibus; unde alimento destituuntur, & pilorum radices eroduntur. Sæpe id accidit post febres malignas, post quas interdum non solum pili capitis, sed & palpebrarum decidunt.

Corporis totius prius ratione habitanda adhibeatur hoc Unguentum:

℞. Plumbi usi Unc. β.
nuckorum dactylorum combustor
Drach. v.
spic. Indic. Drach. jβ.
Antimonij calcinat.
piper. nigri, an. Drach. j.
pingued. urfi q. s.
F. Unguentum.

Vel ℞. Muscarum combustarum.
Drach. ij.
stercoris hirundinis,
lapid. lazuli,
spic. Indic. an. Drach. j.
mellis despumati q. s.
F. Linimentum.

Vel ℞. Olei lini Unc. j.
sevi bircini,
pinguedinis urfi, an. Unc. β.
stercoris murium,
dactylorum combustor. an. Drach. j.
Misce. Vide Aëtium, tetrabibl. 2.
serm. 3. cap. 78.

Mollities Ciliorum.

Mollities
ciliorum. Nonnunquam & cilia nimis tenera
aut flexibilia sunt, nec restâ succre-

scunt, sed in oculos delabuntur, & dolores ac lachrymas concitant.

Ortum habet hoc vitium ab humore pituitoso, cartilaginem palpebrarum, & ciliorum radices occupante.

Corpus convenienter evacuetur, & affluxus humorum vesicatoriis ac aliis modis prohibeatur, atque oculi internis medicamentis confortentur. Hinc Aqua ista palpebræ abluantur.

℞. Fol. quercus,
verbena, an. M. j.
visci è pyro,
fol. buxi,
germinum juniperi,
aluminis, an. M. ijsβ.

Affundatur aceti & aquæ pluvialis; ana q. s. destillentur in vesica; aqua palpebræ illinantur bis de die. Vel potius quantitate aluminis immutata fiat Decoctum, quod efficacius est. Hinc cilia gummi Arabico lentè illinantur. Vide etiam Aëtium, tetrab. 2. serm. 3. cap. 68.

Πιλῶσις.

Compositum ἐκ τῆς μαδαρώσεως, καὶ τῆς σκληροφθαλμίας, hoc est, ex πιλῶσις. In μαδαρώσει enim simplex saltem pilorum in palpebris defluvium est: in πιλῶσει verò simul adest crassities, callositas, & rubor, palpebræq; turgent, rubent, & lucidæ fiunt.

Causa est vel sanguis adustus, vel pituita falla, vel bilis, vel melancholia adusta, aut humores hi mixti, qui palpebras

pebras occupans, in tumorem attolunt, & pilorum radices corrodunt. Malum familiare iis, qui luem veneram patiuntur, aut passi sunt.

Curatur hoc malum, si corpore uniuerso evacuato prius palpebris humectantia & emollientia, & naturalem temperiem ipsis restituentia, applicantur, ex portulaca cum lacte cocta, mucilag. semin: lini & cydonior. Postea imponantur ea, quæ ad pilorum defluuium antea sunt proposita.

CAPUT IX.

*De Palpebrarum Livore,
Contusione & Percussione,
Vulneribus & aliis à
causis externis
lesionibus.*

Accidit tandem, ut palpebræ à variis causis externis lædantur, percutiantur, contundantur, vulnerentur. Si vulnus sit in palpebris solum, curatur ut alia vulnera. Quia tamen palpebræ facillè intumescunt, ad id prohibendum imponendum albumen ovi cum momento boli Armeni in aqua rosarum dissolutum, & linteo lo vel hapso lini exceptum. Si liber, potest & momentum croci ac aluminis addi.

Postea oleo hyperici, vel alio unguento convenienti, aut emplastro diapalmæ vulnus conglutinandum. Utile est etiam lac virginis, vel unguentum ex saccharo Capricorn. Efficax est etiam hoc Emplastrum:

℞. Cera,
ol. melilot. an. Unc. j.
cumini Unc. ℞.
camphora Drach. j.

Cera & oleum super igne liquefiant, deinde reliqua addantur.

Sæpe verò à contusione & percussione palpebræ quidem non vulnerantur, sed livorem saltem contrahunt. Imò sæpe accidit, ut, etiamsi oculus læsus non sit, sed pars saltem vicina concutiat, nihilominus sanguine palpebræ suffundantur. Si ergo oculus sit percussus, & livor metuatur,

℞. Albumin. ovor. num. iij.
aqu. absinth. cochlear. iij.
terra sigill. vel bol. Armen. Drach. j.

Imponantur palpebræ. Vel palpebra ungueto albo camphorato inungatur.

Tollitur autem livor succo absinth. cum melle mixto, aut succo cyclaminis, aut aloe cum melle mixta, aut cumino cum melle mixto, aut cumino & aniso in aqua cocto & imposito, aut farina fabarum, & fœnigræci cum melle mixta. Succus etiam radicis sigilli Salomonis recentis, vel sicæ vino macerata, livorem ex ictu, seu suggillationem in omnibus partibus feliciter tollit.

De Palpebrarum combustione.

Si palpebræ combustæ sint.

℞. Aqu. verbena ℞. ℞.
syr. cydonior. Drach. ij.
fœnigræc. Drach. j.

Extrahatur mucilago, quæ oculo imponatur. Vel usurpetur aliud ambustum conveniens medicamentum.

Eeeee 2

CAPUT

CAPUT X.

De Symptomatibus, quæ in Motu Palpebrarum accidunt.

Motus palpebrarum laesus.

ATque hætenus plerosq; morbos, qui palpebris accidunt, ut & symptomata in qualitatib⁹ mutatis proposuimus: restat, ut de symptomatibus, quæ in motu accidunt, dicamus. Cum autem, ut supra dictum, officium palpebrarum sit, oculos tegere, & nunc aperiri, nunc claudi, prout opus: in motu laeso symptomata fiunt, cum palpebræ aperiri vel claudi, ut debent, non possunt, vel vitiosè moventur.

Palpebras movendi difficultas.

Aperiri aut claudi non possunt palpebræ variis de causis. Aperiri non possunt, primò ob tumorem aut inflammationem: secundò ob coalitum & conglutinationem vel inter se, vel cum aliis partibus, vel ob vulnera. Claudii non possunt in ectropio & *λαγοφθαλμῳ*. Tertio etiam observatum est ex itinere per loca nivosa tempore hyberno quendam in paralyin palpebrarum incidisse, ita ut nullo modo attonsi potuerint. Præterea etiam aperiri vel claudi faciliè non possunt ob siccitatem, vel humorem crassum & viscosum ad siccitatem tendentem. Cum verò de aliis vitiis hætenus dictum sit, de ea saltem difficultate aperiendi & claudendi oculos, quæ à paralyin, & quæ à siccitate provenit, dicemus.

Paralyis curatur medicamentis calefacientibus, & aliàs ad paralyin utilib⁹. Imprimis utile est balsamum naturale cum aqua vitæ. De difficultate autem claudendi & aperiendi palpebras à sic-

citare peculiari capite agit Valeseus de Taranta, vitiumq; hoc Gesse appellat. Accidit hoc malum ab humore viscoso, crasso, ad siccitatem tendente. Et propterea non adest magna lippitudo, nec multus humorum affluxus, sed quasi grana quædam, seu lema in grana concreta non multum palpebris vel oculis adhærens reperitur.

Universalibus præmissis fomentetur oculus aqua tepida; vel ex semin. fœnigræc. & lini cum lacte muliebri, aut alio mucilago extrahatur, & oculo imponatur: vel mucilago sem. lini cum cera & oleo rosato misceatur & oculo applicetur.

Depravati verò motus palpebrarum symptoma est, quod Græci *πτερον* appellant (quamvis nonnulli totius oculi affectum esse malint, de quo infra, cap. 39. dicitur) instabilitatem palpebrarum, Germanicè, das blinckern/zwittern oder fipfern der Augenlieder/cum palpebræ inordinato motu continuo clauduntur & aperiuntur.

Palpebrarum instabilitas.

Malum hoc aliquando hæreditarium est, aliquando à flatibus accidit, & quidem nunc in uno, nunc in utroque oculo: quod malum in specie palpitaro, Germanicè, das Jerch, nominatur. Aliquando fit à convulsione, cum palpebræ versus exteriorem oculi angulum continuo trahuntur.

Posteriores hæ duæ causæ proveniunt, cum palpebrarum musculi refrigerati sunt, ob sanguinis nimiam vel in vulnere capitis, vel per hæmorrhagiam narium detractione, vel cum à frigore externo musculi refrigerati sunt, vel cū pituitosis humor ad eas affluit. Accidit etiam malum à terrore, ira, timore.

Si

Si malum ab ortu contractum, & hæreditarium sit, incurabile est. Si ab aliis causis oriatur, universalibus præmissis, & capite evacuato, & per medicamenta cum interna, tum externa roborato, topica quædam applicari possunt.

R. *Origan. M. v.*
stœchad. Arabic.
calamintha, an. M. iiij.
spic. Indic. Unc. ß.
flor. hyperici M. ij.

Affundatur vini Rhenani cantharus dimid. Stent in infusione per aliquot dies; postea destillentur in B. Aqua postea manè & vesperis palpebræ insinantur.

Vel R. *Medulla tauri Unc. ß.*
unguenti martiati,
olei ex avellanis express. ana
Drach. vj.
pinguedin. amaris,
ol. piceæ, an. Unc. ß.
Milce.

CAPUT. XI.

De iis, quæ in oculos incidunt, eximendis.

Postquam morbos & symptomata, quæ palpebris accidunt, explicavimus; antequam ad reliquarum partium oculi morbos accedamus; dicendum aliquid de iis, quæ in oculos illapsa sunt, & intet palpebras, & corneam atque annatam tunicam hærent. Solent enim & ea, nisi maturè tollantur, multorum malorum, inflammationis, dolorisq; & quæ hæc sequuntur, causa esse.

Traduntur autem varii modi educendi ea, quæ in oculos inciderunt. Vulgus utramque palpebram trahere jubet, superiorem altera manu deorsum, inferiorem altera manu sursum, atque interea oculum ad superiora intus volvere, aut ex ore alterius, vel siphone parvo inflare aquam simpl. vel saccharatam, vel hydromel, vel lac recens mulsum inspergere, quo id, quod incidit, eluatur; præsertim, si acre & mordax fuerit. Aëtius, *tecrab. 2. ferm. 3. cap. 10. & 17.* altero oculo clauso, & qui affectus est, aperto, culicem vel aliud animalculum illapsum, sua sponte exiturum scribit. Alii spiritum, ore & naribus clauso, tamdiu retinere jubent, donec oculi lachrymentur: ita fore, ut cum lachrymis ejiciatur id, quod molestum est. Aut sternutationem cient, ac nare altera appposito digito obstructa, per alteram sub affecto oculo vehementius insufflant. Rhaeses cottonem stylo alligat, quam in resina pini intinctum molliter ducit per oculum, palpebra altera elevata, ut resinæ visciditate res apprehensa simul extrahatur. Vel sumatur resina alba vel cera, & extremitate una non nihil emolliatur, ac sub palpebram immitatur, & per oculum molliter ducatur, ut, quod in oculo est, ei adhæreat. Succinum quoque ad pannum affricatur, donec incalêscat, quo supra oculum posito, palpebræ pilus, vel pulvisculus attrahatur, ut ferrum à magnete. Vel sub palpebras subjiciatur sapphirus politus, aut margarita rotunda, aut lapis chelidonium, aut oculus cancri lavis.

Eeeee 3

Possunt:

Possunt etiam varia instrumenta parari, quibus palpebris elevatis res aliena educitur. Quæ autem, ut acuta, oculo altius sunt infixa, vossella vel forcipe subili blandè extrahantur, ita, ne in obliquum contorta frangantur. Postea, si opus, hic Liquor instilletur:

R. Aq. cichor. Unc. \mathfrak{ss} .
 plantag. Drach. \mathfrak{vj} .
 succini albi,
 thuris, an. Drach. \mathfrak{ss} .
 camphor. Scrup. \mathfrak{ss} .

Misce, & per linteum colentur. Si calx viva in oculum inciderit, albumen ovi infusum vim ejus ustoriam obtundet; postea aqua vel lacte calx eluatur. Vide de his Aëtium, *loc. allegat. & Institut. libr. 5. part. 1. sect. 2. cap. 10.*

De Morbis Tunicæ Annatæ seu conjunctivæ.

CAPUT XII.

De Ophthalmia.

Ophthalmia.

Inter oculi partes occurrit primò tunica alba, annata seu conjunctiva dicta, quæ & ipsa variis morbis est obnoxia. Inter quos primus est Ophthalmia, Celfo Lippitudo dicta, quod in eo lachrymæ fervidæ ex oculis stillare solent. Nonnulli tamen inter ophthalmiam & lippitudinem distinguendum consent. Et sane non nego, esse aliquam inter lippitudinem & ophthalmiam, quæ hodiè ita dicitur, differentiam: interim & hoc verum est, Celsum ophthalmiam veram nomine

lippitudinis expressisse. Neque in lippitudine, quæ continuus vitiosorum humorum ad oculum fluxus est, & sæpe pluribus annis durat quod non accidit in vera ophthalmia, omnis inflammatio abesse videtur; id quod rubedo & oculorum dolor indicat. Ideoq; lippitudo ophthalmiæ notæ species quædam est. Adscribitur autem ab autoribus ophthalmia annatæ tunicæ, quòd in ea maxime sit conspicua. Interdum tamen totus oculus etiam inflammatur. Malum frequens, magniq; momenti, ob dolores sævos, cum quibus est conjunctum, & mala alia, in quæ degenerare potest. Accipit autem nomen à loco affecto, ut nonnulli alii morbi etiam, teste Gale-
 no, 2. *meth. med. cap. 2.*

Estq; inflammatio annatæ seu albæ tunicæ cum rubore, ardore, dolore & lachrymis, orta à sanguine acris, venulæ tunicæ illius occupante & distendente. Cum enim annata oculi tunica, quæ est quasi ligamentum quoddam cum musculis, oculos in sua sede continens, pericranii partibus vicinis connexa sit, facilè fieri potest, ut è venis capitis & temporum sanguis præter naturam ad eam confluat, & ibi inflammationem excitet. Unde accidit, quod in gravi ophthalmia dolor capiti, & partibus oculo vicinis communicatur. Quamvis verò in oculo sano venæ illæ tam exiles sunt, ut nullæ ferè appareant: sanguine tamen præter modum & naturam refertæ in conspectum sese dant, & ob annatæ albedinem sese facilè produnt, & ob mem-

Annata oculi tunica inflammatio.

membrana tensionem, humorisq; acrimoniam, membriq; illius exquisitum sensum, gravissimi dolores oriuntur. Itaque morbus est inflammatio: pars affecta oculi tunica annata seu conjunctiva, quæ per se afficitur; per accidens verò etiam oculus. Quod si verò inflammatio ita magna sit, ut alias etiam oculi partes occupet, totius instrumenti morbus est. Nonnunquam enim humores in alias simul oculorum tunicas, ut duram & corneam, fluunt, qui, nisi per medicamenta idonea resolvantur, vel alio modo expurgentur sæpius suppurati abscessum & ulcus faciunt, periculumq; de oculi amissione inducunt, vel non suppurati diuturnum malum excitare, tandemq; pupillam obscurantes, vel visus hebetudinem, vel omnimodam cæcitatem parere possunt. Imò interdum tanta est inflammatio, ut vicinæ etiam oculo partes in consensum trahantur.

Causse.

Causa hujus mali proxima & continens est sanguis, humoresq; calidi, acres & vitiosi, sanguini permisti, & per venas tunicæ annatæ dispersi, easque distendentes. Humores autem hi vel per *ἰσθμιασμοῦν*, quod plerumque fit è vasis capitis vicinis in tunicam annatam derivantur, vel per *σῶμαθροισμοῦν* ex crudo aut corrupto oculi aut tunicæ ipsius nutrimento ibidem colliguntur. Moneant tamen nonnulli, vix fieri posse, ut per *σῶμαθροισμοῦν* excrementorum oculi Ophthalmia generetur; cum ob exercitationem &

motum ferè continuū eorum resolutio & discussio fiat. Suar autem illi humores frequentiss. sanguis cum admixtibile vel sero, rarius pituita & humor melancholicus.

Antecedens causa est non solum plethora, sed & cacochymia, humoresq; vitiosi in corpore geniti, qui ad caput seu transmissi, seu attracti per venas, quæ in pericranium & vicinos musculos dispergantur, & hinc in annatam oculi tunicam propagantur, in hæc loca effunduntur. Idque nonnunquam accidit nulla causa externa & procatartica accedente, sed solum quia natura, copia vel quantitate sanguinis ac humorum irritata, sanguinem cum vitiosis humoribus ad hæc partes mittit; id quod sæpe in declinatione febrium quarundam, aliquando etiam extra eas, accidere solet.

Nonnunquam causa externa accedit, quæ fluxionem irritat, ut funis; aëris constitutio frigidam aquiloniam sequens, pluvialis & australis, fumiacres, pulvis, resq; aliæ in oculos illapsæ, oleum item, acetum, vel alius liquor acris infusus, apum, erucarum, formicarum, & similitum insectorum ictus vel contractus, ut & ab urtica, esula, & similibus plantis acribus contractus dolor, Solis ardor, aut ignis calor, vini potentioris immodicus usus, ictus, casus, & quæcunque oculum debilitare, aut calore vel dolore humores acres ad oculos attrahere valent. Imò etsi nulla insignis in corpore plethora vel cacochymia adsit: tamen æstus Solis, calor balneis aër, ventus, fumi, pulvis, ictus, & similes

similes causæ, ut sanguis præter naturam ad oculum confluat, facere possunt. De causis etiam loquitur *aphor.* 11. sect. 3. *Si hyems sicca & aquilonia, ver pluviosam & australe fuerit, æstate ophthalmias fieri necesse est; mulieribus præsertim & viris naturâ humidioribus. Contra si hyems austrina & pluviosa fuerit, & ver siccum & aquilonium, ophthalmia sicca fiunt.* 3. *aphor.* 12.

Videtur quidem de causis Ophthalmiæ apud Autores quædam opinionum discrepantia esse, dum alii à solo sanguine ophthalmiam fieri dicunt, utpote quæ est Inflammatio, quæ est tumor sanguineus: alii verò ab aliis etiam humoribus eam generari statuunt. Verùm facilis est conciliatio. Cum enim Ophthalmia sit inflammatio, omnino concedendum, nullam ophthalmiam fieri sine sanguine, atque ipse oculi color rubicundus sanguinem latis arguit; neque humores crassiores soli ad angustas hæc venas sese penetrare possunt. Interim sanguis non semper causa principalis est, sed nonnunquam vehiculum potius reliquorum humorum ad oculum confluentium. Etenim quando Ophthalmia à causis evidentibus, ut vento, fumo, pulvere, ictu, & similibus originem habet, sanguis quidem affluens præcipua causa est. Ubi verò à causa interna & humorum vitio, natura humores ad hanc partem mittente, Ophthalmia oritur, ibi etiam alii humores ophthalmiæ causa esse possunt; quod vel doloris diversitas docet: qui tamen cum sanguini misceantur in venis, eum in consensum trahunt, sanguisq; ipse dolore

ad partem affectam attrahitur. Sunt tamen hi humores præcipuè serosi & biliosi, quod ipsæ lachrymæ satis testantur. Unde ad ophthalmiam magis dispositi sunt, qui humoribus biliosis ac serosis abundant. Oculi etiam magni & extra prominentes cum sint calidæ & humidæ naturæ, venasq; ampliores habeant, & affluentem materiam facile suscipiant, frequentius lippitudine corripiuntur.

Differentia.

Differt verò Ophthalmia secundum gradus præcipuè, quos etiam nominibus Autores distinguunt. Si enim phlegmones solum initium quasi adsit, cum scilicet oculus humidior reddi, rubere, calere, & nonnihil dolore incipit, idq; ferè à causa evidente, Sole, igne, fumo, pulvere, vini potu: *Ταξείς* seu perturbatio & Ophthalmia notha, vel potius levis nominatur. Si verò inflammatio, calor, & dolor major sit, & lachrymæ copiosæ, ac ab internis præcipuè causis oriatur, Ophthalmia vera dicitur. Si autem tanta sit inflammatio, ut & palpebræ simul afficiantur, & quasi invertantur, nec claudi possint, albumq; supra oculi nigrum intumescat, vel etiam illi obducatur ita, ut nigro subsidente alboq; rubescente eminente veluti hiatus in oculo appareat, *Χήματος* dicitur, *ὅτι Χήματος τῆς χήμης*, hiatus.

Est & differentia quædam ratione humoris, quod alia à sanguine præcipuè, alia à bile, alia à melancholia esse dicitur.

Est et-

Est etiam Ophthalmia quædam periodica, intervallis quibusdam temporum rediens, teste Galeno, 2. *de differ. febr. cap. 11.* familiaris iis, quibus caput calidum & humidum est, facileq; impletur, & oculi debiles sunt, fluxionibusq; obnoxii. In iis propter recursus malicæ & rebros, dolorumq; & ardorum vehementiam, oculi tandem contabescunt, acie videndi prorsus deficiente, quam tabidam Ophthalmiam nominant.

Est quoque contagiosa Ophthalmia quædam, Galeno teste, 1. *de differ. febr. cap. 2.* Sparsa enim obrutu oculorum femina contagionis putridæ, ob naturæ cognationem spiritus humoresq; oculorum sanorum simili labe inficiunt ac contaminant.

Tandem etiam differt Ophthalmia secundum tempora. Principium enim est, quando humor tenuis ac plurimus defluit; augmentum, quando dolor augetur & humor sit crassior: status, cum signa coctionis magis apparent, & excrementa ita fiunt crassa, ut etiam dormietium palpebræ ab iis conglutinentur. Declinatio denique est, cum symptomata fiunt remissiora.

Signa Diagnostica.

Ophthalmia ipsa cognitu facilis est. Venæ enim exiles tunicæ annatæ tenduntur, & tument, atque inde oculus rubet, ardor & dolor in eo percipitur, lachrymæ & sordes adsunt.

Sed & differentiæ signis discernuntur. Si enim oculi calidiores saltem appareant, cum rubore, idq; à causa

externa, τὰ ἄγρια erit. Si præterea dolor gravis adsit, & tumor ac ardor, & lachrymæ copiosæ, Ophthalmia censetur. Quod si denique hæc omnia ingravescant, ut palpebræ etiam simul afficiantur, & quasi invertantur, χιμωσις nominabitur.

Quoad signa causarum, humorem, mali causam, non solum monstrat ^{Signa causarum.} temperatura corporis, ætas, regionis aërisq; constitutio, victus ratio; sed & alia signa proximam causam demonstrant. Si enim à plethora sit Ophthalmia, facies rubet, tumor evidens est, venæ apparent amplæ, nec lachrymæ sunt adeo mordaces, nec dolor adeo vehemens. Si à bile est Ophthalmia, rubedo non est adeo magna, sed lachrymæ acres ac dolor vehemens, ita ut oculi quasi utri videantur. Si ab humore pituitoso est Ophthalmia, rubedo, calor, & dolor est remissior, ac potius sensus gravitatis, & lachrymæ non sunt adeo mordaces; nisi à pituita falsa sit malum, ac palpebræ noctu quasi visco conglutinantur, ut non possint aperiri. Si ab humore melantholico, palpebræ nocte non adeo conglutinantur; lachrymæ sunt paucæ, tumor parvus, morbus diuturnus est & contumax.

Nec inutile est, discernere, an ophthalmia à causis internis, an verò evidentibus originem habeat. Si causa externa præcessit, ea facile ex ægri relatione cognoscitur. Si verò illa absit, pars affecta & mandans diligenter investiganda est, ut humor vitiosus subtrahatur, ejusq; generatio impediatur. Nisi enim hoc fiat, sapius recur-

rere solet ophthalmia. Quod autem membrum hic humorem suppediter, partium affectarum signa in specie demonstrabunt. Necessarium quoque est, inquirere, an per vasa externa vel interna humor ad oculos affluat. Si enim per vasa externa, & à pericranio humor affluat, tumor, dolor, & pulsatio in fronte ac temporibus percipitur. Si verò à vasis & membranis internis, dolor profundior erit, & multò vehementior. Pruritus quoque in palato & naribus sentietur, ac sternutatio frequens erit.

Tandem quoque tempora morbi observationem discernenda. Principium ophthalmiæ est, ut antea etiam dictum, ubi venæ distendi, oculusq; rubere incipit, & lachrymæ ac humor exstillans tenuis est. In augmento rubor & dolor augetur: quæ in statu omnia sunt maxima, humorq; incrassari incipit, & ex sordibus palpebræ conglutinantur. In declinatione omnia manifestè minuuntur.

Prognostica.

1. Ophthalmia facilius curatur; quæ propius ad *πλεξις* accedit, difficilius, quæ ad *χίμασις*.

2. In regionibus & temporibus frigidis et si ophthalmiæ rariores sunt: difficilius tamen tolluntur, ob membri adstrictionem. Contrarium fit in regionibus & temporibus calidis, teste Avicenna.

3. Ophthalmia in pueris, si cætera paria sint, difficilius curatur; quoniam tractari commodè nequit: & pueri ca-

put imbecillum excrementisq; plenum habent, sicut & senes.

4. Ophthalmia per consensum à dura & pia matre, & à partibus intracranium contentis sæviora habet symptomata, & difficilius curatur, quam ea, quæ fit per consensum ab externis.

5. Hinc si ad Ophthalmiam ab affluxu per venas frontis & temporum accedat fluxio nova ex venis internis & meningibus cerebri, gravior sit affectus, quo oculi sæpe sua sede extruduntur.

6. Dolor diu perseverans in ophthalmia pessimum signum est. Materiam enim aut corrodentem, aut vehementer distendentem, aut suppurantem arguit. Periculum igitur est, ne vel exstis vel ruptis oculi tunicis, atque cornea imprimis exulcerata, cæcitas sequatur; aut, quod mitius malum est, suffusio exspectanda erit, crasso humore citra pupillam concrecente. Galenus 3. meth. med. cap. 3. etiam pupillæ dilatationem ac tabem, & *πυρίδασις*, hoc est; corrugationem, addit; præsertim ex refrigerantium nimio & in tempestivo ad oculum usu.

7. Ophthalmia, in qua lachrymæ copiosiores, eaq; mordaces, citius ad finem pervenit, teste Avicenna: at grana sordium in oculo parva deteriora sunt; quia maturationis tarditatem significant; teste eodem.

8. Ophthalmia laborantem alvi profluvium superveniens liberat. *6. Aphor. 17.* Retrahitur enim deorsum, & evacuatur causa mali antecedens; id eoque Medicus naturæ exemplo cura-

hic ophthalmias per clysteres & medicamenta purgantia. Plura Prognostica videantur apud Celsum, *lib. 6. init. cap. 6.*

Indicationes.

Cum Ophthalmia sit inflammatio, omnes, quæ ab inflammatione sumuntur, indicationes hic locum habent. Nimirum primò ne humores ophthalmiam generantes ad oculum affluant, cavendum. Itaque si causæ quædam externæ præcesserint vel adsint, eæ omnes primò amovendæ. Frustra enim hic omnia alia auxilia adhibentur, nisi causæ illæ omnes amotæ fuerint. Si verò à causis internis solum ophthalmia proveniat, inflammationis incrementum, remota causâ antecedente, prohibendum. Id quod fit, totum corpus & caput, si opus sit, evacuando humores ad oculum affluentes revellendo & repellendo. Deinde quod influxit, tollendum, & causâ continente sublata, morbus ipse sanandus; id quod repellentibus & solventibus peragitur. Et quidem cum, ut antea diximus, nõ idem semper humor ophthalmiam excitet, ad humoris naturam & vitium medicamenta accommodanda.

Secundam indicationem suppeditat locus affectus, qui est oculus. Cum enim oculus sensu exquisitissimo sit præditus, mitissimis medicamentis, & quæ minimè dolorem inferunt, tractandus. Et propterea ab oleis in omnibus oculorum affectionibus abstinendum; cum dolores & inflammationes periant.

Tertiò, etsi dolor sit inter Symptomata, quæ ablata causâ cessant; tamen cum ob vehementiam interdum ita urgeat, ut causâ ablatio expectari non possit, anodyna tum postulat.

Regula quædam generales in medicamentorum Ophthalmicorum usu observanda:

Quæ omnia ut planiora fiant, & ut *Regula in oculis curandis observanda.* medicamenta, quæ his indicationibus respondent, recte usurpentur, generales quædam Regulæ in Ophthalmiæ curatione observandæ sunt.

I. Topica oculis statim ab initio non adhibeantur; quia sæpe solis evacuationibus universalibus levior ophthalmia sanatur. Quod si dolor urget, ita ut affluxus major metuendus sit, & virium per vigiliæ defectio, ille externis anodynis mitigetur. Et omnino usus medicamentorum topicorum sit parcior, monetque Mercatus, *lib. 1. de capit. morb. cap. 2.* quamvis plurima passim præscripta sint remedia, non omnibus ac plurimis aut semper utendum esse; cum plus sæpe promittant boni, quàm præstent, ut Galenus ait, additque: Scio profecto, plurimos in omnimodam cæcitatem deductos esse, copia medicamentorum potius, quàm defectu. Neque enim oculi semper utilia medicamenta sine incommodo ferunt, nedum quæ inordinatè & sine ratione adhibentur.

I. Lac muliebre recens, vel aliud, instillatum, vel impositum oculo, equidem faciliè primas inter medicamenta dolorem lenientia obtinet: in ejus usu tamen hæc cautio, monente Aëtio & Avicenna, adhibenda, ne lac oculodivius inhæreat. Faciliè enim à calore oculi corrumpitur, & acrimoniam contrahit. Ideoq; singulis ferè horis aurandum est: Id quod de albumine ovi metuendum non est.

III. Repellentia, quibus in principio utimur, ejusmodi sint, ne nimia frigiditate & adstrictione sua tunicas oculorum condensent, porosq; claudant; siccitate verò oculos exasperent, doloremq; ex utraque causa augeant. Cum enim à phlegmone, quæ tumor est calidus, semper aliquid resolvarur, præsertim in membro raro, cute densa non tecto, quale est oculus, si materia illa retineatur, pauca etiam, si acrior sit, morsu; si multa, qualiscunque etiam, tensione dolorem vehementiorem excitabit. Ideoq; lenientia quædam frigidis & abstergentibus admisceantur, ut lac, crocus, sarcocolla.

IV. Opium & Opiata non, nisi necessitate urgente, usurpentur; sitq; eorum usus neque frequens, neque multus. Et si enim, quod vulgo putatur, frigiditate non noceant: tamen non saltem acrimonia sua & mordacitate dolorem augent, sed etiam spiritus opticos in crassant & hebetant; quod & Galenus observavit, 3. *method. med. cap. 2.* & *de comp. medic. sec. loc.*

V. Diligenter quoque in omni oculorum affectione curandum est, ne suppuratio intus fiat. Metuendum e-

nim tum foret, ne à detenta sanie cornea, aut cæteræ oculorum tunica corroderentur.

VI. Ophthalmicis remediis semper admiscenda sunt, quæ à proprietate oculis conducunt.

VII. Sint etiam remedia, quæ oculis induntur, à sordibus diligentissime mundata, & levissime trita atque cribrata, ut asperitatem deponant. Mordacitatis quoque sint expertia. Et proinde si mordacitas à calore dependeat, infundantur illa sæpius in aqua rosarum, endiviæ, hordei, lacte muliebris: si à frigiditate, in decocto pastularum, caricarum, scenigræci, meliloti, cum vino subdulci. Denique non nimium lenta sint, ne crassa nimis visciditate pertinacius oculis adhærendo indurentur. Ideoq; etsi albumen ovi cum aqua rosarum vel simili conquassatum sit convenientissimum remedium ad repellendum in oculorum affectibus: tamen videndum, ne talia medicamenta admisceantur, unde indurescat, & oculis pertinacius adhæreat. Quod incommodum ut præcaveatur, Eudovicus Septalius, in *Ani-madvers. Medicis*, liquore ex albumine ovi ad duritiem cocto expresso uti mavult. Verùm cum liquori huic desit illa vis emplastica, quæ albumini conquassato inest; quæ teste Galeno, 3. *method. med. cap. 11.* in lippitudine utilis est; ut divius hæreat, & longiore tempore refrigerando repellat: consultius est, albumen ovi usurpare, nihil tamen ei admiscere, ob quod indurari, & oculo pertinacius adhærescere possit.

VIII. Mésue, de curat. agritudinum aurium. hanc regulam tradit: Medica-
menta, quæ oculis instillantur; semper
actu frigida esse debent; quæ auribus,
tepidâ aut calidâ; sive affectus ipse sit
calidus sive frigidus. Sed actu frigida
oculis sanis potius conveniunt ad præ-
servationem à morbis. In oculo au-
tem phlègmone affecto actu tepidâ
magis ex usu sunt; vergentiâ ad frigi-
ditatem, si repellendum; ad calidita-
tem, si discutendum sit; quo utroque
etiam dolor mitigatur.

Curatio Ophthalmiæ levioris, sive

αἰματώδους.

Si à causis externis levior ophthal-
mia ortum habeat; eâ primum; quæ-
cunque sint; omnes tollendæ. Frustra
enim omnia alia auxilia adhibentur;
nisi causâ illæ omnes remotæ fuerint.

Causis remotis si à calore Solis vel
ignis malum originem habeat, oculus
foveendus aqua rosarum, plantaginis
cum camphora, vel sine camphora, la-
cte muliebri recenti, vel albynine ovi
conquassato cum aqua rosar. Galenus,
in 1. de remediis facile parabilib. cap. 10.
ad calidas *αἰματώδους* commendat fotum
oculorum ex sola posca, ad frigidqs ex
vino albo. Et si metus sit; ne malum
augeatur; & à causâ interna foveatur,
etiam sanguinis & humorum vitioso-
rum evacuatio institui potest. Postea
cum repellentibus & refrigerantibus
decoctum seminis fænigræci, flor. me-
liloti, vel chamæmeli; admiscendum.

Si à dolore capitis ex Solis æstu con-

tracto ophthalmiæ initia se produnt; a-
qua rosarum cum camphora, & sine
camphora; & lac muliebri non solum
oculis instillandum, sed & fronti appli-
candum. Rabbi Moyses; 2. *Aphor.* em-
plastrum ex teneris foliis rosarum lau-
dat. Aëtius & Oribasius hoc in casu
suadent, ut æger multum potet, ad con-
ciliandum somnum, & coquendam in-
flammationem. Id quod aliqui de po-
tu vini interpretati sunt. Sed quia
caput antea æstuat; vini potus largior
concedi non potest; sed aquæ; vel alius
potus minus calidus. Contra si à fri-
gore sit ophthalmia, balneum aquæ te-
pidæ convenit; modò caput repletum
non sit. Deindè cibo cocto vinum
subtile & tenue propinandum.

Si à vento, fumo, vel pulvere incipi-
at ophthalmia, aqua dulci; vel lacte te-
pido oculi abluantur; ægerque in loco
obscurò quiescat; & det operam, ut
dormiat. Somnus enim imminentem
lippitudinem sapius præcavit. Fovea-
tur etiam oculus aqua rosarum cum
pauillo croci.

Si verò à ictu vel casu sit malum, & *Abian* & *casu.*
inflammatio metuatur, sanguis statim
mittendus. Hinc dolorem sedantia
& repellentia modò proposita, lac mu-
liebre, aqua rosarum, albumen ovi, &
similia oculo instillantur; & cum lin-
te mundo oculo imponantur, vel al-
bumen ovi cum pauillo albuminis &
boli armeni applicetur. Postea ut san-
guis ille è venis in tunicas effusus discu-
riatur; & macula cruenta in oculo de-
leatur, sanguis columbæ; turturis, vel
hirundinis oculo instilletur; ut postea
de suggillatione dicetur.

Ab apam
in vespas
rum ictu.

Si ab apis, vesperæ, crabronum ictu
sit *talegis*,

R. Vrtica mortua seu galeopses,
rad. albæ,

fol. ruta, an. M.ß.

Contundantur in mortario, exprimatur succus, & addantur boli Armeni Drach. ij. & oculo imponantur. Vel saltem repellentia ex albumine ovi, lacte muliebri, vel aqua rosar. imponantur. Vulgus statim ab ictu ferro comprimit oculum, ut non solum ferri frigiditate, sed & compressione affluens humor retrudatur.

A Cantharidum, eru
carum, for
micarum, for
micarum
contactu.

Si à cantharidum, erucarum, formicarum, contactu incipiat ophthalmia,

R. Cremoris lactis,

aque endivie, an. cochlear. ij.

aseti cochlear. j.

camphor. Drach. ß.

M. & imponantur.

Si hisce remediis ophthalmia à causa externa incipiens non tollatur, reliqua etiã, quæ in vera ophthalmia adhiberi solent usurpanda.

Curatio ophthalmia

vera.

Ophthalmia Cura
tio.
Vena sectio.

Si à causa interna, vel etiam externa sit ophthalmia, quam tamen affluxus humorum foveat & augeat, & sanguis abundet, alvo evacuata mox vena aperienda est, & evacuationis & revulsionis gratia. Imò cum sine sanguine nulla ophthalmia fiat, etsi alii humores ad generandam ophthalmiam concurrant, non faciliè omittenda venæ sectio aut ejus loco cucurbitulæ cum scarificatione occipiti, cervicis, ac sca-

pulis imponendæ. Plurimumq; in omni ophthalmia prodest venæ sectio, & sæpe gravissimi oculorum dolores intra horæ spatium venæ sectione sublatisunt, teste Galeno, *lib. de curandi ratione per sanguinis missionem, cap. 16.* qui etiam, *cap. seq. 17.* narrat historiam cujusdam, qui ab oculorum inflammatione & cæcitatatis periculo, sanguinis missione liberatus fuit.

Jubet autem Galenus Cephalicam *κατ' ἔξιν*, id est, è directo affecti oculi, seu ejusdem lateris aperire. Quod & Rhases, si minus grave malum sit, suadet. Si autem malum gravius sit, in brachio lateris oppositi majoris revulsionis gratia, & hinc in latere affecto venam aperire jubet. Nonnulli primò ex mediana seu communi ejusdem lateris, postea ex cephalica sanguinem detrahunt. Verùm videndum, quid ægri vires ferant, & an venæ sectio commodè repeteri possit. Si enim hoc fieri non possit, statim cephalica ejusdem lateris aperienda.

Quantum autem sanguinis mittendum sit, abundantia sanguinis, mali vehementia, & virium robur determinat. Galenus, *loco allegat. capit. 17.* cuidam primò libras sanguinis tres detrahit, & hora sexta post adhuc libram unam. Avicennas quoq; ad metum lipothymicæ sanguinem interdum in vera ophthalmia mittendum censet. Sed tutius est, sive eodem die, sive postero venæ sectionem iterare, seu eadem cephalica bis aperta, seu primum mediana, hinc cephalica, quam largiore una venæ sectione vires dejicere. Viribus infirmis juxta pollicem in manu sectio fiat.

fiat: Si verò sanguinis copia non sit magna, aliique humores admisti sint; sanguis parcius detrahatur; ejusque loco cucurbitulæ cum scarificatione adhibeantur. Si etiam consueta sanguinis evacuatio suppressa sit, danda opera, ut ea revocetur. Unde in feminis venas taliâ aperite, aut suras scarificare convenit.

Si vero alii humores sanguini admisceantur; convenientibus medicamentis evacuandi, & si opus fuerit, præparandi, eorumque vitia emendanda sunt. Et cum experientia doceat, ut Galenus, in libro contra Iulian. cap. 1. annotavit; alvum copiosius fluentem oculis inflammatis prodesse, ut Hippocrates, 6. Aphorism. 17. rectè scripserit: Ophthalmia laborantia alvi profluvium bonum esse: Medicus naturam imitetur, & alvum clysteribus ac medicamentis fluidam reddat. Et imprimis biliosos humores in ophthalmia evacuare utile est, cum ii maximè in ophthalmia sanguini permisti sunt. Observandum tamen est, ne medicamenta acria adhibeantur, ne humores agitati & exacerbati vehementius ad oculos fluant, sed mitiora medicamenta usurpentur.

*Præparan-
tia humo-
res in O-
phthalmia* Præparatis ergo loco, & ut humores calidi & acres temperentur, in humore bilioso usurpentur radic. cichor. fragariæ, fantal, flor. rosar, violar. nymphaeæ.

Ut Bz. Syr. violar.
nymph.
ribium, an. Unc. j.
Aq. violarum.

fragorum sine vino, an. Unc. iij.
euphrag.
verbena, an. Unc. j.
Misce.

Postea instituat: purgatio cum si-
rup. rosar. vel violar. salut. cassia, ca-
marind. rhabarb. myrobalanis.

Bz. Myrobal. citrin. Drach. jss.
rhabarb. Drach. ij.
spica gr. vj.
cinamomi Drach. ss.

Infundantur in aq. cichor. f. q.
Colaturæ adde
syrup. ros. solut. Unc. j. ss.

Misce.

Vel etiam pilulæ lucis exhibean-
tur.

Hiscæ peractis particulares evacuati-
ones, diversiones & derivationes insti-
tuendæ sunt, ut supra, parte 1. dictum.
Si videlicet caput adhuc sit plenum
sanguine, eum quoque è venis capiti
propriis evacuare convenit. Avicen-
nas venam secare jubet, quæ est in an-
gulo, aut rectam, quæ est in fronte.
Compertumque est, ophthalmicos, qui
casu in fronte vulnerati fuerunt, ab hoc
malo hac occasione liberatos fuisse.
Nonnulli etiam venas nasi aperiunt.
Antiqui, ubi sanguis fervidior esset, &
vaporibus plenus, ac per arterias ex-
ternas in oculos flueret, arterias in
temporibus aperiunt, cujus sectionis
modum docet Galenus, in sine lib. 13.
meth. med. & Paulus Aegineta, lib. 6.
cap. 4.

Nec omissendæ revulsiones per fri-
ctiones lotionesque crurum ac pedum *Revulsio-
nes.*
Impri-

Imprimis verò utilia sunt vesicatoria post aures applicata. Nonnulli farinam sem. erucae sacculo includunt, & sacculum in vino coquunt, ac calidè e regione oculi affecti nuchæ imponunt, idque sæpius repetunt, ut humor ab oculo versus nucham trahatur. Si malum sit diuturnius, aut frequentius infestare soleat, setaceum adhibendum, idque vel 30. diebus apertum servandum, vel cauterium actuale aut potentiale in cervice vel brachio applicandum, & fonticulus excitandus. In diuturnis enim ophthalmiis, aliisque oculorum, qui ex affluxu humorum oriuntur, pertinacibus morbis, vesicatoria sæpe adhibita, setaceum & cauterium, efficacissima sunt remedia.

Particulares evacuationes fiant per apophlegmatismos & gargarismos, ut supra, parte 1. dictum. De Errhinis est controversia. Alii enim ea planè improbant, utpote quæ ad anteriora & oculos trahant: alii ea admittunt; cum iis Hippocrates, Galenus, Avicennas, & alii Practici usi sint, ac humores per vicinum locum ex oculis evacuare possint.

Particula-
res evacu-
ationes in
ophthal-
mia.

Errhina
an in oph-
thalmia
conveniãt.

Ut autem rem breviter expediamus, omnino in errhinis major cautio adhibenda, utpote quæ ad vicinas oculo partes trahant, quod non sit in apophlegmatismis & gargarismis, quæ per posteriora avertunt. Ideoque non, nisi totius evacuatione & capitis purgatione præmissa, & cum æger consuevit per nares excrementa capitis evacuare, ea, & quidem non fortiora, conveniunt, neque etiam facilè, dum materia est in fluxu ad oculos, adhibenda. In

diuturna etiam, & sæpe recurrente ophthalmia, præservationis gratia errhina adhiberè licet.

Dum corpus & caput ita evacuatum est, & omnis generis diversiones instituta, topica quoque oculis applicanda. Initio verò mali statim non adhibenda, ut supra, in regulis generalibus, dictum. Sæpe enim compertum est, venæ sectione & purgatione ophthalmiam sanatam fuisse, ut topicis opus non fuerit. Atque hoc præceptum oraculi loco habendum censet Mercurialis, & millies se expertum scribit, quod inflammatio oculi à principio nolit tangi.

Nihil tamen obstat, quin vicinis oculo partibus, per quas fit defluxio, fronti scilicet & temporibus, ea in parte, ubi oculus dolet, vel toti fronti usque, ad tempora; si uterque oculus laboret, repellentia & adstringentia medicamenta, præcipuè si fluxus fiat per venas & arterias extra cranium, ut magna ex parte accidit, adhibeantur, ex succo vel aqua rosarum, plantaginis, solani, salic. lactuca, balaustis, capitibus papaveris, santalis, bolo Armeno, sanguine draconis, flor. rosar. rubr. addito thure & mastiche, gummi tacamahaca, quæ frigiditatem reliquorum corrigunt, & leniter adstringunt, mixtis cum albimine ovi vel aqua rosarum. Galenus, de medic. fac. parabil. viridia vitis folia in modum cataplasmati fronti imposta commendat; sicut & rubi & portulacæ succum.

Tempori-
bus appli-
canda.

℞. Boli Armeni,
sangu. draconis, an. Drach. ij.

In-

Incorpor. cum albumine ovi, & dissolvantur in aceto, in quo rosæ, santal. rubrum, & thus cocta fuerint, & fronti applicentur.

Vel ℞. *Boli Armeni* Drach. ij.

flor. rosarum,

sangu. dracon. an. Drach. j.

mastic.

balustior. an. Drach. ℞.

F. Pulvis, qui excipiat albumine ovi & aqua rosarum, vel aceto rosarum, & applicetur temporibus ac fronti.

Vel imponatur succus plantaginis cum albumine ovi, aut emplastrum aliquod adstringens.

Nonnulli talia etiam supra jugulares venas, & juxta occiput apponunt. His enim modis omnibus influxus humorum ad oculos inhibetur.

Cavendum tamen, ne simul oculis repellentia, & temporum vasis cataplasmata & alia medicamenta adstringentia adhibeantur; cum, qui ab oculis repelluntur, humores recurrere angustatis vasis non possint: imprimis si corpus evacuatum non fuerit.

Hæc tamen præcipuè de adstringentibus intelligenda sunt. Ea enim partes contrahunt, humores parti impingunt, & ad resolutionem ineptos reddunt, ideoque dolorem augent, & in principio non adhibenda sunt.

Alia verò, quæ sine adstrictione acrimoniam humorum temperare, eosque modicè repellere valent, non videntur planè inutilia, ut:

℞. *Aqu. rosar.* Unc. j.

euphrag. Unc. ℞.

tutia præparat.

sief. alb. s. opio, an. Scr. ℞.

camphor. gr. j. M.

Vel ℞. *Sief. alb. s. opio* Drach. ℞.

Dissolv. in lacte muliebri, & aqua rosarum, & oculo imponatur.

Vel ℞. *Album. ovi* Unc. ij.

lactis muliebr. Unc. iij.

succi plantag. Unc. j.

Misce.

Vel ℞. *Mucilag. sem. psyllij extract.* cum aqua plantag. aut rosarum.

Unc. ij.

album. ovi bene conquassati

Unc. j.

Mixta oculo imponantur, & non nihil de eo oculo instilletur. Si fervor adsit, camphor. gr. v. addantur.

Vel ℞. *Aqu. rosar.* Unc. ij.

succi plantag. Unc. j.

album. ovi conquass. Unc. ℞.

Misc.

℞. *Fol. plantag.*

flor. rosar. rubrar. an. Drach. ij.

balaust. Drach. j.

Coqu. in aqua rosar. & plantaginis.

Vel ℞. *Pulp. pomorum acidorum vel cydonior. coctar.* in aqua rosar. &

plantag. Unc. ij.

farinæ hordei Unc. j.

sumach.

balaust.

flor. rosar. rubr. an. Drach. ℞.

succi sedi major.

plantag. an. q. s.

F. Cataplasma, quod repellit, & simul dolorem lenit.

Possunt etiam siccantia leniter & contra morsum repellentibus ac dolorem lenientibus addi ad humiditates absumentas, cerussa, tutia præpar. pompholyx, oculi Cancr. saphirus, granatus, smaragdus, margaritæ præparatæ.

GGggg

℞. *Cerus-*

2. *Cerussa lota aqua rosar.* Drach. ij.
aq. plantag. Unc. ij.
albumin. ovi conquassati Unc. j.
 Misce.

Vel 3. *Tartia prapar.* Drach. ʒ.
aq. rosar. Unc. ij.
album. ovi conquass. Unc. ʒ.
 Misce.

Imprimis tres frequentes aquæ commendantur: I. est aq. fragorum:

2. *Fragor. recent.* Unc. ix.
sacchar. alb. Unc. iiii.

Misce & per 8. dies in B. aquæ tepentis macera. Deinde in B. eodem destillentur.

3. Est aqua flor. cichorii:

2. *Flor. cichorij* q. v. Colligantur ante ortum Solis, Sole signum Libra modò ingresso, contundantur bene in mortario, admisceatur pulveris sacchari candi albi quarta pars, indantur vitro, ponantur ad Solem, & resolvantur in oleû, quod palpebris inunctum fluxionē tollit, & simul visum clarificat.

3. Oleum fl. cyani, quod h. m. paratur:

2. *Flor. cyani caruleor.* ante ortum Solis collect. q. v. Contundantur in mortario marmoreo indantur vitro, quod bene obturetur, & ad solem per integrum mensem ponatur: hinc sumatur vitrum, & obvolvatur fermento, ponatur in furnum pistorium, & cum panibus coquatur. Ita proveniet oleum seu liquor quidam; summum oculis à calidis fluxionibus, & salis humoribus auxilium.

Si etiam dolor oculorum ab initio statim sit vehementior, quam primum aliqua evacuatio & repulsio facta est, medicamenta dolorem lenientia adhi-

benda; quæ ipsa tamen ita parari possunt, ut simul incrementum inflammationis prohibere valeant. Utile est imprimis albumen ovi bene conquassatum, vel solum, vel cum aqua rosarum a lacte muliebri aut alio mixtum, oculo instillatum, vel, quod commodius est, extra impostum. Quod tamē diu non relinquendum, sed singulis horis murandum est, ne mora acescat, corrumpatur, & acre evadat, doloremq; augeat. Nonnulli lactis loco caseum planè recentem imponunt; sed & is sapius murandus, ne, si oleosus & pinguis fiat, malum augeat. Utile est & pomū dulce cum saccharo coctum & appositum, cui quoque aliquot grana opii & camphoræ admisceri possunt. Prodest & medulla panis albi in lacte infusa, cui aliquid decoctionis papaveris vel seminis scenigræci addere licet. Galenus, *lib. 1. de remediis facile parabil. cap. 10.* commendat decoctum scenigræci hoc modo paratum.

Principiò lotum diligenter in aqua dulci scenum græcum leviter in eadem coquitur, donec, quicquid in se habet aeris, abiciat; deinde effusa priori aqua alia rursus aqua coquitur. Idem decoctum Galenus etiam, *13. meth. med. 22. & 4. de compos. medicam. s. l. 2.* usurpat, Monet tamē Ludovicus Septalius, *lib. 6. animadv. n. 97.* decoctum hoc scenigræci malè vulgo parari ex semine, cū sit calidius, quam ut conveniat in oculorum inflammatione; cum calidum in secundo, & siccum in primo ponatur à Galeno, *8. de simpl. medic. facult.* Ipse verò hoc decoctum potius ex foliis parandum censet. Verum incommo-

*Anodyna
in Oph-
thalmia.*

dum

dum, quod metuit Septalius, evitari potest, si paretur ad modum à Galeno, allegato cap. 10. lib. 1. de medic. facile parabil. propositum, si videlicet decoctum prius, quod, quicquid acre est in fœno græco. imbibit, abjiciatur. Prodest & decoctum violarum, sem psyllii & cydonior. oculorum populi, meliloti; item Cataplasma ex luteo ovi, medulla panis albi, & aqua rosar. vel lacte.

Vel R. Mucilag. sem psyllii & cydonior.
cum aqua rosar. & papaver.
extract. an. Unc. j.

albumin. ovi conquass. Unc. ℞.
camphoræ.

croci, an. gr. vj.

Misc.

Vel R. Medull. panis albi in lacte & aqua
rosar. macerata,

pulpa pomor. dulc. an. Unc. j.

mucilag. sem. psyllij

fœnigr. aqu. rosar.

extract. an. Unc. ℞.

vitell. ovi unius,

camphor. Scr. j.

croci gr. vj.

Misc.

Si dolor sit vehementior, gr. ij. opii addi possunt, & cum lacte muliebri, vel aqua rosar. misceri in formam cataplasmatiss.

Efficax est & emulsio semin. papaver. facta cum lacte muliebri, vel aqua lactucæ, aut decocto fœnigræci.

Fortiora sunt succus vel decoctum lactucæ, solani, radic. mandragoræ, capit. papav: sief album cum opio. Opiata tamen, ut etiam supra, in regulis generalibus, dictum, non, nisi extrema necessitate urgente, & ubi ex dolore

acutissimo summa virium defectio metuitur, usurpanda, & ubi iis utendum, Avicennas aquam saccharatam vel aquam mellis post illorum usum instillare jubet. Comode verò decocto meliloti post usum opiatorum oculi foventur. Plura videantur apud Platerum, lib. 2. Practic. pap. 307. & seqq.

Reliqua topica quod attinet, morbi temporibus accommodanda sunt. In principio conveniunt repellentia, ut dictum, quibus in incremento resolventia addenda, ita tamen, ut repellentia præpolleant. Hinc morbo præcedente usurpanda resolventia; quibus tamé adhuc aliquid repellentium admiscendum. Tandem sola resolventia adhibeantur.

Habenda quoque ratio humorum, & medicamenta iis accommodanda. In Ophthalmia biliosa repellentia in principio, & dum materia adhuc fluit, adhibeantur, quæ citra vehementem adstrictionem officium suum præstare possunt, quæq; ita comparata sunt, ut acrimoniam humoris corrigant, & simul anodyna sint.

Exempl. gratia:

R. Mucilag. semin. psyllij & cydon.
aqu. rosar. & plantag. facta
an. Unc. j.

albumin. ovi bene conquassati
Unc. j.

camphor. gr. vj.

Mista oculis instillantur, & linteis mundis imponantur.

Vel R. Balauft. Drach. ℞.
acacia Scr. j.

Infundantur in aq. rosar. Unc. iij.

In Colat. dissolve terendo subtiliss.

Ggggg 2

turia

rutia prepar.

lapid. calaminaris, an. Scr. j.

thuris,

maslich. an. Scr. β.

mucilag. semin. cydonior. cum aqua

rosarum facta Drach. j.

F. Collyrium. Aut species ligentur in nodulo, & in aqua rosarum suspendantur.

Vel ℞. *Sief. alb. f. opio* Drach. β.

lact. muliebr.

aqu. rosar. an. Drach. vj. M.

Vel R. *Aq. fragor. f. vino,*

tormentill.

rosar. an. Unc. j.

sief. albi f. opio Drach. β.

Misc.

Chymici hic commendant sacchar. vel magisterum Saturni.

Humida autem illa medicamenta non plane actu frigida adhibenda, ne materiam nimis incrassent, & poros claudant, sed non nihil tepida.

*Quo tem-
pore topica
in ophthal-
mia appli-
canda.*

De tempore adhibendorum topicorum non idem sentiunt Auctores. Avicennas, lib. 3. fen. 3. tr. I. c. 9. scribit: Et oportet, quantum possibile est, ut retardetur in Ophthalmia collyriorum administratio usq; ad tres dies. Et paulò post; Oportet, ut in principio non adhibeantur inspissantia fortia, & que sunt vehementer septica; quoniam inspissant tunicas, & prohibent resolutionem, & augent dolorem. Quem plerique sequuntur, & non, nisi tribus diebus peractis, talia collyria adhibenda censent. Quos reprehendit Ludovicus Mercatus, & talia adhibenda existimat primis tribus diebus, postea verò ad discussionem veniendum esse.

Verùm & rationes supra allatæ persuadent, & experientia docet, non ita tutò mox in principio adhiberi talia collyria. Imò experientia docuit, sæpe evacuationem & diversiones materiæ, cum legitima victus ratione, ad curationem sufficere, ubi materia pauca est & benigna.

Deinde sciendum, morborum tempora non semper dierum numero ita exactè describi posse, sed nunc esse breviora, nunc longiora, nunc plures, nunc pauciores dies complecti. Itaque si fluxio sit diuturnior, non peccabit, qui etiam post tertium diem repellentia applicabit. Utile tamen fuerit, ut ad dissolvendum tum aliquid admisceatur. Et omnino ad indicationes semper respiciendum; ac peccant ii, qui uno collyrio aut aqua Ophthalmica quocunque morbi tempore adhibita omnes ophthalmias curari posse persuasum habent; cum medicamenta ista, ut dictum, secundum tempora inflammationis varianda sint.

In augmento videlicet repellentibus aliquid de solventibus admiscendum, qualia sunt, semen scenigræc. lini, althææ, chamæmel. melilot. sarcocolla, tutia, eaque, prout morbus versus statum aut declinationem propius accessit, semper augenda,

Ut:

R. *Sarcocoll. lacte nutrita* Drach. j.

tragacanth. Drach. β.

mucilag. semin. cydonior. q. l.

F. Collyrium.

Sarcocolla autem nutritur, id est, Sarcocolla nutritio, infunditur vel maceratur in lacte per dies.

die aliquot, semper novo lacte affuso, idq; ideo, ut, quicquid acrimonie habet, deponat. Et si siccitas ejus etiam metuetur, aliquid, quod lentore præditum est, admisceatur, ut mucilago sem. psyllii, cydonior. album ovi, tragacanth. amyllum, & hoc modo sarcocolla præparata sine morfu & attractione digerit. Non autem multum una vice nutriatur & præparetur, ne, priusquam absumatur, acefcat, oculosq; lædat.

Vel R. Flor. chamamel.

melilot. an. M. ß.

rosar. rubrar. P. j.

Coqu. in aqua plantaginis.

Colat. R. Unc. iij.

adde. sarcocoll. nutrita Drach. jß.

tutia præpar. Drach. j.

Verùm monendum, talia non locum habere, nisi ubi simul absterfione humorum crassiorum opus sit in declinatione, vel si oculus roborandus sit. Imò potius lippitudini, quàm ophthalmie veræ conveniunt.

A Chymicis commendatur crocus metallorum, è quo cum aqua euphragie & fœniculi parat aquam suam Ophthalmicam Martinus Rulandus, senior, quam & Quercetanus, in Pharmatop. restituta, lib. 1. cap. 7. proponit. Habet & aliam ibi Quercetanus ex urinae pueri ßij. & Vitrioli ac tutiæ, an. Unc. iij destillatam. Sunt qui aquam pluvialem majalem commendant in cantharo stanneo aliquandiu asservatam, cujus mensuræ uni addunt Vitrioli albi Unc. j. camphor. Drach. ij. & profuse servant. Potest eidem aqua rosar. addi.

Vel R. Flor. sambuci,

Coquantur in lacte, & pro Epithemate adhibeantur. Insigniter enim dolores leniunt.

In statu Sarcocollæ & aliorum resolventium quantitas augeatur. Et utile sunt fomentationes, quæ sunt vapore aquæ calidæ, in qua medicamenta resolventia modò dicta cocta fuerint, ter vè quater vè de die repetitæ, quæ dolorem leniunt, tensionem remittunt, humoresq; resolvunt.

In declinatione sola sarcocolla utendum, ut & aliis resolventibus in aqua fœniculi, rutæ, euphragie, & chelidonie.

R. Sarcocoll. lacte nutrita Drach. iij.

aloes aqua fœniculi lota Drach. jß.

croci. Scr. ß.

F. Pulvis, è quo cum aqua euphragie formetur collyrium siccum, quod in aqua fœniculi, euphragie, vel alia conveniente usurperetur.

Inter ista medicamenta etiam valde efficax est tutia vera Arabum, seu pompholyx, quæ sine morfu siccat.

Ut R. Tutia præpar. Drach. ij.

aloes lota Drach. j.

sacchar. Scrup. ij.

Trita infundantur in aqua fœniculi, euphragie, verbenæ, rutæ, an. Unc. j. Postea colentur & ad usum servantur.

Vel R. Vitrioli albi,

tutia præpar. an. Drach. j.

camphor. Scrup. j.

Pulverifata subtilissimè infundantur in aqua rosarum pro collyrio.

Vel R. Caryophyll. num. xij.

tutia præpar. Drach. ß.

vivid. aris gr. xv.

Ggggg 3

Cono

Contundantur omnia crasso modo, & indantur linteo, ac fiat nodulus, qui in vini cyatho imponatur. Usus tempore nodulus exprimendus, & gutta una oculo instillanda.

Rhasus quatuor medicamenta, *lib. 9. ad Almanforem, cap. propr.* proponit. Eorum primum in principio Ophthalmiæ valet, & in materia calida, præsertim si affluxus ejus fiat per venas frontis & temporum externas. Secundum in augmento magis prædest, & etiam in statu; quia non solum repercutit, & dolorem mitigat, sed nonnihil etiam abstergit & discutit. Tertium magis valet in declinatione, quando intentio est resolvendi & exsiccandi. Quartum dolorem etiam mitigat, & aliquo modo etiam exsiccatur; ideo in principio quoque adhiberi potest.

In omni autem topicorum applicatione observandum, ut semper ante applicationem novorum topicorum sordes lippitudinis prius removeantur linteolo molli, vel aqua saccharata, vel alia conveniente intincto.

Ophthalmia à frig. & crassis humoribus curatio. Si Ophthalmia à frigidis & crassis humoribus proveniat, à pituita scilicet & humore melancholico, evacuationes universales & particulares, & diversiones omnes ad humores eosdè dirigantur, non neglecta eorum præparatione, ut supra, *part. 1. de Intemperie capitis cum his humoribus*, dictum. Et quia sanguis est admixtus, secetur vena humoralis vel cephalica ante purgationem; postea frictionibus, ligaturis, cucurbitulis impetus humorum avertatur.

Quantum ad topica, repellentia hæc vix locum habent; satis fuerit, si frontialiquid, quod affluxum humorum nonnihil sistat, applicetur.

Ut R. *Thuris,*

acacia,

aloes, an. Drach. j.

myrrha,

sanguinis draconis, an. Drach. ß.

Fiat Pulvis, qui cum albumine ovi misceatur, & fronti imponatur.

Ipsi verò oculo resolutiva moderatè, & dolorem lenientia applicanda.

Ut R. *Decocti sem. fœnigraci Unc. iij.*

thuris,

sarcocolla, an. Drach. ß.

croci Scrup. ß.

Ebulliant semel atque iterum, & oculo applicentur.

Tandem in curatione Ophthalmiæ, & præcipuè in iis, qui ea sæpius laborant, ad partem recipientem respiciendum, oculiq; per medicamenta appropriata confortandi, de quibus infra, de visus debilitate, dicetur.

Curatio χημώσεως.

Χημώσις tandem, cum sit malum vehementius & magni momenti, eadem remedia, quæ Ophthalmia, postulat, sed vehementiora. Venæ sectione igitur præmissa purgatio instituenda, & quidem aliquoties repetenda. Adhibendæ & cucurbitulæ scarificatæ. Interdum necessarium est venas temporum, frontis, & quæ sunt post aures, incidere. Imprimis verò necessarium setaceum vel cauterium in occipite applicare. Reliqua medicamenta sunt eadem,

χημώσεως ratio.

dem, quæ modò de curatione Ophthalmiæ veræ sunt proposita.

Dieta.

Aër sit temperatus ac purus, expers fumi, pulveris & ventorum; obscurior etiam & tenebrosior, ne oculi splendore offendantur, spiritibusq; agitatis fluxio concitetur. Linteolum atrum, viride vel cœruleum proinde oculo obducatur, habeatq; æger non solum oculum laborantem, sed & sanum clausum vel tectum; cum unius motus alterum etiam inquietum reddat. Aspectus verò rerum lucidarum vitetur. Victus ratio sit tenuis, præsertim primis diebus, donec fluxio consistat. Ideo Celsus, *lib. 6. cap. 6.* scribit: In hoc casu primum omnium esse quietem & abstinentiam. Ita enim exinanitæ partes avidius, quos habent, humores retinent, ne ad oculos confluant.

A cibus absint omnia vaporosa, acrida, & quæ caput replent ac feriunt, aut in bilem facile mutantur, salsa, aromata calidiora, cepe, lac, mel, & quæ cum aceto parantur. Initid à vino hac de causa abstinendum, ejusq; loco in materia biliosa decoctum hordei & cinamomi usurpandum. In crassis humoribus, & tempore hyberno conceditur hydromel. *Acida* quidem & acetosa conveniunt, præsertim post cibum, quia vaporum ad caput ascensum prohibent. Aceti verò usus non convenit; quia vehiculi loco est humoribus, & aliàs acetum partibus nervosis est inimicum. Pèculiari verò vi in hoc morbo nocere solent, & propterea vitanda sunt, *semen cannabis, caulis, la-*

tuca, fabæ, lentes, carnes porcinae & falsæ, olivæ.

Somnus utilis est, quia in somno oculi non moventur, nec lumen admittunt, atque ita humores ad se non attrahunt. Ac præterea per somnum materia, quæ in oculos confluit, concoquitur. Dolorem etiam, qui valde attrahit, somnus sopit. Æger non dormiat in latere, cujus oculus afficitur, dormiatq; elevato capite. Quies ita ægro necessaria est, ut Celsus primo die à sermone quoq; abstinere jubeat, ne motu materia ad caput attrahatur. Repletio omnis vitetur, maximè ventriculi; ut alvus semper sit aperta & fluidior, curandum. Capilli, si multi sint, & caput gravent, rondendi. Animi affectus omnis immoderatio, & imprimis ira, vitetur.

In declinatione, ad reliquias & excrementa tertiaræ coctionis discutienda, balneum convenit. Unde Hippocrates quinque Ophthalmiæ sanandæ remedia proponit, dum, *6. aphor. 31.* scribit, dolorem oculorum meri potio, aut balneum, aut fomentum, aut venæ sectio, aut medicamentum purgans eorum solvit. Quanquam enim de oculorum doloribus loquitur ille aphorismus; tamen omnino quoque de ipsa Ophthalmia, cui conjunctus est dolor accipi potest; & præcipua sanandæ Ophthalmiæ remedia complectitur. Et quidem de venæ sectione & purgatione antea dictum, iisque, ubi requiruntur, solis, sine topicis, non raro ophthalmia curatur. De reliquis imprimis verum est, quod Celsus scripsit: *Hæc sicut in recentibus malis aliena sunt, quia*

quia illa concitare possunt & accendere: sic in veteribus, quæ nullis aliis auxiliis cessant, adeo efficacia esse consueverunt. Et quidem fomentationes suo tempore adhibitas prodesse, antea, suo loco dictum.

*An vinum
in ophthalmia con-
ueniat.*

De vino & balneo, quæ hujus loci sunt, res non ita expedita videntur, cum humores concitare, & ad oculum movere possint, ideoq; in specie aliquid de iis dicendum. Et præcipuè hic difficultatem habere videtur, quod ἀγορασίων præcipit Hippocrates, allegato aphorismo. Verùm cum, ut rectè Galenus & Avicennas docent, alia ratione vinum prodesse vix possit, nisi quia sanguinem crassiorem, attenuat ac dissipat: non, nisi in declinatione, vino utendum, & ubi materia est crassior. Aliàs metuendum, ne major humorum fluxus ad oculos fiat. Ita de Petro Ramo scribit Zwingerus, in *Theatro volum. 17. lib. 3.* eum, cum Lutetii literis operam daret, ex immodicis vigiliis in Ophthalmiam incidisse. Quem cum Jacobus Sylvius, summus alioquin Medicus, ex allegato aphorismo, vino generoso uti jussisset, ita crevit malum, ut vix tandem multis remediis extinguere potuerit. Celsus adhuc alium usum meri potus addit, scilicet ut somnum conciliet. Modum autem bibendi vinum idem Celsus definit, dum scribit: Vinum bibendum esse lene, subausterum, modicè vetus, neque effusè, neque timidè, ut neque ex eo cruditas, & tamen somnus fiat, lenianturq; intus latentia acria.

An balneum in oph-

De Balneo autem idem Autores etiam non sentiunt. Alii enim in hu-

moribus calidis & acerbis eo utendum *thalmia v-
tile sit.* censent; alii in crassis & pituitosis; alii quidem in declinatione; alii fluente adhuc materia ad sistendam fluxionem. Verum in utroque casu locum habere potest. Nam ubi à biliosa materia orta est Ophthalmia, si tamen in toto capite ea non redundet, sed corpus jam purgatum sit, nullaq; adsit corporis plenitudo, & materia non amplius sit in fluxu, balneum evocat & contemperat acres humores, & maximam partem inter lavandum excreta sistitur fluxio, reliquumq; contemperatum à natura facilius vinci potest. Ita etiam balneum convenit iis, quos phlegmone οὐρηματώδης ab humoribus minùs calidis infestat. Corpore enim prius evacuato humores crassi per balneum attenuantur. Si verò corpus adhuc plenum sit, & materia ad oculos ruat, metuendum, ne calore balnei fusa materia ad oculos magis fluat.

De curatione Ophthalmiæ videatur etiam Galenus, *de compos. med. sec. loc. & in libris de medicamentis faciliè parabil.* Celsus, *lib. 6. cap. 6.* Paulus Ægineta, *lib. 3.*

Hoc etiam adhuc addimus, Hieronymum Fabricium ab Aquapendente, *de Chirurgicis operationibus, titul. de suffusione,* cum animadverteret, medicamenta, quæ oculis imponuntur, non tam diu oculis inhærere, donec vires suas satis exserant, sed faciliè effluere, vascula vitrea instar cucurbitularum, orbitæ oculi respondentia, invenisse, quæ liquore repleta oculo applicat, quorum descriptio loco allegato videatur. Verùm an talia ita commodè & sine

& sine periculo, applicari possint, penes Lectorem sit iudicium,

to vitæ tempore agrum quandoque infestant.

CAPUT XIII.

De Ophthalmia sicca.

PEcüliaris adhuc lippitudinis species est, quam ophthalmiam siccam appellant, in qua non tantus est lachrymarum fluxus, ut in ophthalmia humida modò proposita, & præterea etiam palpebræ afficiuntur. Ejus tres recensentur differentiæ. Est enim vel cum pruritu, vel sine pruritu. Quæ cum pruritu est, & exiguam fluxionem salis & nitrosam conjunctam habet, à Paulo, lib. 3. cap. 22. Ψεροφθαλμία nominatur, quæ diversus est affectus ab illo, qui supra, cap. 3. descriptus est, atque ipse etiam Ψεροφθαλμία nominatur. Si verò sine ulla sit fluxione, & oculi tantum sunt rubri, neque tumet, sed cum dolore quodam levi in iis quidam sentitur pruritus & gravitas, ab eodem Ψεροφθαλμία dicitur. Quæ autem sine pruritu est, & cum durtie palpebræ, σκληροφθαλμία, dura lippitudo appellatur.

Proveniunt affectus hi omnes ab humore pauco, sed sicco & falso, nitroso. Et cognoscitur, atque ab ophthalmia humida discernitur hæc ophthalmia, quod lachrymæ ferè nullæ exstillant. Noctu palpebræ ita coagulantur & indurantur, ut humidantibus & mollientibus sint aperiendæ.

Affectus hi quidem non sunt tam periculosi & acuti, ut ophthalmia humida: diuturniores tamen, & quito-

L. I.

Curatio ferè eadem cum ophthalmiæ curatione modò proposita; nisi quod in specie ad humorem salum dirigenda. Is igitur temperandus & alterandus, evacuandus, revellendus, derivandus, ut supra, part. 1. dictum. Postea ad topica accedendum. Et quia durties & scabrities conjungitur, indurata emollienda, ut de durtie palpebrarum dictum.

R. Endivie,

nymph.

lactuc.

folan,

flor. vior.

rosar. rubr. an. M. j.

rad. althæe Unc. jß.

sem. scenigræc. Unc. ij.

Destilletur inde aqua, qua vesperi & manè oculi abluantur. Vel decoctum ex hisce paratur, quod efficacius videtur. Neque enim, ut multi sibi persuadent, destillata omnes vires, quas decoctum, habent; cum multæ partes in destillatione in alembicum non eleventur.

Vel R. Butyri majalis sine sale,

ol. rosar. an. Unc. jß.

aloes Drach. ij.

camphor. Drach. ß.

lythargyr. auri & argenti, ana

Drach. j.

Butyrum & oleum liquefiant, hinc addantur reliqua, & in mortario plumbeo misc. F. Unguentum, quo vesperi palpebræ illinantur. Manè sequente liquore abluantur.

H h h h h

R. Ag.

R. Aq. agrimon.

rosar.

lactis muliebris, an. Misceantur.

Vel R. Parietar.

scabiosa, viridium, an. M. iiii.

Destilletur aqua, cui aliquid sanguinis columbini vel hirundinum addatur, qua mane & vesperi oculi abluantur.

Vel R. Farina tritici Unc. ij.

lentium,

fabarum, an. Unc. jss.

terra sigillata Drach. ij.

rad. sigill. Salomonis Drach. ij.

camphor. Drach. j.

Pulverisata misceantur cum aq. cichorii. Fiat Cataplasma, quod noctu oculis imponatur.

CAPUT XIV.

De Ungue Oculi.

Unguis
Oculi.

Unguis oculi, vulgo unguia; Græcis *αεγύριον*, tanquam ala parva, nomen accepit à similitudine sive unguis humani, sive alæ volucris, quam excrecentia illa ab angulo oculi plerumque majore versus pupillam, protensa refert; quam & sagittam nonnulli vocant, à specie quadam triangularis cuspidis sagittæ præfixæ. Germanis dicitur, *der Nagel oder Nagelfell der Augen* oder *Blatterfell der Augen*.

Definitur hoc malum à Paulo & Celso, *lib. 7. cap. 7.* quod sit membrana nervosa & fibrosa, orta ab angulo oculi, frequentissime majore, juxta nasam, rarius à minore juxta tempora, & adhuc rarius à superiore vel inferiore

palpebra, teste Aëtio, annatæ tunicæ valide adhærescens, & usque ad corneam producta, nonnunquam etiam ad pupillam usque protensa: Rhasi simile quid est membranæ nevosa; Aëtio annatæ tunicæ incrementum est, vel caro super hanc excrefcens ex scabra quadam lippitudine, aut ex assiduis ad oculum fluxionibus. Atque hoc differt ab eo, quod Arabes Sebel, vulgo pannum vocant; quod morbi generis substantia non est membranosa, sed venosa, hoc est; ex venis turgentibus quiddam complicatum, & quasi contextum pennam referens.

Affectus ipse est morbus in numero præter naturam aucto; quia additum est aliquid tunicæ externis oculi, quod addi non debebat. Subjectum plerumque est oculi annatæ. Interdum tamen ita in valescit, ut corneam & pupillam integat.

Causæ.

Causa efficiens est facultas *οφθαλμική* in oculorum angulis, quæ annatam ultra naturalem terminum auget & extendit, vel supra eam aliquid efformat. Occasio ita luxuriandi illi facultari datur, quoniam caro in angulo vel ophthalmia diuturniore, vel ob pustulas, quæ post variolas & morbillos, aut alias etiam in oculo orta fuerunt, vel post combustiones ac scintillas ignis oculo illapsas, vel alias externas læsiones, vel ob assiduam fluxionem crassæ & lenti humoris, scabritiem seu inæqualitatem quadam assicura est, quam dum vis nutriens exterere & æqualem reddere nititur, incrementum ejusdem præter-

præter naturam producit, aut aliquid supra eam generat.

Materia ex qua est sanguis cum excrementis humoribus plus aut minus mixtus. Atque hinc differentiæ existunt, quod unguis alius durus est, alius mollis; quidam coloris citrini, quidam fusci, quidam rubei. Alius facile separabilis ab annatâ & cornea, alius difficulter. Quidam annatam tantum occupat, alius etiam ad corneam extenditur. Est & quidam putridus ac canerosus.

Signa Diagnostica.

Signis malum non eget; cum oculis sit expositum, ut ex descriptione antea proposita facile agnosci possit. Malignus & canerosus unguis cognoscitur è carne, quæ excrevit, crassa, dura, eminente, nigricante, & tempora per consensum afficiente, ut docet Aëtius. Discernitur à carne lachrymali, quod radix unguis semper ad albedinem magis declinat.

Prognostica.

1. Malum hoc non contemnendum est; cum ingravescent pupillæ obductum videndi aciem tollat.
2. Recens malum, & magnitudine mediocre, non difficile est discutere medicamentis, quibus cicatrices in oculis exteruntur. Si verò inveteraverit, atque ei crassitudo quoque accesserit, excidi debet, teste Celso, lib. 7. cap. 7. Imò sæpe tam arctè & pertinaciter annatæ tunicæ adhæret, ut neque per chirurgiam absque oculi factura auferri

possit; & proinde magnum & inveteratum incurabile fit.

3. Facilius hoc malum curatur in juvenibus, quam senibus.

4. Facilius curantur *Ἀεγύρια* albicantia, & angustum fundum habentia; his verò contraria ægre curantur.

5. Putrida quoque & canerosa curationem non admittunt; quia cancer radices habet, quæ evelli nequeunt: teste Aëtio, *tetrab. 2. ferm. 3. cap. 58.*

6. Ea *Ἀεγύρια* manu curare oportet, quæ adacta ad nigrum oculi se extendunt. Quæ verò parva, & in albo sunt, eâ commodum est, ut pharmacis comprimamus. Aëtius, *ibid.*

7. Docet & hoc Aëtius, *Ἀεγύρια*, in quo principium fit suffusionis, curandum non esse, quoniam eo sublato citius suffusio conflat.

8. *Πνεύρια*, quæ ad pupillam usque pertingunt, & propterea visionem impediunt, si tollantur, oculum quidem à fluxionibus liberant, cicatrix autem, quæ sectione circa pupillam relinquitur, nihilominus visum impedit.

Indicationes.

Membranosa hæc tunica, quæ præter naturam accrevit, removenda est, sive medicamentis extergentibus, si parva & mollis sit, nec pertinaciter adhæreat; sive manus opera sit, contrario modo sese habeat. Aut si ex mente Aëtii sit annatæ tunicæ incrementum, id inhibendum, & quod excrevit, imminuendum ad stringentibus, exsiccantibus, & extergentibus,

H h h h h 2

CURA

*Curatio.**Curatio.*

Primò ergo universales corporis evacuationes instituantur; idq; non semel, sed bis vel ter, prout opus est. Et crassi & viscidum humores expurgationi præparentur, & revulsiones per vesicantia & aliis modis instituantur, ut hætenus aliquoties dictum. Universis hinc præmissis primò foveatur unguis vapore aqua temperatè calidæ, aut decocto hordei, malvæ, althææ, flor. chamæmel, meliloti, semin. lini, fœnigræc. anethi, flor. cyani, quoad oculus calefiat.

Postea extergentiâ adhibenda. Inter quæ mitiora sunt, saccharum candidum, aqua euphragie cum saccharo, aqua chelidon. cum melle, acetum album cum vino albo mistum, aqua fœniculi cum mentro ac sale, thus pulverisatum cum aqua calida in formam collyrii redactum, sepiæ ossa usta ac tenuissimè trita cum momento salis ammoniaci, cornu cervi ustum, vel caprinum cum thure & vino lavigatum, vel caprinum cum succo artemisiæ ac melle, vel cinis limacum cum melle mixtus.

*Ovorum
testæ ad o-
culorum
unguentum.*

Efficax quoque medicamentum, & ferè citra morsum ac dolorem extergens, ex ovorum testâ paratur, dum ovorum testæ in aceto acerrimo macerantur, postea siccantur, & in subtilissimum pulvèrem rediguntur, qui oculis inspergitur. Validiora sunt asustum Vitr. , aris squama, stas aris, chalcitidis usta.

Incipiendum verò est à lenioribus, quæ sine morfu ac dolore suum officium

præstant, quæ si non sufficiant, ad validiora accedendum.

Ut R₂. *Lactis muliebris,*
mellis part. æqual.
adde aliquid *croci.*

Coquantur, & frequenter oculo instillentur.

Vel instilletur hæc Aqua:

R₂. *Aq. chelidon. Unc. v.*
aluminis,
ceruss. an. Drach. j.
camphor. gr. vij.

Coquantur in vitro clauso in Balneo, & colentur.

Vel R₂. *Acetis rosar. Unc. iiij.*

aq. rosar. Unc. v.
Vitrioli albi Drach. ij.
mandibul. lucij combustarum,
tutia præpar. an. Drach. ß.
Tartari. Scr. j.

In vitro clauso coqu. in Balneo, & colentur, & bis de die liquor oculis instilletur.

Vel R₂. *Aq. rosar.*

euphrag. an. Unc. jß.
aceti albi Unc. j.
tutia præpar. Drach. jß.
squama aris Drach. ß.

Ebulliant simul vase clauso, colentur, & instillentur.

Vel R₂. *Aq. plantagin.*

centummodie, an. Unc. ij.
Vitriol. calcinati Drach. j.
salis ammoniaci Drach. ß.
myrrha Drach. j.

Ebulliant, colentur, & instillentur.

Vel R₂. *Fellis luciorum piscium q. v.*

Destilla in vitro ad crassitiem. In liquore destillato solve parum camphoræ, & usui serva. Fel. verò in crassitiem.

cum extrahere cum spirit. vini, spiritum-
que vini iterum per destillationem se-
para. Extracti hujus & sacchari Saturn.
ana gr. j. dissolve in prioris liquoris
gut. iij. ac cum pluma mane & vespe-
ri oculis immitte.

In contumaciore malo, antequam
ad manus operam accedatur, aliquod
si ff validum convenit, quale est si eff
viride Rhafis, aut quod de chalcanto
ex ejusdem descriptione paratur.

In usu tamen acrium collyriorum
observandum, ne cornea tangatur;
cum ejusmodi collyria vim exulceran-
di habeant. Itaque expedit, vehemen-
tibus extergentibus admiscere aliquid
de tragacantha, gummi Arabico, de-
cocto sanigræc. lacte muliebri, albu-
mine ovi. Non inutile quoque fue-
rit, temporibus repellens aliquod ap-
plicare, ad affluxum humorum inhi-
bendum: Oculis quoque clausis ano-
dynam aliquod adhibere convenit.
Post dies aliquot dolore sedato ad col-
lyriorum usum redire licet.

Si medicamenti malum non cedit,
ad manus operam accedendum, &
membranæ illius detractio tentanda,
quam eleganter docet Celsus, lib. 7.
cap. 7. Paulus Ægineta, lib. 6, cap. 18.
Aëtius, tetrabibl. 2. serm. 3. cap. 60.
Hieronymus Fabritius ab Aquapend.
de operat. Chirurg. tit. de ungue oculo-
rum. Modi administrationis illius tres
præcipuè sunt. Primò separando un-
guem cum penna, & post abscindendo
cum forcipe. Secundò unguem ele-
vando, & acum subtus cum pilo equi-
no aut filo serico ducendo, unguemq;
sic protractum excindendo. Tertiò

abradendo scalpello, si unguis planè
tenuis sit.

Postquam chirurgica hæc tentata
sunt, opera danda est primo, ne an-
nata tunica palpebræ concreseat: quam
ad rem Aëtius probat muriam acrem
vel aquam salâm, quam in oculum
infundit. Avicennas cuminum masti-
catum cum sale applicat, jubetque æ-
grum frequenter oculos movere, nisi
dolor prohibeat. Potest & æqua aliqua
leniter extergens modò proposita in-
stillari. Secundò, ut caveatur inflam-
matio; quod præstari potest albumi-
ne ovi cum hapso lini imposito. Ter-
tiò, ut portio unguis à ferro relicta ex-
stirpetur, ne malum denud succrescat.
Cui scopo inserviunt collyria acria,
modò proposita, post tres dies applica-
ta, ne, si citius usurpantur, inflamma-
tionem pariant.

Dieta.

Victus sit attenuans & incidens. Æ-
ger à vino abstineat usque ad morbi
declinationem, à cibis itidem vapo-
rosis.

CAPIT. XV.

De Tunicula annata, quã vulgo Pannũ, Arabes Sebel nominãt.

Affectio hæc, Avicenna definiẽte, *Sebel oculi*.
Panniculus est, vel, ut Rhafes defi-
nit, quiddam instar panniculi ex reple-
tione venarum ortum, apparentium in
superficie tunicæ annatæ vel corneæ o-
culi;

oculi; quæ venæ cum tanquam exilia capillamenta variè & propinquè inter se contextæ sint, turgentes sanguine, speciem ejusmodi panniculi exhibent; unde etiam à nonnullis Tela, vel Telaris excreſcentia nominatur. Veriſimile quoque eſt, aliquid ſanguinis ſubtilis ex venulis illis exſudare, quod concretum ſpeciem illam panniculi rationis, ſeu telæ intextæ ſupra oculum evidentiore reddat. Imò carnis ipſius tunicarum oculi tumor accedere poteſt. Ex quo, ut capite præcedenti dictum eſt, patet differentia ab ungue oculi, quæ excreſcentia quædam eſt nervea ſeu membranofa citra venarum repletionem, ab angulo oculi enata, non totum oculum, ſed partem ejus, forma unguis vel ſagittæ cooperiens; cum Sebel, ſeu Pannus totam annatam cooperiat.

Differentia.

Differentiæ ejus ſunt, quod pannus vel mollior eſt, vel durior; recens vel inveteratus; ſimplex vel cum ophthalmia; ſcabiè, ulcere oculorum conjunctus.

Cauſſa.

ſignitur Tunicula alia ſecundum viam deſluxus, materia ad oculos derivata pervenas & arterias ſive externas frontis æ temporum, ſive internas capitis: alia ſecundum viam congeſtionis materiæ paulatim factæ in ipſis oculi venis, ex nutrimento non bene converſo, & retentis ſuperfluitatibus.

Sæpe unica hæc ad ophthalmiam, & variolas ac morbillos, oculorum icterus, contuſiones, combutiones ſequitur,

Malum hoc interdum hæreditarium eſt, & facilius eo corripiuntur, qui oculos habent debiles, calidos, eminentes, atque aliàs ad ophthalmiam proni ſunt.

Materia eſt ſanguis vel ſolus, vel cum aliis humoribus mixtus. Cæteri humores ſine ſanguine cauſſa hujus mali eſſe nequeunt; cum rubrum colore non producant.

Signa Diagnostica.

Affectus hic per ſe manifeſtus eſt. Apparet enim panniculus ex repletionem vaſorum rubeus, tanquam tela carnoſa, in ſuperficie annatæ præcipuè; ad eſt prurit⁹ & dolor ex acrimonia & diſtentione; color ex retentione evaporationis ac fuliginum: oculi offenduntur à lumine & à contactu rei externæ ſive frigidæ, ſive calidæ: viſio obſcura eſt, vel ablata. Quod ad ſigna cauſſarum, an à ſanguine ſolo ſit, vel cum aliis humoribus mixto, è colore diſcernitur. Si materia fluxit per vaſa externa, ſupercilia & frons non nihil tumet, & dolor ac puſſatio extra magis ſentiuntur. Si per interna, dolor magis ad radices oculorum tendit.

Prognostica.

1. Recens hæc affectio medicamentis, inveterata tantum manûs operatur.

2. Malum indicium eſt, ſi oculus imminuitur. Debilitatem enim oculi ſignificat.

Curatio.

Curatio, quæ per univerſalia fit, communis huic affectioni eſt cum ophthalmia & pterygio. Quod ad topica

Topica.

picæ, si Sebel vel Tunicula recens sit & tenuis, Avicennas testam ovi recentis infundic in aceto calido decem diebus, & postea exsiccatam in umbra, atque in tenuissimum pulverem redactam oculo immittit, ad abstergendum & exsiccandum. Addit & Marcasitam lapidem, qui Dioscoridi est Pyrites. Si Sebel & scabrities simul conjungantur, laudat collyrium ex sumach pulverisato, cui quandoque admiscet param gummi Arabici & Sarcocollæ, ut dolor mitigetur, medicamentum que parti affectæ affigatur. Fortius est æsustum in urina aliquot diebus maceratum & siccatum.

Utilis est & hæc Aqua:

℞: *Sacch. cand.* Unc. iij.

lapid. hamasis. prap. Unc. ꝑ.

alum. usti.

Vitrioli albi,

camphor. an. Unc. β.

Tartari Drach. ij.

Affunde

aq. rosar.

fenicul.

acet. vini, an. Unci ꝑx.

Destillentur, vel potius coquantur & colentur.

Vel ℞: *q. cheilidon.* Unci jv.

aluminis usti Drach. ij.

pumicis Drach. j.

In vase vitreo clauso coquantur & colentur.

Vel ℞: *Mastich.* Unci β.

ceruss.

alum. usti, an. Drach. ij.

spuma maris gr. xv.

salu gemma gr. vij.

℞ Pulvis.

Vel ℞: *Tutia preparata.* Drach. iij.

margarit. prap.

corallior. rubr. prap.

pompholyg. an. Drach. ij.

sacchari candi Drach. j. β.

camphor.

zingib. an. Scrup. j.

℞ Pulvis subtilissimus.

In malo iaveterato, & ubi hæc non *Chirurgias.* sufficiunt, evacuato corpore & capite, ad chirurgica præsidia accedendum est; quod rectissime fit tempore verno & autumnali. Emollitio verò quædam præcedat, eo modo, ut de Pterygio dictum. Postea uncino parvo argenteo venulæ eleventur, & subjecta acu, cui filum sericeum innexum sit, ligentur, ut forcipe tenellâ præcidi possint. Quò factò oculus à sanguine profuso mundetur aqua decoctionis cumini, & obligetur. Dolorem vitellus ovi cum aqua rosarum impositus mitigabit. Utile quoque est defensiva sive apocrystica applicare fronti & temporibus, ne materia propter dolorem ad oculum attrahatur.

Ad absumendas reliquias pulverem citrinum Rhasis, *cap. 15. de Ophthalmia,* propositum, vel sic ff viride Rhasis, *cap. 21. de ungue,* applicare licet. Sed tutius est thur pulverisatum in aqua feniculi infusum apponere, vel sarcocollam nutritam.

Vel ℞: *Aq. flor. cyani* Unc. vj.

thuris,

sarcocoll. an. Drach. ij.

castor.

aloes, an. Drach. j.

camphor. Drach. β.

Indantur vitro, eoque bene clauso in aqua calida ebulliant. Liqueor singu-

singulis diebus bis vel ter oculis instilletur.

Fortior est hic Liquor:

℞. *Aq. chelidon.* Unc. viij.
testarum 69. vel *ovor. uskar.*
sarcocolla,
aloes, an. Drach. j.
tutia,
Vitrioli albi,
sacchar. candi, an. Drach. β.

In vitro clauso coquantur in balneo & colentur.

Commendatur tanquam expertum & hoc Collyrium:

℞. *Lapid. hematit.* Drach. ij.
Vitrioli albi,
viridis aris, an. Drach. iij.
myrrh.
croci, an. Drach. j.
piper. long. Drach. β.
sacch. candi Unc. β.

Tenuissimè pulverisentur & cribrentur, ac in pixide ad usum serventur.

Hujus pulveris. ℞. Drach. j. dissolvatur in Unc. ij. aqu. raphani, & applicetur quotidie bis aut ter, prout æger tolerare potest.

Forestus, lib. II. obs. 6. hoc feliciter usus est in juvene quodam, qui ferè in tetegro anno ex panno cæcus fuerat:

℞. *Succi fœnic.* Unc. iij.
chelidon. Unc. iij.
ruta Unc. ij.
malva Unc. ij. β.
aloes Scr. j.
Vitrioli Scr. ij.
aruginis aris Scr. j.
zingiber.

cinamomi, an. Scr. β.

fell. anguilla Unc. β.

bubuli Drach. ij.

sacchar. candi Scr. ij.

mellis opt. Unc. β.

Ebulliant succi addendo reliqua, & depurentur, ac fiat Collyrium.

Dieta.

Dieta sit, qualis in ophthalmia & affectione præcedente proposita est. Aërem lucidum æger vitet, atque omnia, quæ materiam augere & exagitare possunt.

CAPUT XVI.

De Albugine & aliis vitiosis Corneæ Coloribus.

Corneæ oculi tunica non saltem, ut Corneæ tunica usus. humores & spiritus oculi continet, & ab externis injuriis defendat, facta est, sed etiam peculiarem constitutionem obtinet, videlicet perspicua, coloris expertæ visque facta, ut speciebus visibilibus liberum in oculum transitum concedat.

Quæ ejus naturalis constitutio vitia- tur, si ejus substantia crassescat, exsicce- tur, & corrugetur; si perspicuitatem amittat; si colore aliquo inficiatur. Si enim corrugetur & crassescat, ac natura- lem perspicuitatem amittat, species vi- sibles vel planè non admittit, vel ob- scurè. Si verò colore alieno inficiatur, is species transeuntes inficit, atque ita eo colore res visui offeruntur, quali corneæ infecta est, eodem modo, sicuti ubi

ubi quis per vitrum coloratum videt. Vulgò quidem ista vitia inter sympto-
mata qualitatum mutatarum referun-
tur: quæ tamen omnino ad morbos re-
ferenda sunt, ob causas, quas in Insti-
tution. lib. 2. part. 1. cap. 6. de colore
Corneæ attulimus. Si quoque col-
lor alienus profundè hanc tunicam
tingat, speciebus visibilibus transitus
denegatur, quia corneæ pelluciditas a-
mittitur. Quandoque etiam cornea
rumpitur.

CORNEÆ CRASSITIES.

Primò ergo substantia corneæ fit
crassior ob humores crassos, qui sese
in eam insinuant; & ob medicamentor-
um frigidorum usum; quod fit post
Ophthalmiam, in qua humores subti-
liores & tenuiores discutuntur, crassi
remanent; vel cum medicamenta fri-
gida nimis incautè imponuntur. Cor-
rugatur verò & exsiccat præcipuè in
senibus. Et in utroque hoc malo visus
vel imminuitur, vel planè aboletur,
prout causæ magnitudo est.

Signa Diagnostica.

Cognoscuntur autem hæc vitia pri-
mò ipso ferè aspectu; quia, si crassior
reddita sit oculi hæc tunica, inspicien-
ti quasi quædam in superficie nebula
apparet, nec oculi hæc tunica tam levis
& polita apparet, ut solet: ægri de visus
imminutione conqueruntur, & quasi
per fumum se videre dicunt, præcessit
Ophthalmia, adest ætas senilis.

Prognostica.

Si malum sit ex humoribus crassis
impactis, idque recens adhuc, curari

L. I.

potest: si verò diuturnum sit, & ex ve-
hementi frigidorum usi, vix curatur.
Corrugatio etiam & obscuritas ob æta-
tem senilem non curatur.

Curatio.

Curationem quod attinet, univer-
salibus præmissis, & corpore & capite
evacuato, radix chelidonie spiritu vini
abluatur, postea contundatur, & suc-
cuss exprimatur, qui guttatim oculis
instilletur. Oculum etiam extergit
Tartarum vini Malvatici, aut potius
cremor ejusdem oculis inspersus.

COLORES CORNEÆ VITIOSI.

Colores corneæ præter naturam non
omnes ejusdem sunt generis. Primò
sunt λευκώματα in genere ita dicta, *si off.*
color scilicet in albo mutat⁹, qui vel ab
humore corneæ impacto oritur, & Nu-
becula appellari solet, ægriq; omnia
per nebulam seu vaporem vel fumum
se videre putant; vel à cicatrice in cor-
nea quod malum in specie λευκώματι
nominatur.

Est enim Leucoma seu Albugo ma-
cula alba in cornea, ob quam visio læ-
ditur. *Leucoma.*

Gignitur autem Albugo, dum post
vulnus vel ulcus corneæ cicatrix ma-
net, quæ in nigro oculi alba apparet, à
qua cornea ita densa redditur, ut specie-
bus visibilibus transitus denegetur, atq;
ita videndi actio impediatur: vel cum
pituita inter corneam collecta ejus per-
spicitatem tollit, visumque impedit.
Quibus tamen aduc alia causa addi
posse videtur. Cum enim diaphana, ut
vitrum, glacies, gemma, si findantur,
pel-

III.ii

pelluciditatē sine humoris affusione amittant: tale quid etiam corneæ acciderē potest, si scilicet ejus lamina ictu, percussione, punctura findantur, & ita cornea inæqualis fiat. Atque ita proxima Albuginis causa est cicatrix in oculi corneæ tunica vel pituita inter ejus lamina collecta, & corneæ inæqualitas à quacunque causa inducta.

Differentiæ albuginis sunt, quod alia magis, alia minus crassa est. Paulus Ægineta ratione subjecti distinguit, ut aliæ cicatrices in superficie oculi consistant, quæ simpliciter *ελας* nominantur, & *νεφέλια*, aut Albugo tenuis; alia in profundo, quæ *λοκώματα*, seu albugo crassa dicuntur.

Signa Diagnostica.

Malum hoc patet oculis, & præcessit vulnus vel ulcus, à quo albugo hæc seu cicatrix enata est. Si ulcus non præcessit, à pituita in corneæ collecta est. Si ictus vel violentia aliqua accedit, in illam causa referenda. Quæ autem cicatrix corneæ crassiores sunt, eæ magis albicant, visamque magis offendunt; contra, quæ minus crassa. Præterea magis albicant, quæ in superficie sunt; quæ autem profundæ, ad nigredinem declinant; quoniam uexæ tunice sunt propiores.

Prognostica.

1. Vitium hoc vix prorsus tolli potest. Nam arduum est, in tam nobili membro, tam exquisito sensu prædito; cicatricem exterere; præsertim quæ durior, crassior, diuturnior, & magis profunda est. Itaque sæpe polliceri aliud non licet, quàm coloris per tincturam mutationem.

2. Diuturnas ac crassas albugines curare non oportet; cum acria & mordacia medicamenta requirant, quæ oculi non ferunt. Si verò etiam suffusio aut glauco affuerit, vanum est, cicatrices exterere; teste Aëtio.

3. Facilius curatur hoc malum in pueris, quorum corpora molliora sunt, & vim medicamentorum promptius admittunt; difficilius in siccis adultorum corporibus.

4. Unde Albugo & cicatrices in oculo, quæ interdum post variolas in pueris remanent, successu temporis delentur, ne visioni obsint.

5. Facilius curatur Albugo, quæ à pituita in corneæ laminis collecta est, quàm quæ à cicatrice provenit.

Indicationes.

Cum in albugine, quæ à cicatrice est, adsit corneæ durities & crassities, tunicam illam eâ parte emolliendi & attenuandi indicatio existit, ut iterum perspicua reddatur. Pituita, si quæ adsit, discutienda est.

Curatio.

Præmissis evacuationibus & diversionibus topica hic potissimum locum habent, quibus cicatricem extergendi vis inest. Sint illa leviora, non acriora, nec corrodentia, ne fluxione concitata ulcus denuo excitetur, à quo sanata cicatrix alia crassior remaneret.

Ad humectationem igitur & emolli-
litionem cicatricis Rhafes probat va-
porem aquæ dulcis calidæ, aut de co-
ctiois fœnigræci; malvæ, althææ, flor-
chamæmeli, paleæ hordei vel avenæ
Emolli-
tia cicatr-
cem.

repentis oculis exceptum, usque ad faciei rubedinem, ut antea de ungue oculi dictum.

Vel ℞. Rad. *althea* Unc. j̄ss.

malva,

chelidon. maioris,

euphrag. an. M. j.

flor. melilot.

cyani, an. M. ss.

sem. lini,

fenigrac. an. Unc. ss.

Coqu. in aqua pura, & vapor calidè oculis excipiatur.

abstergentia.

Post vaporem conveniunt medicamenta, quæ leniter abstergunt, ut sacch. candi album. in aqua euphragiæ dissolutum. Vel extinguitur thus in aqua fœniculi aliquoties, & aqua oculis instilletur. Aëcius lac equinum commendat cum modico melle assiduè illitum, Nonnulli suadent, ut oculus lingua pueri vel puellæ, quæ prius fœniculum aut rutam mastica verit, lambatur. Utilis est & angallidis cærul. flore succus, cum melle rosaceo imprimis mixtus.

Deinde ut cicatrix amplius exteratur & abstergatur, adhibeatur succus centaurei minoris, chelidoniæ, agrimon. anemon. fœniculi, rutæ, calendulæ. In primis verò commendatur aqua flor. rorismarini, si prius in balneo vel fimo equino aliquot diebus digerantur, & postea destillentur, vel si 40. diebus digerantur, & aqua seu liquor, in quem flores resolvuntur, usurpetur, & oculis instilletur.

Vel ℞. Butyri aqua euphrag. loti Unc. j.

sutia preparat. Drach. j. M.

Vel ℞. Aqua flor. cyani Unc. iij.

thuris,

sarcocolla, an. Drach. ij.

eragacanth.

castor.

aloes,

corall. prepar.

camphor. an. Drach. ss.

Coquantur in vitro clauso, coeantur & usui serventur.

Vel ℞. Suc. anagallidis cærul. Unc. ss.

chelidon. Drach. iij.

fœnicul. Drach. ij.

mell. ros. Unc. j. M,

Vel ℞. Succ. centaurei minor.

fœnicul, an. Drach. ij.

mell. rosar. Unc. ss.

matris perlarum prepar.

C. C. preparat. an. Scr. j.

alumin. calcinati Ser. ss.

Misc.

Validiora fiant ex felle animalium, videl. galli antiqui, perdicis, anferis, bovis, leporis, accipitris, milvii, anguillæ, lucii pisci, cum aqua fœnicul. vel modico melle mixto, vel stercore hircundinis.

Ut ℞. Succ. rutæ Drach. ij.

fœnicul. Drach. iij.

fell. lucii piscis Drach. ij.

os. sapie usti Drach. ss.

sacch. candi Drach. j,

Misc.

Vel ℞. Stercor. hirundin. in pulverem redacti q. l.

mellis & aq. euphrag. 2n. q. s.

F. Collyriam.

Ad validiora abstergentia pertinet & alumen calcinatum, aloë, myrrha, & usum.

Nonnulli forma pulver. hæc medica-
menta adhibent, quæ Avicennas parat
ex sarcocolla, spuma maris, aristoloch.
rotund. & saccharo albo. Pulveres ta-
men diu in oculo non sunt detinendi,
cum ferè semper dolorem excitent.

Ut:

℞. Tutia prepar.

corallor. rubror. prepar.

sapphir. prepar. an. Drach. ℞.

margarit. prepar. Scr. ℞.

campb.

Vitrioli albi, an. gr. v.

℞. Pulvis subtilissimus.

Vel ℞. C. C. ussi Drach. j.

off. sepia.

sarcocoll. lot. an. Drach. ℞.

aristoloch. Scr. j.

sacchar. candi. Drach. ij.

℞. Pulvis.

Vel ℞. Tutia prepar. Drach. j.

matrixperlæ. prepar. Drach. ℞.

sarcocolla. Scr. ℞.

Misce.

Vel ℞. Rad. irid. Florem. Drach. j.

pnnic.

off. sepia, an. Drach. ℞.

sarcocoll.

corallor. rubr. prap. an. Scr. j.

sacchar. candi. Drach. j.

moschi. gr. ij.

℞. Pulvis.

Vel ℞. Off. sepia.

sarcocoll.

aristoloch. rot.

myrrha.

spum. maris.

sacchar. an. Drach. ij.

℞. Pulvis subtiliss. qui super albugine
oculo clauso detineatur, & postea o-
culus aqua rosarum abluatur.

Efficacissimum quoq; est collyrium
à Rhase, cap. proprio, descriptum.

Vel ℞. Susci depurati feniculi,

Rutæ.

anagall. flore carul.

chelidon. maj. an. Drach. ij.

tutia prepar.

squam. aris lot.

aloes, an. Scr. ℞.

mell. rosar. colatr. Unc. j. Parum

coqu. colentur, & usui servantur.

Commendantur à nonnullis & lapi-
des, qui in renibus & vesicis animalium
inveniuntur, combusti & loti. Aqua
quoq; mellis destillata, efficax est, cujus
usum per integrum mensem continu-
andum censeat Gentilis, & hinc uten-
dum isto Collyrio:

℞. Aq. rosar.

fenicul. an. Unc. ij.

Antimon. pulverisat. Drach. j.

M. & per filtrum colentur. Quidam
sem. ocymi tritum. oculo in-
missum valde laudant.

Efficacissimus etiam hic est liquor ex
epate mustelæ piscis collectus, de quo in
Institutionibus, lib. 5. part. 1. sect. 1. cap. 4.
ut & medicamentum è felle lucis para-
tum, de quo supra, cap. 14. dictum. Dum
verò extra applicatur, simul exhiberi
potest pulvis cardui minoris pratensis.

Si autem, quod sæpe fieri solèt, Albu-
go planè aboleri nequeat, & tamen à ^{Albugi-}
Medico peratur, ut color ille p. n. ac ^{nem oculi}
deformitas tollatur, ac calor albus in ^{colorantia-}
nigrum mutetur, adhibendus in eam
rem succus mali punici dulcis; succus
item hyoscyami, qui 15. diebus illitus
albuginem tollit, teste Aetio, ^{terrabibl.}
2. form. 3. cap. 40.

Vel ℞.

rosa sub ea facile colligi & detineri potest.

Signa Diagnostica.

Pustulæ illæ visu facile dignoscuntur. Apparent enim in annata vel cornea oculi tunica tubercula quædam parva, grani milii magnitudine. Et quæ pustulæ in annata seu alba oculi tunica oriuntur, rubrum ferè colorem præ se ferunt. Quæ autem in cornea, varium, pro ut in superficie vel profundiore loco corneæ consistunt. Quando pustulæ in superficie corneæ sub prima ejus lamina consistunt, nigriores sunt; quæ sub secunda aut tertia, albæ magis appatent; cum color corneæ albus magis in conspectum se producat, si pustulæ in loco profundiore hæreant, quam si in superficie. Avicennas à conspectu uveæ in superficiali pustula colorem nigrum; à prohibito ejusdem in profundo intuitu, album vult produci, qui albus color est pustulæ in cornea exquisitæ ab aquoso vel seroso solum humore, sine sanguine admixto, productæ.

Cum autem pustulæ corneæ superficialis non parva sit similitudo cum uveæ procidentia; Aërius, *rettab. 2. ferm. 3. cap. 29.* ita eas discernere docet: Pustula in superficie corneæ undiquaque nigra est, etsi nigredo non sit adeo intensa; uveæ autem pars, quæ procidit, aut nigra, aut cærulea est, & in fundo circulum album exhibet, qui à labiis corneæ etosis est. In pustulis corneæ cornea exactè rotunda manet, & suam nativam figuram retinet; in uveæ au-

tem procidentia pupilla minor redditur, nec figuram naturalem planè retinet, sed parte quadam sui veluti divulsa apparet, aut figuram & situm planè immutatum ostendit.

Materia etiam discernitur à doloris qualitate & magnitudine, pustularum colore, ægri temperatura, habitu, & similibus.

Prognostica.

1. Pustulæ in innata seu alba oculi tunica minus periculosæ sunt, quam in cornea.

2. Superficialiæ pustulæ curatio facilior est, vel minus periculosa; cum eâ ruptâ & exesâ humor aqueus non profluat, aut uvea tunica procidat. Quæ verò profundior, periculosior est; cum totam corneam facile erodere possit, ut ea exesa humor albugineus profluat & uvea procidat.

3. Et præcipuè si juxta pupillam sunt pustulæ, periculosæ sunt; quia obducta cicatrice visus aboleretur.

4. Si cornea in partem internam rumpatur, malum est immedicabile.

5. Si dolor & pulsatio & cætera accidentia in pustula paulò post remittant, spes est, fore, ut pustula per viam resolutionis terminetur. Si vero symptomata illa intendantur, suspicandum est, illam tendere ad suppuracionem. Nam solent pustulæ istæ, si rumpantur, sæpe in ulcus mutari.

Indicationes.

Materia in pustula collecta tota evacuanda est, & suppuratio, atque exulce-

*Pustula-
rum in cor-
nea color.*

*Pustula
cornea ab
uveæ pro-
cidentia
quomodo
discernan-
tur.*

ulceratio, quantum fieri potest, prohibenda; præsertim si pustula sit cum inflammatione, ideoq; danda opera, ut materia discutiat & resolvatur.

Curatio.

Quod universales evacuationes & revulsionēs attinet, eodem modo illæ perficiuntur, ut in ophthalmia. Topica ab iisdem etiam non multum variant. Itaque in pustula cum inflammatione, qualis annatam potissimum occupat, conveniunt leniter discutientia, quibus & adstringentia nonnulla miscet Aëtius; ut in initio inflammationum fieri solet.

Commendat ergo *albumen ovi & luseum ovi cum sacchar & paxillo croci.*

Ex astringentibus probat mala cydonia cocta, aut malicorium in aqua decoctum. Vel mucilag. sem. psyllii aut cydoniorum extracta cum aqua rosar. oculis instilletur.

Vel ℞. *Lycij;*

croci, an. Drach. ℞.

acacia Scrup. j.

aquæ rosar. Unc. j. vel

album. ovi & aqu. rosar.
an. Unc. ℞.

Misce.

Vel poma cydonia cocta cum paxillo unguenti rosacei M.

Possuntq; ista medicamenta in linteo-
leolis mollibus extendi, & toti oculo imponi.

Progressu temporis resolventia au-
geantur, ut mucilag. sem. fœnigræc.
aut decoctum flor. chamæmel. meli-
loti, sem. lini, fœnigræc.

Post hæc medicamentum ex thure,
myrrha. croco, cum succo fœnigræci
prodest, quo utendum est, donec pu-
stula discutiat, vel, si per resolventia
eam discuti posse spes non sit, donec
pustula rumpatur, saniesque in linteo-
oculo imposito appareat.

Vel ℞. *Melilot.*

verben.

ruta.

chelidon. an. M. j.

flor. rosar. rubr. M. ℞.

Destilletur inde aqua, quæ oculis
imponatur & instilletur.

In pustulis corneæ ex humore aquo-
so Avicennas exsiccantibus utitur, ut
terra Samia torrefacta, rutia, clymia,
quæ cadmia nativa est, sive lapis cala-
minar. Antimonio, atque aliis, è qui-
bus tale Collyrium paratur:

℞. *Tutia præpar.*

lapide calaminar.

fsoria eris lot. an. Drach. ℞.

gusami Arab. Drach. ℞.

Terantur in aq. calida, & F. Colly-
rium. Hujus Drach. ℞. cum aq. fœni-
græc. Drach. vj. excipiatur, quando
opus fuerit.

Chymici commendant saccharum
Saturn. & oleum Saturn. quod in eu-
phragiâ dissolvunt:

Ut ℞. *Aq. rosar.* Unc. j. ℞.

euphragia Unc. j.

sacchari Saturn. gr. xv.

tutia præpar. Scrup. ℞.

Misce.

Nonnulli commendant pinguedi-
nem ascie piscis:

Quod si pustula ita incrementum
sumpserit, ut medicamentis discuti-
non

non possit, acu argentea perforanda est, ut humor effluat; quod in pustula superficiali sine periculo fieri potest; in profundiore verò cautione opus est.

Dieta eadem est, quæ in ophthalmia.

Peculiaris pustula in annata tunica nuper in docto quodam viro à me animadversa est, quæ in eo quidem conveniebat cum alijs pustulis, quod similis erat vesicis, quæ à combustione aquæ ferventis excitantur; sed magnitudine discrepabat. Primò quidem cum ea vespere conspicienda mihi exhiberetur, in sinistro oculi externo angulo magnitudine semen cannabis æquabat, sed unica nocte ita incrementum fumebat, ut dimidiam avellanam æquaret, & ad corneam ferè extendere-
tur. Cum autem vir ille sanguine bilioso abundaret, mox venam aperui, & purgans exhibui, & primum hanc Liquorem linteis mollibus toti oculo imposui:

℞ Mucilag. sem. psyllij,
cydonior.
fanigraci, aqu.
ros. extr. an. Drach. ij.

aqu. rosar. Unc. j.ß.
flor. sambuci Unc. ß.
croci Scrup. ß.
Misce:

Quo applicato subsidere cœpit pustula. Postea hunc Liquorem oculo instillavi:

℞ Aq. rosar. Unc. j.ß.
Euphrag. Unc. ß.
tucia prepar.

suff. albi s. opio; an. Scrup. j.
vitrioli albi gr. ij.

Misce:

Atque ita intra paucos dies pustula evanuit.

CAPUT XVIII.

De Ulceribus Annate & Corneæ.

Ulceræ, quæ in annata vel corneæ tunica excitantur, ortum habent vel à causa externa, ut ictu, percussione, medicamentis acerbis, iis, quæ in oculos illapsa sunt; vel ab internis, ut humoribus mordacibus, sive naturæ tales sint, ut bilis utraque, sive putredine tales evaserint, ut humores quicunque. Materia illa vel aliunde confluit ad oculum; in annatam potissimum à vasis externis, in corneam ab internis: vel relicta in oculo est, sive ab ophthalmia præcedente, sive à pustula. Nam ad Ophthalmiam sæpe ulcera sequi solent, humore mordace per emplasticorum usum intempestivum cohibito; ut & post variolas & combustiones.

Differentiæ.

Ulceræ autem illa variis nominibus pro variis circumstantiis appellantur, ut Paulus Ægineta, lib. 3. cap. 32. docet. Quod enim cavum, angustum, durum est, βήβελον, hoc est, fossula, dicitur, quod latius, sed minus profundum, κείλωμα: quod in iridis circulo externo exortum ambientia etiam comprehendit, variiq; coloris est, circa ex-
ter-

ternam iridis partem rubicundum apparet, circa internam candidum, Græcis ἀσχημον, ab albedine, ut videtur, dicitur; nonnulli ulcus coronale appellant. Quod denique profundum, solidius, asperum, & quasi crustosum est, Πικρομα & ἔγκραμα vocant. Avicennas, lib. 3. fen. 3. tract. 2. cap. 3. septem differentias enumerat: quatuor superficialiarum, & tres profundas, quæ saltem ratione magnitudinis, & quod ulcus aliud latius, aliud angustius, aliud superficialium, aliud profundum est, discernuntur.

Signa Diagnostica.

Subiectum, figura, & magnitudo ulceris in oculo visui ferè patet. Si ulcus in cornea consistat, præcessit pustula alba, & in præsentia ulcusculum album apparet in nigro oculi, cum ob proprium corneæ colorem album, quod Ἀσφαιδὲς ejus terminatum album apparet, tum ob saniam albam sub cornea collectam. Si exulcerata sit tunica annata, punctum veluti rubicundum in albo oculi conspicitur, ob venas ejus tunicæ sanguine repletas.

Prognostica.

I. Ulcus corneæ tunicæ periculosius est, quàm annatæ, quod tamen ipsum etiam in adultis ægerrimè sanatur; & corneæ ulcus, quod è regione pupillæ consistit, adhuc periculosius est: quia post ulcus sanatum relinquuntur cicatrix opaca, quæ visionem lædit; aut si rumpatur tota tunica, fit effluxus humoris aquei, aut uveæ proidentia. Imò Platerus refert, se vidisse aliquan-

do quadriduo post inflammationem oculi in ulcus conversam ex utroque oculo humorem crystallinum effluxisse, & in barba hæsisse. Sed credibile est, non solum externas illas oculi tunicas, sed totum ferè oculum tum inflammatum fuisse.

*Humoris
crystallini
effluxus.*

2. Ulcus, quod foras rumpitur, nõ ita periculosum est, quàm quod intrò rumpitur; quoniam externa omnia tractari commodius possunt.

Indicationes.

Ut aliarum partium ulcera, ita etiam ulcus in oculo, indicat, solutam unitatem unendam; si quid imminutum, id regenerandum, & locum cicatrice claudendum esse. Hæc ut præstari à natura queant, (naturæ enim opus est, non artis, partem aliquam regenerare, conglutinare, & consolidare) Medici officium est, impedimenta actionis illius naturæ remove. Materia igitur fluens ad oculum est divertenda & evacuanda; sordes detergendæ; dolor, si adsit, mitigandus; nativa oculi temperies restituenda & conservanda. Atque ita, ut aliarum partium, ita & oculorum ulcera, imprimis requirunt detergentia & exsiccantia. Quantum tamen ad materiam medicamentorum, non parùm ab aliorum ulcerum medicamentis medicamenta in oculorum ulceribus differunt, ob differentiam naturæ ipsius partis. Cum enim oculus sit exquisito sensu præditus, ob ἐυαισθησίαν illam medicamenta sint lentia & temperata, sine asperitate & mordacitate, cujusmodi sunt, quæ primum in hac qualitate gradum

non excedunt. Quæ si simul adstritione careant, deurgendo quoque præderunt. Sordidis tamen ulceribus paulò valentiora adhibeantur, teste Galeno, 4. de compos. medic. secund. loc. cap. 3.

Curatio.

Universalia igitur, de quibus in ophthalmia diximus, præmittenda; simulq; medicamenta fronti & temporibus applicanda, quæ influxum humorum prohibeant, ex aqua rosarum, plantag. bolo Armeno, sanguine draconis, acacia, albumine ovi, & similibus. Hinc topica convenientia oculo imponenda. Et quidem si ulcus cum inflammatione adhuc sit conjunctum, ea conveniunt, quæ in ophthalmia sunt proposita. Cataplasma ex ovo integro cum rosaceo & vino tepidum, lana exceptum, siess album. Sequentibus diebus fomenta fiant ex rosis, meliloto, sænogræco, quibus nonnunquam semen papav. addere licet. Non minus enim doloris, quam inflammationis, habenda ratio. Ideoq; etiam dolorem lenientia admiscenda, quæ in siâ, cap. 23. de dolore oculorum proponitur. Admiscenda etiam ea, quæ aliquantulum detergunt & siccant, qualia sunt, sacchar. mel, crocus, myrrha, & collyria de olibano; quorum multæ reperiuntur descriptiones à Galeno, 4. de compos. medic. sec. loc. Paulo Aegineta, Aëtio, & Alexandro propositæ. In usu tamen frequentiore est siess de thure Rhasis, quod ad Almansorem describitur, paraturq; ex Ammoniaci, sarcocollæ, ana Drach. v.

thuris Drach. x. croci Drach. ij. quæ omnia excipiuntur mucilag. sænigræc. atque in collyrii formam rediguntur.

Utilis etiam est aqua è fragorum partibus tribus, sacchari parte una; ubi prius per octiduum in B. digesta, & postea destillata fuerint. Efficaciùs mundat myrrha, tutia, & tandem marubium.

Ubi autem ulcus solum est, nec est inflammatio vel dolor conjunctus, sed saltem illud duplex excrementum tollendum; tunc præcipuè desiccare decet cum aliqua detersione, quæ major vel minor esse debet, prout major vel minor sordium copia. Talia sunt, tutia præpar. corallium, aloë, sarcocolla, quæ commodissimè in nodulo è linteo raro in aqua euphragiæ, vel alia conveniente infunduntur, nodulusq; postea exprimitur. Purgans etiam ulcus hydromel, & sirupus de rosis siccis.

Ubi ulcus mundatum fuerit, adhibendum siess de plumbo Rhasis, primò in lacte muliebri, deinde cum aqua conveniente usurpatum. Utile est & saccharum ac oleum Saturni. Cicatricem etiam efficaciter inducit siess album Rhasis, Eleiser vocatum.

Vel sequens ex Thure:

℞. Thuris Drach. x.
gummi Ammoniaci.
sarcocollæ, an. Drach. ℞.
croci Drach. ij.

Cum succo sænigræci.

F. s. a. Collyrium.

Vel sequens de Plumbo:

℞. Plum-

R. Plumbi usti & loti,
 aris usti,
 rutia prepar.
 gummi tragacanth an. Drach. j.
 Cum aq. euphragie.
 F. Collyrium.

Vel *R.* Corallior rubr. prepar.
 C. C. usti prepar. an. Drach. j.
 cerussalota Drach. ℥.
 Antimon. crudi Drach. ℥.

Cum melle rosaceo,
 F. Linimentum.

Aqua Ophthalmica Crollij. Pertinet huic etiam Aqua ophthalmica cujus Crollius mentionem facit, & hoc modo paratur:

R. Succum chelidonia è fl. & foliis verno tempore collectum, eiusq; bonam quantitatem in B. digere, donec depuretur.

Deinde

R. Mense Iunio, Solis & luna in cancro coniunctis, (ali) malunt in plenilunio) Cancror. num. xx. & resectis extremis pedum & caudarum durioribus crustis, contundæ in mortario, ut succus inde exprimi possit, quem cum succo chelidonia depurato coniunctum destilla ex Balneo.

Quod si de uivæ procidentia metuat, statim albumen ovi cum globulo ex stippa cannabina, vel lana aquâ rosarum madida applicetur.

Habetq; Rhafes, cap. proprio, quatuor collyria, quæ in ulceribus oculorum, si quodque suo tempore applicetur, magnæ sunt efficacæ. Collyrium primum de thure ad maturationem & absterisionem est compositum. Mollit enim & maturat, quæ discuti neque-

unt. Siess secundum de plumbo generat carnem & ulcus explet. Siess tertium carnem perditam instaurat, uivæ exitum prohibet, & cicatricem extenuat. Siess quartum fortius adstringit & glutinat, ac imprimis utile est, cum metuitur, ne post ulcus magnum uvea procidat.

Dieta.

Dieta ex superioribus de Ophthalmia satis patet. Hoc saltem de decubitu notandum, ut æger in principio jaceat super latere sano, ne major affluxus humorum ad oculum fiat. Suppurato autem jam ulcere & rupto, super latere affecto æger cubet, ut facilius & promptius sanies effluat. Si tamen ulcus magnum sit, ut ruptura corneæ & effusio humoris aquei metuenda sit, supinum decumbere præstat.

CAPIT. XIX.

De Cancro Corneæ.

Interdum in cornea tunica etiam ^{Cancer} Cancer exoritur, ex materiæ melan- _{cornea.} cholice adustæ corruptione. Non multum dissimile malum est, quod Græcis *αθηρωσις* dicitur, ulcus scilicet *κακονησις* in cornea tunica, quandoque etiam in palpebra, quandoque in utraque.

Causæ.

Causa hujus mali est atra bilis, sequiturque hoc malum diurnas ophthalmias, quarum causæ atra bilis permixta est, & mulieribus, quibus menses subsistunt, accidit.

Kkkkk 2

Signa

Signa Diagnostica.

Cognoscitur hoc malum, quod ulcuscula nigra, parva, dolorifica, cicatricem non admittentia, venas lividas exiguas varicosas habentia apparent. Percipitur dolor, qui partibus vicinis communicatur & usque ad tempora extenditur, humorq; paucus, tenuis & acris effluit; dolor ad acriorum medicamentorum usum valde exasperatur; appetitus dejicitur.

Prognosticum.

Malum hoc plerumque, & ferè semper incurabile est, ac in vicinas partes serpit, agrumq; visu privat, & tandem mortem affert.

Curatio.

Et si verò malum ferè incurabile sit: tamen, ne ager omni auxilio destituitur, mitigatio quædam ejus & palliatio, ut loquuntur, tentanda est. Bilis atra videlicet evacuanda est epithymo, polypodio, lapide Lazuli. Eiusdem acrimonia & malignitas temperanda, quem in finem etiam lac exhibetur. Oculo imponitur & instillatur aqua mellis crocomixta, addito albumine ovi; de quo videatur Aëtius, *terrabil. 2. serm. 3. cap. 31.* Exemplum cancrösæ excrescentiæ ad pilæ quantitatem, & medicamenta ad ejus mitigationem adhibita, descripsit Forestus, *lib. 11. observ. 21.*

Interdum cancröfiales tumores totum oculum corumpunt, qui non, nisi excisione & extirpatione, curari possunt; cujus rei historiam notatu dignam habet Guilielmus Fabricius, *Centur. 1. observ. 1.*

CAPUT XX.

De Vulneribus Oculorum.

SI cornea vel annata vulnerata sit, *Vulnera sculorum.* Sprimo, si opus, evacuandum est totum corpus per phlebotomiam vel purgationem, prout usus postulat. Et imprimis venæ sectio necessaria in magnis oculorum vulneribus; cum vix aliud efficacius initio sit auxilium. Purgantia præcipuè bilem, usurpanda, ut & medicamenta bilem alterantia, refrigerantia, & caput respicientia; cum bilis aliorum humorum sit ad caput vehiculum. Statim verò ipsi oculo repellentia adhibeantur ex albumine ovi bene conquassato cum aqua rosar. cui pauxillum boli Armeni addi potest. Sequentibus diebus albumen ovi cum siess albo misceatur.

Vel *R. Album. ovor. ij.*

Conquassentur cum

aqu. tormentill.

rosar, an. Unc. j.

adde *alumin.*

croci, an. Scrup. j.

Misce.

Eadem repellentia temporibus & fronti imponenda. Ad inflammationem prohibendam, & dolorem leniendum, cataplasma ex meliloto, capitibus papaveris, croco, & pane imponi potest. In cataplasmatibus tamen adhibendis animadvertendum, ne oculorum pondere oneretur. Ideoque solum super palpebram imponenda, ut oculus aperiatur, & lachrymæ & fordes efflu-

effluere possint. Leniter quoque oculus detergendus, ne dolor inferatur. Postea addatur collyrio albo siess de plumbo, semper ejus quantitatem augendo, donec solo hoc ad ulcus carne implendum uti tempestivum sit.

Vel R̄. *Ceruss.*

amylis, an. Drach. ij.

thuris Drach. j. β.

sarcocolla;

ragacanthi an. Drach. j.

camphora Drach. β.

Infundantur in aqua rosar. hinc vase clauso in Balneo coquantur & colentur. Colatura usui fervetur.

Vel R̄. *Gummi Arab.* aqua rosar. dissol. Drach. iij.

cremoris rad. consolid. maior.

Unc. j. β.

pulveris subtilis thuris.

aloes lotæ, an. Scrup. j.

Vel R̄. *Sieff. alb. Rhasis s. opio* Drach. j. β.

aq. rosar. Unc. j. β.

albumin. ovor. Drach. ij.

rutia prep. Drach. β.

M. in mortario marmoreo vel plumbeo.

Post diem septimum magis siccantia & detergentia conveniunt, quæ faciunt, ne caro crassa, sed tenuis generetur.

Vel R̄. *Myrrh.*

sarcoll. lactenutrita, an. Drach. β.

rutia prepar. Drach. j.

mell. rosar. q. s.

F. Linimentum.

Valde commendatur & hoc:

R̄. *Bol. Armeni.* Unc. j.

rutie.

sang. dracon.

gummi Arab. an. Unc. β.

aq. rosar. lb. j.

In vitro clauso bulliant in B. M. vel vaporoso per horam. Postea adde

succi mali Punici Unc. j. & colentur.

Colatura ter & quater in oculum instilletur.

Vel R̄. *Moll. opt.* Unc. ij.

succiros. rubr. Unc. iij.

succin. Drach. β.

viridis aris Drach. j.

Digerantur in Balneo, & colentur, ac liquoris hujus guttæ ij. oculo saepe instillentur. Eidem liquori addi potest mucilago sem. fænigræc. & vitellus ovi unius, & cataplasmatibus loco oculo imponi. Ab Eustachio Rudio ad oculorum vulnera valde commendatur pars illa albuminis ovi, quam gallaturam vocant; de quo videatur infra, cap. 23. Imprimis verò ad oculorum vulnera sananda utilis est succus ille vel liquor, qui mense Majo in vesicis ulmorum reperitur.

Commendatur etiam hic aqua Ophthalmica Crollij, suprâ, cap. 18. descripta; & altera, quæ fit ex albumine ovorum ad duritiem coctorum, in Balneo liquecente.

Commendatur & oleum rubrum Saturni.

Tandem, ut cicatrice vulnus claudatur, siess Rhasis, Eleifer, ex usu erit.

Si cum oculi globo etiam palpebra vulnerata sit, cavendum, ne palpebræ cum oculo agglutinentur. Ideoque oculus interdum circumvolvendus si id commodè fieri possit, & oculo duplicatum vel triplicatum auri folium, vel subtilissima auri lamina imponenda.

CAPUT. XXI.

*Deruptura Corneæ.**Ruptura
Corneæ.*

Interdum vulnera tam altè penetrant, & ulcera tam profunda sunt, ut corneam tunicam totam erodant; interdum & ab aliis causis cornea rumpitur, ita ut humor aqueus effluat, & interdum ipsa tunica uvea procidat; de quo postea.

Causa videlicet rupturæ corneæ est vel interna, præcedens scilicet ulcus, aut magnus humorum affluxus, à quo oculus ita destenditur, ut medius crepet, & humores effundantur; cuius rei historiam annotavit Ambrosius Paræus, *lib. 6, cap. 13.* vel externa, ut punctura aut vulnus.

Signa Diagnostica.

Malum ipsum visui patet, præsertim si humor aqueus effluat, vel uvea procidat.

Prognostica.

Malum hoc quòd majus est, eò periculosius est. Si enim tantum sit, ut uvea procidat, plerumque malum incurabile est, ut postea dicetur; cùm non facile sit, uveam prolapsam intrò reponere. Si verò vulnus sit angustum, minus periculi habet. Et si enim humor aqueus effluat, & inde visus aboleatur: tamen aqueus humor regeneratur, quo instaurato visus etiam restituitur. Hujus rei exemplum habet Galenus, 4. *de sympt. caus. c. 2.* & Langius, *lib. 1. Epistola 7.* Antonius Benivenius, *de abdit. morb. caus.*

lib. 2, cap. 28. Colter, in *observ. Chirurg.* Atque ipse etiam tale exemplum observavi in puero, qui cùm cuspidè cultri oculum læsisset, ut humor aqueus efflueret, & cornea inde tunica nonnihil corrugarètur, visum illius oculi amisit: quem tamè paulatim humore aqueo restituto iterum recuperavit.

Curatio.

Cum vulnus partium solutarum unionem indicet, nulla alia cura rupturæ corneæ erit, quam vulnerum & ulcerum oculorum. Instilletur videlicet in vulnus penetrans corneam vel annatam ovi albumen cum tutia præparata mixtum. Et, ut uveæ procidentia præcaveatur, oculo fomentum imponatur ex adstringentibus sine asperitate, ut floribus rosar. foliis rubi, virga pastoris, polygon. coctis in vino adstringente, aut, si calor adsit, in aqua pura.

Vel cataplasma imponatur ex flor. rosar. & cydoniis in vino adstringente coctis cum acaciæ Scr. ij. & croci Scr. ß.

Valentiora sunt hypocystis, balauftia, gallæ immaturæ.

Vel tale Collyrium paretur:

℞. Aloë lotæ,

tutia prepar.

sarcocoll. an. Scrup. ß.

spica,

croci,

sacchar. Saturni, an. gr. v.

Antimonij Scrup. j.

Cum mucilag. tragacanth. & fœni-gr. F. Collyrium.

Alii hoc commendant:

℞. Aq. consolid. Unc. iij.

gummi Arab.

thuris

ihuris, an Drach. j.

oculor. cancri Drach. β.

balauft. Scrup. j. M. super igne

& colentur. Colatura oculo instilletur.

CAPUT XXII.

De Suggillatione Oculorum.

Suggillatio
oculorum.

Quam Suggillationem oculi, vel maculam ejusdem rubeam appellant, Avicennæ Altarfati est, Græcis ὑπόφαγμα, ὑπόχυσος αἱματώδης & αἱμαλωψ. Galeno etiam ὑποφάλλμιον, nonnullis ὑπόπτον vocatur per ω & scriptum, quod alitamen de faciei potius, & partium cavarum sub oculis, quæ ὑποφάλλμια Hippocrati sunt cruenta exitu vel lapsu suffusione exponunt.

Est igitur hoc malum ex genere τῶν ἐκχυρωμάτων; teste Galeno, *initio 5. de comp. med. s. l.* quæ fiunt, quando circa cutem vasis contusis aut ruptis sanguis in spacia circumjacentia effunditur; & quidem non acervatim, aut ex grandioribus venis per διαίρεσιν & ἀνωσόμεωσιν exit; sed lentè per ἀεπίδησιν, vel ἀνωσόμεωσιν è minoribus, transfusionis specie, ubi & progressu temporis livescit & denigratur. Ita suggillatio oculi est sanguinis ex ictu vel lapsu, ruptis aut cōtusis, vel alio modo apertis, in oculorum tunicis, annata vel cornea, in easdem effusio; colore primum rubeo, postea livido vel nigro; quem mortuū tum sanguinem appellant. Cui malo & hoc accidit, ut, si cor-

neam magis occupet, objecta omnia colorem ad rubrum vergentem præ se ferant. Nam & ad corneam venulæ porriguntur, eâ parte, qua iridem spectat; & ex vicinis vasis sanguis in eam effundi potest. Et quidem sanguis ille interdum in aňatam, interdum in corneam, interdum in utramq; effunditur.

^{USA}
Caratto.

Causa contusionis & ruptionis in his tunicis plerumque est externa, videlicet ictus aut plaga, aut clamor vehemens, vel tubarum inflatio, ob quam venæ tensæ aperiri possunt; nonnumquam etiam interna, vasorum scilicet repletio à sanguinis copia, ut effusio ejus fiat, aut sanguinis ipsius fervor & acrimonia, ut per vasorum anastomosis ita excidat.

Differentiæ hujus mali sunt, quod suggillatio alia recens est, quæ rubro colore apparet; alia antiqua, quæ livido, fusco, vel nigro. Sanguis enim extra vasa effusus, & proprio colore & spiritu destitutus, primò livescit, postea fit obscurus.

Signa Diagnostica.

Malum hoc visu deprehenditur. Si à causa sit externa, ab ægro id cognoscitur; si ab interna, abest externa. Et quidem à sanguinis copia color maculæ rubeus erit; si à fervore sanguinis, ad citrinum verget. Et dum cornea suffusa est ægris, quæ cernunt, rubra esse videntur.

Prognostica.

1. Malum hoc non difficulter in initio curationem recipit; quoniam vitium

vitium vasorum in oculo exiguum est.

2. Sanguis extra vasa effusus tandem corrumpitur & nigrescit, agerrimeque discutitur.

Curatio.

Sanguis è vasis effusus discutendus est. Ideoque si major ejus affluxus metuatur, venæ sectione & purgatione, si opus, præmissâ, principio parum de adstringentibus discutientibus permiscendum, ne sola discutientia plus sanguinis è vasis attrahant; qualia sunt, aqua fragorum, rosar. salic. caprifolii, plantaginis, myrtilorum.

Ubi autem effusio jam subsistit, & venæ ad suam naturam redierunt, sola discutientia conveniunt. Atque hæc ipsa inter initia, dum malum recens est, leniora esse debent; cum sanguis, qui effusus est, nondum conversus sit in grumum, sicut hac de re docet Galenus, *s. de compos. med. s. l. cap. I.*

In validiorum deinde usu caveatur, ne acrimoniâ suâ apertis venarum osculis sanguinem majore copia proluciant.

Galenus ergo fotum initio usurpat ex decocto fœnigræci & meliloti. Deinde collyrium Nili, *in 4. de compos. med. s. l.* quod primum excipit aqua, ad inflammationem inhibendam, postea decocto meliloti & fœnigræci, ad sanguinem, qui effusus est, discutendum. Venis tandem per adstringentium usum clausis, fomentum probat è solo fœnogræco, spongianitem infusam in melle, & collyr. è myrrha cum decocto fœnigræci.

In 4. de compos. med. s. l. cap. 8. statim in initio mali sanguinem columbinum, eum præsertim, qui ex teneris pennis exprimitur; (alii apertâ venâ sub ala sanguinem extrahunt) instillare jubet, tum ad inflammationem compescendam, tum ad sedandum dolorem; quo tempore & albumen ovi probat. Postea ad vitellum ovi accedit cum vino, & ad melilotum cum vino. Potest & columbarum sanguis tum adhiberi, qui ob sale, qui ei inest, etiam vim discutendi habet. Utilis etiam est sanguis palumborum, turturis, & hirundinis. Valet & lac muliebre calidè cum modico thure instillatum, & brassicæ folia cocta atque trita cataplasmaticis forma imposita, & caseus recens parùm salis, qui mixtam habet facultatem, emplasticam quidem ex se ipso, discutientem verò, & non nihil adstringentem ex sale, ut non absurdum sit eo in principio uti, teste Galeno, *in initio s. de compos. med. s. l.*

Inveteratum malum & nigrescens fortiora remedia postulat, ut succum raphani, succum absinthii vel hyssopi, vel origani cum melle, myrrham, nitrum. Galenus ex Archigene hyssopicomam tritam, & linteo panniculo seu nodulo illigatam in ferventem aquam demittit, nodulumque postea oculo tepidè admover. Ita enim cruor elicitur ad eò, ut linteolo adhæreat. Idque etiam verum esse, se expertum scribit Johannes Riolanus. Commendatur & absinthium recens cum lacte muliebri & aqua rosar. cataplasmaticis forma impositum. Succum etiam radicis sigilli

*Hyssopi fasci-
culas.*

ſigilli Salomonis, ſeu ex recenti radice, ſeu ſicca vino macerata expreſſum, ſeu ipſam radicem contuſam, ſuggillationes feliciter curare, ſupra diximus. In declinatione morbi etiam fel avium adhiberi poteſt, & fel vulturis imprimis, & fel arietis valde commendatur, ut & crocus, myrrha, aloë. Exmpl. gr.

℞. *Croci* Drach. ℞.

Teratur cum *vini albi* ℞. q. adde *myrrha* Drach. j℞.

Iſterum terantur, donec conſiſtentiam linimenti acquirant;

Cui add. *mellis virginis* Drach. ij.

M. pro linimento, quod linteo inunctum oculo imponatur, & ter quotidie renovetur. Nonnulli ſinum columbinum in cinerem comburunt, quem cum aceto ſubigunt & exſiccant, ac rurſum cum ſucco ſœniculi, vel morſus gallinæ temperant & imponunt. Plurimum etiam commendatur Aqua fragorum viridis, quæ hoc modo paratur:

℞. *Fraga bene matura* q. v.

Madantur pelvi aurichalceæ vel cupræ, ut ultra medium repleatur, adſpergantur ſale trito, & cooperta in cellam per octiduum collocentur, & appenſo in patellam inclinatam filo laneo aqua viridis in ſubjectum vas recipiens colligatur; de quo liquore mane & veſperi gutta una oculorum angulis inſtilletur. Avicennas in contumaci malo aſcendit ad medicamentum ex una parte ſinapi, & duabus caricarum confectio. Laudant & nucem rancidam atque oleoſam cum melle ſubactam, de qua aliquid in oculum immit-

tunt, repetendo ternis ſemper horis. Commendatur & aqua vitis, quæ veno tempore ex palmitibus præciſis exſtillat. Ad antiquam ſuggillationem diſcutiendam utilis eſt & radix ari rafa, & cum melle ſubacta impoſita.

CAP. XXIII.

*De Dolo-
re Oculo-
rum.*

CUM morbos, qui duræ & cornæ tunicæ accidere ſolent, jam abſolverimus, proximum eſt, ut ſymptomata, quæ in iisdem contingere ſolent, addamus; quæ ſunt dolor & color vitiatuſ. Verum cum de colore, *cap. præced. & 18.* dictum ſit; hoc capite de dolore oculi tractabimus, qui etſi vulgo toti oculo tribuatur, ipſi tamen præcipuè ob tunicas externas convenit.

Eſt videlicet Dolor oculorum triftis eorum ſenſatio à ſolutione continui membranæ annatæ & cornæ. Cauſa ſolutionis continui eſt vel interna, vel externa. Interna eſt humor, vel copia vel acrimoniâ continuum ſolvens; quò plerique etiam referunt ſpiritum flatuoſum. Externæ cauſæ variæ ſunt, iſtus & percuffio, ventorum flatuſ, præfertim borealium, aerque nimis calidus vel frigidus, pulvis, ſumuſ, arenulæ, feſtuçæ, animalcula, vapor & ſuccuſ corpæ, allii, & ſimil. quæ cauſæ pleræque in ophthalmia ſunt propoſitæ; cum dolor plerumque ophthalmiæ ſit ſymptoma.

Signa Diagnostica.

Et quidem ipse dolor & relatione ægri patescit. Ex relatione ejusdem causæ externæ innotescunt. Causa verò internæ iis signis, quæ supra de Ophthalmia fuerunt proposita, patesciunt.

Prognosticum.

Dolor oculorum acerbissimum malum est; cumque majoris affluxus sit causa. Ophthalmiam auget, & sæpe cæcitatæ autor est. Idem vigilas excitat, viresque valde dejicit.

Curatio.

Itaque etsi commodissimè tollatur dolor sublata causâ, à qua pendet, & proinde doloris oculorum eadem ferè curatio sit, quæ ophthalmiæ: quia tamen dolor sæpe urget, tum principali morbo non nihil posthabito, aut certè antequam is planè tolli possit, statim, factâ aliquâ evacuatione & diversione, de dolore mitigando cogitandum est; Adhibendam videlicet albumen ovi exactè conquassatum; vel solum, vel cum aqua rosarum, aut lacte muliebri mixtum. Et imprimis pars illa albuminis, quam Itali Gallaturam, Germani das Rôpchen nominant, usurpanda, quæ ex pluribus ovis colligenda, ut ejus sufficiens copia haberi possit, quam valde commendat Eustach. Rudius, *Pract. lib. 1. c. 20. Ad mirabilissimum*, inquit, *tum in dolore, cum in vulneribus oculorum est. remedium illa pars albuminis, quam Gallaturam vulgò appellant, qua debet exactè prius conquassari. Hoc remedium bonus quidam Practicus, qui eo solo omnia o-*

culorum vulnera ferè curabat, Dei virtutem appellabat. Lac quoque muliebrevel asininum recens. mulsium oculo instillari, vel, quod tutius, supra oculum imponi potest. Non diu tamen, ut supra etiam dictum, in oculo relinquendum, sed singulis horis innovandum, ne morâ corrumpatur, acescat, acriusque evadat.

Utile est & pomum dulce maturum cum saccharo coctum & oculo applicatum.

Vel sumantur

pomi dulcis assati Unc. ℥.

camph. gr. xv.

croci gr. v.

Et cum aqua rosarum & lacte fiat Cataplasma.

Prodest & mica panis albi in lacte muliebri infusa, addito momento decoctionis papaveris, vel emulsionis sem. papaveris: vitellusitem ovi cum lacte & aqua rosarum, vel ovum integrum cum aqua rosarum contusum. Et decoctum sænigræci, quod Galenus parare docet, in 1. de med. facil. parab. cap. 10. medicamentum item ex ovi luteo, mica panis, & ol. rosaceo. Cavendum tamen, ne oleum oculos ingrediat, quod dolorem auget.

Valentiora sunt, succus vel decoctum lactuæ, solani, rad. vel pomor. mandragoræ, capit. papaver. albi, emulsio sem. papav. albi, facta cum lacte muliebri, opium, sive album cum opio. Sed Avicennas opiatis non, nisi in acerbissimo dolore, utendum censet, ex materia subtili & corrodeute, ubi syncope & virium extrema dejectio metuitur.

Dolorem oculi mitigantia.

In quo tamen casu usus talium moderandus est, quòd visionem vehementer lædant, teste Galeno, 3. m. m. cap. 2. & 12. m. m. cap. ult. Et omnino præstat fluxionem ab oculis avertere per venæ sectionem, purgationem, & aliis modis; cum opiata sæpe sine istis auxiliis adhibita dolorem potius exasperare quam lenire compertum sit: cujus rei exemplum refert Christophorus à Vega, Art. med. lib. 3. sect. 2. cap. 1.

CAPUT. XXIV.

De Pure sub Cornea.

Cum pus sub cornea ante uveam vel crystallinum colligitur, ut visus impediatur, Græcis appellatur *ὑπόπυον* per o & u. scriptum. Fit etiam aliquando, cum ab ulcere profundiore pus defluens, & inter tunicas delatum in circuitu iridis figuram unguis refecti refert, atque tum *ὄνυξ*, unguis, nominatur: nonnulli à similitudine, quam habet, semicirculi, Lunellam nominant. Fit autem *ὑπόπυον*, dum tumor sive corneæ, sive uveæ in abscessum degenerat, ut materia purulenta ex loco consistat. Aëtio non solum ex effuso & suppurato per inflammationem sanguine fit, sed etiam citra inflammationem & exulcerationem, ubi dolor capitis, aut lippitudo, aut suggillatio præcessit. Si enim sanguis suppuretur, dolor exoritur, qui prius non aderat, & oculus quodammodo inflammatur, ac color sanguinis in albedinem mutatur.

Signa Diagnostica.

Si pus inter uveam & corneam continetur, exactius illud conspicitur, & affectus oculus sano eminentior apparebit. Pus autem esse, cognoscitur ex præcedente inflammatione, lippitudine, aut suggillatione. Moto etiam & concusso capite aut oculo pus manifestè sub cornea simul commovebitur. Visus quoque solet intercipi, adestque dolor pulsatorius, & color oculi rubeus.

Curatio.

Indicatio curativa est, pus evacuandum esse. Aëtius igitur, *retrab. 2. sermon. 1. c. 28.* præmissis universalibus collyriis utitur ad inflammationes destinatis, in principio scilicet, cum materia ad pus tendit; quæ cum albumine ovi aut lacti instillat. Exacto tertio die fomenta adhibet per spongiam vel linteum leniter discutientia. Quæ enim vehementer discutunt, & exsiccant, quòd tenuius est, evacuant, quòd crassius, relinquunt & indurant, ut resolvi deinceps nequeat. Juber etiam vitare adstringentia. Itaque probantur collyria ex melle, myrrha, croco fellibus animalium cum succo fœnigræci, fœniculi, fumaricæ; item collyrium album de thure. Commendatur quoque radix cucumeris asinini cum melle in cataplasmatibus formam redacta & imposita; ut & farina fabarum cum melle subacta. Utilis est & nux rancida cum melle trita; ut & hyssopus & origanum. Efficax est etiam oleum de linteaminibus, quòd & ad oculos exulceratos commendatur.

℞. *Linteam purum novum & vitri pellucidi pulverisati* q. s.

F. s. s. s. in cucurbita ad dimidium eam replendo, & in cineribus destillentur. Oleum guttatim oculo instillandum. Idem præstat oleum papyri, utpote ex eadem materia factum.

℞. *Croc.*

aloes,

myrrh. an. Drach. j.

vini Drach. iij.

mellis Drach. vj.

Dissolvatur crocus in vino, deinde cum aloë & myrrha misceantur, tandem mel addatur, de quibus in curatione suffusionis dicitur.

Ubi resolventia non suffecerint, alia præsidia tentanda. Apud Galenum est, *in sup. 14. m. m.* quod etiam Aëtius repetit, Medicum quendam Romæ, Jussum, capitis concussionibus loco suo dimovere solitum, ne visioni obesseret. Aëtius acur obliquè sive à latere immisissus per puncturam corneæ educit, post albumen ovi instillat, ac deinde ovum integrum cum vino mulso conquassatum, & mollilana exceptum oculo imponit. Vide Aëtium, loco allegato.

CAPUT. XXV.

De Uveæ procidentia.

Uveæ procidentia.

Postquam corneæ & annatæ tunicæ affectiones p. m. explicavimus, jam uveæ vitia explicanda veniunt. Inter quæ primò occurrit Uveæ procidentia, quæ *περόπρωσις*; tunicæ *εργαειδής*; vocatur. (Nam alia *περόπρωσις*; totius o-

culi est, de qua postea dicitur.) Est autem situs præter naturam illius tunicæ à soluta unitate corneæ proveniens. Solvitur continuitas vel per vulnera, vel per ulcera, ut antea dictum. Differentiæ sive species mali hujus quatuor recensentur ex Ægineta, prout major vel minor uveæ portio procidit, & ruptura illa callum contrahit, vel non. Si enim parva uveæ portio procidat, *μυιοκέφαλον* dicitur, quod formam capitis muscæ habeat: si verò major portio excidat, ut acini uveæ figuram referat *αφύλωμα*: si maxima pars, & usque ad palpebras excidat, *μηλον*, id est, Pomum: si tandem callosa facta fuerit, *ήλθ*, id est, clavus, dicitur. Si una cum uvea etiam portio quædam corneæ egrediatur, Avicennæ Orbicularis ruptura Corneæ vocatur. Estque similis extremitati fusi, quo fila ducuntur, cui spondylus sive armilla sua est præfixa.

Signa Diagnostica.

Uveæ procidentia facile visu dignoscitur. Quomodo verò procidentia uveæ à pustula superficiali corneæ differat, supra in signis pustularum oculi dictum. Nam pustula superficiali undique nigra cernitur, & exactè rotunda est, nec pupilla divulsa apparet, ut in uveæ procidentia.

Prognostica.

1. Hoc malum, testibus Græcis & Arabibus, agrè admodum curatur; quia non facilè est, uveam intrò repellere, & ruptam corneam unire.

2. Mi.

2. Minus periculi est in ea proci-
dentia, quæ *μυϊοκέφαλον* dicitur, quàm
in ea, quæ *αφύλωμα*, præsertim si
nonnihil sit inveterata. Cætera ferè
incurabiles sunt.

Curatio.

Medicamenta hîc locum habent ad-
stringentia sine asperitate, qualia supra
de Rupturâ corneæ propolita. Quæ
species Prociidentiaæ deteriores & inve-
teratæ medicamentis non cedunt, eas
Paulus, Aëtius, & Celsus ferro tentan-
das esse censent, saltem ad imminuen-
dam deformitatem. Quod quomo-
do commodè fieri debeat, docet Pau-
lus, *lib. 6. cap. 19.* Aëtius, *tetrabibl. 2.*
serm. 3. cap. 35. Celsus, *lib. 7. cap. 7. sub*
titulo de αφύλωματι οculi. Sed Avi-
cennas metuit, ne materia ad sanum
oculum feratur, præsertim si illè natu-
rà sit imbecillior, & exquisito sensu
præditus. Ideo à ferro potius abstin-
endum censet. Vide Hieron. Fabric.
aq. Aquapendente, *de operat. Chirurg.*
tit. de staphylomate. Refert etiam Rio-
lanus, Pater, in Practic. sua, se vidisse
intra oculum palpitationem, quæ nul-
lis remediis curari potuit: quæ procul-
dubio motus depravatus uveæ tunicæ
fuit.

CAPUT XXVI.

De Pupillæ Dilatatione.

Pupilla di-
latatio.
Galenus, *1. de symptom. causis, cap. 2.*
Pupillæ, quæ foramen uveæ est,
speciebus visibilibus transmittendis de-
stinatum, quadruplex vitium recenset:

ejus dilatationem, Imminutionem, in
aliquam partem Detorsionem, & deni-
que Rruptionem. Pupillæ dilatio-
nem & angustiam quod attinet, debet
pupilla seu foramè ita constitutū esse,
ut non nimis sit amplum, ne externum
lumen nimis copiosum admittat, nec
etiam nimis angustum, ut species visi-
biles commodè admittat. Per pupil-
lam verò nimis amplam lux peregrina,
& quæ objecta debita non vehit, in-
grediens obliterat imagines, facitque,
ut repræsentatio debilior fiat. Ideoq; à
natura ita oculi fabricati, ut pupilla
dilatari & constringi possit: & contra-
ctionis quidem duplex usus est; prior,
ut arceatur lumen superfluum ab oculi
partibus interioribus, quas præstat esse
obscuras, quàm nimis illuminatas. Sic
enim imago rerum apparet illustrior.

Alter, ne lux nimia oculum corrup-
pat; ratione illa, qua calor etiam inten-
sissimus excitari potest vi refractionis
ob coeuntes radios ad perpendicula-
rem refractos in uno puncto, ut optici
demonstrant. Dilatatur contra in lo-
co obscuro pupilla, quia nullum adest
lumen, quod species obliterare, vel e-
videntiam visionis infringere possit;
deinde quia sic plures radii unius pun-
cti radiantis recipiuntur in oculum,
qui quando in vertice conieo eunt, spe-
ciem reddunt illustriorem, quod, ut
melius, natura semper appetit. Hoc
loco tamen observandum, pupillam
non solum constringi in loco illumi-
nato, sed etiam in tenebrososo, si ex illo
lucidum valde corpus adspiciatur.
Nam, ut modò dictum, & species ni-
mis lucidæ oculo noxiæ. Esti. verò
aliter.

aliter alii hærere docent, & alii quidem foramen nimis angustum impedire exitum radiorum scribunt, ob amplum verò nimis dispergi radios putant: tamen falsa hæc est opinio, quæ præsupponit, visionem fieri radiorum emissione. Alii verò spiritu animali, qui ad oculum confluit, amplam pupillam minus commodè repleri posse existimant. Veruntamen commodior est sententia antea proposita, quæ pupillæ dilatationem & constrictionem visui obesse scribit, ob luminis externi majorem vel minorem copiam, quæ pro angustiore vel ampliore pupillæ foramine majore vel minore copia admittitur; qua de re in *Institut. lib. 1. cap. 12. & lib. 2. part. 3. sect. 2. cap. 3. dictum.*

Pupillæ autem dilatatio, Græcis *μυδριασις* peculiariter dicitur, quasi *ἀμυδριασις*, ab *ἀμυδρῶς ὄρα*, ut erymon faciunt, hoc est, à visione obscura. Pupillæ enim dilatatio semper visui incommodat, sive ab ortu sit contracta, sive post accesserit. Angustia pupillæ non semper, sed quæ naturalis est, potius ad acumen visus facit. Dicitur & pupillæ *ἀνῆσις* & *πλατυκοεῖα*, ab ampliatione pupillæ. Morbus est in vitata conformatione, hoc est, in via sive meatu præter naturam dilatato, quando scilicet pupilla seu foramen illud, quo uvea tunica ad speciem visibiles admittendas donata est, ita præter naturam versus iridis circulum ampliatur, ut visio hac de causa lædatur. Fit enim tum imbecillior visio, atque æger etiam ex mediocri intervallo objecta non exactè cognoscit. In

clara etiam luce non satis acutè videt. Cujus rei causam quidem, ut modò dictum, nonnulli esse dicunt, quòd amplius pupillæ spatium non ita impleatur à spiritu animali, prout opus erat, & quod spiritus animalis dispersus radios procul emittere nequeat. Sed male hi præsupponunt, quod visio fiat spirituum emissione. Causa verò hujus rei est, quod externi luminis copia nimia in oculos per pupillæ foramen amplum admittitur, quæ visioni officit; unde etiam, qui exactè aliquid inspicere volunt, oculis connivent. Errat verò hic quidam, qui multo lumine externo opus esse putat ad perceptionem minutissimarum specierum visibilibum. Experientia enim contrarium docet, qua constat, ad perceptionem specierum in pariete obscuratæ camerae nullo planè opus esse externo lumine, excepto illo solo, quod species & colores per foramen devehit, & in parietem statuit. Lumen enim, vehiculum specierum, coloresq; illustrati, radiant ut lux ipsa, ut ex opticis constat. Ergo externum lumen multum, quod diluit imagines magnas in obscurata camera, exiles imagunculas planè visui eripiet. Errandi autem causa hæc illi fuit, quod specierum visibilibum ab objecto visibili reali radiantium representationem confundit cum specierum propagatarum ab objecto, in quo intentionales & apparentes solum depictæ imagines, perceptione. Nemo enim in opticis paulùm versatus ignorat, literas in papyro existentes expressas realibus colorib⁹ clariùs & evidentiùs cerni multo lumine præ-

præfente, literarum autem imagines parvas in obscurata camera in papyro albo depictas ed obscuriùs, quò plus luminis cameram ingreditur; clariùs, quò minùs, videri.

Causse.

Causa dilatationis pupillæ alia nativa est, ubi à primo ortu contractum est hoc malum; alia adventitia: atque hæc vel interna, vel externa. Interna proxima Galeno, 1. de *sympt. causis*, cap. 2. est tensio uveæ tunicæ. Tenditur autem uvea vel per se, ob inremperiem siccam, citra humoris aquei consumptionem, à vigiliis diurnis, febribus, ac similibus exsiccantibus; non aliter, atque perforata coria, cum exsiccantur, patentiora foramina acquirunt; quo simili Avicennas rem declarat: vel per accidens, à subdito spiritu vel humore in modum utris inflata aut distenta; quod & ab aqueo oculi humore supra modum aucto fieri posse docent. Avicennas etiam à tumore seu apostemate uveæ illam extendente. Aëtio simpliciter est allapsus humorum, qui aut acervatim, aut paulatim ad oculum feruntur, & citra sensum uveam distendunt, ut pupilla dilatetur.

Externa causa est ictus aut casus ab alto, cujus vi uvea tunica vel tenditur, vel planè rumpitur. Ad quas etiam referri potest anhelitus retentio in parturientibus, ut docet Avenzoar, *lib. 2. tr. 8. cap. propr.* quia in anhelitus illa retentione & enixu spiritus multi ad oculos confluant; qui etiam humores & flatus ad oculos impellunt. Accidit hoc malum pueris magis propter tuni-

carum debilitatem; iis quoque, qui magno habent oculos.

Facere etiam potest ad amplitudinem vel angustiam pupillæ diuturna in loco lucido, vel opaco mora. Si quis enim diu in loco tenebricoso moretur, pupilla perpetuò dilatatur, & in eo situ permanet, ut postea in lumine iterum contrahi nequeat.

Verùm de siccitate, quam modò inter causas dilatationis pupillæ retulimus, inter autores controversia est, & dubitatur, an illa pupillæ dilatationem inducere possit. Galenus equidem, *loco allegato*, hanc causam proponit: verùm eam prætereunt Aëtius, Ægnetæ, Auctuarius. Et Rhases, 2: *Contin.* Galeni opinionem rejicit: videturque ratio ad stipulari; siquidem siccitas potius videtur constringere & coardare, quàm dilatare. Verum notandum, uveam posse humectari & exsiccari vel ut pars similis est, vel ut organica. Humectatur ut pars similis, quando per totam substantiam ipsius tunicæ diffunditur humor; ut pars verò organica, quando meatus saltem & foramen uveæ repletur humore. Contra exsiccatur ut pars similis, quando tota substantia uveæ exsiccatur; ut pars verò organica, quòd humiditas meatibus inclusa absumitur. Itaque si uvea tunica ut pars similis humectatur, fit pupilla angustior; quia tota uveæ substantia humectata, & in ampliorem mollem extensa coardat foramen uveæ: si verò humectatur ut pars organica, seu potius si meatus ille humoribus opletur & distenditur, pupilla quoque dilatatur: Sin exsiccatur ut pars organica.

organica, seu potius si humor in meatu absumitur, ille in se concidit, & hinc foramen uveæ amplius redditur, sicut coria & alia corpora exsiccata dehiscere interdum videmus.

Differentia.

Differentiæ hujus mali sunt, quod alia dilatatio parva est, non multum excedens limites naturales; alia magna, ut iridis etiam circulum contingat: alia per *ιδιοπάθειαν* genita in oculo, alia per *συμπάθειαν* capitis ex vehementi ejusdem dolore, aut alia affectione.

Signa Diagnostica.

Malum hoc oculis intuentium patet; præcipue si Medicus antea oculos ægri inspexerit. Si verò, quæ latitudo pupillæ oculi sani fuerit, Medico notum non est, videndum, an visus simul cum latitudine pupillæ lædatur. Commune enim accidens est, quod minus acutè vident, & quòd visibilia grandiora apparent, sed indistinctè. Et si duo statuuntur in uno loco luminoso, alter sanus, alter oculis æger, sani pupilla plus arctabitur, quàm ægri. Accedit, quod tales homines, cum aliquid intueri volunt, oculos non nihil comprimunt, & veluti connivent. Promagnitudine autem dilatationis visus plus, vel minus offenditur. Præterea videndum, an una saltem sit dilatata, an utraque. Nam si una saltem sit dilatata, certum est, eam affectionem morbosam esse: si verò utraque pupilla sit ampla, alterius oculi pupilla conside-

randà. Si enim altero oculo clauso altera adhuc magis dilatatur, amplitudo ea naturalis est: si verò non dilatatur, est præternaturalis; quia jam præternaturam pupilla ita dilatata est, ut amplius dilatari non possit.

Causarum signa ex affectionibus præcedentibus haud difficulter cognoscuntur.

Prognostica.

1. Natiua pupillæ dilatatio incurabilis, teste Avicenna; adventitia ægrè curatur. Nam conformationis vitium in hac parte ars corrigere non potest, & membranosum uveæ tunicæ corpus semel tensum induratur, ut non facilè ad naturalem statum redeat, teste Aëtio.

2. Dilatatio pupillæ ex siccitate orta difficulter admodum curatur; quæ verò ex humiditate, non ita difficulter. Galenus, *1. de sympt. causis, cap. 2.*

3. Si post capitis dolorem vehementem magna sequatur pupillæ usque ad iridem dilatatio, exigua sanationis spes est, ob immodicam materiæ copiam.

4. Quæ à percussione oritur, incurabilis est, si uvea sit lacerata. Curatio verò aggredienda, ubi solùm uvea tenditur ab humore subjecto.

Indicationes.

Quoniam pupilla ultra modum naturalem dilatata est, indicatur remedium foramen contrahens. Si autem à causa presente fovetur malum, eaque sit siccitas, humectandi oritur indicatio:

io: si humor aut status tendens, is divertendus & evacuandus est.

Curatio.

Græci & Arabes, dum malum ab humiditate est, & corpus plethoricum, venam secant in cubito; idq; ideo, ut sanguis ad oculum confluens revellatur. Postea etiam venas temporum, & venas in angulis oculorum, ad causam proximam derivandam. Profunt & cucurbitulæ in occipitio, & hirudines post aures applicatæ; frictions item deorsum factæ, & alia universalia, quæ in affectibus oculorum adhiberi solent. Instituat quoque purgatio humoris peccantis, si opus, ut hæc tænus dictum. Postea usurpentur materia illam solventia, & uveam leniter adstringentia. Resolvunt aqua marina, in quam facies apertis oculis aliquandiu immittatur; aut, si marina desit, parum salis misceatur aquæ, aut posca aquosa usurpetur, jubente Aëtio. Leniter adstringunt rosæ, wardus, crocus, pompholyx, spodium, item collyrium ex rosis, croco, corticibus thuris, acacia.

Vel ℞. Rosar. rubr. succar. Scrup. ij.

croci,

spica,

cortic. thuris, an. Scrup. β.

rut. prepar.

spodij,

acacia, an. Scrup. j.

In pulverem redacta ligentur in nodulo pannilinei rari, & nodulus conciliatur in aquæ rosar. Unc. ij.

Tempore ut us nodulus fortiter exprimasur, & aqua ista oculo instilletur.

L. I.

Vel ℞. Gummi Arabic.

tutia,

sandaracha Arab.

tragacanth. an. Drach. ij.

boli. Armeni Unc. β.

sem. lini,

cydonior.

croci, an. Drach. j.

succi granat. è toto Unc. jβ.

aq. rosar. ℥. β.

Macerentur omnia in loco calido per noctem, postea ebulliant hora dimidia, & colentur.

Si a multis sit flatibus, ut tubicini- bus nonnunquam accidit, illi discuti- antur. Addenda adstringentia, quæ robur parti adjiciant, ut si fetus fiat ex decocto sem. fœnicul. fol. rutæ, aneth. flor. rosar. cimicis rubi, fol. myrti & hyperici, quæ decoquantur in aqua rosar. vel myrti, admixtâ vini albi parte quartâ.

Si malum sit à siccitate, probantur humectantia, in quibus optimum est lac caprinum recens infusum in vasculum oculo excipiendo idoneum, ut oculus aliquandiu in hoc detentus mol- liter foveatur.

Ubi à percussione ortum est malum, estq; læsio non magna, atque abest inflammatio, facilis est curatio cum em- plastro de farina fabarum, fol. plantag. flor. rosar. quod in principio ad reper- cutiendum valet; postea cum empla- stro de farina fabarum Rhafis, quod magis resolvit. Ratione verò mate- riæ, quæ fluxit, Avicennas sanguinem turturis vel columbarum in oculum instillat, ac tandem ad dissipandum collyrio è myrrha & fellibus utitur.

M m m m m

Si

Si cum vulnere sit & ruptura uveæ, non curatur. Major tamen affluxus prohiberi potest venæ sectione, materiæ derivatione ac repulsione, & denique oculi roboratione.

CAPUT. XXVII.

De Angustia Pupillæ.

Angustia
Pupillæ.

Diminutio vel constrictio Pupillæ, Græcis *μύωσις*, vel, ut Galenus, 10. de usu part. cap. 5. nominat. *μύωσις τῆς κόρης*, (nam atrophîa toti oculo tribuitur) est angustia præter naturam foraminis uveæ, qua visio læditur.

Est videlicet morbus conformationis, scilicet in viâ, quia foramen illud pupillæ angustius est redditum, quam naturaliter debebat.

Quomodo autem visus lædatur in pupillæ angustia, non ita planum est. Galenus, 2. de sympt. caus. cap. 2. saltem visum aboleri scribit. Avenroës, 3. Coll. cap. 28. visum imminui docet. Oribasius verò, Aëtius, Paulus Aegineta, & Actuarius, etiam visionem depravari, & res majores videri, quam reverà sunt, scribunt. Quam Græcorum sententiam plurimi etiam ex Practicis secuti sunt, & in causa hujus Symptomatis reddenda variè laborarunt. Visà est & mihi olim probabilis. Sed experienciâ & opticis principis edoctus jam sentio, in pupillæ amplitudine nimia res quidem grandiores, non tamen majores, quam reverà sunt, videri: minus tamen distinctas in clara luce; cum nimia luminis

copia simul ingrediens species non nihil obliteret: contra in pupillæ angustia res quidem visibiles distinctè representantur; sed minutissimæ, & quæ à lateribus sita sunt, non videntur; cum eorum imagines per foramen angustum ingredi non possint: & contra in amplitudine pupillæ, etiam in moto capite, ea non solum, quæ recta oculis opponuntur, sed & quæ ad latera sunt, videatur.

Causa.

Causa proxima est contractio uveæ tunicæ. Contrahitur autem illa, vel cum laxatur à nimia humiditate, quæ ab ambitu versus centrum contrahitur, sicut in cribrosorum & coriorum madefactorum foraminibus accidit, (ut enim tensio uveæ tunicæ pupillatam dilatat, ita laxatio angustio rem reddit) vel à defectu humoris aquei, sive ex vulnere aut ulcere, sive ex alimenti indopia, quo humore consumpto indigena tunica concidit & corrugatur, ac pupilla angustior redditur. Paulo causa est densatio uveæ à siccitate orta, si videlicet exsiccatio uveæ à circumferentia ad centrum progrediatur; si contra, sit dilatatio pupillæ. Aëtius dicit, contingere periculosiss, cujusmodi ab inanitione fiunt, debilitatibus, aut ex ingenti capitis dolore.

Signa Diagnostica.

Malum per se patet, præsertim si ad sanum oculum fiat collatio. Quoad signa causarum, si ab humiditate superflua malum est, præcesserunt causæ humectantes; si à defectu humoris aquei,

aquei, æger melius videbit in obscuro; quia species visibiles promptius occurrunt crystallino, qui à lucis presentia offenditur. Commune verò huic vitio ex quacunque causa est, quod res visibiles quidem distinctè vident, sed minutissimè; & quæ à lateribus sunt, non ita vident, acii, qui pupillam ampliore habent.

Prognostica.

1. Naturalis pupillæ angustia bona est, ob causam antea dictam.
2. Morbi vitio facta mala est: atque insanabilis quidem; si ex insigni & irreparabili defectu fiat humoris aquei; minus noxia, si ex uvea humectata. Difficulus quoque sanatur, quæ ex siccitate & inanitione oritur.

Curatio.

Præmissis universalibus, si vitium sit ab uveæ humiditate, probantur siccantia, ut ruta, chelidonium, feniculus, collyrium ex tutia, felle, ruta, euphrasia, & similibus. Si à defectu humoris aquei, humectantia usurpentur, ut lac & aqua dulcis actu calida fronti & capiti admota, ut caput alimentum ab inferioribus attrahat. Commodissimum est, si manus calida & humida super oculos derineatur. Paulus medicamentum rarefaciens & acre jubet oculis applicare, cujus scilicet rarefactione alimentum ab oculo suscipiatur, acrimonia verò attrahatur. Attamen acrimonia illa morsu careat, neque nimis calida medicamenta sint, ne, quod attractum est, dissipetur. Verum natu-

ra sponte plerumque humorem aquæ reponere solet; quæ de re postea, de defectu humoris aquei, dicetur.

CAPUT. XXIX.

De Suffusione.

Υπόχουμα & Επώχουμα, Latinis *Suffusio*. Suffusio, est humoris præ naturæ sub cornea è regione pupillæ concretio, quæ visio impeditur. Vulgus cum Barbaris Cataractam appellat, tanquam aquæ ad pupillam decubitum. (Est enim Cataracta præceps aquæ in flumine ex loco abrupto delapsus, ut aqua ruere potius, quàm fluere videatur) Unde etiam aquam simpliciter, & aquæ descensum nominant. Arabes gradus augescentis hujus mali appellationibus quibusdam distinguunt. Incipiente enim suffusione culices & corpuscula quædam pilorum aut lanarum, vel aranearum texturis similia oculis observari videntur, pro humoris pupillæ suffusi qualitate, colore, figura: atque hunc gradum appellant imaginationem, quod scilicet putantur res oculis observari, quæ non sunt. Augescente hoc malo symptomata invalescunt, & pupillæ color marinus apparet, aut pupilla similis est vitro contaminato, vel aëri nebulis repleto. Atque hunc gradum nominant Aquæ descensum sive Guttam. Tandem, postquam malum perfectum est, ægerque amplius non cernit, & pupillæ color albus, aut alterius coloris apparet, non translucens amplius.

Cataractam & *Στόχυμα*, seu Suffusionem appellant, ubi scilicet externum lamen cum speciebus visibilibus humorem crystallinum ingredi nequit, propter interpositum corneæ & crystallino humori humorem excrementitium. Est enim veteres nonnulli, teste *Ægineta*, eandem affectionem esse putarunt: *Στόχυμα* & *γλαυκώμα*: tamen rectè discernuntur; cum *γλαυκώμα* non pupillæ obstructio sit, ut suffusio, sed crystallini humoris affectio, ejus scil. præ nimia humiditate in glaucum colorem mutatio, ut, *ibidem*, ab *Ægineta* docetur.

Suffusio vera quid.

Est igitur *Στόχυμα* pupillæ sive uveæ foraminis obstructio, facta ab humore præter naturam, eâ parte in oculo consistente, visionemq; impediens. Morbus est in via; cum ob foramen uveæ obstructum species visibiles in oculum admitti non possint. Unde symptoma sequitur initio actionis videndi imminutio aut depravatio, tandem confirmato malo, penitus ablatio. Galeno, *in lib. de differ. morb. cap. 8.* est morbus in numero, & quidem in excessu, quoniam additum est aliquid præter naturam, seu adest oculo humor, licet alienus, in lentam & mediocriter duram *σύνανον*, cujusdam quasi membranæ, concretus.

Suffusio notha.

Atque hæc, quæ dicta sunt, de vera suffusione sunt intelligenda, quæ κατ' ἐξοχήν ita dicitur, quamq; humor circa pupillam præter naturam collectus efficit, non vapor. Nam præter hanc, quæ legitima & vera suffusio est, alia adhuc est, quæ *Notha* dicitur, quæ fit à vapore, & per consensum vel totius, ut

in feb. in ardentium vigore, fumis adustis per venas & arterias simul cum sanguine & spiritibus sursum elatis, & instante quoque crisi, per hæmorrhagiam narium: vel cerebri, quando succis abundat aut crassis pituitosis, ut plerumque accidit, unde vapores ejusmodi ad oculos mittuntur; aut biliosis adustis, ut in phreneticis, teste Galeno, *in 4. de loc. affect. cap. 2.* vel ventriculi, è quo vapor sursum ad oculos effertur, sive ex cruditate, præsertim nidorosa, sive ex biliosis humoris in ventrem confluxu: vel uteri, aliarumque partium inferiorum ab effumante ibidem illuvie: vel pulmonis, ut in peripneumonia, teste Galeno, *in 1. Progn. aphor. 23.*

Denique fit vitio humoris aquei vel albuginei, quando is ita crassescit, & concrefcit, ut crassitie visionem offendat. Nonnulli tamen hanc postremam suffusionis speciem ad primam illam referunt, & omnium suffusionis differentiarum potissimam ac maximè propriam esse statuunt, utpote, quæ non per consensum fiat, sed oculo primario affecto, & causâ in ipso oculo consistente.

Subjectum & Causa.

De loco suffusionis Autores non plene consentire videntur. Autor *lib. de fusione oculi* humorem, suffusionis causam, inter humorem crystallinum & uveam tunicam constituit. Quam sententiã Arabes plerique sequuntur: Galenus, *10. de usu part. cap. 1.* suffusionis locum esse dicit regionem, quæ interjacet inter crystallinum & corneam tunicam, quem

Locus suffusionis quinam.

quem Græci, Paulus Ægineta, Aëtius, & Actuarius sequuntur. Avicennas, *cap. proprio*; inter albugineum & corneam locum suffusionis statuit. Celsus, *libr. 7. cap. 7.* peculiarem sententiam fovet; & suffusionem fieri statuit post duas tunicas, scilicet corneam & uvulam; eam in parte; in qua spatium quoddam intercedat inter aqueum humorem & corneam.

Verùm non magna est hæc sententiarum discrepantia. In toto enim illo spatio; quod intercedit inter corneam & crystallinum, humor ille concrecere potest, totumque illud spatium locus suffusionis est; etsi non semper in eadem spatio; hujus parte humor hic concrecat; sed modò in hac, modò in illa, nunc magis versus corneam, nunc versus crystallinum.

Nonnulli quidem statunt; in crystallino quoque, & post crystallinum, in vitreo humore, posse consistere materiam suffusionis: verùm ut non negamus; ob opacitatem & impuritatem crystallini quoque & vitrei humoris; et rarioris, visum lædi posse: tamen an id vitium suffusio dici possit, dubitatur.

Causa suffusionis. Veræ suffusionis; & quidem incipientis, causa continens est humor tenuis intra corneam & crystallinum conclusus: confirmata; humor crassus & lentus; eodem spatio pupillæ obiectus; ibidem magis ac magis crassescens; sive ibidem genitus sit, sive à capite eò depulsus.

Humor is interdum sincerus est; & unius generis, pituitosus scilicet, unde suffusio fit alba; interdum varii humo-

res miscentur, ita, ut varios colores pro varietate mistionis habeat, citrina, si bilis miscetur, nigricans, si humor melancholicus.

Colligitur verò hic humor eò loci, vel cum ibidem paulatim cumulatur, ob nutrimentum oculi non bene concoctum & conversum; vel cum excrementum pituitosum seu crassum, seu in toto; seu in cerebro præcipue cumulat, ad oculos vel ob nativam, vel ascititiam debilitatem transmissum fuerit. Ad nativam debilitatem pertinet & eminentia oculorum; quique eminentes habent oculos, facile suffusionem incurrunt. Aëtius; *lib. 6. c. 9.* causam hujus rei esse dicit; quod, qui habent oculos prominentes, habent crassos spiritus. Ubi verò crassus est spiritus; ob humores admixtos suffusionibus gignendis facile occasio dari potest. Verùm cum magnitudo oculi sit à conformatione, ii, qui oculos magnos & eminentes obtinent, visum habent debiliorem; quia in magno spatio virtus diffusa infirmior est, ut Aristoteles; *5. de gen. anim. cap. 1.* docet. Præterea oculi isti prominentes & magni facile humores & vapores sulcipiunt, atque externis injuriis sunt expositi. Pertinet huc & viarum laxitas, quæ humoribus facile aditum præbet. Ad humorum in oculos influentium susceptionem faciliorem faciunt etiam causas externæ, ut ictus, contusio, mora sub Sole, balneum; austrina & pluviosa cæli constitutio, & similes, quæ oculum debilitant, & fluxionem capitatis; seu causam antecedentem internam; commovent, & faciunt; ut hu-

mores p. n. ad oculos fluant, ibique subsistentes temporis diuturnitate concrescant.

Via autem, per quam materia ad oculos defertur, triplex esse potest, 1. Venarum omnium tunicarum. 2. Uveæ tunica, à qua aliquid transsudare potest. 3. Nervi optici. Potest enim materia è venis frontis & temporum per ptericranium derivari, & ad annatam, inde ad albugineum, hinc ad corneam & uveam confluere. Eadem derivari potest à dura matre ad duram tunicam, hinc ad corneam & humorem aqueum, atque ita inter corneam & uveam suffusionem excitare. Potest eadem derivari à pia matre, vel secundina & uvea, & hinc ad humorem aqueum transsudare, & tunc suffusio inter crystallinū, & uveam consistit. Potest & circumferentia uveæ ad pupillam effundi. Si verò à cerebro per nervos opticos effundatur, per reiformem & araneam tunicam ad crystallinum derivatur, & materia suffusionis crystallini superficiem adheret

Differentia.

Differentia
suffusio-
nis.

Differentia suffusionis, & quidem veræ, sumuntur, 1. à magnitudine. Nam in aliâ tota pupilla crasso humore obsidetur, vel humor aqueus ita depravatus est, ut totus sit opacus; atque tunc visio planè aufertur: in alia pars pupillæ est obtenebrata, unde & objecta directo intuitu integra non cernuntur, nec uno tempore multa; cum conus visionis sit factus angustior. Quod si in centro pupillæ exigua sit suffusio,

ambitus verò sit purus, omnia quasi fenestris pectusa esse putantur. Si divulsa crassa corpuscula pupillæ objiciuntur, culicum species ante oculos verferi videbuntur; quemadmodum Galenus hæc distinguit, 1. de sympt. caus. cap. 2.

2. A modo substantiæ. In alia enim materia tenuis & fluxa est, qualis in principio esse solet: in alia crassa, lenta, & tenax, ut membranæ species præ se ferat: in alia deniq; medio modo sese habet, quæ & acu facilius deponi potest.

3. A colore, quo humor ille tinctus est. Materiam enim suffusionis alia est specie aëris puri, margaritarum, argenti vivi, gypsi velex albedine tendit ad citrinum aut viridem; alia verò citrina est, alia viridis, alia aurei coloris, alia fusca vel plumbea, alia nigra.

4. A situ materiæ. Nam quædam sita est post uveam, inter hanc & humorem aqueum & crystallinum; quædam ante uveam, inter hanc & corneam: quædam corneæ vel uveæ accrescit; quædam non. Habet & notha suffusio suas differentias. Nam ægri videntur sibi videre modò pulices, modò pilos, modò circa candelam circulos, modò telas, modò aliud, quod in aëre volitet. Et omnino variæ imagines oculis obversantur, prout figura est varia humoris consistentis circa pupillam. Non enim, quod videtur suffusio, est objectum externum, sed humor in oculo cumulat. Galenus, 1. de sympt. caus. cap. 2. & 4. de loc. affect. cap. 2.

Signa

*Signa Diagnostica.**Signa Diagnostica.*

Cum suffusio non sit ejusdem generis; vera à notha distinguitur, primò, quòd vera alterum tantum oculorum occupat; aut, si utrumque, non tamen simul nec similiter. In spuria enim tenebrosum quiddam in pupilla, in vera autem coloratum apparet. Secundo in vera symptomata sunt continua; nec ulla habent intervalla: in spuria remittunt aëre puro, parciore & salubriore diata, cibi que bona coctione, & tandem purgatione per hieram picram, vel rejectione succi biliosi per vomitionem, si morsus oris ventriculi præcesserit. Tertio, vera brevi tempore, mensibus duobus vel tribus, aut sex ut plurimum, nonnunquam & paucis diebus incrementum suscipit: imò Fernellius refert, *lib. 5. pathol. cap. 5.* consummatam suffusionem uno die subortam. Spuria autem multos annos durat absque visionis insigni noxa, quod observatione peculiari confirmat Guil. Fabricius, *Cent. 5. obs. 14.*

Incipiens suffusionis signa.

Sed ut veræ suffusionis signa diligentius contemplerur, incipiente hac affectione culices, aut caliginosa quædam, pilorum, lanarum, aut araneorum retibus similia, oculis observari videntur; pro humoris pupillæ suffusi qualitate, colore, figura.

Augescens.

Augescente malo hæc symptomata invalescunt, & pupillæ color maximus apparet intuentibus; aut similis est pupilla vitro contaminato, vel aëri nebulis repleto.

Perfecta.

Perfecta hac æger non cernit, pupillæque color albus apparet, non lucens;

aut alias præter naturam coloris differentias habet. Ex colore etiam ipso signa sumuntur, quod aëreus materiam sub pupilla significat fluidam; gypleus crassam, non fluidam; citrinus pituitam cum bile mixtam; niger cum humore melancholico; vergens ad colorem margaritæ pituitam nonnihil diaphanam.

Quod verò ad dignoscendum locum suffusionis attinet, residet illa inter uveam & corneam, primò, si evidentiùs conspiciatur materia obtebrata; quoniam materia magis propinqua est oculis intuentis, & pupilla ob humorem distendentem necessariò dilatatur. Deinde si à principio ita manifesta non apparuit species volitantium ante oculos culicum; quoniam spatium intra corneam & uveam angustius est, in quo materia ita promptè moveri nequit. Opposita apparent, si materia inter crystallinum & uveam continetur.

Præterea si materia suffusionis in loco profundiore sita est, pupilla angusta est: si loco minus profundo, amplior illa est. Nonnunquam partibus vicinis materia suffusionis accrescit, & tunc albæ vel virides fibræ aut striæ supra iridem protensæ conspiciuntur. Nonnunquam per uveam corneæ adhærescit materia, & tum puncta quædam albicantia conspiciuntur; ac, si à latere oculus inspiciatur, albæ quædam filamenta ex uvea ad corneam protensa conspiciuntur.

Pro-

Prognostica.

1. Spuria suffusio non solum periculo vacat, sed facillè etiam evacuato ventriculo aut toto curari potest. Vera autem difficulter; & alia quidem medicamentis foris intraque adhibitis, alia punctione cum acu.

2. In vera suffusione quibus altero oculo coniventibus alterius pupillam dilatari contingit; si punctio admittatur, recipiendi visus spes est. Quibus non dilatatur, nemo unquam visum recepit, teste Galeno, 3. *de sympt. caus. cap. 2.*

3. Si æger suffusione laborans lumen etiam non cernat, tum, etsi sano oculo clauso pupilla dilatatur, tamen punctione facta visum non recuperabit; quia spiritus visivus turbidus plerumque & obscurus redditus est, cum quo etiam cernendi facultas perit.

4. Suffusio, quæ non ita diu cæpit, & in qua ægri objecta communia, id est, magnitudines, figuras, numeros, motus adhuc discernunt, discuti potest; quia moderatè tenuis adhuc humor est. Ubi diutius constiterit, & crassior aliquantum facta est, manûs operam requirit. Et quæ semel tamen punctione sublata est, si serosioris fuerit materiæ, non longo post tempore species fecis vini reverti solet, teste Galeno, *m. m. in fine.*

5. Ut sciatur, quæ suffusio acu commodè deponi possit, suffusum oculum pollice premes, iterumque aperto oculo suffusionem considerabis. Quæ enim nondum concreta est, nec planè tamen adhuc tenuis atque cruda, ea ex

digiti compressione nonnihil diffusa, ita ut aliquando latior appareat, statim verò ad pristinam magnitudinem & figuram redeat. Id quod concreta suffusio non fecit. Itaque si expressura, quæ digito fit, nulla consequatur figuræ humoris mutatio, porò videndum est, qualis ejus color appareat. Si quidem ea, quæ moderatè concrevit, colorem ferri aut cæli, vel maris aut plumbi non admodum nigri, vel nucis castaneæ refert. Atque hæc commodè acu deponi potest. Quæ autem gypsi aut grandinis speciem colore præte fert, supra modum concrevit, & punctione non sanatur. Itaque ipsius suffusionis maturitas quædam expectanda est cheirurgo, nec punctio tentanda. donec humor peccans mediocriter concrevisse videatur.

6. Quæ suffusio nigra est, & quæcunque splendoris nitorisque omnis expers, nullo modo, neque medicamentis, neque acu curari potest; quoniam spiritus optici destructio significatur. Pura verò & pellucida cum pupilla, tum suffusio spem aliquam curationis relinquit. Insanabilis quoque ferè est viridis, obscura, & multum citrina atque dura, & quæ hydrargyrum colore & mobilitate representat, & cujus oculus multum emaruit. Videatur Avicennas; *loc. propr.*

7. Punctio, ubi convenit, in pleniore oculo tutior est.

8. Si ex febre acuta, peripneumonia, phrenitide, aut dolore capitis acerbissimo suffusio extiterit, aut si illa ad hanc accesserit, malum periculosius redditur.

9. Suffusio in centro pupillæ consistens, acu tentanda non est; quia periculum imminet, ne materiâ diffusa tota pupilla impleatur, & homo visionem planè amittat.

10. Senilis ætas ad curationem apta non est, quippe quæ suo vitio visum hebetem habet. Nec etiam puerilis, in qua humor nondum est maturus. Aptissima curationi est ætas consistens.

Indicationes.

In utraque suffusione materia, quæ ejus causa est, evacuari indicat; id quod in spûria, quæ à ventriculo præcipuè, purgatione vel vomitu fit. Præsidium etiam divertentibus, & ventriculo atque caput roborantibus, ac legitimè tandem diæta opus est. In vera autem evacuatio humoris pupillam obstruentis instituenda, & materia illa è pupilla, quæ obstructa est, tollenda: quod fit universalibus præmissis, vel per res solventia, ubi materia tenuis, fluxa, & recens est; vel per transpositionem; quæ acu perficitur, ubi malum consummatum est, & materia ita concrevit, ut præsidium hoc commode admittat.

Curatio.

Itaque in principio, si plethora adsit, & sanguinis affluxus metuatur, vena aperienda. Verùm cum plerumque ab humore frigido & crasso hoc malum ortum habeat, venæ sectio tum locū nō habet; quia sanguinis spirituumque evacuatione cerebrum magis refrige-

ratur, humorque crassior redditur, sed materia potius præparanda & evacuada iis medicamentis, quæ supra, *part. 1. de Intemperie capitis cum pituita*, sunt proposita. Et quidem purgatio statim initio instituenda accuratior; eaque maximam partem phlegmagogis perficienda. In quem usum valde utilis est hiera & electuarium diacarthamum. Et ut purgatio feliciter instituat, præparantia præmittenda ex ocularibus medicamentis, imprimis euphrasia, calendula, betonica.

Quibus peractis semel atque iterum *Internæ medica-
menta.* singulis septimanis theriacæ vel Mithridatij *Scr. j.* vel Drach. *ß.* exhibere convenit cum conserva betonicæ, anthos, aut simili. Possunt & alia medicamenta interea ad absumentum, & expellendum illum humorem usurpari, ut decoctum ligni Guajaci, sarsaparillæ, sassafras cum plantis cephalicis & ophthalmicis, ut:

℞. *China* Drach. ij.

sarsaparill. Drach. iij.

Infunde horis 24. in lb. ij. aquæ puræ.

Coqu. ad medietatem. Sub finem adde

fol. euphrag.

verbena,

chelidon. an. M. j.

sem. coriandri præpar. Drach. ij.

Colat. servetur pro usu. Cujus Dosis sint Unc. vj. tempore matutino.

Caput nonnunquam lavetur lixivio, in quo herbæ cephalicæ ebullierint, betonica, stæchas, majorana, euphrasia, agaricus, & alia, quæ supra, *part. 1.* sunt proposita, ut:

Nnnnn

℞. *Eu-*

*Curatio
vera suffu-
sionis.*

L. I.

℞. *Euphrag.*
majoran. an. M. ij.
fol. lauri,
torummarini,
meliloti, an. M. j.
radic. asar.
valeriana, an. Unc. j.
sarsaparill. Unc. ij.
sem. fœnicul. Unc. ℥.

Coqu. in lixivio pro. capitis lotio-
 ne.

Reuullen-
 138.

Occipitio reuulsionis gratia cucur-
 bitulæ vel vesicatorium, aut, quod ef-
 ficacius est, setaceum applicetur, idque
 diu apertum seruetur, ad minimum
 menses sex. Vesicatoria verò sæpius re-
 petantur, & post aures applicentur.
 Ponè aures enim, quod movent non-
 nulli, tamus à vena jugulari intrò subit,
 qui ad opticos nervos utrinque vergit.
 Possunt etiam cauteria brachiis appli-
 cari. Atque hæc omnia fiunt, ut mate-
 ria attenuetur, evacuetur, resolvatur,
 & discutiat.

Ad discutiendum verò utilia sunt
 topica, forma fomentorum & colly-
 riorum applicata, habita ratione du-
 ritie & mollitie temperie oculorum,
 pro hominum ætate, sexu, & conditio-
 ne. Sintque illa ejusmodi, quæ paula-
 tim attenuent, & leniter molliendo ex-
 tertant; non quæ valenter exsiccent, ne
 reliquæ indurentur.

Principiò ergo fiant fomentationes
 vapore decoctorum, qualia etiam an-
 tea fuerunt proposita. Vel fiat evapo-
 ratio ex hederæ terrestris decocto, us-
 que ad remanentiam quartæ partis,
 quæ continetur per dies viginti aut
 plures.

Vel ℞. *Hederæ terrestr.* M. ij.
rad. valerian. Unc. j.
levistici,
euphrag. an. M. j.
sem. fœnicul. Unc. j.

Coqu. in aqua simpl. & vapor cali-
 dus capite undique tecto oculis excipi-
 atur.

Commendatur & vesicula piscis ab-
 luta, & decocto fœniculi impleta, tepi-
 deque admota.

Postea pro extersione commenda-
 tur mel album purum & despumatum;
 aqua è melle vel melle rosato aut scilliti-
 co destillata, cujus gutta j. manè & ve-
 spèri oculis instilletur mixta cum pau-
 co sacchari candi. Succus item rutæ,
 fœniculi, euphrag. & chelidonia maio-
 ris, verbena, calendula, marrubij, & a-
 quæ ex iis destillatæ. Fortiora sunt
 fellis genera, ut perdicis, galli, piscis lupi,
 accipitris, hirci. Galenus fel vulturis
 laudat cum marrubii succo & melle
 addito, in lib. 4. de compos. medic. s. l.
 Ubi etiam plura hujus generis remedia
 exponit. Collyrium quoque ex felli-
 bus à Rhase describitur. Valèt & a-
 qua ex anagallidè flor. cæruleo destil-
 lata.

Vel ℞. *Pulv. maiorana;*
chelidonia maioris,
euphragia,
rutæ; an. Drach. j.

fellis hædi siccati Drach. iij.

Infundantur simul & macerentur
 in aqu. fœniculi & euphragie per dies
 tres, postea per filtrum colentur, & gut-
 tæ aliquot oculo instillantur.

Efficax est & aqua, quæ ex frumento
 paratur hoc modo.

℞. *Fru.*

℞. Framenti viridis, sed maturi,
Unc. iij.

fol. ruta,

anagallid.

chelidon. major. an. M. B.

sem. fœnicul.

summis euphrag. an. Unc. j.

cinamomi,

caryophyll. an. Drach. ij.

vini albi generosi q. l.

Infundantur in vase vitreo, & radiis Solis exponantur diebus 30. sæpiusque agitentur, postea destillentur.

Commendatur & Aqua quædam Socialis dicta, quam descripsit Johan. Angelicus, in *Practica sua* quam *Rosam Anglicam* appellat. Quia tamen omnia, è quibus componitur illa aqua, sicca sunt; utile est, duobus vel tribus diebus antè oculos vapore decocti herbarum emollientium & humectantium fomentare. Et omnino si in medicamentorum usu spes adhuc sit posita, ad fortiora confugiendum, præparatio tamen per fomentationem præmissâ. Hoc enim modo oculi tunicæ rarefiunt, ut medicamenta discutientia facilius penetrare possint.

Exempl. gratia:

℞. Herb. majoran.

verbena,

malva,

euphrasia,

chelidonia maioris, an. M. j.

sem. lini,

fenic. an. Unc. B.

Bulliant in aqu. lb. iij. ad dimidium.

A nonnullis commendatur etiam hæc Aqua:

℞. Euphrag.
chelidon.

pentaphyll.

verbena,

siler. montan.

capill. Ven.

anthos,

anisi,

marrubij,

baccarum lauri,

anagallid. flor. cœrul.

pimpinell. an. p. j.

rad. cyclamin. N. ij,

Omnia simul contundantur in formam pulvis. Deinde infundantur in vini optimi & urina pueri an. lb. iij. hor. 24. & in alembico vitreo destillentur.

In aqua infundantur,

sturis,

maslich.

myrrha,

tormentill.

sem. ruta,

fœniculi,

betonic.

scarlea,

sarcoroll.

aloes,

nucis moschat.

salami aromat. an. Drach. ij.

epatis hirci lb. j.

fellis avium rapacium,

bubuli, an. Unc. j.

fel è gallinis duabus,

roris marini M. j.

mell. opt. lb. j.

Iterum destillentur & usui serventur. Utile etiam est hoc Collyrium:

℞. Aq. fœnicul. Unc. ij.

chelidon.

Nannn 2

euphrag.

euphrag. an. Unc. jss.
pompholyg. Drach. ss. M.
 Vel R. *Fellis gruis,*
perdicis,
vulturis, an. Drach. j.
sagapeni Drach. j.
cinamomi,
caryophyllorum, an. Scr. j.
myrrha rubra,
croci Orientalis, an. Scr. ss.

Pulverifentur omnia subtilissimè, & cum melle & succo foeniculi permiscantur pro Collyrio.

Palmarius hoc frequenter usus est:

R. *Aq. chelidonie* Unc. jss.
Vitrioli albi,
rutia prep. an. gr. xv.
vitri Antimon. gr. ix.
facch. candi Drach. ss.

Misc.

F. Collyrium.

Commendatur valde etiam illud Collyrium, quod extat apud Galenum, de medicamentis facile parabilibus.

R. *Fellis galli* Unc. ss.
sanguinis muris Drach. iij.

Cum lacte muliebri misceantur in formam Collyrii.

Admodum forte est, quod ex metallis paratur hoc modo:

R. *Viridis aris,*
Pitrioli,
salis Armon.
aris ussi, an. Scr. ij.
fellis hirci Scr. ij.

Terantur terenda in pulverem subtilissimum, & cum succo majoranæ aut aquæ mellis destillata.

F. Collyrium:

Dum verò validiora hæc usurpantur, sapius oculus inspicendus, & videndū, an periculum inflammationis alicujus immineat. Eo enim imminente statim ad inflammationem prohibendam oculus foveatur lacte muliebri, vel aqua rosarum, & aliis supra de ophthalmiâ, & dolore oculorum, propositis.

Confirmata verò & inveterata suffusio non nisi manus opera & punctio-^{Suffusionis per chirurgiam curatio.} ne curatur, cum scilicet humor pupillam obstruens acu ab ea removetur, & versus angulum oculi transponitur.

Quia verò punctio ista inter operationes Chirurgicas subtilissima est, ut Celsus ait, nemo facile eam tentaverit, nisi qui alium sapius operantem viderit; & cum non semper feliciter succedat, non temerè tentanda. Modum autem operationis hujus planè & perspicue satis descripsit Celsus, lib. 7. cap. 7. Paulus Aegineta, lib. 6. cap. 21. Et extat idem in Institut. lib. 5. part. 1. sect. 2. cap. 10. Guido, tractat. 6. doctrin. 2. alterius cujusdam modi meminit, punctio- nis scilicet cum acu cannulæ vel canalis modo pertusæ, per quam sugendo suffusio extrahatur: quem tamen modum non probat, ac de eodem mentionem facit, Arculanus, in 9. Rhafis. Videatur etiam Hieronymus Fabricius, de operat. Chirurg. tit. de suffusione.

Antequam autem operatio instituat, videndum, primò, an materia satis crassa, & ad speciem quandam membranæ concreta sit. Nam ut nimia crassities, ita & immoderata tenuitas translationem impedit. Secundò, corpus prius conveniente modo purgandum. Tertiò, ubi depunctio-
 ctione

ctione tentanda initur consilium, attendendum, ne æger diurno aliàs capitis vel oculorum dolore labore, ne tussi, aut sternutatione, aut vomitione frequentio eo tempore affligatur, quæ omnia præsidium hoc vel planè non admittunt, vel commodam ejus administrationem impediunt. Eligendus est quoque dies serenus, tempus verum vel autumnale. Luna nec sit plena, nec silens, neque etiam lumine crescens, sed potius diebus duobus vel tribus à plênilunio, cum lumine decrefcit. Luna etiam secundum Astrologos non percurrat Arietem, quod ex signis cœlestibus capiti præficiunt.

Si notha sit suffusio; & ea, quod plerumque fit, à ventriculo; ventriculus convenienti modo; ut, *libro tertio*, dicetur, evacuandus; deinde roborandus, atque ea, quæ os ejus hiare, & vapores ad caput ascendere prohibent, exhibenda. Et proba victus ratio observanda, nec ventriculus onerandus.

Dieta.

In suffusione legitima, quæ discutiendo sanari potest, victus ratio sit attenuans. Abstineat ergo æger ab omnibus, quæ caput fumis crudis obnubilant, aut acris vellicant.

Condiantur cibi iis herbis, seminibus, aromatis, quæ oculis profunt: pulvis etiam ad pastum ex euphragia cum saccharo & cinamomo paretur. Panis paretur cum semine anisi & feniculi. Post cibum etiam sumantur cydonium, coriandrum, & quæ simul coctionem adjuvant, & vaporum ad

caput ascensum prohibent. Alvus semper sit aperta. Venus vitanda.

Si suffusio acu est deponenda, victus convenit non nihil incrassans ex oryza & similibus. Legumina autem & allium atque cœpe vitentur; quoniam caput ita replent, ut suffusio etiam sani oculi sit metuenda. Ubi ad puncturam accedendum, victus talis sit, qui inflammationem prohibeat. Ideoq; æger abstineat à vino & calidis aromatis aliquot diebus, post puncturam præsertim administratam.

Abstineat quoque æger à clamore, vitet lumen nimium, & omnia, quæ caput & oculos commovere possunt. Æger etiam per aliquot dies victu tenui tegendus, ac in lecto, corpore supino, capite tamen elatiore, collocandus.

CAP. XXIX.

De Vitiis tunice Araneæ;

INter tunicas oculorum est & Araneæ dicta, quæ humorem crystallinum obtegit; & ab aqueo humore secernit. Hæc est lævis & subtilissima: quæ ejus nativa constitutio si vitietur, & crassa illa fiat, ut spiritibus visibilibus transitus satis non permittatur, visus hebetatur, & quasi per velum videnti omnia apparent. Potest tamen & colore alieno infici hæc tunica à vitiis humoribus affluentibus, unde visio depravatur.

Redditur autem crassior hæc tunica, quia humores crassi in eam se insinuunt.

Nnnn 3

Cogno-

Aranea tunica vitia.

Cognoscitur hoc vitium, quia homo non solum obscure, & quasi per velum videt, sed & quasi tela ante humorem crystallinum apparet. Præterea si hominis sani oculum quis inspiciat, imaginem suam in eo videt, quæ non apparet, si aranea tunica sit crassa & obscura reddita; quod sæpe in moribundis accidit. Unde quamdiu in morbo aliquo hujusmodi imago in ægri oculo apparet, nullum plerumque adhuc mortis periculum est. Sunt tamen nonnulli, qui non ab aranea, sed à cornea imagines reflecti, & sic representari hoc punctulum illum, quem vocant, scribunt. Idque probant vitro speculari pellucido, nullo opaco terminato, quod si ita statuatur, ut umbrosus spectet locum, ejus latus posterius reddit illuminatas species clarè; id quod noctu accidit, cum in cameris illustratis tenebræ foris fenestris obtenduntur. Verùm ratio aliqua diversitatis in isto simili videtur. Etenim in vitris illis tenebræ ex altera parte obtensæ sunt loco opaci, quod speculum facere solet; at in luce, etiam clarissima, quæ oculos satis illuminat, ut dici non possit, corneæ interiori lateri tenebras obtendi, nihilominus imago illa hominis apparet. An tamen forsitan opacitas, quæ in pupilla est, istam reflexionem excitare possit, rem Lectori judicandam relinquo.

Curatur hoc malum universalibus præmissis, medicamentis attenuantibus & ophthalmicis, cum internis, tum externis, de quibus in visione læsa dicitur.

Rumpitur etiam interdum hæc tu-

nica, & inde confunditur humor crystallinus cum aqueo, & ita visio vitatur.

Causæ autem fractionis hujus sunt percussiones, contusiones, humores corrodescentes. E quibus etiam causis, si præcesserint, malum hoc cognoscitur, ut & quod humor aqueus & crystallinus confundi videntur.

Malum hoc nullis medicamentis curabile.

Nonnulli & corrugationem, & omnino omnia vitia, quæ cornea patitur, & huic tunicæ tribuunt. Corrugatio equidem, sed rarè, humori crystallino, tabefacto ei, accidere potest. Quod verò omnes affectus, qui corneæ accidunt, etiam araneæ accidere possint, non necessarium est: quia longè alia ratio est corneæ tunicæ, alia araneæ. Etenim cornea tunica propria firmitudine consistit, nec sustentatione indiget; aranea verò sua firmitudine non subsistit, sed crystallino humori debet, quòd stabilis est. Huic enim firmiter adhæret. Secundo profunditatem notabilem habet cornea, unde à quibusdam anatomicis in lamina secatur; quæ tamen, tam notabili, aranea destituitur.

Forsan & tunica vitreum humorem involvens eo modo vitari potest, quo aranea.

De Retina Tunicæ vitis.

Retina tunica vitis.

Cum retina formis tunica proximum visionis organum sit, suamque peculiarem substantiam, formam, figuram, situm

tura, vasa, connexionem cum reliquis partibus habeat, procul dubio etiam illa naturalis constitutio interdum vitari, & visus indelædi potest.

Primò naturalis ejus levitas, quam mucosa constitutio ipsi præber, mutari potest, ita, ut tunica illa inæqualis & rugosa fiat, & contrahatur, & in quibusdam subsideat, & tum imagines obscure, indistinctè, & confusè repræsentantur.

Inæqualitas autem hæc accidere potest vel à caussis nervum opticum, cujus dilatata medulla est hæc tunica, nimis humectantibus, vel calidis, eundem exsiccantibus. Et procul dubio sæpe tunicæ hujus vitio visus læsio accidit, quæ frustra nervi optici angustia imputatur.

Raritas quoque & densitas hujus tunicæ visui incommodare potest. Insuper quod vehemens dolor in oculis percipitur, si illi radios solis rectâ excipiant, ut cæcitas inde consequatur; vel quando ex translatione oculorum è loco tenebricoso in lucidissimum, & solaribus radiis expositum palpebris abscissis (quod tormenti genus à Tyrannis nonnullis inventum historia referunt) cæcitas secuta est: illud omne propter retinam hanc tunicam fieri putandum est. Hæc enim terminat lucis & specierum lucidarum actiones, estq; exquisiti sensus, qui ipsius nervi continuata pars, & ad concipiendum dolorem aptissima est.

Nonnulli & situm mutatum ei accidere, eamq; à crystallino vel nimis

distare, vel ei nimis vicinam esse posse existimant: scribuntq; ratione vicinitatis nimia accidere, ut longinqua solum videantur, quod sensibus quibusdam accidit; ratione remotioris verò solum percipiuntur constituta propius. Verùm cum undique aliis corporibus conclusa sit hæc tunica, & per se non mobilis, non probabile est, ei situm mutatum accidere posse.

Tandem etiam illæ intemperies, quæ crystallino à nonnullis tribuuntur, rectius tunicæ huic tribui, & venæ ac arteriæ retinæ tunicæ substratæ omnium generis humores noxios eò devolvere possunt. Verùm cum affectus hi nec facillè cognoscantur, nec curentur, plura de iis non addimus.

CAPUT. XXX.

De *Agilope* & *Fistula lachrymali*.

Postquam tunicarum oculi affectio: *Agilops*.
nes præter naturam explicavimus, antequam ad humorum vitia accedamus, prius de angulorum oculi & caruncula lachrymalis vitiis dicemus; quæ tamen, si ita liber, etiam statim post palpebrarum vitia tractari possunt. Inter quæ primò tumor in magno oculi angulo, Paulo *Aginetæ*: *Anchilops*.
γλαφ & *αγγίλωφ* dictus: *αγγίλωφ* quidem, si nondum sit ruptus; *αγγίλωφ* verò, si jam ruptus sit, quod capræ huic vitio peculiariter obnoxia ferantur. *Avicennæ* *Garab* & *Algarab*.

Est videlicet tuberculum inter majorem oculi angulum & nasi radicem ortum, plerumque cum inflammatione, nonnunquam tamen etiam sine inflammatione, quale atheroma, meliceris, & steatoma: & aliquando quidem tumor hic in superficie se ostendit, aliquando magis profundum obfidet, & non nisi tactu ac compressione percipitur. Tumor hic ruptus & male curatus in ulcus abit, quod vel simplex remanet, à quo pus coctum plerumque exudat; vel serpens & malignum evadit, à quo pus crudum effluit: quod etiam non raro sub inferiore palpebra viam sibi facit, & per tuberculum ibi elevatum exulceratumque aquosam & purulentam materiam effundit; aut si abscessus post ægilopem tardius rumpatur, in sinum seu ulcus sinuosum, & fistulam oculi, quæ κολπῶ & στέφυλῆ, degenerat. Et proinde hæc sese consequuntur, Anchilops, Ægilops, Fistula lachrymalis, & denique πύαξ, quæ est carunculæ in angulo oculi majore consumptio.

Fistula lachrymalis.

Causse.

Causse efficiens inflammationis proxima plerumque est sanguis tenuis aut biliosus, rarius pituitosus, aut melancholicus, qui è temporum, frontis, aut faciei venis motu naturæ critico aut symptomatico ad angulum illum oculi depulsus, tuberculum tale excitat, & abscessum gignit. Aëtio nonnunquam, ubi scilicet tumor est sine inflammatione, causse est lentus humor, melleus scilicet aut pultaceus, fol-

liculo suo plerumque conclusus, ut in meliceride, atheromate, & steatomate fieri solet; unde tumor tum sine dolore existit, qui etiam ferè non rumpitur, & ἀγγίλωσι ab eodem vocatur.

Causse antecedens est redundantia biliosorum & acrium humorum in massa sanguinis, qui ad oculi locum hunc fluunt, si ex quacunque causse sit imbecillis. Idque facilius accidit, si externæ causse accedant, ictus, casus, dolor materiam attrahens.

Differentia.

Tuberculum ipsum alias majus, alias minus est, in superficie eminent, & visui expositum, aut in profundo latens, & cum solutâ unitate conjunctum in ægilope, citra hanc in anchilope. Rumpitur autem intra versus oculum, aut extra per cutem, aut utrinque. Interdum & os naris proximum perforat; nonnunquam cartilagineum palpebræ, ac ipsam palpebram corrumpit.

Signa Diagnostica.

Dignoscitur malum, quia locus affectus obscure vel manifestè tumet, rubore in ambitu perfunditur, dolore affigitur, eoque lancinante, si malum sit conjunctum cum inflammatione. Ubi cute exulceratâ tumor rumpitur, fit abscessus cum ulcere; quod si legitime non curetur, pus diutius coercitum cuniculos subtile agit, exesque carne sinum parit, per quem sanies intus collecta aut sponte effluit, aut presso angulo extruditur, tumorque nonnihil sub-

subsidet, donec nova illuvies colligatur, quod paucis interdum fit horis. Sæpe sinus ad os subjectum penetrat, illudq; arrodit, viamq; in narē proximam, ut dictū, aperit, è qua graveolens quid continenter excidit, ita, ut portionem ossis illius cum pure crasso & foetido Platerus è nare procidisse viderit.

Quoad signa differentiarum, si tumor sit inflammatorius, adest dolor, calor, color mutatus, & tumoris ipsius immobilitas. Contrà si non sit inflammatorius (qualis atheroma, meliceris, steatoma) tumor ille est mobilis. Præterea Meliceris est, ubi durities est minor; Atheroma, ubi major; Steatoma, ubi summa durities.

Prognostica.

1. Ægilops vitium est agrè curabile, nisi maturè ei occurratur. Nam discutientibus medicamentis opus est, quæ, cum pleraque calida & actia sint, affectæ partis inflammationem augēt. Præterea cum liquida medicamenta esse oporteat, facile de his in oculum aliquid influit. Denique cum citra obligationem medicamenta non adhæreant, illa tam diu perferre difficile est. Quapropter veteres quidam Medici nulla prorsus, alii pauca ad ægilops pharmaca præscripserunt, teste Gale-
no, s. de comp. medic. sec. loc. cap. 2.

2. Difficilius autem hoc malum redditur, si cum magnitudine sit conjuncta soluta unitas, & si tumor profundas partes occupet.

3. Si ruptio sit ad internā, pejus est;

L. I.

quia metuenda est subjectorum ossium corruptio.

4. Si tumor non sit inflammatorius, qualis est meliceris & atheroma, non tam medicamentis, quàm Chirurgiā opus est.

5. Ægilops ad cancri naturam accedentes cutare periculosum est; cum mors acceleretur.

6. Fistula recens, & quæ orificium habet extrinsecum manifestum, facile curatur.

7. Fistula lachrymalis plerumque chronicum malum est, cum propter perpetuum materiæ affluxum, tum propter motum oculi continuum, tum quia ligatura ulceribus conveniens commodè ea parte fieri nequit; tum denique quia medicamenta debilia parum agunt, fortia verò lædunt oculum.

Indicationes.

Indicationes hic sumuntur ab iisdem, à quibus aliis in tumoribus præter naturam sanandis peti solent, considerando unde incitetur fluxio, quò feratur, per quas vias, quæ sit materia fluens, quæ denique tum fluxionis, tum tumoris ipsius sint tempora.

Curatio.

Curatur videlicet Ægilops vel ut inflammatio incipiens, vel ut abscessus jam ruptus, vel denique ut fistula; atque tum aut medicamentis, aut chirurgiā. Anchilops quoque suam peculiarem curationem habet.

Incipienti ergo Ægilopi post venæ sectionem; si eā opus sit, aut post purgationem, conveniunt

Ægilops incipientis curatio.

Ooooo

ad

ad frontem, ex aqua seu succo rosarum, portulacæ, plantaginis, vitis, cum ovi albumine, vel bolo Armeno. Imò eadem parti affecta imponenda. Quibus processu temporis additur succus fœniculi & aliquid thuris, myrrhæ, bdellii, galbani, aut ammoniaci in aceto dissolui. Convenit gummi tamamahacæ; apparente duritie mucilago althææ & fœnigræci. Et repellentium usupipientes Ægilopas, & nondum in pus mutatas, ne ad suppurationem pervenirent, se prohibuisse scribit Trallianus.

*Discutientia
in Ægilo-
pas.*

Perserverante malo discutientia imponenda. Laudatur à Paulo Ægine-
rura sativa, cum lixivio, quod ex cinere & calce confectum est; contrita, cocta, & imposita. Quod medicamentum etsi in principio mordax est, statim tamen mitescit, & ad os usque penetrat. Nux rancida tanquam multum discutiens à multis laudatur.

*Ægilopis
apertio.*

Si suppuretur, & ad abscessum tendat, juvetur cum diachylo aut simili. Avicennas pane utitur cum lacte muliebri & croco. Si sponte non rumpitur, aperiatur ferro; & quidem maturè hoc fiat. Si enim apertio differatur, pus partes vicinas erodit, & fistulam sæpe incurabilem gignit.

Potest & cauterio aperiiri; quod ubi fit, applicetur fronti & oculo spongia aquâ rosarum madida, vel stùppa cum albumine ovi. Dolorem ex cauterio lenit vitellus ovi cum oleo rosaceo per unum vel 3. diès appositus. Aëtius lenticulam cum mellè coctam adhibet. Rursum ulcusculum abstergetur melle rosaceo, vel oxymel. simpl. Avicen-

nas ad mundificationem imprimis commendat lanuginem interiorem in arundine juxta radicem inventam, si cum melle mixta imponatur. Laudatur & thus cum stercore recente columbino, & ervi farina cum melle. Fortius est unguentum Ægyptiacum. Æs viride per se solum pro secreto habetur.

Vel *Be. Staphid. agr. Drach. ij.*

Ammoniac. aceto dissolut.

Unc. j.

M. & impone.

Si fistula orta sit, dilatetur ejus orificium lenitè ac paulatim cum tenia vel penicillo ex spongia, medulla sambuci, vel radice rapi exsiccata, aut gentianæ. Sanies expurgetur & abstergetur compressione, & postea instillatione mellis cum oleo rosarum.

*Fistula ex
Ægilopas
curatio.*

Vel *Be. Mellis communis Unc. ij.*

virid. æs Unc. ß.

aq. vita Unc. iij.

Æs viride pulverisatur, & cum cæteris lentè coquitur ad tertiæ partis consumptionem. Colatura tepens suaviter per syringam infunditur. Si hoc medicamentum acrius videatur, abluatur ulcus quotidie cum aqua ruræ, & deinde aliquid unguenti Ægyptiaci imponatur. Expurgata fistula carne impleatur, & cicatrice obducatur cum farina ervi aut fabarum, thure, aloë, myrrha, pompholyge, rad. irid. Illyr. aristoloch. cum melle aut terebintha aut hoc medicamento:

Be. Thuris,

sarcocollæ,

aloes,

sangu. dracon.

balaustr.

Balausti.

Antimonij,

aluminis, an Scrup. j.

flor. aris gr. v.

Trita subtilissimè misceantur cum aqua rutæ ad formam collyrii liquidi.

Potest ulcusculum prius elui vino, in quo tantundem mellis, & parum aristolochiæ bullierint. Ne cicatrix sit indecora, Avicennas folia rutæ imponit, cum aqua granatorum. Paulus rutam sativam cum lixivio è cinere & calce facto tritam & decoctam, ut dictum.

Priusquam verò fistula consolidetur, diligenter explorandum est, an in profundo callum contraxerit; id quod durities ostendit. Præterea an os sit corruptum; quod factum esse apprehenditur, si immisso specillo asperitas quædam in osse, aut sonitus quidam pulso osse, periosteum absumpto, animadvertatur. Utroque enim, & callus fistulæ, & ossis corruptio solidationem impediunt. Itaque Chirurgiæ operatum requiritur. Atque os ipsum corruptum radatur ferro, aut tollatur cauterio actuali, munito prius, ut decet, loco affecto linteolis in aqua rosacea infusis, aut in ovi albumine, aut alio succo frigido. Postea intus ponatur ovi albumen cum oleo rosaceo aut vitello ovi. Superponatur verò siess album cum albumine ovi, lacte vel aquâ rosarum, ne inflammatio sequatur. Fronti & temporibus repercussoria applicentur; quibus & locus affectus muniendus est, ut diximus, dum cauterium adhibetur. Quod si æger cauterium actuale abhorreat, dilatato ul-

ceris orificio per sectionem vel penicillum os desquammetur, & super eo alumen rochæ combustum, vel peucedanum, vel chalcanthum ustum applicetur, quæ & squamam de osse tollunt, & corruptam fistulæ carnem absumunt. Vide Hieronymum Fabricium, *de operat. Chirurg. titulo de Ægilope.*

In Anchilope, qui Avicennæ Halcilus est, Aëtius superficiem dissecare jubet, ut materia unâ cum contento folliculo funditus eximatur. Postea, ne malum denuo gignatur, locum cauterio inurit, & lenticulam cum melle applicat. Tandem ubi crusta decidit, terebinthinâ alumine permixta cicatricem gignit.

Victus ratio sit tenuis, & ad frigidum declinet; atque eò magis, quòd symptomata sunt fortiora, præsertim dum Chirurgia per ferrum aut ignem administratur.

CAP. XXXI.

De Encanthide & Carnis Lachrymalis Incremento.

IN ossib⁹ angulorum lachrymalium Encanthis & Carnis lachrymalis incrementum.
Iduo foraminula sunt, docenté Gale-
no, *libr. 10. de usu part. cap. 13.* quorum
& is usus est, ut oculorum excrementa
per ea ad nares & palatum confluant;
unde & medicamenta ocularia quan-
doque per nares egeri solent. Ne verò
per angulos excrementum effluat, ho-
moque perpetuò lachrymetur, car-

nasq; quaedam corpuscula, quasi oper-
cula, meatibus illis imposita sunt, quæ
prohibent, ne excrementa continen-
ter per angulos effluent, sed ea ad fora-
minula illa & meatus impellantur. Ca-
ro autem illa duos morbos pati solet.
Aliquando supra modum augetur,
quod malum *εγνασθις* nominatur;
aliquando contra imminuitur vel ab-
sumitur, unde lachrymæ perpetuè ef-
fluunt: quod malum Græcis *ρυσ* di-
citur.

εγνασθις videlicet est carnis in ma-
jore oculi angulo excrementa & au-
gmentum, atque ita morbus in magni-
tudine auctus.

Causæ.

Ortum habet ex sanguinis & hu-
morum ad hanc affluxu, & imprimis
ex incuria. Medici malè *Αιγύπια* cu-
rantis.

Visu facile cognoscitur.

*Prognosti-
cum.*

Malum hoc curationem ut pluri-
mum suscipit: si tamen magnum &
antiquum sit vitium, non nisi Chirur-
giâ curatur, & curatio ejus longa ac
periculosa est.

Curatio.

Indicatio est, id, quod præter natu-
ram auctum, tollendum esse. Id quod
præstat, universalibus præmissis, vel
carneam supra modum auctam absum-
entibus, ut Vitriolo, flore æris, alumini-
ne usto, unguento Apostolorum, Ægy-
ptiaco, vel ferro, quo caro superflua
abscinditur; vel cauterio, quo inuri-
tur. In horum verò medicamento-
rum usu, ut & in abscissione & caute-
rio, hoc observandum, ut tota carun-
cula non absumatur, sed illud tantum,
quod superfluum est, ne affectus con-

trarius, *ρυσ*, inducatur. Vide Aëtium,
tetrab. 2. ferm. 3. cap. 21. 22.

Aliquando etiam majores tumores
ad oculorum angulos oriuntur, qui
scirrhusi evadunt, & vix sine manuali
operâ removeri possunt; cujus exem-
plum habetur apud Fabric. Hildanum,
Cent. 1. observ. 2.

CAPUT. XXXII.

De Rhyade, seu Carnis la-
crymalis Diminutione
vel Absumptione.

Affectus contrarius est *ρυσ*, hoc
est, lachrymalis carnis in majore
oculi angulo diminutio vel absum-
ptio, qua foramen anguli patescit, per
quod postea excrementorum conti-
nuus datur effluxus, ægerq; continuè
lachrymat, à quo symptomate no-
men huic morbo datum est, diciturque
ρυσ, *ἄντ τὸ ῥεῖν*, quod fluere signi-
ficat.

*Rhyas &
carnis la-
crymalis
absumptio.*

Imminuitur autem vel absumitur
hæc caruncula, si vel ungula nimis re-
fecetur, vel medicamenta nimis corro-
dentia oculo applicentur. Unde ut
plurimum malè curato encanthidi vel
ægilopi aut pterygio succedit. Sæpe v.
etiam epiphoram humoris acerrimi se-
quitur. Non nunquam & à variolis ul-
cera profunda relinquentibus absumi-
tur. Malum per se visui patet.

Causæ.

Et si planè fuerit exesa caruncula,
curationem non admittit. Est enim
pars spermatica. Sin verò tantum
ex parte erosa sit, regenerari potest,
aut potius adaugeri caro deperdita.

Hinc

Hinc etiã, quod ex incisione factum, malum, curari non potest, à corrosione verò curationem recipit. Ab incisione enim pars tam carnosã quam spermatica, quæ regenerari non potest, absumitur: à corrosivo verò medicamento pars potius carnosã absumitur, quàm spermatica & nervosa; unde regenerari potest:

Indicatio & Curatio.

Quod imminutum vel absumptum, instaurandum: quod sit medicamentis færcoticis & consolidantibus, qualia sunt, aloë, rosæ, myrtus, & vinum, in quo rosæ & myrtus, & nuges cupressi sunt decocta:

Ut R. Aloës,

rhuris, an. Scrup. ij.

sangu. draconis,

sumach. an. Scrup. j.

Cum aqua rosar.

F. Collyrium.

Vel R. *Aris. usit.*

Antimonij, an. Drach. f.ij.

croci,

spica nardi, an. Drach. ij.

malabathri Drach. j.

rosar. recent. Drach. iij.

Siccata terito, deinde rosas per se rosas addito. Paulus collyrio Diacrocu dicto utitur.

CAPUT XXXIII.

De Pruritu Caruncule lachrymalis.

Ad quem tollendum Rhases topica quædam tradit: unum mitius, ex recentivivã trita, atque in globulos parvos redacta; quos cum oleo violatum, aut, quod melius est, rosaceo subactos oculo applicat. Quod medicamentum suã frigiditate & modicã humiditate acrimoniam obtundit humoris pruritus efficientis, & oleum rosaceum additum suã adstrictione impetum affluentis materiæ non nihil sistit. Cavendum tamen, ne quid olei in oculum incidat, quod dolores & inflammationes excitare possit: alterum validius, ex lentibus excorticatis, sumach, ossis rubris, & granatorum succo, quæ trita, & cum sapa aspersa, pruriginoso oculi angulo emplastri formã imponit. Mi- te quoque remedium est tutia præparata subtilissimè trita, & cum vino Malvatico, aut vino optimo antiquo & aquã rosarum mixta, sumendo plus aut minus de vino, prout magis vel minus exsiccare & resolvere est consilium. Instilletur quotidie ter vel quater in oculum.

Deinde verò, ubi hæc propter malitiam illa præsidia universalia, ad phlebotomiam & purgationem accedit Rhases: cum argumento sit; causam antecedentem in toto, vel capite adesse, à quã conjuncta illa seu proxima in oculo fovetur. Illam igitur demere jubet primò sectione cephalicæ, postea verò frontis, ac demum venæ in angulo lachrymali. Venter quoque ducendus est iis imprimis, quæ acres & biliosos humores purgandi vim habent. Postea

Pruritus
caruncule
lachryma-
lis.

Nonnunquam etiã ad caruncu- lam lachrymalem materiæ afflu- xus fit, unde pruritus excitatur.

Balneum aquæ dulcis probat, quo & reliquæ dissipentur, & relicta in temperies oculorum & totius emendetur.

Multum & hoc valet:

℞. Sanguin. dracon.

aloës epatic.

sarcocolla lacte nutrit. an. Drach. j.

zingib.

caryophyll.

croci,

caniphor. an. Drach. j.

rutia prepar. Unc. β.

Terantur omnia subtilissimè, & in vini Malvatici atque aquæ rosarum ana ℥β in vase vitreo, posito in vase altero ferventis aquæ, & quidem ad consumptionem tertiæ partis, bulliant. Postea usui ferventur, vas vitreum sæpe agitando. Ante usum collyrii hujus utile fuerit, oculos fomentare decoctione aliqua emolliente, in curatione albuginis oculi descripta.

CAPUT. XXXIV.

De Humoris aquei vitii.

Aquei humoris vitia
Hisce oculorum vitiiis hætenus explicatis proximum jam est, ut ad humorum morbos & vitia explicanda accedamus. Et primo quidem humoræ aqueum quod attinet, is in oculo primo loco positus est, spatiumque illud, quod inter corneam & humorem crystallinum est, explet, præterea naturalis suæ tenuis est, purus ac perspicuus. A naturali verò ista constitutione variis modis recedere potest Aliquando enim crassescit, & quidem vel totus,

vel ex parte, ac tum fit suffusio. Nonnulli etiam vitium contrarium ipsi accidere, & nimis tenuem fieri posse putant. Verum id vix credibile est. Aliquando totus effunditur, aliquando imminuitur, & tunc cornea concidit & corrugatur, speciesque non rectè recipiuntur. Nonnulli etiam nimis augeri posse statuunt. Sed nec hoc credibile est. In qualitatibus mutatur, cum, qui clarus & perspicuus esse debebat, fit turbidus, aut alienam qualitatem induit; de quibus ordine dicendum.

Crassescit primò humor aqueus ob humores vel vapores crassos admixtos, quales suppeditant cibi crassi & flatu-

Aquei humoris crassities.

lenti, lentes, fabæ, & similia; & omnino crapula & cruditas humorumque crassorum in corpore, & præcipuè in capite, collectio, & ad oculum confluxus.

Cognoscitur hoc vitium, quod vel imagines oculis observantur, vel visus imminuitur aut aboletur. Cognoscitur etiam inde, quod humor non, ut solet, tam clarus apparet.

Quâ ratione autem curari possit hoc malum, satis exiis, quæ de curatione suffusionis dicta sunt, & de visu abolito & imminuto dicentur, patet.

Quantitate ubi peccat, sive planè effluerit, sive imminutus sit, oculi globus non satis distenditur, sed cornea tunica nonnihil corrugatur & concidit, unde & pupilla naturalem amplitudinem non servat, & vea super crystallinum concidit, spatiumque quod ob defectum humoris aquei vacuum fit, brevius redditur; unde conus visibilis seu radiatura turbatur & abbreviatur,

tur, & visus vel aboletur, vel imminuitur, pro causæ magnitudine.

Humoris aquei effusio.
Effunditur enim hic humor aliquando totus, ut in ruptura corneæ, sive ex vulnere, sive ex ulcere id fiat. Et cognoscitur hoc malum non solum quod cornea tunica subsidet & corrumpatur, sed etiam quod ulcus præcessit. vel vulnus oculo inflictum est; aqueusque humor effluit.

Regignitur autem hic humor sponte; cuius rei exemplum exstat apud Galenum; 1. de sympt. caus. cap. 2. Langium, lib. 1. ep. 7. Benivenium, de abdit. morb. caus. & curationibus, cap. 74. Columbium, lib. 10. anatom. Coiterum, in observ. Anatom. & Chirurgic. atque ipse etiam tale exemplum vidi. Ideoque ulcus aut vulnus saltem curandum est, ægerque boni succi cibis nutriendus, reliqua naturæ committenda.

Imminuitur autem vel ob calorem & siccitatem, in febre vehementi, in febre hæctica & phthisi, unde oculi febrilibus laborantium subsidere quasi videntur; aut ob immodicam evacuationem, Venerem nimiam, ætatemque senilem.

Cognoscitur hoc malum ex causis dictis præcedentibus, ex ætate, oculorum imminutione, visus obscuritate.

Malum hoc curatu difficile; quia sæpe cum totius corporis siccitate, quæ non facile emendatur, conjungitur.

Curatur autem cibus boni succi & sanguinem bonum multum generantibus, fomentis oculum humectantibus, vel decocto ex malva, althæa, meliloto, lacte. Imprimis utile est, si à puerulo sano halitus ore in oculum immit-

tatur. Temperatus enim ille est & humectat.

Obscuratur, & alieno colore inficitur humor aqueus ob humores alienos admistos, quorum colorem admittit; unde idem naturalem pelluciditatem amittit.

Si obscuretur humor, non apparet imago intuentis in oculo, oculus & colorem mutat, & obscurior redditur. Et si colore aliquo inficiatur, eundem etiam species visibiles repræsentant.

Curatur hoc malum humores vitiosos evacuantes, ut hæctenus sæpius dictum. Possuntque talia medicamenta non solum exhiberi, sed & naribus hauriri; aut si decoctum, vel infusum rhabarbari oculis immittatur, obscuritatem eorum ex bilioso humore tollit; quod idem alia purgantia, alia humoribus peccantibus, præstare possunt.

CAPUT. XXXV.

De Humoribus Crystallini vitii.

Humor Crystallinus inter principes oculi partes facile primas obtinet, qui coloris ferè expers est, pellucidus, figurâ sphericâ, non nihil compressa præditus, ut Galenus, de usu partium lib. 10. cap. ult. docet. Situs ejus, si linea per medium pupillæ ad principium nervi optici ducatur, in medio est; respectu verò anterioris & posterioris non planè in medio situs, sed versus anteriora & pupillam oculi declinat.

Humoris crystallini vitia.

Ex his igitur, quæ ad naturalem ejus constitutione pertinent, si aliquid mutetur, morbi humoris crystallini, & inde variæ visus læsiones oriuntur. Inter quæ primum est *γλαύκωμα* vel *γλαύκωσις*, humoris crystallini in glaucum colorem mutatio. *Γλαύκωμα* autem vocabulum à posterioribus Græcis duplici modo accipitur: Primum improprie, pro coloris oculi ob suffusionem mutationem. Deinde pro crystallini humoris in glaucum colorem mutatione. Veteres equidem Græci, teste Ruffo, *γλαύκωμα* & *ὑπόχρωμα* pro eodem morbi genere habuerunt. Unde etiam Galenus, 3. aph. 1. scribit; τὰ γλαύκωματα ἔχεν ἰδέαν τῶν ὑπόχρωμάτων. Posteriores tamen Græci proprie *γλαύκωμα* saltem pro humoris crystallini in glaucum colorem mutatione accipiunt. Quod ubi fit, visio impeditur. Neque enim species visibiles ob humorem crystallinum non satis pellucidum sed obscuratum rectè recipi, neque humor crystallinus glaucus redditus, & quasi condensatus rectè illuminari & irradiari potest.

Causa hujus mali est exsiccatio, quæ fit seu ob ætatem, seu ob aliam causam exsiccantem, incrassantem, & condensantem. Unde Galenus, 10. de usu partium, *γλαύκωσιν εἶναι ξηρότητά καὶ πῆξιν* humoris crystallini scribit.

Cognoscitur hoc malum, quod circa pupillam insignis & profunda apparet albedo, & omnia tanquam per fumum aut nebulam videntur.

Curatu difficile hoc malum est, primo, quia omnes morbi humoris cry-

stallini curatu difficiles sunt; cum is in profunda oculi parte sit, ad quem non facile medicamenta pertingunt. Secundò, ut in aliis partibus, ita & hic morbi ex siccitate orti vix corrigi possunt, in senibus præcipuè.

Nonnulli etiam contrarium vitium incurrere posse humorè crystallinum, nimisque tenuem fieri posse statuunt, ut non sit aptus recipere & representare visibiles species. Exemplumque afferunt spiritus vini & aquarum destillatarum, quæ cum sint subtilissima & tenuissima, non ita recipiunt & representant rerum imagines, ut aqua limpida. Verùm malè hîc præsupponitur, visionem & receptionem specierum fieri in crystallino. Nō enim visio fit per species reflexas, ut in aqua, cui subest aliquid opaci; sed per refractas in tunicis & humoribus, tandemque in tunica retina representatas. Nimia verò tenuitas crystallini receptionem specierum non prohibet. Si tamen nimia tenuitas crystallini visioni officiat, fit hoc ideo, quia refractionis leges violantur. Non tamen video, unde tanta tenuitas humori crystallino induci possit. Sit enim sanguis, unde nutritur, tenuis, nunquam tamen inde humoris crystallini nativa constitutio mutabitur, ita ut inde visio lædi possit.

Nonnulli etiam majorem & minorem fieri posse statuunt, & à quantitate naturali degenerare. Verum cum venæ ad eum sensibilibiter non pertingant, ex nutritione vix hoc vitium incurrere poterit. Neque videmus, in iis, quorum corpora insigniter au-

An major vel minor.

Glaucoma

Crystallinus humor an tenuior fieri possit.

gentur, tale quid humori crystallino accidere.

Minor si fiat, fit hoc in exsiccatione, præcipuè in senibus, aut qui senili ætate ex alia causa simile quid patiuntur. Verum illud in magnitudine decrementum vix tantum est, ut inde visio lædi possit. Et si accidat visus læsio, fit ea potius ob condensationem & coloris mutationem, ut modò de Glaucomate dictum.

Situm mutat humor crystallinus, ubi latiore sua parte, quæ lentis majoris instar compressa est, pupillæ foramini non rectè opponitur, sed vel sursum declinat, vel deorsum. Et quidem si crystallinus humor situm mutet in uno oculo, in alterò verò situm naturalem retineat, vel si ambo difformiter situm mutant, ita ut alter sursum, alter deorsum, vel ad latera vergat, res geminatæ apparent. Sin autem accidat, ut utriusque oculi humor crystallinus æqualiter situm mutet, ita ut ambo superiora petant, vel ad inferiora demittantur, non apparent res geminatæ. Quin etiam si alter oculorum quoad humorem crystallinum rectè sese habeat, alter ad latera moveatur, itidem sit geminata visio. Mutatur enim hîc planum, ut loquuntur optici. Causa autem hujus rei hæc est, quod, quando motu muscutorum situs crystallini vitiosus corrigi potest, quod fit in strabismo, res geminatæ non apparent; quando autem motu muscutorum vitiosus ille situs crystallini non corrigitur, tum demum res geminatæ apparent. Fit hoc nonnullis à natura, aliis à causis externis, oculique percussione & contusione; vi-

tiumque hoc vix curabile est, nisi sponte sua ad suum locum naturalem redeat hic humor.

Potest & aliam in situ mutationem pati humor crystallinus, si videlicet à suo loco vel versus anteriora, vel versus posteriora declinet. Quomodo autem hoc fiat, & qualem hæc situs mutatio in visu mutationem excitet, valde obscurum. Quod versus anteriora humor crystallinus interdum vergit, hoc accidit nonnullis à natura, & prima cõformatione, senibus verò ideo hoc accidere putat Platerus, quod toto ætatis tempore in legendo, & rebus quibuscunq; tandem oculis propositis, manibusque tractandis oculos dimiserint, ideoque crystallinus humor ætatis decursu unà cum vitreo ad anteriora sensim prælapsus sit. Verùm si crystallinus hoc modo versus anteriora prolaberetur, necesse erit, vel aliud corpus, vel humorè, in spacium illud subire, quod inter crystallinum & vitreum, vel inter vitream & tunicam retiformem interjacet; quod fieri non potest. Potius in senibus, in quibus totum corpus exsiccatur, coarctatio quædam humorum à siccitate orta statuenda, ob quã accidit, ut propinqua rectius, quam remota videant; ut ex opticis fundamētis patet.

Contrà nonnunquam crystallin⁹ humor versus originè nervi optici nonnihil declinat, quod ubi fit, homo remotare rectè videt, propinqua minus rectè. Accidit hoc plerumq; à natura & prima conformatione, nec vitium infrequens est. Unde etiam procul dubio factum, ut Anatomici nonnulli in talium corporum sectionem incidentes situm

crystallini in medio oculi esse scripte-
runt. Vitium etiam hoc incurabile est,
& defectus hic perspicillis saltem com-
pensatur.

Si tandem continuitas humoris crys-
tallini solvatur, fit, ut res divisæ vel ge-
minatæ videantur. Ut enim, si specu-
lum in plures partes frangatur, singulæ
partes imaginem eandem exhibent: ita
idem accidit in crystallino. Hoc vitium
equidem facile accidere non potest;
cum humor crystallinus in parte pro-
fundiore situs sit, & potius totus oculus
turbetur, antequam humor crystalli-
nus in duas partes dividatur. Si tamen
fieri debet, non aliunde, quam ex causis
externis & violentis, id accidere po-
test.

CAPUT. XXXVI.

De Morbis humoris

Vitrei.

*Vitrei hu-
moris mor-
bi.* **S**pecies visibiles ubi humorem crys-
tallinum tranierunt, in vitreo reci-
piuntur: cuius quis usus sit, in Instir. *part.*
i. cap. 12. dictum, quem ut præstare pos-
sit, naturalem suam constitutionem ut
habeat, necesse est. Sit nimirum pellu-
cidus, coloris expertus, situm suum habe-
at post crystallinum. Hæc verò natura-
lis constitutio si mutetur, morbi humo-
ris vitrei oriuntur, & visio inde læditur.
Dispat. ut quidem nonnulli, an vitreus
humor à naturali constitutione defle-
ctens possit immediatè visionem læde-
re; an verò saltem quia nocet crystal-
lino: & sunt quidam in ea opinione,
inter quos Mercurialis, humorem vi-
treum non posse immediatè visionem
lædere, sed saltem quatenus crystallino

nocet. Sed falsa est hæc opinio, & ex
falsa hypothesis orta. Præsupponit enim
usum vitrei esse nutritæ crystallinum.
Verum aberrat à verò hæc opinio, & in-
stituitur. *loco allegato*, monstratum, vi-
treum humorem æquè comparatum
& necessarium esse ad recipiendas spe-
cies visibiles, ac crystallinum. Neque e-
nim in crystallino, ut in speculo, spe-
cies sistuntur, & in eo visio terminatur,
sed per eum transeunt, & in humore
vitreo recipiuntur. Itaque si à naturali
suâ constitutione illè deflectat, ad spe-
cies visibiles recipiendas fit ineptus.

Id quod fit primò, si fiat obscurior,
& tale quid patiat, quale crystallinus
in glaucomate. Id quod accidit, si im-
puro alimento nutriatur.

Sed utrum hoc vitium sit in crystal-
lino, an verò in vitreo, non facile di-
gnosci potest. Neque etiam facile hoc
malum curari potest; cum loco adhuc
profundiore, quàm crystallinus, hic hu-
mor situs sit.

Situm etiã aliquando mutat vi-
treus. Secundum naturam post crys-
tallinum si us est: si verò accidat, ut
pars ejus suâ sede mota ante crystalli-
num feratur, eique præponatur, non
quidem cæcitas, (nisi forsan tanta
ejus pars ed sit detrusa, ut penitus crys-
tallinum obtegat, & ita tota fere ocu-
li structura turbetur) sed visus aliqua
hallucinatio accidit. Densior enim est
humore aqueo.

Causa hujus mali est ictus vel con-
tusio oculi, vel punctura & acus in suf-
fusione curanda nimis profundè ad-
acta.

Cognoscitur verò, quod sub pupilla
albu-

albuminis instar ipse humor apparet, visusque aliqua hallucinatio deprehenditur.

Curabile verò vix est hoc malum, nisi humor sua sponte in naturalem suam sedem redeat.

CAPUT. XXXVII.

De Nervorum Opticorum vitis.

Nervorum opticorum is usus est, ut spiritum animale ad oculos ferant. Sunt verò aliqua vitia, ob quæ hunc usum præstare nequeunt; obstructio nimirum, compressio seu coarctatio, contorsio & convulsio, vulneratio, ruptura.

Angustia. Primò sive intus humores pituitosi in nervos illabuntur, eosque obstruant, sive extra iidem, vel etiam sanguis ex vase læso effusus origini nervorum opticorum incumbat, atque angustiam in iis efficiat, visio aboletur; quod vitium vulgè gutta serena, Germanis der schwarze Star nominatur, quod pupilla equidem clara, sed tamen quasi nigricans apparet.

Transmittuntur enim pituitosa & aquosa cerebri excrementa ad basin cerebri, ubi nervi optici è cerebro egrediuntur, & ad infundibulum, & propè nervos in nares defluunt. Et quidem materia hæc interdum solum nervos opticos occupat, atque tum sola visio, reliquis sensibus integris, læditur; interdum simul principium nervorum, unde etiam alii sensus læduntur. Nonnunquam etiam ex apostematibus eò loci

ortis malum hoc originem ducit, & post cerebri inflammationem & phrenitidem in febribus malignis & pestilentialibus provenit. Nonnunquam subito ex humorib⁹ in cerebro agitata oritur. Sic memini, hic ante biennium Studiosum, cum ipsi à quodam medicamentum purgans fortius exhibitum fuisset, subito obcæcatum fuisse, proculdubio humoribus in cerebro agitata, & in principium nervorum opticorum effusis. Interdum fæminis hoc malum accidit ob menses suppressos, & nonnunquam quidem recedit, mensibus fluere iterum incipientibus, nonnunquam toto vitæ tempore persistit.

Et in specie observatum, fæminas quædam, cum in utero concepissent, obcæcatas ex nervorum opticorum angustia fuisse, malumque hoc ad menses quatuor, quinque vel sex durasse; nonnullis etiam usque ad tempus partus.

Fæminæ gravida obcæcata.

Cognoscitur hoc malum, quod oculi, si planè clari apparent, nihilque vitii in iis animadvertitur, nisi quod pupilla nigrior & amplior apparet. Et si à vitiosis humoribus à cerebro eò delatis malum originem habet: excrementorum in cerebro redundantium signa adsunt. Si à sanguine in eum locum effuso id fiat, vulnus, ictus, casus præcessit.

Malum curatu difficile est, neque humores semel nervos illos obfidentes & occupantes faciliè discutiantur, vel loco dimoventur.

Prognostica.

Et tamè aliqua curationis spes reliqua, si visio non sit planè abolita, & aliquid

adhuc agnoscat æger. Si verò visus ita ablatuſ ſit, ut lumen amplius non videat æger, neque, an dies vel nox ſit, diſcernere poſſit, malum incurabile eſt.

In gravidis quibusdam menſe quarto, quinto, ſexto, vel poſt puerperium, malum hoc ſponte ceſſare, modò dictum.

Curatio.

Curatur autem hoc malum, ubi adhuc ſpes aliqua curationis ſuper eſt, ſi & corpus totum, & caput evacuentur; ſicut ſupra, part. 1. de intemperie capitis cum pituita dictum. Et ferè talis curatio inſtituenda, qualis in ſuſtaſione. Nonnulli commendant largam ſanguinis miſſionem è vena frontis. Poſſunt etiam veſicatoria cervici imponi, vel ſetaceum, quod efficacius eſt, cervici applicari. Hinc, ut humores pituitoli diſcuriantur, lotiones capitis adhibeantur.

Ut R. Stræhad. rabic.

hetonic.

euphrag. an. M. ij.

ſarſeparilla Unc. ij.

Coquantur in lixivio pro lotione capitis.

Vel R. Saponis Veneri lb. j.

rad. ireos Unc. ij.

ſtyrac. liquid.

ladani, an. Unc. j.

olei caryophyll. Drach. ſ.

moſchi.

umbra, an. gr. iij.

Miſceantur in mortario; affuſa aqua roſarum pauca, & manibus oleo de-been imbutis.

F. Globuli.

In eundem ſinem exhibeatur hic Potus:

R. Ligni Guajaci lb. j.

ſarſeparill. Unc. iij.

rad. dictamn. albi. Unc. j.

Coquantur in aqua lb. xij. ad tertiæ partis conſumptionem. Manè & veſperi exhibeantur Unc. vj.

Reliquis adde euphrag. M. ij.

granor. juniperi,

cinamomi,

ſeniculi, an. Unc. j.

Affunde aqu. lb. xij.

vini Rhenani lb. iij.

Coquantur ad tertiæ partis conſumptionem pro Potu.

Vel R. Sem. ſeniculi Drach. iij.

ſileris montani,

piper.

zingiber.

cinamomi,

pulegij.

hyſſopij.

euphragie,

granorum juniperi,

ſtor. roris marini,

ſaxifrag. an. Drach. ij.

chamadryos,

rad. cheldon.

cinamomi,

apij.

aniſi.

petroſelin. an. Drach. j.

Cum ſ. q. mellis.

F. Eleſtuarium.

Nonnunquam quoq; accidit, ut in magnis convulſionibus, ut epilepſia, nervi optici contorqueantur, & inflantur, ita ut ſpiritibus animalibus tranſitus de negetur, vel, quod probabilius, ut natura excrementa, quæ ex cerebro expellit, in nervos opticos impellat quod

*Conterſio
nervorum
opiticorum.*

quod post fortiorem sternutationem accidisse à Guilhel. Fabricio, *Centur. I. observ. 81.* notatum, & cœcitas inde inducatur; quæ nisi intra paucos dies desinat, & sponte visio redeat, immedicabile malum est.

*Vulnera
ner. vis. opti-
ci.*

Si ex vulnere, vel quacunque insigni læsione, ad nervum opticum usque pertingente, cœcitas introducta sit, immedicabilis illa est.

CAPUT XXXIIX.

De Spirituum Opticorum vitis.

*Spirituum
opticorum
vitis.*

Atque hi sunt morbi & vitia, quæ singulæ partes oculorum incurtere possunt. Verùm cum ad visionem perficiendam partes hæcenus enumeratæ non sufficiant, nisi spiritu animali perfundantur, atque ab illo ultimam quasi perfectionem accipiant, & denegatis spiritibus visio aboleatur, etsi reliquæ partes in oculo omnes salvæ sint, ut ex angustia nervorum opticorum, de quâ, *precedente capite*, dictum patet: necessarium est ad visionem absolvendam, ut spiritus animalis oculos irradiet, & rectè sese habeat; quod nisi sit, etiam visio læditur.

*Spirituum
opticorum
naturalis
constitutio.*

Cum autem spiritus optici lucidi esse, rectè in oculos influere, & justâ quidem quantitate, debeant; vitium patiuntur, si impuri sint, non rectè in oculos ferantur, nec sufficienter, & iusta copia oculos irradiant.

*Spirituum
opticorum
crassities.*

Spiritus ipsi quidem per se non crassescunt, verum si vapores crassi & tur-

bidi ipsis commisceantur, inde visio fit obscura, vel ægri ea se videre existimant, quæ verè non sunt, ut muscas, culices, floccos, & filamenta, telas araneorum, vel alia corpora minuta: qui affectus à nonnullis Nubecula appellatur; eò, quod tali vitio affecti plerumque se nubeculam quoque videre arbitrantur, aut res simplices geminas esse putant, ut ebriis sæpe accidit, vel retas curvas, sicut accidit militi, cujus mentionem, facit Forestus, *lib. II. observ. 39.*

Spirituum etiam nimia agitatio, quæ fit vel ob vapores commixtos spiritus turbantes, vel ob corporis agitationem, visionem turbat. Motus item corporis & capitis eodem modo diu continuatus facit, ut spiritus eadem ratione secuti agitatioque eadem etiam formam in oculum influant; de quare in vertigine dictum.

Nonnulli tamen affectionem, quæ à spirituum opticorum agitatione provenit, à vertigine distinguunt, & falsam visionem cum rerum circumgyratione nominant, quâ qui afficiuntur, res, quas intuentur, etsi firmæ & stabiles sint, circumagi, & in gyrum circumrotari, vel aliter inclinare, & subverti existimant, ita, ut, licet falsam esse hanc imaginationem cognoscant, tamen, cum ex illa rerum circumversione visus firmam, qua corpus subsistere possit, sedem non amplius cernat, idem quoque tirubet, & vacillet. Nonnunquam quoque pavimentum, cui insistant, ipsis inverti videtur. Hinc, nisi sustineantur, subito integris sensibus in terram cadunt, prius ter quater-

vè pedibus, quib⁹ se sustinere cupiunt, terram pulsantes. Et quamvis hæc affectio cum vertigine propriè dicta magnam cõvenientiam & similitudinem habeat, resq; non minus in ea, quàm vera vertigine, circumgyrari videantur, ac propterea etiam *div. C.* & vertigo à plerisque vocetur: distat tamen à verâ vertigine, quod in hac ut plurimum cerebrum eum oculis, seu potius spiritus in illis existentes afficiantur, sensuumq; interiorum operationes aliquo usque imminuantur; in falsâ autem visione, quæ hic describitur, soli oculi afficiantur, cerebro ejusq; spiritibus nihil patientibus. Unde fit, ut si in hoc affectu claudantur oculi, malum protinus cesset, resq; non amplius circumrotari appareat. At in vertigine cerebri vitio natâ, licet artissimè etiam palpebræ ocludantur, nihilominus tamen omnia adhuc, ac si circumverterentur, sensui communi offeruntur. Præterea in falsâ visione res adhuc oculis repræsentantur, nisi quod circumgyrari videntur: at in vertigine vera acies oculorum etiam ferè hebescit, & quædam visus obtenebratio seu scotomia accedit cum aurium tinnitu, & gravi auditu, nonnunquam & capitis dolore, ita ut res non distinctæ, sed quasi per nebulam vario colore tinctam oculis appareant.

Circumgyrationi spirituum opticorum cognata est illa inordinata motio spirituum, ob quam scintillæ ante oculum noctu apparent, quod fit, dum oculi fricantur, item obsternutationem, & post narium emunctionem cum vehementi spirituum impulsione; quod

symptoma proculdubio spirituum opticorum agitatione accidit.

Si spiritus etiam in oculo deficient, *Opticorum spirituum defectus.* vel minus copiose influant, visio vel aboletur, vel imminuitur. Spiritus autem in oculo deficient, vel quia à cerebri, non transmittuntur; vel quia ob nervorum opticorum angustiam influere non possunt.

An verò ob spirituum vitium, crassitatem puta, & obscuritatem, visio lædatur; an verò ob humoris crystallini vel vitrei morbos, non ita facile est agnoscere. Mercurialis equidem pollicetur, se signum à nemine animadvertsum propositurum, quod sumatur à perspicillis, statuitque, si visus læsio corrigatur perspicillorum ope, vitium esse à spiritibus: vitium verò, quod sit in humore crystallino, vitreo, albugineo, vel tunicis, beneficio perspicillorum corrigi non posse. Verùm etsi planè negare nolim, spirituum vitium aliquo modo per specillorum usum corrigi posse; cum si spiritus sint vel pauciores, vel crassiores, atque ita objecta minora non rectè videamus, perspicilla species objectorum ampliores, & sub forma majore exhibere possint: tamen juvenentum hoc non certum signum est vitii spirituum; cum extra dubium sit, etiam vitium humorum & tunicarum aliqua ex parte perspicillorum usu corrigi posse. Malo quoque hîc assentiri Platæro, statuenti, visus læsiones plerasque, quæ vulgo in spirituum vitia referuntur, potius in situm crystallini vitiosum, vel alia humorum vitia referenda esse. Talia enim vitia, ut in *Institut. lib. 2. part. 3. sect. 2. cap. 3. dictum,*

dictum, sæpe juvenibus accidunt, in quibus nullum spirituum vitium vel defectus animadvertitur, & perspicillorum ope talia vitia corrigi possunt. Etenim cum corneatunica, ut & omnes humores, ob admissionem & refractionem spirituum visibilibum facti sint, si situ vel alio vitio peccent, refractione illa debito modo non fiet; quod perspicillorum ope corrigi potest. Sic etiam aliàs sanos perspicillorum usu res longè distitas & minimas videre animadvertimus; quod fit saltem ob peculiare specierum visibilibum refractiones, nullo verò modo ob spiritus, quos perspicilla nec clariore, nec copiosiores reddere possunt.

Spiritus opticos confortantia.

Vitium autem spirituum corrigitur per medicamenta ὀφθαλμικά, quæ ὀφθαλμικά nominantur, de quibus proinde agere hujus loci est. Sunt autem illa, *feniculum, euphragia, ruta, rad. valerian.* (de qua Tabernæ montanus videatur) *verbena, rosinarinus, salvia, majorana, betonica, radic. belenij, calendula, chelidon. majus, & aromata* pleraque; quæ quia cerebrum confortant, etiam simul faciunt, ut spiritus animales puri & copiosi generentur, præcipuè nux moschata, calamus aromaticus, myrobalani chebulæ: è quibus componuntur varia medicamenta: (omnendatur Electuarium Humaim descript. Mesue, in 1. cap. de agris. sculor.

Electuar. Humaim.

*Rx. Euphragia Unc. ij.
sem. feniculi Drach. v.
macis,
cubebar.
cinamomi.*

*piperis longi,
caryophyll. an. Drach. j.
Pulverisentur & cribrentur.*

Postea

*Rx. mellis despumati lb. j.
succu depurati feniculi Unc. j.*

ruta,

*chelidonia major.
an. Unc. β.*

Coqu. succi cum melle ad mellis fluidioris consistentiam, & adde species. F. Electuarium, cujus dosis sunt Drach. iij.

Habentur etiam medicamenta talia apud Valæscum de Tatanta, lib. 2. cap. 30. Electuaria duo visum confortantia descripsit Langius, libr. 3. Epistol. Et occurrunt passim talia alia, & proponuntur etiam aliqua infra, cap. 44. Unum atque alterum saltem hic addemus.

Species Oconis:

Species Oconis.

*Rx. Spec. diaplir.
sem. feniculi. an, Unc. β.
macis,
cubebar.
cinamomi,
piperis longi.
caryophyll an. Scrup. ij.
pulv. fol. euphrag.*

salvia,

ruta,

*verben. an. Drach. ij.
& Scrup. ij.*

Misce.

*Vel Rx. Pulv. nucis moschat.
ligni aloes,
sem. filer. mont.
mastich.*

euphras.

euphras.
sem. anise,
feniculi,
carvi prepar. an. Drach. jß.
sacchari albi Unc. jß. —

M. pro Tragea, de qua manè & vesperi, quantum duo cuspides cultri capiunt, sumatur.

Vel horà decubitus sumatur de sequenti Electuario quantitas nucis moschatæ:

R. *Conserv. fl. euphrag. Unc. ij.*
rosar. Drach. vj.
salvia,
anthos an. Unc. ß.

succini albi prepar. Drach. j.
spec. diarrhod. Drach. jß.
margarit. prepar. Drach. ß.
essentia saly. Drach. j.

Cum sirup. de betonic.

F. Electuarium.

Læsiō visus ex spirituū nimia agitatione cognoscitur ex vertigine conjuncta. Si spiritus deficient ob cerebri vitium, etiam alii sensus afficiuntur. Si ob nervorum opticorum angustiam, oculi partes reliquæ sanæ sunt, nihilq; vitii etiam in cerebro animadvertitur.

In usu tamen & delectu horum medicamentorum considerandum, an spirituum crassities & impuritas à materia melancholica, an verò à pituitosa proveniat. In illa enim conveniunt medicamenta tenuium partium cum immodica humectatione citra vehementem & exsiccantem calefactionem, vel exsiccationem; in hac verò calida & sicca, quæ cerebrum frigidum & humidum corrigere apta nata sunt.

CAPUT. XXXIX.

De Musculorum Oculorum vitiiis.

UT homo non solum quæ rectè oculis opponuntur, sed & quæ ad latera, & supra & infra sunt, sine capitis motione videre possit, dati sunt oculis musculi, quorum genera descripta videantur apud Coiterum, in *tabulis*, Bauhinum, Jul. Casserium Placentinum, Hier. Fabricium ab Aquapendente, & alios Anatomicos.

Horum vitia sunt paralyxis & convulsio, in quibus affectibus & motus oculorum, & situs vitari, & ex situ oculorum vitiato ipsa visio lædi potest. Etenim si omnes musculi resolvantur, oculus extra tendit, & prominentior fit: si verò illi solum, qui ad exteriorem angulum movent, resolvantur, oculi ab oppositis sanis musculis versus interiorem angulum trahuntur. Sed si convellantur musculi ad suum angulum, oculum secum trahunt & convertunt. Si resolvantur musculi superiores, oculus versus inferiora inclinatur; si verò inferiores, versus superiora.

Causa sunt eadem, quæ supra in convulsione & paralyxi sunt explicata.

Cognoscitur hoc malum visu, & strabismus inde oritur; de quo suo loco dicetur.

Paralyxis curatur medicamentis caput evacuantibus, & humorem pituitosum absumentibus; de quibus supra dictum.

*Musculi
cur oculis
dati.*

*Musculo-
rum oculo-
rum vitia.*

dictum. Nonnulli sanguinem turturis instillatum, ut peculiari proprietate efficacem, commendant. Si a convulsione, relaxantia & humectantia exhibeantur, ex decocto seminis lini, malvæ & althææ; de quibus etiam *supra*, de convulsione, dictum.

Est etiam musculorum vitium, cum nimis graciles vel debiles sunt, ut continua quasi inter se lucta certantes alter oppositorum alterum vincere conetur, unde instabiles & continuo mobiles oculi evadunt; quod vitium à Græcis ἰππὸν appellatum fuisse censent. Neque enim peculiaris est musculus oculo motorum tunicum largiens, sed omnes sex musculi æqualiter constructi oculum in certo situ detinent. Si ergo debiliores sunt, id præstare non possunt. Vitium autem hoc plurimis à nativitate contrahitur, & incurabile est. Observavi id in virgine quadam aliàs pulcherrima, civis cujusdam filia, cui oculorum globus planè instabilis erat. Vitium hoc contraxisse dicebatur à matre, quæ incendium domus cujusdam spectaverat, & inde territa fuerat.

Ad musculorum morbos pertinent etiam vulnera, ictus, puncturæ profundæ, quibus variè & transversim interdum secantur, lacerantur, & ad suas actiones obeundas inepti redduntur. Ita vir quidam nobilis, ut ad me perscripsit Dn. D. Jacobus Janus, Serenifis. Eleæt. Viduæ Lichtenburgi Medicus, equo insidens caput ligno acuminato ita allisit, ut ligni portio ad interiora oculi penetrans musculum oculi sinistrum attollentem rumperet. Hic convalescens oculum quidem habet sal-

L. I.

vum, sed omniageminata videt. Cujus rei causæ est, quòd, cum musculus oculum rectè regere nequeat, species visibiles in diverso plano statuuntur, & sic retina tunica difformiter pingitur, & dupliciter objectum percipitur. Unde etiam si rem rectè judicare velit, semper alterum oculum claudere necesse habet. Perinde autem est, sive claudat dextrum, sive sinistrum. Nam species æquè in utroque recipiuntur. Hac saltem est differentia, quod objecta in alto posita oculus ille, cujus musculus læsus est, non videt, nisi se cer vice valde supinet,

CAPUT XL.

De Oculi defectu.

ATque his sunt morbi, qui singulas oculi partes infestare solent. Sunt præterea quidam morbi, qui toti oculo accidunt; de quibus jam dicendum.

Et primò quidem monstruæ oculi constitutiones occurrunt, & nonnullos uno, nonnullos tribus vel quatuor oculis natos fuisse observatum est; ut ejus rei historias Schenckius, *libr. 1. observ. 278.* collegit, quas tamen neque ars, neque natura corrigere vel tegere potest.

Deinde interdum oculus unus deesse solet; id quod fit per magnas inflammationes, ob quas oculus rumpitur, vel in pus mutatur, post ictus, vulnera. Quod ubi accidit, nulla equidem oculi amissi reparandi spes est. Ut verò deformitas illa tegatur, alii lin-

Q9999

teolo

ἰππὸν
in oculis.Vulnera
musculorū
oculorum.

teolo serico locum tegere solent; alii in oculi deficientis locum alium factitium aureum argenteum vè pictum reponi curant, qui nativum oculum referat. Ita Johan. Thomas Minadous, de externis affect. lib. 3. cap. 14. refert, se Byzantii vidisse fœminam, quæ uno oculo deficiente factitium ex argento rectorio opere adedò expolitum & pictum infertum habebat, ut verum magnitudine, luciditate, colore æquaret. Modum etiam Paræus, lib. 22. Chirurg. cap. 1. habet; quo oculus factitius formari possit.

CAPUT. XLI.

De Oculi Atrophia.

Oculi atrophia.

ALiquando verò solum imminuitur oculus, & minor, quàm naturalis constitutio, & ad corpus reliquum proportio requirit, redditur; cum scilicet omnes oculi partes imminuantur & contabescunt. Unde non solum deformitas ob partium inconcinnitatem & proportionem læsam, oritur, sed & visio læditur.

Causse.

Quæ autem aliàs atrophie causse esse solent, ex & in oculo locum habent, si partes corporis superiores, & præcipue oculum, occupent, ut nimia evacuatio & exsiccatio, puta stertus continuus, humorum acrim in lippitudine diuturnus fluxus, vigilia diuturna, febris hectica, obstructio vasorum oculis alimentum advehentium.

Signa Diagnostica.

Ipsum malum per se facillè cognoscitur: quæ verò ejus causse fuerint, relatio ægri patefaciet.

Prognosticum.

Malum curatu difficile est. Neque enim siccitas in ulla corporis parte facillè curatur; & nisi maturè ei succurratur, caussa cæcitatæ esse solet.

Curatio.

Curatur medicamentis humectantibus, lacte muliebri imprimis imposito; vel fomentetur oculus hoc Decocto:

℞. Rad. altheæ,
malva, an. Ūnc. j. j.
sem. femigraci,
altheæ,
malva, an. Ūnc. β.

Côqu. in aqua, & oculus decocto foveatur, vel ex iis destilletur aqua, quæ oculo sæpe instilletur.

CAPUT. XLII.

De Oculi proidentia.

ALiquando etiam accidit, ut oculi de naturali sua sede & orbita præter modum emineant, quod vitium Oculi prominentia dicitur; vel etiam excidant, & ita propendeant, ut palpebris amplius tegi nequeant, quod malum Græcis ἐπιεσμα & ἐπιεσμός, Latinis Oculi proidentia, exitus, prolapsum & expressio nominatur.

Causse.

Causse.

Causse ad tria genera referri possunt. Ad primum pertinent omnia, quæ vi quasi oculus ex orbita sua extrudunt, ut vehemens inflatio & vocis intentio, vehemensq; spiritus suppressio: id quod accidit in clamore nimio, tubarum inflatione, strangulatione, & suffocatione, quocunque modo ea fiat, vomitu, tussi, partu laborioso, cum maximo conatu, feces detruduntur. Spiritus enim retentus cum sanguine & vaporibus versus cerebrum tendit, illud inflat; unde etiam oculi & vicinæ partes quasi intumescunt, & loco suo pelluntur. Quò pertinet casus ab alto, quo cerebrum valde concutitur.

Secunda causa est resolutio musculorum & nervorum in oculo, quæ fit ob humores pituitosos & aquosos à cerebro ad oculum confertim affluentes.

Tertia causa est vulnus annatae tunice, quæ oculum orbitæ annectit, & propterea etiam conjunctiva dicitur; vel musculorum oculi.

Quibus & quartum causæ genus addi potest, tumor oculum ex orbita quasi extrudens; cujus rei historiam habet Trincavellius, *libr. 4. de ratione curandi particul. corpor. human. affect. cap. 6.* de quodam Veneto, cui dexter oculus adeo prominebat, universam ferè faciem deformaret, quod contigerat à scirrhuso tumore, qui erat in interna parte, qua membrana annata oculum ossibus annectit.

Signa Diagnostica.

Malum ipsum per se intuentibus patet. Quanam verò sit causa, ex iis, quæ præcesserunt, patet. Et quidem si resolutio adsit, ac visio sit integra, musculi solum erunt resoluti; si verò etiam amittatur visio, nervus opticus.

Curatio.

Universalia primò, si opus sit, præmittenda, & vel vena aperienda, vel purgandum corpus. Oculus verò ipse, quantum fieri potest, in locum suum reponendus, & convenienti ligatura in eo detinendus. Postea cucurbitulæ cervici, ipsis verò oculis repellentia & roborantia, adhibeantur, ex decocto rosarum, balaustiorum, myrti, nucum cupressi, acaciæ, hypocistide; vel succus psyllii, polygoni, plantaginis imponendus.

Christophotus à Vega, *lib. 3. cap. 12.* quendam, cui ex casu ab alto oculi extra palpebras exciderant, ita curavit. Primò oculos, quantum potuit, sensim reduxit, & iisdem linteolum duplicatum madefactum decocto rosarum & balaustiorum, & inspersa acacia, imposuit, & statim sanguinem ex cubiti dextri externa vena misit; decentiq; victu adhibito agrum restituit.

Si inflammatio oculo procidenti accidat, integrum ovum cum vino & rosaceo lanâ vel hysso lini exceptum oculis imponendum. Si procidentia sit à resolutione musculorum & nervorum oculi, apophlegmatismi usurpandi; humores pituitosos evacuanes, odoramenta item eosdem absumentia,

& oculos roborantia. Extrâ cataplasma usurpandum est è farina fabarum, rosis, thure, spica, cum albumine ovi. Et quia humores resolutionis causa sæpè à partibus vicinis affluunt, fronti etiam adstringentia imponenda.

Ut R. *Florum rosar. rubrar.*

balaustior.

myrtillos.

acacia,

rad. bistorta, an. Drach. ij.

boli Armeni Unc. ß.

cortic. thuris,

croci, an. Drach. ß.

aceti rosacèi Unc. j.

olei rosacèi q. s.

F. Cataplasma.

Si cum humiditate flatus adsint, aliqua calida, quæ simul adstringunt, admiscenda, ut sp. ca, radix, cyperi, caryophylli, mastix, &c.

Ut R. *Fol. cupress.* Unc. ß.

flor. chamamel. Drach. ij.

thuris,

mastib. an. Drach. j.

Fiat Sacculus in aqua rosarum madefactus, qui oculo imponatur. Vide Aëtium. *tetrabibl. 3. serm. 2. cap. 55.* Valsc. de Paranta, *lib. 2. cap. 23.*

Si verò oculus ita prolapsus sit, ut nulla de ejus repositione spes super sit, ut deformitas illa, quæ ex eo in faciem propendente oritur, tollatur, totus oculus excindi potest. Ideoq; corpore evacuato, ægro recte collocato, instrumeto idoneo, quale quidem apud Guil. Fabricium, *Centur. 1. observ. 1.* depingitur, vel alio conveniente, quod se orbitæ oculi accommodet, oculus excindendus; ne tamen palpebra læ-

dat, & nova deformitas inde fiat, cavendum; postea vulnus, ut alia oculorum vulnera, curandum.

CAPUT. XLIII.

De Strabismo.

AD sium oculi vitiosum pertinet *Strabismus*. Actiam Strabismus, cum pupilla rebus videndis non rectâ, sed obliquè opponitur, neque ipsa in medio oculi apparet, sed ab eo declinat, ita ut in una oculi parte plus albi appareat, quam in alia, & amborum unus aspectus esse nequeat. Quo morbo qui laborant, cum res rectâ intueri volunt, ut pupilla rebus rectâ opponatur, oculos intorquent, totumq; aspectum exhibent.

Causæ.

Hujus mali causâ à perisque in vitiosam musculorum oculos moventium dispositionem refertur. Et primò verum est, interdum convulsis & contractis aut relaxatis musculis oculum ad unum latus moventibus hoc malum excitari: dum oculi ita distorquentur, ut pupilla objectis, quorum species recipit, non rectè opponatur. Hoc quando accidit, oculi liberum & voluntarium motum amittunt, & res objectæ geminæ apparent, ut etiam Aristoteles, *sect. 31. problem. 7.* docet; nisi æquabilis forsan fiat utriusque oculi convulsio, ita ut pupilla utriusque oculi idem planum obtineat. Sic & sani, ac quorum oculi naturalem constitutionem habent, studiosè musculos contrahendo

Srra-

Strabismus quandoq; imitantur. Convulsio hæc accidere potest in epilepsia, in febribus malignis. Nonnullis verò à primo ortu accidit, contractis nonnihil, & in eo situ manentibus oculis. Quod fit, si mater uterum gerens moribundos, vel animalia macerata oculos convertentia aspiciat, vel rerum fulgentium, utpote gladiatorum, ignis vel fulguris intuitu obtupefcat: sicut & ex consuetudine idem accidere potest; dum nimirum muscoli oculos moventes ad unum latus vel sursum, vel deorsum continuò moveatur, unde illi situi assuescunt, & in eo postea permanent. Sicut infantibus in cunis interdum accidit, dum sursum versus lucem, vel lucernam ardentem continuò oculos movent, & quasi fixos habent. Ita memini, puellam in Patria, quæ etsi à primo ortu nihil vitii in oculis habeat, cum tamen novercam metueret, & post fonticem ferè semper sedens, limis oculis novercæ adventu non observaret, Strabismum contraxisse. Et quod ex convulsione accidit, idem ex paralyfi musculorum oculos moventium fieri potest. Sic interdum post apoplexiam, aut ex affluxu humorum pituitosorum ad oculos, hoc malum contrahitur.

Verùm secundò præter hanc causam, quæ ex situ musculorum est, alia adhuc Strabismi causa esse potest: situs nimirum humoris crystallini vitiosus; cum is pupillæ non rectè opponitur, sed ad latus alterutrum, vel sursum aut deorsum declinat ita, ut qui hoc modo crystallinum situm habent, si rem rectè intueri volunt, oculum ad

latus contorquere necesse habeant, donec uniformis fiat visio.

Vitium hoc etiam à primo ortu accidere potest; imò consuetudo detorto visu aliquid contemplandi in infantibus crystallinum quoque humorem in situ naturali turbare valet.

Differentia.

Sunt autem quatuor Strabismi differentiarum. Aliquando enim versus nares, aliquando versus tempora, aliquando sursum, aliquando deorsum pupilla declinat, & oculus contorquetur.

Præterea accidere potest, ut nunc unus saltem oculus strabismum patiatur; nunc ambo: imò, ut alter oculorum versus nares, alter versus tempora, sursum vel deorsum ferat.

Signa Diagnostica.

Strabismus facillè per se patet intuitibus, neque signis, quibus cognoscatur, opus habet. A qua causa verò pendeat, cognoscere non ita facillè est: visionis tamen modus id patefacere potest. Si enim res geminæ apparent, certissimum id signum est laesionis musculorum adhuc durantis. Si verò res non geminatæ apparent, causa est in crystallino, dum scilicet is ad planum retinæ, & pupillam sese difforsiter habet, unde oculi ita intorquendi veniunt, ut æqualis in utroq; fiat representatio specierum. Si aliquis morbus præcessit, aut causa adsit, quæ resolutionis & contractionis musculorum indicium exhibeat, musculis affectis Strabismus.

smus, pupillæ sitis diligenter attendendus. Nam si à vitioso situ crystallini sit, pupilla non erit ad latera contracta, ut in Strabismo ex convulsione. An verò ex mala assuetudine, vel defixo oculorum obtutu, contractus sit Strabismus, parentes, vel qui infantibus inserviant, docebunt.

Prognostica.

Strabismus à primo ortu & mala conformatione non curatur; nec qui à mala assuetudine, vel etiam convulsione aut paralyti, si sit inveterat⁹, unquam curatur. Recens verò malum interdum curationem suscipit.

Curatio.

In infantibus hoc malum curatur, si larva aliqua vel cappa faciei obducatur, ac foramen oculis oppositum ita disponatur, ut infans in partem oppositam ei, quo & pupilla & oculi præter naturam vergunt, oculos dirigere cogatur. Quod ut commodius fiat, ex lamina ferrea vel argentea canales instar infundibuli formentur, & foraminibus illis in larva vel cappa assuantur, ut per eam aspectus dirigatur. Vel lucerna in partem oppositam, quò oculi præter naturam declinant, ponatur; ut infans fixo obtutu eam aspiciens in contrarium oculos deflectat.

Non tamen certo rei intuitu solùm musculi oculorum aliter atque aliter disponi, sed etiam humores oculi, puta crystallinus & vitreus, varias habitudines & situum differentias acquirere possunt.

Si à spasmo vel paralyti sit strabismus, curatur ut spasmus vel paralyti; de quibus supra.

CAPUT XLIV.

De Cæcitate, & visus debilitate.

Atque ita hæctenus omnes morbos, qui tum singulas oculi partes tum ipsum oculum totum infestare possunt, explicavimus. Restat, ut de symptomatibus, quæ circa visionem, & oculo accidunt, dicamus. Inter quæ cum primo loco sit læta actio, primò de visione læta dicendum.

Læditur autem visus tripliciter; vel quia planè auferitur; vel quia imminuitur; vel quia depravatur.

De abolita & imminuta visione hoc capite dicemus. Cum planè auferatur visus, cæcitas nominatur, Græcis τυφλότης; à quacunque etiam causa inducatur.

Imminuitur verò visio plurimis *visus hebetudo*, modis. Primò cum res in quacunque etiam distantia non clarè videntur; quod vitium si citra manifestam oculi affectionem accidat, Græcis ἀμβλυωπία & ἀμαύρωσις nominatur, ita ut etiam ἀμβλυωπία, ut mox dicetur, per ἀμαυρότητα definiatur. Aut si quæ est inter ea differentia, mala sunt gradibus solùm distincta. Nam si manifestum aliquod in oculo vitium apparet, ut accidit in suffusione, albugine, crassi-

crassitie cornææ, & similibus affectibus, peculiare nomen à causâ læsio illa visus accipit; ut ex superioribus patet.

Quantum sæpe & ista vitia generalibus nominibus exprimantur. Ita ubi senes humoribus & tunicis non nihil exsiccatis obscure vident caligo oculorum appellatur. Idem vitium si juvenibus accidat, hebetudo oculorum & obscuritas visus nominatur.

Pertinent huc & symptomata, quando homo noctu, & tenebris ingruentibus, vel nihil videt, vel contra melius, quam de die, videt. Imò comperitum est, testanturque id Viri doctissimi, quosdam noctu in densissimis tenebris vidisse, & literas legere potuisse: & Svetonius, in *vita Tiber.* & Plinius scribunt, Tiberium noctu expergefactum omnia primum videre potuisse non alio modo, quam in clara luce, postea tenebris paulatim ingruentibus. Cæ-

lius Rhodiginus, *lib. 15. antiq. lect. cap. 2.* sanctè affirmat, sibi etiam quandoque obtigisse, ut noctu videre potuerit. Idem de se affirmat Cardanus, *lib. 8. de variet. rer. cap. 43.* Et solenne hoc etiam fuisse J. C. Scaligero, filius Josephus, in *vita ejus*, tradit. Et Hieron. Fabricius ab Aquapendente, de *visus organ. part. 2. cap. 4.* narrat, Pisis hominem quendam degisse, qui eam nactus erat oculi constitutionem; ut noctu probè videret. Idemq; de aliis etiam narratur. Estque is affectus diversus à nyctalopia Hippocratis. Hac enim qui laborant, noctu melius vident, quam de die, sed non in tenebris,

seu de die, hoc est, luminoso aëre, parum vel nihil vident, noctu verò, vel in loco obscuro, non tamen totali luminis absentia, melius: illi verò, de quibus dixi; etiam de die bene vident, sed noctu quoque, & quidem in tenebris. Noctuas, nyctocoraces, vesperiliones, feles, glires, mures in tenebris videre, notissimum.

Ἀμβλυωπία ergo (quæ & Hippo-^{Ἀμβλυω-}crati, in *Prognosticis*, ἀμελωγμὸς est; πία. sicut & quibus per morbos visus hebetescit, idem ἀμβλωσσειν & ἀμβλωσσειν dicuntur) ut à Paulo, *lib. 3. cap. 22.* definitur, ἀμαυρότης ἔστι ὁραῦσις πρὸς ἀδήλας αἰτίαις γινομένη, est visus obscuritas sine manifesta causa oborta, seu hebetudo oculorum, & videndi debilitas, sine manifesto in oculis vitio, quomodo & Actuarius, *lib. 2. περὶ Ἀφθυσιασ. παθ. de-* finit.

Eadem visus obscuritas & ἀμαυρώσεως nominatur. Ita enim Galenus, *2. Proverber.* definiuntur, ἀμυδρὴ τῶν ὀφθαλμῶν αἰσθησις ἔστι χωρὶς τῆς μετὰ τὴν αἰχλὴν φαντασίας, hebescens & languida instrumentorum sentatio absque ulla turbationis visione. Ubi ἀμαυρώσεως καὶ τῆς αἰχλωδῆς ὀφθίσεως hoc est, obtusæ & caliginosæ visionis constituit discrimen. Nam, inquit, cum in utrisque obtusus sit aspectus, in caliginosâ tamen visione agris ipsis veluti cujusdam caliginis sentatio accedit; exterius verò cernentibus nullam humidi præter naturam consistentiam hebescens oculus habere videntur.

At in eo perit lucidus oculorum fulgor, qui in acurè cernentibus inest, suntque hebescentes oculi mortuorum similes: ac per multis morientibus & adhuc vivis ejusmodi oculi apparent, velut etiam in extrema senectute. At non omnibus caliginosi videntur, verùm iis solis, quibus humor, qui circa pupillam est, & sanitatis tempore tum splendidus, tum albus erat, conturbatus cernitur.

Interdum tamen pro visione à latà ἀμαύρωσις accipitur, & est perfectum videndi impedimentum citrà manifestum oculorum vitium, & purà apparente pupilla; unde etiam, ut supra dictū, gutta serena (der schwarze Staat) à nonnullis appellatur. Ita ἀμαύρωσις Isagoges auctor est, ὅταν παντελής παρεμποδισμός ἢ τῆ ὀφθαλμοῦ, χωρὶς φανερῆς αἰτίας, totius visionis impedimentum absque ulla manifesta causà. Sic Paul, lib. 3. cap. 22. ἀμαύρωσις ἐστίν, ὁ παντελής ὡς ὄφθαλμοῦ παρεμποδισμός, χωρὶς φανερῆς πάθους αὐτοῦ ὀφθαλμοῦ: id est, plerumque perfectum cernendi impedimentum, citra ullam manifestam oculi affectionem.

Secundò cum res in debito spatio, & eo, quo aliàs sani res videre solent, homo videre non potest, sed, ut eas videat, propius oculis admoveere cogitur, nisi per speculorum usu hoc vitium corrigat; unde sæpe accidit, ut amicos & notos prætereuntes non agnoscat. Vitium hoc nonnullis à primo ortu contrahitur. Imò sunt ex illis, qui, nisi res minores oculis planè admoveant, & ut vulgò dicitur, nalo attingant, & con-

niventibus & clausis nonnihil oculis videant, eas planè non agnoscunt; quod vitium μωπία nominatur. Contrarium nonnullis accidit, ut res nonnihil distantes rectius videant, quam propinquas, & proinde cum res minores exacte cognoscere cupiunt, eas nonnihil ab oculis removere coguntur; quod vitium senibus familiare est, & per speculorum idoneorum usu quodammodo emendatur. Iisdem plerumque accidit, ut, etsi de die sic satis videant, ad lumen tamen accensum res minores non satis agnoscant; ideoque lumine copiosius opus habent.

Νυκταλωπία autem & νυκταλωψ, Nyctalopia (quanquam posterius vocabulum & πια. hominem ipsum sic affectum significat, quem Plinius, lib. 28. cap. 11. Lusciosum nominat) Latinis nocturna cecitudo, Celso generaliori vocabulo imbecillitas oculorum, ejusmodi affectio est, quæ detenti interdium quidè satis, occidente v. Sole obscurius, noctu denique nihil cernunt. Hippocrati contrà νυκταλωπες, in 2. prorrh. dicuntur, qui noctu cernunt melius, quam interdium, qua significatione & vocabulum in definitionibus Medicis, quæ Galeno ascribuntur, exponitur. In *introduc.* verò seu *Medico* utroque sensu hæc vox accipitur. Sed recentiores Græci eâ significatione vocem usurpant, quæ diximus, quam & in præsentia retinemus. Est igitur νυκταλωπία symptoma diminutæ facultatis videndi, quæ affecti mediocribus ingruentibus tenebris, quæ oculorum sanorum visioni nullum impedimentum afferrent, parum aut

aut nihil cernunt, atque ita visus iis in nocte, ut Avicenna loquitur, hoc est, in obscuro, evanescit.

Causa.

Quia autem visio perficitur oculo, qui pluribus partibus constat, & spirituum animalium beneficio, causæ læsæ visionis aut in cerebro, & spiritibus opticis, aut in nervo optico, aut in humoribus aut in oculi tunica cornea & pupillâ aut in musculis quærenda est.

*Cœcitas
& visus de
bilitatis
causæ.* Et quidem cœcitas & visus debilitas ferè causarum magnitudine saltem differunt. Et enim si causa sit major, cœcitas; si minor, visus debilitas introducitur.

Si visio cerebri vitio lædatur, plerumque reliqui sensus simul afficiuntur; quia spiritus animales in cerebro generati commune omnium sensuum instrumentum sunt, & in omnia sensuum organa diffunduntur. Si autem sensus reliqui integri sint, visio læsâ, non totum cerebrum afficitur, sed vel nervus opticus saltem, vel cerebrum eâ parte, quâ nervi optici prodeunt. Cerebrum autem afficitur vel intempèrie simplici, aut cum materia; unde spiritus exigui aut impuri gignuntur: vel debilitate ex nimia evacuatione, diuturno vel gravi morbo, animi mœnore: vel denique angustia prohibente liberum transitum spirituum.

*Quomodo
visio læda
tur vitio
spirituum
opticorum.* Si autem quærat, quomodo spirituum vitio visio lædatur, ex vulgata doctrinâ spiritus lucidus, tenuis, multus facit, ut exquisitè & distinctè omnia

cernantur, tam propinqua, quàm remota; lucidus, tenuis, paucus, propinqua tantum facillè agnoscit, non perspicit etiam res valde luminosas, talesque dicuntur *μύωπες* seu lusciosi, qui tantum conniventibus oculis cernunt: atque hi juvântur perspicillis, ut vocant, minorantibus, quæ secundû illorû sententiâ radios illos visivos tenues paucos colligunt ac coercent, ne in longiore distantia deficiant. Lucidus, crassus, multus, remotiora melius cernit, crassitie ad intuitum remotiorum continente lumen, ne dissipetur, ad propinqua hebetante; cum in ipso progressu largiore spiritus crassus nonnihil subtilior & purior reddatur. Juvari hi dicuntur perspicillis, ut vocant, ingrossantibus, quibus res visa majori specie offertur. Lucidus, crassus, paucus, nec propinqua, nec remota expeditè cernit. Atque ad hanc causam referunt *νυκτιλωπίαν*. Obscurus spiritus visioni incommodus est, & tantò magis, quò crassior fuerit.

Verùm vulgata illa doctrina non sine causa in quibusdam suspecta est. Primò enim nititur falsâ hypothesi, visionem fieri per emissionem radiorum. Spiritus equidem ad visionem necessarij sunt, sed non eo modo, quem ipsi statuunt. Deinde *μυωπίας* causa ponitur paucitas spirituum; cum tamen multi hoc symptoma in juventute patiantur, in quibus nullus spirituum defectus animadvertitur. Ideoque symptomatum horum in visu causa potius ex humorum, & præcipuè cry-

Stallini, vitium deducitur, ut postea dicitur. Hinc potius probabile est, eam solum visus debilitatem à spiritu de-
fectu & impuritate fieri cum res mi-
nutæ & remotæ non videntur, atque
etiam magnæ non satis distinctè per-
cipiuntur. Atque tum proculdubio
in sensibus etiam aliis vitium aliquod
percipitur; cum cerebrum spiritus non
solum sculo, sed & aliis sensuum &
motus organis suppeditet: quod si ab-
sit, proculdubio in humoris aquei, cry-
stallini, vel vitrei obscuritate & impu-
ritate, causa visus læsi & debilis qua-
renda, vel etiam in nervo opti-
co.

*Nervorum
opticorum.*

Nervus autem opticus læditur in-
terdum ex nimia refrigeratione, si quis
ventorum frigidorum flatum fronte
& oculis minus tectis excipiat, frigo-
re ad ea loca usque, ubi nervi optici
oculis inferuntur, penetrante. Idem
ex oxymethoniorum frigidorum val-
de nimio utu quandoque accidisse,
& visum abolitum fuisse, observa-
tum est.

Sed & alia nervorum opticorum
vitia visum lædunt, & quidem, ut su-
pra, cap. 35. dictum, angustia, raptura
vel contorsio, quæ pluribus de caus-
sis accidere possunt, à percussione,
casu vel ictu, epilepticis convulsioni-
bus, immoderata & violenta spiritus
retentione, ut nonnunquam tubicini-
bus accidit, & fœminis in partu diffi-
li, ex vehementi conatu; nonnunquam
sine causâ violenta, post morbos
graves, per stem, vehementes capitis do-
lores, & similes causas, & quod fre-
quentissimum est, ex cerebri excremen-

tis pituitosis, seu extrâ nervos opticos
comprimentibus & irrigantibus, seu
intus obstruentibus. Neque enim vi-
deo, quid obstet, cur non etiam ex ipso
cerebro humores in nervos opticos tam
amplos infundi, eosq; obstruere possint.
Possunt tamen etiam vapores cras-
si melancholici in nervos opticos irru-
entes spirituum influxum prohibere.
Ita enim memini studiosum ex scabie
in febrem incidere, cui asthma & cœ-
citas accidebat, ita ut nullo vitio in oculo
apparente per triduum nihil videret.
Is medicamentis idoneis adhibitis & u-
rinâ nigra reddita convaluit. Puer vero
ex eadem causâ, scabie scilicet, in fe-
brem & cœcitatem incidit, qui epilepsia
accidente mortuus est. Memini etiam
quendam ex affectu hypochondriaco
in cœcitatem incidisse. Referunt quoq;
nonnulli inter causas læsæ visionis sic-
citatem nervi optici, quæ post febres
ardentes relinquatur. Sed cum credibi-
le non sit, in cerebro & loco cerebro
vicino tantam siccitatem induci posse,
probabilius est, humorem aliquem vi-
tiosum ibi relinqui, qui nervos opticos
seu obstruat, seu comprimat.

Humorum tandem & cornea tuni-
cæ ac pupillæ vitio visus sæpe aut debi-
litatur, aut imminuitur. Cum enim
istæ partes omnes ad specierum sensibi-
lium receptionem comparatæ sint, si
debito modo sese non habeant, receptio
illâ impeditur, unde visus vel planè tol-
litur, vel impeditur, pro magnitudine
causæ; de quibus omnibus capitibus
præcedentibus &, Instit. lib. 2. part. 3. s.
2. c. 3. dictum.

*Humorum
vitio.*

Uti

Nyctalopia

Ut de Nyctalopia saltem aliquid in specie addam, Aëtius malum hoc oriri statuit propter aliquam cerebri imbecillitatem, & maximè ob spiritus visivi, humorumque & tunicarum oculi crassitudinem. Et credibile est, humorem & spiritus crassos debiles species difficulter transmittere, & quasi obscurare. Ideoq; Nyctalopes saltem in clara luce, & clara saltem, & sufficienter illuminata objecta vident. Deinde, & præcipuè, pupillæ angustia nyctalopiæ causa esse potest. Non, ut quidam putant, quia per angustam pupillam modicum lumen admittatur, quod visum movere nequeat. Nam, ut supra etiam dictum, lumen externum ad repræsentationem specierum visibilium in oculo depictarum, non est necessarium, sed potius opacitas hîc requiritur. Causa verò, cur angustia pupillæ nyctalopiam inducat, hæc est, quod in angustia pupillæ pauciores radii, qui à quolibet objecti visibilis puncto ad quodlibet pupillæ punctum radiant, debiliter illuminati oculum ingrediuntur. Unde accidit, ut, cum objectum non sit multum illuminatum lumenque devehens sit paucum, obscurior sit rei imago; quæ tamen illustrior fieret, si plures radii per amplam pupillam oculi cameram ingrederentur. Ubi & hoc notandum, animalia quædam, quæ noctu vident, pupillam non ita multum dilatate, ut homines faciunt, qui obscuriori loco imagines venantur, quod in bubone observare cuilibet promptum est. Nam licet illa dilatatione opus habere videatur ad plurium radiorum visibilibus

debili luce radiantium perceptionem: tamen convexitas illa, & protuberantia insignis, in primis etiam crassities notabilis, corneæ tunicæ, ut mox dicetur, ita radios refringi facit, ut angustè coëant, coarctatiq; pupillam subire possint. Nam dilatatio pupillæ in his animalibus lucidos oculos habentibus iridem contraheret; quam tamen visionis obeundæ, & objectorum illuminandorum gratia convenit esse ampliorem. Talis enim plus luminis spargit.

Cur autem quidam etiam in tenebris & noctu videant, explicare non ita facile est. Ut aliorum sententias prolixè non recenseam, primò hoc extra controversiam esse puto, illos, qui noctu vident, talem oculi constitutionem habere, qualem feles, & alia ejusmodi animalia noctu videntia, id est, habere lucem aliquam internam, non quidem in crystallino, vel aliis humoribus insidentem, (hoc enim si ita esset, res objectæ non viderentur, sed fulgor saltem quidam in oculo perciperetur) sed in uvea tunica, & illa ejus parte, quæ iridem constituit. Et quidem non in parte interiore & concava, (Nam sicuturbaretur visio: & præstat interiolem esse tenebricosam) sed saltem exteriori superficie uveæ.

Cur quidam in tenebris videant.

Qua ratione autem lumen illud uveæ inhærens ad visionem nocturnam concurrat, non ita planum. Quidam ad quæstionis hujus solutionem præsupponit falsas hypothesas, nimirum lumen ratione objecti non requiri, & objecta visibilia quoli-

bet tempore perenniter species suas omittere, non verò opus esse externo lumine quod eas excuset. Verùm rationes, quibus paradoxum hoc probatur, nullas habet, nisi quod de felibus, noctivis, & aliis animalibus noctu videntibus habetur: Verum nulla hæc probatio est, sed de hoc ipso quaritur, quæ ratione talia animalia noctu videant, & an objecta illuminata videant. Et rationi, ac omnibus Philosophis, imò ipsi experientia contrarium est, species visibiles nulla luce excitate, posse se radiare, adeoque ad oculum pervenire, ut circum illum versantes tandem illuminentur. Immotum potius & Physicorum, & Opticorum principium est, objecta visibilia non nisi illuminata videri, lumenque colorum esse actum, & specierum visibilium vehiculum. Deinde & hoc certum est, ut antea etiam dictum, lucem quandam animalium quorundam veætunice & iridi inesse, quæ etiam de die apparet. Ex quo concluditur, lucem istam ex animalium istorum oculis coruscantem causam esse, ut videant, & quidem non propter illuminationem organi neque mediæ, sed objecti. Prodit enim illud lumen foras, & objectum illuminat; illuminatum hoc radiat vi lucis, & speciem oculo iterum sistit, licet circumstantes partes & objecta à latere sita illuminata non appareant. Fidem faciunt huic rei specula concava, quorum vi lumen in distans projicitur objectum, ita ut literas in remota pariete legere liceat, cum tamen loca speculo proxima non sint illuminata, sed tenebrosa. Neque sententia huic obstat, quod lumen il-

lud, quia debet, in longum spacium se se diffundere nequeat. Nam primò sphaera luminis longissimè exporrigitur, docentibus id opticis & experientia. Deinde nondum probatum, animalia illa lucidos oculos habentia objecta longè distantia percipere. Licet quoque objecta ab oculis ejusmodi lucidis illuminata ab aliis non videantur: tamen inde non sequitur, planè non irradiari. Nam primò nyctalopes in crepusculo nihil vident; non tamen sequitur, crepusculi lumen esse nullū, adeoque objecta planè non illuminari. Deinde quod talia objecta ab aliis non videntur, ratio est, quod respectu aliorum oculorum non sunt satis illuminata, & quia alii remotius ab objecto absunt.

Ut ergò res hæc magis manifesta fiat, sciendum, ad visionem lumen requiri, quod objectum radiare faciat: hoc si sit exiguum, ita, ut radiatio sit obscurior, quod sit tempore nocturno, vel in crepusculo, opus esse, ut plures radii vi luminis radiantes qui ab uno etiam visibili puncto continèter profluunt, oculum subeant. Sic enim ex plurius radiis coagmentatio fit representatio speciei illustrior. Duabus autè de causis multitudine radiorum visibilium debilitate radiantium ob exiguum illud, quod devehuntur, lumen oculi cameram potest ingredi. Primò cum pupilla dilatatur. Sic enim fit, ut per amplam portam unius puncti visibilis radii plures oculi penetrare subeant. Et hæc est vera causa dilatationis pupillæ, nempe receptio plurium radiorum in oculum, non verò luminis externi admissio.

Exter-

Externum enim lumen visionem impedit; multitudo verò radiorum visibilis suo modo luminosorum speciem pingit in oculo clarissimam. Secundò cum propter amplitudinem tunicae corneae plures radii visibiles recipiuntur, & propter ejus protuberantiam, & convexitatem majorem ad majorem angulum refringuntur. Sic enim fit, ut radii visibiles, licet debiles, coagmētati, & copia aucti pupillam subeant etiam parvam, & tandem in retiformi tunica satis claram rei exhibeant imaginem. Et hæc est vera ratio structuræ oculi in bubonibus, & cur noctu videant. Habent enim bubones corneam tunicam non solum amplam, spaciosam, insigniter protuberantem, seu valde convexam, sed etiam ita crassam seu profundam, ut vix in ullo animali, licet grandissimo, tam crassa reperiat. Unde unius puncti visibilis tot radii, quot in hac tunica cornea puncta, recipiuntur, & propter ejus convexitatem majorem maximè refringuntur, & adhuc magis, quò hæc tunica profundior; tandemq; brevi spacio arctati pupillam non admodum amplam rectè subeunt; speciemq; notabilem retinæ offerunt. Animalia enim, quæ noctu vident, pupillam in tenebris non habent multum dilatatam: quia non opus est multa dilatatione: cum species amplissimæ etiam corneae tunica susceptæ, hujus convexitate & profunditate multum infractæ omnes exiguam pupillam ingredi valeant.

Signa Diagnostica.

Cum verò à tot causis visus debilitas & cœcitas ortum habere possit, quibus signis eæ discerni queant, videndum: quod factu difficilimum. Et omnino certitudo adeo exacta hic nulladatur, nisi plurima inter se conferantur: & ut Avicennas loquitur, cognitio ista existimativa est, id est, conjecturalis. Etsi enim visu discerni possit, an vitium sit in cornea: tamen si in cornea vitium non sit, an sit in humore aqueo, crystallino vel vitreo, aut nervo optico, distinguere non ita facile est.

Primò ergo oculus diligenter inspicendus, & videndum, an in cornea aliquid vitii appareat. Si in hac nullum adsit vitium, considerandum, an in nervo optico causa læsæ visionis hæreat.

In nervo autem optico vitium non esse, ex eo cognosci posse purant, si fricandò unum oculum, & alterum comprimendo, in pupilla ejus, qui fricatur, dilatatio & contractio percipiatur. Cum enim liberè transeunt spiritus, nervus opticus apertus erit. Verum signum hoc, quod certissimum vulgò habetur, pro certo non habet Platerus; cum spiritus animales non flatus instar oculum distendant, neque oculum adimpleant, sed in retiformi nervo persistant. Ideoq; eæ, quæ præcesserunt, considerandæ. Si in nervo optico vitium sit, causæ eæ præcesserunt, quas supra recensuimus. Præterea plerumque subito invadit visus læsio, quæ à nervo optico est; cum, si ab aliis causis sit, paulatim generetur. Deinde etiam videndum, an homo oculi, ut appel-

lant, id est, imago illa & idolum adspicientis, in pupilla ægri appareat. Si enim non appareat, videndum, an cornea vel tota, vel parte, quâ pupillam obtegit, obscura sit. Si enim obscura non sit, vel in humore aqueo, vel in aranea, quæ obtegit crystallinum vel in humore crystallino vitium est. Si causa in humore aquo sit, & initium suffusionis adsit, vaporis aut *πύχου χυμῶν σώματα*, crassa quædam corpuscula, per humorem aqueum dispersa sint; tanquam pusilli culices, ut supradictum, & lanarum filamenta, vel araneorum telæ oculis observantur. Ubi tamen considerandum, an continuo tales imagines appareant; an per intervalla quædam. Si enim aliquando tantum appareant, fit hoc per consensum partis alicujus inferioris: si continuo, est initium suffusionis. Si in cornea vel pupilla vitium sit, aspectu illud cognoscitur, an scilicet macula, vel aliud vestigium in ea appareat. Si causæ externæ præcesserunt, ex ægri relatione cognoscuntur.

Prognostica.

1. Debilitas visus ex senio vix curationem suscipit.
2. Similiter quæ ex crystallini & vitrei humoris confirmata obscuritate vel siccitate ortum habet, aut ex perti-
naci obstructione nervi optici.
3. Glauco crystallini vel vitrei ab ortu contracta, vel quæ senibus accidit, incurabilis est; item quæ ab humore existit post suffusionem congelato, teste Aëtio, & quæ à siccitate confirmata. Ita rectè dixit Galenus, in

10. *de usu partium, cap. 7.* glaucedinem potissimum parere cæcitatem.

4. Debilitas visus genita post evacuationes nimias vel morbos diuturnos, instaurato rursus corpore corrigitur.

5. Cæcitas ob fortem capitis plagam & calum ab alto subito facta interdum altero vel tercio die tollitur.

6. Quæ paulatim fit visus obscuratio, non admodum difficulter curationem recipit, nisi senibus accidat; quæ verò subito fit ob fortem capitis plagam, aut casu ab alto, difficiliter curatur; atque eò difficilior, si nervus opticus læsus sit.

7. Si corneæ vitium sit magnum, visio in totum aboletur. Incurabile etiam est vitium, si rugosa sit facta, ut in senibus.

8. Nyctalopia, præsertim inveterata, raro curatur, cum ab humoris, plerumque crystallini, vitium accidat. Reliqua prognostica è suis locis secundum causarum varietatem petantur.

Curatio.

Curatio visus debilis & aboliti variat secundum causarum varietatem, ut ex singulis capitibus patet. Ut pauca saltem addamus; etsi, ut dictum, ubi nullum extra in oculo vitium animadvertitur, faciliè definiri non possit, in qua oculi parte causa visus læsi hæreat; tamen id adeo curandi rationem non facit. Sive enim in vitreo, sive in crystallino sit, eâ sublata visus restituitur, modò morbus sit curabilis. Non enim omnis visionis læsio ex partium Internarum

narum vitio curabilis est. Nam quæ
 ut dictum, ex crystallini & vitrei hu-
 moris cõfirmata obscuritate vel fici-
 tate, incurabilis est. Si autem visum
 recuperandi spes sit, præcipuè cere-
 brum, quod oculo causam morbi sup-
 peditat, evacuandum; & purgantia
 talia, tum apud alios, tum apud Plate-
 rum, lib. 1. Pract. describuntur. Nec
 omittendâ masticatoria, gargarismi,
 apophlegmatismi, vesicatoria, caute-
 ria, & similia, quæ vitiosos humores
 cerebro evacuant.

Tandem usurpandâ medicamentâ
 ὀφθαλμικὰ, seu visum roborantia, id
 est, quæ spiritus puriores reddunt; &
 obscuritatem in humoribus, quantum
 possibile est, tollunt, oculosq; robo-
 rant.

Nonnulli hic multi sunt in externis
 describendis. Verum cavendum, ne
 acribus ejusmodi medicamenti oculi
 lædantur.

Externa talia fiunt ex *euphrasia*, *fæ-
 niculo*, *chelidon*, *valeriana*, *astere Attico*,
ruta, *calendula*, & similibus ophthalmi-
 cis; passimq; multa extant.

Ut R. *Aq. rosar. opt.* Unc. vj;
cyani,
euphrag. an. Unc. jß.
vini Malvat. Unc. j;
tutia prepar. Drach. jß.
camphor. gr. iij;
caryophyll. crasse incisor.
 num. viij.

Bulliant simul in fictili vel vitro mode-
 rato fervore.

F. Colatura, in qua calente adhuc
 dissolve *Vitr. alb.* gr. yj.

R. *Euphrag.*
ruta,
consolid. reg. an. Unc. j.
nucis moschat.
macis, an. Unc. ß.
caryophyllor.
zingiber. an. Drach. j.

Contusis affunde vini optimi lb. iij.
 vel q. s. Digerantur per aliquot dies,
 postea destillentur in balneo. Aqua
 quotidie manè & vesperi oculis instil-
 letur.

Vel R. *Euphrasia*,
ruta,
betonica,
verbena,
chelidonia,
flor. cyani,
rorismarini,
consolida Regalis, an. M. j.
thuris,
aloes,
myrrha, an. Drach. ij;
calami aromatici,
macis,
caryophyll. an. Drach. ij.

Concisus affunde aqua rosarum lb. ij.
ruta,
vini Malvat. an. lb. j.
urina puerorum lb. ß.

Macerentur per dies 8: Postea destil-
 lentur.

Vel R. *Euphrag.*
feniculi,
ruta,
chelidonia,
verbena, an. M. j;
flor. rorismarini M. ß.
sem. feniculi,
anis.

carvi,
 fileris montani, an. Unc. β.
 rad. calami aromatici. Unc. β.
 macis,
 thuris,
 myrrhe, an. Drach. j.
 aq. rosar.
 ruta,
 vini Malvatici, an. lb. ij.

Macerentur per dies aliquot, postea
 destillentur.

Vel ℞ Mellis despumati Drach. j.
 succi fœniculi Unc. j.
 fellis accipitris,
 lucij piscis,
 perdicis, an. Drach. j.
 Misce.

Vel ℞. Radic. gentiana minutim concis-
 sa q. v.

Coqu. in aq. & vini partibus æquali-
 bus, & colatura oculo inspergatur.

Visum post morbillos & cicatrices
 ab iis relictas clarificat. Aq. ophthal-
 mica, quæ Maximiliano Imperatori
 tribuitur.

℞. Stercus recens anserum junio-
 rum mense Martio vel Aprili, destilla
 aquam, quæ ter de die oculis instille-
 tur.

Alia: ℞. Tutia preparat. Drach. ij.
 vitrioli albi,
 sarcocolla,
 nihili albi,
 aloes lota, an. Scrup. j.
 camphora Scrup. β.
 aq. fœniculi,
 rosar.
 chelidonia,
 pimpinella,

nymphaa, an. Unc. ij.

os. sepia Drach. j.

Misce.

F. Collyrium.

Veteres, ac imprimis Arabes, vehe-
 menter commendant epar hircinum,
 cujus vel assati saniem oculis instillant,
 vel vaporem apertis oculis suscipere,
 vel ipsum assum. cum sale edere ju-
 bent.

Alii epar ipsum cum felle assant. Ita
 enim destillans sanies plus virium ac-
 quirir;

Commendatur & hæc Aqua de he-
 pate hirci:

℞. Succi fœniculi,

chelidonia,

ruta,

euphrasia, an. Unc. ij.

mell. opt. Drach. x.

tutia,

sarcocolla,

nitimon. crudi,

aloes opt. an. Unc. β.

nuc. moschat.

caryophyll.

croci, an. Drach. j.

fel. caponis,

gallor. gallin. an. Unc. β.

sacch. candi de sirup. rosar,

Drach. vj.

hepatis hirci Unc. ij. β.

flor. rosar.

rorismar. an. M. β.

Epar frust. llatim incidatur, reliqua
 contundantur omnia. Misce, & f. a.
 destillentur.

Avicennas & epar Leporis ad hunc
 suum commendat. Fortius est & hoc,
 quod sic paratur:

℞. Pi-

℞. Piperis longi in epate hirci non castrati cocti Drach. ij.

fellis hircini Unc. ℞.

liquoris ab epate hirci, dum affatur, destillantis, Drach. vj.

M. & colentur.

Commendatur & fel animalium, ac nonnulli omnibus fel viperæ præferunt.

Aqua Sapphirica.

Agitur aquam Sapphircam commendare solent, quæ tamen ex sapphiro non paratur, sed à colore ita dicitur. Paratur enim ex aqua calcis vivæ, in qua parum salis ammoniaci dissolutum est, quæ in pelvim æneam infunditur & per noctem relinquitur, donec sapphiri colorem acquirat.

Verùm ista aqua, & similes, propriè, ut dictum, oculos non confortant, sed ulcera eorum sanant, cicatrices exterunt, crassitiem & obscuritatem corneæ tunicæ extenuant.

Plura vide apud Aëtium, *tetrabibl. 2. serm. 3. cap. 46.* & apud Avicennam, *sub titulo de Nyctalopia.*

Interna supra *cap. 38.* descripsimus, unum & alterum saltem adhuc addeamus.

Vinum euphragiatum hoc valde utile est:

℞. Rad. helenij Unc. iiij.

euphrag. M. iiij.

sem. fenicul.

stelis montani, an. Unc. ij.

Suspendatur in musto, vel in hydro-melite recens cocto, donec deferbuerit. De hoc æget singulis diebus mane & in prandio haustum unum sumat.

L. I.

Commendatur etiam sequens Vinum ophthalmicum:

℞. Herba euphrag. M. ij.

sem. fenicul. Unc. ℞.

cinamomi Drach. iiij.

Concisa ligentur in nodulo, qui suspendatur in vini Rhenani mensur. ij.

Et euphragia quocunque modo sumpta, & medicamenta ex ea parata, conserva, essentia & sal, ad visum confortandum plurimum omnino conducunt.

Sequens quoque Aqua ophthalmica efficax est, si ejus cochl. ℞. vel j. mane jejuno ventriculo sumatur:

℞. Fol. ruta,

euphras.

verben.

fenicul. an. M. j.

summitat. rorismar.

salvia,

flor. rosar. an. P. ij.

granor. juniperi Unc. j.

cap. lign. Unc. ℞.

ligni aloes Drach. ℞.

sem. fenicul. Drach. ij.

stelis montani Drach. j.

ruta Drach. ℞.

Infunde in vini Malvatici ℞. vj.

Macerentur per dies quinque. Postea f. a. destillentur.

Aqua Ophthalmica D. Andr.

Dôrerii.

℞. Rad. valerian. communis,

phu Pont. an. Unc. ij.

caryophyllat. Unc. ℞.

fol. ruta,

verben.

Siiff

fenic.

Aqua ophthalmica ad intra.

fenicul.
euphras. cum flor. ana.
 Drach. vj.
baccar. juniperi recent. Unc. j.
Lauri recent. Unc. ℥.
flor. calend.
meliss. Turc.
salvia,
rorismar.
rosar. alb. an. Drach. ij.
sem. feniculi Unc. ℥.
caryophyll.
cardamomi min.
cubeb. an. Drach. j.
cinamomi ac. Unc. j.
ligni aloes,
Rhodij; an. Drach. j.
 Præparatis s. a. affund. vini Malvat. ℥. xij. postea in B. destillentur.
 Spiritus Euphragæ compos-
 positus:
 ℞. Spir. cerasor. nigr. ℥. j.
 aq. hirund. compos. major.
 Unc. vj.
doronici veri,
caff. lign. vera,
amomi veri,
rad. valerian.
chelidon: an. Drach. ij.
mari veri,
sol. ruta, an. Drach. j.
flor. euphrag. Unc. j℥.
 Infund. per noctem in liquoribus
 his: mane per B. destillentur leni igne,
 destillatum servetur.
 Aqua visum fortificans
 alia:
 ℞. Spir. euphrag: camp. Unc. iij.
 aq. epilept. Lang.

elixir. vita Matthioli, an.
 Unc. j.
essentia rorismar. Unc. ℥.
ambra gr. vj.
moschi gr. iij.
sirup. de cinamomi Unc. j℥.
 Milce.
 Vel ℞. Succi feniculi Unc. iij.
ruta,
chelidonia, an. Unc. j.
mellis ℥. j.
 Coquantur ad justam spissitu-
 dinem.
 Denique adde
pulv. euphrag. Unc. j.
sem. feniculi. Unc. ℥.
macis,
cubeborum, an. Drach. ij.
 F. Electuarium.
 Vel ℞. Conserv. euphrag. Unc. iij.
theriac. And. Drach. j℥.
succini albi præpar. Drach. ℥.
margarit. præpar. Scrup. j.
spec. diapæon. Drach. ℥.
 Cum sirup. de rosif. F. Electuarium,
 quo cubitum iturus utatur æger.
 Vel ℞. Elect. Humisim. Mes. Unc. iij.
cons. euphrag. Unc. ij.
pulv. sem. feniculi Drach. j℥.
sileris montani
 Drach. j.
extract. rad. valerian. Scrup. j.
succ. Oconis Drach. j.
 Cum sirup. de stiechade
 F. Mixture.
 Vel ℞. Conserv. euphrag. Unc. ℥.
betonica,
rorismar. an. Unc. j.

rad. enula cond. Drach. ij.
 fœnicul. cond. Unc. ſ.
 myrobal. chebul. cond. Drach. iij.
 ol. ruta Scr. ſ.
 filer. montan. gr. vij.
 eſſent. vel ſpir. rad. valerian.

Drach. j.

Cum ſirup. de beton, q. ſ.

F. Electuar. de quo manè & veſperi
 capiatur aliquid, nucis caſtanæ ma-
 gnitudine.

Vel R. Cinamom.

zingiber.

nucis moſchat.

cubebæ.

caryophyll.

macis, an. Drach. j.

cardamomi,

cumini, an. Drach. ſ.

ſem. aniſi,

fœniculi, an. Drach. ij.

Adde ſacchari ad pondus omnium.

Fiat Electuarium.

Vel R. Sem. fœniculi Drach. j.

rad. valerian. Unc. ſ.

ſem. aniſi,

piperis,

zingiberis,

cumini,

pulegij,

ſor. rorismarini,

baccar. juniperi,

galange,

caryophyllor. an. Drach. j.

euphrag. Unc. ſ.

Pulverifentur omnia ſubtiliſſimè,
 & cum melle deſpumato F. Electua-
 rium.

Vel R. Euphrag. Drach. v.

majoran.

cinamomi, an. Drach. ij.

ſem. fœnicul.

coriand. præp. an. Drach. iij.

aniſi,

carvi,

piperis longi,

caryophyll.

macis,

nucis moſchat.

zingiber.

galang. an. Drach. j.

ſpica Drach. ſ.

ſacchari albi Unc. ij.

F. Pulvis.

Vel hic Sal cibus admisceatur.

R. Fol. euphrag.

majoran. an. Unc. ſ.

ſem. fœnicul.

carvi, an. Unc. j.

piperis longi,

nigri, an. Scrup. j.

cinamomi Drach. ſ.

ſalis Unc. j. ſ.

F. Pulvis.

Vel R. Fol. ruta,

leviſtici,

ſor. euphrag. an. Unc. ſ.

rad. valerian.

cinamomi,

ſem. fœnicul. an. Drach. ij.

cubebæ. Drach. ſ.

Sacchari ad pondus omnium.

F. Pulvis.

Vel R. Fol. ruta,

euphrag.

ſalvia, an. M. j.

baccar. juniperi Unc. ij.

caſſia lignea elect. Unc. ſ.

ligni aloes Drach. j.

Sssss 2

ſem.

sem. fenicul. Drach. ij.
filicis montani Drach. j.
ruta Drach. ℥.

Infundantur in vini Malvatici ℔b. vj.
 macerentur diebus. 14. postea destil-
 lentur. Exhibeatur mane cochl. j.

CAPUT. XLV.

De Visus depravatione.

*Visus de-
 pravatio.*

Non solum autem imminuitur vel
 aboletur, sed & depravatur quan-
 doque visus, & quidem variis modis.

*Cum una
 res gemina
 appareat.*

Primo enim fit visus hallucinatio, cum
 res una gemina apparet; id quod ebriis
 saepe accidit. Ita Forestus, *lib. II. ob-
 serv. 39.* refert, militi cuidam apertis o-
 culis ambobus, quicquid videbat, du-
 plex apparuisse, sed sinistro aperto; &
 dextro clauso, recte eum omnia vidisse;
 & in Scholio, ex *Aggregatore*, refert
 historiam sacerdotis avari, qui, cum
 haberet unam candelam in manibus,
 credens esse duas, propter avaritiam
 extinxit unam, existimans remanere

*Qua recta
 curva,
 omnia in-
 versa.*

aliam, & ita mansit in tenebris. Deinde
 cum, quæ recta sunt, curva appa-
 rent. Terribilium cum omnia inversa ap-
 parent. Memorabile est hic, quod
 Medico cuidam clarissimo Dresdæ ac-
 cidit. Is cum forte scalam librum ali-
 quem è forulis petiturus ascenderet,
 oculosq; fortius sursum converteret,
 accidit, ut omnia ei postea inversa ap-
 parerent, & homines in platea in capi-
 te ambulare viderentur. Adhibuit
 varia remedia, quæ tamen nihil pro-
 fuerunt, duravitque hic affectus ferè
 quadrantem anni. Postea cum fortè
 iterum oculos sursum converteret, na-

turalis visio rediit, & omnia in recto
 situ vidit. Et ne quis, contra Christia-
 nam charitatem, causam imprecandi
 habeat, ut mihi malè sit, si temerariè
 id factum tradiderim; ter malè nun-
 tio, si infideliter mihi retulerit: nomen
 viri exprimo, & fuisse eum D. Ge-
 org. Leuschnerum, Sereniss. Elector.
 Saxon. Archiatrum, idq; mihi ab iis
 relatum ajo, qui eum familiariter no-
 verunt, & quidam adhuc Dresdæ in vi-
 vis sunt.

Pertinet ad visus depravationem & *Alieno co-
 lore pradi-
 cti*
 ille affectus, cum res alio colore, quàm
 quo præditæ sunt, apparent; vel cum
 circa candelam accensam iris quasi ap-
 pareret; vel cum splendor fulguris mo-
 do, aut flammæ magnæ, oculis obver-
 satur; quod vitium ex inflicta alapa in-
 terdum accidit, ita ut ignis scintilla
 quasi ex oculis exsilire videatur. Ut plu-
 rimum autem, si causa externa desit,
 dormientes infestat hoc malum; unde
 Latinis splendores oculorum nocturni,
 seu oculorum coruscationes, Græcis
μαρμαρυγες appellantur. Vel dum res
 perforatæ & fenestratæ qd. apparent.

*Iris, splen-
 dores.*

Præterea fit visus depravatio, cum
 res, quæ non adsunt, oculis obversari
 videntur; ut culices, muscæ, filamenta
 lanarum, telæ araneorum, catenulæ
 quasi, vel dum nubeculæ oculis obver-
 santur.

*Cum res,
 quæ non
 adsunt,
 oculis ob-
 versari vi-
 dentur.*

Accidit visus depravatio etiam, cum
 res, quæ firmæ & stabiles sunt, moveri
 & circumagi videntur; quod in verti-
 gine contingit.

Tandem ad visus depravationem *Rhinopses*
 pertinet miranda illa historia, quam
 Schenckius, *lib. I. observ. 320.* recenset,
 de Rhi-

de Rhinopte quodam, qui ex malè curato vulnere per patentes narium meatus species visibiles recipiebat, & proxima quæquæ objecta dignoscebat: de quo etiam in *Instit. libr. 2. part. 3. sect. 1. cap. 6. &, ibid. sect. 2. cap. 3. dictum.* Describit quoque illam historiam Sme-tius, *miscellan. lib: 10. pag: 531. & lib: 5. epist. 13.* ubi etiam rationem hujus symptomatis reddit hoc modo: Cæcum, *inquit*, quendam utroque oculo orbum naso pro oculis utentem vidi, cujus beneficio objecta omnia discernebat. Is dextro oculo ante annos multos, cum puer esset, privatus fuerat. Tandem juvenis factus (rusticus erat) ex ceraso in palum dum lignum fastigiatum delapsus, vultum impexit, ut narium una cum oculo sinistro, gena, palpebra utraque, & supercilio distrumperet adeo fædè, ut Chirurgus oculi globum evulsam profus crederet, eumque palo inhæsisse. Cicatrice tandem inducta post annum ab accepta plaga, dum in gramine apicatur, fortè lucem atque flosculorum candorem humi animadvertere coepit per nasi cavitatem. Et jam per quinque aut sex annos continuos visionem eo modo exercuit, ut quicquid offeratur, naso oculato distinguat exactè, sed despectando: suspectando enim lucem ferre nequit. Medicorum igitur collegio, ut examinaretur, pridie Cal. Martij jussu Electoris exhibetur, cum suo enim Chirurgo in jus vocato contendebat. Porrentosæ itaque hujus visionis modum, causamque esse deprehendimus, quod, sicut palpebra superior abrupto musculo attolli amplius non poterat, sed con-

glutinata quoque cum adnata oculi tunica coaluerat, ita etiam avulso musculo, qui oculum versus angulum acutum retrahere solebat, pupilla in angulum nasi se profus abdidit. Et quia ossilla nasi non fracta modò, sed & luxata quodammodo, concinnè restitui non potuerunt, accidit, ut nasus pressior, latiorque, sinistra præsertim parte, evaserit, adeoque ejusdem naris meatum patientiorem curatio reliquerit, per quem distorta latransque pupilla videndi munus obibat, & res quaslibet naso obvias internoscebat.

Causa.

Primò geminatæ visionis, cum res una duplex apparet, causa est, quod unius objecti species duobus temporibus recipitur, seu in uno oculo prius, quam in altero, recipitur, & ita duobus temporibus recepta duplex apparet, seu omnino cum duæ species rei visibilis binis oculis receptæ non in uno loco coeunt, sed distinctæ offeruntur.

Qua de causa autem hoc fiat, autem *Geminatæ visionis causa.* res inter se non consentiunt. Nonnulli in nervis opticis causam quæ-runt. Nervorum enim opticorum conjunctionem facere statuunt, ut res una, etiam si duobus oculis videatur, non duplex, sed una videatur, abs qua si esset, singulas res duplices apparituraspurant. Et quidem Antiqui quidam putarunt, nervos opticos sese medios per *χιασµόν* secare, & adverso oppositi lateris oculo utrinque inferi, dextrum sinistro oculo, sinistram dextro.

Verum aliter seferem habere, Anatomia docet, quâ constat, dextrum nervum dextro oculo, sinistram sinistro implantari; etsi in medio uniantur. Cujus conjunctionis quânam causa sit, alii aliter senserunt, ut apud Galenum, 10. *de usu partium* & *lib. de oculis. cap. 4.* videre est. Galenus præcipuam hujus rei causam esse putat, ne res una duobus oculis aspecta gemina appareat. Verum vix hæc præcipua hujus rei causa est. Potior illa ratio, quam Galenus tanquam secundariam affert, ut scilicet spiritus, qui à cerebro ad oculum utrinque mittitur, uno oculo clauso, aut alia occasione requirente, ad unum oculum totus transmittatur. Idque ex eo patet, quod observatum est, quosdam nervos in toto ductu separatos, & nullibi conjunctos habuisse, qui tamen eodem modo, ut alii, res omnes simplices, non duplices, viderunt. Cujus rei historiam habet Vesalius, *libr. 4. de fabr. corp. human. cap. 4.* Deinde etsi in uno oculo nervi optici conjungantur; tamen paulò post iterum separantur, & separati oculis & cerebro inseruntur. Præterea etsi duo sint nervi *αὐξήσιοι*: tamen sonus non duplex, sed simplex auditur. Itaque non in nervis opticis, causa geminata visionis quærenda est; sed in axium conorum oculorum humeres transeuntium in cavæ retinæ superficie constitutione; quæ si sit uniformis, & in eodem, vel sanè parallelo, plano sit, ut retinæ tunica amborum oculorum similiter & æqualiter pingantur ab i-

maginibus, speciesque unius planè figuræ & magnitudinis in eodem & simili planè loco existentes unam rem & objectum notent. Si verò oculi ita distrahantur, ut nec eadem plana observentur, nec parallela, sed alter vel sursum, vel deorsum feratur, vel ad dextrum, vel ad sinistram latus moveatur, gemina statim fit visio: quia tum retiformes tunica à speciebus dissimiliter & inæqualiter pinguntur, ita ut imago in sinistra oculi tunica retiformi ad dextram vel sinistram, superiorem vel inferiorem, & intermediam aliquam plagam declinet: in dextera autem oculi alium locum obtineat. Hujus rei documentum est, quòd, si quis digito oculum unum sursum vel deorsum trudar, ut cum altero æqualem situm non habeat, res omnes geminæ apparent. De quo Lucretius:

*Aut si fortè oculo manus uni subdita
subter*

Presit eum, quodam sensu fit, ut videantur

*Omnia, que tuimur, fieri tum bina
tuendo,*

Bina lucernarum florentia lumina flammis,

Binaque per totas ades geminata supellex,

Et duplices hominum facies, & corpora bina.

Quod confirmat etiam historia, quam recitat Johan, Langius, *libr. I. Epist.*

Epist. 7. de quodam, qui in cultellum cadens oculum ab inferiore palpebra ad supercilium usque ad medium dissectuit, cui vulnere sanato omnia gemina apparebant, quia pupilla oculi ad palpebram inferiorem agglutinati depressior altera stabat, sed tandem oculus frequenti motu ab inferiore relaxatus palpebra à geminati visus fallacia liberabatur.

Interdum & ebriis ac furiosis evenit, ut res duplices, videant de quo Virgilius, 4. *Æneidos*:

*Eumenidum veluti demens videt agmina
Pentheus.
Et Solem geminum, duplices se ostendere
Thebas.*

Qua de causa verò ebriis & furiosis tale quid eveniat, non ita planum est. A vaporibus equidem, qui spiritibus animalibus permiscetur, hoc fieri, certum. Sed quomodo vapores illi faciunt, ut reseadem gemina videatur, obscure. Nobis probabile videtur, id facere, quatenus musculos moventes afficiunt. Hi enim à vaporibus irrigati, & à spiritibus animalibus vaporibus turbatis inæqualiter affecti, suo officio non satisfaciunt, oculosque firmiter ad objecta dirigere, & in illis conservare nequeunt; sicut videmus horum nec manus nec pedes suo officio fungi. Non enim omnes ebrii, licet caput habeant vaporibus refertissimum, duplicia objecta vident; sed illi solum, qui eum ebrietatis gradum consecuti sunt, ut facultas locomoti-

va sit labefactata, musculique in actione sua deficiant. Licet verò illa distorsio oculorum ad sensum non ita manifestè appareat: (aliquando tamen deprehendi, & ex oculis ebrii cognosci possunt) tamen levisissima etiam, & sensu non perceptibilis declinatio à plano causa esse potest, ut imagines in diversis retinæ punctis apparent.

Quod verò Medico illi res omnes Res inverte invertæ apparuerunt, proculdubio se cur ap- ex crystallini situ mutato accidit, ob pareans. quem species inibi refractæ oppositam plagam in tunica retiformi occupaverunt.

Alieno colore res apparet, cum vel Alieno co- cornea tunica, vel humor aqueus lore tincta. alieno colore infectus est; quem dum transit, species visibiles eundem colorem suscipiunt.

Iris illa, quæ nonnunquam circa Iridis circa candelas conspicitur, non est circa oculum candelas, sed in oculo; quippe quæ non causa. omnibus apparet, sed iis saltem, qui oculos habent debiliores, & ophthalmiâ laborant. Præterea accedendo immittitur, & recedendo fit major; cum tamen contrarium fieri deberet, si esset circa candelam. Est quidem, qui hanc meam sententiam reprehendit, sed parum æquè. Neque enim unquam negavi, quod cuivis notum, & quod experientia testatur, aliquando circa lucernam iridem apparere; verum non oculi vitio, utpote quæ ab iis etiam, qui oculos sanos habent, percipitur. Sed

de hac iride quæstio non est, sed illa, quæ non omnibus, sed iis saltem, qui oculorum vitiosam constitutionem habent, apparet. Et talem iridem dari, experientia testatur. Ponatur enim lucerna in loco minimè vaporoso, sed aère puro: tum ii, qui sunt oculis sanis, nullam iridem deprehendent, sed ii solum, qui ophthalmici sunt, vel aliam oculi vitiosam constitutionem habent: quod certissimum argumentum est, iridem tum non in aère, sed in oculis lippientibus & ophthalmicis hærerè. Accidit autem hæc Iris, quia radii lucernæ transeuntes humorem aqueum, qui non est purus, sed ob fluxionem quasi rosceus, & guttulis multis confusus, sese refringendo colores generant qui omnes ad refractionum loca percurrentes circulum circa candelam rotundum efficiere videntur; quia rotunda est pupilla.

Et reliqua etiam simulachra, quæ visioni offeruntur, ab humoris aquei vitio proveniunt, quando is vaporibus vel humoribus inquinatus est.

Platerus equidem vapores hosce ad oculos posse penetrare negat, & neque per venas & arterias, neque per nervos opticos in ipsum oculum pervenire posse putat, quia venæ & arteriæ saltem per annatam oculi tunicam discurrant, & nullibi neque in corneam oculi tunicam, neque in oculi interiora perveniat; per nervos etiam spiritu animali plenos vapores turbidi deferri minimè queant.

Verum enim verò, etsi venæ & arteriæ sensibilibus saltem ad annatam oculi tunicam perveniant: tamen cum

& reliquæ omnes oculi partes nutriantur, necesse est, ut ex vasis illis nutrimentum suum hauriant, etiamsi sanguis non rubeus, sed immutatus ad eas perveniat. Per venas itaque, per quas nutrimenta ad singulas oculi partes proveniunt, & per arterias, è quibus spiritum vitalem accipiunt, vapores etiam illi penetrare possunt, & in corpore vivente omnia sunt *ἕρπια καὶ ἕμπνοα*; ac suffusiones, quæ ex vitiosis humoribus in aqueo humore cumulatis generantur, testantur, tum humores, tum vapores alienos ad interiora oculi penetrare posse.

Splendores & lumen, quod interdum oculis obverfari videtur, quod at- ^{Splendoris} ^{oculis ob-} ^{versantis} ^{causæ.} tinet, contingit hoc ante suffusiones, & accidere putatur ex reflexu spirituum animalium. Spiritus enim animales lucidi sunt, quod Galenus, *libr. 1. de caus. sympt. cap. 6. & 7, de decret. Hippocratis & Platonis*, exemplo quorundam animalium probat, quibus lucidi splendidiq; noctu sunt oculi.

Verum non omnibus in tenebris oculi lucent, qui tamen perfectè vident, & splendor ille in tenebris non est à spiritibus, sed à luce iridi in oculo implantata. Spiritus verò optici etsi puri & sinceri sunt: tamen actu lucidi non sunt; & si actu lucidi essent, visionem impedirent. Ideoque fit iste splendor, quando spiritus in humore aqueo crasso reddito & opaco repercutiuntur, & non tantum crystallino & vitreo, sed & retinæ tunicæ offeruntur. Forsan tamen & illa lux, quæ in uvea est, tum concurrere potest.

Cum ergo humor aqueus supra crystallinum condensari incipit, spiritus animales repercutiuntur, & reflexi crystallino & vitreo offeruntur; unde æger splendorem se videre existimat. Quæ ipsa etiam causa est, cur obcæcati ex suffusione splendorem ac lumen sese videre interdum existiment. Ideoque plerumq; splendores ejusmodi futuræ cæcitatæ, aut aliorum gravium capitæ affectuum indicia sunt; ut exemplis docet Marcellus Donatus, *de histor. med. mirabil. lib. 2. cap. 9.* Refert enim, faminam quandam, cum triennium pupillæ dilatatione laborasset, & ferè excæcata esset, subitò splendorem instar radiorum Solarium sibi offerri putasse: & aliam quandam, quæ dolore capitæ intensissimo vexabatur, & pro ejus curatione venam sibi aperiri curabat, quendam in media capitæ parte interna crepitum, ac si velica distumpere-
 tur, persensisse, ex quo in levem lipothymiam incidit, ac post non multos dies globulum igneum sibi videri visa est, qui postea in maximam flammam excrevit, ac deinceps morbis melancholicis & epilepticis symptomatibus vexata est. Ita Galenus, *lib. 7. de placit. Hippocratis & Platonis, cap. 4.* de ob-
 structione nervorum verba faciens, scribit: *Novi ego quendam, qui, cum eodem malo affectus esset, narrabat nobis, se, priusquam in eam calamitatem incidisset, in somnis patens factis repente palpebris magnam ante oculos lucem solitum videre.* Et Hippocrates, *5. Epidem. Phœnicis affectio ex oculo dextero talis quadam erat, plerumq; veluti fulgor elucere putabat.*
 Cum autem non diu ipsum tenuisset do-

L. I,

lor, ad tempus dextrum instabat, & per totum caput & collum intumescerebat, & *lib. 7. Epidem. in historia Mnesæanacti refert: Deambulanti ipsi in foro splendores præ oculis obversabantur, & Solem non valde videbat. Cum autem parum discessisset, extra sensum erat, & collum convulsus est.*

Interdum res perforatæ & quasi fenestratæ apparent. Quòd pertinet historia illius fœminæ, quam recenset Marcellus Donatus, *de histor. med. lib. 2. cap. 9.* cui cum globulus igneus ob oculos versaretur, & melancholicis ac epilepticis symptomatibus vexaretur, sinistro tantum oculo videbat, verùm non nisi dimidiata, & quasi in medium dissecta objecta. Hujus symptomatis causam Galenus, *1. de sympt. caus. cap. 2.* his verbis reddit: *Si in pupilla centro exigua consistat suffusio, partibus, quæ in circuitu sunt, puris manentibus, omnia vis, qui ita laborant, veluti fenestras habere videntur. Nam quod in medio non videtur, excisum putatur.* Et omnino negandum non est, ob corpus opacum in oculo interjectum aliquid de objecti magnitudine & figura deperire; sed quod opacum illud non in aqueo, ubi est locus suffusionis, consistat, vel ex eo patet, quod ij, quorum pupilla albo corpore ex parte obducta est, nihilominus objecta integra, & propria figura vident. Ideoque credibilis, & fundamentis opticis magis consentaneum est, corpus opacum, ut res perforatæ & fenestratæ appareant, consistere inter retinam & pupillam.

Res autem, quæ oculis obversari videntur, & Galeno, *lib. 1. de symptom. caus. cap. 2. & 2. de loc. affect. εἰδωλὰ & φαντα-*

Res perforata cur appareant.

Imaginum & phantasmatum oculis obversantium causa

T t t t

talmata

causata nominantur, quod attinet sunt ferè duorum generum. Vel enim fixæ & immotæ sunt; id quod accidit in suffusionibus, aut ubi macula quædam in cornea est: vel variè moveri videntur, varioq; colores referunt; quod accidit ob humores. & vapores humori aqueo permixtos. Atq; hi vel à cerebro communicantur, quando illud succis abundat, aut crassis pituitosis, quod plerumque accidit, unde vapores ejusmodi ad oculos mittuntur, aut biliosis adustis, ut in phreneticis, teste Galeno, 4. de loc. affect. cap. 2. vel à venis & arteriis totius corporis; id quod in febrium ardentium vigore accidit, fumis adustis per venas & arterias simul cum sanguine & spiritibus sursum elatis, & instante quoq; crisi per hæmorrhagiam narium: vel à ventriculo, è quo vapores sursum ad oculos feruntur, sive ex cruditate, præfertim nidrosâ, sive ex humoris biliosi in ventriculum confluxu: vel ab utero, aliarumque partium inferiorum effumante ibidem humorum illuvie: vel à pulmone, ut in peripneumonia, teste Galeno, 1. aphor. 23.

Signa Diagnostica.

Signa diagnostica quod attinet, ea proponere opus non est; cum ex relatione ægri cognosci possit, qualem visus depravationem patiatur. Ex qua verò causa visus depravatio ortum habeat, ex iis, quæ hæcenus diximus, patet. Imagines in specie quod attinet, ex materia humori aqueo permixta varia oriuntur symptomata. Nam primò variæ apparent, quorum aliæ muscas, aliæ catenulas, vel capillos, vel puncta nigra referunt; aliæ sunt nigra, aliæ citrina,

catenulæ quidè, quia impuritates illas aquei humoris sibi non continuè coherentes, sed contiguè, radij à perpendicularibus remotiores, & obliquè incidentes, ac sic debiliores, transmeare non possunt. Unde loco punctorum lucidorum, quæ effingenda erant in retiformi tunica, imagines obscuræ apparent.

Lucida etiam remotiora, ut Lunæ, candelæ, multiplicia videntur, quia debiles radios ad oculum spargunt, qui ob aquei diaphani inæqualitatem inæqualiter, & quasi interruptè refringuntur; unde vel imago multiplex, vel ampla confusa propter distractionem radiorum, qui in vertice conici coire debebant.

Res longinque videntur indistinctæ, quia debiles radios spargunt, & propterea ob medii inæqualem pelluciditatem in formibus refractionibus magis obnoxios, unde non nisi imago confusa efformari potest: vel quia objecta longè distita in humoribus crassioribus magis refringuntur, quam par erat; unde cœtus brevior, qui vix attingit retiformem.

Prognostica.

Quid quoq; de eventu cujusq; visus depravationis sperandum sit, ex iisdem similiter manifestum est.

Imagines quod attinet, non solum fit visus depravatio, sed & debilitatio; ut res obscurè, & præcipuè remotæ videntur; tandemq; affectio hæc in suffusionem degenerat, atque nunc citius, nunc tardius, nunc planè non: Humores imagines has exhibentes citius suffusionem patiunt, tardius verò, vel non, vapores; & novi, qui annis viginti imò triginta tales imagines ante oculos ob-

versan-

versantes habuerunt, & tamē suffusionē non passi, nec cœci facti sunt, etsi remotiora & minora objecta distinctè videre non potuerunt. Avicenna tria signa tradit, quibus discerni possit, quando imagines in suffusiones abituræ sint, quando non. Primum si per sex menses duraverūt eæ imagines, nec vis^o offensus sit, nec oculus conturbatus, metus suffusionis non est: cùm, si materia in suffusionem abitura sit, id hoc temporis spatio præstet. Secundum est, si imagines non sint constantes, sed modò abbeant, modò redeant, & visio tamen integra maneat. Tertium signum est, si imagines sint ex crassis vaporibus, & diu perdurent, neq; tamen visum aut oculum offendant. Quibus quartum addi potest, quòd scilicet quòd imagines sunt crassiores & opaciores, eò major suffusionis metus est: si verò sint subtiliores, & minus opacæ, quales sunt quæ capillos & catenulas referunt, eò minus metuenda est suffusio.

Curatio quoque pro varietate causarum varia est, quæ etiam ex iis, quæ hactenus de morbis oculorum dicta sunt, patet.

QUÆSTIO.

Cur Vapores & Humores intra oculum videantur.

Verum hic non sine causa quaeritur, quæ fiat, quòd, ut Aristoteles, 2. de anim. text. 106. docet, cum sensibilia supra sensum posita non videantur, vapores & humores intra oculum existentes videantur; appellatque Mercurialis hanc controversiam gravissimam,

difficilem, magnam, & quæ diu torserit multos Medicos. Et revera multi Medici in ea solvenda valde se torserunt. Verum enim verò sequens sententia vero maximè similis est. Medium visionis est perspicuum. Verum illud duplex, externum, aer, aqua, & alia corpora translucida; & internum; tunica cornea, & humor aqueus, quæ eà ipsâ de causâ perspicua, & coloris expertia esse debent. A qua naturali constitutione si recedat, & vel cornea maculam aliquam acquirat, vel humor aut vapor in humore aqueo colligatur, id, quòd medium esse debebat, ea quidem parte, qua à naturali constitutione desciscit, & coloratum evadit, medium esse desinit, & objecti rationem suscipit, & ipsum etiam coloratum, & non amplius perspicuum visui offertur. Quòd autem res extra oculos imposita non videtur, corpuscula autem illa intra oculum hærentia videntur, causa diversitatis hæc est: Res coloratæ non videntur sine lumine, ac lumen actus quasi colorum est, & res visibiles lumine non illustratæ non videntur. Ideoque si res aliqua oculis imponatur, non illustratur ab externo lumine, neque color ejus in actum deduci, & visibilis actu fieri potest. Contrà verò corpuscula in humore aqueo hærentia etsi intra oculum sint, tamen à luce externâ, modò pupilla pateat, satis illustrari possunt; quo si careant, nec ipsa videntur. Cujus rei documentum est, quòd, si quis oculos claudat, vel manu oculis imponat, corpuscula talia non videt.

Nonnullis equidem hæc sententia non probatur, & meliorem substituere conatur, sed hypothesi tali præsupposita, quæ an admitti possit, dubito. Nimirum, contra mentem Aristotelis & aliorum Philosophorum, sensibile etiã positum supra sensorium movere sensum, seu coloratum supra oculum positum videri; & propterea medio ad visionem non opus esse, ajunt, seu rei visibilis illuminationem. Equidẽ concedo, res oculis propriè admodum videri, etsi nõ distinctè idedò quia objecta nimis propinqua gignunt conum oblongum in oculo, cujus vertex non figitur in tunica retiformi, sed illam transgreditur, unde fit visio confusissima, quia retiformis tunica punctum concursus radiorum visibilium conum constituentium non recipit, sed conum secatur, & sic confusos & indigestos radios recipit.

Si tamen res oculo imposita videri debet, licet confusè, necesse est, ut à lateribus lumen affluat, quod objectum illuminet; si verò ita objectum oculis imponatur, ut nullo lumine illustrari possit, nihil omnino videbitur, sed merè tenebræ oculo observabuntur. Ideoque cum maneat hoc certum, ad visionem necessarium esse, ut objectum illuminetur, etiam procul dubio corpuscula illa in aqueo humore lumine, si videri debent, ut illustrentur, opus habent. Quod si quis à lumine externo fieri nõ admittat, quod corpusculorum istorum superficies externa saltem hoc modo illuminari possit; quæ verò interiorum spectant, non illuminentur: forsàn à luce illa interna, licet exigua, uveæ tunicæ in hærente illuminari possunt, aut, cum corpuscula illa opaca & nigra sint, colorque niger privatio-

nis locum & proportionem habere videatur, ut docet Scaliger, *exerc. 325. f. 9.* lumen requirere non videntur. Interim phantasia ex his corporibus varia phantasmata format, & putat, modò muscas, modò culices, modò alia oculis observari. Ideoque talia corpuscula opaca potiùs sentiuntur per species alienas externorum visibilium, quæ dum ab oculo recipiuntur, secundum naturam, id est, magnitudinem, figuram, & numerum corporis opaci in oculo hærentis modificantur.

Verùm hisce hanc de læsa visione doctrinam concludo, quam maximis difficultatibus involutam esse fateor; cum nec antiquis Optica principia plerumque parùm attendentibus omnia non satis enodata, nec etiam à Recentioribus diversa sæpe principia secutis omnia satis discussa. Infinitus sapientiæ divinæ Thesaurus in una oculi fabrica later, quam admirari facilius est, quàm investigare & explicare.

CAPUT XLVI.

De Excretorum ab Oculis vitis.

Cum autem, ut comoda fiat visio, oculus etiam motum obtineat: in læso oculi motu symptomata accidere possunt, Convulsio & Paralysis. Verùm de iis jam supra dictum. Restant tandem symptomata, quæ in Excretis ab oculis accidunt. Secundum naturam quidem in animi affectibus lacrymæ ex oculis effluere solent: verùm præter naturam & alia ex oculis interdum excernuntur, ut *λίμη*, humores lachrymarum instar, quorum

quorum fluxus Epiphora nominatur, lachrymæ sanguineæ. Quandoque etiam vermes ex oculis erupisse observatum est; de quibus jam ordine dicemus.

De Lemis, seu Oculorum sordibus.

Oculorum sordas.

Interdum copiosæ sordes; præsertim nocturno tempore, ex oculis excernuntur, quæ palpebris adhærent, easq; quasi conglutinant; quod vitium Græcis *λήμη*, seu *lema*, appellatur. Originem habet hoc malum ex humorum ad oculos, præcipuè palpebras, confluxu; sed qui jam coctionem suscipiunt & incrassantur. Et familiare hoc ophthalmiæ malum est, idèoq; eandem generationem & curationem habet, quàm ophthalmia. Corpus nimirum evacuandum, affluxus humorum ab oculis avertendus, sordesq; ipsæ abstergendæ sunt; & topica convenientia oculis applicanda.

Ut R. Flor. sambuci,
verbasci,

verbena,

euphrasia, an. M. j.

Fiat Sacculus, qui aqua rosarum madidus oculis imponatur.

Vel R. Euphras.

ruta,

pentaphylli,

verbena,

chelidonia, an. M. ij.

flor. fabar. M. iij.

Affunde aquæ verbasci q. s. destillantur. Aqua manè & vespèri oculis instilletur.

De Epiphora.

Epiphora.

Quantum *Ἐπιφώρα* vocabulum in genere humoris in quamcunque

partem influentis impetum significet, quo sensu Epiphoras uteri & ventris dixit Plinius: tamen de oculorum potissimum fluxione vox hæc à Medicis usurpatur; & Græcis vel Epiphora, vel, cum adjectione, *Ἐπιφώρα ὀφθαλμῶν* nominatur, qui vulgo affluxus lachrymalis, & oculi destillatio, Celso pituitæ cursus, Plinio Illachrymationes, Avicennæ lachrymæ. Intelliguntur autem lachrymæ non illæ naturales, quæ mœsticiam atque iram quoque comitantur, in pueris imprimis & mulieribus; de quibus videatur Jul. Casserius Placentinus, *tractat. de lachrymis*, sed involuntariæ, quæ non ab animi affectu aliquo, sed à causâ morbifica proficiscuntur.

Est igitur Epiphora tenuis humoris *Epiphora* impetus lachrymarum specie præter *quid*. naturam in oculos factus; & humoris quidem aliàs frigidi aquosi, aliàs calidi, acris, & salsi, è cerebro in annatam, & ad angulos potissimum, delati. Comitatur hanc affectionem nonnunquam solâ molestia ex perpetua illa destillatione; aliquando dolor, morsus, ardor, rubor ex materiæ acrimonia, interdum & visus hebetudo, præcipuè cum origo mali est ab internis oculi partibus; aliquando denique ulcusculum ex palpebrarum asperitate & duritie, aut ex carunculæ in angulo lachrymali corrosione.

Suntq; involuntariæ istæ lachrymæ aliàs nativæ, ex imbecillitate à parentibus contractæ, siquidem malum hoc quoque hæreditarium est; aliàs adventitiæ. Et hæc species vel causas externas, item morbos nonnullos, ut febres acutas, lethargum, & extremam

virium imbecillitatem in morituris, vel causas internas sequitur, imbecillitate scilicet retēricis & alteratricis cerebri.

Fluxionis illius ad oculum origo est vel, quod sapissime accidit, à syncipite & summo vertice inter cutem & cranium, unde materia per pericranium in angulos & aunatam destillat; vel à roto, aut parte aliqua corporis, quando materia serosa, quæ vehiculum est sanguinis, cum sanguine ad extremitates venularum oculi penetravit, ubi ob partiū imbecillitatem forās effluit.

Causa.

Causa itaque proxima Epiphoræ est humor excrementitius, tenuis ac serosus præter naturam ad angulos oculorum fluens, qui, ut diximus, aliàs frigidus & aquosus est sine dolore, ardore, rubore; aliàs calidus, acris, vel salus, cum dolore aut rubore molestus, unde palpebrarum exulceratio sequi solet.

Remotæ causæ sunt partis affectæ, quæ oculus est, imbecillitas, roburq; mittentium. Imbecillitas illa vel ab intemperie oculi est frigida & humida; vel à mala compositione, si oculi substantia sit rarior; vel à morbo in numero, si caro lachrymalis sit absumpta, quæ veluti operculum glandulosum addita est angulo majori, ut serosam è venis capitis fluxionem objectu suo deriveret ad nares, in quas & sanies interdum per communem oculorum ad nares meatum ex fistulis lachrymalibus exprimitur. Secundò serosi excrementi copia, sive in toto, sive in cerebro; & quidem vel geniti in cerebro ob vitiosam nutrimenti transmutationem, vel aliunde per vasa eò transmissi. Defertur à cerebro ad oculos, quia

cerebrū aut nō detinet illud, vel expellit, irritatum illius copia aut qualitate; sicuti in catarrho etiam fieri consuevit.

Differentia.

Differentia Epiphoræ est, quod in alia materia serosa simplex & sincera est; in alia cum pituita & exigua bile mixta. Præterea materia in alia epiphora per vasa extra cranium affluit; in alia per vasa intra cranium. In alia item anguli oculi affliguntur; in alia etiam tunica annata, vel totus oculus.

Quod denique alia Epiphora à causis externis ortum habeat, alia ab internis, ex præcedentibus notum est.

Signa Diagnostica.

Signa Epiphoræ per se manifesta sunt. Et cum à causis sit externis, æger de his docebit. Defectus quoque carunculæ lachrymalis intuentium oculis patet, sive illa ablata sit corrosione, sive incisione.

Quoad causas internas, si punctio, rosio, ardor, & rubor affuerit, acrimoniæ aut falsædinis cujusdam particeps est materia. Per venas denique externas, quæ à pericranio sunt, materia affluit, si partes circa frontem & tempora tument, & dolent, & caput quasi revinctum videtur. Per internas intra cranium, quando interni dolores sentiuntur, & sternutationes frequentes accidunt.

Prognostica.

i. Infantes, qui lachrymantes habent oculos ex superflua cerebri humiditate, ii progressu ætatis sola bonâ diætâ

statâ sanantur; nisi malum ipsis sit nativum. Antiqua verò epiphora, & quæ senibus accidit, difficulter curatur. Imò frequenter in fistulam lachrymalem degenerat.

2. Lachrymæ propter ablatam incisione aut erosione carunculam in angulo provenientes ferè sunt incurabiles, teste Avicenna; cum frenum quasi illarum sit sublatum. Quæ tamen à corrosione facta est, curatu est facilior. A corrosione enim potius pars carnosæ absimitur, quàm spermatica. & nervosa, unde regenerari potest: ab incisione verò tam carnosæ, quàm spermaticæ, quæ regenerari non potest, absimitur; ut etiam supra dictum.

3. Lachrymæ à vasis intra cranium derivatæ difficillius etiam curantur.

4. Qui in febribus, aut aliis morbis voluntariè illachrymant, absurdum non est. Qui verò citra & præter voluntatem, absurdus, teste Hippocrate, in 4. aphor. 52. quoniam summa retentivitas cerebri indicatur imbecillitas.

Quibus in febribus acutis atque adeò ardentibus involuntariè erumpunt lachrymæ, his (siquidem reliqua non sunt exitialia) sanguinis è naribus effluxio expectari potest. Qui verò malè habent, iis mortem significat, 1. epidem. 2. aphor. 80.

Indicationes.

Indicatio curativa est; fluxionis causam abscindere, sive illa consistat in cerebro, sive aliunde eò, & in oculos immittatur; deinde quod influxit

discutere; ac deniq; partem affectam, ipsumque caput roborare.

Curatio.

Si fluxio augeatur, & dolor accedat, Galenus venam secatur, 4. de compos. medis. sec. loc. cap. 8. ut inflammatio prohibeatur. Imprimis autem in curatione attendendum est, utrum origo mali sit à toto, an à capite. Primum enim si sit à toto, atque humor ipse calidus sit & acris, ille convenienter expurgetur, & à capite revellatur, ac ab oculis derivetur modis supra propositis. Postea caput roborerur cephalicis cerebrum exsiccantibus. Applicentur etiam topica adstringentia, ne venæ laxiores materiam recipiant, cujusmodi sunt rosæ, myrtilli, succus plantaginis, balauſtia, hypocistis, acacia, thus, mastix, bolus Armenus, sanguis draconis, quæ cum albumine ovi excepta addito pauco aceto fronti & temporibus accommodantur.

Ut & Acacia,

sanguinis draconis, an. Unc. ℥.

bolus Armeni prepar. Drach. iij.

mastich. Drach. iij.

album. ovi num. j.

aq. plantag. q. s.

Misc. & linteo inductum fronti temporibusq; admoveatur, & quoties exsiccatum fuerit, renovetur.

Vel & Pulv. thuris Drach. iij.

racamahaca Drach. ℥.

lapidis hamatitis Drach. ij.

balauſtor.

ſtor. rosar. an. Drach. ℥.

album. ovi num. j.

aq. rosar. q. s.

Vel &

Vel ꝑ. *Mastich.* Drach. ij.

gummi animæ,

tacamab. an. Drach. jß.

juniper. Drach. j.

Cum pauca terebinthina & cera fiat
s. a. Ceratum.

Quando materia ruit per vasa interna, nonnulli cauterium post aures commendant. Utilia quoque sunt vesicatoria. Ipsi quoque oculo convenit pannus lineus albumine ovi vel aqua rosarum irrigatus.

In frigido humore post ejus præparationem & evacuationem prodest lana infusa in vino adstringente, & juxta oculos apposita.

Aut ꝑ. *Gallarum immaturarum,*

nucum cupressi,

sanguin. dracon. an. Drach. j.

croci Scrup. j.

Excepta sufficiente quantitate tragacanth. panno lineo proximè super oculos applicentur. Ad oculos ipsos probatur tutia infusa in decocto meliloti, vel in vino crasso; deinde in aqua majoranæ, fœniculi, & euphragiæ, addita myrrha, croco, & aliis. Imprimis commendatur aqua virgæ aureæ, in qua thus ignitum sit extinctum.

Aut ꝑ. *Thuris,*

mastiches, an. Scrup. j.

myrrha.

aloes sicca, an. Drach. ß.

tutia prepar. Drach. j.

sarcocolla nutrita Drach. ß.

Subtilissimè trita excipiuntur ovi albumine, aut succo cydoniorum. Tempore usus dissolvantur cum aqua fœniculi aut euphragiæ, & mane atque vesperi aliquid in oculum instilletur.

Ac summatim in quacunque epiphora, tam calida, quàm frigida, conveniunt adstringentia, præsertim in principio: postea siccantia, quæ materiam absument, sed citra morsum; &, ubi materia calida atque acris est, etiam refrigerantia.

Si malum à capite ortum habeat, cerebro imbecillo vel generante in se materiam, vel à toto suscipiente, primò, quod genitum est, auferatur evacuando per nares & palatum, deinde prohibeatur, ne quid amplius gignatur, corrigendo capitis intemperiem, legitimamque dietam præcipiendo. Tandem oculus roboretur leniter adstringentibus, de quibus hætenus dictum est.

Lachryma Sanguinea.

Præter naturam etiam est, si sanguis lachrymarum instar ex oculis excernatur; id quod fœminis quibusdam accidit, quibus menses subsistentes per oculorum angulos effluerunt: cujus rei historias aliquot ex Brassavola, Dodonæo, Mercato, Salomone Alberto, collegit Schenckius, *libr. 4. observat.* 257.

Curantur tales venæ in talo sectione, & aliis menses promoventibus remediis adhibitis.

Fit etiam aliquando sanguinis ab oculis eruptio, ut Aëtius, *terrabibl. 2. ferm. 3. cap. 63.* docet, pueris ob assidue seculatus, apertis circa palpebras vasis. Qui curandi sunt postea frigidæ, aut aquæ frigidæ perfusione, tum super angulos, tum super caput factâ, infun-

infundendo etiã albumen ovi per se, & cum aliquo collyrio ad tenues fluxiones conveniente. Utendum etiam internarum partium deligatione, & cibo crassefaciente.

Rarius est, quod Forestus, *lib. II. observ. 13.* annotavit, de foemina quadam octuagenaria, cui per tres fere septimanas sanguis ex oculis lachrymarum instar copiosè emanavit. Quæ cum iſterica esset, proculdubio à bile vasa eò loci aperta fuerunt: quæ quomodo curata sit, videtur apud Forestum, *loco allegato.* Sicut & illud rarum, quod puella undecimestris lachrymas san-

guineas fudit; ut refert Philipp. Hechsterterus, *observ. Med. dec. I. cas. I.*

*Vermis ex angulo oculi
erumpens.*

Vermem puellæ trimæ, aliàs rectè valenti, longitudinis semipalmaris, coloris albi, crassitudinis tinea, vivum, nullâ noxâ à puella perceptâ, aut foramine ullo evidente relicto, ex interno seu majore oculi angulo extractum fuisse, refert Amatus

Lusitanus, *Centur. 7.*

curat. 63.



LI.

Vuuuu

LIBRI

LIBRI PRIMI

PARTIS III.

SECTIO TERTIA.

De Aurium Morbis & Symptomatibus.

CAPUT I.

De Intemperie Aurium.

A B oculorum morbis & symptomatibus ad aurium affectus rectè accedimus, quarum usum, ut Celsus loquitur, proximum à luminibus Natura nobis dedit. Atque ut visus per se confert ad eruditionem & sapientiam; quoniam res plurimas offert, quibus mens intus instruitur: ita auditus per accidens ad φρονήσιν conducit. Nam sermo docentis, quem auribus haurimus, per se scientiam affert; quemadmodum hac de re docet Aristoteles, *lib. de sens. & sens. cap. 1.*

Quæ autem aurium sit constitutio, & ex quibus partibus componantur, ex Anatomicis petendum, & præcipuè è Jul. Casserio Placentino. Morbi autem, quibus aures infestantur, sunt intemperies simplex, & cum materia, inflammatio, ulcus, obstructio, ruptura tympani, vulnèra.

Intemperies aurium.

Primò enim interdum aures, & præcipuè eorum membrana ac nervi, intem-

perie sine materia frigida, à ventis & aëre frigido afficiuntur; quæ gravem dolorem excitare potest, ut experientia sæpe testata est. *Frigida.*

An verò similiter ex intemperie nulla calida à causâ externa aures affici possint, controversum est. Græci quidem causæ hujus mentionem non faciunt. Arabes tamen omnes inter causas externas aëris caliditatem recensent. Verum frigida equidem nervis inimica sunt, non verò item calida, & calor externus vix calidior esse potest cerebro & cæteris partibus internis, & ita calor per se vix intemperiem, quæ insignis alicujus læsionis causa esse possit, inducere potest; per accidens verò id faciliè præstare potest: nimirum humorum ad aures confluum concitando. Quo sensu & Hippocr., 3. aph. 2. inter æstivos morbos aurium calorem refert.

Frequentius verò patiuntur aures intemperiem frigidam & humidam, seu quæ cum pituita sit conjuncta. *Frigida & humida.* Deinde

indè etiam intemperiem calidam cum bile. Et quidem materia vel in ipsa aure colligitur, ob coëctricis, retentricis; vel expultricis imbecillitatem, meatum angustiam, crassitudinem excernendorum. Aliunde verò ad aures confluit, vel à calore aut dolore attracta, vel aliunde transmissa. Solet autem materia ad aures transmitti nunc à toto; quod in crisi bus februm fieri sæpe solet; nunc ab aliqua parte; imprimis verò à cerebro, quod, ut vicinum, excrementa sua facilè auribus communicare potest.

Signa Diagnostica.

Si intemperies sit nuda, nulla gravitas, nulla tensio, nullus tumor percipitur; quæ si adsint, intemperies est cum materia: quo casu & auditus magis impeditur. Et si intemperies sit frigida, æger in aëre & vento frigido, aut nive versatus est; quod sit nonnunquam in longis peregrinationibus tempore hyberno: dolorq; est citra ardorem, calidisq; lenitur. Si verò tale nihil præcesserit, quod nudam intemperiem inducere potuerit, & caput sit gravi, procul dubio quædam materia adest, scilicet aut spiritus flatulentus; quod cognoscitur ex dolore vehementi sine pondere & gravitate, & tinnitu ac strepitu manifesto, & quod dolor non est continuus, sed per intervalla quædam vel intermittit, vel non nihil imminuitur; aut humor frigidus crassus, & tum signa frigiditatis adsunt: aut humor biliosus, & tum signa coloris adsunt.

Curatio.

Si intemperies sit frigida, calefacientia, vaporis, fumi, liquoris, vel aliâ formâ usurpanda. Et propterea calida vel instillanda, vel per infundibulum vapor decoctorum excipiendus, vel per spongiam, lanam aut linteum extra applicanda. Fiat nimirum evaporatio decocturutz, origani, chamæmeli, absinthii; vel decocto lana vel spongia imbuatur, & auri applicetur. Vel instilletur oleum rutaceum, de castoreo, amygdalarum amararum, nardinum, irinum, majoranæ. Utilis est & succus ceparum cum liquore aliquo conveniente mixtus. Oleum item è semine cannabis & vitellis ovorum. Ante omnia verò commendat Scribonius Pissellæum, seu florem picis, quas vires etiam habent olea destillat. terebinth. ceræ, rutæ, junipeti, & similia. Si vehementior sit frigiditas, aliquid euphorbii admiscere licet.

Si ab intemperie calida affluxus aliquis humorum metuatur, instillentur auri (sed tepidè omnia) lac muliebre, & succus refrigerantium herbarum, lactucæ, solan. album. ovi, oleum rosacæ, violac. de cucurbit. salic. Si spiritus flatulentus adsit, cum flatu præsupponat materiam, è quâ attollitur, primò materia illa, sive frigida, sive calida sit, expurganda; deinde topica, quæ flatum illum discutiunt, usurpanda.

Vel ℞. Milij,

fursurû,

salû, an. M. j.

sem. anisi,

fenicul.

laccar. lauri. an. Drach. iij.

Vuuuu 2

Calc.

Calesiant in sartagine, & sacco inclusa calidè auri applicentur, vel vino forti prius aspergantur.

Vel fiat evaporatio ex ruta, betonica, majorana, aneth. flor. chamæmel. melilot. sem. cumini, carvi, castoreo.

Vel ℞. *Cepam.*

& impone

ol. *chamamel.*

rutac. an. Drach. ij.

puly. sem. cumini.

anisi,

piper. an. Scrup. j.

Imponatur cepa cineribus calidis, vel ad ignem, donec oleum absumat. Postea contundatur, & succus exprimatur, qui auribus instilletur. Et cum plerumque, ubi spiritus flatuosi adsunt, simul humor crassus & viscidus esse soleat, qui aurium meatus obstruit, ne flatibus exitus pateat, incidentibus, attenuantibus, & aperientibus utendum, qualia modò sunt proposita.

Si verò ab humore aliquo sit intemperies, purgandum est cerebrum, ne plus materiæ affluat; postea topica medicamenta adhibenda. Et quidem si à materia frigida sit intemperies, humor præparetur & evacuetur iis medicamentis, quæ supra, *part. i. cap. 10.* sunt proposita.

Purgationes autem per intervalla repetantur. Corpore toto evacuato, caput evacuetur apophlegmatismis, gargarismis, errhinis. Itemq; calefactione & siccantia medicamenta usurpentur, interna & externa, quæ supra sunt proposita.

Vel lavetur caput lixivio ex cineri-

bus sarmentorum vitis, & ligno Guajaco, in quo majoran. beton. serpill. stœchas Arab. fol. lauri, senna, agaricum cocta sint: Nec vesicatoria omitenda, & primò collo, deinde post aures apponenda, & diu aperta servanda; imò si malum sit pertinacius, setaceum adhibendum est.

Tandem Topica, seu quæ in aurem instillanda sunt, usurpanda; & primò quidem à mitioribus incipiendum, hinc ad fortiora progrediendum.

Talia sunt oleum amygdal. amar. juniperi, de castoreo, quibus admiscere licet spir. vini, succum rutæ, absinthii, cyclaminis, ol. nucl. Persicor. cerasor. foeniculi, caryophyll. cinamomi, moschum, urinam arietis vel capræ, tauri, anguis senecta pulverisata & cum aceto mista.

Laudatur & tabulâ cupressi calida, quantum fieri potest, auri applicata.

Utiles sunt quoque evaporationes ex decocto chamæmel. origani, hyssopi, majoranæ, fol. lauri, cyclaminis, fol. & baccarum lauri, sem. cumini. Sed fiat decoctum potius in vino, quam in aqua; cum aqua nimis humectet.

Ut ℞. *Fol. lauri;*

betonic.

majoran.

serpilli.

origani;

calamimthe.

stœchad. Arab; an. M. j.

cepam contusam num. j.

Coque in vino Rhenano, & vapor tepidus in aurem per infundibulum immit-

mittatur. Vide etiam Instit. lib. 5. part. 3. sect. 3. cap. 32.

Vel ℞. Ol. amygdal. amar-
castor. an. Drach. ij.
succu ceparum Drach. ℞.

M. & guttæ ij. vel iij. mane & vesperi
auribus instillentur.

Vel ℞. Ol. amygdal. dulc. Unc. iij.
aq. vita Unc. ij.
fol. lauriminut. incisor. num. vj.

Bulliant in vase duplici, & experi-
mantur.

Vel ℞. Colocynth.
ellebor. albi,
aloës, an. Drach. j.

Mista terantur in calido aceto, &
postea exsiccantur. De hoc aliquid
cum penicillo mellis intincto auri im-
mittatur, & per 3. aut 5. horas ibirelin-
quatur, ut pituita sensim inde extraha-
tur.

Crato plurimum commendat aquam
cardui benedicti. Folia cardui bene-
dicti sicca aspergit spir. vini; & postea
affundit aquam cardui benedicti, & in
vitreo vase per arenam destillat, & a-
quam istam auribus instillat. Efficac-
ior est spiritus cardui benedicti.

Commendatur & hoc:

℞. Formicas cum ovib;
affundè vinum, iisdem adde
rad. raphani rusticani contusas,
& baccas lauri contusas.

Coquantur, & succus exprimitur,
aut, quod consultius est, aqua inde de-
stilletur. In liquorem istum gossypii-
um intingatur, & auribus immittat-
ur.

Alii olei sinapi quotidie gutt. j. in-

stillant. Efficax est & Balsamum O-
rientalè.

Vel ℞. Spir. vini Unc. iij.
rad. cyclam, Unc. ℞.
nucleor. Persiccor.
amygdalar. amar. an. num. v.

Stent in infusione per dies 3. deinde
fortiter exprimantur. Succu guttæ ij.
manè & vesperi auri instillentur, &
gossypio, cui gran. ij. vel iij. moschi in-
clusa sint, auris obstruatur.

Vel ℞. Silices fluviatiles parvos & i-
gnitos,
inspergeurina, & vapor aure exci-
piatur.

Vel ℞. Vermiculos intra cortices ligni
queru natos num. xx.

Bulliant in olei comm. Unc. ij. ℞.
Deinde excavetur radix cycla-
minis, & cavitas impleatur.
oleo, istorum vermiculorum.

rutac.

castor. an. ℞. q.

pulv. pyrethr.

castor. an. Scrup. ℞.

Radix hoc modo repleta affetur sub
cineribus, assa contundatur, & succus
exprimitur, qui quotidie auribus in-
stilletur.

Vel ℞. Fol. lauri.
origani,
hyssopi,
calaminth. an. M. ℞.

aristoloch.

hedera terrestris,

marrub.

hellebor. nigri, an. Drach. ij.

Coqu. in vino, contendantur.
Contulis adde

Vuuu 3

fell.

fel. tauri,
capra,
pingued. anser. an. Drach. ij.
cuphorb.
galbani aceto dissolut.
an. Drach. j.
myrrha,
aloes, an. Drach. β.
piperis,
nitri pulverisati, an. gr. v.
succi cepæ Drach. j.
farina tritici Unc. j. β.
ol. nuc. mosch. express.
irini, q. s. ad impinguandum.

F. Emplastrum, cujus particula lin-
 teo excepta auri inferatur; de reliquo
 fiat Emplastrum, quod auri applicetur.
 Galenus inter *Unioeser, libr. 3. cap. 3.*
 habet fel leporis cum mellis
 portione mixtum, quod & in cepæ tu-
 nica seu cortice liquefactum auri im-
 mittit.

Quidam tanquam singulare reme-
 dium commendant oleum murinum,
 quod fit è muribus recens natis, dum
 adhuc sine pilis sunt, in oleo macera-
 tis. Aliaquam ex illis destillant, & in
 aurem immittunt. Efficax est & o-
 leum destillatum è ligno Guajaci.

CAPUT II.

De Aurium Inflamma- tione.

*Aurium
 inflamma-
 tio.*

NON infrequens aurium malum est
 inflammatio, quæ & ipsa ad intem-
 periem cum materia pertinet. Quan-
 quam enim auris fabrica præcipuè of-
 fibus constat: tamen membranas etiam

habet, in quas exiles venæ immittuntur,
 per quas sanguis tenuis & biliosus è ve-
 nulis membranarum cerebri & vicina-
 rum partium in aurem illapsus inflam-
 mationem parit. Quæ autem causæ af-
 fluxus sint, ex iis, quæ in genere de in-
 flammatione dicentur, & antea de o-
 culi & aliarum partium inflammatio-
 nibus dicta sunt, patet.

Signa Diagnostica.

Cognoscitur auris Inflammatio ex
 dolore continuo pulsati vehementis-
 simo cum caliditate & rubore, ad ma-
 las & tempora usque sese extendente,
 cum febre, interdum & cum delirio,
 motibus convulsivis, syncope, & ex-
 tremorum frigiditate. Et prout inflam-
 matio magis tendit ad interiora, eò pul-
 satio major percipitur; quoniam arte-
 riæ majores comprimuntur. Dolor
 quoque est vehementior ob vicinita-
 tem cerebri, & febris intensior.

Prognostica.

1. Inflammatio aurium malum pe-
 riculum est; cum delirium producere,
 & hominem in vitæ discrimen conjice-
 re possit. Hippocrates, 3. *Progn. a-
 phor. 13.* Solet enim cerebrum in con-
 sensum trahi; vel etiam fluxio, quæ in-
 flammationis causa erat, ad cerebrum
 converti, unde ægri nonnunquam sub-
 bitò, tanquam attoniti, moriuntur.
 Galenus, in *Comm. in allegatum locum,*
 & Trallianus, *lib. 3. cap. 2.* Ideoque,
 monente Celso, *lib. 6. cap. 7.* mox in-
 ter initia succurrendum est, ne majori
 periculo locus sit.

2. Et

2. Et quidem juvenes in ^{aurium} aurium inflammationibus magis periclitantur, qui septimo die, aut citius moriuntur, antequam suppuratione accidat, ob biliosi humoris in iis abundantiam, & quod febribus acutis magis sint obnoxii. Qui autem septimum diem superant, evadunt, materia in pus conversa; imprimis si pus bonum effluerit, & deinde æger melius habeat.

3. Senes autem in aurium inflammationibus minus periclitantur. Quamquam enim Galenus, 7. aph. 42. doceat, omnia mala pejora fieri propter ætatis imbecillitatem, & 1. Prognost. 69. ex nullo morbo senes magis, quam natu minores, convalescere, ne dum posse citius humorem suppurare: tamen hic aliquot causæ concurrunt, cur senes minus periclitentur, quam pueri. Primum enim humores in senibus sunt frigidiores, & propterea inflammationes, quæ in iis generantur, non sunt exquisitæ, nec tantum dolorem excitant. Deinde pueri ob sensus acrimoniam minus dolorem sustinere possunt: senes verò habent sensus hebetiores, & propterea dolores non ita sentiunt. Atque inde accidit, ut inflammationes aurium in pueris raro ad suppurationem veniant, sed pueri ferè moriantur ob doloris vehementiam, antequam ad suppurationem venit inflammatio.

4. Si inflammatio aurium in partibus interioribus hæreat, cum magno periculo conjuncta est; cum nervus *acusticus* sit affectus: vel si sanetur, difficultatem auditus relinquit.

5. Abscessus aurium, qui cristicos modis obtingit, si accidat ante coctionem, & die non eritico, & cum aliis signis malis, periculosior est, & contra.

Indicationes & Curatio.

Generalis inflammationes curandi ratio & hic rectè applicanda est. Primum ergo revellentia usurpanda: inter quæ valde utilis est venæ sectio, & quidem venæ cephalicæ; quæ etiam, si inflammatio major sit, repetenda. Aliis quoque modis sanguis ad aures fluens revellendus, cucurbitulis, frictionibus. Humores etiam biliosi, si admixti sunt, expurgandi.

Repellentia hic, nisi ingens sit dolor, vix adhibenda sunt, ne materia intro conversa cerebrum & membranas ejus invadat; nisi forsitan paucâ sit humoris quantitas, è qua nullum cerebri malum verè oportet. Et sunt potius, quæ adhibentur, saltem mitigantia dolorem, & refrigerantia, quam astringentia, qualia sunt, lac muliebre, succus auriculæ muris, succus cucurbitæ, cum modico aceti, mucilago sem. psyllii, cydonior, aqua rosar. extracta.

Ubi tamen repulsionem opus, tale, vel simile instilletur:

℞. Ol. rosar. vel violar. Drach. iij.
aceti rosacei Drach. vj.
nitri præp. Scrup. j.
Milce.

Potius

Potius revulsionibus præmissis adhibeantur ea, quæ materiam concoquere, & simul dolorem lenire possunt.

Uc ℞. *Lenticul. palustr.* M. ij.

medull. panis in lacte muliebris infusi Unc. jv.

F. Cataplasma, quod auri applicetur.

Vel ℞. *Malva utriusq;*,
violar.

lactuca,

salic. an. M. j.

sem. cydon.

malva, an. Drach. ij.

flor. chamamel.

melilot.

rosar. rubrar. an. P. ij.

Coqu. & decocto aures foveantur.

Vel ℞. *Ol. rosac.*

nymphaea, an. Unc. ℞.

mucilag. sem. psylli,

cydonior.

an. Drach. iiij.

lact. muliebr.

fucci papaver. vel solani,

an. Unc. ℞.

Misceantur, & auri applicentur, atque aliquid auri instilletur. Si addatur farina & pulvis flor. chamæmeli, fieri potest Cataplasma.

Reliquiæ tandem discutientibus tollendæ.

Verùm si perseveret morbus, nec materia resolvipossit, sed ad suppurationem tendat, quod ex dolore, pulsatione, & febre aucta cognoscitur, suppuratio adjuvanda maturantibus adhibetis, quæ vim emplastice habent,

leniterque calefaciunt, caloremque includunt, & coctionem adjuvant: qualia sunt, rad. althææ, lilior. albor. flor. chamæmel. meliloti, ficus, farina tritici, sem. lini, fænigræc. & mucilagines eorundem, pinguedines animalium recentes, butyrum recens, oleum sesaminum cum croco.

Vel ℞. *Cepam rubram sub cineribus*

assatam num. j.

butyri Unc. ℞.

ol. chamamel. Unc. ℞.

amygdal. dulc. Unc. ℞.

croci Scrup. j.

Misceantur, & calefacta Cataplasmatismodo auri applicentur.

Vel ℞. *Fol. malva utriusq;*

violar. an. M. j.

flor. chamamel. p. j.

rad. althææ Unc. j. ℞.

lilior. albor. num. j.

caricar. pinguium num. iiij.

Coqu. in aqua ad mollitiem, & contundantur.

Contusis adde

farina tritici Unc. ℞.

sem. lini,

fænigræc. an. Drach. ij.

pingued. porci,

gallina, an. Drach. iiij.

butyri Drach. ij.

ol. amygdalar. dulc. q. l.

F. Cataplasma.

Commendatur & hoc Cataplasma:

℞. *Rad. althææ,*

lilior. albor. an. Unc. ℞.

flor. chamamel.

melilot. an. Unc. j.

Coqu. & contundantur minutim.

Con-

Contusis adde
farina sem. lini,
fenigrac. an. Unc. β.
bdelli in aceto dissoluti
 Drach. iij.
croci Drach. j.
vitell. ovi j.
ol. sesamin.
butyr. recent. an. Drach. ij.

Fiat Cataplasma.

διπόδα sunt ficus in lacte coctæ,
 & cum axungia porci tritæ, item puls
 avenæ.

Si maturatum sit apostema, ruptio
 ejus expectanda & procuranda, con-
 tinuatâ ejusmodi medicamentis. Non-
 nulli instillant succum cyclamin. aut
 ranunculi cum quadruplo lactis mu-
 liebris.

Vel ℞. *Succi cyclaminis* Unc. β.
stercoris columbini Drach. j.
lactis muliebris Unc. j. β.

M. & in aurem guttam unam atq; al-
 teram instilla, & lanâ lacte muliebri
 tepido madidâ auris occludatur.

Abscessu rupto sanies eluenda, atq;
 abstergenda hydromelite, melle rosa-
 ro colato, decocto lupinorum, succo
 absinthii, marrubii, centaurii minoris
 cum melle, aut sirupo, vel melle rosa-
 ceo.

Fortius id præstat succus cyclami-
 nis cum melle. Et tandem ulcus con-
 solidetur, & cicatrice occludatur; i-
 deoque quæ majorem exiccandi vim
 habent, thus, myrrha, aloë, sarcocolla
 addenda.

L. I.

Verùm de ulcere aurium in specie
 aliquid dicendum.

CAPUT. III.

De Ulcere aurium.

INflammatiô auris abscessu rupto *Aurium*
 sæpe in ulcus degenerat, quod pecu- *ulcera.*
 liarem curationem requirit. Non
 tamen solùm ab apostemate seu ab-
 scessu rupto ulcus auris gignitur, sed e-
 tiam à causis aliis. Sæpe enim acres
 & mordaces humores sive in auribus
 geniti, sive è cerebro eò effusi, acrimo-
 niâ sua aurem exulcerant. Nonnun-
 quam à sordibus aurium diutius coër-
 citis id accidit, quarum diuturnâ coa-
 cervatione, præsertim si pituitosa sint,
 accedente putredine, quemadmodum
 ex sanie suppressa, vermes gigni pos-
 sunt in auribus, quæ *ὄτα σκολικίδεντα*,
 aures vermiculosæ, nominantur. In-
 terdum acris aliquis liquor, aut simile
 quid forinsecus in aurem illapsum
 mordendo ulcus efficit. Sæpissime
 ab ictu vel à casu hoc fit, ut scilicet ad
 vulnus ulcus sequatur.

Ex quacunque igitur causa ulcus
 producat, solutio illud est continui
 in aure cum sanie profluente.

Interdum tamen sanies ex auribus
 effluit absque ulcere, cerebro & vici-
 nis partibus ab excrementicia humidi-
 tate & sordida illuvie sese expurganti-
 bus, quæ mora longa in tortuosa illa
 via in ejusmodi canosum quid con-
 vertitur, quod post diurnos capitis
 dolores, aut post ictum seu contusio-
 nem capitis sine ulcere accidere solet.

XXXXX

Imò

Imò etiam observatum, familiis quibusdam hæreditarium fuisse, ut natura statim temporibus, citra ullum gravem morbum, magnam ichorum copiam è capite, imò forsan & reliquo corpore, evacuatit. Ita fit, ut, quibus cerebrum valdè humidum & impurum est, iis ex affluxu semper novæ materiæ auris diu purulenta sanie fluat, quæ *πυορρῆστια* Græcis dicuntur. Aetio, *tetrabibl. 2. serm. 2. c. 81.* sunt aures absque exulceratione humectæ, quæ veluti exsudant, & serosam humiditatem excludunt, ad quas & remedia quædam ibi exponit.

Differentia.

Differentiæ ulcerum auris sumuntur aliæ à particula ipsa auris, quam obfidet, quæ vel externa est, & oculis patet; vel interna, membrana scilicet, vel tympanum auris, nervos ipse auditorius, interdum & osseus ille meatus, in quo, sicut & in aliis ossibus, hæc unitatis solutio *πυρρῆστια* propriè, seu caries, nuncupatur.

Aliæ ab ipsis ulceribus; qua ratione ulcus aurium vel recens, vel inveteratum est; mundum, vel saniosum, aut sordidum: quoddam præterea putridum; virulentum, corrosivum; aliud denique superficiale; aliud verò ita profundum, ut in fistulam abierit.

Signa Diagnostica.

Cognoscitur ulcus aurium ex sanguine vel sanie egrediente. Distinguendum tamen, utrum sanies illa ab

aure ipsa profluat, an à cerebro: ab hoc quidem vel rupto in ipso apostemate, vel citra apostema, sanie evenis cerebri imprimis ad aures transmissâ. Si enim sanies ab apostemate est rupto in cerebro, illa primò satis magnâ copiam exit, deinde paulatim emittitur, donec omnis sit absorpta; præcesserunt etiam signa inflammationis cerebri, & capitis gravitas & dolor, quæ sanie exclusâ remittunt. Ab apostemate verò in aure rupto dolor, qui præcessit, in aure magis, quam in capite, perceptus fuit. Sin sanies absque apostemate cerebri in ejus venis genito ad aures transmittatur, pruritus quidam in auribus sentitur, & sanies ipsa, postquam semel exhausta est, denudò coacervatur; quæ, nisi liber exitus pateat, vertiginem & alia cerebri symptomata affert. Sed veri ulceris auris indicia sunt, dolor, ardor, punctio vehemens, quæ tactu exacerbatur, egressio saniei, interdum & sanguis. Si in nervo auditorio ulcus sit, dolor acerbissimus adest; vel præcessit. Profundum ulcus pus copiosum & lentè emittit, mundum, bonam saniem; sordidum, crassam; copiosam; virulentum, saniem tenuem & citrinam; putridum, saniem fetentem; corrosivum, sanguinem post saniem fundens; fistulosum denique ex ulceris antiquitate, saniei virulentia, carnis callositate & duritie cognoscitur.

Prognostica.

1. In Ulceribus aurium, sicut & aliis

aliis, pus & sanies spectanda sunt, quæ ulceris bonitatem aut malitiam arguunt. Pus enim, vel sanies alba, æqualis, mediocris substantiæ, ita, ut non sit una pars crassa, altera tenuis, una rubra, altera alba, non fatens; ulceris non maligni nec pravi indicium est. Ex contrariis verò de pravo ulcere signum capitur.

2. Inveterata & diuturna ulcera pejora sunt; quia facile in fistulam degenerant. Aliquando & ad os penetrosum penetrant, quod detegunt, teste Avicenna.

3. Sanie recens affluente ab ulcere auris, cum prius capitis dolor, & sensuum perturbatio adesset, si hæc jam remittant, bonum est, & ulceris curatio paulò post speranda.

4. In ulcere humido diuturno non corrodente, si non resiccetur, metuendum est, ne *ὑπερστέγνωμα* excrescat, quod auditum obturet.

5. Ulcera aurium, quæ ad os cranii pertingunt, rarò, aut nunquam curantur; quemadmodum & fistulæ profundæ. Sæpe profunda & putrida ejusmodi ulcera continuitate quadam ad cerebrum descendunt. Ideo Hippocrates, 6. *Epidem. sect. 6.* inquit: *Propter aures & ex auribus plerumq; tertia die moriuntur*, hoc est, inflammationes, quæ circa aures sunt, ipsarumque inflammationes, & non tantum ulcera serpentina, tertia die occidere solent.

Indicationes.

Generales indicationes ex iis, quæ

in genere de ulceribus traduntur, nota sunt: nimirum ulcus esse detergendum; quod amissum, instaurandum, & tandem ulcus consolidandum.

Atque hæc de simplici ulcere sufficiunt, corpore ab humoribus pravis vacuato.

Quod verò cum intemperie aliqua, aut cum corporis impuritate, aut cum phlegmone, aut cum calore insigni conjunctum est, hæc ipsa removeri postulat, priusquam curationem recipiat; de quibus, *cap. præcedente*, dictum est.

Speciatim, quia auris est membrum natura sua siccum, (nam cartilaginibus imprimis & ossibus constat) medicamenta quoque, ubi ad alienam qualitatem, ad humiditatem scilicet, lapsus est, sicciora requirit, & naturalis temperies ipsius conservetur, & quæ præter naturam accessit, humida constitutio corrigatur.

Curatio.

Ulcera autem aurium interdum per se sanescunt, post puris effluxum sedatum; plerumque verò artis auxilium expetunt. Eluatur igitur auris vino calente veteri, vel solo, vel in quo lenticulæ aut rosæ ebullierint, repulsio- nis gratia, ut jubet Ægineta. Alii folia hederæ, & cortices mali Punici addunt.

Postea leniter detergant, hydromel, succus absinthii, apii, marrubii, betæ, agrimonix, centaur minor. cum melle aut sirupo, vel melle rosato; aut

XXXXX 2

vinum,

vinum, in quo betonica decocta sit: item decoctum hordei & lupinorum.

Ut *℞. Succi betæ* Unc. *℥*.

marrubij Unc. *℥*.

mell. opt. Drach. *vj*.

Coqu. parum. Postea admisce

strupi absinthij Drach. *ij*. vel *extr.*

liquidi absinthij Drach. *℥*.

Misce.

Potest etiam admisceri fel animalium mirius, ut fel porci, vervecis, bovis castrati.

Fortius id præstant succus cyclaminis cum melle, vel aqua mellis, in qua radix hellebori albi prius ebullierit, additis, si maiore desiccatione opus sit, & ut putredo prohibeatur, thure, myrrha, sarcocolla lota, gentiana, & modico succi betæ.

Vel *℞. Succi cyclam.* Unc. *j*.

myrrh. Drach. *j*.

croc. Scr. *℥*.

thuris. Scr. *j*.

viridis aris Scr. *j*. vel Drach. *℥*.

vini antiqui Unc. *jss*.

Bulliant leniter ad vini consumptionem. De liquore isto una atque altera gutta in aurem bis quotidie ad minimum instilletur, ac hydromelite iterum eluatur.

Efficax quoque est medicamentum, quod à Rhase. in hunc usum descriptum est.

℞. Mellis Drach. *v*.

acet. Unc. *j*.

Leniter bulliant ac despumentur. Quibus adde

viridis aris Drach. *ijj*.

Liquor auri cum gossypio immittatur, qui præsentaneum in auri ulceri-

bus remedium. Ulcus etiam ad curationem deducunt pompholyx, tutia, cerussa in vino decocto. Suffitus quoque ex mastiche, thure, myrrha, ladano, gummi juniperi, sarcocolla, galbano, & similibus, per infundibulum auri immixtus utilis est.

Ut *℞. Gummi juniperi* Drach. *℥*.

thuris,

myrrh., an. Drach. *j*.

sarcocolla,

ladani, an. Scr. *j*.

M. F. Pulvis, vel cum terebinthina F. Pastilli.

Veteres ad detergendum & exsiccandum utebantur glaucio ex aceto, quo Paulus recentia ulcera sanat, trochiscis item Polyidæ, Andronis, vel Musæ, cum sapa, & modico acetis solutis. Et, quod cætera superat, medicamento è scoria ferri cum aceto acerrimo trita vel cocta, ut docet Galenus, 9. de simpl. fac. & Aërius. Habet hoc vim maximè siccandi, & durioribus corporibus convenit. Clementius redditur aliis præparandi modis, de quibus Hollerius videatur, Periocl. 3. ad lib. 3. Galen. de comp. medi. ses. loc. cap. de ulceribus aurium, qui Arabes melius præparare scribit. Scoriam enim tritam ex aceto lavant, hinc siccant, siccata iterum aceto terunt, rursusque siccant, & hoc sepius repetunt. Postea in pollinem redigunt, coquantque longa coctione ex aceto acerrimo, dum ad mellis spissitudinem abeant, atque ita siccant. Valerius de Taranta, l. 2. c. 54. sequens ex Haly commendat, & scribit se eo presbyterum, qui aurium ulcera & sanie 80 annos laboraverit, sanasse.

℞. Mell.

℞. Mell. Drach. x.

aceti Drach. viij.

Coquantur & despumentur. Deinde adde

viridis aris Drach. j.

Misc. & cum turunda auri impone.

Potest & unguentum tripharmacum vel Apostolorum, in aceto & hydromelite dissolutum, instillari.

Iisdem in diuturnis ulceribus aurium uti licet; abstersione tamen prius factâ diligenter per leniora: Ubi crusta adest, curandum, ut decidat, ne in molem aucta auditum impediatur. Valer etiam, & efficacissimum est in ulceribus antiquis, Ægyptiacum dissolutum cum vino vel cœnomelite, vel urina pueri impuberis. Aëtius hoc Medicamento utitur:

℞. Aloes,

thuris,

myrrha, an. Drach. ij.

myseos Drach. j.

F. Massa cum aceto, quâ resolutâ cum aceto aut rosaceo utere.

Excrecentem in auribus carnem citra dolorem deprimit; cicatricemq; obducit, hoc ascriptum ab eodem Medicamento:

℞. Alum. scissi,

myseos usti, an. Drach. ij.

aruginis,

terra Lemnia,

gummi Arabici, an. Drach. j.

Tritis: iis cum aceto acerrimo F. Pastilli, qui usus tempore cum vino vel aqua solvantur.

Mitius est, quod à Paulo in hunc usum præscribitur: Nasturtii & nitri parum caricis excipitur, exemptis gra-

nis, & de factis pastillis aliquid in aurem immittitur, quod post triduum rursus excernitur.

Scirrhum cancrosum auribus innatum post abcessum ruptum describit Guilh. Fabricius, *Centur. 3. observat. 1.* ubi & modum curandi cum variis instrumentis chirurgicis prolixè proponit.

Si ulcus fistulosum sanie perpetuâ fluat, injiciatur per idoneum instrumentum, vel clysterem auricularem, fel tauri cum urina pueri impuberis: aut vinum, in quo decoctum sit thus, aut helleborus albus & mel.

Ad fœtores aurium Aërius primò mali corii & lentisci decocto utitur, quo aures illinit, postea inter alia fel ursi liquidum instillat, aut, si aridum sit, cum aceto & sapa diluit. Concedit & commendat etiam Ægyptiacum cum ad hanc, tum ad similes omnes aurium affectiones. Utilis est & succus olivæ cum melle, aut betonica decocta cum vino, aut dracuntii succus cum melle, & urina pueri impuberis.

Ad sordium in auribus dūritiem solvendam idem inspergit nitrum torrefactum, subtilissimèq; tritum; postea acetum calidum instillat, & appositâ lanâ pernoctare sinit, sequenti die aquâ & oleo calefactis eluit.

Sifanias ab aure fluat, absque hujus ulcere, ex cerebri magni impuritate, quod in pueris frequens esse solet, Aëtius misy linteolo involutum, & sub prunis crematum, unâ cum exusto linteolo terit, & per arundinem inflat; aut gallis tritis, linteoloq; illigatis &

Ulcera aurium antiqua.

Ulcus aurium fistulosum.

Factor aurium.

Excrecentia in auribus carnis remedia.

exultis similiter utitur; aut alumine in testa usto, & cum oleo trito.

Hæc, & similia topica, non nisi purgato prius corpore & capite usurpanda esse, omnino attendendum.

Nonnunquam post ruptum abscessum pure etiam per aures excreto, dolor tamen permanet, quod indicium est, de sanie aliquid, aut grumum sanguinis in profundo auris relictum esse, eamq; materiam diuturnitate pravam & rodentem qualitatem contraxisse; aut à capite debili excrementitiam novam semper materiam affluere. Tum igitur instandum mundificatione auris cum oleo amygdal. amarar. aut cum mulla adjecto felle tauri. Si suspicio sit de grumo sanguinis, prodest acetum tepefactum cum melle optimo, aut cum oleo laurino, succo porri, addito oleo rosaceo.

Materia è capite in aurem fluente copitis simul ratio habenda erit, & materia ipsa si mordax sit, attemperabitur; si crassa & viscida, incidetur ac detergetur, præmissis semper universalibus, vacuatione nimirum, ab aure divertentibus, gargarismis, apoplegmatismis, erithinis, sternutatoriis, caputq; roborantibus postea adhibitis.

CAPUT IV.

De Vermibus, & aliis, quæ præter naturam in Auribus herent, extrahendis.

Solent nonnunquam tum alia fo-^{Vermes in auribus.} Scirsecus illabi in aures, tum vermes quoque in has irrepere, præsertim dormientibus; imò etiam vermes interdum in auribus gignuntur, non solum ex sanie ulcerum, sed & ex alia humiditate putrefacta. Ita Forestus, lib. 12. observ. 8. in schol. refert, se vidisse in juvene febre acuta laborante vermes duos tresvè ad formam granorum pini paulò crassiores ex auribus expullos, juvenemq; sanatum fuisse. Nam, ut Aristoteles, 2. de gener. animal. cap. 3. scribit, non solum in seminibus animalium, sed etiam in excrementis spiritus quidam vivificus inest, elemento siderum analogus, à quo *contulæ* & *phæliæ* ea accipiunt, quæ inde producuntur.

Signa Diagnostica.

Signa autem vermium in auribus ^{Signa diagnostica.} sunt titillatio & pruritus, dolor quidam mordicans, interdum & corrosivus, quando vermes ad nervum auditorium irrepunt, ægri angustia & inquietudo; interdum & vermes ab aure egrediuntur.

Curatio.

Sive igitur in auribus geniti sint vermiculi, sive in has irrepserint, operanda est, ut extrahantur. Nam, ut Rhases ait, si talia, sive vermiculi sint, sive aliquid aliud, diutius in aure reliquantur, præsertim ubi maligna aut venenata aliqua qualitate prædita sunt, acerbos dolores aut inflammationes aurium, atque hinc convulsiones, & alia gravia *træm* concitare possunt. ^{Curatio.} Quæ

Quâ ratione autem cum vermes, tum aliæ res præter naturam in auribus hærentes extrahendæ sint, dictum Institut. lib. 5. part. 1. sect. 2. cap. 10. quæ hic repetenda non cenſeo: pauca ſaltem addam. Galenus, ſi reliqua ad vermes illapſos necandos non conferant, ſulphur vivum & calcem melle excipit, & cum aceto in aurem inſtillat. Necant & vermes ſuccus abſinthii, centaurei min. fol. Perſicor. vermicularis, cucumeris aſinini. Nonnulli inſtillant ſuccum ſambuci; & cannabis. Alii radicem ellebori albi in vino inſundunt, & liquorem auri immittunt. Alii caſtoreum in aceto decoquunt, & calidè in aurem inſundunt. Fumus etiam ſulphuris per inſundibulum exceptus vermes occidit. Chymici ad aurium vermes occidendos & extrahendos utuntur ol. Philoſophorum guttatim inſtillato, quemadmodum & oleo coryli cum pauxillo Mercurii dulcis miſto.

Exempl. gratia:

℞. Pingued. caponis Drach. β.

ol. coryli. gutt. xv.

Mercurij dulcis gr. iiii.

Miſce.

Vel ℞. Colocynthid. Scrup. β.

hellebori albi Scrup. j.

aloes Drach. β.

Cum ſucco perſicaria vel ſol. perſicor.

Miſce inſtar Linimenti.

*Aqua auribus illa-
ſa.* Si aqua in aurem illapſa ſit, anti-
quam remedium eſt, oleum auri inſun-
dere, & aurem pronam ſervare; Ari-
ſtoteles, ſect. 32. problem. 10. duas hu-
jus rei cauſas affert, unam, quod ole-
um lubricam reddat aurem; per ſu-

bricum autem facilè effluat humor a-
queus; quia oleum facilè adhæret auri,
propter lentorem; alteram, quia aqua
facilè adhæreat oleo, ideo, ubi oleum
exit, ſimul aqua educitur. Verùm hæc
rei naturæ non videntur conſentanea.
Neque enim oleum facilè adhæret a-
quæ, ſed illam maxime averſatur. Id-
eoq; probabilius eſt, cum oleum in au-
rem inſunditur, & aurium partibus ad-
hæret, aquam, ut ſibi adverſam, non
admittere, quæ propterea promptius
effluit. Hinc etiam ſolent urinatores
oleo aures implere. Præterea oleum
ſuperiora petere, & aquæ ſupernatare
ſolet. Ideoq; aure inclinata aqua de-
ſcendere neceſſe habet, ut oleum ad-
ſcendat: unde aqua inferiora obtineas
faciliùs ex aure effluit.

Eſt & alius modus aquam ex auri-
bus extrahendi; ſi nimirum caulis ca-
yus, vel cannulâ anethi vel ſœniculi
ſumatur longitudine quinque digito-
rum tranſverſorum, & dimidia pars
illinatùr oleo, & goſſypio circumvol-
vatur, & in fine goſſypii apponatur
circulus ferreus digiti latas, eo ſine,
ne ignis aurem attingat, poſtea cannu-
lâ hæc, quâ parte oleo non eſt illita, &
goſſypio caret; auri indatur, reliqua
pars accendatur; ſic calor communi-
catur auri, & ab eo attenuatur & diſcu-
titur humiditas.

Quidam cum ad liquida, tum ad
arida extrahenda, cucurbitam ma-
gnam affigunt, quâ tota auris compre-
hendatur. Sed cum moderari ita illam
tractationem non liceat, tutius eſt, ex-
ſuctionem, præſertim liquidorum,
fieri.

fieri ore per syringam aut cannulam perforatam, cujus extremitas, quæ auri immittitur, gossypio, vel, ut Ægineta præcipit, cera diligenter sit præincta, ne spiritui trahenti ulla parte foris transitus pateat. Plures modi videantur apud Arculanum, in 9. *Rhasis*, cap. 41.

Interdum nonnulli post exempta ejusmodi in aurem illapsa aliquandiu malè loquuntur; cujus exemplum Forrestus, lib. 12. *observ.* 13. in *schol.* proponit, sed curavit illum infusione olei amygdalar. amarar. frequenti. Ita enim humores cum sordibus extrahuntur. Vide Hieron. Fabricium ab Aquapendente, de *operat. Chirurg. tit. de aurium Chirurgia.*

CAPUT. V.

De Vulnere aurium.

*Aurium
vulnera.*

TAndem Vulnera aurium, quod attingit, cum organum auris maxima ex parte intus reconditum lateat, auris verò externa in utriusque externis pateat; vulnera magis auri externæ, quam internæ infliguntur.

De vulneribus autem aurium præter ea, quæ aliàs in genere de vulneribus traduntur; notandum; si cum cute cartilago sit transscissa, vulnusq; magnum sit, suendum esse; & cum externa auris è cute & cartilagine sit composita; & temperamento sicco prædita, siccantia & adstringentia requirit. Vitanda verò in aurium vulneribus omnia unctuosa, crassa, gravia, & emplastica, & ligaturæ arctiores. De quo Hippocrates, 2. de *articul.* In fractura

auris quodlibet vinculum inimicum est, neque etiam ita laxum circumdabitur; quod si magis adstringatur, plurimum officit, quandoquidem integra auris sub vinculo adstricto dolet, pulsatione vexatur, atque inflammatione. Sed cataplasmata, quæ onerosa, penitus aliena sunt, pleraque etiam noxia, & abscessum excitant, plurimasque mucositates, suppurationemque infestam reddunt, quibus minimè opus auri comminutæ. *Et post:* Ubi quis aurem secuerit, abstinere ab omni cataplasmate debet, mederiq; vel medicamentis, quæ procius cruentis vulneribus injiciuntur, vel alio, quod neque onere lædar, neque molestiam offerat. *Hæc Hippocrates.* Ut verò vulnerata auris in suo naturali statu conservetur, inter caput & aures gossypium ponendum, & in opposito latere cubandum. Rumpitur quidem interdum etiam tympanum, sed quia malum id incurabile, nihil de eo dicemus.

CAPUT VI.

De Sonitu & Tinnitu aurium.

ATque hi sunt morbi, qui auribus accidere solent. Jam ergo symptomata explicanda sunt.

Et primò actionem læsam quod attingit, auditus vel depravatur, vel imminuitur, vel aboletur. Auditus depravatus est, quando aures citra omnem externi aeris commotionem intra se ipsas sonant. Græcis ἤχος & οὐρσυμὸς, Latinis sonitus, sibilus, vel tinni-

tinnitus aurium appellatur. Et si verò sanæ quoque auri accidat, ut ad motâ propius cava manu, vel concha auri apposita levem quendam susurrum intus percipiat: tamen Medici sonitum aurium hic intelligunt, qui etiam citra talia obstacula externa intus sentitur, aure malè affecta, sive per se, sive per consensum, & à quo audiendi facultas offenditur, ut operam medicam desideret.

Nonnulli species appellationibus distinguunt. Arcularo Sonitus est generale; Tinnitus gravis & fortis sonus; Sibilus acutus; Tinnitus medius inter illos, ut pluvix, foliorum arborum. Fernelio Sibilus est ex tenui flatu leniter elabente; Tinnitus ex ejusdem cursu interrupto; Sonitus ex crassiore flatu plenius erumpente; Strepitus ex ejusdem valido impulsu; Fluctuatio ex humoris inundatione: quibus tamen appellationibus Autores alii promiscuè uti solent. Provenit illa sonorum diversitas à crassitie aut tenuitate majore vel minore tum congeniti aurium aëris, tum materiæ imprimis aërem illum præter naturam impellentis; sive flatus sit, sive humor, quemadmodum dicitur.

Tinnitus itaque aurium est sensus sonitus cujusdam molesti intra ipsas aures, etiam cum foris omnia silent. Et si enim sonitus ille internus per se levis est & exiguus: tamen magnus esse putatur, quia in parte est cerebro admodum vicina.

Affectio ipsa est symptoma depravatæ facultatis audiendi, quoniam facultas sentitid, quod sentire non de-

bebat, & cujus causa foris secundum naturam non offertur.

Pars affecta est porus *αυριστός*, ea maximè sui portione, qua nervum quinti paris expansum sive dilatatum excipit, prope labyrinthum & cochleam dictas cavitates; quæ nervi expansi portio, vel finis potius pori, ubi dilatato nervo conjungitur, præcipua auris pars est. Nam minus principales partes auris censentur membrana tympano obtensa, ossa, quæ meatum ossium, & cartilagineas, quæ cartilagineum constituunt; tria verò ossicula intus, etsi alii usus ab aliis isis ascribantur: tamen ad firmitatem potius & tutelam membranæ, cui connexa sunt, condita videntur.

Causæ.

Causam sonitus & tinnitus aurium plurimi aut in ipsam facultatem audiendi, aut objectum aliquod internum, sive materiam, à qua facultas illa, ejusque organa moveantur, referunt.

Vitium facultatis dicunt esse sensum exquisitum nimis, quæ Galeno est *ἀνεχθεῖα τῆς ἀκυστικῆς αἰσθησεως*, levem quoque impulsionem percipiens etiam internam. Cum enim aër congenitus intus à validiore agitatione quiescat, (aliàs sonum externum non agnosceret, nec discerneret, sicut crystallinus quoque in oculo coloris ipse expertus colorata alia percipit) si levis aliqua impulsio à causa sive interna, sive externa accidat, auditum acutiorum illam sentire statuunt. Acris autem illius auditus causam esse dicunt calorem partis modum excedentem,

Yyyy

quo

Sonitus, tinnitus, Sibilus aurium an differant.

Tinnitus aurium quid.

quò aër congenitus faciliè impellatur. Fieri etiam posse putant, ut meatus auditorius à prima conformatione vel nimis patens sit, vel nimis, quàm conveniebat, tortuosus, vel membrana tympani tenuior sit & siccior, vel nervi auditorii textura rarior, à quibus illud sensus acumen existit.

Avicennas debilitatem facultatis addit, quâ facultas ob dyscrasiam partis à qualitatibus omnibus, sive primis, sive secundis promptè afficiatur, atque ita lenissimo etiam quolibet sono cum molèstia & offensione percellatur: sicut qui à morbo convalescunt, ob debilitatem corporis relictam faciliè à frigore aut calore externo offenduntur.

An sensus acumen sit causa tinnituum.

Verùm vix credibile est, sensus acumen sit causa tinnituum, & actionis depravatae principium esse posse. Sit sanè, ut, qui sensum habet exquisitiorem alio, qui eundem obtusum habet, leviora objecta percipiat: tamen objectum, etiamsi leve, ad sit necesse est, quod sensui offeratur. Et cum, qui ita docent, acrimoniam sensus à calore partis mediocritatem excedente deducant, faciliè hinc patet, constitutionem illam non esse plañè secundum naturam, sed à calore excedente agitationem aliquam fieri, & objectum, quod sensui offeratur, ab eo excitari.

Debilitas auditus an sit causa tinnituum.

Minus verò probabile est, quod debilitas auditus facere possit tinnitum. Perfectio enim auditus est, non debilitas, exigua & leviora objecta percipere.

Quod verò convalescentibus interdum aures tinniunt, non ex debilitate auditus est, sed quia in convalescentibus multi vapores ob calorem debilem attolluntur, qui auditui oblatis tinnitus causa sunt.

Igitur unica tantum tinnitus aurium causa proxima est, objectum mirum, sive materia intra aures hærens, & facultatem præter naturam movens.

Causa proxima tinnituum aurium.

Objectum autem hoc, ut vulgata fert sententia, est πνεύμα φρωδες, id est, spiritus flatulentus, sive ἀτμός, hoc est, vapor crassior, ex crassa & frigida plerumque materia resolutus, qui congenitum aurium aëtem agit & impellit. Spiritus ille flatulentus vel in auribus ipsis genitus est ex humore ibidem collecto, vel aliunde auribus communicatur. Et quidem vel à toto mittitur, ut in febribus, per initia potissimum paroxysmorum, ob humorum incipientem in venis & visceribus ebullitionem; in crisi quoque per vomitum aut per narium hæmorrhagiam futuram: vel in parte aliqua, ut à cerebro præcipuè, à quo vapores & flatus auribus per quintum par nervorum, & per venas ac arterias, ad aures derivatas transmittuntur. A ventriculo item ἀτμός sursum continenter ascendentes tinnitum aurium efficiunt. Ita in biliosis famem diutius tolerantibus aures sonora fiunt, calore ventriculi in inopia cibi halitus ex gravis succis solvente, imò etiam ex bonis succis vapores excitante; & in ebriis quoque vaporibus ex ingurgitato potu ad ca-

partem

pat magna copia elevatis, qui dum exitum in angustiis illis quærunt, ad ossa & membranam tympani, expansumque nervum, allisi, tinnitus causa existunt. Ab utero denique, epate, liene, & visceribus aliis male affectis, evaporationem sursum fieri in corporibus cacochymicis & repletis, minimè dubiū est.

Nonnulli ab humoris in capite inundatione hoc malum oriri putant, unde fluctuationis cujusdam sensus auribus offeratur. Et status proxima materia semper est humor, à quo calor is velle resolvitur.

Avicennasetiam à saniei & puris in caute fervore & ebullitione sonitum in auribus accidere statuit.

Externæ causæ sunt, aëris nimia refrigeratio & calefactio patentibus auribus, nimia cibi repletio & crapula à vino, unde cruditas in capite & toto corpore cumulatur, vomitus difficilis, fames, calore naturali in defectu cibi converso ad humores praves in corpore, à quibus vapores noxii elevantur, medicinæ quædam retinentes humores & status in capite, pharmacum commovens humorem, sed non educens, percussio in caput circa aures, fragor validus, qualis est tonitruum vehementis & bombardarum.

Circa hanc tamen communem, quam modò exposuimus, de causis sonitus & tinnitus aurium sententiam quædam monenda videntur. Et primò quidem notandum, alium esse continuum, qui sæpe septimanas aliquot, & interdum menses, imò annos aliquot durat; alium verò subitò exoriri, & subitò evanescere, aut certè non diu

durare. Deinde in ipso sono aliquam esse differentiam. Breve illud aurium sonitum à vapore tenui oriri, extra dubium est; cum ille è capite per angusta aurium foramina erumpere conatur, qui sonitus nunc strepitus, nunc sibili, nunc tinnitus modum refert, prout ille per angustiores vel latiores, rectos vel tortuosos meatus vagatur & movetur.

Verùm cum sonitus aurium sæpe non solùm aliquot septimanas, sed & ^{Diuturni} menses ac annos duret, & quidem ^{aurium sonitus caus-} continuo, ac sine ullo intervallo, vix à vapore exitum per auditus organum sibi quærante is fieri potest; cum vaporis, continua talis generatio vix dari possit. Ideoq; continuillius sibili causæ quærenda videtur in arteriola, quæ aurem subit, si illa copioso & calidiore spiritu impleatur. Tunc enim pulsus validiore subitò in auribus sonus talis percipitur: eodem modo, sicut, si quis digitum ^{ad aëre} imponit, tal. m. strepitum in arteria percipit.

Potest forsàn & alia hujus rei ratio reddi, quæ pendet ex explicatione quæ ^{Cur manu} stionis, cur nimirum manu cava vel ^{cava auri,} concha, vel alia re cava, auri admota ^{ad mota sonitus percipitur.} sonitus etiam in sanis percipiat. Alii rei hujus causam esse putant, quia aër implantatus semper moveatur, motus verò ejus non percipiat, nisi aure tecta. Alii verò aërem implantatum natura sua immotum esse statuunt, sonitum verò illum manu cava vel concha auribus admota fieri, qui aër, qui in anfractibus aurium continetur, semper natura sua exilire conatur, & sese diffundere; uude, cum ab

obstaculo cohibetur, impingit, & hinc fit sonitus. Et quidem vero non videtur ab simile, aures, cum sint anfractuosa & cavernosa, in cavis suis spatii aërem continere, qui à calore auris agitur erumpere conatur, ac, si cohibetur ab aliquo obstaculo, repercussus sonitum facit. Tamen etiam non videtur absurdum, cum calidum innatum auris sit aëreum, & à spiritu *αἰεσινοῦ* ejusdem naturæ moveatur, spiritus verò ille influens sit in perpetua generatione & motu; ab aëris illius motu, si in obstaculum aliquod impingat, sonitum fieri posse. Et quidem non solum ab obstaculo externo, puta manu cava, aut concha id fieri potest, verum etiam ab humore aures obstruente, aerisq; illius motum impediente. Atque ita inter causas sonitus etiam referenda videtur obstructio aurium, quam alii prætereunt, ob quam spiritus illi *αἰεσινοῦ*, & aeris interni liber motus impeditur, & ad obstaculum aëreum sonitus excitatur. Cujus rei argumentum est, quod plerumque cum sibilo aurium diurno conjuncta est auditus difficultas, & sonitus aurium continuus tandem in difficultate auditus, & surditatem de generat; quæ ex obstructione meatus auditorii ortum habet.

Differentia.

Differentiæ à forma sunt, quod malum hoc vel sibilus est, vel tinnitus, vel sonitus, vel strepitus, aut fluctuatio. Et Galeno, in 3. de compos. medic. sec. loc. vel paulatim colligitur, vel acervatim

irruit; denique vel per intervalla repetit, vel continenter affligit.

Signa Diagnostica.

Externæ & antecedentes quidem causæ ex ægro cognoscuntur. Et monet Galenus, loco allegato, adhibendum esse *περὶ κινδὸν* quendam *σοφισμὸν*, ex causis procatarteticis desumptum, quarum vis, sicut aliæ affectiones, ita & hæ varietatem suam accipiunt. Si paulatim malum caperit, & recurrat per intervalla, sonitusq; clarior sit, à flatu est plerumque frigidus & spirituosus; sicut pituita imprimis flatuum materia esse consuevit; præcessit victus ratio, quæ pituitam & flatum coacervavit, & causæ aliæ caput refrigerantes & humectantes. Si continenter affligit, ab aurium affectione est privata; per consensum verò, si subito invadens per intervalla repetit. Et per consensum quidem cerebri, quando capitis dolor & gravitas adest, & plures simul sensus sunt affecti; à consensu verò aliarum partium, vel tinnitus quando fiat, id suis signis etiam cognoscitur, & malum post inanitionem aut repletionem, post motum aut quietem, post vehementem calorem aut frigus quiescit, rursumq; concitatur. Si à crassis & viscidis humoribus fiat, non repente suboritur, sed paulatim increfcit, estq; sonus magis confusus, & fluctuario atque gravitas percipitur. Præcesserunt cruditates, balneum intempestivum, & similia; ægerq; calidis juvatur. Si ab obstructione aurium fiat sonitus, est is diurnus, & adest simul gravitas auditus. Si in febribus, a tharum, alio-

aliorumque morborum crisi sonitus aurium existat, à caussis morbos illos excitantibus provenit. Si fit ab apostemate, præcessit dolor auris, & sanies continenter emanat.

Prognostica.

1. Levissimum hoc malum est, ubi est ex gravedine; pejus, ubi ex morbis, capitisque longis doloribus incidit; pessimum, ubi magnis morbis venientibus, maximeque comitiali, provenit. Celsus, lib. 6. cap. 7.

2. Si in febre ardenti sonitus aurium fuerit cum oculorum caligine, pro veneritque è naribus gravitas; mente ex melancholia aberrat, in 1. *Prorrhetic. aph. 18. in Coacis*, addit; nisi sanguis ex naribus effluerit. Causis Aphorismi Galenus, in *Comm. Prorrhetic.* exponit.

3. Si in febribus sonitus aurium fiat ex spiritu vel humore frigido & crasso, sponte sonitus ille cessare solet, absque medicamentorum usu, calore febrili materiam discutiente. Galenus, in 3. *de compos. medic. s. l. cap. 1. sub titulo, de sonitu aurium.*

4. Bómbus, id est, tinnitus gravior in acutis & sonitus in auribus lethale. Hippocrates, in *Coacis*. Si scilicet in febris acuta sonitus ille ex inflammatione cerebri, vel ex vehementius commoto habitu corporis, ab incendio interno existat, & prava alia signa, præsertim mentis perturbatio, conjungatur.

5. Pulsationes in capite, & sonitus aurium, hæmorrhagiam narium significat. Hippocrates, in *Coacis*. Commo-

tionem enim ferventis, & ad exitum concitati sanguinis suscitantur vapores, qui angustis aurium anfractibus sese influantes sonitum efficiunt.

6. Sonitum aurium ex sensu æreæ, præsertim inveteratum, non facile curari etiam statuitur. Galenus tamen quandam ex hac causa laborantem se sanasse, stupefaciente ad accommodata alia medicamento admixto, 3. *de compos. medic. s. l. loco antea allegato*, scribit, cap. 1. tit. *de sonitu aurium*. Verum quid de causa hac sentiendum, supra dictum. Adfuit procul dubio intemperies aliqua calida aurium, & fervor sanguinis.

7. Si aurium tinnitus biennium, vel longius duravit, raro curationem admittit, sed plerumque ad surditatem tendere solet; quod ipsum, ut supra in causis dictum, satis arguit, tinnitum talem aurium diuturnum ab obstructione aurium provenire.

8. Sonitus aurium ex vento boreali flante post austrinum, capitis pleni subita calefactione, ex fame item, vel cibi repletionem facile removetur: difficilium ex plenitudine aliqua diuturna, à nimia aliqua evacuatione.

9. Tinnitus aurium ex frequenti percussione in caput vel tempora non facile curatur. Verti enim solet in surditatem, humoribus præ dolore ad organa auditus confluentibus, transiuntque spiritus auditorii impediuntibus. Quod ipsum etiam confirmat, tinnitum fieri ab obstructione aurium, spiritui auditorio transitum denegante.

10. Sicut surditas biliosorum de-

jectio tinnitu aurium pronunciari potest, si ex viscerum repletionem ortum ille habeat.

Indicationes.

Si tinnitus aurium à calore immo-derato, & flatuoso spiritu in arteriosa proveniat, universalibus præmissis refrigerantia conveniunt. Galenus narcotica quædam admiscet, ut diximus. Si flatus causa sit, ille discutatur & revellatur: si humor, præparetur & evacuetur: si sanies, abstergatur, & educatur: si obstructio adsit, aperiatur. Externæ quoque causæ, si quæ adsunt, removeantur, habita ratione semper totius & capitis,

Curatio.

Pro varietate igitur causarum, à quibus sonitus aurium existit, alio atq, alio modo curatio instituitur. Et quidem si malum sit ab intemperie calidâ, & sanguine ac spiritu fervidiorre, utimur refrigerantibus & humidantibus, ut decocto hordei, violarum, lactucæ, nymphææ, papaveris albi, pro fomento. Validiora sunt, succus portulacæ, mandragoræ, papaveris albi. Galenus, ex Archigene, castoreum & semen cicutæ, trita in aceto, in aurem immitit. Alii evaporationem ex semine cicutæ in aceto cocto excipere jubent. His non conferentibus, utendum opio, sed exigua quantitate, & cum magna cautione opii gr. j. in olei rosacei Unc. s. dissoluto. Quæ tamen posteriora non frigefaciendo, sed

vi narcotica profunt, sanguinis & spirituum fervidorum motum sistendo.

Si ex humore crasso & viscido affectus ortum habeat, totius corporis, aut saltem capitis, præmissa evacuatione, ut supra, parte I. dictum, attenuantia & discutientia auribus adhibeantur. Quo in genere sunt oleum amygdal. amarar. rutæ, castorei auribus instillatum, vel solum, vel cum melle mistum, aut oleum, in quo castoreum, cuminum, ruta, anethum, nigella, bardus decocti fuerint, quibus & parum aceti admiscere licet, si attenuandum sit. Aëtius castorei & spicanardi part. æqual. cum aceto & ol. rosac. miscet & instillat. Prodest etiam ceparum aut porri succus cum lacte muliebri vel oleo rosaceo coctus. Vel oleum olivarum coctum similiter in cortice coclocynthidis.

Experimento probatum est, prodesse vaporem aceti, & aceti cum felle bubulo; item fel. capræ cum succo porri. Alii pani recens cocto, & ex clibano adhuc calenti, spiritum vini affundunt, & panem auri applicant, ut vapor in aurem recipiatur.

Montanus sequens commendat Oleum, ejusque gutt. j. manè & vesperi auri instillat, & deinde gossypio morschato aurem obstruit:

℞. Millepæd. num. xxx. Laventur,

& bulliant in

ol. amygdal. Unc. ij.

aceti Unc. iiij.

ad consumptionem aceri.

Factâ diligenti expressione Colaturam sui reservetur.

Aut

Aure. *Pulpa colocynth.* Drach. ℥.

succi ruta,

majoran. an. Unc. j.

cumini,

carvi, an. Drach. ij.

Coquantur in vino & oleo amygdal. amar. ad vini consumptionem. De expresso & colato aliquid in aurem immittatur. aurisq; bombace moschato obturetur.

Vel ℞. *Elleb. albi* Drach. iij.

fol. lauri,

ruta,

fraxini, an. M. ℥.

Coq. in

ol. amygdalar.

& Colentur.

Vel ℞. *Sem. porri,*

caryophyllorum; an. Scrup. j.

moschi gr. v.

Cum succo majorana & ruta.

Misce, & auri instillato.

Aure. ℞. *Nitri,*

myrrha, an. Drach. j.

ellebori albi Drach. ℥.

castor. Scrup. j.

Terantar cum olei rosacei & acetii p. æ & guttatim in aurem immittantur.

Commendatur etiam valde fel lucii piscis, quod nonnulli ita præparant:

℞. *Fellâ lucior. recent.* num. iij.

Indantur vitro, quod diligenter claudatur; & fermento obducatur, ac in clibanum ponatur, & tamdiu coquatur, donec panis sit coctus. Liquoris, qui in vitro invenitur, vesperi & mane gutt. iij. auri instillentur.

Efficaciora hæc erunt, si prius eva-

poratio fiat ex sequenti Decocto mane & vesperi:

℞. *Fol. calaminth.*

majoran.

centaurij minor.

rorismarini, an. M. j.

baccar. juniperi electar, num. xv.

fol. lauri,

absinth. an. M. ℥.

lupinorum num. xij.

lumblicorum vino lotorum & im-

findone ligatorum. p. ℥.

Coq. in l. q. aquæ, & duplo vini albi, ad consumptionem tertiæ partis. Colatura pro evaporatione servetur. Quâ dum æger utitur, fabas aut pisa aliquot in ore detineat & masticer, ut patente ita meatu auditorio fumus magis penetrer.

Sacculus etiam parari potest ex foliis salviæ; betonicæ; majoranæ; rutæ; hyssopi; calaminth. floribus chamæmeli, stæchad. Arabic. fol. pini & lauri; sem. carvi, anisi, qui calefactus auri post evaporationem & liquoris instillationem imponatur.

Quælis est sequens:

℞. *Fol. majorana,*

salvia, an. M. ℥.

ruta M. j.

absinthij,

summit. anethi, an. p. ij.

baccar. lauri Drach. j.

granor. juniperi Drach. j. ℥.

sem. cymini Drach. j.

carvi Drach. ℥.

fl. chamæmeli p. ij.

Concisa indantur sacculis duobus ex tela linea paratis.

Profunt quoq; pulveres & tabulæ; quæ flatus discutiant, à cœna sumtæ.

Non

Non etiam omittendum, quin lenibus clysteribus alvus interdum eluatur, ne retentis excrementis nova in capite materia colligatur.

Ad Tinnitum aurium inveteratum, qui surditatem minatur, Montanus u. titur olei de pice, olei amygdal. amarar. an. Unc. ſ. & mixta guttatim frequenter inſtillat; quo & cerebrum confortatur. Et omnino deſtillata olea ex plantis modò enumeratis efficaciffima ſunt, ut & ſpiritus ex iisdem parati. Maximè etiam ſternutamenta ad tinnitum aurium curandum uilia ſunt. Monendum autem de topicis iſtis, commodiffimè tempore matutino, & ante cœnam adhiberi. Cubitum enim ituris caput vaporibus repletum eſt, parumque commodi è medicamentis ejuſmodi ſperari poteſt. Reliqua ex iis, quæ capite ſequenti de audituſ gravitate & ſurditate dicentur, & ſupra de inſtemperie aurium cum humore frigido dicta ſunt, patent.

Si in febribus tinnitus aurium fiat, aut in harum ad criſin apparatus, ſinen-
duſ eſt, nihilque adhibendum, donec morbus finitus, vel criſis abſoluta ſit; quia, ut in prognôſticis diximus, plerumque ſponte ſua ſedatur, præſertim poſt criſin. Si quid ſupereſt, diſcutiente remedio utendum, quale eſt abſinthii decoctum ex aqua & pauco aceto pro ſotu; aut decoctum ejuſdem ex oleo roſaceo inſtillatum. Si quæ cauſa externa aedeſt, illa quoque amovenda erit.

Si ex partis alicujus conſenſu malum oriatur, parti, quæ primò afficitur,

ſuccurrendum, ut ſuprà, *partei. cap. 6. dictum.*

Dieta.

Dieta in genere medicamentis pro varietate cauſarum reſpondeat. Abſtineat æger à potu libetaliori veſpertino, & ſub ingreſſum lecti capiat cochlear j. de ſemine carvi in aceto macerato & exſiccato, vel tantundem ſeminis ſæniculi, aniſi, coriandri. Vel hiſ conmixtis addatur aliquid macis, cinamomi, & cum duplo ſachari uſurpetur. Nonnunquam parum æger Mithridat. ſumat, aut de ſpeciebus pliris Archontic. vel diamoſchi dulcis, ſi malum à frigido ortum ſit. Qui vino aſſueti ſunt, iis diluatur cum aqu. ſemin. coriandri præparati. Aures æger oculoſus habeat, & munitas ad verſus frigus & ventos. Cogitationes & animi nimia intentio vitanda. Friktiones extremorum ſemper commodæ ſunt, & maturinæ exercitationes. Peccinationes item capitis, corpore & capite prius evacuato. Venus in hoc malo valde noxia, illudque inducere poteſt.

Cognatum ſonitui aurium vitium eſt, quod Græci *μεγιστον*, Latini Obauſitionem vocant, compoſitum quaſi ex depravato & gravi auditu vitium; quo auditus conſuſa percipit, non aliter atque viſus aliena cernit in ſuffuſione ex conſenſu ventriculi orta. Exiſtit illud ab ulcere non probè exterſo & conſolidato, quando ſpiritus per arterias impuſſus audirum impetu ſuo offendat. Fit etiam in ſummo februm ardore, vaporibus per arterias

Obauſitio

terias in caput ad aures effusis. Deniq; sine febris, dum è visceribus impuris calida copiosa; evaporatio continenter in caput effertur.

CAPUT VII.

De Gravi Auditus & Surditate.

BΑΡΥΚΟΛΙΑ & ΔΥΣΗΚΟΛΙΑ & ΣΠΟΝΔΥΛΩΣΙΣ, Latinis gravitas & difficultas auditus, & κώφωσις, id est, surditas, solum magnitudine causæ differunt; ideoque uno capite de his agemus. Si æger solum sonos magnos audiat, levis verò non percipiat, βαρυκόλια & δυσηκόλια & σπονδυλώσις nominatur. Si verò neq; magnos, neque parvos percipiat, Surditas appellatur. Estque Surditas miserandum malum. Cum enim aures sint quasi porta mentis, per quam menti ea intromittuntur, quæ doctrina & institutione traduntur ad vitam coram Deo & hominibus rectè transigendam: miserum eum hominem esse necesse est, qui audiendi facultate destitutus adminiculo hoc ad salutem æternam, & ad præsentem incolumitatem uti nequit. Miserrimi, qui cæci, surdi, muti. Cujus rei exemplum habetur apud Platerum, *libr. 1. observat.* de quodam Abbate, qui ex lue Venerea cæcus, mutus, surdus factus, mentem aliorum non alio pacto intelligere & percipere potuit, quam illi supra brachium nudum literas sententiam aliquam experientes digito vel ligno ducendo, ex quibus sin-

L. I.

gulis sensu perceptis verbum, atque ex pluribus verbis sententiam colligebat.

Surditas nimirum functio auditus *Surditas.* est abolita; gravitas diminuta. Atq; ita utraq; affectio est symptoma in genere læsarum functionum animalium, atque in his facultatis audiendi.

Causæ.

Quia verò ad auditum perficiendum requiruntur & ipsum audiendi instrumentum, auris, & spiritus animales, & qui ad hunc defert, nervus ἀκουσικός: causæ etiam læsionis auditus quærendæ sunt vel in spiritu animali, & nervo eum deferente, vel in auditus organo.

Primò ob vitium spiritus læditur auditus, cum in cerebro vel non generatur, vel ab eodem non transmittitur, vel à nervo auditorio, qui spiritum illum advehere debebat, non defertur. Cerebri vitium generale est; & ab eo, ut reliqui sensus, ita etiam auditus, læditur. Si verò è nervo ἀκουσικῷ extra cerebrum, & in ejus ad aurem progressu, causæ mali hæreat, auditus non reliqui sensus afficiuntur. Fit hoc sæpe in prima conformatione, dum vel ille non rectè formatus est, vel non rectè ductus; unde surdi ab infantia fiunt: vel ab obstructione: vel à tumore aliquo.

Oritur & gravitas auditus à spiritibus factis paucioribus, crassis & impuris, sive ex errore victus tales gignantur, sive ex ambiente aère. Hinc venti australes auditui nocent

Organum verò auditus quod attinet, quodnam illud sit, dictum in Institutionibus, quæ hic repetenda non censemus. Ut rem paucis complectamur, cum instrumentum auditus primarium

Zzzzz

non

*Auditus
instrumen-
tum pro.
XIII. III.*

non possit esse, nisi pars corporis vi-
vens, res eò videtur redire, ut instru-
mentum auditus primarium sit nervi
auditorii ea portio, quæ meatui inter-
no implantatur, vel potius, ut Galenus
ipse definit, 1. de *sympt. caus. cap. 3.* τὸ
ἔξωδον πέρασ, hoc est, externus finis, sive
extremitas portus ἀξυγυῖς, ubi extremi-
tas illa dilatati nervi auditorii portio-
nem excipit. Cumq; eò loci σφύρα
aurium aër contineatur, verisimile
est, Galenus ipsum etiam mentione
τῆς ἐξωδον πέρασ complexum esse.
Ut enim visus organum lucidum est,
ut objecto respondeat: ita organum
auditus aëreum. Et nervus auditori-
us, qui, ut alii nervi, communis sobo-
lès est cerebri, ad sonos speciatim per-
cipiendos contrahitur & determina-
tur beneficio proprii & peculiaris sui
organi, quod aër aurium est congeni-
tus, seu calidum, & spiritus aurium
insitus, naturæ aëreæ. Auditio enim
non fit, nisi illa extremi aëris commo-
tio interno aurium aëri communicetur
per tortuosos aurium anfractus, ubi
membranz tympani allisus aër exter-
nus qualitate soni affectus internum
aerem ferit, qui deinceps, ministro ner-
vo auditorio ad cerebrum, sentiendi
principium, sonum transmittit.

*Nervus au-
ditorij
morbi.*

Vitium verò nervi auditorij jam ex-
pansi & in aurem dilatati ferè à com-
muni causa semper dependet. Stenim
ille nervus non rectè sit conformatus,
vel non rectè auri inferatur, spiritus
ἀξυγυῖς in aurem transire non potest,
quod etiam accidit, si nervus idem ob-
struatur, unde auditus læditur, & præ-

terea implantato aëri necessarium ali-
mentum & comæatus, quo foveatur,
denegatur. Si verò humores vitiosi
quæque ad aurem ferantur, & ob-
struere interdum meatum possunt, &
aerem illum inquinant, crassumque
& impurum reddunt, & ad præstan-
dum suum usum ineptum. Materia
illa plerumque est frigida & pituitosa,
nonnunquam & biliosa, ut, ex 4. *A-
phor. 28.* patet; ubi biliosas dejectiones
surdus prodesse Hippocrates docet: in-
terdum & sanguinea, siquidem surdita-
tem, quæ crisi scilicet comitatur, quo-
que fieri ex sanguinis per aures fluxu,
comptum est.

Mittitur autem illa ad aurem inter-
dum à toto corpore, ut in febribus; so-
letque talis surditas, vel difficultas au-
ditus, crisi antecedere, vaporem vel hu-
morem ad aures detruso; quæ auditus læ-
sio peracta crisi sponte cessare solet.

Aërem quoque congenitum cras-
sum reddit & impurum vapor caligi-
nosus & crassus sursum elevatus, aëri
innato sese permiscens, & non solum
citè hunc oberrans, & tinnitum auri-
um, qui auditus gravitatis & surditatis
præludium est; excitans, verum etiam
eidem sese permiscens.

Si tamen sit humor crassus vel co-
piosior, nonnunquam etiam post crisi
difficultas auditus adhuc durare solet.
Interdum etiam sine crisi à toto corpo-
re ad aures materia mittitur. Alias
materia, quæ auditum lædit, plerum-
que crassa & pituitosa est, atque à ce-
rebro præcipuè prodit, alimentum
suum propè nõ coquente, & excremen-
tis

tis abundante. Ut in alias partes, ita & in aures, è capite materia catarrhosa fluit, & se in interiorē auris cavitationem per foramen, quod nervus auditorius transit, insinuat: id quod senibus propter excrementorum pituitosorum copiam familiare est. Objecto proprio etiam, sono scilicet violento & nimio, subito & affatim per aurem ad cerebrum usque penetrante, offensus nervo, spiritibusque dissipatis, surditatem introductam fuisse, observatum est.

Meatus auditorij morbi.

Reliquas auris partes quod atinet, meatus auditorius externus, usque ad tympani membranam, nihil præter aërem continet, isque nonnunquam obstruitur vel totus, vel ex parte, & obstructus potius difficilis auditus, quam surditatis, causa est. Fit verò obstructio vel ab externis rebus, quales sunt lapilli, nuclei, vermes, aqua, & similia; vel tumore aliquo, & tuberculo in meatu illo post ulcus nato. Nonnunquam etiam sordēs aurium, seu naturalia illa aurium excrementa, si diu retineantur, & in crassentur, aures obstruunt, præcipuè si, quod interdum accidit, auriscalpio ad tympanum usque propellantur, ibique hæreant, ut non facile excerni possint.

Membrana aurium morbi.

Membrana quoque tympani, quam myringam vulgò appellant, auditui obesse potest, si vel ab externo aëre frigido (ut frigidum omnibus nervis & membranis inimicum est) contrahat frigiditatem, vel narcoticorum usu obstupescat; (quæ tamen vitia, si actio

causæ vehemens sit, etiam penitioribus partibus communicari possunt) vel reddatur crassior, quod inflammatione in cerebrum conversa accidere solet; vel ab humoribus affluentibus nimium humectetur, & crassior evadat: quæ satis frequens causa est difficultatis auditus in senibus. Ut enim oculorum tunica in senibus crassescunt, & obscuriores fiunt: ita etiam proculdubio ætatis progressu hæc membrana aliquam mutationem suscipit. Eadem nonnunquam rumpitur, vel tenditur & laxatur vi externâ, ut ab auriscalpio, vel alia re violenter immisâ, sonitu tubarum, & vehementi clamore; eroditur ab ulcere. Ita etiam si ossicula illa tria, quæ membranæ huic adjacent, loco dimoveantur, ictu vehementi, sonitu, vel humoris alicujus affluxu, vel quâcunque de causa, gravitas auditus, vel surditas sequitur.

Signa Diagnostica.

Verum ista causarum varietas suis signis discernenda est, ut curatio rectè institui possit. Si primò vitium sit in cerebro, epilepsia; lethargus, apoplexia, præcesserunt, vel adsunt, & aliæ animales facultates simul læsæ sunt. Si autem in solo nervo auditorio sit vitium, reliqui sensus integrierunt. Præcessit tamen aliqua cerebri debilitas, diurnus capitis dolor, & similia, quæ excrementitios humores in cerebro collectos, & ad nervum auditorium delapsos testantur. Ita quoque si aër impurus sit, signa aderunt imbecil-

li & excrementis repleti cerebri, aut æger versatus est diu in aëre impuro, qui spiritus turbidos & impuros reddit.

Utrum verò excrementitii humores, qui nervum obruant, & aërem implantatum inquinant, à toto, vel à cerebro tantum provenerint, propria signa testabuntur. Si à consensu ventriculi fit, malum prout ventriculus vacuus, vel plenus est, augetur, vel minuitur. Præterea malum per intervalla repetit. Ab aëris etiam, vel spiritus vitio vix omnino surdi evadunt, sed surda stri, surdissima finitimi. Criticus motus in morbis latere non potest. Obstructionem etiam in nervo & meatibus internis sensim factam esse, indicio est, si capitis dolor diurnus, sibilus, & aurium tinnitus, lethargus, apoplexia, & affectus similis præcesserit; & natura morborum præcedentium naturam humoris obstruentis declarabit. Si calidus humor causa sit, dolor acutissimus accedit, adest febris, & calor in aure percipitur. Si verò ab humore sit frigidus, dolor absque sensu caloris, & sine febre est. Si obstructio sit in externo auris meatu, oculis id facile cerni, & instrumentis explorari potest. Et si aliquid extra immissum sit, ex relatione ægri cognosci poterit. Ita quoque facile patet, si phlegmone adsit, vel ab ulcere relicto tuberculum crassum. Si in membrana tympani sit affectio, dolor vehemens præcessit, vel vulnus, à quo cicatrix in membrana relicta.

Verum cum adeò exactè semper cognosci non possit, an in nervo auditorio extra aurè, vel in aure, & in qua parte auris vitium hæreat, utilissimū fuerit, di-

scernere, an à caussis internis, an externis malū pendeat. Si enim quid in aurè immissum sit, externum meatum obstructum esse, indicio est. Si vulnus præcessit, vel vehemens sonitus, membranam tympani ruptam vel laxatam, aut officula illaloco suo mota esse, argumento est. Si verò causa externa absit, an aliquis morbus præcesserit, considerandum. Ille enim facilè humoris naturam indicabit, qui rursus curationem præscribit; etsi in qua auris determinata particula hæreat, non ita perspectum est. Si verò nullus morbus præcessit, an subito, vel sensim surditas, vel difficultas auditus orta sit, inquitendum. Illud enim facilius à calido humore, hoc à frigido accidit.

Prognostica.

1. Gravitas auditus non contemnendum malum est. Temporis enim progressu paulatim incrementum sumens in perfectam surditatem degenerat. Galenus, 3. de compos. medic. f. 1. cap. 3. titulo, ad auris gravitatem.

2. A primo ortu, aut post ortum, diuturna & perfecta surditas orta non curatur: quæ verò non perfecta est, sed tamen diuturna, nec ipsa curabilis, aut difficulter admodum curatur. Paulus Ægineta, lib. 3. c. 23.

3. Obstructio in meatu externo facilius tollitur, difficilior in meatu interno, & meatu auditorio; præsertim si sit consummata: & difficilior solvitur obstructio, quæ à pituita est, quam quæ est à bile.

9. Membrana tympani rupta, vel cicatrix ab ea relicta, aut officula luxata non curantur.

5. Surditas in febribus, & urina absq; sedimento, in quibus crassa quædam sublimis petunt, mentis alienationem significant, 1. *Prorrh. comm. 1. aphor. 31.*

6. Surditas in acutis & malignis febribus non semper malum signum est, sed sæpe bonum; cum scilicet cum bonis signis conjuncta est, & delirium ac symptomata remittunt: id quod sæpe observavi. Denotat enim materiam è cerebro ad exteriora propelli.

7. Quibus dejectiones sunt biliosæ, superveniente surditate cessant; & contra quibus surditas adest, biliosorum dejectione finitur, 4. *aphor. 24. Eodem libro aphor. 60.* addit, surditatem ejusmodi in febribus sanguine quoque è naribus fluente solvi. Materia enim surditatem efficiens vel ad aures retrahitur, vel à cerebro ad venas colli, atque hinc ad cavam, & tandem per eam ad intestina derivatur.

8. Surditas in acutis & turbulentis morbis mala, 1. *Prorrh. comm. 1. t. 32.* extincta scilicet per morbi vehementiam audiendi vis, aut humoris pravi copia cerebrum & aures occupante.

9. Et omnino melius est, si surditas delirium; quam si delirium surditatem sequatur. Melius enim est materiam ab internis ad externa, quam ab externis ad interna converti. Et si mala symptomata, ut vomitus, vigilie, & similia surditati conjungantur, delirium & morbum periculosum significat.

10. Surditas per intervalla crescens & decrescens, vel ab humore tenui & exiguo est, qui interdum minuitur, vel

à flatulento spiritu; quæ surditas etiam facilius curatur.

11. Surditas, quæ per idiopathiam aurium genita est, difficilius curatur, quam per sympathiam.

12. Ex surditate mansuetæ parotides existunt, cum aliàs, tum si quid fastidiosi supervenit; sed & comate superveniente magis fiunt parotides. Hippocrates, in *Coacis*. Itaque surditas & coma commune signum sunt desipientiæ & parotidum. Nam in materia calida & acutiore magis desipientia, in non ita acuta, & quæ cruda est, magis parotides accidunt; utraque verò proprium signum est translationis materiæ in caput.

13. Quibus surditas adest cum capitis gravitate, & hypochondrii tensione, & oculi ad splendorem perturbatione; iis sanguinis profluvium significat. Hippocrates, in *Coacis*.

Indicationes.

Pro varietate causarum etiam hæc indicationes & cura variant. Si externus ille aurium meatus obstructus sit, impedimentum illud obstructione pariens, qualecunque etiam sit, tollendum. Si ab humoribus vitiosis vel aëre congenitis inquinetur, vel aurium meatus obstruatur, materia excrementitia debito modo evacuanda; nisi post crisis sponte sua cedat. Si facultas læsæ sit ratione nervi auditorii, adsitq; obstructio, causa hanc fovens ac conservans auferatur: si ratione cerebri, huic legitimæ curatione prospiciatur.

Curatio.

Cum verò frequentissimè ab humore pituitoso accidat surditas, si sanguis simul abundet, vena aperiatur. Si verò venæ sectione opus non sit humor mox præparetur & evacuetur iis medicamentis, quæ supra, *part. I. cap. 10. de Intemperie capitis cum pituita*, fuerunt proposita. Et purgatio per intervalla repetatur. Et quidem in surditate medicamenta purgantia & frequentiora, & fortiora sunt, quàm in gravi auditu. Corpore toto evacuato, caput etiam evacuetur apophlegmatismis, gargarismis, errhinis. Idemque excicetur sacculis, lotionibus, & aliis medicamentis, quæ etiam, *ibidem*, fuerunt proposita. Ad totum corpus evacuandum, & humores, flatus, ac vapores etiam in capite discutendos, valde utiles sunt thermæ; & quasdam peculiari vi gravitati auditus & surditati conferre creditur: & imprimis sulphureæ commendantur, in quibus æger non solum lavet, sed & spongia ampla, vel quæ totum caput tegat, capite imposita aquam thermarum per epistomium effluentem embrochæ modo excipiat. Inter particulares capitis evacuationes imprimis utilia sunt masticatoria, quæ non tantum, dum excrementa cerebri evacuant, præstant, ne materia ad aures fluat, sed & per foramina in basi calvariæ auditus organum subeuntia expurgatio humorum aures obstruentium iis fieri potest.

Utilia sunt & errhina. Sternutatoria tamen hic non usque ad eò tuta sunt; cum incertum sit, quò motus humo-

rum ex agitatione illa vehementi concitatus vergere possit.

Corpore toto & capite evacuato Topica etiam auribus applicentur & instillentur, quæ cum supra, *cap. I. de Intemperie aurium*, sint proposita, ea hic repetere opus non est: unum atque alterum saltem addere libet.

Aqua origani ex sicca planta cum vino destillata commendatur. Utilis est & hæc Aqua:

R. Rad. raphani,
porri, an. Unc. j.
cyclam. Unc. ß.
hellebori albi Drach. j.
origani Unc. ß.
ruta,
majoran. an. Drach. ij.
flor. lavendul.
sem. fœniculi,
cumini,
castorei, an. Drach. j.
baccar. lauri num. xv.
fellis tauri Unc. ß.
vini albi q. s.

Macerentur aliquandiu & destillentur.

Olea destillata utilia sunt, rutæ, rosmarini, majoranæ, salviæ, seminis fœniculi, carvi, baccarum lauri, caryophyllorum, cinamomi. Eadem medicamenta locum habent, si à nuda intemperie sit auditus gravitas. Fel etiam animalium utile est, & imprimis perdicum, quod à proprietate prodesse dicitur, si inprimis cum olei succini parte æquali misceatur, & in aures immittatur. Crato valde commendat aquam carduibenedicti, cujus supra facta est mentio.

D. Brunnerus sequenti Oleo frequenter usus est:

℞. Ol. porror:
nardini; an. Unc. j.
castorei Unc. ℥.

spir. vini Unc. iij.
fellis tauri Drach. ij.
bellebor. nigri Drach. ℥.
nuc. moschat.
salis nitri, an. Drach. j.

Ebulliant parum, & ad usum ter-
ventur. De quo oleo guttæ iij. auri in-
stillentur; aurisq; gossypio maci suffu-
migato obturetur, & sacculus ex sale,
cymino & milio paratus, vel modò di-
ctus imponatur.

D. Navius sequenti Oleo felici-
ter usus est:

℞. Fol. ruta,
serpilli; an. P. iij.
origani Cretic. P. ij.
fellis apri in vesica sua exsiccati:

Scrup. j.
euphorbij Drach. ℥.
bellebor. albi,
castorei, an. Drach. j.
lumbric. terrest. Drach. ℥.
apum siccatarum Scrup. j.
pulp. colocynthi. Drach. ℥.
Vitr. preparati Scrup. j.

Incisa & contusa grosso modo infun-
dantur in

ol. amygd. amaran. Unc. iij. ℥.
rutac. Unc. j.
aq. vite Unc. x.
ol. laurini Drach. iij. ℥.

Stent in loco tepido per 2. vel 3. d. de-
hinc bulliant ad aquæ consumptione-
nem; postea colentur, & colatura ser-
vetur.

Vel ℞. Rad. raphan. maj.

porri,
ceparum; an. Unc. iij.
cyclamin. Unc. j.
bellebor. alb. Unc. ℥.

fol. origan:
ruta,
majoran. an. Unc. ℥.

flor. anthos,
lavendul.
saly. an. Drach. iij.
sem. feniculi;
cymini, an. Drach. iij.

baccar. lauri num. xxx.

Contunde omnia grosso modo, add.

fellis vaccini Unc. j. ℥.

Postea macerentur in vini opr. q. s. ac-
tandem destillentur.

Chymici Balsamum Sulph. laudant
spiritu vini extractum: alii aquam è li-
gno fraxini destillatam.

Capite evacuato clamores etiam &
soni vehementiores, ut tubarum, utiles
sunt. Calefaciunt enim meatum au-
ditorium, & residuum humorem discuti-
unt, & locis illis impactum elidunt.

Siverò surditas, vel auditus gravi-
tas sit ab ulcere aurium, ejus curatio in-
stituenda, ut supra dictum. Atque hic
abstinendum ab oleis. Nam oleum est
ulceribus inimicum, & maximè ulce-
ribus aurium.

Si quid in aurem extra immissum
eam obstruat, id eximendum, ut in In-
stitutur. & supra etiam fuit traditum, l. d.

Tandem si à materia biliosa per fe-
bres, absque insigni aliqua instrumen-
ti auditus læsione, auditus gravitas
vel surditas ortum habeat, sponte ferè
malum

malum cessat, materiâ per alvum evacuata, vel per nares effusa, ut Galenus, 4. aphor. 60. habet, vel etiam insensibiliter discussa. Si tamen malum duret, medicamenta bilem evacuantia adhibeantur, & debita victus ratio: auribus etiam instilletur oleum violarum, nymphææ, & similia, ne inflammatio excitetur.

Si verò citra febre[m] contigerit, bilioso redundante sanguine, curatio à phlebotomia inchoanda erit, venâ humerali lateris ejusdem incisâ; hinc humoris biliosi præparatio instituenda. Postea topica admoveantur: ubi vapor ex decoctione herbarum sequentium per infundibulum in aurem receptus prodest:

℞. Fol. falic.

lactuc.

malv.

albian. M. j.

flor. violar.

rosar. an. P. ij.

Concila coqu.

Vel injiciantur guttulæ ij. aut iij. ol. lactuc. ex semine expressi, vel olei falicis, nymph. aut violarum; vel lac humanum cum albumine ovi permixtum immittatur. Vel sequens Injectio pareretur:

℞. Succ. sedi major. recent.

Drach. ij.

lact. mulieris Drach. j.

Misce.

Conclusionis loco saltem aliquot Regulas generales, quæ in omnibus aurium morbis curandis observandæ, proponemus:

1. Medicamenta, quæcunque auri-

bus immittuntur, sint tepida, non intense calida vel frigida.

2. Nova medicamenta non imponantur, nisi autis à sorde præcedentis medicamenti optimè expurgata sit.

3. Una vice, vel 4. guttas immittere sufficit.

4. Post medicamenti in aurem immisionem æger super aure sana jaceat.

5. Eligantur autem ea, quæ auribus immittuntur, quæ non valde unctuosâ & viscosa sunt. Talia enim in aures immissa, & in aurium anfractus penetrantia, vix iterum rectè extrahi possunt; ideoque, quæ forma evaporationis & suffumigiorum adhibentur, spirituosâ medicamentâ & destillata, commodissima sunt.

6. Caput tandem in omni surditate & difficili auditu diligenter roborandum, cum internis, tum externis medicamentis, supra, part. 1. propositis.

Dieta.

Dieta medicamentis & varietati causarum respondeat. Ut saltem de gravitate auditus & surditate dicamus, quæ ex frigida & humida materia provenit, quæque frequentissima est, ea diæta tunc convenit, quæ supra, part. 1. cap. 10. proposita. Aër sit purus, ad siccitatem vergens: æger vitet ventos, & præsertim austrinos, & aërem frigidum & humidum; atque ab eo aures muniat, abstineat à cibis, qui crassos humores gignunt, & vapores multos in caput mittunt, atque imprimis allium & cæpe comesta auditui nocent.

CAP.

Regula in
aurium cu-
ratione ob-
servanda.

CAPUT VIII.

*De Aurium Dolor.**Aurium
dolor.*

INter aurium symptomata est etiam Aurium dolor, Græcis *ὠτᾶλγία*, gravissimum & periculosissimum malum; cui nisi tempestivè succurratur, in symptomata gravissima, ac mortem denique hominem præcipitat. Et quidem malum quàm oculorum dolor gravius; cum oculorum dolores in oculis persistent, aurium verò dolores cerebrum in consensum trahant, unde delirium & mors sequi solet.

Cum autem dolor sit tristis sensatio à solutione continui partium sentientium, membranarum pura, orta: doloris etiam in auribus subjectum partes sunt membranosa illæ auris internæ, & nervus auditorius (quatenus scilicet membranosus), Quanquam autem partes externæ dolore quoque tentari aliquando possint: tamen cum dolor ille magnus non sit, cum de dolore aurium agimus, eum præcipuè intelligimus, qui internum meatum, ac membranam & nervum auditorium occupat.

*Causa.**Causa.*

Subjectum, ut modò dictum est, ut in aliis corporis partibus, ita & hîc, sunt membranæ, quæ auris cavitates investiant, & sensu exquisito sunt præditæ. Afficitur autem membrana vel in exterioris auris cavitate, & sæpe affecta gravissimos dolores parit, qui etiam affectu externo exacerbantur: vel interiore cavitate post tympanum.

Causa equidem proxima est solu-

L. I.

tio continui. Verùm oritur illa potè ab aliis causis. Atque hinc dolor aurium vel fit ab externis rebus immixtis, vel à vulnere ab intemperie, vel à flatibus, vel ab humoribus calidis & frigidis, vel ab inflammatione.

Quod intemperies frigida dolorem excitare queat, extra controversiam est, & experientia id sæpe docuit. An verò intemperies sola calida à causâ externa inducta dolorem inducere possit, controversum est. Græci quidem hujus causæ mentionem non faciunt: Arabes tamen omnes inter causas externas aurium doloris etiam aëris caliditatem recensent. Verùm frigida quidem nervis inimica sunt, non verò ita calida; ac calor externus aeris vix calidior est cerebro; ac auris parte interna. Atque ita aer per se tantùm alterando vix dolorem aurium excitabit. Pruritus tamen in aure excitare valet. Per accidens verò id facillè præstare poterit, nimirum affluxum humorum ad aures commovendo; quo sensu proculdubio Hippocrates, 3. *aphor.* 2. inter æstivos morbos aurium dolorum recenset. Solentq; dolores, qui ab inflammatione oriuntur, in auribus esse frequentissimi, & gravissimi, punctorii, pulsantes & divellentes, cum magno plerumque ardore; eosque plerumque febri-cula comitatur, soletq; is dolor maxime intendi, cum inflammatio ad suppurationem tendit, & rupto abscessu remittere. Solet autem materia illa, quæ aurium dolorem excitat, nunc à toto, ut in crisis febrium, vel etiam sine crisi quandoque; nunc à cerebro,

Aaaaaa

aut

aut parte alia communicari. Interdum etiam materia maligna est, ut in lue Venerea, quæ circa periossia hærens cum diurnos in aliis capitis partibus, tum etiam aurium dolores excitar.

Signa Diagnostica.

Signa diagnostica.

Signis ad ipsam affectionem cognoscendam opus non est, cum æger, qualis sit, satis prodatur. In infantibus autem ploratus augetur, si pars affecta tangatur, & præter consuetudinem aliquid ex aure effluit, aut, quod effluit, jam retinetur.

Signis verò, è quibus causarum varietas cognoscatur, opus est. Primò nimirum inquirendum, an aliquid extrà auri immissum sit, quod dolorem pariat, quod facillè ex ægri relatione & auris inspectione & exploratione cognoscitur. Si etiam vulnus auri inflatum, vel alia externa violentia illi allata sit; & illud ex ægri relatione patet.

Deinde, si sit ab intemperie nuda, nulla gravitas, nulla tensio, nullus tumor percipitur; quæ ad sunt, si intemperies sit cum materia: quo casu & auditus magis impeditur. Et si intemperies sic frigida, æger in aère & vento frigido diu versatus est, quod fit nonnunquam in longis peregrinationibus tempore hyberno, idq; ex ægri relatione cognoscitur, dolorq; est citra ardorem, calidusque levatur.

Si verò nihil tale præcesserit, quod nudam intemperiem inducere potuerit, & caput sit gravius, proculdubio

quidem materia adest, aut spiritus turbulentus; quod cognoscitur ex dolore vehementi sine ardore & gravitate, ac tinnitu & strepitu manifesto, & quod dolor non est continuus, sed per intervalla quidam vel intermittit, vel non nihil imminuitur; aut humor frigidus crassus; & tum adest dolor levior citra ardorem, & signa alia frigiditatis in capite ad sunt; aut ex humore bilioso, & dolor est vehemens cum calore mordaci.

Frequentissima autem doloris causa est tumor calidus seu inflammatio; ut supra dictum, quæ cognoscitur ex dolore continuo, pulsatili, vehementissimo, & eodem ac rubore ad malas & tempora usque sese extendente, cum febre, interdum & cum delirio, motibus convulsivis, syncope, & extremorum frigiditate. Et prout inflammatio magis tendit ad interiora, eo pulsatio magis percipitur; quoniam arteriæ maiores comprimuntur: dolor quoque est vehementior, ob vicinitatem cerebri, & febris intensior.

Si vero ab ulcere & sanie sit dolor, rupto abscessu pus ex aure effluit, cum doloris aliqua mitigatione, ulcusq; relinquitur, unde sanies aliqua effluere solet.

Si ex nervi auditorii vitio dolor oritur, auditus simul læditur, & sæpe vel caput compatitur, vel unus aut plures ex sensibus internis aut externis.

Prognostica.

i. Maius periculum est in aurium, quam oculorum affectibus. Nam vitium

fium oculorum intra ipsos subsistit; aurium vero inflammationes doloresque interdum cerebro communicantur, & hominem ad delirium & mortem deducunt, ut, de aurium inflammatione, Prognostico 1. dictum. Ideoque, monente Celso, cap. 7. lib. 6. mox inter initia succurrendum est, ne maiori periculo locus sit.

2. Et quidem iuvenes in vehementibus aurium doloribus magis periclitantur, & se primo die, aut citius moriuntur; antequam scilicet inflammatio suppuratur: quoniam biliosi humores in hac aetate abundant, & temperamentum constitutio est calida & sicca, quæ febris acutis & deliriis redit magis obnoxios.

3. Senes vero in vehementibus aurium doloribus minus periclitantur; quia ob temperamentum frigiditatem, & pituitæ copiam, febris acutis & deliriis ita facile non corripiuntur, & proinde aures ipsorum facilius suppurantur. Recidivæ tamen periculum magis sustinent; cum ob temperamentum frigiditatem materia dolorem aurium patiens exactè, concoqui non possit, 3. Prognost. aphor. 14. & 1. aph. 14. Quia etiam sensus tactus in senibus est obtusior, ideo facilius dolores illos tolerant.

4. Si dolor aurium vehemens sit, & in profundo hæreat, mortis periculum est; quoniam nervus auditorius ipse etiam est affectus. Aut si malum sanetur, noxa tamen quædam in sensu auditus relinquatur.

5. In doloribus aurium hypostrophæ interimunt, aut valde sunt pericu-

losæ. Materiam enim non integre coctam, nec partem affectam restitutam esse significant. Itaque malignior redditur materia, & ægro magis debilitato, mortis periculum metuendum est.

Indicationes.

Commodissima quidem dolorem aurium, ut & alios dolores, curandi via est, si causa, à qua pender, tollatur. Verùm quia is sæpe ita urget, ut, nisi tollatur vel mitigetur, ægro periculum minetur, dolor tum mitigationem indicat.

Primo ergo si dolor sit à rebus externis immixtis, qua ratione illæ tollendæ sint, iam antea dictum.

Sicut etiam antea explicatum, quomodo intemperies cum & sine materia curanda sit.

Si à spiritu flatulento sit dolor, cum flatus præsupponat materiam, à qua attollitur, ea primo, sive sit calida, aut frigida, expurganda, deinde topica, quæ flatum illum discutiant, usurpanda.

Frequentissima vero doloris causa est inflammatio: sed qua ratione & illa curanda sit, antea quoque dictum.

Dolorem vero ipsum quod attinet, tollitur ille cum anodynis, tum, si opus sit, narcoticis seu stupefacientibus. Convenit igitur oleum calens amygdalar. dulcium, liliorum alborum, aut rosaceum sive solum, sive cum lacte muliebri aut ovi albumine mistum; quæ cum specillo molli lana involuto tepide in aurem immittantur. Serofus item tuor, qui ex carnibus bubulis dum assantur, destillat, tepide infusus utilis est. Item ol. ros. cum succo roris

marin. ut & mucilago semin. psyllii, fœnigræci. Nonnulli folia tabaci viridia, aut saltem aqua propria vel aqua rutæ humectata auribus applicant, & sæpius renovant. Commendatur & oleum scarabæorum, quod paratur, scarabæos num. iij. injiciendo in oleo rosar. Unc. iij. & coqu. ac colando.

In vehementiore dolore succus portulacæ, lactucæ, hyoscyami, coriandri utilis est. Ubi denique acerbissimus dolor urget, ut syncopes & mortis periculum immineat, stupefacientibus semel atque iterum utilicet.

Ut Bz. *Opii* gr. iij.
castorei,
crocii, an. gr. jß.

Cum lacte muliebri, vel albumine ovis, vel sapa aut vino tepidè instillantur. Solum opium vix convenit, utpote cuius usu quendam vocem & sensum amississe, refert Trallianus, *lib. 3. cap. 2.* propterea quod cerebrum nervo auditorio affecto proximum est. Oleum etiam è ligno coryli acerbissimos aurium dolores subito sanat.

Si reliqua omnia non prosunt, necessarium est, ut ægro sub somni horam exhibeatur Philonii Persici Scr.ß. vel Scrup. j. vel laudani opiatigr. iijß.

Foris imponantur quæ dolorem leniant, & materiam impactam concoquant & resolvunt, quo in genere butyrum alia superat, in mollibus præcipuè corporibus.

Aut Bz. *Lenticula palustris* M. ij.
medulla panis in lacte muliebri
infusa Vnc. iij.

Contusa applicentur forma Emplastri. Fortius est paratum ex oleo dulci calente, adipe anserino, oleo amygdalarum dulcium, chamæmelino, lacte muliebri.

Aut Bz. *Fol. malva utriusq.*
violaria,
lactuca,
salicis, an. M. j.
sem. cydonior.
malva, an. Drach. ij.
flor. chamæmeli,
meliloti,
rosarum rubrarum, an.
B. ij,

Fiat Decoctio, qua auris affecta tepidè lenteq; foveatur.

Utile est & hoc:

Bz. *Ol. rosar.*
nymph. an. Vnc. ß.
succi papaver.
solani, an. Drach. ij.

Missa ponantur circa aurem; aliquid etiam immittatur. Addita farina hordei vel tritici, & pulvere florum chamæmeli cum butyro recenti, fiat emplastrum ad eundem usum.

In applicatione remediorum monet Galenus, 3. *de compos. medicament. secundum loca*, ubi dolor valde urget aurem non tangendam esse, id est, neque manu, neque ullo instrumento durius tractandam. Augetur enim hoc modo dolor, & malum redditur deterius. Quapropter quæ extra applicantur, autem non gravent, & leniter applicentur, & quæ instillantur, blandè instillantur.

CAPUT IX.

De Excrementis præternaturalibus, & Fluxu aurium.

Tandem ut etiam aliquid de symptomatis in Excretis dicamus, habent equidem aures sua naturalia excrementa, sed ea pauca: Accidit verò sæpe, ut præter naturam multa ex auribus excernantur. Primò enim post inflammationes aurium, abscessu rupto, pus & sanies ex auribus effluit. Deinde idem accidit in ulceribus aurium.

Interdum quoque sanguis ex auribus effluit: quod accidit non solum in capitis percussione, casu ab alto, & similibus causis violentis, quæ venas in auribus rumpere possunt, sed & crisis modo: sicut Platerus observavit, cuidam, qui frequenter narium hæmorrhagia infestabatur, non solum è naribus, sed & auribus sanguinem largiter effluxisse; quod ex *à vasculis* venarum in auribus factum. Quandoque aquosus humor, aut sanies aliquid simile ex auribus effluit, nunc tenuius, nunc crassius. Observavitque Platerus, è iustam puelle aure menturas aliquot aquosissimi humoris diu per vices citra ullam aliam læsionem profluxisse. Atque eum fluxum ex cerebro fieri non posse existimat Platerus. Cum enim nulla alia via sit è cerebro, quam per foramen nervo auditorio paratum, neque sativo tympano, si humor in interiorem auris cavitatem primò effunderetur, ex aure effluere posset; id in hoc fluxu

locum non habere putat; cum fiat citra auditus læsionem. Ideoque hunc humorem è venis meatum externum implicantibus fluere statuit.

Verum per quamcumque etiam viam sanies illa effluit, certum est, ut supra, *cap. 3.* dictum, e cerebro etiam humido & impuro, ac vicinis partibus, sordidam eiusmodi illuviem ad aures derivari, quæ sæpe tanta copia effluit, ut facile colligi possit, in sola aure eam non fuisse collectam. Refertque Schenckius è Mar. San. Barolirano, Venetiis quendam eiusmodi auris fluxu intempestivè suppresso repente mortuum esse.

Tandem & vermes aliquando in aurium sordidis ulceribus generari atque inde emergere observatum.

Curatio.

Qua ratione autem inflammatio, i. Curatio, tem ulcera aurium curari debeant, ut & vermes ex auribus tolli, supra dictum est. Si verò natura aliquid humoris vitiosi per aures excernere tentat, solet is fluxus fere ætatis progressu, & corpore jam sicciore reddito, sponte sedari. Si verò etiam ad annos pubertatis protrahatur, danda opera, ut sistatur; quod fit corpore prius, & capite diligenter purgato, & sudoriferis etiam exhibitis & vesicatoriis applicatis, ac fonticulis, si opus, excitatis, per medicamenta caput & aures siccantia cum interna, tum externa iam antea proposita. In quem finem adhiberi potest vinum, in quo alumen, gallæ, & balauistica cocta: item succus virgæ pastoris, aristolochia, spiritus ex urina puerorum.

Si sanguis ex aere fluat per crisin, fluxus is, nisi superfluus sit, non compescendus. Si vero ex alia causa, ut externa violentia, fluxus ille sit, interdum periculo non vacat; ideoque sistendus: quod fit, si opus sit, venæ sectione in contraria parte præmissa, adstringentibus & roborantibus frigidis applicatis; qualia sunt, succus plantaginis, virgæ pastoris, decoctum rubi, malorum prunorum, rosarum, mastiche.

Vel R. *Acacia,*

hypocistidis,

balaustrorum,

rosarum,

sumach,

mastiches,

thuris, an Drach. j.

Coq. in vino vel aceto, & Colatura usurpetur. Avicennas coagulum leporis cum aceto commendat.



LIBRI



LIBRI PRIMI

PARTIS III.

SECTIO QUARTA.

De Narium affectibus,

CAPUT I.

De Narium ulceribus & Ozænis.

Narium usum.
Post morbos & symptomata, quæ circa auditum & eius organa contingunt, proximum est, ut ad olfactus organum accedamus, & quibus morbis illud obnoxium sit, quæque inde oriantur symptomata, videamus.

Odoratus organum nares esse, extra controversiam est: etsi quæ in iis pars primum olfactus organum sit, controversum sit, ut in Institut. dictum. Nares tamen, ut in aliis etiam partibus fieri consuevit, natura simul ad alios fines & commoditates utitur, & ita narium plures usus sunt.

Primarius & præcipuus narium usus est, ut dictum, odores cavitate sua excipere, & iis ad præcipuum olfactus organum transitum concedere. Secundus usus est, ut aëri, qui ad cerebrum & pulmones transire debet, aditus permitatur, quo modo ad perspirationem nares necessaria sunt. Tertio ad sermonem recte formandum faci-

unt, dum per ipsas aër ad sermonis formationem necessarius sensum expellitur, ut ex sermonis læsione patet, in iis, quibus nares obstructæ seu erosæ sunt. Quarto natura hac via etiam ad superfluitates & excrementa cerebri expellenda, & quandoque etiam ad hæmorrhagias críticas abutitur.

Vna ergo opera de narium morbis & symptomatibus, quæ & in olfactu, & alias circa nares accidunt, dicemus; nimirum de Ulceribus narium & Ozænis, de Cancro narium, de Processuum mammillarium defectu, de Polypo, de Narium obstructionibus, de Rebus in nares immixtis extrahendis, de læso olfactu, de Narium graveolentia, de Sternutatione nimia, de Hæmorrhagia narium, de Coryza.

Ex primo narium Ulcera quod attinet, habent ea plures differentias. *Narium ulcera.* Alia enim à causis oriuntur externis, ab ictu, casu, vulnere: alia ab internis, videlicet à vaporibus vel humoribus acris aut malignis, sive ii ab inferioribus parti-

Partibus ad nares sursum efferantur, ut in lue sit Venerea; sive à cerebro, aut à toto corpore eò expellantur. Apicitia etiam salsa in catarrhis nonnunquam ulcuscula narium excitantur, quæ sponte sua facile sanantur. Postea ulcera in se considerata alia recentia sunt, alia vetusta: atque hæc etiam vel crustosa sine sanie, vel sordida, vel putrida ac virulenta, vel corrosiva, vel fistulosa, vel cancrofa. Paulus & γλυκία, id est, dulcia quædam ulcera nominat, fortassis ab humore benigno, & non ita erodente, quarum curationem etiam Avicennas tradit. Denique quod ad partem affectam, alia externa sunt, & oculis exposita; alia interna, in intima narium parte, vel in osse ethmoide, vel in processibus cerebri, qui nervis colore & figura similes organum olfactus statuuntur.

Signa ulceris narium.

Signis verò discernenda sunt narium ulcera cum inter se, tum ab aliis narium affectibus. Recentia enim ulcera sæpe nec dolore nec acrimonia sese produnt. Nares tamen frequenter ichore sanguineo madent, aut crusta sicca & niger emungitur. Dum crustula diutius hæret, perpetuo sub ea aliquid exeditur, quod ulcus maius efficit. Vetustius & putridum ulcus, quod Ozæna vocatur Græcis, factorem de se emittit, ita ut æger cum sibi, tum aliis terri spiritus vapore molestus sit. Si diutius duret, paulatim serpit longius, & vel alas narium, vel earum interstitium, vel tenella ossa exedit, paulatimque perforat, maxime si vel canceri speciem habeat, vel à lue Venerea contractum sit. Nam humor pravus

& malignus veneni instar carnem & ossa corrumpit, ac sæpe ista prius, quam carnem. Tenuitate vero sua carnem, quæ rara est, & foraminibus quasi pertusa, facile transit, sine insigni primum offensione; os verò, quod densitate sua magis resistit, aggreditur, atque in eo hærens erosionem efficit. Recentibus ulceribus, nõ adeo pravis aut malignis, neglectis, caro plerumque enascitur, quæ σάρκωμα narium appellatur. Caro illa aut mollis est, alba, & doloris expers, aut rubra, aut denique livida cum dolore, quæ in cancerum degenerat. Si in eam longitudinem excrescit, ut vel è nare foras propendeat, vel per palati foramina in fauces illabatur, Polypus dicitur; de quo postea.

Jam ut speciatim de Ozæna dicamus, ulcus illud est narium putridum & graveolens, sicut & nomen ὄζον τῆς ὀζηνῆς accepit.

Causa proxima acris est humor, simul & putridus. Nam, ut Galenus inquit, in 3. de s. m. f. cap. 3. si humor saltem acris esset, ægre curabilia ulcera produceret, non graveolentia. Causa antecedens est cerebri intemperies humores eiusmodi coacervans, aut venarum in toto corpore intemperies talis, quæ capiti communicatur. Interdum occulta viscerum & venarum est malignitas, ut in lue Gallica. Suffumigia etiã è ^{Μενθόλη} Menthole & cinnabrio incaute adhibita, ulcera narium & ozanas excitare possunt; cuius rei quatuor historias recenset Guilhelm. Fabricius, Gent. 2. obs. 23.

Signa Diagnostica.

Vlcera externa oculis conspiciuntur; interna & occulta ex effluente sanie & crustis deſcendentibus cognoscuntur.

Munda, ex laudabili sanie; sordida, ex crassiore; putrida, ex fæore; corrodentia, ex sanguinis cum saniei effluxu; cancroſa, ex cancri signis cognoscere licet. Si processus ipsi cerebri affecti sint, olfactus impeditur.

Ozæna in specie cognoscitur extro odore ex putredine contracto, qui & ipsi ægro & astantibus molestus est. Olfactus etiam sæpe læditur, instrumento olfactus male affecto à vapore, quem sanies putrida de se emittit. Et si malum sit diuturnius, & cartilago narium inter sepimentum erodatur, narium figura vitiatur.

Læditur & respiratio, quia ab ulceris crusta nares obstruuntur: interdum etiam narium figura distorquetur. Vitiatur & vox quandoque, eadem de causa, & malum palato communicatur, sub quo tanquam sub testudine sit vocis reflexio. Interdum & narium hæmorrhagia coniungitur, vasis narium ab ulcere erosis.

Prognostica.

1. Narium ulcera omnia curatu difficilia, & plerumque cacoethe sunt; ob humiditates & excrementa cerebri ad partem hanc defluentia.

2. Vlcera narium suspecta sunt, propter symptomata, quæ secum afferunt, quæ modo recensuimus.

L. I.

3. Etsi narium ulcera externa, superficialia, recentia, munda, facilius curantur: occultata tamen, profunda, antiqua, immunda, crustola, fistulosa, ossibus narium, & quæ in primis, communicata, difficulter, putrida, corrodentia, cancroſa, periculosa, plerumque existunt.

4. Vlcera & ozæna narium, si omnibus recte administratis non curentur, pro desperatis habentur: quia suspicio est, ne talia in cancrum degenerent, quem satius est, non attingere.

5. Si ozæna contumaciter pro ratione resistunt, odoratum extinguunt ulcere ampliato, & fæore contagiosa putredinis ad cerebrum serpente.

Indicationes & Curatio.

Quæ alia ulcera indicationes suppe-^{Curatio.} ditant, eadem in narium ulceribus observanda. Propterea primo totius corporis ratio habenda, & humores superflui venæ sectione, cucurbitulis, vel purgatione evacuari, & à capite omnibus modis avertendi, caputque ipsum, quod fons est fluxionis, exsiccandum & roborandum. Postea ad partem ipsam affectam accedendum, ulcusque detergendum, exsiccandum, & consolidandum. Estque observandum, quod semper ozæna desiccanda sunt medicamentis mixta facultate prædiis, repellentibus, seu adstringentibus & discutientibus. Etsi enim ulcera illa ab humoribus excitentur acris, qui potentia siccis sunt: tamen actu iidem sunt humidi; quam humiditatem tolli oportet.

℞ b b b b b

Caput

Caput itaque, ut Celsus docet, *lib. 6. cap. 8.* usque ad cutem tondeatur; assidueque fricetur. Deinde imponatur oleum myrrinum, pulvis coralliorum & santalorum, rosarum rubrarum siccar. mastich. manna thuris cum acetore penetrationis causa. Imponantur etiam alia medicamenta ad exsiccandum humidum caput supra, *parte 1. proposita. Alexander Trallianus lib. 3. cap. 8.* hoc utitur:

Rz. Myrrha,

thuris, an. Drach. ij.

cochlear. integrar. num. v.

addita f. q. ceræ & albumine ovorum duorum cum linteo capiti inducantur, diebus novem continuis.

Vel *R. Limacum num. vij.*

crustæ panis siliginei tostæ

Vnc. j.

Contundantur, & admisceatur

puly. balaustior.

rosar. rub. an. Drach. f.

gummi sandarach. Drach. j.

thuris,

mastiches. an. Drach. ij.

album. ovar. num. ij.

Contundantur, & f. fa.

Cataplasma.

Ad partem affectam postea, hoc est, nares ipsas quod attinet, interdum crusta ozæ prius auferenda est; quod fit aliquo pingui, ut anserino adipe, vel butyro recenti illito, loto prius aliquoties cum aqua rosarum, vel decocto plantaginis. Celsus mel cum exiguo resinæ aut terebinthina in nares iniicit, & spiritu succum attrahere iubet, donec in ore gustus eius sentiat.

Ita enim crustæ resolvuntur; quæ per sternutationem elici debent.

Crusta remota ulcus dimovetur eluendo cum saccharata aqua, aut cum vino albo, vel vino, in quo mel incotum sit, vel vino decoctionis verbenæ aut agrimonie cum melle. Illinantur postea, vel inspergantur in nares, quæ adstringendo & desiccando glutinant. Ita Celsus puris ulceribus primo vaporem aquæ calidæ subiicit; deinde adhibet lycium vino dilutum, vel mentha aut marrubii succum, vel omphacium, horum cuiusvis mel adiciendo; eaque cum linimento oblongo in nares immittit, per hyemem & verbis quotidie, per æstatem & autumnum ter. Corpora mollia & delicata, quæ à medicamentorum acrimia usu facile offenduntur, rosis aridis contusis & linteis sanantur. In divitibus in curatione ozæ Galenus, *3. de compos. med. secund. loc. hedychrom* in vino generoso solutum adhibet. Galenus calaminthæ succum nares infundit, vel tritam herbam instat; aut malorum punicorum succum in vase æneo usque ad medietatem coctum indit.

Vel *R. Hordei non excocti. M. j.*

fol. lapath. M. ij.

aq. q. f.

F. Decoctum, quo crustæ detergantur. Ablatis crustis

R. Succum granatorum,
& misc. cum melle. Deinde add.

boli Armeni;

C. Cussi prepar. an. Drach. j.

cortic. granator. Drach. f.

Misc.

Vel

Vel R. Cortic. granator.

nucum cupressi, an. Vnc. ℞.

fol. scabios. M. j.

Coqu. in aqua ℞. j. Colaturæ adde
mellis despumati Vnc. ℞.

Postea usurpetur Unguentum de
tertia.

Vtilis est & aqua aluminis destillata,
& aqua plantaginis, in qua aliquid de
Mercurio dulci dissolutum sit. Pro-
dest etiam medicamentum ex cerussa,
thure, cadmia, & scillæ interiore parte
confectum, si hæc omnia cum melle
miscantur, & cum specillo lana invo-
luto ulceribus, remota iam crusta, ad-
moveantur, & linimentum demum
hisce remediis impletum in nares inda-
tur quotidie bis aut ter.

Sequens etiam siccandi & consoli-
dandi vi præditum est:

R. Flor. rosar. rubr. p. ij

belustior. Drach. ℞.

rad. tormentill. Drach. ℞.

fol. plantagin. p. iij.

Coq. in aqua communi pro Vnc. iij
in quibus colatis dissolv.

mell. rosar. col. Vnc. ℞.

omphacii Drach. vj

Misc.

Sumatur specillum, ejusque cutpis
lana gossypina obvolvatur, & in hunc
liquorem intingat, in unctum ulcere
immitatur, quod bis vel ter in die re-
petendum. Deinde hoc Unguentum
illinatur:

R. Aloes.

myrrha, an. Drach. ℞.

gallar. Scr. j.

ambargyri,

cerussa, an. Drach. ℞.

plumbi usi & loti Scr. ij

Cum olei rosar. q. f.

F. Unguentum.

Fortius erit, si aliquid aluminis adii-
ciatur. Rondeletius ad exsiccandum
utitur candela ex cera rubra confecta,
cuius accensæ fuliginem naribus exci-
pere iubet. Ita enim profundæ etiam
partes exsiccantur. Idem & hoc habet:

R. Ladani puri,

hypocistidis,

mastich.

myrrha, an. Drach. ij.

styrac. rubr. & calami ℞.

cortic. thuris,

sandaracha,

auripigmenti rubr. an. Drach. ij

Excipiantur cum terebinthina, & fiant
Trochisci, e quibus suffitus fiant in cu-
biculo mane & vesperi.

Vel R. Gummi sandaracha,

myrrh. an. Drach. ℞.

olibani,

mastich. an. Drach. j. ℞.

ladani Drach. ℞.

C. s. q. terebinthina F. s. a. Trochisci.
Possunt. & ex his trochiscis cum cera
rubra candela parari, & fumus ex illis
succensis in loco angustiore collectus
excipi.

Efficax imprimis est Aqua viridis, à
Platero, de curatione oris doloris, de-
scripta, quæ hoc modo paratur:

R. Æruginis aris Drach. j.

auripigmenti Drach. j.

Terantur subtilissime, & coquantur
in vini Vnc. iij. ad consumptionem
Bbbbbb 2 media

mediæ partis : ubi refrixerint , adde
aqua, rosarum.

solani, an. Unc. j. ß.

*Aqua ad
 ulcera : a-
 rium &
 aris.* Efficax est & hæc Aqua, quæ non so-
 lum in ozænis, sed omnibus narium &
 oris fœtidis ulceribus utilis est :

℞. Mellis rosacei Vnc. ij.

Sulph. vivi

aluminis crudi, an. Unc. j.

albi Græci.

summitat. sabine, an. Unc. ß.

spongias sambuci Drach. j.

fol hyperici,

ruta,

rosæ marini,

plantaginis,

salvia,

pulegii, an. M. ß.

Coquantur omnia in vini & aquæ
 lb. ij. ad consumptionem digiti trans-
 versi, sub finem add.

aruginis aris Vnc. j.

Et relinquuntur, donec refrixerint,
 postea colentur & servantur usui.

Tempore usus in cochleari calefiant,
 & penicillo aqua madida locus ex-
 ulceratus illinatur, vellana mollis, aut
 linteum eamadidum, naribus immit-
 tatur. Vide Guilielm. Facicum,
loc. allegat.

*Vlcera cor-
 rosiva cu-
 ratio.* Si suspicio sit inflammationis, usur-
 petur unguentum de cerussa, cum mel-
 le, aut cum adstringente aliquo oleo, ut
 myrtino vel omphacino.

Si corrosivum sit ulcus, validiora
 pro abstersione usurpentur, ne pro-
 fundius depascatur, ut aqua marina,
 muria, aqua nitri, acetum salitum, vi-
 num salitum, ligni Guaiaci decoctum,
 in quibus parum unguenti Ægyptiaci

dissolvi potest. Inulcere antiquo valet
 hoc Aëtii :

℞. Lithargyri,

cerussa, an. Drach. iij.

plumbiusti & loti Drach. ii.

myrrha,

aloes, an. Drach. j.

gallarum Drach. ß.

Vino & oleo myrtino dilutis utere,
 quod & ad sedis rimas & ulcera utile est.

Fortiter exsiccat & conglutinat hoc
 medicamentum :

℞. Putamin. interior. mali Punici, Vnc. j.

thuris,

myrrha, an. Drach. j.

tragacantha Scr. ij.

gallar.

osium dactylorum,

myrobalanorum,

Persicorum, omnium usorum,

an. Scr. ij.

chalcanti Drach. ß.

Trita omnia subigantur in morta-
 rio fortiter tundendo, addendoque
 mellis & vini odorati q. s. donec Lini-
 menti formam acquirant.

Si dolor ulceribus narium coniun-
 gitur,

℞. Olei rosar.

myrtini, an. Drach. ß.

plumbiusti,

lithargyri, an. Scr. j.

cerussa,

boli Armeni,

balaustrorum, an. Scr. ß.

cera alba q. s.

F. Vnguentum.

In contumaciore malo corpus usu de-
 coctionis ligni Guaiaci præparetur &
 munderetur.

Dieta.

In victu vitentur omnia, quæ acres & biliosos succos gignunt, causæ item omnes calefacientes corpus & exciccantes, ut exercitia immoderata, vigilia, animi affectus. Historiam Ozænæ gravissimæ cum ossis palati erosione feliciter curatæ vide apud. Guil. Fabricium, *Cent. 2. observ.* 22.

CAPUT II.

De Cancro narium.

VLcera narium quandoque in cancrum degenerant; ut & polypus, si non recte curatur.

Cognoscitur ex signis cancri alias notis: caro est callosa, sicca, malumque ad palatum usque serpit:

Morb^{us} hic in naribus vix curabilis est, sed præmissis universalibus, & bile atra evacuata, mitigantia saltem requirit. Adhibenda ergo oleum rosaceum modico camphoræ addito, solani succus. Antiqui dracuntii semen tritum cum melle immittebant, vel hanc Mixturam:

℞: *Minii,*
chalcitidii,
sandarachæ, an. P. j.
atramenti futorii P. ij.

Vtile est & hoc Medicamentum:

℞: *Succi solani* Vnc. ii. j.
pompholyg. Drach. j.
serussæ lota aq. rosar. & iterum exsiccat. Drach. β.

M. paucò oleo rosaceo adjecto, & cera alba liquata, in mortario plumbeo cum pistillo plumbeo. Chymici, ut

ad aliarum partium, ita etiam ad narium cancrum; commendant Liquorem Arsenici, qui ita paratur:

℞: *Arsenici albi,*
nitri puri, an. q. v.

Fluant simul in tigillo in igne circulari posito, cavendo fumum: (ideoque sub dio ventum observando commodissime fit hæc operatio,) ubi refrixerint, tantundem nitri iterum addatur, idque bis vel ter repetatur.

Arsenicum hoc modo fixum in humido loco resolvitur in liquorem. Humius paucillum, ut gustu saltem saporum percipiatur, in aqua plantaginis dissolvatur, qua cancer oblinatur.

Aliquando processus mamillares desunt; de quo postea, *cap. 6.*

CAPUT III.

De Polypo & Sarcomate.

Sicut Ozæna ulcus est narium, ita *Polypus*, Polypus tumor quidam & excrementia: ancrofa est in naribus. Nomen, ut Galenus, 2. *meth. med.* docet, accepit, sicut & alii nonnulli morbi, à similitudine rei alicujus extrinsecæ, à carne scilicet, Polypi, quam substantiæ suæ proprietate refert; ut idem explicat, 3. *de compos. medic. sec. loc. cap. 3.* Etenim mollis & lubrica hæc caro est, coloremque, ut piscis ille, alium atque alium habet, pro natura humorum, è quibus gignitur. Et, quod Paulus addit, *lib. 6. cap. 25.* sicut Polypus scirrhis vel pedibus suis venatorum manusprehendit: ita hæc excrementia radice,

Bbbbbb 3 tan-

tanquam pediculo uno, vel pluribus, sese ita in naribus affigit, ut ægro & respirationes & loquelæ usum expeditum adimat. Nas enim interna tunica ira humore repletur, ut enata hinc carò à tenui pediculo suspensa in latum & crassum sese extendat, & speciem hanc Polypi ventre amplo, rotundo & oblongo repræsentat. Arabibus Hæmorthis est narium, à similitudine excrefcientiarum in ano, quas figura non nihil imitatur. Eleganter Polypum sic Celsus descripsit, lib. 6. cap. 8. Est caruncula, inquit, modo alba, modo subrubra, quæ narium osi inheret. & modo ad labra pendens narem implet modo retrò per foramen id, quo spiritus à naribus ad fauces descendit, aded increfcit, ut postquam conspici possit, strangulatque hominem, maximè Austro aut Euro flante, fereque mollis est, raro dura; eoque magis spiritum impedit & nares dilatat, quæ ferè ræxuvòdus est, itaque attingi non debet. Illud ulceris genus fetè quidem ferro curatur, interdum tamen medicamentis inarescit. Hæc Celsus. Breviter; Polypus est caruncula mollis in naribus orta, ex radicibus quibusdam tenuibus pendens, & in latum se pandens, & nunc è naribus propendens, vel eas certè implens, nunc etiam in palatum descendens.

Sarcoma.

Cæterum differt à Polypo sarcoma, ut genus à specie; figura item & magnitudine. Nam sarcoma rudis quadam carnis massa est, certa figura carens, & sæpe in magnam molem excrefcit. Etiam carne à Polypo distat, quoniam durior est, & dolorem infert,

ac nigrescit aut livefcit, ac venas circumquaque crasso sanguine turgidas habet, ac plerumque intus prope viciniam narium & palatum nascitur.

Caussa.

Caussa Polypi est humor crassus & viscidus, qualis est pituita sanguinis portioni permista, è cerebro defluens; quæ cum acris non sit, etiam non exulcerat. Rarius ex humore melancholico oritur, qui Polypus etiam facilis in cancerum degenerat. Quod verò ex narium nutrimento superfluo in carnem quasi luxuriantem commutato producitur, Sarcoma potius, quam Polypus, vocatur.

Differentia.

Differentia Polypi à duritie vel molitie, à nigredine, à figura & colore, à radicis tenuitate aut crassitie, à situ in naribus, à pravitate ad cancerum tendente sumitur,

Prognostica.

1. Polypus, si mollis fuerit & albus, & doloris expers, facilius curationem admittit; subrubeus difficilius. Qui autem fuscus vel lividus est, curationem penè respuit; præsertim si simul lividus & foetidus sit: quoniam cancro est cognatus.

2. Quantò profundius hæret Polypus, tantò est periculosior; quia propinquior est cerebro, & tractationi ac medicamentis minus aptus. Qui verò oculis cernitur, & foris non nihil existit, facilius tractari & curari potest.

3. Po-

3. Polypus ex humore melancholico in corporibus melancholicis *Φυλακιδος* magis, ne in cancrum abeat, quam *Γεεπιδον* desiderat. Hippocrates, 6. aphor. 32. Ideo Celsus quoque illum attingi vetat.

4. Polypus inveteratus, qui cancro nihil habet, chirurgiam admittit. Ita Celsus hunc ferro ferè curavit; interdum usu medicamentorum inarescere.

Indicationes & Curatio.

Universalis corporis evacuatio, ut in omnibus affectibus capitis, ita & hic præmittenda, quæ cum sæpius proposta sit nihil de ea hic amplius addimus. Hinc caput roboretur & exsiccetur admoto cataplasmate ex cochleis, & aliis formulis supra enumeratis, frontalque aliquo epithemate adstringente ad intercipiendam fluxionem applicato. Cucuphæ etiam parentur ex salvia, maiorana, melissæ lavend. betonica, stæchade, nuc. moschat. cayophyll. maci, ligno aloës, thure, mastich. & aliis iam sæpius declaratis. Quod verò particularem Polypi curationem attinet, caro illa præter naturam in naribus genita tollenda & eradicanda. Quod fit vel ferro, vel medicamentis. Et quidem si Polypus ita naribus inhaereat, tenui scilicet pediculo, ut commodè eius sectio fieri queat, statim à radice ferro excindatur; fronti & temporibus defensivo prius applicato, ulcusque, ut par est, curetur; de quibus videatur *Ægineta, lib. 6. cap. 35.* Si quid post sectionem remansit, id me-

dicamentis acutis & escharoticis, vel ferro etiam candente auferunt. Quædam narem discindunt, ut fit in equis, atque ita Polypum ferro resecant, aut cauterio absumunt. Sed tutius est, si fieri omnino possit, Polypum ligare circa radicem filo serice bene cerato, aut pilo caudæ equinæ. Ita enim inter septem aut decem dies sine omni negotio excidit, nutrimento destitutus.

Verum etsi radix Polypi loco penitiori hæreat, ut scalpello eximi non possit: aliò tamen modo per chirurgiam curari potest, quam semel atque iterum feliciter tentavi. Forceps scilicet paratur instar rostrigruini vel anserini Chirurgicis dicti, sed extrema parte acutus, ita tamè, ut in se coire & claudì possit, ut sine læsione in nares immitti queat. Hic forceps clausus in narem usque ad polypum detrudatur, hinc aperiatur, & eo, quantum fieri potest, de polypoprehendatur & abscindatur, ac postea medicamentum aliquod adstringens & exsiccans, qualia postea proponuntur, naribus indatur. Sequenti die iterum abscindatur, iterumque medicamentum naribus immittatur, & ita pergatur, donec polypus totus abscissus & absumptus sit.

Si verò abscissio fieri non possit, eò quod latiori basi naribus inhaereat, medicamentis curatio eius tentanda. Sint autem illa duplicia: alia mitiora, quæ partim adstringunt, partim extenuant & incidunt; partim exsiccant & discutunt: alia erodentia & *εσχαρωτικά*. Quæ per pharmaca mitia fit polypi curatio, in mollibus præsertim corporibus;

Per medicamenta

Curatio
per chirurgiam.

bus; scopos habet ipsum attenuandi, incidendi, exsiccandi. Corpore itaque & capite purgato, caput tondeatur & exsiccecur, roboreturque, ut in ozæna, & supra, part. 1. dictum.

Topica, quæ naribus immittuntur, partim attenuent, partim discutiant, & exsiccent. Galenus ira que, 3. de comp. med. sic. loc. quod & Aëtius; tetrab. f. 2. cap. 29 repetit, ex malis Punicis trium generum confectum medicamentum usurpat, è quibus recentibus contusis succum exprimit, eumque ad medio-crem consistentiam coquit, naribusque infundit, feces expressas conformat in pessulos naribus indendos. Polypum circa mordacitatem absument; etsi longiore tempore. Confert & dracunculi succus cum lana naribus impositus, teste Dioscoride: & ut Aëtius scribit, pulvis rosarum siccarum exactissime tritus mirifice prodest; sicut & pulvis balauftiorum. Confert & succus pomorum, austerorum quidem, si mollior sit polypus; acidorum verò, si durior: qui in mortario æneo diligenter agitur cum pistillo æneo, ut acquirat crassiorem consistentiam. Sæpissime autem talia medicamenta repetenda sunt, nec permittendum, ut unquam pars affecta medicamento vacua sit.

Si polypus aliquantum durus est, nec tamen cancrifus, emollientia præmittantur fots forma, aut linimentum fiat ex medulla vitulina & adipe asnerino, cui progressu temporis aliquid Ammoniaci & bdellii addi poterit. Postea exsiccantia illa & absumentia usurpentur, quæ modò proposuimus. Rondeletius aquam parat ex

aquis adstringentibus & parum corrosivis, ut:

℞. *Vvarum maturarum* ℥. iij.

cortic. malorum granator.

balauftior.

sumach, an. ℥. ij

Macerata in aceto destillentur, postea add.

aluminis ℥. j.

Vitriol. Vnc. iij

Iterum destillentur. Aqua hæc parti affectæ cum linteis applicetur.

Vel ℞. *Terebinth. loræ aqua plantag.*

Vnc. j. β.

succi plantag.

solanis,

acetosæ, an. Drach. v.

sevi hircini Vnc. β.

plumbi calcinati Drach. ij.

lithargyri,

cerussæ,

tutia, an. Drach. j.

camphoræ Drach. j. β.

olei rosacei Vnc. j.

Cum q. cera.

F. *Empastrum.*

Si verò malum pertinax sit, ad validiora & caustica medicamenta accedendum.

Escharotica medicamenta nota sunt, quæ fiunt ex chalcantho, misy, chalcitide, squamma æris cum melle: oleum item vitrioli, vel aqua fortis, unguentum Ægyptiacum. Commendatur & hic Pulvis:

℞. *Pulv. rosar. rub.* Drach. β.

malicorii Scrup. j

lithargyr.

alum. ussi, an. Scrup. j. β.

arugin. gr. v.

M. pro Pulvere.

R. Chalcitidis usta Drach. j.

nitri Drach. β.

succi veronica Vnc. β.

Misce.

Vel R. Vitriolum album, & misce cum aqua rosarum & plantaginis, & polypus eo illinatur.

Vel R. Aq. solani,

rosar. an. Vnc. j.

plantag. Vnc. β.

camphora Drach. β.

cerusse Scrup. j.

Mercurii sublimati gr. vi.

Misc. Efficax ad polypum remedium est.

His producta eschara semper demitur, & denuo medicamenta illa imponuntur, donec radix etiam polypi sit absunta. Sed tentare hæc non licet, nisi in polypo, qui canceri suspicionem caret, & in corporibus durioribus.

Vtilis etiam ad Polypum tollendum est turunda ex radice gentianæ sequenti Vnguento illita:

R. Pinguetinis caponis vel gallina,

butyri recentis,

ol. olivar. an. q. s.

add. cera parum.

F. Vnguentum.

R. Vnguenti huius Vnc. j.

Mercurii sublimati, vel arcani corallini, Drach. β. vel Scrup. ii.

F. Vnguentam, quo turunda ex radice gentianæ illinatur & naribus indatur. Aut si polypus totam nares replet, eo Polypus inungatur.

L. I.

Tutius autem adhibentur medicamenta caustica per fistulam argenteam ita in nares inditam, ut causticum medicamentum in ea inclusum saltem polypum attingat, partes autem nasi sanæ à fistula intactæ conseruentur. Polypus autem niger, cum ad cancerum accedat, curam non vera, sed palliativa tractari debet. Blandiendum igitur illi succo solani vel succo sol. salicis rec. aut aquis earundem, in quibus parum tutiæ dissolutum sit. nec non pulvere eorum insufflato.

CAPUT IIIV.

De Angustia narium.

Nares naturaliter patere debent, *Angustia narium.* non solum in meatu externo, sed etiam intras ad os ethmoides, ut odoribus transitus ad primarium olfactus organum pateat. Hi verò meatus cum interni, tum externi interdum angustiores redduntur. Angustia autem causa est *θλίψις*, id est, compressio à causa aliqua externa, ut ab ictu seu contusione; aut *πύκνωσις*, id est, constipatio, facta à tumore aliquo præter naturam, ut à phlegmone, scirrho, cancro; aut *ἐμφραξις*, seu obstructio, quæ vel à carne aliqua excrecente fit, ut à sarcomate, & polypo; vel ab humore crasso & viscido ad nares, & foramina membranæ, quæ os ethmoides intus subducit, destillante, seu putrido, seu non putrido, ut in coryza & catarrho; vel à materia purulenta, ut in ozæna; vel à vermibus è materia putrida genitis; vel à grumo sanguinis, ut in hæ-

Ccccc

mor-

morrhagia narium accidere solent. Nonnunquam etiam res externæ, ut pisa, & similia, ab infantibus, incaute naribus introduuntur.

Curatio.

Si nares à materia è cerebro effluente obstruantur, & catarrhus adhuc duret, is primo tollendus, & caput curandum. Capite mandato & curato, meatus obstructi attenuantibus medicamentis aperiendi, quæ forma sufficienti, liquoris, pulveris adhiberi possunt. Pulvis nimirum ex agarico, semine nigellæ & maioranæ, naribus excipiatur.

Vel. ℞. Aq. maioran. Unc. iij.

aceti Unc. ℞.

Suspendatur in ea

pulveris nigellæ Drach. j.

Acetum etiam, in quo castoreum infusum sit, naribus attrahere utile est. Alia quoque erthina supra part. 1. proposita hic locum habent. Vel olfactenda assidue adhibeantur calamintha, serpillum, semen nigellæ aceto maceratum, castoreum.

Si ex sarcomate vel polypo sit obstructio, curatio instituenda ut modo dictum.

Si quid extra in nares immisissum sit, extrahendum ut res auribus immissa.

CAPUT V.

De Vulneribus narium.

Narium
vulnera.

Si nasus vulneratus sit, ut alarum, Spartium vulnera curandus. Hoc

tamen monendum, si pars illa anterior, quæ cartilaginea est, ita vulnerata sit ut parumriso cohereat, mox sutura, sive ea acu, sive glutino fiat, pro ut commodius videtur, cum reliquo naso conjungenda, ne pars abscissa refrigeretur & emoriatur. Cartilago tamen ipsa acu non est perforanda. Cavendum etiam in nasi vulneribus penetrantibus, ne excresecientia aliqua carnis in parte interna oboriatur, quæ meatum illum angustiosem reddat, & sermone depravet. Ideo quæ turunda convenienti unguento illita nari indenda; aut emplastrum in formam canalis vel fistulæ efformatum. Si autem externa pars nasi planè amputata sit, reparari illa nihilominus potest, sicut de curtorum Chirurgia in Institut. lib. 3. part. 1. sect. 2. cap. 15. dictum.

CAPUT VI.

De Læso Olfactui.

Quantum verò ad symptomata, ^{Olfactui} quæ naribus accidunt, & quæ ad ^{læso.} actionem læsam pertinent, quemadmodum aliis functionibus in corpore accidit, ura causa aliqua præternaturam vel minuatur, vel planè aboleantur, vel depraventur; ita idem etiam odorandi facultati evenit, quoties organo aliquid accurrit, quod naturalem eius constitutionem pervertit, aut aliena qualitate perfundit.

Quod autem Olfactus organum sit, & quomodo olfactus fiat, in Institutionibus dictum, quod hic non repetimus. Ex illis autem facile patet, quomodo

modo lædi olfactum contingat, quod fit, ubi aliquid vel in meatibus externis vel ossi *ἠθμοειδῆ*, vel membranis huic ossi, nariumq; internis anfractibus substratis, ac ipsis quoque cerebri meningibus, vel processibus denique nervis cerebri occurrit, quod impedit, quò minus odor à sensu olfactus percipiatur. Neque enim ad unum morbi genus hæc læsio referri potest, sed similis morbus est, ubi ab intemperie hoc malum nascitur; morbus compositio- nis in via, ubi ab ictu, contusione, vel vulnere.

Causse.

Aboliti ol-
factus
caussa.

Causse aboliti olfactus est intempe- ries, præferim frigida & humida, cum materia plerumque pituitosa conjun- cta, ut in coryza & catarrho evenit. Et intemperies quidem aut in cerebri anteriore parte, aut processuum illo- rum nervorum, qui olfactus organum statuuntur. Angustia verò, quæ mor- bus est instrumenti, est etiam aut cere- bri, sicut fit in apoplexia, ubi spiritus animales ad organa sensuum permea- re non possunt, aut processuum cere- bri, aut n. sui interni, & ossis *ἠθμοειδῆ*s, atque membranæ huius, aut denique nasi externi: de cuius causis capite præcedente dictum. Hoc saltem ad- huc de obstructione parium monen- dum, interdum post catarrhos olfa- ctum ita aboleri, ut toto vitæ tempore vix recuperari possit. Quod fit præ- cipuè, cum quis coryza laborans bal- neum incautè ingreditur, cuius calore materia catarrhi & pituita ad forami- na ossis *ἠθμοειδῆ*s induratur, ut postea

vix amoveri queat: unde meatibus il- lis obstructis permanentibus olfactus plane aboletur. Quibus verò in ex- tremæ virium imbecillitate, & mortis articulo, olfactus perit, iis hoc accidit ex resolutione spirituum animalium, ob quem & cæteri sensus omnes & vi- ta tandem extinguitur.

Tandem etiam aboliti olfactus caus- se esse potest defectus processuum ma- millarium; id quod cuidam ex nimio Nicotianæ per fumum usu, ex obser- vatione D. PAVII, Anatomici Leiden- sis, Neander accidisse, in *Tabacologia*, refert.

Eædem imminuti olfactus causse *Imminuti olfactus* sunt, minus tamen vehementes, quibus *caussa.* additur partium huic sensui inservien- tium debilitas, sive nativa, sive ætatis decursu acquisita; ut in senibus; & ma- la etiam ab ortu conformato.

Depravati olfactus causa est, dum *Depravati olfactus* vapor putridus continèter nares ferit, *caussa.* sive in ipsis scaturiens, sive à cerebro, gingivis, ventriculo, aliisq; partibus eo delatus; cuius ratione contingit, ut om- nia ægro etiam quæ suaviter olent, fatere videntur: sicut, quibus lingua bile suffusa est, omnia amara esse pu- tant; ut Galenus declarat, 1. *de symp. causis cap. 4.* Potest & humor pravus esse processibus nervis impactus, qui efficit, ut sætidis æger delectetur, aut certè ab iis non offendatur, propter al- suetudinem; sicut cloacarum munda- tores oletæ, ut & alia sætida non senti- unt; quoniam organum olfactus spe- cie sætorum iam repletum est, ut novi sætores accedentes illud immutare ne- queant; cum ad perfectam *αἰσθητικὴν*

organum ab aliis suis obiectis denudatum esse oporteat.

Signa Diagnostica.

Si olfactus læsio causam habeat in cerebro sive intemperie affecto, sive à materia obfesso, cognoscitur id, quia noxa etiam aliis sensibus communicatur. Ferè etiam alias gustatus offenditur, quod in gravedine sive coryza manifestum est, propterea, quod ab eodem tertio nervorum cerebri partemissæ propagines quædam tenuiores narium tunicam, crassiores aliæ linguæ tunicam efformant. Et omnino aliquis olfactus & gustus consensus est. Novi belli ducem, cui olfactus iam multis annis periit. Is tamen, si quid valde odoratum & fœtidum offerretur, dicit, se gustu quasi odores percipere; unde etiam exspuere, & os vel faciem avertere, & quandoque nauseam percipere solet. Si causa est in processibus nerveis solis, nulla in cerebro & cæteris sensibus læsio percipitur, præterea nec vox obscura est, nec respiratio difficilis; id quod contingit, quando in osse *ἰθμοειδῆ*, vel in ipso naso est obstructio. Nam ut nares respiratio- ni, ita voci simul inserviunt. Quæ etiam sit materia obstruens, dilatatis ad lucem naribus non nunquam cerni potest; utram scilicet tumor præter naturam, an caro vel pus, vel crusta, vel vermis, vel grumus sanguinis. Si in apostemate narium pinnæ earundem frigidiores & sicciore fiant, periculum est à cancro. Intemperies cerebri vel organi olfactus ex sensu caliditatis vel frigiditatis, ex causis antegressis, ex in-

vantibus & lædentibus, ex eo etiam, quod nihil per nares destillat, æstimatur. Hùmor obstruens ex gravitate, & si quid de hoc effluat, è colore, odore, consistentia, specie noxæ impressæ cognoscitur. Si inflammatio adit, febris ferè adest, dolor, tensio, gravitas.

In depravato a fœtida materia olfactu, si materia illa in cerebro, aut processibus nerveis sit intra cranium, ab ægro non percipitur; adstantes tamen fœtorem sentiunt. Si extra cranium materia consistat, tam ægro, quam adstantibus ille odor molestus est.

Prognostica.

1. Olfactus læsio à destillatione humoris, vel obstructione sola proveniens facilius curatur; & ferè olfactus læsio ob catarrhum catarrho cessante cessat; difficulter, quæ à confirmata organi dyscrasia existit. Non corrigitur, quæ à natura contracta est, maxime per malam narium conformationem, ut & quæ à senio vel alio morbo chronico provenit olfactus abolitio.
2. Fœtor olfactum ex putredine offendens ferè argumento est affectionis ægrè curabilis. Nam locum à materia maligna insigniter esse affectum significat.
3. Quando æger in morbis acutis odores non consuetos sentit, odorabili re nulla præsentente, qualis est odor piscium, luti, butyri, aut similibum, & mala signa adsunt, mors imminet; teste Avicenna.
4. Olfactus læsio non negligatur, præsertim dum cerebrum materia est oppletum, quia sequi potest carus, apoplexia,

plexia, epilepsia, humoribus ibidem auctis, cerebrique meatus occupantibus, ut spirituum animalium transitus impediatur. Id quod maximè fit, quando æger pleno cerebro superius noctu cubat.

Indicationes.

Morbi cerebri quid indicent, ex superioribus clarum. Processus cerebri nervi si intemperie laborant, indicant alterans per contraria; si obstructione ex humore crasso & lento, attenuans & detergens. In externis narium partibus, quid gravedo, aut inflammatio, aut tumor aliquis præter naturam, aut polypus, aut vermis, aut grumus sanguinis indicent, per se est notum.

Curatio.

Itaque si læsio olfactus ortum habeat ab intemperie cerebri, corrigitur contrariis, eo modo, sicut supra, parte 1. dictum. Si obstructio sit ab humore frigido & crasso, sicut plerumque est, præmissa eius præparatione & evacuatione, eaque aliquoties repetita ad particulares capitis evacuationes veniendum, ut pituita ex capite educatur; id quod fit apophlegmatismis, gargari- smis, errhinis & præmicis, ut etiam supra, parte 1. dictum. Sint autem sol- ventia illa obstructiones moderata, ne nimia caliditate & siccitate organum olfactus lædant; aut inflammationem excitent in membranis narium, aut humores nimis incrassent. Ut pauca saltem addamus; in pueris convenit aqua & succus majoranæ, chamæmeli,

abrotani, origani in nares infusus. Narium radix inungatur butyro aut oleo amygdalarum dulcium, aut mucilagine sem. althææ, malvæ, cydoniorum aut pinguedine gallinæ vel anseris. In adultis succus betæ, imprimis verò semen nigellæ quocunque modo usurpatum utile est, ut & castoreum, & omne fel immixtum: imprimis masticatio radicis papaveris rhæados prodest. Fortiora & efficaciora sunt succus cyclaminis, ceparum, chelidonie minoris iniectus: pulvis elaterii, tabaci, euphorbiæ, & gummi gotte insufflatus, &c.

Inprimis Sternutatoriis utendum & primo quidem lenioribus, deinde fortioribus, quale hoc est:

℞. Fol. tabaci Drach. j.
radic. helleb. albi Drach. ℞.
elaterii gr. viij.
piperis longi gr. jx.
gummi gotte Scrup. j.

F. Pulvis.

Alii solam radicem cyclaminis recentem pro nasali induunt.

Nonnulli narium olea destillata admovent.

Exempli gratia:

℞. Ol. nuc. mosch. express. Drach. ℞.
destill. cor. citri Scrup. j.
maiorana Scrup. ℞.

Misc.

Quidam nares balsamo ruta, majoranæ, succini, & castorei inungunt.

Intus commendatur acetum scillit. quotidie ieiunis trium cochlearium mentura assumptum, ex Aëtio; castoreum item & theriaca.

Commendatur & extr. majoranæ, singulis diebus mane & vesperi, ut &

Sal eiusdem vel per se gr. vi. vel vij. pondere in vino propinatum, vel cum extracto permixtum. Profunt & balsamum & oleum maioranæ, gut. ij. vel iij. pondere sumta. Commendantur etiam sequentes Rotulæ:

℞. *Extract. maioran.* Drach. ℞.

vel olei g vi.

essent. pulegii Drach. ij.

sacch. optim. in aqua maiorana

dissolventi Unc. iij. ℞.

F. l. a. Confin Rotulis, quæ illinantur.

ol. distill. nuc. mosch. gutt. viij.

Nonnulli, si malum aliis remediis non cedit, retractionem materiae suadent ad frontem, illinendo fronti unguenta calida ex succo chelidoniae, scillæ, pyrethro, euphorbio, oleo laurino & ceræ: vel raso capiti sinapisinum applicant, usque ad frontem & nasum, ex Aëtio. Quæ si non ferat æger, ad thermas ducatur, ubi stillicidior supra futura cetonali utatur. Si olfactus læsio sit ab humore aliquo præter naturam, vel à carnis excrementia, vel ab ulcere, illa suam peculiarem curam habet.

CAPUT VII.

De Fætoze narium.

Fætor narium.

Molestum etiam est symptoma fætor narium. Ille equidem ab ipsis ægris non percipitur. Cum enim odoratus organum læsum, & humore fætido infectum & occupatum

sit, fætozem illum non percipit. Astantibus verò fætor ille molestus est: unde ii colloquia & conversationem talium averfantur.

Causæ.

Causa proxima est vapor putridus. Emittitur autem vapor ille vel proxime ex ipsis naribus, cum aut humor putridus in toto aut interiore parte cerebri continetur, aut putredo est in osse *Idmoideæ*, aut polypus, ozæna, aut ulcus sordidum in naribus vel per consensum aliarum partium excitatur, dum aut ex ventriculo, aut thorace fætidus vapor elevatur, & nares transit.

Signa Diagnostica.

Fætor narium ipse ab astantibus percipitur. Quod verò materia fætoris causæ contineatur in naso, vel cerebro naribus vicino, cognoscitur ex eo, quod æque post & ante cibum fætor percipitur, & si nares claudantur, fætor talis non percipitur. An verò à polypo, sarcomate, ulcere proveniat, facile visu potest discerni. Si verò à partibus inferioribus vapor ille proveniat, assumpto cibo non ita fætor molestus est, cum vapores illi fætidii à cibo deprimantur & temperentur. Nares quoque si claudantur, ex ore idem fætor exhalat. An verò pulmones affecti sint, aut ventriculus laboret, suis signis dignoscitur.

Prognosis.

Prognostica.

1. Fætor qui est per consensum inferiorum partium, facilius curatur, quam qui ex ipsiſ naribus aut cerebro est.

2. Fætor ab ossibus narium corruptis vix curatur.

*Indicationes & Cura.**ratio.*

Si fætor sit ab humoribus putridis, vel in cerebro & processibus nervis, vel circa os & *Spuedes*, præmissis universaliſibus & evacuationibus & revulsio- nibus per errhina caput evacuatur, tandemque ea adhibeantur, quæ ab- stergunt quicquid humoris corrupti naribus inhæret, & quæ suavem odorem conciliant. Abluantur ergo na- res vino albo odorato, vel vino in quo myrrhæ, rosæ, cyperus, lignum aloës cocta sint.

Vel R. Myrrhæ,

cinamomi, an. Drach. f.

rosar. siccar. Drach. β

Excipiantur melle deſpumato,

F. Linimentum.

Vel R. Spica,

gallie moschata,

caryophyllor. an. p.æq.

Coq. in vino, quod naribus exci- piatur.

Vel R. Hierapicra,

schœnant. an. Drach. i. β.

vini q. s.

F. Glândes, & naribus immittan- tur.

Vel R. Fl. rosar. rubr. p. i. β.

spica nardi p. i.

rad. cal. aromar. Drach. i.

cinamomi,

caryophyllor. an. Drach. β.

macis,

nuc. mosch. an. Scrup. i.

Coqu. in vino albo odorato pro Vnciis.

In Colat. dissolv.

extr. calami arom. Scrup. β.

ligni aloës gra. iii.

Misc.

Vel R. Fol. maioran. M. l.

rad. gly. yrrh. Drach. ii.

Ebulliant in aq. s. pro Vnc. iiii. & colentur. Ol. etiam myrtinum naribus inunctum utile est. Suavem odorem conciliat vinum, in quo gallia moscha- ta dissoluta, quo nares & os colluan- tur.

Si fætor sit ab ulcere aliquo narium, succus foliorum hederæ naribus attra- hatur.

Si ab ozæna vel polypo sit fætor, iis sublatis & ipse cessabit.

Si à ventriculo vel pulmonum vitio sit fætor, eo ablato is cessat. Ad fæto- rem tamen narium, qui stomachi vitio fit, commendantur à nonnullis mala- Perſica, item radices eryngii per se vel conditæ.

CAPIT. VIII.

De Hemorrhagiana- rium.

Nares etsi sint propriè odoratus gratia factæ: tamen & alios usus habere supra diximus. Et quandoque etiam natura sanguinem vitiosum per nares effundit, vel à venis & arteriis imam

Imam cerebri sedem perreptantibus, vel à vasis è palato ad nares descendentibus, quæ instar obtinent venarum hæmorrhoidalium in ano & utero.

Hæmorrhagia.

Vocabulum autem *αιμορραγια* sæpe apud Hippocratem simpliciter sanguinis profluvium significat, ex quacunque parte is fundatur, præsertim tamen copiosum & liberale. Interdum non additis partis nomine de ea usurpatur, quæ per nares fit, sanguinis eruptione, teste Galeno, in 1. Epidem. comm. 1 aph. 9. Et in 6. Epidem. comm. 3. aph. 15.

Hæmorrhagia narium.

Est autem hæmorrhagia narium symptoma in genere immodicè excretorum, & quidem toto genere p. n. cum natura alias sanguinem tãquam thesaurum vitæ diligenter asservare studeat. Succedit hoc symptoma interdum alii symptomati, actioni scilicet læsæ, quæ est venarum retentrix debilitata, interdum morbis, quibus resorantur, scinduntur, rarefiunt vasa sanguinem continentia.

Causse.

Quod ergo ad causas hæmorrhagiæ narium attinet, fit illa per vasorum vel *αινασµωσιν*, vel *διαρρεσιν*, vel *διαπήδησιν*.

Αινασµωσις.

Αινασµωσις est osculorum in vasis paulò majoribus apertio, à causis, vel externis, ut calidorum & acrium illitu, irritatione expultricis, ac titillatione, dolore, vel internis, quæ sunt primò vasorum *ἀπορία*, sive imbecillitas & mollities: secundò sanguinis aut copia, fusi calore, ira, motu corporis immoderatiore; aut prava qualitas, hoc

est, eiusdem tenuitas, fervor, acrimonia, putredo in febris ardentibus; tertio facultatis retentricis imbecillitas, ut vasa à modici etiam sanguinis copia aperiantur, aut expultricis irritatio à copioso sanguine, vel vicioso in cacochymia seu biliosa, seu melancholica; denique natura criticè ac utiliter expellente id, à quo molestiam sentit; quod in acutis nonnunquam fit morbis, in quibus viciosi humores cum sanguine miscentur. Ita febris synochus, & caufus, & epatis inflammatio, & morbilli ac variolæ, & phrenitis & angina, per hæmorrhagiam narium terminari solent. Interdum & pleuritis, rarius peripneumonia.

Διαρρεσις est vasorum divisio, quæ fit aut ab erodentibus, per *ἀναβρωσιν*, aut seu erosionem, ab humore videlicet acri, à vehementi medicamento, interdum & ab hirudine narium per nati- tionem in paludibus attracta; aut à vulnerantibus secando, pungendo; aut à contudentibus, ut ab ictu, casu; aut denique à rumpentibus, quibus vasa nimium distenduntur, ut nisi vehementi saltu, cursu, quò etiam pertinet sanguis fervidus in flatus solutus.

Διαπήδησις soluta est vasorum continuitas, per quã sanguinis è venis quasi transcolatus, aut sudoris modo transmissus effluit. Id quod contingit vel vasorum tunica rarefacta, ipsoque sanguine attenuato, vel gracilium vasorum ore adaperto; ubi etiam sanguis cum impetu & copia non emanat, sicuti in vasorum per *αινασµωσιν* apertione.

Disse-

Differentia.

1. Hæmorrhagia narium alia est critica, quam natura gubernat & moderatur, expellens ea, quæ sibi noxia & molesta sunt; alia symptomatice, quæ non naturæ, sed morbi, aut potius causæ morbificæ opus est, ideoque certo modo a natura non gubernatur.

2. Alia è vasis fit ipsarum narium, alia è venis & arteriis cerebri, in eius præsertim basi. Non semper enim sanguis ex venis capitis ad frontem tendentibus fluit, sed sæpe è vasis à tertio crassæ meningis sinu prodeuntibus gracilioribus. His enim dehiscen- tibus largæ nonnunquam & periculosa hæmorrhagiæ oriri solent, ita ut Bauhinus, in *Theatro Anatom. libr. 3. cap. 8.* ex hisce venis apertis 24. libras sanguinis aliquando effluxisse, observatum esse scribat. Atque in tali narium profluvio, ut non sine ratione idem monet, non fronti, sed parti cranii posteriori, occipiti nimirum, topica remedia revulsionis causâ adhibere accommodatissimum est. Per sinus enim posteriores sanguis ascendit, antequam in tertium deriveret. Hinc legimus, Hippocratem, *lib. 1. de morb. vulg. agr. 7.* ægrotantis Meronis, cui hæmorrhagia narium superveniebat, occiput aqua tepida fovendum iussisse, ut è naribus cruor liberalius flueret. Probe itaque videndum, ut remedia loco convenienti applicentur. Nonnunquam in violenta tussi aut vomitione sanguis simul per os & nares rediditur; quæ tamen hæmorrhagia narium proprie non vocatur.

L. I.

3. Alia hæmorrhagia narium salutaris est, ubi scilicet magna adest plethora, vel sanguis in venis est acrior & ferventior, ac natura modum excretionis servat; alia noxia, ubi modus exceditur, potissimum in corporibus frigidis & pituitosis.

4. A causa efficiente, alia ab *ἀνασφύσεσσι*, alia à *διαίσεισσι*, alia à *ἀκαταρδίσεισσι* vasorum accidit.

Signa Diagnostica.

Quando *ἀνασφύσεως* causa est hæmorrhagiæ narium, sanguis copiose effluit. Et quidem si à copia est sanguinis, adest rubor in facie, atque venarum tensio, præcessit victus liberalior & calidior, & causa aliqua externa fundens sanguinem. Plerumque vero talibus hepar dyscrasia calida laborat. Si à qualitate vitiosa sanguinis fit hæmorrhagia, cognoscitur id tum ex sanguine ipso profluente, tum ex signis cacochymicum corpus arguentibus. Si facultatis irritatione, signa quoque adsunt cacochymia biliosa aut melancholica, vel etiam corruptionis & putredinis sanguinis. Si à retentis imbecillitate, cætera etiam fere facultates languent, & sanguis per intervalla exit, isque non multus, ac morbus præcessit, quo e par imprimis & venosum genus debilitatum fuit.

Quando *διαίσεως* vasorum causa est hæmorrhagiæ, sanguis maiore adhuc copia & impetu profluit, & præcessit contusio, aut alia quæpiam causa violenta externa; vel signa adsunt cacochymia aut ulceris.

D d d d d

Quan-

Quando *Αεπιθνησις* causa est, sanguis, qui exit, paucus est & tenuis, atque ferofus, qualis & in cacochymicis & hydropicis conspicitur.

Cæterum & alia signa observanda sunt. Si enim sanguinis per nares fluxus criticus est, ægrum levat: quia cum ipso morbus prior & symptomata evanescent. Sin symptomticus, æger difficulter eum sustinet, & cum pulsu languidiore vires paulatim attenuantur.

Deinde si sanguis immediate è venis narium prodit, nullus in capite dolor progressus est. Facile etiam iste fluxus sistitur per adstringentium intra nares applicationem; cum via non sit longinqua. Contrarium accidit, quando è venis cerebri mittitur.

Postremum qui ab arteria sanguis profunditur, is calidus, rubens cum claritate, & subtilis est, & cum spuma atque impetu exilit; crassior & nigrior est, qui à vena.

Prognostica.

Hæmorrhagia narium futuræ indicia.

1. Hæmorrhagia narium præcognoscitur ex humorum ad superiora conversione, sive eorundem *ἀναππορροή*, quam capitis & colli dolor, temporum gravitas, oculorum caligo vel splendores, lachrymæ involuntariæ, rubor nasi & malarum, pruritus & titillatio narium, tremor etiam nonnunquam manuum significant. Præcesit diaphragmatis tensio, sine tamen dolore, inde respiratio facta fuit difficillor, sanguine per thoracem transeunte. Hippocrates, *1. prognost. aphorism. 32. & 3. prognost. aphor. 33. & 3.*

prorrh. aphor. 43. & aliquot sequentibus. Galenus, *in 3. de crisi bus, cap. ult. & de præcognitione ad Posthum. cap. 13.*

2. Quibus in febribus acutis atque ad eo ardentibus lachrymæ invita profuunt, his sanguinis è naribus eruptionem expectare oportet, si etiam alia perniciosè non habent. Nam his, qui male habent, non sanguinis eruptionem, sed mortem significat, *1. epid. comm. 2. aph. 80.*

3. Et largiores sanguinis profusiones, & eiusdem suppressiones morbos excitant. Hæ convulsionem, epilepsiam, carum, & similia, illæ animi deliquia, syncopen, cachexiam, hydropem, singultum, & convulsionem quoque, *5. aph. 3. & in 3. prorrh. aphor. 53. & seqq.*

4. Quibus principio hæmorrhagiæ largæ adsunt, rigor superveniens fluxionem sistit. Sin larga hæmorrhagiæ rigori superveniat, revulsio fit, rigores vero longi efficiuntur. *3. prorrh. aph. 58. & 59.* Id Galenus ita explicat. Si hæmorrhagia narium morbum non sedaverit, & rigor illum exeperit, tum rigor, tum morbus in longum producitur. Nam corpus exhaustum spiritibus in frigidatur. Frigus autem morbos diuturnos parit, cum materia facile concoqui nequeat.

5. Quibus in febre ardenti (ut Galenus accipit) capitis dolores adsunt & cervicis labor, & totius corporis cum tremore imbecillitas, sanguis è naribus profluens morbum solvit. *3. prorrh. aph. 60.*

6. In affectibus epatis aut lienis fluxus sanguinis à naribus *ἀνάπαρην* factus, sive è nare diversus, hoc est, dex-

tra, si lien laborat; è sinistra, si epar, malum. Non enim fit illa evacuatio *κατὰ τὴν*, vel *κατὰ τὴν σπλῆνα*, recto tramite; ideoq; non motu naturæ, sed morbi, vel materiæ, Detentius autem est, si cum sudore thoracis aut capitis fluat, *i. prorrhæta* 23.

7. Fluxus sanguinis narium non rram adversus est biliosis, quam pituitosis & melancholicis, teste Avicenna. Hi enim sanguinis profusione magis refrigerantur & debilitantur. Ita & Hippocrates scribit, 7. *aphor.* 82. *Quibus in febribus quartanis sanguis è naribus fluxerit, malum.*

8. Quibus sanguis multus è naribus profluxit, si quidem immoderata decolorationes adfunt (scilicet ob sanguinis penuriam, humorum impuritatem, & bilis flavæ admisionem) iis parum conferit. Qui verò præ tubro sunt colore, non eodem modo afficiuntur; & quibus caput facile tolerat, prodest; quibus vero secus, minime, 6. *epid.* 5. 6.

9. Quibus febricitantibus sanguis multus ex quacunque parte fluxerit, iis convalescentibus alvus humectatur, calore nativo debilitato, ut nec concoquesè, nec in sanguinem convertere, nec distribuere alimentum rectè possit; unde initia hydropis existunt, 4. *aphorism.* 27. & *in Coacis.*

10. In febre ardente fluxio sanguinis è naribus quarto die mala est, (Mutilitudinem enim sanguinis in toto aut in corpore significat, teste Aëtio, *tetrabibl.* 2. s. 1. cap. 124.) nisi aliquid boni conciderit. Verum quinto die minus pe-

riculosa est. Hippocrates, *in Coacis*. Fortassis autem de stilla narium loquitur/ Hippocrates, quæ pravum signum est in febribus ardentibus, præsertim si quarto die accidat; quæ absoluta morbi malitia indicatur. Ita scribit, *i. epid. comm.* 2. *aphor.* 63. sanguinis è naribus largam eruptionem in febribus ardentibus multos servasse, modicam verò occidisse. Nam, ut Galenus docet, nihil eorum, quæ critica sunt, exiguè secerni convenit: alioquin aut copia tanta significatur, quæ à facultate regi nequeat, aut imbecillitas naturæ tanta, ut superflua, etsi conetur, excernere non valeat.

11. Quibus in febribus ardentibus aures obsurduerunt, his non solura febridelirare necesse est. Solvit autem inter alia & sanguinis è naribus eruptio. Hippocrates, *de crifibus*.

12. Quibus febre incipientibus sanguinis è naribus sternutatione contingente destillar, & urina subsidenti in albam in quarta habet, iis in septima solutionem significat. Hippocrates, *in Coacis*.

13. *Διάγεις* in magno vase, præsertim in arteria, periculosa est, & crisis vix curatur; quia levi occasione crusta iterum decidit. Et Avicennæ est, quod fluxus sanguinis narium ex mixtura venarum aut arteriarum in teri cerebri mirabili fere incurabilis sit. *Α'νασόμωσις*, quæ à crisi, hoc est, à natura propriis viribus operante, fit, bona est, præsertim in febre ardente, phrenitide, viscerū inflammatione. *Διαπύδωσις*

ratione accidentis mala est, quia sanguis tenuis cachexiam indicat.

Stillicidium sanguinis quid significet.

14. Si sanguine è naribus erumpente sudores exigui adsint, & perfrigeratio accidat, sive extremorum, sive totius corporis, malum; quia nimia virium exsolutio indicatur.

15. Stillicidium sanguinis, id est, exigua sanguinis & stillatum è naribus fluxio, quæ ex partis, per quam fertur, densitate accidit, ut hyeme, ob frigus, minus periculosa est: ita deterior, quæ in acutis, ætate vel autumnis; quia tunc flava bilis abundat, & aer ambiens calidior est; qua de causa sanguis promptius fluere debebat. Si ergo subsistit, arguit vel naturam nimiam debilitatem, vel sanguinis adulti crassitiam tantam, ut excerni commode nequeat; teste Galeno, 4. in acutis, aphor. 67. Pessimum est stillicidium, quod quarto die accidit, sanguinis præsertim nigri & crassi, & cum symptomatis malis, ut torpore & surditate, quæ cerebrum & facultatem animalem graviter offensam esse significant. In morbis pulmonis etiam valde rubicundæ stillæ sanguinis malæ sunt. Hippocrates, in Coacis. Item in morbis longis parvæ fluxiones sanguinis perniciosæ, *ibidem*.

16. Oculorum rectitudo in morbo acuto, & motus velox, & somnus turbulenter, & vigiliæ, & quandoque sanguinis è naribus stillationes, nihil boni significant. Hippocrates, in Coacis.

17. Qui statis certisque temporibus sanguinem profundunt, si siticuli sint, difficiles & exsoluti, nec san-

guinem profuderunt, epileptici moriuntur, 3. *prophet. aphor.* 39. ex retenta scilicet, quæ consueta antè erat; evacuatione.

18. Ex sanguinis fluxu delirium aut convulsio; malum, 7. *aphorism.* 9. In Coacis, singultus quoque additur.

19. Menibus deficientibus sanguinis è naribus fluxio, bonum. Hippocrates, 5. *aphor.* 33.

20. Sanguinis è naribus fluxio surditatem ex febris solvit. Spine etiam distorsionem & spirandi difficultatem. Hippocrates, in Coacis. Et dolorem fortem in infernis partibus, 2. *epidem.* f. 2. Et, in libello de crisi. Præterea ab abscessu liberat, 4. *aphor.* 47. Et vertigines ab initio sanguinis narium fluxio solvit. Hippocrates, in Coacis.

21. Interdum sanguis è naribus critica expulsionem ad libras quatuor exit sine vitium insigni lapsu, ubi & reprimi non debet, teste Avicenna, in 3. *can.* fen. 5. *17.* 3. *cap.* 8. *Sequenti capite*, addit, quandoque hominem vivere in fluxu sanguinis narium, donec 20. circiter libræ effluerint; mori vero, si usque ad xxv. continenti scilicet una affluxione, exeant. Nam copia sanguinis maior in corpore vix contineri simul una vice putatur. Recentiorum observationibus compertum, sanguinem citra vitæ iacturam profuisse nonnullis ad lb. xii. aliis ad lb. xviii. cuidam spatio quinque dierum ad lb. xx: aliis ad totidem libras die una & noctibus duabus; aliis denique intra sex dies exiisse libras xi. teste Amato Lusitano, instaurato semper sanguine, & viribus reparatis, exhibitione

tionē cibi boni succi, ac præfertim fortibilis. Vide Schenckium, in *observationibus Medicinalibus*.

22: Sanguinis fluxus Immodicus plurimum nocet. Ex hoc enim in corporibus biliosis facies citrina evadit, ebulliente bile, sanguinemq; residuum adurente, in pituitosis pallida & plumbea, humore pituitoso multiplicato; melancholico fusca, & sæpius in omnibus mortuorum colorum producit, spiritibus absumptis. Præterea extremitates refrigerantur, lypothymia & syncope accidit. Interdum mora subsequitur, imprimis dum magna sanguinis copia brevi tempore egreditur. Vbi verò multa copia pluribus diebus fluit, paulatim epar refrigeratum debilitatur, ut cachexia & hydrops succedat. Avicenna, loco antea citato. cap. 7.

Indicationes.

1: Ratione vasorum, si sanguis per eorundem ἀναστόμων effluit, oscula illorum claudere & adstringere oportet: si per διαίρεσιν, uniendum quod quacunqueratione solutum est: si per ἀερίνησιν, condensans remedium requiritur. Caussæ etiam externæ removeantur.

2: Ratione sanguinis effluentis, si illi copiosus sit, minuatur: si impetuetur, coërceatur, & alio convertatur: si calidas sit & acris, refrigeretur, & ad benignum redacatur, ac, quod prævum plane est, debito modo evacuetur: si tenuis, incrassatur: si malignus, corrigatur: si denique epar calidius sit, temperetur.

3: Ratione facultatis, retentrix imbecilla roboretur; expultrix nimium incitata cohibeatur, sanguinis vel copia adempta, vel correcta prava qualitate.

4: Si fluxus sit criticus, non coërceatur, nisi modum excedat, natura ob imbecillitatem limites suos egrediente. Ac in his omnibus totius semper ratio habeatur.

Curatio.

Antequam verò curatio secundum indicationes has speciatim tradatur, generales hosce Canones observare prodest:

1: Sistunt hæmorrhagiam narium *Canones in curatio-
ne hæmorrhagiarum ob-
servandæ.*
phlebotomia, cucurbitulæ, ligaturæ fortes, extremorum frictiones deorsum factæ, immersio extremorum in aquam calidam, aspersio partis, unde fluit, frigida, aperiio mensium aut hæmorrhoidum.

2: Caput in hæmorrhagia narium non perfundendum est aqua frigida, nisi revulsiones præcesserint per phlebotomiam, extremorum frictiones, oppositorum ligaturas, & cucurbitulas in hypochondriis, aut in cervice, quibus scilicet sanguis vel ad inferiora corporis, vel ad posteriora capitis retrahitur; alioquin, nisi hæc præmittantur, sanguis per refrigerantia in rōd compulsus venas, quæ in alto sunt, implebit, ut Galenus, s: *meth. med. cap. 6.* docet. Iraque fluxus sanguinis augebitur hac de caussa, tum quod calor per antiperistasin intus collectus sanguinis motum & impetum adinvat. Aut, si sanguis retineatur convulsio,

apoplexia, parotis, aut sanguine in asperam arteriam procumbente, dyspnoea sequetur. Quin & hoc suspectum est, quod vulgus lintheum frigida madidum toti collo mox inter initia injicit. Etenim metus est, ne, viis inter cor & cerebrum præclusis, apoplexia aut syncope accersatur. Denique frigida, mammis, testibus, collo, occipiti, & spinæ dorsii adhibita suspecta sunt, ubi in febribus hæmorrhagia narium existit.

3. Si pulvis aut liquor in nares immittendus est, os aqua frigida plenum teneatur, præsertim ubi medicamentum vim causticam habet, ne de hoc per palatum aliquid in os incidat. Sed & alias æger quoque supinus jaceat, reclinato prius capite. Quod si naribus obstructis sanguis intus per gulam defluat, repurgatis naribus, ore frigidam etiam contineat, aut lac acidum actu frigidum.

*In fluxione
quæ spe-
ctanda.*

4. Sicut in omni fluxione, ita & hic spectanda sunt, primò membrum, ut appellatur, mandans, sive quod sanguinem pr. nat. & in maiori copia de se mittit; postea recipiens; mox sanguinis erumpentis quantitas, qualitas, *ουσιας*; tandem viæ, per quas sanguis ferrit. Deinde motus sanguinis, num criticus sit & symptomaticus; atque si criticus, & moderate, an cum excessu effluat: postea tempus fluxionis. In hæmorrhagia narium, quæ per ardentem sit febrem, concurrant æstus capitis attrahens materiam, epar calidum, sanguinem sursum mittens, sanguis ipse fervidus sua sponte sequens. In plethora mandans est totum cor-

pus, imprimis epar; utrobique recipiens est caput. Sanguis pro natura sua varia alias atque alias curandi indicationes de se præbet; quemadmodum diximus. Viæ, per quas sanguis ab inferioribus ad caput fertur, sunt venæ à jugularibus, tam internis quàm externis propagatæ, quarum eadem cum humerariis origo est, à trunco cavæ venæ ascendente. Motus sanguinis, si criticus sit, aut consuetus; & modum seruet, non supprimatur; nisi sit cum vitiam lapsu. Nunquam autem statim in initio supprimatur, ac multo tardius sistatur in iis, qui ætate sunt iuvenili, & constitutione corporis sanguinea, & quibus hæmorrhoides aut menses substituerunt. Symptomaticus celeriora præsidia requirit. Denique quò longiore tempore fluxus duravit, eò maturius occurrendum est, ne vires tandem collabantur, quod ultra trii. effusionem Avicennas fieri censet: cum tamen idem modus in omnibus statui nequeat, ut diximus.

Sed ut ad specialia perveniamus, in *Hæmorrhagia curatio* moderata narium hæmorrhagia cohibetur præsidis, quæ respiciunt vel sanguinem, prohibendo, ne is amplius profluat; vel vasa, claudendo illorum apertionem; vel utrumque: quod rarissimum est. Prohibemus sanguinem fluere, cum ad contraria ipsum revel- *Revel-
lentia.* lendo, tum derivando ad vicina, ut docet Galenus, *5. meth. med. cap. 3.* Id præstat imprimis venæ sectio. Atque *Vena se-
ctio.* si æger adhuc ferre potest, & nondum resolutus est, secetur media aut interna brachii dextri vena, dum epar membrum mandans est, & sanguis è nare dextra

dextrâ profluit; sinistri, dum è nare sinistra; utriusque, dum è nare utraque: non quidem evacuationis gratia, sed revulsiois, ut dictum. Fiatque foramen angustum, ut subtilis sanguis effluat, maneatque crassior minus ad fluendum idoneus. Et moderatè sanguis educatur, ad Vnc. j. vel Vnc. ij. atque iteratè post horæ spatium, ut major fiat revulsio, viresque non simul dissipentur. Sic enim cursus sanguinis à naribus ad locum venæ apertæ convertitur, nec exigua hæc quantitas in plures partes divisa vires deicit. Idque ideo tutius est, quàm ad animi deliquium sanguinem mittere.

Si caput magis sanguine abundare videatur, cephalica aperiatur. In magna plethora prius venam tali incidere licet, præfertim ubi ex suppressis mensibus & hæmorrhoidibus malum extiterit.

Adhibeantur & alia, de quibus diximus, revulsoria præsidia, ut cucurbitulæ cum scarificatione in facie, scapulis, & cervice; hirudines post aures, extremorum frictions, ligaturæ eorundem dolorificæ; lotiones quoque ex aqua fervefacta, vel sinapismi plantis pedum applicati. Aqua vero, aliisque frigidis utendum est in iis partibus, unde sanguis promanet; quandoque non in iis ipsis plane, sed potius circa has, ut Hippocrates docet. 5. aphor. 23. Cucurbita magna sine scarificatione hypochondrio dextro, si è dextra nare sanguis fluat; sinistro, si è sinistra effluit; utriusque, si ex utraque, applicet. Sed diligenter animadvertendum, qualis sanguis profluat, ne vitiosus aut ma-

lus ad epar, tanquam ad fontem, retractus ibi putrescat.

Vt vero hæmorrhagia narium præcaveatur, si à plethora ea proveniat, sanguinis nimium proventum convenienter diæta impedire debemus, & si iam adsit, venæ sectione imminuere.

Et quidem si hæmorrhagiæ narium ^{Purgatiæ} causa est sola in corpore & capite sanguinis abundantia, sola etiam sanguinis revulsio sufficit, nec purgatione aliqua opus est. Vbi vero vitiosi alii humores in corpore sanguini sunt admixti, purgatio instituenda est, qua simul humorum ad inferiora fiat revulsio. Et quia bilis fere peccat, utendum tamarindis, myrobalanis citrinis vel chebulis; sirupo ex multiplici infusione rosarum, & similibus, quæ etiam non nihil adstringunt.

Revulsionum præsidia administratis, ad medicamenta veniendum est, quæ tam intro sumpta, quàm foris imposita, sanguinis fluxionem compescunt:

Commodè hæc in quinque classes ^{Fluxum sanguinis} distribuuntur. Prima classis in frigiditate completitur, è quibus intra ^{sistentia.} corpus usurpanda, ^{Frigificati- enzia.} sirupi refrigerantes è ^{Fluxum sanguinis} cichorio, iulepis & sirupus rosarum, sirupus de succo acetosa, de nymphæa, de papavere cum aquis portulacæ, lactucæ, plantaginis, semperivi, solani, & similibus. Conserva item, rosarum, violarum, nymph. radices cichorii condita, caules lactucæ conditi, species dianthion sanalon, diamargariti frigidis.

Ad hæc classem referunt etiam ^{Opiata.} Opiata, ut philonium Persicum, Romanam, requiem Nicolai, Laudanum

opiatum. Sed alibi monstratum est, opium non esse frigidum, sed calidum. Et quamvis in hæmorrhagiis narium exhiberi possit : tamen eam non sistit refrigerando, sed potius spirituum impetum sistendo. Verum opiatis non nisi extrema urgente necessitate utendum, & dum vires adhuc constant.

Inter refrigerantia Johan. Langius, lib. 3. epist. cap. 6. hoc habet.

℞. Sirupi papav. Vnc. β.
aq polygoni Drach. iij.
philonii Persici vel Romani
Scrup j.

lapidis hæmatita Scrup β.
M. F. Haustus.

Topica refrigerantia.

Foris tanquam topica applicentur fronti, temporibus, collo, scapulis, epati, testiculis, aqua vel succus rosarum, lactuca, plantaginis, polygoni, sempervivi, solani cum aceto, quibus aliquid mandragora, hyoscyami, opii addere licet.

Uc ℞. Aqu. rosarum Vnc. iij.
aceti rosacei Unc. j.
boli Armeni Drach. j.

M. & frigidum fronti applica cum intincto panno lineo, qui ubi incaluerit, denuo intinctus imponatur. Fortius adhærebit, addito albumine ovi. Utile est etiam spongia aqua simplici frigida, aut rosarum cum pauco aceto madida fronti frequenter adhibita.

Testiculis circum ligetur pannus hoc Liquore madidus :

℞. Aq. plantag.
portulaca,
bursa pastoris, an. Vnc. iij.
pulveris rosar. siccar. Drach. ij.
trochisc. de camphora Drach. j.
Miscce.

pro Epithemate ad epar.:

℞. Aq. cichorii,
endivia,
acetosa,
lactucæ, an. Vnc. iij.
spec. diatrion. santal. Scrup. j.
diarrhæd. abbatis,
trochisc. de spodio, an. Scrup. j.
lapidis hæmatit. Drach. β.
aceti Vnc. β.
Miscce.

Aut ceratum santalinum, vel unguentum rosarum Mesue epati inungatur.

Manus quoque & pedes refrigerare utile est, quod fit lotionem cum aceto & aqua, præcipue si volis & plantis è carpi regione, ubi arteriæ pulsant, adhibeantur. Vel silices, ferrum, vel alia frigida manibus teneantur, aut pedibus laminæ plumbeæ vel lapideæ substernantur.

In secunda classe sunt adstringentia; Adstringentia. quanquam & ex refrigerantibus, quæ attulimus, quædam eandem vim obtineant. Initio vero utilia sunt, pentaphyllum, plantago, polygonum, bursa pastoris, myrtus, equisetum, pilosella, consolida maior, minor, & media fraga, quorum aquam hæmorrhagiam sistere experientia observatum est, bolus armenus, terra sigillata, corallia rubra, balaustia, acacia, hypocistis, cortices granatorum, cornu cervi ustum, sanguis draconis, lapis hæmatites, alumen ustum, quod tamen foris solum usurpatur.

Seorsim intro sumuntur, Sirupus cydoniorum, myrtinus, de succo ribes, de limonibus, de succo citri, de rosis siccis, de agresta, de granatis acidis, cum aquis conve-

convenientibus, conserva rosarum rubrarum acetosa, radices consolidæ condita, rob de ribes, de berberis, trochisci de terra sigillata, de berberis, de spodio, de carabe, miva cydonior. sine speciebus.

Vel paretur tale Electuarium:

R. Conserv. rosar. rubrar. antiquæ,
miva cydonior. sine speciebus,
an. Vnc. j.

trochisc. de spodio,
de berberis an. Drach. j.

corallior. rubror. preparat.
Scrup. j.

C. C. usti Scrup. β.
spec. diamargar. frig. Scrup. ij.

Cum sirup. de rosif. sicis q. l.

F. Electuarium.

Dosis Drach. ij. vel Drach. iij. & postea bibantur Vnc. ij. vel Vnc. iij. aquæ plantaginis.

Vel R. Sem. plantag.

portulacæ,
lactucæ, an. Scrup. iij.
rosar. rubrar. P. ij.

Coq. in aqua chalybeata ad Vnc. jx.

in Colatura dissolve

iulepi rosar.
sirup. cydonior. an. Vnc. ij.
trochisc. de carabe Scrup. iij.

M. pro tribus dosibus.

Vel R. Pulv. trochiscor. de terra sigillata
Drach. j.

corall. rubror.
C. C. usti, an. Scrup. j.
sirup. myrtillorum Vnc. j.
aqua vel succi plantag. Vnc. iij.

Misce.

Vtilis est & corallinus sirupus, & tinctura coralliorum, essentia rosar. rubrar. tinctura lapid. hematit. Item crocus Mart.

L. I.

& extract. croci Mart. si eius gutt. iij. in aqua plantaginis exhibeantur.

Laudatur & sperniolæ compositum apud Crollium, tanquam efficacissimum ad quamvis hæmorrhagiam sistendam remedium, si quantitate avelanæ in aqua plantaginis exhibeatur. Efficacius verò fit medicamentum, si aliquid laudani opiat addatur.

Vt R. Sperniola compositi Crollii

Drach. j.

extract. tormentilla Drach. β.

laudani opiat Scrup. β. vel

Scrup. j.

F. Pilulæ mediocres. Dentur 4. vel 5. in aqua bursæ pastoris vel plantaginis.

Pro Frontali

R. Boli armeni,
sanguinis draconis, ana
Drach. iij.

masliches, ij
farina volatilis, an. Drach. ij

Cum albumine ovi, vel succo plantaginis & aqua rosarum.

F. Massa.

Pulvis ad hæmorrhagiam narium ad extra D. Casp. Kegleri:

R. Lap. hematit. Drach. jβ.

corall. rubr. Drach. β.

chalcitid. usta, Drach. ij.

gummi Arab. ass. Drach. β.

trochisc. de spodio Drach. j.

pulv. sanguinar. Drach. ij.

sang. dracon. Drach. jβ.

Contusa misc. pro Pulvere.

Alius:

R. Pilor. lepor. combustor.

farina volatil. an. Drach. β.

boli Armen. preparati Scrup. j.

Eeeee

Succ.

succ. acacia,
hypocist.
sangu. dracon.
lapid. hamatit. an. Serup. ℞.

M.F. Pulvis.

Alius, D. Andr. Döreri;

℞. Spongiam marinam num. ʒ.

Lavetur aqua bursa pastoris. Imbuatur deinde aceto acerrimo. Imbuta intingatur in picem liquefactam; comburatur postea in vase fictili, & ad usum tandem reponatur.

Vel. ℞. Myrrha,
 thuris,
 sarcocollæ, an. Drach. iij.
 boli Armeni,
 terra sigillata, an. Drach. ℞.
 acacia,
 hypocistidis, an. Drach. iij.

Terantur in pulverem, de quo aliquid ex aquis refrigerantibus prius enumeratis inspergatur, ac spongia his immerfa ac leniter expressa fronti & temporibus applicetur.

Refrigerantia autem medicamenta etiam colli lateribus, ubi iugulares venæ & arteriæ ascendunt, & ramos ad nares quoque mittunt, commodè applicantur; ut ita viæ, per quas sanguis ad caput & nares fluat, intercludantur.

In hæmorrhagiis narium etiam commendatur aqua spermatis ranarum; si in ea addita pauca camphora & saccharo Saturni linteamina intingantur, & collo, ubi venæ iugulares descendunt, applicentur.

Non autem solum epithematum forma, sed & ex bolo & similibus cum

aceto & albumine ovi emplastrum fieri, & colli lateribus utrinque, ubi iugulares venæ ascendunt, applicari possunt.

Tertia classis glutinantia continet, ^{Glutinantia.} cuius modi sunt, thus, aloë, mastiche, tragacantha, gummi Arabicum, farina volatilis, gypsum, lutum figulinum, tela araneorum, pili leporis combusti, lanugo arborum, flores & nucumenta salicis, vel populi arboris aceto macerata & iterum exsiccata, coryli item, nucis iuglandis, cinis chertæ ex linteo confecta, spongia aceto macerata & cremata in vase fictili, quorum pleraque vel pulveris forma narisbus intingantur, vel cum aqua aliqua albuminis ovi subacta narisbus aut fronti applicantur.

Imprimis verò ad sistendum sanguinem utilis est muscus crescens in craniis humanis, & fungus ille, quem crepitum lupi appellant. Galenus, in euphoristis ad Solonem, cap. 13. & alibi, inter alia commendat thus masculum & aloë, quæ in pulverem trita albumine ovi excipit, & cum linteolo, aspersis prius pilis leporis, in nares immittitur.

Vel. ℞. Tela araneorum,
 farina volatilis,
 pilorum leporis combustorum,
 aloës,
 thuris,
 sanguinis draconis, an. Drach. j.
 succi plantag. q. s.

Gossypio excepta narisbus imponantur.

Aut. ℞. Gummi Arab.
 tragacanth.
 pilor. leporis,
 C. C. ussi, an. Drach. j.

aloes,
 bolò Armeni,
 sanguin. dracon.
 mastiches,
 thuris, an. Scrup. j.
 succi bursa pastoris Vnc. ij.

Subigantur cum albumine ovi, uaribusque aliquid indatur.

In quarta classe ponuntur, quæ à proprietate valere creduntur, ut sunt, succus urticae, portulacae, millefolij, succus ocy-mi maioris cum camphora. Quò etiam referuntur, muscus in cranio crescens, & alia supra secunda classe propòsita, stercus porcinum, asininum, & succi ex his expressi cum bolo Armeno inditi, rana virides usque & in pulverem trita, sanguis, qui effluxit, tostus & tritus, ut & sanguis columbarum, perdicum, turdorum, turturum, cinis combustorum, quæ sub hydriis reperiuntur, asellorum, quæ scilicet in nares sufflentur: radix pœonia subiecta lingua, lapis item scorpionum in ore detentus, radix equiseti trita & naribus imposita, aut herba trita fronti applicata. Radix melanthij mastichta & naribus indita, ac de collo suspensa. A nonnullis plurimum commendatur radix eichorii albi circa festum Jacobi collecta circa meridiem, si dentibus teratur.

Quædam etiam collo appensa & manibus versata, ac cutim corporis attingentia, hæmorrhagiam narium sistere creduntur; ut folia urticae maioris, item flores bellid. maioris in manu detenti, donec incælescant: umbilicus marinus, iaspis, quam valde ad omnem sanguinem non solum è naribus & hæ-

morrhoidibus, verum etiam è vulnibus fluentem, sistendum commendat Anshelmus Boëcius, de germinis, lib. 2. cap. 102. farda, seu carneolus, corallium corpori applicatum.

Ira commendatur bufo transfossus Solè in Leone existète, exsiccatus & sindoni illigatus, ac regioni cordis applicatus, vel brachio eiusdem lateris. Muscus item qui in cranio humano concrescere fertur (usneam humanam vocant) in sindone rubra de collo suspensus: herba anagallid. phænicea manibus detenta, radix cyani.

Peculiariv
 vi sanguinem sisten-
 tia.

Laudatur & hoc Amuletum:

R. Cinerem bufonis unius,
 lapidis hæmatite Drach. ß.
 musci cranij humani pulveris ass.
 umbilici marini,
 corall. rubr. prepar. an. Scrup. j.
 rad. tormentill.
 bistortæ, an Drach. ß.
 bursa pastoris,
 flor. bellid. minoris,
 anagallidis rubrae. an. P. j

F. Pulvis, qui in sericum rubrum includatur. F. Saccus collo appendendus. Aëtius tanquam expertum laudat vaporem ex aceto lapidi molari ignito insperso, si naribus excipiat. Prodesse etiam ferunt cochlearum carnes cum aceto tritas, aut cum thure naribus inditas; aut cochleas cum domiciliis suis istas ac tritas, si fronti & naribus imponantur.

Plurimum hinc nonnulli commendant sperma ranarum vere collectum siccatum, quod cum vino propinant.

¶ Eeeee 2 Postre

Postremæ classis sunt caustica, ut vitriolum & chalcitis, calx viva, alumen; quò etiam referri potest sulphur accensum, si extinguitur, & vapor naribus excipiatur.

Dieta.

Vitæ ratio in hoc malo sit infrigidans & adstringens, ratione vasorum apertorum & sanguinis fervidi atque acris; & tenuis quoque & parca, si sanguis copia peccet. Itaque aër ad frigidum & siccum declinet, sitque aliquantum obscurus; cum lucidus aspectus sanguinem commoveat: sicut & rubrorum intuitus, & calor externus immoderatio, & motus animi vehementior. Quapropter nec frequenter loquatur æger. Sit etiam parùm coopertus, præcipuè in collo & in capite. Caput non pronum teneat. Comedat pedes & capita vervecum, aliorumque animalium, quæ succum præbent lentam & glutinosam. Utatur in cibis amylo, cremore ptisanæ, hordeatis, amygdalatis cum seminibus frigidis maioribus & saccharo rosato. Caveantur omnia, quæ sanguinem multiplicent & calefaciant, exacuunt, attenuant, fluxilemque reddunt. A vino abstineat æger, nisi virtus deficiens plus possit ad indicandum, quam affectio ipsa ad prohibendum, hoc est, ubi spiritus iam deficere incipiunt, & syncope imminet. Tum enim vinum conceditur, sed oligophorum & non nihil adstringens, & cum aqua aliqua adstringente vel chalybeata temperatù, & quidem vinum in minima quantitate actu frigidum. Somnus sit mul-

tus, sed interruptus, ne sanguis ad pulmones vel ad ventriculum confluat.

CAPUT IX.

De Sternutatione.

Inter symptomata, quæ circa nares *Sternutatio* accidunt, est & Sternutatio, quæ natura per nares, quod anteriori cerebro & membranis nasi molestum est, excutere conatur. Quod enim tussis est in pulmone, id sternutatio est in cerebro & naribus. Nam sicut per tussim natura ea, quæ pectori & gutturi molesta sunt, eiicit: ita in sternutatione, quæ naribus molesta sunt. Sternutatio tamen motus, quam tussis, vehementior est. Ad tussim enim saniem pectoris motio requiritur: ad sternutationem & pectoris & membranarum cerebri. Vnde etiam sternutatio pro parva epilepsia habetur. Aër enim, qui è pectore egreditur, ei, qui per nares ad cerebrum attrahitur, coniunctus, quicquid molestum est membranarum, impetu quodam, & cum magno sonore elidit, qui generatur, quoniam aër copiosior confertim per angustas narium vias transit. Et si verò à causa præterna: urali originem habeat *Sternutatio* naturam stimulantem: tamen quia *tienis comoda.* naturæ molestum expellens sit opera, sæpe cum commodo accidit, & medicamenti concitatur, unde lethargo, apoplexiæ, epilepsiæ, & similibus capitis affectibus subvenit. Ad partem etiam facilius edendum, ad secundam expellendam, ad singultum sedandum, utilis est. Si tamen immoderatio sit etiam.

Incommoda.
etiam sua habet incommoda; dolorem capitis excitat, nocetq; pectoris & pulmonis morbis, ur & herniæ.

Causse.

Causse Sternutationis est, quicquid internam narium tunicam irritare potest; quod faciunt vel causse internæ, humores & vapores acres à cerebro edelabentes: vel externæ, ut acria; pulvis scilicet piperis, sinapi, nigellæ, pyrethri, hellebori albi, euphorbiæ, & alia ptarmica: vapores item è cæpis, allio, raphano agrestis, & similibus exhalantes; ventus & aer frigidus; radii item Solis, & lux magna; quæ sicut lachrymas ciere oculos vellicando solent: ita & per consensum narium tunicam sensibilem afficiunt.

Signa Diagnostica.

Affectio ipsa per se manifesta est. Si à causis externis ortum habeat, eæ ex relatione ægri innotescunt: quæ si absint, provenit à causis internis.

Prognostica.

1. Sternutatio, ut antè etiam dictum, quandoque nihil nocet, sed pro bono signo & omine vulgo quoque habetur, ac in sanis illud, quod molestum est, excutit. Interdum etiam in morborum declinationibus finem illorum præfigit, validamque virtutem, & materiam attenuatam ac in halitum conversam indicat. Si tamen sit immoderata, & diu continetur, capitis dolorem parit, & spiritus dissipat.

2. Instantis quoque catarrhi indicium est quandoque, ut & in dispositis quandoque epileptici paroxysmi, & aliorum capitis morborum præsagium est..

3. Mulieri uteri strangulationem patienti, aut difficulter parienti, si sternutatio superveniat, bonum. Hippocrates, 5. aph. 35.

4. Sternutatio in morbis, in quibus provocari debet, ut in apoplexia, provocata non adveniens, signum lethale est. Naturam enim succumbere significat.

5. Sternutatio in corpore plethorico in principio morbi cum destillatione mala est.

Indicationes.

Sternutatio, quæ nimia est, sistenda est & impedienda; sicut & quæcunque in hæmorrhagia narium, quam commovet; in hernia, cum intestina suo loco depellat; in oculorum, pectoris, aliarumque partium dolorosis affectibus, quos exasperare solet. Quæ verò in declinationibus morborum, vel ante paroxysmum epilepticum accidit, impedienda non est. Impeditur autem & inhibetur sternutatio, si ea, quæ vim expultricem irritant, & narium sensibilem tunicam vellicant, tollantur, & vellicatio ipsa inhibeatur.

Curatio.

Itaq; si à capitis excrementis sit sternutatio, caput evacuandum. Si à causis externis, illæ amovendæ. Vbi verò causse sternutationem excitantes statim tolli non possunt, præsertim internæ, ut illa irritatio tollatur, nares demulceantur vapore aquæ tepidæ, vel inungantur lacte, butyro, oleo violarum, rosæco, salicis, amygdalarum dulcium, seminis cucurbitæ, papaveris;

vel albumine ovi, & mucilagine feminis cydoniorum & psyllii. Eadem olea etiam auribus immitti possunt. Nonnulli os frigida fovent, & faciem etiam frigida lavant. Decoctum Basilici exhibitum ad sistendam sternutationem utilis esse, nonnulli docent; ut & si eodem decocto caput lavetur. Anisum etiam cum apio olfactum sternutationem inhibere fertur.

Ut materia à naribus revellatur & derivetur, extremaligentur & fricentur, aures vellicentur, oculi premanantur aut fricentur, nasus trahatur, caput pectinetur, palatum digito fricetur. Spiritus retentio, ut & valida attractio, sternutationem etiam sedat. Et cum lux ac splendor sternutationem excitent, tenebræ eam sedant. Si verò à frigore & borea proveniant sternutatio, olea calida sine mordicatione naribus attrahere, & in nares infundere, calida item olfacere convenit.

CAPUT X.

De Coryza.

TAndem inter excretorum per nares vitia est Coryza, Latinis Gravedo, ita dicta, quod in ea in capitis parte anteriore circa frontem sensus quidam gravitatis percipitur, humoris scilicet excrementitii è cerebro per nares defluxus nimius.

Verum quia Coryza catarrhi species est, de catarrho verò supra satis dictum; ut in specie de coryza multa dicamus, opus non est. Hoc saltem monemus, inter reliquas catarrhi species levissimam esse, quæ fit in nares, & minus periculosam, quam quæ fit in asperam arteriam vel pulmones. Et plerumque, si universalia præsidia adhibeantur, & recta diætæ ratio instituat, sponte cessat. Ad compescendam tamen coryzam iubent Medici excipere naribus vaporem è decocto maioranæ, chamæz. melilori, violar. silymbrii, vel aq. maioranæ naribus attrahere, vel acetum rosaceum ferreæ laminæ ignitæ infundere, vel rosas cum aceto laminæ iniicere, vel fabas integras aceto madidas, & vaporem naribus excipere. In fluxione frigida etiam nigellæ & cumini vel thuris usti odor naribus suscipiatur, vel pulegium olfaciendum præbeatur. Odores enim eiusmodi & causam proximam siccando absument, & remoram quasi, id est, intemperiem cerebri frigidam corrigunt. Qui Coryza laborant, balneum ingredi non debent, ne materia ad nares fluens circa os ethmoides exsiccet, & obstructionem pariat; unde olfactus tollitur. Si nares ex continuo defluxu humoris acris exasperentur, & rubescere, atque exulcerari incipiant, unguento pomadæ inungantur.



LIBRI PRIMI

PARTIS III.

SECTIO QUINTA,

De Linguae morbis & symptomatibus.

CAPUT I.

De Linguae Asperitate & Scabritie.

Postquam narium affectus explicavimus, & de olfactus læsione egimus: restat tandem, ut de morbis ac symptomatibus linguae, & gustatulo dicamus, atque ita tractationi de morbis & symptomatibus, quæ in sensibus externis & eorum organis accidunt, finem imponamus. Et si verò lingua non solum gustatus organum sit, sed & motum obtineat, ut cibum in ore regere, & tanquam manus dentibus porrigere, deglutitionem promovere, collectionem quoque & eiectionem salivæ adjuvare possit; præcipuè vero sermonis organum sit, & propterea affectus, qui linguae præter naturam accidere solent, non omnes huius loci sint, ubi de læso gustatu eiusque organo præter naturam affecto agere nobis propositum est: tamen cum affectus hi magnam cognationem habeant, & unus linguae morbus & gustatui & sermoni obesse possit, ob affinitatem, & quia uni subiecto insunt, de omnibus linguae morbis & symptomatibus hoc loco agemus.

tionem habeant, & unus linguae morbus & gustatui & sermoni obesse possit, ob affinitatem, & quia uni subiecto insunt, de omnibus linguae morbis & symptomatibus hoc loco agemus.

Et linguae morbos quod attinet, primò quidem lingua sæpe aspera & sicca evadit, ita interdum, ut etiam rimas & fissuras agat. Idque accidit à vaporibus calidis, acribus & putridis, linguam exsiccantibus & quasi comburentibus, quod fieri solet in febribus continuis, malignis, ardentibus, in inflammatione pulmonum, pleuræ, & partium thoracis, ac cordis calidis affectibus, ut & si à vitriculo, epate, liene, & partibus vicinis, vapores tales per œsophagum ascendant.

Curatur quidem rectissime hoc malum, si morbi, à quibus fulgines illæ acres, & calidæ suppeditantur, tollantur: verum quia aegri hæc ipsa etiam mala leniri cupiunt, calorem, asperitatem & siccitatem linguæ, temperant collocatione oris ex aqua portulacæ, rosarum, nymph. decocto hordei, cum exigua portione aceti, vel julepo rosarum aut violar. vel decocto violar. lactuc. cum sirupo violarum & diamor. Vel detineatur in ore succus citri, radic. lactucæ, cerasa acida, tamarindi, pulpa cucumer. cucurbitarum. Vel nodulus ex semine cydonior. cum pauxillo sacchari candi, decocto hordei, vel aqua rosarum aut violarum madidus.

Vel ꝑ. *Mucilag. psyllij,*

sem. cydon. aq. violar.

extract. an. Unc. ꝑ.

sirup. violar. Unc. iij.

sacchar. penid. Unc. ꝑ.

Misce.

Vel ꝑ. *Hordei contusi,*

passular. an. Unc. ꝑ.

glycyrrh. Drach. ij.

sem. psyllij.

cydon. an. Unc. ꝑ.

Coqu. & colentur, & addita sacchari s. q. ad sirupi formam coquantur. Vide plura in doctrina *de Febris*, de *Curatione symptomatum*, qua febris accidere solem.

CAPUT. II.

De Lingua Magnitudine nimia, Tumore, Calculis.

DEinde interdum lingua præter naturam augetur, & quidem non uno modo. Nonnunquam enim incrementum saltem quoddam linguæ est. Ita Gallenus, *de def. morb. c. 9.* scribit, se vidisse cuiusdam linguam supra modum absque ullo doloris sensu excrevisse, ut neque œdema, neque scirrhus, neque inflammatio esse videretur. Neque enim prementi manui cedebat, neque omni sensu carebat, neque dolore infestabatur, sed hoc ipsum incrementum duntaxat erat, nihil ipsa substantiæ particula vitiosa; quod accidit ob copiam utilis alimenti in eius substantiam conversi. Nonnunquam verò ex affluxu humorum p. n. vitiosorum lingua tumescit, & quidem cum vel sine inflammatione. Sicut Galenus, *14. de meth. med. cap. 8.* scribit, se vidisse linguam ita tumefactam, ut ore contineri non posset: quod & Forestus vidit, *lib. 14. observ. 18.* Id quod accidit pleurumque ex materiæ calidioris ad linguam affluxu, ob quem interdum etiã inflammatur, & quandoque inflammatio in abscessum degenerat. Interdum verò tumor est ex pituitosæ materiæ affluxu: nonnunquam etiam à morbo Gallico, humoribus pravis & corruptis ad linguam affluentibus, unde ita intumescit, ut ex ore emineat; sicut Alexander Benedictus id annotavit, *lib. 5. cap. 10.* Idem interdum ex inunctione hydrargyri accidit. Nonnunquam verò & ex materia venenosa, ut est fungus venenatorum, vel alterius rei venenatæ, vel morfu bestiæ venenatæ linguæ tumor excitatur.

Lingua magnitudinis nimia,

Lingua tumor.

Signa

Signa Diagnostica.

Magnitudo præter naturã aucta & tumor ipse visui patet: causæ vero ita discernuntur. Si magnitudo illa linguæ sit saltem quasi nimium linguæ incrementum, lingua secundum partes omnes æqualiter augetur, & dolor ac signa vitiosorum humorum absunt.

Si verò fiat ex affluxu humorum vitiosorum, signa eorum, & dolor plerumque adest, & fere in una parte magis apparet, quam in alia. Et quidem si tumor sit à sanguine & materia calida, adest simul rubedo faciei & linguæ, habitus corporis est calidior, & manifesta caliditas ac dolor plerumq; percipitur. Si vero materia sit pituitosa, lingua albicat, multumque pituitæ effluit, saporque est insipidus. Si ex lue Venerea sit tumor, eius notæ etiam alibi in corpore apparent. Si ex veneno, aut re venenata sumpta, id æger patefaciat, & alia etiam signa veneni aderunt.

Prognostica.

1. Linguæ tumor malum est non contemnendum. Nam lingua motu suo & sermoni & masticationi inservit, qui in lingua tumida læditur. Imo interdum ex nimio linguæ tumore periculum suffocationis imminet.

2. Silinguæ tumor sit durus, lividus, & ad cancinaturam ferè tendens, incurabilis est.

Curatio.

Materia ad linguam confluens avertenda, evacuanda, repellenda, &, quæ

L. I.

influxit, discutienda, vel etiam suppuranda. Ideoque si sanguis abundat, vena cephalica in brachio aperienda, & cucurbitule cervici apponendæ. Deinde etiam venæ sectio sub lingua instituenda. Humor biliosus & pituitosus convenienti modo evacuandus.

Præmissis universalibus, & revulsivis ac diversionibus adhibitis, in tumore à sanguine in principio utendum medicamentis repellentibus, ut succo citri, limon. ribes, granatorum, acetosæ, succo lactucæ; quo solo Galenus, 14. m. m. cap. 8. purgatione præmissa, quendam sanavit. Nam succi hi & repellunt sua frigiditate, & ratione acetositis humiditatem cum saliva educunt. In augmento addatur diamorum, versus declinationem acetura quoque admisceatur scilliticum.

In materia pituitosa in principio utendum oxymelite simpli. In augmento addatur parum zingiber. aut salis gemmæ & Ammoniæ, vel os colluatur decocto origani, pyrethri, cum hydromelite.

Versus declinationem frictio fiat cū sale & aceto, vel cum cepis aut scilla. Frequenter exspuendum: quemadmodum hæc à Rhase peculiari capite explanantur. Pituitam quoque ex ore efficaciter ducit hæc oris Collutio:

R. *Malva cum toto,*

violar.

fol. scabiosæ,

hyssop. an. M. j.

rad. althææ Vnc. ß.

flor. melilot. P. j.

Ffffff

ficuum

ficuum Num. iij.
 passular. enucleatar. Unc. j.
 sem. fenicul. Drach. ij.
 nid. hirund. dimid.

Coqu. in aqua communi.
 Colaturæ, ℞. ℥. i. β.

mell. rosæ. colat. Unc. iij.
 pro oris Collutione.

Si tumor pituitosus sit, & humorem melancholicum admisceri suspicio sit humor is evacuandus, & lingua assidue lacte vel decocto caricarum, passularum maiorum, radic. altheæ, glycyrrhizæ, sem. fenigræci fovenda.

Lingua in
 mor can-
 crosus.

Silinguæ verò tumor callosus & cætrofus sit, cuius mali historias aliquot recenset Forestus, l. 14. obs. 24. in schol. m. l. um fere incurabile est, & putredine ad radicem linguæ, vel sanguinis fluxu in venis erosio accedente tandem ægri moriuntur.

Lingua in
 inflamma-
 tionis.

Silinguæ tumor cum inflammatione coniunctus sit, secetur primo cephalica, hinc venæ sub lingua, & cucurbitulæ usurpentur; postea curandum, ut abscessus rumpatur, colluendo os decocto repido foliorum lactucæ, malvæ, violarum, hordei, ficuum, passularum maiorum, sem. cydonior. fenigræci addito sirupo violarum, & de iuibus ac diamoro. Ficus etiam per mediam scissæ, & continuè tumori impostæ, suppuratidnem promovent: ut & decoctum earum & uvarum in ore dentur. Furfures etiam, si in aqua coquantur, donec liquor lubricus fiat, & colatum decoctum in ore sæpius detineatur; abscessum ut rumpit; aut discutit.

Si tumor sponte non aperitur, scalpello aperitur. Pure excreto decocto hordei, folior. scabiosæ, plantagin. agr.

mon. cicer. rubr. addito mellie rosæ. eluatur; abstersum ulcus ferè per se consolidatur; aut curatur ut oris ulcera:

Si ex luè Venerea sit tumor, curatio ad eundem morbum dirigitur.

Tumor
 lingua.
 A venere.

In materia venenosa ex elu fungorū pravorum, aut alterius rei venenatæ, vel morsu bestię venenatæ, ad magnas antidotos; & propria remedia confugiendum est; & vitanda purgantia, quæ materiam ad centrum corporis trahūt, ac venenum intus retinent. Os verò colluendum decocto plantaginis, scabiosæ, sirupo vel melle rosaceo:

Observatum etiam, Calculum in spongiosa linguæ carne genitum fuisse, & tandem tumore, qui calculum continebat, emollito ac aperto, excidisse; cuius rei exemplum habet Forestus, lib. 4. obs. 26. Annoravit etiam Zacutus Lusitanus; de Prax. Med. admir. l. 1. obs. 72. Nobilem quendam catarrhosum tumore insigni, & dolore in parte linguæ externa iuxta mucronem correptum fuisse, ut loqui ferè non potuerit. Facta incisione lapillus prodiit durissimus, lævis, ad magnitudinem avellanæ, quovolsella extracto æger convaleuit.

Ulcera verò, quæ post inflammationem interdum relinquuntur, curantur ut reliqua oris ulcera, ut postea dicetur.

CAPUT. III.

De lingua Vulneribus.

Lingua interdum etiam vulneratur, quod plerumque dentibus accidit, in convulsionibus & lapsu; imo interdū particula linguæ hoc modo amputatur.

Lingua
 vulnera.

Vulnera autem talia nonnulli futuris coniungenda docent: verum vix commode hic fatara instm. est;

ideoque solum medicamenta conveni-
entia adhibenda. Quia verò empla-
stra adhiberi cōmodè non possunt, lin-
ctus & linimenta ex sirupō de rosīs sic-
cis, melle rosato colato, sirup. vel simili-
bus adhibenda. Vel paretur tale Deco-
ctum, quo os colluatur:

R. *Hordei mundi* M. j.

Coqu. in aqua pura, donec crepet, sub fi-
nem adde

folior. myrrill.

summit. hyperic.

fol. plantag.

rosar. rubrar. an. M. ℞.

balauustior. P. j.

Coqu. Decocto os colluatur. Potest &
mel rosatum addi. Si verò, quod inter-
dum accidit, linguæ particula amputa-
ta sit, ea non regeneratur.

Pertinent huc & faucium atque oris
ulcera, quibus interdum linguæ quo-
que maximam partem absumptam fu-
isse, compertum est. De quibus *lib. 6.*
part. 4. cap. 23. dicetur. Utilia sunt & hæc
medicamenta:

R. *Plantaginis,*

cauda equina, an. M. j.

rosar.

balauustioram,

summitat. absinthii,

salicis. an. p. j.

hordei integri Unc. j.

nucum cupressi,

lenticular.

sumach. an. Unc. iij.

Decoquantur sufficienter in aq. *part. 10.*

& una aceri; & in colatura dissolve

mell. rosat.

vin. gran.

diamor. an. Unc. ij.

Fiat Gargarismus:

Vel R. *Aq. plantag.*

rosar.

caprif. an. Unc. ij.

portulac.

diamor. an. Vnc. j.

robribes

mell. rosat.

omphac. an. Drach. ℞.

Misce pro Gargarismo.

CAPUT IV.

De Ranula sub lingua.

NONnunquam tumor sub lingua *Ranula*
in oris molli parte, qua linguæ *sub lingua*
connexa est, oritur, pueris familiaris,
rarius inflammationis, sæpius œdema-
tis speciem præferens, quem à figu-
ra, quam exprimit, *Βάρσαλον*, sive
Ranulam linguæ, Aërius & Paulus ap-
pellant. Quanquam interdum glo-
buli rotundi speciem exhibeat. Aper-
to illo tumore mucus prodit, ovi al-
bumini colore & consistentia similis:
nonnunquam tamen & colore citri-
no. Compertum verò est, & lapillos
simul cum muco, vel ipsos solos sine
sanie & sanguine, ex apertis eiusmodi
tumoribus excretos fuisse.

Causa mali est sanguis crassus &
terrestris, seu, ut loquuntur, humor
tartareus in venis sub lingua coacer-
vatus, aut pituita & humor lentus à
cerebro eò delatus, partibusque illis
infixus.

Quod ad curationem attinet, post universalia, phlebotomiam scilicet, diversionem & purgationem, collutiones oris fiant ex incidentibus & resolutivis, ut ex decocto origani, mentastri, pyrethri cum sale communito, vel cum sale gemmæ.

Vel hic Pulvis usurpetur :

R. *Piperis*,
zingiber. an. Drach. j.
sal gemm.
comm. an. Scr. ij.

origan.
calaminth.
rad. ireos.
hermodactyl. an. Drach. ß.
massich. Scr. j.

F. Pulvis, quo Ranula fricetur.

Aliqua etiam pars pulveris huius incorporaretur cum albumine ovi, & cum peria imponatur, semper renovando, postquam æger crebrè id exspuerit.

Avicennas laudat origanum, cortic granator. & sal, quibus mixtis & pulverisatis ranulam fricare iubet. Item tragacanthum ustum, & hermodact. mixta cum albumine ovi, & sub lingua posita.

Aut R. *Balaust.*

alumin.
gallar. an. Vnc. ß.

F. Decoctio in aqua. Colatura sub lingua teneatur. Fortius est, si frictio fiat cum flore æris & tragacanth. Aëtius ærugin. rassa, chalcididis & gallæ æquas partes miscet, & pulverisata inspergit, cavendo, ne quid de hisce deglutatur. Aut cum passo collutionem ex iisdem parat; aut iis utitur, quæ ad aphthas & ulcera oris valent.

Commendat & hoc, quod R. *Nuc. iugland. veteres integras una cum corticibus usas*, quibus tritis addit.

piperis gr. xii.
thur. gr. iij.

Et cum melle mixta illinit.

Si his nihil perficitur, tumor scapello utrinq; aperiatur, & ubi humoris copia effluerit, os aliquot diebus colluatur cum posca exiguo sale addito, donec nihil amplius humoris in loco affecto reliquum sit. Alii acu per tumorem transfixa vulnus postea cum scapello dilatant, ut materia contenta effluat, qua exhausta aquam mulsam gargarisare iubent, quam & per siphonem in transfixum tumorem immittunt, & ulcus tandem legitime claudunt. Sunt, inter quos Ambrosius Paræus, lib. 7. cap. 5. qui potius ferro ignito tumorem aperiendum censent, ne malum revertatur. Nigram vero vel fuscam & duram ranulam, quæ cancrofa est, ne attingas.

CAPUT V.

De Lingue Adstrictione.

Accidit etiam interdum, ut lingua ^{Lingua} adstrictione. freni aut vinculo suo aëctius adstringatur, ut veluti decurtata liberè moveri ad sermonem formandum nequeat, sive id fiat à primo ortu, sive post ab ulcere aut cicatrice. Ac tales ἀγκυλόλωσσι & μογιάλοι appellantur; vitium ipsum ἀγκύλωσι

Malum

Malum hoc oculis patet, & sermone impedimentum affert: infantes etiam eo laborantes lac promptè sugere nequeunt.

Vinculum ergo hoc transversim incidendum est, ut Aëtius docet, *tetrab. 2. ferm. 2. cap. 26.* Paulus Ægineta, *lib. 6. cap. 19.* Nimirum lingua sensum elevanda est, & forcipe acuta frenum, quantum opus, discindendum, cavendo, ne venæ sub lingua lædantur. Vid. *Institut. lib. 5. part. 1. sect. 2. cap. 7.*

Si verò cicatrix causa est, uncino apprehensa extendatur, & quicquid durum est, & cum naturali carne non consentit, excindatur: sectione peracta os posca abluatur, postea inspergatur manna thuris; imponatur linteam carptum & convulsam, & os aqua mulsa colluatur, vel mel rosatum illinatur.

Atque hæc de morbis linguæ dicta sunt. Jam de symptomatibus dicendum.

CAPUT. VI.

De Læso Gustatu.

Linguæ à natura tum motus tributus est, quo promptè in omnem partem impellatur; qua de causa etiam musculos plures accepit: tum sensus tactus & percipiendi saporis. Motum habet à nervis, qui musculis linguæ implantantur; sensum ab iis, qui in extremam linguæ superficiem & tunicam eius sparguntur. Ita fit, ut lingua partibus extremis saporis dignoscat moveatur verò à musculari, ut scribit

Galenus, 8. *de usupart. cap. 5.* Nervi motus linguæ inservientes sunt à septimo partium nervorum cerebri; qui gustui inserviunt, à tertio partium propagantur.

Quamquam autem gustus tactus quidam est, ut Aristoteles disputat, 2. *de anim. cap. 10.* & utrumque habet à nervis tertii paris: tamen aliquando accidit, ut manente sensu tactus in lingua gustus pereat. Nam ad gustum, qui subtilior sensus est, exquisita admodum in organo sentiendi facultas requiritur, quæ facillè ab aliqua præter naturam causa hebetatur; hebetata tamen sufficere potest ad sensum tactus, qui non ita facillè, ut gustus, in eadem parte læditur & afficitur.

Sed ut pereunte tactu in lingua gustus maneat, fieri nequit. Sæpe verò & hoc usu venit, ut constante gustu tactuq; linguæ, motus eius impediatur; cuius ratio manifesta est, ex diversis sensus & motus nervis, ut diximus. Sensus igitur linguæ inest, tum ut tactiles qualitates percipiat, tum ut gustabiles, qui sunt saporis, eorumq; discrimina varia. Motus inest, ut cibum in ore regat, & tanquam manus dentibus porrigat, & etiam deglutioni inserviat, & ut collectionem & exspuitionem quoque salivæ adjuvet, præcipuè verò ut sermonis formandi sit instrumentum.

Postquam igitur de morbis linguæ dictum; proximum iam est, ut de symptomatibus eius dicamus. Inter actiones læsæ hæc sunt, Gustus læsio, & Motus linguæ læsio.

Ut lingua gustatus organum sit, non solum peculiarem substantiam, car-

nem scilicet ratam, spongiosam ac mollem obtinet, sed & nervos à tertio nervorum pari accipit: quæ ejus naturalis constitutio si lædatur, gustatus læditur.

Læditur autem gustatus tripliciter vel quia imminuitur, vel aboletur, vel depravatur. Imminuitur, cum saltem vapores excellentes percipit; aboletur, cum planè nullos; depravatur, cum obiectum alterius, quàm est, saporis esse iudicat. Imminuitur & aboletur iisdem de causis, quæ in imminuto gustatu sunt minores, in abolito graviore.

Causa gustus læsi. Fit hoc, cum vel spiritus animalis non transmittitur, quia paulatim deficit; quod fit in moribundis: vel quia eius influxus impeditur ab obstructione aut tumore pr. nat. in nervis tertii paris, & parte cerebri, unde nervi illi frigine habent: vel quia nervi tertii paris refrigerantur, aut lingua frigida, aut humida materia perfunditur; ut fit in catharro, aut pustulis: vel ulcere oblidetur.

Depravatur vero gustus, quia vel linguæ substantia, vel membrana illam investiens, vitioso aliquo humore imbuta est. Ita si bile lingua perfunditur, omnia, quæ gustantur, amara esse putantur, in aliis affectibus falsedo vel acor cibus inesse videtur. Nam succus extrinsecus à cibus accedens vitiosum linguæ succum, qui prius quieverat, excitat moverque: gustandi autem facultas non eum, qui iam accessit, sed qui per linguam antea fusus erat, sentiat ac percipit, atque ita quod intus existit in lingua, prohibet extraneum;

quemadmodum hacere docet Galenus, *1. de sympt. caus. cap. 4.* Addit ibi Galenus, aliquando, quamquam rarius, accidere, ut lingua ob *ἀνπίσθητον* sensu gustandi succos, quos in se continet, prius sentiat, quàm aliquid ore acceptum gustet.

Causa.

Vt ergo causas breviter completamur, imminuitur vel aboletur gustus, nervis suis perfrigeratis & emolliis, vel iisdem obstructis, aut male affecta ea parte cerebri, unde illi prodeunt: aut male conformatis nervis, neque ad linguam pertinentibus; quod in Lazaro illo vitivorace, qui nullo prorsus gustu, dum viveret, præditus erat, accidit, cuius mentionem facit Columbus, *lib. 13. Anatom.*

Depravatur vel à causa externa ut assumptis quibusdam in os, quorum sapor non facile è lingua eluitur; vel internis, ut ab humore vel vapore, quo lingua imbuitur. Humor ille vel vapor defertur interdum ex ventriculo, vel intestinis, (quorum tunicam communis est cum linguæ & faucium tunica) item ex utero, epate, liene, pulmone, thorace male affectis: interdum ex faucibus ulcere sanioso obsessis ad linguam mittitur: frequenter denique è cerebro ad fauces & linguam confluit.

Signa Diagnostica.

An sapor imminutus, abolitus, vel depravatus sit, æger patefaciet. Qualis vero ille humor sit, læsi gustatus causa, ex sapore & linguæ colore dignoscitur.

Nam

Nam dulcedo & rubedo sanguinis est; amaror & color citrinus bilis; faldedo & albedo pituitæ putrescentis; aacor & color ater humoris melancholici. Sapor abominabilis pravos in ore ventriculi humores hæere arguit. Pustulæ, tumor & apostema linguæ, oculis cernuntur. Si lingua sit sana & mediocriter rubra, & gustatus immi nuatur vel aboleatur, ægritudo est in capite vel nervis, à quibus gustandi facultas dependet.

Prognostica.

1. Gustus læsio diu perseverans facultatem naturalem lædit. Neque enim homo alimenta discernere potest.

2. Gustus læsio ab intemperie frigida & sicca difficilius curatur, quam ab intemperie calida & humida.

Curatio.

In curatione observandum primò an vitium hæreat in ipsa lingua; an verò cerebri vel nervorum vitio, vel ventriculi, pulmonis, aliarumque partium accidat, ut ad fontem mali, & membrum primario affectum, curatio dirigatur. Si gustus lædatur à causâ calida, eaque humor sit, is convenienter evacuandus. Deinde diu in ore teneatur leniter gargarisando acetum, vel succus malorum granatorum, item succus endiviæ, lactucæ, portulacæ, mucilaginis seminis psyllii & cydoniorum cum aqua rosarum vel acetosæ; fricetur lingua carne limonum & citriorum ad appetitum & gustum revocandum. Si malum sit à causâ frigida, materia præparatur, & convenienter

tes evacuetur; deinde gargarismus fiat ex hyssopo, glycyrrhiza, caricis, melle cui aliquid de rob nucum admisceri potest, ad tollendum saporem extraneum. Si causa sit in pustulis, vel ulcere linguæ, aut lingua per consensum alicuius partis afficiatur, his omnibus sua peculiaris curatio adhibeatur.

QUÆSTIO VII.

De lingua Motu læso.

Lingua motus læsio oritur, affectis *Lingua motus læsio.* nervis septimi paris cerebri prope spinalem medullæ initium, atque ita musculis linguæ affectis, sive intemperie nuda frigida & humida, sive coniuncta cum materia, & nervos illos seu irrigante, seu angustiam in iis patiente; unde post apoplexiam sæpe paralysis linguæ accidit, sive soluta unitate.

Interdum, ut dictum, lingua freno aut vinculo suo arctius astringitur, ut veluti decurtata libere moveri ad sermonem formandum nequeat; sive id ab ortu accidat, sive post ab ulcere aut cicatrice. Et qui à natura tales sunt, principio quidem tarde in sermonem prorumpunt: ubi verò loqui cœperunt, citra difficultatem, & satis festinanter loquuntur. Impediuntur tamen in appellatione nominum & verborum, quorum alias difficilior est pronuntiatio, veluti in quibus R. & L. literæ, frequenter occurrunt, ut describit. Aëtius, *tetrabibl. 2. serm. 4. cap. 36.*

Nonnunquam tumor sub lingua, quæ em Ranulam appellant, oritur, de quo, *cap. quarto*, dictum, quæ etiam motum linguæ impedit.

Læditur & linguæ motus, quando ea tota intumescit, ut etiam antea dictum. Ex ebrietate quoque linguæ motus impeditur, ut homo in loquendo vel titubet, vel mutus reddatur, & nonnunquam convulsus moriatur, nervorum principio nimia vini potatione obruto, teste Hippocrate, *s. aphor. 5.*

Ex concussionem quoque cerebri per ictum vel casum linguæ motus impeditur, eodem Hippocrate teste, *7. aphor. 39. & Galeno, 1. de loc. affect. cap. 6.*

Tandem aliquando à vermibus in intestinis linguæ motus impeditur; cuius exemplum insigne est apud Alexandrum Benedictum, *lib. 5. cap. 15.*

Motus linguæ læsi differentia.

Motus abolitus.

Ex his igitur causis motus linguæ læditur ut vel planè auferatur, vel imminuatur, vel depravetur.

Auferitur motus linguæ, atque ita loquela simul, sive conformationis vitio, à primo ortu, aut post, quando spiritus animalis vel non transfertur ad linguam, sive ob cerebri obstructionem & nervorum angustiam, ut in apoplexia, caro, catoche; sive ob spirituum animalium consumptionem, aut ad interiora retractionem, ut fit in morti proximis, in syncope & uteri suffocatione: vel non recipitur in lingua propterea, quod obstructio vel tumor est in nervis septimi paris cerebri. Ad hanc ergo nervorum angustiam, si perfecta sit, sequitur linguæ paralysis, eaq; interdum citra gustus offensionem:

si levior, ex intervallo modò loquitur homo, modò obmutescit sano corpore.

Imminuitur autem motus linguæ, ut tarda seu difficilis evadat loquela, vel citra vitium linguæ, dum spiritus animales alio vocantur, ut in ira, terrore, nimio gaudio; vel ejusdem vitio. Vitium autem hoc est vel nativum, & tales homines non possunt incipere loqui, nisi prius multoties linguam moverint, & labia, atque hinc expeditè loquuntur, aut multo tempore unam dictionem proferunt, aut, postquam loqui cæperunt, non possunt in sermone progredi, & sæpe eandem syllabam repetunt, quod vitium Græci *ιοχοφοσιαν*, & hæsitantiam linguæ vocant; et si hoc vocabulum exilitatem vocis potius significat: vel adventitium, à lingue vulnere aut apostemate, aut ulcere, excrescentia magna sine apostemate, paralyti secundum medietatem dextram & sinistram.

Lingua hæsitantia

Depravatur motus linguæ, ut una litera & syllaba pro altera præter voluntatem proferatur in vitio, quod *τραυλότης*, blætitas, & *ψεδλότης* balbuties nuncupatur; quarum hæc literas aut syllabas quasdam inter pronunciandū absorbet, vel quasi supprimit: illa literam unam pro altera vitiosè effert, imprimis literam R.

Motus linguæ depravatus.

Blætitas, balbuties

Causa primo est intemperies linguæ & nervorum atque musculorum huius, eaque plerumque humidior, sive nativa sit, ut in pueris, qui post ætatis decursum, vel febre superveniente, absumpta humiditate supervacanea, rectè loquuntur; sive asciticia ex humoris

ris affluentis copiâ à cerebro humidi-
ore, vel ab ebrietate, ob quam humi-
ditatem imbecilliores muscoli linguæ
eam non firmiter ad dentes primos
stabilire & allidere possunt. Interdum
verò intemperies linguæ siccior, ob
quam lingua convellitur & contrahi-
tur, ut rectè extendi & dilatari ne-
queat. Deinde in causa est mala con-
formatio, aut in nimia linguæ brevitä-
te, longitudine, crassitie, aut in mu-
sculorum linguæ conformatione.

Signa Diagnostica.

Linguæ motus læsus ex sermone
læso, ut & masticatione & deglutio-
ne percipitur.

Causas quod attinet, si lingua læ-
datur per consensum à cerebro, noxa
etiam in cæteris functionibus anima-
libus deprehenditur; quod non acci-
dit, si vitium tantum sit in nervis septi-
mi paris cerebri: atque tum, si tenuis
humiditas linguæ musculos penetrat,
ipsoque resolvit, paralytis linguæ
existit. Convulsio verò cognoscitur
ex linguæ contractione. Convulsa
quoque lingua neque ab ægro, neque
ab aliis flecti & moveri facile potest:
paralytica verò per alium non diffi-
culter movetur. Mala conformatio
ligamenti oculis patet. Sicut & tu-
mor, qui, ex quo humore constat, co-
lore aliisque indicis proditur. Si tu-
mor est inflammatorius, durities, do-
lor, & febris adest.

Prognostica.

1. Gravitas & tarditas linguæ re-

lictâ post apoplexiam, carum, lethar-
gum, & similes affectiones, raro, &
difficulter admodum curatur.

2. Ex confirmata paralyti omnes
obmutescunt.

3. Dum lingua tota paralyti affici-
tur, gravis mens Apoplexiæ impen-
det. Galenus, 4. de loc. affect. cap. 2.
Scribit tamen Forestus, libr. 14. observ.
31. in Schol. se non raro observasse lin-
guæ paralytin abortam, quam nulla
apoplexia consecuta est. Quod &
ego observavi in Professore quodam
huius Academiæ, qui ex catarrho su-
bito decidente planè mutus reddeba-
tur, & in tabulam scribere opus ha-
bebat, quid mali pateretur, (sensus &
reliquarum partium motus integer
erat) qui frictionibus adhibitis, &
clystere iniecto, paulò post iterum lo-
qui cæpit, & à catarrho liberatus nun-
quam apoplexiam passus est.

Curatio.

læsus

Si linguæ motus sit à paralyti, vi-
dendum, an sanguis simul peccet, &
tum, præmissa alvi lenitione, mittatur
à cephalica primò, deinde è venis sub
lingua; quod sæpè præsentissimum
huius affectionis fuit remedium.
Quidam etiam cucurbitulas cum sca-
rificatione sub mento ponunt, quæ
& scapulis applicari possunt. Non-
nunquam etiam usurpentur diversio-
nes per clysteres, frictiones, vincula,
& similes.

Si à materia est frigida pituitosa,
præparata illa expurgetur. Usurpen-
tur etiam diversiones omnis generis,

6ggggg

ut

ut supra, parte 1. de Paralyfi, ex hac causa traditum fuit.

Topica quod attinet, usurpentur lationes oris, gargarismi, apophlegmatismi; ex *stœchad. byssopo, organo, primula veris, salvia, puleg. thym. radic. cap. par. calamo aromar. zingib. pyrethr. nigella, pipere, & similibus.*

Lingua fricetur pulv. *spec. diatrion pipereon, diacalaminh. dianth. diagalang. cum conserv. flor. salvia, stœchad. primul. veris, pulv. sem. staphydis agr. sinapis, salis Ammoniac. cum theriac. Michridat. aurea Alexandrin. quæ & fabæ magnitudine in ore detineantur, donec sensum liquefiant.*

Aut dissolvi etiam possunt in spiritu vini, in quo aliquid castorei antea infusum sit, vel in oxymel. scillit. in quo calam. aromar. & hyssop. ebullierint.

Utile est & Castoreum sub lingua detinere.

℞. Nuc. moschat. Drach. j.

castor. Drach. ij.

Cum succo salvia.

Fiant Pastilli lupinorum forma, qui in ore detineantur.

His & similibus & antecedens in capite causa, & coniuncta in lingua tolletur.

Foris probantur unguenta & inunctiones ex oleo vulpino, nardino, costino, & similibus. Stillicidium item ad partem posteriorem capitis & primas colli vertebrae, ascendendo usque ad phænigmos aut cauteria, ad primam vel secundam colli vertebrae, quæ diu aperta servantur; usus denique theriacum.

Si linguæ motus impeditur ob linguæ convulsionem, cervici medicamenta convulsioni commoda apponantur.

Si motus linguæ sit impeditus vicio vinculi linguæ, id transversim incidendam, ut, *cap quinto.* dictum.

Si ob tumorem lingua moveri non possit, vel non rectè moveatur; is curandus ut antea etiam dictum.

* * *

FINIS LIBRI PRIMI.



INDEX

INDEX
RERUM ET
VERBORUM.

A.



ABSINTHII in melanco-
liâ hypochondriaca utili-
tas, pag. 398
Acerum. cur topicis admiscendum, 8. sic-
cat & vigilias inducit, 12. an sinapisinis
admiscendum, 98. eius in affectibus so-
poriferis usus, 251. ebrietatis remedium,
ibid. an melancholicis utile sit, 112. eius
& acidorum usus in nervorum affecti-
bus parvus esse debet, 527
Acida narcoticorum vim infringunt, 252.
257. 678
Acidularum in affectibus hypochondriacis
usus, 399
Ægilops quid, 840. fistula lachrymalis
quid, causa, differentia, ibid. signa
diagnostica, ibid. prognostica, indica-
tiones, curatio, 841. & seqq.
Aër calidus ut corrigendus, 14. frigidus
ut calefaciendus, 31
Agaricus vim alexiteriam obtinet, 444
Amantibus nullus pulsus proprius, 359
Αμάρωσις quid, 864
Αμβλωπία quid, 863

Ambra insigniter cerebrum roborat, 681
Amentes & stolidi qui dicantur, 291
Amor insanus unde dicatur, 354. eius caus-
sa, 355. signa diagnostica, 359. prognosti-
cum, curatio, 360. si ex seminis abun-
dantia & Veneris appetitu ortum habe-
at, quomodo curatio instituenda, 361.
cura eiusdem si ex phileris, diata, 362
Amuleta in convulsionibus, 574. num
in epilepsia profunt, 649. contra dolo-
rem capitis, 745. contra epilepsiam, 618.
contra incubum, 583. contra hamorrha-
giam narium, 955. contra spasimum. 568
Anchilops, 839
Angulorum oculorum vitia, 750
Angustia in nervis quot modis fiet, 517
Annata oculi tunica pustula, 805
Anodyna in ophthalmia, 786
Antepileptica medicamenta simplicia,
606. composita, 608
Antidotus con vulsiva Noribergens. 603
Antidotus è cancri fluvialibus adversus
morsum canis rabidi, 439
Antimonium an in apoplexia locum ha-
beat, 669
Αφαιγεσία quid, 584
Αφωία quid, 657

Gggggg 2

Aspium

INDEX RERUM.

- Apium an epilepticis noxium*, 647
Apophlegmatismi, in affectibus capitis frigid. 91. *caute usurpandi in iis, qui defluxionibus ad pectus sunt obnoxij.* ibid.
Apoplecticarum aquarum usus in paroxysmo, 668. *in apoplectico paroxysmo num vomitaria sint exhibenda*, 694.
Apoplectici ante triduum non sepeliendi, 660.
Apoplexiæ nomen, 656. *definitio, causa*, 657. *differentia*, 660. *differentia à cognatis affectibus, signa diagnostica in genere*, 661. *signa causarum*, 662. *prognostica*, 663. *curatio in genere*, 664. *venæsectio an, quando, qua in parte insituerenda*, 667.
Apoplexiæ pituitosæ curatio, 668. *in hac cerebrum roborantia medicamenta interna*, 670. *externa*, 674. *diata*, 677.
Apoplexiæ à sanguine orta curatio, 677. *à vapore narcotico*, 678. *à causis externis & violentis*, 669.
Apoplexiæ imminentis signa, 680. *preservatio ab apoplexia*, 679. *in quibus consistat*, 680. *in apoplexia sanguinea abstinendum ab aquis apoplecticis*, 681.
Apoplexiæ an à sola intemperie cerebri excitari possit, 684. *an sit morbus hereditarius*, 685. *an à consumptione spirituum animalium omnimoda fieri possit*, ibid. *quæ sit causa proxima*, 686.
Apoplexia in paralyin mutata cur nihilominus sensus interni torpidi, præsertim in senibus, maneat, 691.
Apoplexiæ an à spiritu Vitriolato exhalationes ad caput ascendentes coagulatae producat, 691. *pueri cur rard apoplexiâ corripiantur*, 693.
Apoplexiam an vapor narcoticus excita-
repossit, 691. *an vapores sola commotione humorum excrementitiorum in capite collectorum, apoplexiam extent*, 692. *in apoplexia cur principio nervorum affecto interni sensus lædantur*, 690. *num purgantia in apoplexiâ exhibenda*, 694. *repellentia num conveniant*, 695.
Aqua ad ulcera narium & oris, 932.
Aquæ antepilepticæ, 610. *alia*, 612. *alia D. Cass. Dornavij*, 613.
Aquæ apoplecticæ, 670.
Aqua apoplectica d. n. ibid. D. Sigismund. Kolreuter, 672.
Aquæ apoplecticæ num statim in principio conveniant, 693.
Aqua articularis, 538. *alia, D. Kolreuter*, ibid. *alia D. Brambachij*, 539.
Aqua carbunculi, 123.
Aquæ cephalicæ frigida, 9. *calida*, 20. *humectantes*, 36. *aqua cephalica Langij*, 21. *externa*, 95. *Theriacalis Quercetan*, 211.
Aquæ & spiritus ad vulnera capitis, Ioh. de Vigo, & Iacob. Carpens. 178.
Aqua flor. cichorii ophthalmica, 787. *fragorum ophthalmica*, ibid. *viridis*, 817.
Aqua hirundinum composita, 571. *dulcis, acida*, ibid. *alia*, 610. *aqua hirundinum Kolreuteri*, ibid.
Aqua Infusionis lavendulæ Augustin. Schurffii, 21.
Aquæ narcoticæ, 231.
Aqua ophthalmica D. Andr. Döreri, 873. *Imperator. Maximilian*, 872. *alia ex epate hirci*, ibid.
Aqua picarum composita, 611. *alia*, 612.
Aqua pœoniæ composita, aliâ Stufßwasser dicta, 614.

Aqua

ET. VERBORUM.

Aqua rotis majalis subtilior reliqua aqua;	392.	Aurium doloris caussa an sola intemperies calida esse possit,	921.
Aqua Salviae composita,	537.	Aurium excrementa p. n. & fluxus,	925. curatio, ibid.
Aqua Sapientiae dicta,	304.	Aurium factor,	901.
Aqua Sapphirina,	873.	Aurium inflammatio, caussa, signa diagnostica, prognostica, 894. indicationes & curatio,	895.
Aqua Socialis dicta,	835.	Aurium intemperies cum bile, 891. caussa, signa diagnostica, curatio, ibid.	
Aqua visum fortificans,	874.	Aurium intemperies frigida & humida cum pituita;	890.
Aquavitae rubra Elector: Sacton. dicta, 278: dua alie preciosissima,	205.	Aurium intemperies frigida sine materia;	ibid.
Aqua in hydrocephalo, quo in loco capitis contineatur;	215.	Aurium membranae morbi;	915.
Aquam e capite qua evacuant,	217.	Aurium sonitus diuturni caussa;	907.
Aqua calcis vitae in hydrocephalo,	218.	Aurium sonitus, tinnitus, & sibilus an differant;	905.
Aqua fervens quare in gyrum moveatur;	288.	Aurium tinnitus quid; ibid. subiectum, caussa proxima, ibid. an eius caussa sit sensus acumen, 906. differentia, signa diagnostica; 908. prognostica, 909. indicationes & curatio, 910. diata,	912.
Aromatum usus nimius in melancholia hypochondriaca noxius,	402.	Aurium ulcera, caussa, 897. differentia, signa diagnostica, prognostica, 898. indicationes & curatio,	899.
Arteriae an in affectibus capitis a sanguine secanda, 70. earum apertio aliquando prodest;	272.	Aurium ulcera antiqua, 901. horum curatio,	ibid.
Atram bilem in capite qua preparant;	114. eandem e capite qua purgant;	Aurium ulcus fistulosum,	ibid.
115. purgantibus semper admiscenda humectantia;	ibid.	Aurium vulnera,	904.
Auditus debilitas an sit caussa tinnitus;	926.	in Auribus excrefcens: carnis remedia;	901.
Auditus gravis; 913: caussa; ibid. caussarum signa, 915. prognostica, 916. indicationes, 917: curatio; 918: diata;	920.	in Aurium curatione regala observanda,	920.
Auditus instrumentum proximum;	914.		
Auditorii meatus morbi;	915.		
Auribus immissa cerebrum calefaciunt;	31.		
Auribus aqua illapsa quomodo educenda;	903.		
Aurium dolor; caussa, 921. signa diagnostica; caussarum, prognostica; 922: indicationes & curatio,	923.		

B.

B Albuties; 968.
B Balneum an in hydrophobia conve-
 niat; 441.
 Gggggg 3; Bab-

INDEX RERUM

Balneum an in ophthalmia utile sit, 792
 Balnea artificialia in Paralyfi, 545
 Balsama apoplectica, 674. 682
 Balsamum antiparalyticum Guidon. de
 Carliaco, 542
 Balsamum artificiale ad vulnera cere-
 bri, 187
 Balsama cephalica calida, 25. 29
 Balsamum somniferum, 238
 Bilem in capite preparantia, 75. purgan-
 tia, 76. particulariter evacuantia, 78
 Blasitas, 968. caussa, ibid.
 Boli pituitam e capite purgantes, 85
 Buxi folia in mania, 421

C.

Calculos quandoque in capite
 nasci, 134
 Caligo oculorum, 863
 Camphoræ temperamentum, 16. per
 accidens refrigerat, vigilias excitat, ca-
 put gravat, 14. in capitis affectibus bilio-
 sis cautè usurpanda, 78
 Canes frequentius quàm alia animalia
 in rabiem agi, 430. rabidi quibus signis
 dignoscendi, 433
 in Capitis curatione quæ obseruan-
 da, 4
 Capitis consensus cum ventriculo, 49
 unde ille, 758. cum utero, ibid. cum in-
 testinis, liene, renibus, 49. diaphragma-
 te, partibus externis, 50
 Capitis per consensum ventriculi affe-
 ctu curandi ratio, 53
 Capiti dolor, 737. caussa, ibid. quan-
 doque vermes & calculi eius caussa, 738
 differentia, 740. signa diagnostica, 741
 signa doloris à vermibus, ibid. signa do-
 loris capitis ex urina, 742

Capitis dolor per essentiam, 739. hu-
 jus signa, 741. prognostica, 742. indi-
 cationes, curatio, 744. diata, 748. per
 consensum, ibid. signa, ibid.
 Capitis doloris curatio ab intemperie,
 745. à calore Solis; à casu vel percussio-
 ne, ibid. ab ebrietate, 746. à vermi-
 bus, 747
 Capitis dolor si à ventriculo, in anteri-
 ore; si ab utero, in posteriore parte magis
 percipitur, 740
 Capitis figura optima qua, 124. vitiosa,
 ibid. vitiosa caussa, signa diagnostica,
 prognostica, indicationes & curatio, 125
 Capitis magnitudo vitiosa, 135
 Capitis vulnus nullum contemnendum,
 145
 Capitis vulnera patente membrana quo-
 modo curanda, 175
 Caput ad feri distributionem in totum
 corpus multum facit, 699
 Caput calefacientia fortiora tutius in in-
 temperie cum materia, quàm in nuda
 adhibentur, 27
 Caput ab odoribus repletum quomodo
 curandum, 63. à vaporibus metallicis
 affectum quibus curetur, ibid.
 Caput & Cor roborantia in melancho-
 lia, 110. eidem nocentia, 4
 Caput quomodo cum omnibus serè parti-
 bus consensum habeat, 739
 Caput quot modis evacuetur, 43.
 commodius per palatum quàm per nares,
 ibid. evacuantia, 88. calefacientia &
 roborantia, 97
 Cari nomen, definitio, caussa proxima, 651.
 differentia, signa diagnostica, signa caus-
 sarum, 653. prognostica, 654. indica-
 tiones, curatio, 655. diata, 656
 Castorei in convulsionibus usus externis &
 inter-

INDEX RERUM.

- internus, 570. 574. purgantibus in convulsionibus admiscendum, 568. efficax & potens est in calefaciendo cerebro, 18.
- Cataleptis, 534. definitio, 585. causa, ibid. signa diagnostica, prognostica, 588. indicationes, curatio, diata, 589. in ea an spiritus illi, qui sensui & motui inferiunt, an verò qui sensibus internis, an verò omnes spiritus animales congelentur, 586.
- Cataphora, vide coma.
- Cataracta, 827.
- Catarrhus quid, 700. eius nomen bifariam sumitur, ibid. generaliter & specialiter acceptus quid, 700. causa eius proxima, 701. huius qualis materia, quibus de causis generetur, ibid. unde moveatur, 702. ad quas partes fluat, 703. per quas vias, 704. eius differentia, ibid. signa diagnostica, 705. prognostica, 706. indicationes & curatio, 707. in catarrho partem primariò affectam investigandi ratio, 706.
- Catarrhi calidi curatio, 715. in catarrho calido an cerota & emplastra è fimo columbino & hapsia convenient, 724.
- Catarrhi frigidi curatio, 708. in preparantibus & purgantibus quæ observanda, 709. particulariter evacuantiæ an rursù in omnibus catarrhis adhiberi possint, & quid in eorum usu notandum, 710.
- Catarrhum cum impetu fluentem sistendi ratio, 716. incrassantibus quando utendum, 717. partes eum suscipientes quomodo roboranda, 722. partium catarrho materiam suppeditantium quomodo habenda ratio, 723.
- Catarrhi suffocativi curatio, 721.
- Cauteria futuræ coronali an applicanda, 47. quo in loco applicanda pro revulsione à capite, 53. eorum in melancholia usus, 117. in apoplexia, 677.
- Cephalæa & hemicrania, 747. causa, curatio, ibid.
- Cerebrum tripliciter consideratur, 315. facile noxam percipit, 7. ei tutius calefacientia quam refrigerantia adhibentur, 17. in eius morbis calidis saccharo albisimo utendum, 10. ad actiones suas principes exercendas certum caliditatis & humiditatis gradum requirit, 292. occulta qualitates ipsi non deneganda, ibid. qualis eius requiratur constitutio ad operationes mentis, 293. in apoplexiâ quæ illud roborent, 670.
- Cerebri p. n. affecti signa, 4. an per se, an consensum afficiatur, 40. signa à statu affecti, 42. ab humore affecti, ibid. à ventriculo per consensum affecti, 50. ab utero, epate, 51. liene, corde, pulmone, 52.
- Cerebri excrementa, 696. 726. horum qualis sit materia, 696. à quibus causis generentur, ibid. per quæ loca evasuentur, 697. quæ affectiones pariant, 698.
- Cerebri cocti canis usus in mania, 421.
- Cerebri gallinarum in vulneribus capitii usus, 189.
- Cerebri leporis in Paralyfi usus, 535.
- Cerebri commotio, 135. eius causa, ibid. signa diagnostica, 136. prognostica, indicationes, curatio, 137. diata, 139.
- Cerebri meatuû angustia, causa, 127. signa diagnostica, 129. prognostica, 130. eius curatio à vapore, 30. à carbonum fumis, ibid. à pituita à sanguine, à cranij compressione, 131.
- Cerebri vulnera an omnia sint lethalia, 184.
- Cerota.

INDEX RERUM

- Cerota & emplastra cephalica, 13
 Cerotum Montagnana, 714. Vigoni, 138
 eiusdem de minio, 143
 Chalybis in obstructionibus hypochondri-
 orum usus, 398
 Chatabirum, 330
 Χημῶσι & curatio, 790
 Choreia S. Viti, 450. eius causa humor
 malignus tarantula veneno similis, ibid.
 Ciliorum mollities, 770. causa, cura-
 tio, ibid.
 Ciliorum Φαλαγγισσις, 766. causa, cura-
 tio, 767
 Ciliorum vitia, 766. pediculi, 765. causa,
 ibid. prognosticum, curatio, 766
 Clysteres acres in apoplexia, 665. non
 solum ex primis viis evacuant, sed & à
 membris principalibus & cerebro humo-
 res versus inferiora trahunt, 81
 Cochlearum in hydrocephalo usus, 218
 Cœcitas & visus debilitas, 862. causa,
 865. signa causarum, 869. prognosti-
 ca curatio, 870
 Cœcitas ex scabie, affectu hypochondri-
 co, 866
 Coctionis prima errata non corrigi in se-
 cunda, 383
 Collyria, 788. in his quid observandum,
 797. Foresti, 800. Palmarij, 736
 Coma & cataphora, 252. nomen, 253.
 definitio, causa, 254. signa diagnosti-
 ca, prognostica, 255. indicationes, cura-
 tio, 256
 Coma vigil, 451. eius natura, differentia,
 causa, ibid. signa diagnostica, progno-
 stica, indicationes & curatio, 453
 Compressio meatuum cerebri, eiusque
 causa, 128
 Confectio capitalis D. Caspar. Kegle-
 ri, 275
 Confectio anacardina ad roborandam
 memoriam cautè exhibenda, 301
 Confectio Hamech in melancholia non
 satis commoda, 370
 Confectio Alkermes magnam effica-
 ciam cor roborandi & exhilarandi ob-
 tinet, 377
 Conformatio capitis vitiosa ingenio &
 memoria obest, 297
 Congelatio à frigore hyberno diversa à
 catalepsi, 588
 Conservæ cephalicæ calida, 22. refri-
 gerantes, 9. humectantes, 36
 Contraffitura cranii, 155. quo loco fiat,
 ibid. signa, 161. prognostica, 162. cura-
 tio, 167
 Contusio capitis, 141. causa, prognosti-
 ca, indicationes & curatio, ibid.
 Contusio capitis puerorum, 144
 cranij, 152. eius species, 153
 Convulsi an aqua frigida perfundendi,
 572
 Convulsio & distentio non differunt,
 555
 Convulsio & motus convulsi differunt,
 ibid.
 Convulsi motus in epilepsia quis au-
 thor, 643
 Coriandrum an ad supprimendos vapo-
 res è ventriculo ascendentes usurpan-
 dum, 64
 Cornæ tunicæ vitia, 650. cancer, 811.
 causa, signa diagnostica, ibid. progno-
 sticum, curatio, 812
 Cornæ colores vitiosi, leucoma seu albu-
 go, causa, 801. differentia signa diagno-
 stica, prognostica, indicationes, curatio,
 802. topica, ibid.
 Cornæ & annatæ postulatæ, 805. causa,
 ibid. signa diagnostica, prognostica,
 indica-

ET VERBORUM.

indicaciones, 806. curatio, topica, 807.
diata, 808
 Corneæ pustula ab uvea proidentia quo-
 modo discernatur, 806
 Corneæ & annatæ ulcera, 808. *caussa*,
differentia, *ibid.* *signa diagnostica*, *pro-*
gnostica, *indicaciones*, 809. *curatio*,
 810. *diata*, 811. *sub* Cornea pus, 819.
caussa, *signa diagnostica*, *curatio*, *ibid.*
 Corneæ crassities, 801. *caussa*, *signa di-*
agnostica, *prognostica*, *curatio*, *ibid.*
 Corneæ ulus, 800
 Coryza quid, 700. 958
 Cranii vulnera sine meningum & cerebri
lesione, 151
 Cranii fractura cute integrâ manente,
 180. an in ea cutis secanda, 196
 Cranii caries, 200. *signa diagnostica*, *pro-*
gnosticum, *curatio* *ibid.*
 Cranio denudato quæ medicamenta
imponenda, 148. *pinguia non imponen-*
da, 171
 Cranium in fracturis quomodo raden-
 dum, 170. quomodo aperiendum, 172.
 quo in loco aperiendum, 174. quando
 aperiendum, *ibid.* *fissum an statim &*
semper radendum, 192
 Crapula & ebrietas maxima ingenij &
memoria pestes, 295
 Cruditatis nidor osæ, & acida remedia,
 53
 Crystallini humoris vitia, 750. 847.
eius effluxus, 848. *fitus mutatus*, 849.
soluta continuitas, *ibid.*
 Crystallinus humor an tenuior fieri pos-
 sit, 848. an maior vel minor, *ibid.*
 Cucurbitulæ in affectibus capitis cui
 loco applicanda, 72. in apoplexia qui-
 bus partibus applicanda, 667. earum

L. I.

cum scarificatione usus in convulsione,
 567. in apoplexiâ, 665

D.

Δαούτης palpebrarum quid, 55
 Decocta cephalica calida, 18. humida,
 36
 Decoctum fœnigræci in ophthalmia,
 787
 Decoctum ligni Guajaci in affectibus
 capitis, 88. *singulare sudoriferum in epi-*
lepsia, 605
 Defensiva in vulneribus capitis, 179
 Delirium, 314. *eius caussa proxima*, *ibid.*
differentia, 316. *delirium simplex*, 317.
quas habeat caussas, *ibid.* *signa diagno-*
stica, *prognostica*, 319. *indicaciones &*
curatio, 320
 Depressio cranij sine fractura, 139. *caussa*,
signa, *curatio*, *ibid.* *cum fractura*, 154
 Derivantia materiam è capite, 55
 Diabolus melancholiæ se admiscens
 quibus cognoscendus, 366
 Diacydonium purgans in mania, 419
 Diuretica an in melancholia hypochon-
 driaca convenient, 390
 Dolor, *eius subjectum*, 731. quomodo sit
depravata actio, 732. *caussa proxima*,
 732. *caussa mediata*, 733. *differentia*,
 734. *signa diagnostica*, 735. *indicatio-*
nes & curatio, 736. *per anodyna*, *nar-*
cotica, *ibid.* Num omnis intemperies do-
 lorem inducat, 734. qui dolores pericu-
 losiores, 742
 Dolor oculorum, 817. eum mitigantia,
 818
 Dulcia facile in bilem mutantur, 75. lie-
 ni non facile conveniunt, 391
 H h h h h h Dura-

- Duramater quandoq; aperienda, 173. quo loco, quo tempore aperienda, 174. in eius corruptione qua usurpanda, 183. eius contusio, 184. vulnera, 184. huic denudata an siccantia, an verò humectantia medicamenta imponenda, 193
- E.
- E**brietas, 322. preservatio ab eâ, 324. eius curatio, 325
- Ebrii & furiosi cur res geminatè videant, 879
- Ecstasis quid, 584
- Ἐκστασις, 761
- Electuariâ ad confortationem nervorum post morbos diuturnos, 497
- Electuaria cephalica calida, 24. Langij, ibid. humectantia, 36
- Electuaria cerebrum roborantia in apoplexia pituitosa, 681
- Electuar. antiphalangium contra mersum tarantulae, 449
- Elect. de chalybe D. Kolreuteri, 398
- Electuarium epilepticum Cratonis, 616. Montagnana, 617. Nicolai Florentin, 616
- Electuarium Humaim, 855
- Elect. Mesue ad spiritus multiplicandos, & confortandos, 323
- Electuar. opiatum Plateri, 236
- Embroschæ in intemperie cerebri humida, 33
- Ἐμψροχὸν, 532
- Emplasta & cerota cephalica cal. 27
- Emplastrum in lethargo & caro à somno excitans, 97
- Emplastrum e gummi hederae, 139.
- Emplastrum Helidæi, quod mirum in modum humiditatem in contusionibus discutit, 143
- Emplastrum cephalicum, 177. de Retonica, 176. Guilhi. Fabric. 177. Francisc. Arcaei, ibid. Isis cephalicum, 194. in vigiliis nimis ad somnum inducendum, 239. preservans ab apoplexiâ, 682
- Emulsiones cephalicæ humectantes, 36
- Encanthis & carni lachrymalis incrementum, 843. Encanthis quid, signa, prognostica, curatio, 844
- Epatis in catarrho ut habenda ratio, 723
- Epatis ranarum preparatio, 607
- Epilepsia unde dicta, & qua habeat synonyma, 589. definitio, 590. subiectura, 638. causa proxima, 639. quam huius causa specifica proprietates, 641. causa, 590. differentia, 591. signa diagnostica epilepsia imminentis, & presentis, 592. prognostica, 593. indicationes, 594. cura in paroxysmo, 595. medicamenta externa, 596. interna, 598. cura post paroxysmum, 599. venesectio quando adhibenda, quando omittenda, ibid. dicta, 622
- in Epilepsia preparantia humorem pituitosum, 599. melancholicum, 601. biliosum, ibid. purgantia humorem pituitosum, 602. mixtos, ibid.
- in Epilepsia preparantia, alterantia, itemque purgantia sepius repetenda, 603
- in Epilepsia sudorifera, ibid. capitis particulares evacuationes per errhina, apoplegmatismos, 619. gargarismos, cauteria, 620
- in Epilepsia cerebrum roborantia, ibid.
- Epilepsia per primarium cerebri affectum, 623. huius signa diagnostica, prognostica, curatio, 624
- Epilepsia per consensum ventriculi, huius signa diagnostica, 626. curatio, 627
- Epile-

ET VERBORUM.

- Epilepsia ab utero, huius signa diagnostica, 628. curatio, 629. medicamenta suaveolentia in hac non exhibenda, ibid.
- Epilepsia à verminibus, huius signa & curatio, 628
- Epilepsia à partibus externis, causa, signa diagnostica, 631. curatio in paroxysmo, extra paroxysmum, 632
- Epilepsia per consensum ubi de mali fonte non constat, ibid. huius prognostica, curatio, 633
- Epilepticorum infantium curatio in paroxysmo, ibid. extra paroxysmum, 635
- Epilepticorum lactentium per consensum ventriculi curatio, 636
- Epilepticorum infantium ab lactatorum curatio, 637. diata, 638
- in Epilepticorum paroxysmo quid agendum, 595. an sanguis in eo mittendus, 645. num extra eum, ibid. que ventria aperienda, 646. num vomitus conveniat, ibid.
- Epiphora quid, 885. differentia, causa, signa diagnostica, signa diagnostica prognostica, 886. indicationes, curatio, 887
- Epithemata uti capiti applicanda, 25
- Epithema ex cineribus & aceto vicenn. ibid.
- Errhina sunt duplicia, 44. quando abstinendum ab iis, ibid. qua in eorum usu observanda, ibid. usurpanda tempore matutino, ventriculo jejuno, 89. eorum materia, ibid. fortiora in catarrho vitanda, 91. in apoplexia pituitosa, 670. in ophthalmia an conveniant, 784
- Extractum ellebori nigri, 375. 604
- ceat, 545. num pro spasmo curando excitanda, 576
- Febris catarrhalis, 703
- Fissura cranii, 151. eius causa, ibid. differentia, 152. quomodo exploranda. 158. fissura in qua externa solum lamina, internam integram manente, quomodo curanda, 170
- Fistula lachrymalis, 840. causa, ibid.
- Fistulae ex ægilope curatio, 842
- Flatuum & vaporum, differentia, 58. eorum generatio & causa, signa, 59. per quas vias ad caput ascendunt, prognosticum, indicationes, 60. curatio, 61. quibus medicamentis discutiendi, ibid. diata, 63
- Fœmina gravida obcœcata, 851
- Fœminæ fortiora purgantia non ferunt, 405
- Fonticuli in morbis capitis ubi & quando excitandi, 45
- Fracturae cranii, earumque differentia, 151. causa, 157. signa diagnostica, 158. prognostica, 162. curatio, 167
- à Fractura cranii que pericula imminant, 172
- Fractura cranii cum meningum & cerebri lesione, 182
- Frigus num saltem densando nervos paralysis inducat, 550
- Frontis vulnera an sint suenda, 191
- Fungi cerebri, 198. eius subiectum, ibid. signa diagnostica, prognostica, indicationes & curatio, 199
- Furor uterius, 424. causa, signa, curatio, ibid. diata, 425

F.

Febres quomodo vigilias inducant, 244. num in paralyysi accendere li-

G.

Galeata passio & ovum quid Arabibus, 740
Hhhhhh 2 Galla-

INDEX RERUM

Gallaturæ efficacia in effectibus oculo-
rum, 818
Gargarismi & collationes oris, 93
catharrhum intercipientes, 718
Glaucoma, 848. causa, signa diagnosti-
ca, prognostica, ibid.
Gummi olei utilitas, 175
Gustus læsio, 965. causa, signa diagno-
stica, 966. prognostica, curatio, 967.
læditur servato motu lingua, 965
Gutta serena, 851. causa, signa diagno-
stica, prognostica, ibid. curatio, 852

H.

Hæmorrhagiæ futura signa, 744
Hæmorrhoidum provocatio in
omnibus capitis morbis utilis, 69. earum
fluxus multum ad melancholiam curan-
dam prodest, 388
Helleborismus Matthioli, 347
Helleborus niger qui in nostris regioni-
bus crescit, non tam vehemens, ut qui in
calidis regionibus, 371. quomodo prepa-
randus, 372. rice preparatus tunc in
melancholiâ adhibetur, 371. & intus &
extra utiliter usurpatur, 423
Horror & rigor vehementiâ saltem &
magnitudine differunt, 482. quomodo
ad facultatis animalis & motus deprava-
ti symptomata referantur, ibid. caus-
sa proxima, 483. subiectum, 484
Humoris aquei vicia, 751. 486. eius
crassities quid, causa, signa diagnostica,
curatio, quantitas aucta, imminuta.
ibid. effusio, 847. signa diagnostica,
prognostica, curatio, ibid. obscuratio,
ibid. causa, signa, curatio, ibid.
Humor aqueus an tenuis fieri possit, 846.
an nimis augeri possit, ibid.

Humorem melancholicum preparan-
tia, 107. evacuantia, 108. ad eius gene-
rationem qua faciunt, 383.
Humores in capite quomodo evacuandi,
46. quot modis cerebrum afficiant, 41
Humores num in nervos sese insinuare
possint, 252
Hydrocephalon, 215. causa, ibid. fre-
quentius infantibus, quam adultis ob-
tingit, 216. signa diagnostica, ibid. pro-
gnostica, indicationes curatio, 217
Hydrophobia, 429. causa, 430. signa
diagnostica, 432. prognostica, indicatio-
nes, 434. curatio, 435. antidota: inter-
na, 438. balneum an conveniat, 441.
venesectio an conveniat, 442. purgan-
tia medicamenta an conveniant, 443
Hydrargyrum quomodo tremoris causa,
504
Hydroticum ad versus epilepsiam Quer-
cetani, 606
Hypochondriaca affectio latius patet
quam melancholia hypochondriaca, 380
Hypochondriacæ affectionis signa ex
Galeno, 386
Hypopyum, 819. causa, signa, curatio,
ibid.
Hyllöpi facultas, 816

I.

Ictericis an visus depravetur, 805
Ictigatio quid, 480
Incubi varia appellationes, 577. definitio,
ibid. causa, 578. differentia, signa dia-
gnostica, prognostica, 580. indicationes,
curatio, 581. diata, 583
Incubi ab epilepsia differentia, 580
in Incubo cerebrum afficitur, ibid.
Inflammatiö cerebri & meningum,
201. caus-

ET VERBORUM.

201. *caussa*, 202. *differentia*, 203. *signa inflammationis membranarum*, *ibid.*
cerebri, 204. *prognostica*, 205. *indicationes*, *curatio*, 207. *dieta*, 213
in Inflammatione cerebri qua vena & quando aperienda, 208. *quantum sanguinis evacuandum*, *ibid.* *an electivè purgantia conveniant*, 209. 213. *repellentia qualia conveniant*, & *an tepida vel frigida sint adhibenda*, 210. *somnum conciliantia*, 211. *discurientia*, 212
Ingenia secundum regiones & temperamentorum varietates variant, 293
Inquietudo, 486. *caussa*, *signa diagnostica*, *prognostica*, 481. *curatio*, 482
Insomnia immoderata, 260. *caussa*, 261 *signa diagnostica*, *prognostica*, *indicationes*, *curatio*, 262.
Intemperies capitis sine materia, 5. *caussa*, *signa*, *curatio*, *ibid.* *an & quare in eà purgandum*, 6.
Intemperies cerebri calida sine materia, *caussa*, *signa diagnostica*, 6. *prognostica*, *indicationes*, 7. *curatio*, 8. *dieta*, 14.
Intemperies cerebri frigida sine materia, *caussa*, 16. *signa diagnostica*, *prognostica*, *indicationes*, 17. *curatio*, 18. *dieta*, 31.
Intemperies cerebri humida sine materia, 32. *caussa*, *signa diagnostica*, *prognostica*, *indicatio*, *curatio*, *ibid.* *dieta*, 34
Intemperies cerebri sicca, 35. *caussa*, *signa diagnostica*, *prognosticum*, *indicatio*, *ibid.* *curatio*, 36. *dieta*, 37.
Intemperies cerebri compositæ sine materia, *signa*, *curatio*, 38
Intemperies cerebri cum materia, 39. *caussa*, *signa diagnostica*, 39. *curatio*, 42
Intemperies cerebri cum materia per consensum, 49. *signa diagnostica*, 50. *prognosticum*, *indicationes & curatio*, 52
Intemperies capitis cum vapore & flatu, 58. *caussa*, *signa diagnostica*, 59. *prognosticum*, *indicationes*, 60. *curatio*, 61. *dieta*, 63
Intemperies capitis à vento quibus curretur, 62
Intemperies cerebri cum sanguine, 64. *caussa*, *ibid.* *signa diagnostica*, 64. *prognosticum*, *indicationes*, 65 *curatio*, 66. *dieta*, 68
Intemperies cerebri cum bile, 73. *caussa*, *signa*, *ibid.* *indicationes*, *curatio*, 74. *dieta*, *an in hac discurientia & resolventia locum habeant*, 79
Intemperies cerebri cum pituitâ caussa, *signa diagnostica*, 80. *prognostica*, *indicationes*, *auxilia & curatio*, 81. *dieta*, 98
Intemperies cerebri cum humore seroso, 99. *caussa*, 100. *signa diagnostica*, *indicationes*, *curatio*, 101. *dieta*, 104
Intemperies cerebri cum humore melancholico, 105. *caussa*, *signa diagnostica*, *ibid.* *prognostica*, *indicationes*, *curatio*, 106. *dieta*, 111
Intemperies cerebri cum bile atra, 112. *caussa*, *ibid.* *signa diagnostica*, *prognostica*, *indicationes*, 113. *curatio*, 114. *dieta*, 117
Inunctiones ad somnum conciliandum, 237. *palati*, 92. *pedum & manuum ad calefaciendum caput*, 31
Iris splendores circa oculum, 876. *caussa*, 879

L.

L A c caput replet, 4. facile corrumpitur, *ibid.*

H h h h h 3

Λ α

INDEX RERUM

- Ασπιόφθαλμον, causa*, 763. *signa prognostica, curatio*, ibid.
 Lachrymæ sanguineæ, 888. *causa, curatio*, ibid.
 Lapis Lazuli habet vim purgandi & segregandi à sanguine vapores melancholicos, 377
 Lassitudo quid, 474. eius differentia, ibid. lassitudo spontanea, exsiccativa quid, ibid. ulcerosa, 475. *causa*, ibid. Tensiva quid, eius *causa*, ibid. Phlegmonodes, eiusque *causa*, ibid. exsiccativa *causa*, 476. gracilitatis, ibid. *signa diagnostica, prognostica*, ibid. *indicationes, curatio lassitudinis spontanea*, 477. in ulcerosa purgatione; in tensiva sanguinis missione, in phlegmonodi utroque auxilio opus, ibid.
 Lassitudinis ex labore *curatio*, 478
 Laudanum opiatum *descript. nost.* 234. D. ndr. Doreri, ibid.
 Lemæ seu sordes oculorum, 885. *causa, curatio*, ibid.
 Lethargus quid, 459. est affectus inter coma vigil & carum media natura, ibid. non est primarius cerebri affectus, fit à vapore narcotico, est symptoma febris continue lenta, 462. est duplex, 463. eius *causa & locus affectus*, 459. *signa diagnostica*, 463. à cognatis affectibus *distinguentia*, 464. *prognostica*, ibid. *indicationes, curatio*, 466. an vena, & qua *secanda*, ibid. purgatio qualis *instituenda*, 467. purgantia qualia *esse debeant*, ibid. repellentia *quomodo adhibenda*, ibid. quibus è somno *excitandus ager*, 468. *sufficit an conveniat*, ibid. *materia morbifica preparatio qualis esse debeat*, ibid. *evacuatio per urinam quando conveniat*, 470. *sudor*
ris provocatio aliquando utilis, 471. ad caput particulariter purgandum qualia *convenient*, ibid. in vesicatoriorum applicatione *qua observanda*, 472. *capitis roboratio quibus perficienda*, ibid. *dieta*, 473
 Lien humoris melancholici *sedes*, 381
 Ligatura arcta fluxiones arceat, 142
 Liliæ convallii radix pulverisfata sternutationem *ciet*, 90
 Linguae adstrictio 964. *curatio*, 965
 Linguae calculi, 962. 963
 Linguae magnitudo nimia, tumor *causa*, 960. *signa diagnostica, prognostica, curatio*, 961
 Linguae motus læsus, 967. *causa*, ibid. *differentia*, 968. *motus abolitus*, ibid. *depravatus*, ibid. *signa diagnostica, prognostica, curatio*, 969. *topica*, 970
 Linguae scabrities, asperitas, 959. *causa*, ibid. *curatio*, 960
 Linguae tumor cancrifus, 962. *inflammatio*, ibid. tumor à veneno, ibid.
 Linguae usus, 959
 Linguae vulnera, 962. *curatio*, ibid.
 Linimenta cephalica, frigida, 22. *calida*, 26. *humectantia*, 36
 Linimentum extrahens saniem & materiam sub *crania*, 182
 Lixivia in intemperie cerebri sicca non *usurpanda*, 37
 Lotiones extremorum in intemperie capitis *calida*, 14
 Luna in morbis cerebri *vis*, 39
 Lycanthropia, 429. *eius differentia*, ibid

M.

Mania, 410. *quomodo à melancholia differat*, ibid. in ea simul cor *affici*,

ET VERBORUM.

- affici, 411. *caussa*, *ibid.* *differentie*, 413. *signa diagnostica*, 414. *admirandum maniacarum robur unde dependeat*, *ibid.* *signa mania instantis*, 415. *prognostica*, *ibid.* *indicationes & curatio*, 416. *curatio à sanguinis evacuatione inchoanda*, *ibid.* *que vena aperienda*, *preparantia qualia esse debeant*, 417. *purgantia qualia convenient*, 418. *cerebrum & cor confortanda*, 420. *somnus omnibus modis conciliandus*, *ibid.* *Empirica quadam & specifica*, 421. *Topica, & que circa eorum usum observanda*, 422. *cauteria sutura coronali applicata hic utilia*, 423.
- Maniacos peregrinis linguis loqui non posse, 425. *iidem quomodo tam diu vivere possint*, 429.
- Maslach Turcarum quid sit, 325.
- Meatus & cavitates in cerebro, 126. *earum obstructio, eiusque causa*, 127.
- Medicamenta albuginem oculi colorantia, 804.
- Medicamenta antepileptica interna, *simplicia*, 606. *composita*, 608. *externa*, 618.
- Medicamenta caput calefacientia, *simplicia interna, externa, composita interna*, 18. *externa*, 24.
- Medicamenta caput refrigerantia *simplicia interna*, 8. *externa, ibid. composita interna*, 9. *externa*, 10.
- Medicamenta cerebrum humectantia *interna*, 36. *externa, ibid. composita*, *ibid.*
- Medicamenta memoriam & ingenium conservantia & confortantia, 300.
- Medicamenta dolorem oculorum mitigantia, 818.
- Medicamenta externa ophthalmica *simplicia, composita*, 871. *interna*, 873.
- Medicamenta glutinantia, 954.
- Medicamenta hypnotica, 744.
- Medicamenta ophthalmica extergentia, 769. 834. *cicatricem oculi emellentia*, 802. *abstergentia*, 803.
- Medicamenta ophthalmica qualia esse debeant, 779.
- Medicamenta sanguinis fluxum sistentia *interna, externa*, 951. 952.
- Medicamenta spiritus opticos confortantia, 855.
- Melancholia in genere, *nomen*, 337. *definitio*, 338. 339. *ab aliis deliriis quomodo differat*, 338. *vagna melancholicorum varietas*, 340. *cor etiam in ea afficitur, ibid. causa, quomodo timorem & maestitiam inducat*, 341. *differentia*, 343. *signa diagnostica*, 344. *prognostica*, 345. *curatio*, 346. *medicamentis semper admiscenda cordialia, diata*, 347.
- Melancholia quæ fit cerebro primario affecto, 348. *caussa, ibid. signa diagnostica, prognostica, indicationes, curatio*, 350. *diata*, 354.
- Melancholica cerebri dispositio non in qualitatibus primis solum consistit, 348.
- Melancholia errabunda, *Kutubuth Arabibus dicta*, 406. *caussa, signa diagnostica, curatio*, 407.
- Melancholia attonita, 408. *caussa, signa diagnostica*, 409. *curatio*, 410.
- Melancholia ex utero, 403. *caussa, ibid. signa diagnostica, prognostica, indicationes, curatio, qua vena aperienda*, 404. *cor & cerebrum simul confortanda*, 416.
- Melan-

INDEX RERUM

- Melancholia hypochondriaca, 389.
caussa, subiectum, 381. *per quam viam vapores ad caput ferantur*, 382. *caussa antecedentes qua*, *ibid. caussa, remota & procatartica*, 383. *signa diagnostica*, 385. *prognostica, indicationes*, 387. *curatio*, 388. *vitanda medicamenta purgantia validiora & à partibus remotioribus trahentia*, *ibid. sanguis an evacuan- dus, & per quas vias*, *ibid. vomitoria nonnunquam in principio non inutilia*, 389. *humorem melancholicum preparantia, in hypochondriaca, qualia esse debeant*, *ibid. ab initio fortiora urinam moventia non usurpanda*, 390, *ut & valde calida*, *ibid. purgantia debent esse mitiora*, 392. *topica qualia convenient*, 400. *balneum aqua dulc. post purgationem non inutile*, *ibid. ad corroboranda viscera qua adhibenda*, *ibid. dia- eta*, 402
- Melancholia per consensum cordis & totius, 363. *caussa, ibid. signa diagnostica*, 365. *prognostica, indicationes*, 366. *curatio*, 367. *venasectio an, & quando conveniat*, *ibid. qua vena se- canda*, 368. *preparantia, ibid. purgan- tia quando mitiora, quando vehemen- tiora usurpanda*, 371. *circa purgatio- nem qua observanda*, 372. *balneum im- primis utile*, 376. *diata*, 379
- Memoria depravari non potest, 290. *lata memoria plerumque stoliditatis caussa*, *ibid. lata memoria laditur & phantasia & ratiocinatio*, 291. *memoria lata ex- empla, ibid. caussa, ibid. ad memoriam qua cerebri constitutus aptissima*, 295. *non fieri per modum impressionis*, *ibid. lata memoria signa*, 297. *prognostica, indicationes, curatio*, 298. *purgantia*, 299. *alterantia & roborantia interna*, 300. *externa*, 308. *diata*, 313
- Memoria in maniacis maximà ex parte servatur, 411
- Modiolo non nisi summà necessitate ur- gente utendum, 173
- Morbi intemperiei capitis, 3. *signa, cu- ratio*, 4
- Morbi conformationis in capite, 124. *caussa, signa diagnostica, prognostica, indicatio & curatio*, 125
- Morbi meatuum & cavitatum cerebri, 126. *caussa*, 127. *signa diagnosti- ca*, 129. *prognostica, curatio*, 130
- Morbi numeri in capite, 132. *caussa, si- gna diagnostica, prognostica, indicatio- nes*, 133. *curatio*, 134
- Morbi magnitudinis in capite, 135
- Morbi solutæ unitatis, 140. *caussa, pro- gnostica, indicationes, curatio*, 141
- Morbi venenati & maligni, & tota sub- stantia cerebro contrarij, 118
- Morbi per crisin facti citius curantur, 416
- Moschus in hysteriis vitandus, 30
- Morus impotentia, 505. *latius patet quam paralysis, ibid. caussa*, 506. *si- gna*, 508. *prognostica*, 509. *curatio eius qua fit à musculorum refrigeratione*, 509. *ab exsiccatione*, 510. *curatio ex duris tumoribus & ligamentorum vi- tiis*, 512
- Mullum cephalicum, 20
- Musculi oculis cur dati, 856
- Musculorum oculi vitia, 751. 856. *pa- ralysis, convulsio*, *ibid.*
- Musicæ in Tarantatis vis, 449
- Μυδίασις quid, 822
- Μυοκέφαλον quid, 820

ET VERBORUM.

Myrobalani humorum ad caput motum impediunt & caput roborant,	168	Nervi omnes à cerebro & spinali medulla oriuntur,	127
Mucronia,	864	Nervi optici affecti signa,	809
Mucoris,	826	Nervorum opticorum vitia, 751. 851. angustia, causa, signa diagnostica, pro- gnostica, ibid. curatio, 852. contorsio, ibid. vulnera,	853

N.

N arcotica & Hypnotica, 231. in- terna, 232. externa, 237. in qua par- te capitis applicanda, 745. quo tempore exhibenda, 242. quâ vi somnum conci- lient, 249. spiritus sopiunt, 691. apo- plexiam inducere possunt, ibid. noxa ab illa inducta, ut corrigenda, 242. eorum vim qua infringant,	257	Nervorum opticorum coniunctionis qua sit causa, 878. eorum siccitas an sit causa laesa visionis,	866
Narium angustia, causa, 937. curatio,	938	Nictatio oculorum unde proveniat,	480
Narium cancer, signa, curatio, 933. do- loris cum ulceribus curatio,	932	Nocturnæ lucubrationes memoria ob- sunt,	313
Narium foetor, causa, signa diagnostica, 942. prognostica, indicationes, cura- tio,	943	Noduli odorati calidi, 30. in vigiliis ni- mis, 240. profistendis cataractis,	720
Narium hæmorrhagia, ibid. causa, 944. differentia, signa diagnostica, 945 future indicia, 946. indicationes, cura- tio, 949. 950. diata, 956. in huius cu- ratione canones observandi,	949	Nux Moschata non tantum ob manife- stas, sed & occultas qualitates memori- am consortat,	300
Narium polypus, 933. causa, differen- tia, prognostica, 934. indicationes, cu- ratio, 935. per chirurgiam, per medica- menta, ibid. topica,	936	Nyctalopia quid, 864. causa, 865. pro- gnostica,	870
Narium sarcoma,	933		
Narium ulcera, 927. causa, differentia, 928. signa diagnostica, prognostica, in- dicationes, curatio, 929. ulceris corro- sivi curatio, 932. diata,	933		
Narium usus,	927		
Narium vulnera,	838		
Nervi auditorii morbi,	914		

O.

O Baudirus, causa,	912
O Bcecati ex suffusione cur splendorem ac lumen sese videre inter- dum existiment,	880
Obscura desipientiæ quæ Hippocrati dicantur,	206
Obstructio meatuum cerebri, eius causa,	127
Obstructio nervorum quomodo fiat,	517
Oculi atrophia, 858. causa, signa diagno- stica, prognostica, curatio,	ibid.
Oculi defectus,	857
Oculi morbi quotuplices,	750
Oculi partes duplices,	749

INDEX RERUM

- Oculi totius morbi, 751
 Oculi τῆς ὄψεως : χήμωνις, 776
 Oculis illa p̄sa quomodo eximenda, 773
 Oculis peculiati vinocentia, 791
 Oculorum curandorum regula generalis, 779
 Oculorum dolor, 817. *causæ*, *ibid.*
signa diagnostica, *prognostica*, *curatio*,
 842
 Oculorum suggillatio, *causæ*, *differen-*
tia, *signa diagnostica*, *prognosticum*, *cu-*
ratio, 818
 Oculorum symptomata, 751
 Oculorum vulnera, 812
 Oculus leporinus, 763
 Oculus variis morbis obnoxius, 749
 Odoramenta caput refrigerantia, 13. *mo-*
deratè, & *non*, nisi purgato corpore, *u-*
surpanda in catarrhis sistendis, 717
 Olea cephalica refrigerantia, 11. *calida*,
 21. *humectantia*, 37
 Olei chamæmelini vires, 14
 Olei è vitellis ovorum in membranis ce-
 rebri putrescentibus usus, 183
 Oleis destillatis calidis cera admiscē-
 da, 676
 Oleum ad gravitatem auditus. Brunneri,
 919. *Nerii*, *ibid.*
 Oleum florichorij, 786
 Ol. florum cyani ophthalmicum, *ibid.*
 Ol. Hispanum ad vulnera brevissimo tem-
 pore sananda, 186
 Olfactus læsio, 938. *aboliti causa*, 939
imminuti, *depravati causa*, *ibid.* *signa*
diagnostica, *prognostica*, 940. *indicati-*
ones, *curatio*, 941
 Ophthalmia, 774 *causæ*, 775. *differen-*
tia, 776. *quædam periodica*, *contagiosa*,
 777. *signa diagnostica*. *signa causarum*,
ibid. *temporum morbi*, 777. *pro-*
gnostica, 778. *indications*, *curatio*,
 779
 Ophthalmiæ levioris à *causis externis*
curatio, 781. *ab apum & vesparum ictu*,
 782. *ab ictu & casu*. 781. à *santhari-*
dum, *erucarum*, & *formicarum con-*
tactu, 782
 Ophthalmiæ veræ *curatio*; *venæsectio-*
ne. *ibid.* *preparantibus medicamentis*,
 782. *purgantibus particularibus eva-*
cuationibus, *ibid.* *topicis*, 784. *er-*
rhina num convenient, *ibid.* *diata*,
 791
 Ophthalmia sicca, 793. *differntia*, *causæ*,
curatio; *ibid.*
 Opiata in ophthalmia non, nisi summâ ur-
 gente necessitate adhibenda, 783. *modè*
ratè quoque in oculorum dolore aurium
 quando, & quomodo adhibenda, 924
 in Opii & opiatorum usu quæ observan-
 da, 240. *si vires valde debiles*, *non exhi-*
benda, 211, 242. *frequens eorum usus*
fugiendus, *ibid.* *infantibus & pueris par-*
tè admodum exhibenda, *ibid.* *memori-*
am & ingenium labefaciunt; *ibid.* *non*
in principio, *aut instante crisi exhiben-*
da, *ibid.* *in phrenitide cautè è utendum*,
 334. *tutius clysteribus perni iscentur*,
ibid.
 Opium est calidum, 250. *cerebro & ner-*
vis nocet, 745. *quomodo corrigendum*,
 251
 Ο πινδόν, 562
 Oris collationes in intemperie capitis ca-
 lida, 14
 Oscitatio, 478
 Ossa in vulneribus capitis quando & quo-
 modo extrahenda, 172
 Officu-

Officulum triangulare in cranio humano, 648

Ovorum testæ ad oculorum unguem, 796

Oxyrrhodina in intemperie capitis cal.
 11. quando plus, quando minus aceri
 iis admiscendum, ibid. utilia sunt in
 omnibus capitis affectibus, 54. quæ in iis
 notanda, ibid.

Ozæna quid, 928. causa, ibid.
 P.

PAlpebrarum asperitas, 752. callositas, ibid. cancer, 760. curatio, ibid. coliculus, 764. causa, prognostica, ibid. curatio, 765. combustio, 771. densitas, 752. grando, 759. hordeolum, 757. exscindendi modus, 758. hydratides, 756. curatio, ibid. inflammatio, 752. instabilitas illarum, 772. causa, ibid. curatio, 773. inversio & contractio, 761. lithiasis, 759. motus laesus. 772. nodi & excrescentia, 759. pilorum destivium, 769. causa curatio, 770. scabies, 752. τριχωπια, ibid. τριχιασις, 767. causa, ibid. prognostica, curatio, 768. tumor, 751. verruca, 757. vulnera, 771

Palpebrarum usus, 751

Pandiculatio, 478. causa, 479. prognostica & curatio, 480

Paralysis, 512. paralysis & stupor in quibus differant, ibid. definitio, 513. differentia, ibid. causa, 514. causa proxima spirituum animalium defectus, 513. paralysis ab intemperie frigida & humida, 515. à vi narcotica, 516. scorbutica unde proveniat, 517. à nervorum angustia, ibid. à soluta unitate, 518. causa evidentes & procatartica quæ, quæ disponentes, signa diagnostica, 519. locus affectus quomodo cogno-

scendus, 520. caussarum signa, 522. prognostica, ibid. indicationes, 524. curatio
 paralysis picuitosa, 525. vena, quando in ea aperienda, ibid. lenientia & purgantia mitiora, ibid. vomitoria, 526. preparantia quando usurpanda, 527. purgantia fortiora, 529. particulares capitis evacuationes, 532. sudorifera, 533. nervos roborantia, 534. topica, 539. diata, 546. à causis evidentibus curatio, 548

Paralysis causa qui humores esse possint, 551. quot modis excitari possit, 552

Paralysis ex humore tenui, ex colica, scorbuto curatio, 547

in Paralysis an sudorifera exhibenda, 553

Paraphrenitis, 321. causa, signa diagnostica, prognosticum, curatio, 322

Pars demorsa ab animali rabido an statim amputanda, 437

Pedum loriones in vigiliis nimis, 239

Pericranium per suturas dura meningi adnectitur, 147. in vulneribus capitis quando incidendum, 148. in pueris non facile secandum, ibid. eius sectio quando tentanda, 169

Phantasia & ratiocinatio quotupliciter ladantur, 290. à quibus causis ladantur, 291. à primo ortu si ladantur, plerumque non curantur. ibid.

Philtre unde dicantur, 357. quid sint, an amorem inducere valeant, 358

Phænigmus in intemperie capitis frigida sine materia, 31. in catarrho suffocativo, 722

Phrenitis, 327. quid sit, ibid. causa proxima, 329. differentia, phrenitis τριβωδης, ασαφωδης, 330. signa, 330. quibus ab aliis affectibus dignoscitur, 331. prognostica, ibid. curatio, 332. diata, 335

INDEX RERUM

Φάκταιναι, postula cornea, 805. *caussa*,
 ibid. *signa diagnostica*, *prognostica*, *in-*
dicaciones, 806. *curatio*, 807
 Pila è succino manibus gestata & naribus
 admota caput roborat, 104
 Pilei in intemperie capitis frigida, 28. in
 humida, 34
 Pilorum è palpebris defluviùm, 769.
curatio, 770
 Pilulæ an commodius è capite, quàm alia
 medicamenta evacuent, 46. ad caput
 purgandum quando exhibende, 47
 Pilulæ catarrhum interceptantes, 717
 Pilulæ narcoticæ Plateri, 232. Dorn-
 creilij, 233
 Pilulæ pituitam è capite purgantes, 84.
 purgantes in melancholia hypochondria-
 ca Plateri, 396
 Pituitam in capite præparantia, 82.
 purgantia, 84
 Pœoniæ radix quando colligenda, 606
 Poma odorata in intemperie capitis cali-
 da, 14. in frigida, 29. somnifera, 240
 Potiones purgantes in melancholia hy-
 pochondriaca, 393
 Potiones vulnerariæ in capitis vulneri-
 bus, 187
 Περὶ τῆς τενικῆς σαροειδῆς, 820
 Prospectus ab alto & in profundum
 cur vertiginem excitet, 289
 Pruritus carunculæ lachrymalis, 845
 Ψωροφθαλμία seu ophthalmia sicca, 793
 Ptarmica qua dicantur, 79. 90
 Πριγγρον, 794
 Πιττωσις, *caussa*, 770. *curatio*, 771
 Pulveres capiti in spargendi pro sistendis ca-
 tarrhis, 729
 Pulveres cephalici, frigidi, 13. calidi, 22.
 exsiccantes, 33. pituitam purgantes, 85

Pulveres ophthalmici non diu in oculo
 detinendi, 804
 Pulveres præservantes ab apoplexia, 281.
 682
 Pulvis ad hæmorrhagiam narium D.
 Caspar. Kegleri, 653. alius D. Dôrre-
 ri, 954
 Pulveres contra vertiginem, 274
 Pulvis è Nicotiana, 91. ex cinnabari na-
 tiva, 275. Guainerij, 109
 Pulvis Narcoticus, 234. purgans in me-
 lancholia hypochondriaca, 396
 Pulvis Trithemij, 306
 Pupillæ vitia, 750
 Pupillæ angustia, 826. *caussa*, *signa dia-*
gnostica, ibid. *prognostica*, *curatio*, 827
 Pupillæ dilatatio, 821. *caussa*, 823. *dis-*
ferentia, *signa diagnostica*, *prognostica*,
indicaciones, 824. *curatio*, 825
 Pupillæ dilatationis, num siccitas sit
caussa, 823
 Purgantia non attrahendo, sed humores
 fermentando, & naturam stimulando
 evacuant, 47. an post cœnam conve-
 niant, ibid.
 Pyrethri radicem efficacia singularis in
 epilepsia, 605

Q.

Qualitates occultæ num tantum
 corpora proxima afficiant, 649

R.

Rabidi cur aquam abhorreant, 433
 Rabies, 429. *caussa*, 430. *signa*
diagnostica, 432. *signa rabiei incipien-*
tis, 433. jam factæ, ibid. *prognostica*,
 434. in-

ET VERBORUM.

434. indicationes, curatio, 435. rabiei imminenti curatio & per totum annum preservatio,	441	Sanguinis humani usus num conveniat in epilepsia,	650
Ranula sub lingua, caussa, 963. curatio,	964	Sarcocollæ nutritio,	788
Refrigerantia cautè cerebro adhibenda, 7. in principio aliquam adstringendi vim habeant, ibid. posteriori capitis parti applicata nervos ledunt, 8. stuporem que inducunt, in capitis affectibus, nisi dolor aut vigilia urgeant, non usurpanda,	ibid.	Scabiei palpebrarum medicamenta,	755
Repellentia an locum habeant in vertigine per consensum partium inferiorum, 289. quando sola, quando cum digerentibus adhibenda,	54	Σκληροφθαλμία,	793
Res cur alieno colore tincta appareant, 879. cur inversa, ibid. cur perforata,	881	Scotoma quid, 263. scotoma qui patiuntur, omnes vertigine laborant,	ibid.
Respiratio cur in apoplecticis servetur,	957	Sebel oculi quid, 797. differentia, caussa, signa diagnostica, prognostica, curatio, 798. prasidia topica, chirurgica,	799. diata,
Ρέμα quid,	699	Sectio in hydrocephalo,	219
Rigor, 482. eius subiectum, generationis modus, 484. caussa proxima, 483. refrigeratio in rigore quomodo se habeat, 485. eius caussa remota & mediata interna, ibid. externa, 486. signa diagnostica, prognostica, 487. curatio, 488		Sedes fracturæ cranii species, 154. eius differentia, 155. accidit semper cum cutis & pericranij vulnere,	154
Rotulæ & morsuli cephalici calidi, 24. contra epilepsiam,	617	Senes ad ratiocinandum & memorandum cur minus apti,	295
Ρώα quid, 840. 844. caussa, signa diagnostica, prognostica, indicationes, curatio,	845	Seri in capite collectionis caussa, 100. serum non est pura aqua, 99. duo eius genera, 100. eius natura, ibid. quomodo variorum affectuum caussa sit, ibid. eius generatio, 101. serosum humorum que evacuant, ad eius evacuationem nullâ præparatione opus,	ibid.
S.		Seri lactis captini in melancholia hypochondriaca usus, 397. in maiori copia ad assumendum, ibid. in mania utilissimum,	418
		Setaceum,	45
		Sieff de thure Rhafis,	799
		Sinapi usus in apoplexiâ pituitosa,	669
		Sinapismi,	97
		Sirialis quid,	140
		Sirfis calida,	330
		Smegmata cephalica calida,	28
		Somni finis & utilitas, 224. proxima caussa, 225. quotuplex, 252. quot modis concilietur,	228
S Abare,	330		
Sanguinem ad caput fluentem que repellant,	67		

INDEX RERUM

- Somnum conciliantia medicamenta
interna, 229. *externa*, 230
- Somnus melancholicis remedium opti-
imum, 347
- Somnus p. n. 252
- Somnia naturalia, 260
- Somnambuli qui, 454. à qua causa ad
motum incitentur, 455. *eorum natura*
& constitutio qualis, 456. *caussa proxima*,
 457. *Lunam hoc malum excitare*
posse, *ibid. signa diagnostica*, *ibid. pro-*
gnostica, *indicationes*, *curatio*, 458. *dia-*
ta, 459
- Somnabuli in loco periculoso constituti in-
clamandi & excitandi non sunt, 458
- Sopor gravis atque Ecstaticus. Vide co-
ma vigil,
- Spasmi à paralyfi differentia, 575
- Spasmus & spasma differunt, 564
- Spasmus quid, *ibid. causa proxima*, 556.
 557. *definitio*, 557. *subiectum*, *ibid.*
differentia 562. *signa diagnostica*, 563.
prognostica, 564. *curatio*, 566. *eius-*
dem per primum membri affectum
curatio, 567. *dieta*, 572. *per consen-*
sum, 573
- Spasmus & paralyfis interdum coniun-
guntur, 556
- in Spasmo qua causa musculos contrahat,
 558. *pars contracta cur immobilis ma-*
neat, *in convulsivo verò motu agitetur*,
ibid. cur sensus in eo integri maneant,
in convulsivis verò moribus ladantur,
 559
- Spasmus cur inflammationi coniungatur
quandoque, 560
- Spasmus flatulentus, *ibid.*
- Spasmus proportionatus & improportio-
natus ad materiam, 563
- Spasmus quomodo à cholericâ passione
excitetur, 561. *quomodo ab elleboro &*
aliis medicamentis fortiter purgantibus,
ibid. quomodo à frigore, 562
- Species Oconis, 855
- Spiritum animale[m] dari, eumque di-
versum à vitali, 686
- Spiritus animalis in cerebro duplex, 315
- Spiritus animales roborantia & augen-
tia, 122
- Spiritus euphragiæ compositus, 874
- Spiritus opticos confortantia, 855
- Spiritus vini in vulneribus capitis utilitas,
 195
- Spirituum animalium generatio, natura-
lis constitutio, vitia, 119. *eorum defe-*
ctus, 121. *agitatio*, *curatio*, 122. *torpor*
& narcosis unde, 659
- Spirituum opticorum agitatio, 853.
caussa, *ibid. differt à vera vertigine*,
ibid.
- Spirituum opticorum vitia, 751. 853.
crasities, *ibid. causa*, *ibid. defectus*,
 854. *vitia*, 731. 855. *eorum vitia an per-*
spicillorum usu corrigi possint, 854
- Splendoris oculis obversantis caus-
sa, 880
- Στέφλωμα quid, 820
- Sternutatio, huius commoda, 956. in-
commoda, *caussa*, *signa*, *prognostica*,
indicationes, *curatio*, 657
- Stillicidium sanguinis quid significet,
 948
- Stœchados Arabicæ vires, 18
- Strabismus, *caussa*, 860. *differentia*,
signa diagnostica, 861. *prognostica*, *cu-*
ratio, 862
- Stupidi qui dicantur & Stupiditas quid,
 291. *stultitia & stupiditas quomodo*
diffe-

ET VERBORUM.

- differant, ibid. stupidos & stolidos non-
 nullos per morbum ingenium acquisi-
 visse, 291. stoliditatis & stupiditatis
 cause, 295*
 Stapor quid, 728. eius causa, 729. dif-
 ferentia, signa diagnostica, prognostica,
 730. curatio, 731
 Stuporis à spiritu vini & inebriatione cu-
 ratio, 679
 Sudores in morbis à serosis humoribus uti-
 lissimi, 102
 Sudorifera quomodo in paralyfi adhi-
 benda, 544
 Suffitus in interm. capitis frigida, 29. in
 catarrhis sistendis, 720
 Suffusio vera quid, 828. notia, subie-
 ctum, causa, ibid. differentia, 830. si-
 gna diagnostica incipientis, augecentis,
 perfecta, signa loci suffusionis, 831. pro-
 gnostica, 832. indicationes, curatio ve-
 ra suffusionis, 833. per medicamenta in-
 terna. ibid. externa revellentia, 834.
 discutientia, extergentia; ibid. fomen-
 ta, 835, chirurgiam, 836 diata, 837
 Sulphuris Lunæ preparatio, 473
 Sutura in vulneribus capitis non facile in-
 stituenda, 147
 Sutura capitis tres, 126. earum defectus,
 128. quibus ex causis disjungantur, 140
 Συκωσις palpebrarum, 753
 Sirupi & potiones refrigerantes in febrili-
 bus & doloribus capitis non nimis parca
 exhibendi, 9
 Sirupi cephalici calidi, 22. refrigerantes,
 9. humectantes, 36
 Sirupus de Iva Arthetica, 528
 Sirupus papaveris infantibus sapius exhi-
 bitus ingenium ac memoriam eorum he-
 berat, 242
 Sirupus purgans Donati Antonii ab Ad-
 to mari in melancholia hypochondri-
 aca, 394
 Sirupus Stœchad. Arabicæ omnibus fri-
 gidis cerebri ac nervorum affectibus uti-
 lis, 22. à principio non exhibendus, 82
 Sirupus Victor. Faventin. ad memoriam
 confortandam, 303

T.

T Aratula morsus, 444. causa, 446.
 signa diagnostica, prognostica, indi-
 cationes curatio, 447. ad præservatio-
 nem que utilia, ibid. alexipharmata,
 ibid. nullum certius remedium quam
 Musica, 449
 Tarantulas musicâ delectari, & ad cycha-
 ra sonum tripudiare, 449
 Temulentia & ebrietas, 222. signa dia-
 gnosi prognostica; præservatio, 324. cu-
 ratio, 325
 Τέτανος, 563
 Theriaca Hippocratis, 87. in comate
 non utendum, 257
 Theriacæ in paralyfi quales eligenda, 545.
 sulphurea caput calefaciunt, 25. earum
 in melanchol. hypochondriaca usus,
 399
 Tincturæ cephalicæ calida, 22
 Tinctura antiparalytica, 536
 Topica calida in intemperie capitis calida
 an convenient, 16
 Topica cephalica calida, 24. 94
 Topica in principio oph. halmia qualia ap-
 plicanda, 787. quo tempore, 788
 Topicis in convulsionibus anodyna admi-
 scenda, 568
 Τράχωμα palpebrarum, 754

Tremor

INDEX RERUM

- Tremor quale symptoma**, 489. *quid eius essentiam constituat*, *ibid.* à *paralyfi & convulsione* quibus differat, *ibid.* à *palpitatione & rigore*, 490 *caussa*, *ibid.* *proxima* ubi hereat, *ibid.* *differentia*, *signa diagnostica*, *prognostica*, 493. *indicaciones*, *curatio*, 495. *curatio*, *tremoris* à *spirituum absumptione & dissolutione*, à *caussa. frig & hum. nervos ledente*, 496. *sanguinis evacuatio* quando conveniat, *ibid.* *corroborantia*, 497. *topica*. 498. *curatio tremoris* à *maligna, venenata, ac narcotica causa*, 499. *diata*, 500
- Tremor an ab errore externo possit provenire**, 504
- Tremores proxima causa an sit una**, 501
- Tremoris vox an quoque pro rigore accipiatur**, 500
- Tumores cerebri**, 201
- Tunicæ annatæ vitia**, 750
- Tunica araneæ vitia, causa**, 837. *signa*, *curatio*, 838
- Tunicæ uvæ vitia**, 750
- Τύλωσις palpebrarum**, 753
- V.
- Vena inter pollicem & indicem an secanda in affectibus capitis**, 70
- Venas narium an scapello vel hirudinibus apperire liceat**, 72
- Venena cerebro adversa**, 118
- Venenum à rabidis animalibus quomodo homini communicetur**, 431. *diu latere potest in corpore*, *ibid.* à *quibus excite-tur*, 432. *an in corpore humano generari possit*, *ibid.* *quà vi agat*, 442
- Venerem extinguentia**, 361. 424
- Verbena in morbis capitis à materia frigida multum prodest**, 82. 94. 745
- Vermes in capite**, 132. *eorum causa*, *signa diagnostica*, *prognostica*, *indicaciones*, 133. *curatio*, 134
- Vermes in auribus**, 902. *caussa*, *signa diagnostica*, *curatio*, *ibid.* *quà ratione eximendi*, 903
- Vermis ex angulo oculi erumpens**, 889
- Vertigo**, 263. *definitio*, 264. 265. *quæ actiones in ea caduntur*, 264. *locus affectus*, 265. *caussa*, 266. *vertigini qui facile corripiantur*, *ibid.* *differentia*, 267. *signa*, *prognostica*, *indicaciones*, *cura in paroxysmo*, 268. *an vena secanda*, *præservatio*, 269. *diata*, *ibid.*
- Vertigo à floribus, causa**, 270. *signa*, *prognostica*, *indicaciones*, *auxilia*, 271
- Vertigo à meatuum cerebri angustia, causa**, 285. *signa*, *prognostica*, *curatio*, 286
- Vertigo à spirituum ex causis evidentibus agitatione, causa**, *ibid.* *signa*, *prognostica*, *curatio*, 287. *an sine vapore excitari possit*, 288
- Vertigo per consensum**, 282. *caussa*, *signa*, *ibid.* *prognostica*, *indicaciones*, *curatio*, 283. *in vertigine per consensum vena incurribus aperienda*, *ibid.* *curatio vertiginis à ventriculo*, 824. *ab Epate*, *Liene*, *Pterio*, *Toto*, *ibid.*
- Vigiliæ**, 224. *earam incommoda*, *ibid.* *caussa*, 225. *differentia*, *signa diagnostica*, 226. *prognostica*, *indicaciones*, 227. *curatio*, 228. *diata*, 243
- Vigiliæ ab animi affectibus**, 248. *caussa*, *prognostica*, *ibid.* *curatio*, 294

ET VERBORUM.

- Vigilia à dolore, pectoris angustia, ac sensuum externarum obiectis, 248
 Vigilia à vaporibus calidis, siccis, acris & acidis, causa, signa diagnostica, prognostica, indicationes, curatio, 246
 Vigilia ex caliditate, & siccitate cerebri, 244. curatio, 245
 Vigilia nimia ob vaporum spiritus sopientium defectum, 243. causa, ibid. signa diagnostica, prognostica, indicationes, curatio, 244
 Vigiliarum diurnarum historia, 227
 Vigilia senum difficile curantur, 247
 Vina medicata & clara cephal. cal. 19
 Vini potus num vini noxam pellat, 746
 Vinum in melancholia quando & quale concedendum, 118. in ophthalmia an conveniat, 792
 Vinum Euphragiatum, 873
 Vinum ophthalmicum, ibid.
 Vinum purgans Zvvingeri in melancholia hypochondriaca, 395
 Visio rerum rectarum pro curvis 876. causa, 879. alieno colore præditarum, 876. causa, 879. rerum absentium, 876. immobilium pro mobilibus, 882
 Visio geminata, 876. causa, 877. 879
 Visus depravatio, 876. signa diagnostica, 882
 Visus hebetudo, 862
 Visus quomodo ledatur in angustia pupilla, 826
 Vitrei humoris vitia, 751. morbi, 850. obscuritas, situs mutatus, ib. causa, signa diagnostica, ib. curatio, 851
 Vitreus humor à naturali constitutione deflectens num possit immediate visionem ledere, an verò saltem, quia nocet crystallino, 850
 Unguenta cephalica calida, 26. frigida, 12
 Unguentum ad corroborandam memoriam, 310
 Unguentum anserinum, 540
 Unguentum cephalicum Conciliatorum, 175. Gvith. Fabricij, 176
 Unguentum de Sapone Ioh. Cratonis ad Paralytin, 540
 Unguis oculi, 794. causa, ibid. signa diagnostica, prognostica, indicationes, ibid. curatio, 796. asciscendi modi, 797. diæta, ibid.
 Vomitoria quando in biliosis capitis affectibus exhibenda, 77. vomitus non, nisi materia sit fluitans, & nauseam excitet, in affectibus capitis sciendus, 82
 Vomitu nonnunquam excrementorum humores circa ventriculum & loca vicina herentes excutiantur, qui purgantibus per alvum evacuari non possint, 397
 Urinam cientia, 77
 Urinæ suppressioni in phrenitide quomodo succurrendum, 334
 Uræ procidentia, causa, differentia signa diagnostica, prognostica, 820. curatio, 821
 Vulnera à ferarum vel hominis etiam morsibus inflata, quomodo tractanda, 151
 Vulnera dura meningis quomodo curanda, 182. tenuia, & cerebri, 184
 Vulnera in sincipite ac bregmate valde periculosa, minus in occipite, 264. in temporibus cur tam periculosa, ibid.
 in Vulneribus capitis magnis evacuatione necessaria, 168.

INDEX RERVM.

in Vulneribus capitis non facillè futura institucnda, 147	sione, 147. cum partium externarum contusione, 149. cum cranij sine menin- gum & cerebri lesione, 151
in Vulneribus cerebri omnia oleagi- nosa, unctiosa, & pingua fugienda, 185	X.
in Vulneribus à telo venenato infli- ctis alexipharmacis opus, 149	Ἐπεφθάλμια. 793
Vulnus capitis simplex, sine contusio- ne, 143. signa diagnostica, prognostica, ibid. curatio, 146. cum pericranti la-	Υ.
	Ἐπίχημα, 827
	Ἐπίχημα & γλάνκωμα differunt, 828.

FINIS.



LIBER SECUNDUS
PRACTICAE MEDICINAE,

De

Oris, Colli,

ac

Thoracis

Morbis

&

Symptomatibus,

DANIELIS SENNERTI, D.

ab

Autore,

Secundum recensitus.

ANNO M DC XXXIX,

LIST & DESCRIPTION
OF THE
MEDICAL

OF THE
COLL.

THORACIS

MORBI

SYMPHOMATIBUS

D. DANIELIS SENNERII, D.

AUCTORIS

PROFESSORIS

ANNO MDCXXXII



EXPERIENTIA



RATIO



PRACTICÆ
 MEDICINÆ
 LIBER SECUNDUS
 Autore
 DANIELE SENNERTO D.
 et Medicinæ in Academia
 Wittebergensi Profefs. Publ.
 Cum Privilegio Cæsareo.
 Sumtibus G. & C. D. Hared:
 Zachariæ Schurcei Senioris.

Excude
 artem
 Exemplo
 medicina
 te viam




Modera
 tur et
 auget
 Allucina
 facem

1790

1790

PRACTICE
 OF THE
 ARTS AND
 MANUFACTURES
 IN GREAT BRITAIN
 AND IRELAND
 IN THE YEAR 1790
 BY
 JAMES WATSON
 OF THE UNIVERSITY OF EDINBURGH
 VOL. I.



THE
 UNIVERSITY OF
 EDINBURGH
 LIBRARY

THE
 UNIVERSITY OF
 EDINBURGH
 LIBRARY

ILLVSTRISSIMO AC CELSISSI-
MO PRINCIPI AC DOMINO,
DN.

GEORGIO,

Landgravio Hafsiaë, Comiti
Cattimeliboci, Deciaë, Zygenhaynaë,
& Niddaë, &c.

DOMINO MEO CLEMENTISSIMO,

Salutem & Felicitatem perpetuam

P.



Or vite principium & caloris innati fontem esse, idemq; primum vivere, postremumq; mori, & reliquas corporis partes ex eo vitam haurire, nec actiones suas obire, nisi vitali calore & spiritu per arterias ab eo transmissis perfundantur, in

scholis Philosophorum & Medicorum notissimum est, Nam, ut Hippocrates, *lib. de corde*, eleganter scribit,

αὐτὰ πηγὰ φύσις ἀνθρώπου, καὶ οἱ ποταμοὶ ἐν ταύτῃ ἀνατὸ σῶμα τοῖσιν ἀρδεταὶ τὸ σῆν. ἔτσι δὲ καὶ ζωὴν φέρουσιν τῷ ἀνθρώπῳ: κῆν ἀνανθέωσιν

ἀπέθανεν ἄθωπον. Hi sunt natura humana
fontes, hincq; flumina excurrunt, quibus corporis
nostri tabernaculum irrigatur. Atque hæc vi-
tam homini conferunt, & si exsiccata fuerint, ho-
mo perit. Et Galen. 6. de usu part. cap. 7. ἡ καρ-
διά τῆς ἐμφύτης θερματίας, ἢ διοικοῖται τὸ ζῶον,
οἷον ἐστὶ τῆς ἐσι καὶ πηγῆ. Cor caloris nativi,
quo animal regitur, quasi fons quidam & focus
est. Nimirum quod Sol est in majore mundo, id cor
est in minore. Ut enim Sol lumine suo universum
mundum illustrat atque exhilarat, & calore suo omnia
vivificat, ac fovet: ita Cor calore suo & vitali spiritu
totum corpus vivum & vegetum reddit, idq; fovet,
conservat, spiritusque vitales, tanquam radii quidam
ætherei & vivifici, à corde in universum corpus dima-
nant. Et, ut Aristot. 3. de part. animal. cap. 7.
scribit: Cor est οἷον ἐστὶ, ἐν ἣ κείσεται τῆς φύσεως
τὸ ζωπυρρὸν, quasi focus, quo natura fomites &
primordia ignis nativi continentur. Ac propter
ea etiam, ut, eodem in loco, Aristot. scriptum reliquit,
locum suum ὡς περ ἀκρόπολιν τῶ σώματι, ve-
luti arcem corporis occupat. Conditor enim re-
rum sapientissimus ipsi in thorace, media corporis re-
gione, qui maxima ex parte osseus est, locum dedit,
atque antè sternum, à tergo spinam dorsi quasi muni-
menti loco constituit, quibus ex latere utroque co-
stas securitatis gratia adjunxit. Imò in dorso omo-
platas

platas seu scapulas, quas Celsus scoptula operta nominat, quasi scuta cordis, apposuit. Intus verò cor totum pulmonibus cinxit, quibus non solum tanquam pulvino incumbit, (unde etiam Avicennas pulmones cordis culcitram vocavit) sed qui etiam respirationis organa sunt, quo calidum, quod in corde est, conservatur. Atque si hæ omnes corporis partes salvæ sunt, œconomia etiam corporis rectè administratur, & sicut in regno, cujus Princeps, cum iis, qui à secretis ipsi sunt consiliis & primariis administrationibus, valet & floret, omnia rectè atque ordine fiunt & administrantur: ita etiam, dum Cor in sua regione bene sese habet, calorem vivificum in omnia membra diffundit, eaque fovet; τὴ θηλε πάντα, καὶ λάμπει χαρίτων ἕαρ, omnia florent, & vulget ver Gratiarum, ut est in antiquo Ariphronis Sicyonii hymno; nisi pars aliqua privato vitio teneatur: quod ipsum tamen faciliùs toleratur, si cor hilaritatis auram adspiciet. Contra verò, sicut, dum Rex ægrotat & de salute periclitatur, omnes subditi in mœrorem & squalorem conjiciuntur: ita etiam, corde malè affecto, totius corporis salus simul in discrimen conjicitur; id quod non solum in lipothymia & syncope, sed & in respiratione læsa accidit, atque ubi illa caloris in corde ventilatio necessaria cessat, aere, quem spiritu ducimus, denegato, homo in præsentissimum vitæ discrimen conjicitur, ut in iis, qui angina laborant, vel quibus à re aliqua in orificium asperæ arteriæ illapsa
spiritua

spiritus intereluditur, aut qui laqueo strangulantur, vel aqua aut carbonum fumo suffocantur, manifestum est.

Cùm ergo libro primo Practicæ, quem anno superiore edidi, Capitis præter naturam affectiones complexus sim, secundo hoc libro morbos ac symptomata Cordis, & reliquarum thoracis, partium, quæ gratiâ cordis inprimis factæ sunt, complecti libet.

Ut verò Illustrissimo nomini tuo, *Princeps Celsissime*, hoc quicquid est operis inscriberem, causas, ut opinor, non leves habui. Primò enim satis superque notus est Illustris, Celsit. T. erga bonas literas amor, & earum cultores incredibilis benevolentia, quam cùm alia manifesta faciunt, tum id, quod insigni & Principe digna benignitate ac liberalitate Academiam Marpurgensem, bonarum literarum, virtutis & pietatis officinam Illustram, alit, fovet ac tuetur. Eum ergo Illustris, T. Celsitudinis in bonas literas affectum etiam hâc qualicunque Dedicatione posteris notum facere & commendare volui. Deinde quia scripta mea omnia jure quodam Illustrissimæ Domui Saxonicæ, utpote in Electorali Saxonica Academia nata, debentur; cum ea verò Illustrissimæ Domui Hassiacæ à multis annis foederis sanctione contracta necessitudo, & Illustris, T. Celsit. inprimis arcta intercedit cognatio & affinitas; hoc opus jure Illustris, T. Celsitud. deberi existimo.

Accipe

Accipe ergo, *Princeps Illustrissime*, hoc quicquid est operis Medici, vultu benevolo & fronte serena, atque eo affectu, quo alias bonarum literarum cultores, & qui quocumque modo ad Illustrissimam Domum Saxonicam spectant, complecti soles, & meis conatibus fave. DEUS ter. Opt. Max. Illustriss. T. Cels. Salvam, incolumem, & omni ex parte beatam, felicemque præstet, ac tueatur. VVittebergæ, Cal. Augusti, Anno Christi 1629.

Illustriss. Tuæ Celsitud.

Subiectissimus

DANIEL SENNERTUS, D. Sereniss.
Elect. Saxon. Medicus, & Facultatis
Medicae ibid. Professor ac Senior.

INDEX CAPITUM
LIBRI SECUNDI
PARTIS PRIMÆ.

*De Oris ac Faucium & partium in his Contenta-
rum agritudinibus.*

Cap.		Pag.
I.	De Labiorum Tumoribus,	3
II.	De labiorum Fissuris.	4
III.	De labiorum Ulceribus	7
IV.	De labiis Vulneratis, Leporinis, & Curtis.	8
V.	De Tremore & Perversione labiorum, Sanguinis fluxu ex iis, & labiis Lividis.	10
VI.	De Oris Apertione laesa.	11
VII.	De Oscitatione,	12
II X.	De oris Distortione.	13
IX.	De Ptyalismo seu crebra Sputacione & Salivæ defectu.	19
X.	De Dentium Morbis.	22
XI.	De dentium Doloꝛe.	35
XII.	De dentium Stupore & Algore,	45
XIII.	De dentium Stridore,	46
XIV.	De dentibus Nigris, malè Coloratis & Sordidis, ut & de Sanguinis è dentibus fluxu	47
XV.	De dente Aureo pueri Silesii	50
XVI.	De Gingivarum Affectionibus.	51
XVII.	De Morbis & Symptomatibus Maxillarum.	58
XII X.	De Oris vitiis & primò de ejus Inflammationibus & ulceribus.	61
XIX.	De Foetore oris.	70
XX.	De Gurgulionis Laxatione.	72

XXI.	De gurgulionis Inflammatione & Exulceratione.	77
XXII.	De tonsillarum inflammatione & ulceribus.	82
XXIII.	De iis, quæ in Guttur vel Gulam inciderunt, eximen- dis.	88
XXIV.	De Angina.	91
XXV.	De Strumis in Collo, & Bronchocele achydropæ Gut- turis.	127

PARTIS SECUNDÆ,
*De Asperæ arteriæ, pulmonis, mediastini, dia-
phragmatis, thoracis præternaturam
affectionibus.*

Cap.		Pag.
I.	De Asperæ arteriæ morbis.	139
II.	De Pulmonis Intemperie.	145
III.	De pulmonis Inflammatione sive Peripneumonia.	150
IV.	De Vasorum pulmonis & primò de asperarum arteriarum, Angustia.	162
V.	De Lavium pulmonis arteriarum angustia.	172
VI.	De Apertione vasorum pulmonis.	176
VII.	De Grandine, Calculo & Vermibus in pulmone genitis.	188
III.	De Tuberculis pulmonis.	190
IX.	De Hydropæ & Hydatidibus pulmonis.	193
X.	De pulmonum cum latere Coalitu.	193
XI.	De pulmonis Vulneribus.	195
XII.	De Ulceribus pulmonum & phthisi.	199
XIII.	De Mediastini Inflammatione.	220
XIV.	De Diaphragmatis tumoribus.	222
XV.	De Vulneribus diaphragmatis.	224
XVI.	De Pleuritide, seu Inflammatione pleuræ & Musculorum thoracis.	225
XVII.	De Thoracis Vulneribus.	274
XIII.	De Fistulis thoracis.	278
XIX.	De Empyemate,	280

XX.	De hydrope Pectoris.	289
XXI.	De Vertebrarum dorsiluxatione & Gibbositate.	293
XXII.	De Fractura Spinæ & Vulneribus Spinalis medullæ.	298
XXIII.	De Tabedorfali.	299
XXIV.	De Vermibus dorsii.	302
XXV.	De Luxatione & Fractura Costarum.	304
XXVI.	De Mucronatæ Cartilaginis Prolapsu.	308

PARTIS TERTIÆ,
*De Symptomatibus, quæ Pulmonibus &
Thoraci accidunt.*

Cap.		Pag.
I.	De Respiratione læsa in genere.	315
II.	De Asthmate & Orthopnœa.	320
III.	De Suffocatione seu Strangulatione.	349
IV.	De Vitiis Vocis & Sermonis.	352
V.	De Tussi.	361
VI.	De Dolore Pectoris.	379
VII.	De Sputo Sanguinis.	383

PARTIS QUARTÆ,
De Morbis ac Symptomatibus cordis.

Cap.		Pag.
I.	De morbis Pericardii.	392
II.	De Cordis Intemperiebus.	394
III.	De reliquis cordis morbis.	402
IV.	De cordis Palpitatione.	404
V.	De Virium Imbecillitatē.	416
VI.	De Lipothymia & Syncope.	421

Index Quæstionum.


		pag.
i.	A N saliva conglutinationem vulnerum labiorum remoretur.	8
ii.	An tortura oris & spasmus cynicus differant.	14
iii.	An spasmus cynicus sit morbus vel symptoma.	19
iv.	An cera dentibus cariosis commodè indatur.	25
v.	An cauteria tunc in dentibus cariosis adhibenda.	26
vi.	An dens lupi gestatus in dentitione puerorum aliquid præstet.	45
vii.	An in tonsillarum inflammatione repellentia solum- intus applicanda.	85
viii.	An angina à cibis & medicamentis peculiari vi agenti- bus induci possit.	94
ix.	An cacochymia primam occasionem præbeat анги- næ.	106
x.	An in angina rectè à Chymicis vomitoria & antimonia- lia exhibeantur.	107
xi.	An pilulæ in angina exhibendæ commodè dissolvantur.	ibid.
xii.	Quâ formâ repellentia in angina exhibenda.	108
xiii.	An omnis angina sit ab inflammatione.	123
xiv.	An humor anginam excitans à cerebro & capite de- fluere possit.	124
xv.	An vera angina sit, quæ ab esu fungorum & similibus venenatis rebus oriri dicitur.	125
xvi.	An nidus hirundinis aliquem in angina curanda usum habeat.	ibid.
xvii.	An laryngotomia tuta & utilis sit.	126
xviii.	An bronchocele & struma in gutture sit idem mor- bus,	127
		19, An

xix.	An strumæ & serophulæ differant.	128
xx.	An strumæ à Mercurio seu aquis ex montibus metallorum feracibus scaturientibus & Mercurium in se continentibus orientur	130
xxi.	An ulcera asperæ arteriæ sint sanabilia.	145
xxii.	An in peripneumonia hæmorrhagia narium utilis sit?	162
xxiii.	An dulcia in peripneumonia conveniant.	ibid.
xxiv.	Quænam sit causa hydropis, quæ levium arteriarum obstructione laborantibus supervenire solet.	176
xxv.	Medicamenta grumos sanguinis in thorace dissolventia quo tempore sint exhibenda.	182
xxvi.	Qualis aer in apertione vasorum pulmonis ab aere frigido conveniat.	187
xxvii.	An ulcera pulmonis sint sanabilia.	217
xxviii.	An in phthisi cochleæ utiles sint.	219
xxix.	Quæ pars afficiatur in pleuritide.	226
xxx.]	An bilis, pituita vel melancholia sola pleuritidem generet.	ibid.
xxxi.	Quales febres sint pleuriticorum.	227
xxxii.	Quæ vena in pleuritide & quo in latere aperienda.	239
xxxiii.	An in pleuride ex una vena aperta simul revulsio & derivatio fieri possit.	242
xxxiv.	Mulieribus mensum suppressione laborantibus quænam sit vena secanda in pleuritide.	243
xxxv.	Quando secanda sit vena in pleuritide.	244
xxxvi.	Quantum sanguinis sit mittendum.	ibid.
xxxvii.	An in omni pleuritide detur inflammatio pleuræ	255
xxxviii.	An in pleuritide sola pleura, an verò simul pulmo inflammetur.	256
xxxix.	Per quas vias materia in pleuritide ad asperam arteriam perveniat, & inde tussi eijciatur.	258
xl.	Quæ vena in pleuridis initio aperienda sit.	259
xli.	Per quas vias è thorace materia ad alvum & vesicam pervenire, & hinc evacuari possit,	271

- XLII. Qualisnam sit febris, quæ empyemati conjungitur, 287
- XLIII. Quo in loco sectio thoracis in empyicis instituenda sit. 288
- XLIV. An humor asthmatis causa hæreat etiam quandoque extra bronchia pulmonum. 342
- XLV. An asthma frequentius à catarrho, an verò ab humore crudo è venis in pulmones effuso excitetur. ibid.
- XLVI. An asthma semper sit sine febre, 344
- XLVII. An purgantia in paroxysmo asthmatico convenient, 345
- XLVIII. An jus galli decrepiti asthmaticis conveniat. ibid.
- XLIX. An arsenicum suffumigiis in asthmaticis curandis rectè admisceatur. 347
- L. An victus attenuans simulque tenuis asthmaticis conveniat. 348
- LI. An tussis sit solùm ab angustia tracheæ arteriæ. 376
- LII. An aliquid in pulmonem ex ore delabatur. 377
- LIII. An in sputo cruento sanguis semper è brachio, an verò etiam è talo & cruribus, præcipuè in foeminis, mittendus sit, 390
- LIV. An Lunatica passio dicta puerorum & infantium ex vermicibus in pericardio ortis accidat. 393

F I N I S.





LIBER SECUNDUS.

PARS PRIMA,

DE ORIS AC FAUCIUM ET PARTIUM IN IIS CONTENTARUM ÆGRITUDINIBUS.

Prooemium.

Ntra cranium & pectus os, fauces, & collum interjacent. Os, Græcis *στομα*, dicitur tota illa cavitas, inter labia & buccas, ac initium gula & aspera arteria contenta. Et proinde ad os pertinent Labia, Lingua, Dentes, Gingivæ, Maxilla, Columella, Torquilla, Fauces, quæ sunt illa oris extrema pars, unde gula & aspera arteria incipiunt. Itaq; postquam morbos & symptomata, quæ Capiti & Cerebro, ac Sensuum externorum organis accidunt, explicavimus, antequam ad

L. II. A ægritu-

2

agritudines Pectoris accedamus, ordo postulare videtur, ut de harum partium vitiis agamus.

Dicendum ergo de Labiorum tumoribus, fissuris, & ulceribus, de Labiis malè conformatis & curtis, de Oscitatione, de Labiorum tremore, de eorundem convulsione seu spasmo cynico, de Ptyalismo, de Lingua asperitate, magnitudine nimia, inflammatione & tumore, de Lingua fissuris, vulnerebus, combustione, de Ranula sub Lingua, de Lingua motu laeso, de Dentium corrosione & carie, vacillatione, ordine & numero vitiatò, de dolore Dentium, de stupore, de colore eorundem vitiatò, de Gingivarum inflammatione, excrescentia, cruentatione, putredine, carnis diminutione, ulceribus, de Maxillarum vitiis, de Oris ulceribus, de Oris fetore, de Columella laxitate, de inflammatione ejusdem, de ulceribus Columella, de absorptione & erosione ejusdem, de Tonsillarum tumoribus & inflammatione, de eorundem ulceribus, de iis, quae Faucibus & Gutture prater naturam inhaerent, extrahendis, de Angina, & Colli vitiis.

CAP.

3

CAPUT I.

DE LABIORVM TUMO- RIBUS.

*Labiorum
usus.*

Labiorum usus multiplex est. Primò enim os claudunt, ut per nares solùm, nisi aliud necessitas postulet, fiat respiratio, ac ne, si illud perpetuò, ubi semel, propter cibum vel potum sumendum, vel respirationem aperire necesse est, hians ac dilatatum maneret, omnis generis corpuscula, muscas, pàleas, pulverem admittat, atque etiam dentes & gingivæ frigore, ventisque lædantur. Præterea ad formandum sermonem sunt utilia, præcipuè ad efferendas literas Labiales, ita dictas, quod ad earum prolationem labia maximè sunt necessaria. Serviunt etiam ad potus faciliorem assumptionem, neq sine iis potus commodè assumi posset. Utilia quoq; sunt ad cibum in ore continendum iis, qui molaribus dentibus destituti, incisoriis tantùm masticare coguntur. Faciunt etiam labia ad salivam ex ore ejiciendam, ut & in ore detinendam, ne illa continuò ex ore proflueret, & insignem turpitudinem pareret. Utilia sunt & ad sonos variandos tubicinibus; infantibus itè ad sugendum. Tandem per se ad ornatum multum faciunt. Monstruosus enim omnino esset homo, si detruncatis labiis ri-

ctum irati canis ostenderet. Contra homo si labia lenia, rubicunda, magnitudine moderata, os debito modo claudentia obtineat, insignis inde gratia & ornamentum ipsi conciliatur.

Atque hæc omnia præstant labia, si naturalem suam conformationem habeant: præstare verò non possunt, si eam amittant, & vitia aliqua contrahant: de quibus jam dicendum.

Et quidem primò de labiorum Tumoribus & Magnitudine auctà dicemus Nam primò nonnunquam labia nimis crassa & magna sunt. Et quidem in quibusdam labrum superius est magnum & crassum, & duplo sæpe majus; unde non tantùm deformitas oritur, verùm et am vox & sermo aliquantum viciatur, aërisq; efflatio quadantenus impeditur. Quibusdam verò labium inferius est nimis crassum, & quasi pendulum. Verùm hæc vitia, cum naturalia sint, corrigi non possunt.

Deinde interdum labia præter naturam intumescunt; quod fit ab apum, vesparum, muscarum venenatarum ictibus. Et tum decocto althææ cum aceto vel lacte fovenda, aut succus plantaginis imponendus, vel etiam, ratione veneni, theriaca illinenda. Interdum etiam

*Labiorum
magnitudo
nimis.
Natis s.*

Morbosa.

intumescunt post hausta venena; & tum cura ad venenum dirigenda. Refert etiam Gvilielmus Fabricius, cent. 4. obs. 36. cuidam Doctori, cum fungos manibus tractasset, & iis ilotus postea labia attigisset, ea supra modum intumuisse, sed aqua Stapediana, quæ in Tract. nostro de Febribus, capite de Peste, descripta extat, apposita convaluisse. Ex quo patet, in simili casu & alia alexipharmaca adhiberi posse.

*Labiorum
inflam. a-
crid.*

Tertiò interdum etiam Inflammantur ex iisdem causis, à quibus aliæ partes, ex contusione, & humorum affluxu. Et curatio etiam, ut in aliis partibus, instituenda. Talia tamen medicaméta usurpanda, quæ in oris inflammatione adhiberi possunt.

*Labiorum
umor du-
rus.*

Quartò vidi etiam Tumorem durum, ad modum steatomatis, in labio inferiore cujusdam Nobilis, qui cum nec discuti, nec ad suppurationem duci posset, sectione feliciter curatus est.

*Labiorum
cancer.*

Quintò quandoque & Cancer labia occupat. Qui quas causas habeat, & quomodo curetur, è doctrina de Cancro in genere petendum.

*Labiorum
umor ex
huc Ven-
ere.*

Sextò juvenem quendam, qui ex Lue Venerea labia ulcerata, inflata, subnigra, tumida, carcinomatis instar, habuit, Forestus, lib. 14. obs. 2. curavit universalibus ad morbum Venereum, & hoc decocto. panno eo imbuto labiis apposito:

R. *Ligni Guajaci* P. ij.
Bulliant in *aq. solani*. Deinde colètur.

Add. *aluminis* Drach. j. Iterumq; semel ebulliant & colentur.

Septimo interdum Tumores aridi labia occupant. Ita in Oeniadis Phœnici, & Andree, fratribus, mala altera intumuit, & labiù, quod ex anteriore parte mala & oculo respondet, neque quicquam intro spectanti comparebat, neque forisulam puris significationem edebat, sed, arida putredine intumescens, marcescebat, & mortuus est. Eadem quoque alteri contigerunt. Mortuus autem est & hic die septimo, neq; epotum medicamentum quicquam profuit. Phœnici verò putredo in circulum exacta est, & ulcus ante mortem magna ex parte repurgatum fuit. Sed & hic mortuus, cum diu viram traxisset. Hippocrates, §. epid. sect. 4. in codice Fœsij.

*Labiorum
tumores
aridi.*

Tumores autem isti ubi exulcerantur, ad caput de ulceribus pertinent.

CAPUT II.

De Labiorum Fissuris.

Cutis carni in labris connexa est tanta tenuitate, tantà subtilitate acteneritate, ut, nisi labiis laceratis, eam ab iis separare non possimus. Ac proinde labia, cum sint tam tenera, mollia ac subtilia, facile à causis externis, ventis, frigore, ut & internis, humoribus & vaporibus, vitiantur, finduntur, & scinduntur, ut interdum etiam sanguinem fundant. Et quidem nonnullis sapissime finditur labium inferius in medio, ubi duæ musculorum extremitates desinunt. Græci hoc vitium *παράδας*, Latini Fissuras & Scissuras labiorum nominant. Partis enim affe-

Fissur. 2 labiorum.

affe-

affectæ nomen commodè additur. Aliàs enim vocabulum hoc commune est, & non tantùm labiis competit, sed & cuti, ano, utero. Estq; morbus in soluta continuitate Labiorum.

Causæ.

Causa proxima est siccitas nimia. Atque ita scissura labiorum est continuitas eorum soluta à nimia siccitate, & tensione.

Siccitatem autem hanc inducunt vel causæ externæ, frigus videlicet, & calor, & præcipuè ventorum, imprimisq; Boreæ, flatus; venena item, ut cantharides, ephemerum, colchicum, ut habet Nicander. Pertinet huc & lac calidius, quod infantes sugunt: vel internæ, vapores calidi & sicci, salii ac acres, per oesophagum, vel asperam arteriam, ex partibus inferioribus ascendentes, vel humores à capite ad labia destillantés. Vapores autem illi nunc ex ventriculo, nunc ex intestinis, nunc ex pulmonibus, nunc ex epate & venis, nunc ex corde ascendunt, imò & ex utero: & solet ista ex vaporibus labiorum, præcipuè inferioris, fissura foeminis salacioribus ob uteri siccitatem esse singularis. Ut enim lingvæ valdè resiccantur ex atra fuligine & utero, ut habet Hippocrates, *6. epid. sect. 5. r. 13.* ita & labia ob eandem causam, propter communem tunicam. Tandem etiã infantibus labia interdum siccantur, ob mammarum, quas sugunt, duritiem.

Differentia.

Scissuræ labiorum differunt nunc ratione quantitatis, & aliæ sunt majores, aliæ minores, aliæ plures numero, aliæ pauciores: nunc ratione subjecti, quod aliæ solùm unum, aliæ utrumq; labium occupant.

Signa diagnostica.

Affectus ipse per se oculis patet. Causæ verò signis cognoscendæ. Si externæ illæ sunt, id ex ægri relatione cognoscitur: quæ si abfuerint, causarum internarum id indicium est.

Et quidem si à vapore fissuræ accidant, sine pruritu, (neq; enim vapores ita inhaerent, ut humores) sine ardore, sine multa duritie sunt, neq; adeò frequentes, neque profundæ. Quæ verò ex humoribus calidis est fissura, cum pruritu est, & profundior. Et si humor à capite ad labia fluat, id etiam sensibus manifestum est.

Prognostica.

1. Labiorum fissuræ non planè negligendæ. Nam & turpitudinem, qua dampnariunt, &, si diu durent, in ulcera crustosa, callosa, & difficulter curabilia degenerant.

2. Rhagades à nativitate contractæ non curantur: reliquæ non ita difficulter; nisi ad canerosam naturam de generent.

Indicationes.

Siccitas nimia corrigenda est humectantibus, & labiorum soluta unitas unienda. Causæ verò, à quibus

ex pendent, tollendæ. Causſa igitur
externæ, ſi adhuc adſint, amovendæ.
Si vitioſi humores adſint, evacuandi.
Si vapores cauſſa ſint, illi quoq; tol-
lendi, & epati, utero, vel etiam toti
corpori, unde illi proveniunt, ſuc-
currendum.

Curatio.

*Curatio fiſ-
ſura à fri-
gore.* Si ergo à frigore externo fit fiſſu-
ra, ſolo Unguento pomato albo la-
bia inungere ſufficit: vel paretur ta-
le Linimentum :

R̄. *Pſingued. gallin.* Unc. ij.
cera alba Drach. ij.

Abluantur ſape *aqua roſarum*.
F. Linimentum.

Utile eſt & oleum ceræ ac thuris.
Avicennas pinguedines, adipēs ac
medullas cum oleo roſaceo & cera
miſcet, & adhibet. Sint tamen pin-
guedines recentes. Si enim ſint ve-
tuſtæ ac rancidæ, atq; acridinem ac-
quiſiverint, potius nocent, quàm
profunt. Idem pelliculas ovorum &
arundinum applicat.

*A cauſſa
calida.* Si à cauſſa calida & ſicca ſint fiſ-
ſuræ, linteæ tenera ſucco ſempervivi
& ſolani madida imponantur.

Vel R̄. *Amyli,*
ſacch. penid,
Canarienſis,
conf. roſ. an Drach. ſſ.
Miſc.

Utile eſt etiam mucilago gummi
ceraſorum cum aq. roſ. extracta.

Si verò fiſſuræ altius penetrent,
adeps anſerinus & caponjs, aut me-
dulla crurum bubulorum cum ſem-
pervivo & terebinthinâ adhibeatur,

Vel R̄. *Mucilag. ſem. cydon.*
Ol. maſtich. an. Unc. j.
adipis gallinæ,
medullæ pedū vituli, an. Unc. ſſ.
vini albi ſubdulcis parum,
Cum cera fiat Unguentum,
vel Ceratum molle.

Vel R̄. *Pulv. amber. roſar.* q. v.
Cum *mucilag. tragacanth.*

F. Linimentum.

Vel R̄. *Sacch. penid.*
mucilag. tragacanth, aquâ ro-
ſar. extracta q. ſſ.
Miſc.

Poteſt & aliquid amyli addi.

Vel R̄. *Terebinth.*
butyri ſine ſale, an. q. v.
pulveris macis parum.
Miſc.

Vel R̄. *Ol. macis deſtillat.* Scr. j.
pulv. nuc. moſch. Scr. ſſ.
mell. roſat. Unc. ſſ.
Miſc.

Utile eſt & tragacantha aquâ
roſar. diſſoluta, amyloq; miſta, & il-
lita: vel cum cera virginea, melle, &
oleo communi fiat Unguentum.

Vel R̄. *Ol. roſac.* Unc. ſſ.
amygd. dulc. Drach. ij.
butyri ſine ſale aqua roſ. loci
Drach. iij.
terebinth. Drach. ij.
pingued. capon. Drach. j. ſſ.
mellis Drach. iij.
ſuccini Drach. j.
ceruſſ. Drach. ij.
cera alba q. ſſ.

F. Unguentum.

In omni cauſſa utile eſt, labium
introvertere, & linguâ humectare,
maxi.

maximè si mastiche, & alia idonea medicamèta prius masticata fuerint.

De seminis hyoscyami fumo vide caput sequens in fine. Vide & Aetium, *terrab. 2. ferm. 4. cap. 18.*

CAP. III.

De labiorum Ulceribus.

Nonnunquam & Ulcera labia occupant crustosa, sæpe etiam manantia, quæ ortum habent ab humoribus acris, sive tales sint naturâ sua, quales sunt biliosi & serofi, sive ex adustione & pu. redine vel acris humoris admittance, quo modo & humores pituitosi & melancholici, & sanguis, acres fieri possunt.

Atque talia ulcera sæpe per modum criseos in febribus tertianis & acutis & malignis contingunt, & febris solutionem indicant. Sæpe etiam absq; crisi ab humoribus vitiosis ex reliquo corpore eò protrusis ortum habent. Sæpe quoq; in morbo Gallico proveniunt. Ita & in peste nonnullis labia exulcerantur, *3. epid. sect. 3.* Causa etiam esse potest contritio & contusio musculi labii. Pertinent huc & venena, ut arsenicum; & similia urentia, quæ etiâ labia exulcerant.

Signa diagnostica.

Et quidem talia ulcera oculis obvia sunt: causæ verò signis investigandæ. Si per crisin accidunt, febris adest. Si à morbo Gallico, is etiam suis signis se prodit. Si & febris & morbi Gallici signa absunt, è latente in corpore cacochymia proveniunt.

Prognostica.

1. Ulcera labiorum, quæ in febribus accidunt, plerumque bonum signum suat, & febris vel perfectam solutionem, vel imminutionem significant, & per se facile sanantur, si scilicet cum signis coctionis appareant. Hippocrates, *6. epid. sect. 8. t. 41.* Alioquin, sicum viribus debilibus, & aliis malis signis, os & labra exulcerentur, lethale; ut in Hermoptolemi uxore, *7. epid. sect. 13.*

2. Difficiliora curatu sunt & pejora, quæ à morbo Gallico proveniunt.

Curatio.

Quæ in febribus fiunt, ulcera labiorum, facile per se sanantur, quæ à lue Venerea ortum habent, quomodo curanda sint, è curatione morbi Gallici patet; & talium ulcerum curatorum exemplum habetur apud Forestum, *lib. 14. observ. 2* Si sine febre & morbo Gallico talia ulcera oriuntur, universalibus præmissis tale adhibeatur Unguentum:

R. Lithargyr.
rarent. plumbi,
hyoscyami albi, an. q. v.
ol. rosac.
cera, an. q. ß.

Misce in mortario plumbeo. Fiat Linimentum.

Vel R. Unguenti rosati Mesue Unc. j.
limimèti ex litharg. Unc. ß. M.

Vel R. Rosar. rubrar.
mastich, an. Drach. j.
plumbi ussi Drach. ß. F. Pulvis.
Adde
terebinth.

mellii, an. q. ß. F. Linimentum.

Appli-

Ulcera labiorum.
Causa.

Prognostica.

Signa.

Applicantur autem medicamen-
ta commodissimè somni tempore.
Ita enim rectius retineatur.

Joh. Baptist. Porta femina hyo-
scyami prunis injicit, & fumum per
infundibulum papyraceum excipe-
re jubet. Illico enim evanescere tu-
morem, scribit, & glutinari fissuras
nunquam amplius redituras.

Diata.

Diata.

Vitet æger cibos salfos, acres, aro-
mata, sermonem multum.

Cancer.

Cancer.

Pertinet huc & Cancer Labiorum,
cujus generatio & curatio è generali
de Cancro doctrina patet. Paræus
tamen, *lib. 6. cap. 29* peculiarem cu-
randi rationem tradit. Cancrum
suis utrinq; sursum ad deorsum la-
biis acu filum ducente transigere
jubet, ut fili beneficio cancerum tan-
quam in manu sinistra regere & te-
nere liceat, totum manu dextra vol-
sellis unico ictu amputare possis: ita
tamen, quæ labri ipsius interior quæ-
dam, quæ dentes contingit, restet
substantia, (modò non ad intima usq;
cancer radices agat) quæ regeneran-
dæ mox carni, & implendæ cavitati,
pro fundamento & basi esse queat.
Hinc sanguine sufficienter effuso,
vulneris oræ, dextra & sinistra, inter-
na & externa parte, scarificatu pro-
fundiore erunt novaculâ pertun-
dendæ, ut cum mox sutura ex acu fi-
lum ducente, rostris leporinis pro-
pria, in unum adducere vulneris
oras ipsas & margines voluerimus,
ipsam labri carnem magis sequa-
cem, & trahenti acui filoque obse-

quentiorem habeamus. Reliquum
curationis eodem plane modo pro-
sequendum, quo in rostris leporinis.

CAPUT IV.

De Labiis Vulneratis, Leporinis, & Curtis.

Vulnera Labiorum ob sermonem
& locutionem, qua partes vulneratæ
conjunctæ dirimuntur, & salivam
(de qua postea in quæstione) qua
humectantur, tardius curantur.

Vulnera
labiorum.

Labia si vulnerentur absq; carnis
amissione, suenda, si opus, vel aliàs,
& diligenter conjungenda sunt, ut
deformitas omnis vitetur; & medi-
camenta glutinantia extra impo-
nenda. Ab interna verò parte mel-
rosaceum, & sirupus de rosis siccis
sæpe illinendus.

Si autem carnis aliquid amissum
sit, digerendo, detergendo, carne
replendo, & tandem consolidando,
ut aliarum partium vulnera, labio-
rum vulnera curantur.

QUÆSTIO.

An saliva conglutina- tionem vulnerum labi- orum remoretur?

Pletiq; Practici id statuunt. Ni-
col. Glandorpius verò, in *speculo*
Chirurg. obs 17. id saltem concedit,
in homine malè temperato, vel lue
Gallica affecto, vel aliquo morbo
salso laborante: in sano verò id ne-
gat, in quo potius abstergat, & mun-
dificet vulnus saliva.

An saliva
conglutina-
tionem vul-
nerum la-
biorum re-
moretur?

Cui

Cui etiam libenter assentimur, cum videamus, scabiem, serpigines, & similia mala, jejuni hominis salivâ sanari, & proinde eam abstergendi & mundificandi vim habere. Hoc tamen cavendum, ne nimium ulcus salivâ humectetur. Quæ enim glutinari debent, non humida, sed sicca esse debent.

Labia Leporina.

Si autem labia ob vitiosam conformationem non cohæreant, Labia Leporina, nonnullis Rostra leporina, German. *Nasenschart* / nominantur, habentque causam plerumque imaginationem matris, quæ vel leporem, vel alium hoc malo laborantem adspexit. Aliam tamen etiam hujus rei causam refert Olaus Magnus, dum, *lib. 18 cap. 12.* scribit, unam infelicitatem plerumque mulieres Aquilonares uterum gerendo incurrere, ut vel esu, vel saltu super caput leporis factu, pariant infantulos oris leporini; inter os & nares divisa labra perpetuo retinentes, nisi statim à principio assuant particulam pectoris tenerissimi pulli adhuc sanguinolenti. Verùm ex opinione vulgi hoc scriptum puto.

Præcipua verò curandi ratio à Cheirurgia pendet. Perficitur autem illa 1. dissectione & hiantium labiorum excoriatione. 2. Labiorum jam excoriatorum conjunctione & suturâ; quæ ubi facta sunt, reliqua naturæ, ut in aliis vulneribus, committenda; ita tamen, ut aliàs fieri solet, ut unguentis & emplastris ad

L. II.

vulnera conglutinanda idoneis naturâ succurratur.

Labia Curta.

Curta verò labia, quæ ratione curanda sint, in *Instit. lib. 5. p. 1. §. 2. c. 14.* dictum, quibus tamen ut quædam addamus, duplex curandi curta labia ratio est; una fucata, altera vera. Fucatam descripsit Joh. Thom. Minadous, *de humani corporis turpitudinibus, lib. 3. cap. 40.* Is, dum Damasci in Syria esset, Mercatorem quendam pannorum sericorum vidit, qui labrum superius fastidium habebat, quod, dum domi esset, vel edere vel bibere vellet, deponere, & domi cum turpitudine ista vivere solebat, foris autem labrum fastidium adaptabat, hoc modo: Foramina ille carni sub naso reliquæ, obducta jam dura cicatrice, sibi parari curaverat, qualia nonnulli in auribus ad gemmas vel annulos gestandos fieri curant, quibus crebris vinculis portionem larvæ ad labri deficientis magnitudinem & figuram conformatam adaptabat, cui ex humanæ barbæ pilis mistacem gummi tragacanthæ agglutinaverat.

Veram autem curandi curta labia rationem Galenus, *lib. 14. M. M. cap. 16. & 17.* tradit, & post eum Paulus Aegineta, *lib. 6. c. 26.* Cornelius Celsus, *lib. 7. cap. 9.* Diligentius tamen eam Recentiores, & imprimis Caspar Taliacotius, in *libello de Curtorum cheirurgia*, tradiderunt. Veteres equidem non aliunde propaginem in curta inserendam petebant,

B

bant,

Labia leporina.

Labia curta curandi ratio duplex.

bant, sed è proximis cuti partibus, cute excisâ & carne aucta. At Talia-
cotius non solum è vicinis, sed & remotis partibus propaginem petit, qui, *allegato loco*, videatur.

CAPUT V.

*De Tremore & Perver-
sione labiorum, Sanguinis fluxu ex iis, & Labiis Lividis.*

PRÆTER enumeratos morbos etiam quædam symptomata labiis & ori accidunt; Labiis quidem Tremor & Perversio, Colore eorum mutatus, & Sanguinis ex iis fluxus; Ori verò Apertio læsa, Tortura, & Ptyalismus, seu crebra spütatio; de quibus jam dicemus.

*Labiorum
tremor, j*

Et primò quidem Tremunt interdum labia: id quod accidit in ira & metu, interdum etiam ex nervorum debilitatione, sicut Franciscus Viario, Veneto, labium semper, dum loqueretur, tremuisse scribit Alex. Benedictus, *lib. 5. c. 18*. Tremunt & in nausea labium inferius, vel ex humore mordaci, vel ex oris stomachi nimia agitatione, ob consensum, qui hæc partibus per communionem membranarum intercedit.

Itaq; cum labium inferius tremunt, nisi ab ira vel metu sit, vomitum plerunque præfigit, teste Galeno, *3. de Crisibus, cap. 11.*

Interdum etiam in cerebri aliqua magna affectione labiorum tremor accidit, ibi tenuior victus prodest;

hic quæ cerebro & occipiti aliæque nervorum affectibus adhibentur, conferunt.

Tremunt interdum etiâ labia in summo frigore, cum dentium stridore: item à vermibus, ut seni illi, *9. epid.* cui furiosum quiddam latens inerat.

Videtur interdum etiam motus quidam quasi convulsivus adesse, ut in Cydis filio, *7. epid. sect. 7.* de quo Hippocrates: *sine conatu semperfecta loquebatur, & os solutum, & maxilla ac labia semper in motu erant, quasi qui loqui cuperet.*

Pertinet huc & labiorum Perversio, de qua Hippocrates, *4. aph. 49.* *perversio. In febribus non intermittentibus si labium, aut palpebra, aut supercillum, aut oculus, aut nasus pervertatur, si non videat, si non audiat, debili jam existente corpore, quicquid horum acciderit, mors in propinquo est.* Idem aphorismus habetur, *prognost. 12.*

*Labiorum
perversio.*

Causa proxima hujus symptomatise est affectio nervorum tertie conjugationis. Fit verò ista cerebro graviter affecto, & propterea malû hoc in febribus continuis, & ubi ex peculiari organorum vitio accidit, viribusq; jam debilibus, lethale signum est. Si verò virtus valida existat, eadem symptomata interdum sine periculo apparent, in criticis scilicet perturbationibus per *μυστασιν* materię ad caput: unde & *2. Coac.* habetur, labium contractum alvi biliosa eruptionem significare.

Causa.

Interdum & sanguis è labiis effluit, quod in scorbuticis quandoq; evenit, cum humores acres, serosi &

Fluxus sanguinis è labiis.

labia

Salſa labia erodunt, & naturam ad excretionem ſtimulant. Idem interdum in fiſſuris labiorum accidit.

Tandem etiam labiorū color mutatur, & livida plerumq; fiunt; quod accidit in elephantiaſi, morbo Gallico, qui color curato illo morbo ceſſat. Interdum etiam in febris continuis fiunt labra livida; quod ſignum lethale eſt, 2. Coac. & caloris nativi exſtinctionem ſignificat.

CAPUT VI.

De Oris Apertione laſa.

Atque hi ſunt morbi & ſymptomata, quæ labiis ſolis accidunt. Sunt verò & alia quædam vitia, quæ iis quidem etiam contingunt, non tamen ſolis, ſed ſimul affectis vicinis partibus, imprimis muſculis maxillarum & faciei. Qualia ſunt Oris apertio vel ablata, vel imminuta, Oſcitatio, Oriſtortura, Peyaliſmus: quæ propterea ſubjungemus.

Et primò quidem Oris clauſuram ſeu apertionem denegatam quod attingit, aperire homines os nequeunt ob diſtentionem cervicis ex vulnere nervorum, quia maxillæ veluti oſſa rigefcunt. Hippocrates, *lib. de diebus judicatoriis*. Ita Phœnici apud Hippocratem, *lib. 4. epid.* poſteriorū colli vertebrarum contentio aderat, ac circum dentes durities, quos diſtentus diducere conabatur. De eodem, *7. epid.* inquit: Quod ſi caput commovere, aut dentes aperire conaretur, non poterat, utpote admodum diſtentus.

Secundò, quando oris cardo, in quo gona vertitur, obrigeſcit, atq; oſtrictius connivet, quò minus in rictu queat expandi, ſqualido terrenoque humore in juncturam illam & hujus vincula altius imbibitio. Id quod ſcorbuticis interdum accidit, ut, de Scorbuto, *lib. 3. p. 5. ſ. 2. cap. 4.* dicitur.

Tertiò propter maxillam inferiorem adnatam capiti. Id quod rarius eſt, quod tamen Columbus, *cap. 15. de re anat.* refert, dum ſcribit, in ſummi Pontificis penū eſſe caput gigantis, in quo maxilla inferior capiti adeò adnata & conjuncta eſt, ut omni motu proſus careat, atque in vivente non carere non poterit.

Quartò, propter tumores circa juncturam maxillarum: id quod ſæpe in inflammationibus maxillæ & tonſillarum accidit, ob quas os diduci non poteſt.

Signa cauſarum, ut & curatio, patet ex ſignis & curatione morborum, modò enumeratorum, ob quos os aperiri non poteſt.

Contra interdum Os nimium hians: id quod ſæpe fit in febris ardentibus, ob vapores calidiſſimos ex inferioribus adſcendentes. Idem fit ob luxationē maxillæ inferioris, de quâ poſtea dicitur. In lethargo etiam ob laſam memoriā os claudere ægri obliſcuntur. Si nares etiam obſtructæ ſunt, os apertū ægri ſervant, quò copioſiorem aërem attrahant. Idem fit in tumoribus faucium internis & angina Nonnulli & ex malâ conſuetudine os hians perpetuò ſervant.

Affectus autem iſte per ſe patet.

Labia livida.

Oris apertio laſa.

Cauſæ.

Signa & curatio.

Oris hians.

Causæ verò è signis, quæ è suis locis petenda, cognoscuntur.

Prognostica.

Prognostica etiam inde petenda. In febribus autem acutis faucium sine tumore dolores & pusilli & strangulantes, & cum os hiat, nec promptè adduci & claudi potest, mentis amotionem portendi oportet, *Prorrh. II.*

Curatio.

Curatio pendet à causarum, à quibus hoc vitium provenit, remotione.

CAPUT VII.

De Oscitatione.

Oscitatio.

Peculiaris verò oris præter naturam apertionis species est Oscitatio, Gellio, *lib. 4. cap. 20.* Oscedo. Est autem Oscitatio vehemens oris ductio, ab halitiosis vaporibus, in spatii musculorum maxillæ inferioris & buccarum collectis, vel infra ascendentes, & copiâ potius, quàm acrimonia, naturam ad excretionem stimulantibus, operantibus simul & concurrentibus musculis thoracis; unde pandiculationes sæpissime comites. Hinc & Hippocratis, *de prors. Medicin.* scribit, si pransi fuerint, quibus prandere non conducit, illi continuo graves, totoq; corpore & mente segnes evadunt, cum oscitatione, somnolentia, multa que siti. Cum autem per istam vehementem ductioem auris meatus non nihil comprimatur, ut aërem non satis admittat, hinc oscitantes minus distinctè audiunt: quamvis forsitan & propter nervorum compressionem id fieri possit. Videtur tamen

adhuc alius esse oscitationis modus, cum nimirum aperto admodumque ducto ore aër primò affatim hauritur rursusque efflatur cum sono quodam, de quo Hippocrates, *in libro de flatibus*, scribit, quod oscitationes febres prædicant, cum magna copia coacervatus aër fuerit, confertimq; ad superiora erumpens, tanquam machinatione aliqua os diducit, quòd hâc ei facilis exitus pateat. Accidit interdum etiam oscitatio ab imaginatione, si quis alios oscitantes videat. Facilius tamen id accidit pigris, & quibus vapores aliqui in musculis illis hærent, quàm aliis. Oscitatio etiam crebra est in lethargo, ita, ut os claudere ægri obliviscantur.

Signa Diagnostica.

Affectus ipse per se patet, & causa signa eius quoque facile innotescunt.

Prognostica.

1. Oscitatio si citra occasionem sit frequentior, præsignat morbos, & febrium incipientium præludium est. Citra verò morbos pigritiæ signum est, vel ex imaginatione proficiscitur. Unde puniebatur olim, si quis in iudicio clarè nimium & sonore oscitaret, tanquam illud indicium vagi animi foret, & hallucinantis, ac fluxæ atque apertæ securitatis. Gellius, *lib. 4. Noct. Attic. c. ult.*
2. Ex nimia oscitatione maxilla inferior luxari potest.
3. Oscitatio in encephalo lethale est; sicut sternisse à coitu, abortivum. Gellius, *lib. 3. Noct. Attic. cap. 16.*

Curatio

Curatio.

Itaq; cum oscitatio nihil noceat, nisi forsan ex nimia oris diductione luxatio maxillæ accidat, sed potius juvet, ipsa per se nullam curationem requirit, sed potius, ut morbo, quem præfagit, occurratur, admonet. Quia tamen ex nimia oscitatione & oris diductione maxilla inferior luxari potest, reprimenda est nimia oris diductio, quæ aliàs etiam incivilis habetur. Idq; fit, si vinum cum pari portione aquæ exhibeatur, quod materiam importunè evaporantem discutit, modo corpus sit purum & sine febre, ut est apud Hippocratem, 7. apb 56. & 3. epid. sect. 7. Assiduarum etiam oscitationum longam spirationem medelam esse, scribit Hippocrates, 6. epid. sect. 2. apb. 9. Avicennas masticationem acori commendat.

CAPUT VIII.

De oris Distortione.

Cynicus spasmus Græcis à distortionis figura, quæ rictum iratorum canum exprimit, appellationem habet. Celso, lib. 4. c. 2 oris distortio, vulgò Tortura oris dicitur; & quidem rectius. Neq; enim semper à spasmò est ista oris distortio. Interdum & risus Sardonius nominatur, ab herba Sardoâ, quæ est species Ranunculi, in Sardinia proveniens, & Apium risus dicitur, quæ vescentibus ora similiter rictu diducit, ut ridentium facie intereant,

Causæ.

Causas istius affectionis Aëtius *Causa.* in paralyti musculorum *μασθη-
ρων*, sive mandibularum, refert, & Galenus, 4. de loc. affect. c. 2. à paralyti nervorum & musculorum faciei hoc malum existere affirmat. In 3. de loc. affect. cap. 6. etiam convulsione meminit, dum labra sæpenumero convelli scribit, item oculos, frontis cutem, totas mandibulas, & linguæ radicem; quod in Tortura oris etiam accidere solet.

Itaque Spasmus Cynicus, vel potius Oris Tortura, est depravata oris & faciei figura, orta vel à convulsione, vel à resolutione musculorum faciei, unde in obliquum distortur os, nasus, vel oculus; & in summa dimidia plerumque faciei pars afficitur in hoc malo, vel dextra, vel sinistra, aliquibus verò omnibus sui partibus. Etsi verò aliquando tota facies distorta apparet: dicitur tamen Oris distortio, quoniam manifestius depravatio illa figuræ in ea faciei parteprehenditur, quæ labiorum ambitu est circumscripta.

Si tamen accuratè rem æstimare velimus, distinguendum esse videtur inter Oris torturam & Spasmus Cynicum. Hinc Platerus Oris torturam appellat, quando oris parte deorsum tendente, vel sursum tracti, os obliquum & intortum, ut inplorantibus apparere solet, redditur, sive id fiat ex paralyti, sive convulsione. Quod si verò in utroq; latere labia cum buccis simul contrahantur,

tur, tum os transversim diductum, veluti in ridentibus hominibus, vel in canibus, cum irati ringuntur & hiant, conspici, idq; spasmus Cynicum vocari scribit. Petrus Salius Diversus, in *Annotationibus in Altimarum, cap. 15.* inter Torturam oris & spasmus Cynicum etiam differentiam facit, Torturamq; oris generalius accipi statuit pro omni figuræ oris depravatione, eamq; à duplici causa provenire, quarum altera est paralytis, altera convulsio. Spasmus vero Cynicum, ut ipsa vox, si propriè sumatur, indicat, solum ex convulsione fieri statuit.

Verùm si has duas sententias jungamus, differentia inter Torturam oris & Spasmus Cynicum rectè constitui potest. Tortura oris est vel à paralyti, vel à convulsione. Convulsio vel unum tantum latus occupat, vel utrumque. Si unum tantum, convulsio oris simpliciter, vel etiam, nomine generis, Tortura oris appellatur. Si utrumq;, propriè Spasmus Cynicus dicitur. Hæc enim convulsio exactè irati canis rictum exprimit. Non verò quævis convulsio oris rictum iratorum canum exprimit. Unde etiam vocatur risus Sardonius. At ridentes non unum tantum latus diducunt, sed utrumque. Quæ verò à paralyti provenit, oris Tortura, Spasmus Cynicus appellari non potest; cum paralytis non possit esse convulsio. Ufus tamen obtinuit, ut vocabulum spasmus non semper hic propriè accipiatur, sed sæpe oris

Tortura & spasmus Cynicus confundantur.

Quia verò muscoli faciei, qui maxillas inferiores, pinnas narium, & labia ac buccas movent, nervos maxima ex parte à tertia conjugatione cerebri accipiunt; musculosa verò latitudo illa, sive *μυῶδες πλάττωσιμα*, cujus Galenus, 4. de loc. aff. c. 2. in fine, mentionem facit, quodq; mandibulas, & narium pinnas, & buccam utramque moveri, non à tertia conjugatione cerebri, sed à primis cervicis vertebrae nervos accipit, & nonnullos etiam à quinta conjugatione cerebri: fons hujus mali præcipuè quærendus est, vel in nervis à tertia conjugatione, vel in musculosa latitudine.

Causæ verò remoræ Torturæ oris eadem sunt, quæ paralyseos & convulsionis, cum ab alterutra hæc affectio oriri possit.

Avicennæ tamen frequentius fit à convulsione. Quando igitur Tortura oris à convulsione existit, musculis faciei versus sua principia contractis, tunc pars sana ad læsam sive convulsam trahitur, & latus, in quo distortio cernitur, locus affectus est, & muscoli dextræ partis convulsi versus sua principia trahuntur, ac sinistræ partis musculos sanos ad se trahunt, affectioque dextram ipsam partem occupat.

In Tortura verò oris ex paralyti, pars faciei distorta est sana; quoniam muscoli sani actione sua fuagentes trahunt resolutas partes ad se.

Tortura oris Causa remota.

Quod

Quod tamen, *lib. 1. part. 2. cap. 28.* monuimus, paralyfin & convulsionem interdum jungi, ut per vices & alternatim affligant, ita, ut pars modò convellatur, modò resolvatur: id etiam hic quandoque accidere potest. Cujus generis affectus videtur fuisse, quem describit Anton. Benivenius, *de abditis morbor. causis & curat. cap. 101.* Cum enim imperitus quidam Medicus cuidam mulierculæ è gena dextra tuberculum furunculo simile scalpello abscessisset, non habitâ ratione nervorum ac venularum, illico subsecuta est inflammatio & dolor, è quo mulier in *κωνικόν σπασμὸν* incidit, quo temerario motu pervertebatur os & facies modò in dexteriolem, modò in sinisteriolem partem. Cum enim facies modò in dextram, modò in sinisteram partem distorqueretur, videretur fuisse mixtus affectus ex paralyfi & convulsione, ut scilicet alternatim os modò convelleretur, modò resolveretur.

Resolutio nervorum, & inde secuta oris perversio, videatur apud Hippocratem, *2. epid. sect. 2. prope finem.*

Præter paralyfin tamen & convulsionem alia adhuc videtur dari causa oris torturæ, cujus mentio fit ab Hippocrate, *lib. de articulis*, malè scilicet curata maxillæ fractura. *Si rectè quidem*, inquit, *coapta fuerit, & ut debet, quæ evenit maxilla, brevi convalescet, ac dentes integri manent. Sin secus, longiore quidem tem-*

pore curatio accidit, eaq; distorta & dentes caduntur, ac inutiles existunt.

Signa diagnostica.

Tortura oris visui patet, quando os ægri ad alterum latus distorquetur, ut labiorum concinnus contactus, aut aliarum partium in facie consensus pereat. Præterea oculus alter ritè claudi nequit. Ac denique æger exsufflare vel exspuere jussus, ex altero tantùm oris latere id præstare potest, & sponte etiam saliva oris profluit. Nonnunquam fit Tortura oris non apparentibus in facie signis, neque spasmi, neque paralyfis. Atque tunc ægrum juvebis ridere aut pronunciare O litteram. Hic animadvertetur, alteram oris partem liberè moveri non posse.

Quod ad causarum signa attinet, si malum hoc à convulsione existit, pars affecta dura & tensa trahit sanam, & plerumque dolor partis adest. Si verò hoc malum à resolutione oriatur, pars affecta laxa & mollis trahitur ad sanam, & sensus in parte affectâ obtusus est, & palpebra oculi inferior ea parte decidit.

Traditur & hoc signum, ex convulsione malum esse, si pars distorta ad naturalem situm & figuram restituatur per extensionem manibus factam; ex resolutione verò, si per retractionem. In

para-

Paralyfis
& convulsio
junguntur
interdum.

Resolutio
nervorum.

Maxilla
fractura oris
torturæ
causâ.

Signa

paralyfi etiam facies est extensa sine rugis, & inclinatio faciei continua est ad inferiora: in convulsione rugosa est cutis in parte una, & extensio ejus in parte altera. Paucitas spūti & salivæ est, præcesseruntque vel adsunt causæ convulsionis.

Cæterum si causa Torturæ oris hæreat in musculo faciei, vitiosa figura solùm partem faciei, quæ ab illo musculo regitur, occupabit.

Sin in nervo, & quidem secundum ejus principium, ita, ut cerebrum altero latere sit affectum, dimidium etiam cum faciei, tum totius corporis simul afficietur. Si secundum progressum, & noxa sit in tertio pari nervorum cerebri, vitiosa figura occupabit dimidium faciei secundum omnes partes: ubi scilicet ramus aliquis major afficitur. Aliàs enim tortura tantùm aliquas partes occupat. Si etiam tertia conjugatio afficiatur, magis laborat oculus: quia tertia conjugatio aliqua sui parte cum motoris nervis oculorum per eadem foramina prominet.

Si in quinto pari, levis erit noxa buccarum: quæ deniq; insignis erit, si in primis cervicis vertebra, illarumq; nervis, causa mali sedem habebit, & minus tum laborabit oculus, nisi simul musculus temporalis affectus sit, in quem quinta conjugatio ramulum mittit. Tunc etenim per consensum laborat simul oculus: quia juxta Columbum in quibusdam etiam secunda conju-

gatio, quæ oculos movet, eò ramulum quendam mittit, unde consensus musculi temporalis & oculi. Minimè laborat oculus, si nervi cervicis afficiantur.

Prognostica.

1. Tortura oris superveniens spasmodum aut paralyfin reliqui corporis, apoplexiam vel epilepsiam portendit.

2. Si Tortura oris fortis advenit, per spasmodum præcipuè, inter quatuor dies interficit, materiã in cerebrum translata. Valescus de Tarenta tamen vidit morientem die duodecimo.

3. Tortura oris, quæ ultra sex menses producit, aut nunquam, aut difficulter curatur, teste Avicenna.

4. Quæ per spasmodum fit Tortura oris, in febribus ardentibus, perniciose phrenitide, & morbis aliis acutis, lethalis est, teste Rhase.

5. In febre non intermittente, si labrum, aut supercilia, aut oculus, aut nasus pervertatur, imbecillo jam corpore, in propinquo mors est: *4 aph. 49.*

6. Oris perversiones, quæ nulli corporis parti consentiunt, celeriter aut sua sponte, aut ex necessitate sedantur: Hippocrates, *lib. 2. prædicit.*

Curatio.

Sicut Tortura oris aut à spasmo *Curatio.* est, aut à paralyfi: ita etiam curationem requirit diversam. Ab utraque enim dispositione malum ortum habeat, ante omnia videndum est. Quod si ergo sanguinis copia adsit, *vena*

venâ secetur primùm cubiti, si sanguis in toto abundet, postea & quæ sub lingua. Aut cucurbitulæ cum scarificatione primis vertebriis, vel, quod tutius est, scapulis affigantur. Nam sæpius appositæ cervicis tremores corporis afferunt, teste Avicenna, *1. Canon fen. 4. cap. 21. de ventosis.*

Avicennas, Paulus, Aëtius ligaturam probant, quâ tanquam capistro facies ad figuram naturalem reducatur; quod in Tortura oris ex paralyfi locum habet.

Alii tamen etiam utuntur ligaturis in convulsione, ita, ut primò tendatur cutis frontis ad inferiora, deinde ligetur cum fascia, donec tortura cessaverit omnino.

Probantur & frictions extremorum ad divertendum, factæ manu sicca, vel intinctâ in aqua lavendulæ.

In inveterato hoc malo, si alia non prosint, Avicennas cauterium applicat supra venam, quæ ponè aurem est lateris affecti; quod & in cervice fieri potest. Non tamen ubi convulsio est in nervis cervicis. Ita enim augetur malum. Nisi fortè applicetur inter primam & secundam vertebra. Nervi enim, qui in faciem distribuuntur, à tertiâ, quartâ, & quintâ vertebra originem habent.

Alij sinapisino & phœnigmo, vel dropace contenti sunt,

Medicamenta quod attinet, Avicennas vetat pèrgere ad fortia purgantia vel digerentia ante quartum vel septimum diem, propter cruditatem materiæ; nisi metus sit ab imminentè epilepsia vel apoplexia.

L. II.

Post universalem evacuationem profunt 1. errhina, 2. apophlegmatismi & gargarismi; & si sint masticatoria, masticatio magis fiat in parte affecta. A principio autem, & ante errhina, gargarismis Avicennas non utitur, ne materia partis affectæ in faciem trahatur.

Idem crebrò masticare jubet calamum aromaticum, nucem moschatam, & pyrethrum. Et de nucem moschata in ore tenenda Rhases quoque præcipit. Alij & castoreum sub lingua tenere jubent: quæ omnia vim habent materiam resolvendi, nux moschata etiam nervos & cerebrum roborandi: ideo quoq; nux mosch. cum spec. diapliris exhiberi potest.

Vel fiat gargarismus ex ruta, lavendula, salvia, primula veris, & locus affectus inungatur unguento Martiato. Fiant inunctiones partis affectæ cum oleo lumbricor. de castoreo, terebinth & aliis, quæ paralyfi & spasmo conveniunt.

Vapores insuper è fomentis convenientibus in faciem recipiantur. Vel capitis inunctiones, lotiones caput exiccantes, fiant in Tortura oris ex paralyfi. Ex gr.

*R. Lixivium è cineribus vitis,
in eo bulliant
stachas Arabica,
salvia,
fol. lauri,
ruta,
salvia, &c.*

Vel applicetur hoc Cataplasma Bertrucij;

C

R. Rad.

℞. Rad. raphani contusas, & addito oleo laurino, rutaceo, de lateribus, & modico aceti ac fursuris s. q.

F. Cataplasma.

Avicenna ex Indorum Medicorum sententia commendat carnes animalium sylvestrium, ut leporis, vulpis, cervi, hirci sylvestris, asini sylvestris, quas elixatas parti affectæ & capiti applicat.

Possunt & interna medicamenta, quæ ad paralyfin & convulsionem descripta sunt supra, libro primo, exhiberi; inter quas sunt aquæ duæ à Langio, lib. 3. epist. 1. cap. 1. descriptæ, quæ ita habent:

Prima:

℞. Fl. primule veris,
rorismarini,
majorana,
iva arthetica, an. Mj.
Spec. diamoscb. amar.
diapirris,
diambre, an. Unc. ℞.
confect. anacardin. Unc. j.
cubebæ.
bign. aloës,
nuc. moscb.
caryophyllor.
macropiper.
sarpobalsam. an. Drach. j.
rad. acori,
ireos,
aristol. rot. an. Unc. i℞.
sem. sileris mont.
paonia,
fenicul. an. Drach. j.
aq. herbæ paralyfis,
salvia,

betonica, an. ℞ j.

fl. tilia ℞ i℞.

serapini,

opopanaxis,

myrrha,

gummi juniperi, an. Dra. i℞.

Stent omnia simul mixta conquassatis conquassandis in infusione per d. 8. Postea extrahantur per alembicum ter in cineribus calidis, vel vapore, sive balneo sicco.

Alteræ:

℞. Rosar. rubr.
fl. lavendul. an. Mi℞.
anthos Mj.
stachad. M. ℞.
ebamapit.
stachad. M. ℞.
fl. hyperic. cum semin. an. Mj.
mastich. Drach. iij.
castorei Drach. i℞.
benzoës Unc. ℞.
nuc. moscb. Dra. ij. Scr. ij.
gummi elemi
bedera, an. Dra. ij.
rad. enula contus. ʒvj.
lumbricor. terra lotor. vin.
Unc. j.

Macerentur per diem & noctem in ℞ ij. vini sublimati trinæ distillationis, & ℞j. Malvatici, & destillentur per Baln. Mar. & in alembico in sindone suspendantur moscbi gr. iij. caryophyllor. contusor. Scrup. ℞.

Dieta.

Dieta sit, qualis in paralyfi & spasm. Avicennas & Rhases ægrum jubent poni in loco obscuro, ne humores lucis præsentia agitati & fusi, ad nervos

nervos concurrant. Et solent ipsi ægri lucem & conspectum hominum fugere, ut deformitatem oris ab alijs tegant. Avicennas etiam vult ægrum assiduè intueri in speculum, ex chalybe factum, ut animadversâ oris deformitate faciem totis viribus in pristinam naturalem figuram perducere nitatur. Valescus de Taranta tibiam inflare jubet.

QUESTIO.

An Spasmus Cynicus sit morbus vel symptoma.

Morbum esse negat Ant. Donat. ab Alto mari, de medend. hum. corp. mal. cap. 15. Etsi enim ad eam sequatur morbus, figura scilicet vitiatâ: tamen ipsum spasmum non esse morbum, sed symptoma facultatis motricis læsæ, ad quam sequatur morbus figuræ.

Verum potius de nomine, quàm de re lis est. Spasmus enim Cynicus si consideratur ut altera tórturæ oris differentia seu species, omnino morbus, vitiatâ scilicet figura: si verò consideratur ut causâ hujus morbi, & motus vitiatâ seu convulsio, symptoma est.

CAPUT IX.

De Pityalismo seu crebra sputatione, & saliva defectu.

Pityalismus & πτυελισμός Hippocrati & Galenô, est immoderata & frequens salivæ exspiratio. Est enim inter excrementa corporis no-

strietiam id, quod Græci σάλον, & σέλον & πύαλον & πύσμα nominant, Latini salivam & sputum: unde σάλοχοι Hippocrati dicuntur, 2. epid. qui multam salivam ore effundunt.

Distinguunt nonnulli inter σάλον & πύσμα, seu salivam & sputum; & σάλον, seu salivam, appellant saltè id oris excrementum, quod sine tussi & excreatione rejicitur: sputum verò, quod cum excreatione ex thorace plerumq; rejicitur, seu, ut etymologicum Græcum habet, πύσμα est, quod κατά προοίσιον exspiratur: σάλον verò, quod αὐτομάτως fluit, ut ita affectio, de qua agimus, potius salivatio, quàm crebra sputatio dicenda esset. Verùm quia salivæ propriè dictæ sæpe sputum, ita in specie etiam dictum, permiscetur, id, quod ore rejicitur, ab Autoribus & sputi & salivæ nomine appellatur. Unde etiam Auctores voces has non semper distinguunt.

Quid autem saliva sit, notissimum est: at quomodo generetur, & quis ejus situs, explicandum est. Salivam equidem excrementum esse, & ex ore, tanquam inutile, rejici, extra dubium est, & quidem aquea ista humiditas, quæ lingua irroratur, & mandentibus præsto est, natura sua ἀποιῶστος est; neq; sapore, neq; colore, neq; visciditate excedit; quantitate etiam moderata est.

Cæterùm cum omne excrementum coctionem aliquam præsupponat, materiam quidem huic excremento suppeditat partim coctio

Spasmus
Cynicus an
sit morbus
vel sympto-
ma.

Differentia
salivæ &
sputi.

prima, quæ fit in ventriculo, partim
 tertia, quæ fit in cerebro, elabora-
 tur verò in glandulis linguæ utrinq;
 assilientibus, quas Tonfillas vocant:
 (unde Galenus, *in com. in 1. prorrhët.*
αἰθένας σιαλόχης nominat) ubi sub-
 stantiæ modum ac naturam suam
 & nomen etiam accipit, consentien-
 tibus tamen & concurrentibus lin-
 guæ, & partium in ore calore. Etsi
 verò ex ore & alia excrementa pi-
 tuitosa rejiciuntur, & sæpe saliva
 permisceantur, tamen saliva prop-
 riè tantum illud est, quod in tonsil-
 lis gignitur: quod verò à thora-
 ce ejicitur, πύσμα, seu sputum est, si-
 cut, quod à cerebro defluit, μύξα &
 βλέννα, seu mucus appellatur.

Quamquam verò saliva excremen-
 tum est: natura tamen id etiam ad
 certos usus destinavit. Primò enim
 ad cibi in ore masticationem, & ad
 primæ coctionis præparationem uti-
 lis est, quæ commodè non perficeretur,
 si os saliva destitueretur; sicuti in
 febribus sæpe apparet, cum os sic-
 cum est, neq; eibus saliva conspergi-
 tur. Imò in ipso ventriculo coctio dif-
 ficilior fieret, si absq; saliva esset, & si
 is panem & reliquos cibos aridos ab
 ore acciperet. Deinde locutio perfici
 non posset, si lingua ac labra sali-
 va non conspergerentur, quod qui-
 libet, si lingua & labia salivâ desti-
 tuantur, experitur. Tertio etiam ad
 gustatum conducit saliva, & sapo-
 rum quasi vehiculum est, & si lingua
 saliva destituatur, nullum, vel obscu-
 rum admodum saporem percipit.

Verùm hæc omnia præstat saliva,

si naturalem qualitatem, saporem,
 colorem, quantitarem obineat. Sæ-
 pe verò à naturali constitutione de-
 flectit, & pro insipida fit salsa vel
 amara, vel dulcis, vel acida; color
 pro albo croceus; pro aquea, cras-
 sa & spumea; & tandem pro mode-
 rata in copia, copiosa, ut opus sit,
 hoc excrementum continuo ore re-
 jici, quod Græcis πτυαλισμός, Latini-
 nis, crebra sputatio vel salivatio ap-
 pellatur. Est videlicet Ptyalismus
 crebra & involuntaria sinitu si &
 screatu expulsiō, à nimia salivæ co-
 piâ proveniens.

Etsi enim etiam ex mala consue-
 tudine quasi nonnulli hanc expulsi-
 onem familiarem sibi reddunt,
 dum inter loquendum & peroran-
 dum toties, quoties sententiam absol-
 verunt, expuunt; & ex medicamen-
 torum sputum provocantium usu
 quoque hoc provenire potest: tamen
 de ea hic non est sermo, sed de præ-
 ternaturali, cum objectum præter-
 naturam, seu saliva copiosior, ad
 expuendum invitat.

Causæ.

Fit autem saliva seu sputum co-
 piosius, dum pituitosus humor à ca-
 pite ad os & fauces defluens, salivæ
 se commiscet, eamq; auget; atq; tunc
 ptyalismi, & catarrhi eadem gene-
 ratio & causa est, & solet ptyali-
 smus, ut catarrhus, nonnunquam
 epidemius esse: id quod An. 1565. ac-
 cidisse, refert Forestus, *lib. 14. observ. 23.*
 Eadem de causa cum columellæ
 laxatione plerunque sputatio multa
 conjun-

conjuncta est. Accidit eadem etiam in inflammatione & ulceribus oris.

Deinde dum ex ventriculo humidior & pituita abundante ea sursum in os exsudat & exsurgit, sputoque se miscet, quod manè, seu jejuno ventriculo accidere solet; idque sæpe post morbos chronicos accidit, ventriculo debilitato, & non rectè concoquente. Neque tamen semper primariò è ventriculo aquosa illa pituita in os confluit, sed nonnunquam ex intestinis, ut in vermibus accidit, nonnunquam ex liene, unde lienosi & scorbutici sputatores & salivatores sunt, de qua re, *lib. 3. part. 5. sect. 2. cap. 4.* dictum.

In pectoris quoque & pulmonis affectibus excrementa illic congesta, si in os propellantur, sputum augere solent. Tandem etiam ex hydrargyri inunctione molesta & continuæ sputi ex ore rejectio & salivatio excitari potest. Interdum etiam infantibus salivatio ob humores vitiosos in utero cumulos familiaris est. De quo Hollerius, *com. ad apb. 29. sect. 3.* Nostris, *inquit*, pueris rarò accidunt aphthæ; quia Gallicanarum matrum & nutricum frigidius est lac & humidius: sed aphtharum loco pustulas habent & ulcera serpentina per totam faciem, per caput, post aures, & multam præterea salivationem.

Signa diagnostica.

Malum per se notum est, & qui hoc laborant, coguntur sine tussi & exscreatione, ob salivam copiosius ad labia affluentem, exspuere. Quænam v. copiosæ salivæ causa sit, ex mor-

bis, qui præcesserunt, vel præsentibus sunt, cognoscitur.

Post cibum si copiosa saliva excernatur, indicat ventriculum malè affici, vel ob propriam illius imbecillitatem, vel ob ciborum qualitatem, aut quantitatem. Indicat enim cibum corrumpi. Atque hæc saliva exspuitio à Galeno, *4. de loc. aff. c. 10.* è Diocle inter affectionis hypochondriacæ symptomata recensetur. De sputatione, quæ etiam scorbuticis familiaris est, videatur, *liber 3. loco alleg.*

Prognostica.

1. Malum, prout morbus, à quo saliva copiosa provenit, se habet, nunc gravius, nunc levius est, & facilius vel difficilius curatur.

Prognostica.

2. Ptyalismus interdum à magnis morbis præservat, imò magnos morbos tollit, & acuta febre laborantes tandem ptyalismo, & copiosa salivæ rejectione, sanatos fuisse, observatum est; cujus rei historiam habet Forestus, *lib. 14. obs. 23.*

Curatio.

Etsi ptyalismus à salivæ copia proveniat, & proinde ipsa absumenda, & quæ resiccare & partes illas salivâ suppeditantes, tonsillas puta, roborare possunt, exhibenda sint: tamen cum causæ sint plures, à quibus copiosa saliva provenit, ut scopo huc rectius satisfacere possimus, istæ prius tollendæ sunt.

Itaque si à Catarrho à capite labente & salivam augente est ptyalismus, curatio ad catarrhum dirigenda.

Si à Ventriculi vitio suppedatur, tum generatio pituitæ in ventriculo impedienda, genitaque expurganda, & ventriculus exsiccandus; quam ad rem imprimis aloë, & hiera picra, & aloëticorum medicamentorum usus facit. Utile est & thus ac mastiche cum vino sumpta, & sinapi cibus admixta: item diagalanga, diatrion pipereon. Utilis etiam est vomitus. Æger famem toleret.

Si Lienis vitio proveniat salivæ copiosior, illi succurrendum.

Eodem modo & Pulmonum affectus, si salivam augeant, curandi.

Si ab Hydrargyri inunctione proveniat ptyalismus, illi succurrendum, ut de curatione luis Venereæ dicitur. Et exemplum talis Ptyalismus curati habet Forestus, *lib. 14. observ. 23.*

Quibus pro varietate caussarum expeditis & præmissis, tandem & ad os madidum exsiccandum, & tonsillas roborandas veniendum: decocta nimirum paranda ex fol myrti, plantaginis, rosæ rubris, salvia, nucibus cupressi, balauistiis, acacia, hypocistide, mastiche, ligno aloës, alumine; quæ decocta in ore solum sunt detinenda, non verò gargarismi modo usurpanda, ne plus pituitæ ad os attrahatur. Potest & spongiæ particula in ore detineri, quæ copiosiore salivam imbibat. Si tamen critica sit evacuatio, fluxus ille impediendus non est.

Salivæ Defectus.

Causa est materia defectus. Deficit autem materia, quia vel non generatur, vel generata absimitur,

Non generatur ob siccitatem cerebri, ventriculi, linguæ, & tonsillarum. Generata absimitur in febribus ardentibus, ut Pherecidæ, 7. *epid.* oris inflammationibus, vigiliis, nimis exercitiis, siti, longis sermonibus, à cibis calidis & exsiccantibus, fumis metallicis, & similibus.

Signa Diagnostica hic affectus non requirit, sed per se patet. *Signa etiam caussarum* è præcedentibus & præsentibus, & iis, quæ de linguæ siccitate, *lib. 1. part. 3. sect. 5. cap. 1.* dicta sunt, manifesta sunt.

Prognostica etiam inde petenda & desumenda sunt.

Curatio ut rectè fiat, caussæ, à quibus pendent, tollendæ sunt, & exsiccationi humectantibus resistendum. Quod sit remediis, quæ, *ibid.* habentur.

Lingua ipsa etiam ore continetur, verum quæ de ejus morbis & symptomatibus dici possunt, supra, *lib. 1. part. 3. sect. 5.* proposita sunt.

DE DENTIUM AFFECTIBUS.

CAPUT X.

De Dentium morbis.

Dentes soli ex ossibus quadam sui parte extra *Quædam*, seu alveolos suos prominent, ut masticationi ciborum, quod ipsorum munus est, inferviant. Secundario verò sermoni & pronuntiationi verborum suam operam præstant, Ideo & in masticatione

Salivæ defectus.

Signa.

Prognostica.
Curatio.

Lingua et.
et.

estatione atteruntur, attriti verò incrementum denuò accipiunt, & cum toti exciderint in infantia, nonnunquam & aliis ætatibus, septenariis potissimum annorum, novi gignuntur, ita, ut quibusdam septuagesimo, octuagesimo anno dentes renatos fuisse compertum sit. Præsens enim est usq; ad mortem in maxillis vis *πλαστική*, seu formatrix dentium, quæ ipsos producere potest ex idonea materia, peculiaribus in maxilla sinibus recepta, quæ in osseam quandam durtiorem excrescit. In ipsis etiam dentibus parte internâ semper aliquid humidæ mollitiæ inest, quâ nutriuntur, & fluxionibus opportuni fiunt. Ejus rei exemplum occurrit nuper Reichenbachii, in Silesia. Scripsit n. ad me Dn. D Georgius Tutschardus, vivere ibi honestam matronam ferè septagenariam, viduam, quæ ante quadriennium, postquam scilicet climactericum magnum, 63. annum superasset, omnibus dentibus ab ortu primo amissis, cœpit dolere caput & gingivas tam atrociter, ut moritura putaretur, & præ doloris immanitate insaniam metueret, eousque, donec, elapsis aliquot diebus, dentes, perinde ut in ætate infantili fieri cõsuevit, primores protruderet, ac tum dolores mitigari, meliusque habere & vivere cœperit. Numerati autem sunt 20. Verùm jam olim etiam talia accidisse, patet ex Aristotele, *de histor. animal. l. 2. c. 4.* Plinio, *lib. 11. c. 37.* Cardano, *de rer. variet. lib. 8. c. 43.* Alexandro Benedicto, *de curandis morb. lib. 6. cap. 1.*

Dentes verò considerantur quæcunus vel gignuntur, vel geniti sunt. Et si enim dentes in ipso utero materno formentur, ut in dissectionibus abortuum sæpe observatum: tamen sapientissimus rerum Creator, extralveolos eos statim eminere noluit, ne papilla matris iis læderetur, sed gingivis obducti latent usq; ad quintum vel sextum mensem, vel etiam ultrâ, ac tum in infantibus cum dolore plerumque erumpunt. Dum geniti sunt, variis morbis & symptomatibus affici possunt.

Morbos dentium quod attinet, primò magnitudo perit, sive à violentia externa, sive à defectu alimentii, dum corroduntur & perforantur: deinde interdum longiores, quam par est, fiunt. Sæpe mobiles fiunt, & vacillant; interdum excidunt & deficiunt: contra sæpe plures numero sunt, quam par est. Nonnunquam situs & ordo eorum non rectè scilicet habet. Interdum tophis obducuntur: de quibus jam ordine dicemus.

De Dentium Corrosione & Carie.

Primò sæpe dentes corrumpuntur & corroduntur ab acerbis humoribus ad ipsos defluentibus; à quibus simul plerumq; dolor excitatur: unde post frequentem dentium dolorem tandem eorum corrosio & caries sequitur, ita ut frangantur & frustillatim excidant. Faciunt ta-

*Dentium
corrosio &
caries.*

men etiam ad dentium corrosio-
nem, aut certè eam augent, cibi, ut
Hippocrates, *lib. de affectionib.* docet,
præsertim si dentes jam antea cavi
sint, ut cibi in iis retineantur. Im-
primis hoc præstant dulcia, & præci-
puè saccharum, unde qui saccharum
sæpe gustant, plerunque corruptos
dentes habent.

Corrumpunt præterea dentes ni-
miùm calida assumta Unde vulga-
tus verficulus:

*Pulvis ferventes faciunt corrumpere
dentes.*

Frigida contrâ idem præstant, &
præsertim post nimis calida parvo
intervallo assumta. Unde qui circa
aquas gelidas habitant, corruptos
dentes habent.

Dentes etiam lædunt fuci mulie-
rum ex hydrargyro; unde rarò mu-
lieres, quæ fucis ejusmodi utuntur,
albos dentes habent.

Fistulæ quoque nonnunquam in
dentibus oriuntur, è quibus humor
corruptus, & sanies sensim exstillat.
Et quidem hæc sanies nonnunquam
in os cum foetore defluit, cujus rei
exempla duo habet Forestus, *lib. 14.
obs. 7.* Nonnunquam verò per den-
tium radices & maxillæ illa forami-
na, per quæ vasa in eas subeunt, sen-
sim extrâ effluit, & tubercula in ma-
là vel mento excitat, quæ nullo mo-
do curantur, nisi dens extrahatur.
Etsi enim, ut aliquoties observavi,
rumpatur illud tuberculum, & pus
collectum effluat, & tuberculum in-
de subsideat, & probè curatum vi-
deatur: tamen post aliquod tempo-

ris intervallum, ex sanie è dento ca-
rioso ad eundem locum affluente al-
liud tuberculum excitatur, iterumq;
rumpitur, & pus effundit; idque to-
ties accidit, donec dens cariosus ex-
tractus sit. Eo enim exempto, tuber-
culum spontè evanescit. Interdum
etiam ulcus semper manet apertum,
& continuò saniem stillat, nequitq;
claudi, donec dens cariosus extraha-
tur. Exstillat autem ista sanies, ut
dictum, non per erosam maxillam,
sed per foramina, quæ sunt in exte-
riore superficie maxillæ parte anteri-
ore, per quæ vasa ad musculos, labi-
um, & cutim eò loci deferuntur.
Observationes hæc de re vide apud
Anton. Benivenium, *de abd. morb. &
sanat. caus. c. 22.* Guil. Fabricium,
cent. 3. obs. 32. & 33.

Tandem nonnunquam vermes in
dentibus generantur, qui ipsos ero-
dunt.

Curatio.

Illud quidem, quod corrosum & *Curatio.*
carie absumptum est, in dentibus
resarciri & reponi non potest: ne-
verò malum longius serpat, influens
humor omni studio exsiccandus
est, ac, dum paucus est iste humor,
topica sufficiunt, sin multus, capi-
tis etiam prius ratio habeatur, & to-
tius.

Postea humiditas putrida absu-
matur, & ne ab ea amplius dentes
corrumpantur, detur opera: quod
præstat decoctum radic. cappar.,
pentaphylli, cyperi, tithymali, fol.
salviæ, mentha, rotismarini, sem.
nigellæ, baccar. lauri, in vino vel ace-
to,

to. Aut gallia moschata, vel sola, vel cum cypero & mastiche mixta, in cavum dentis indatur, ad prohibendam putrefactionem.

Aëtius sulphur vivum lycio excerptum intrudit in cavitatem dentis, aut semen nigellæ torrefactum & aceto acri affuso tritum.

Vel sequenti Decocto os sæpius colluatur:

R̄ Cort. rad. cappar. Drach. vj.
rad. peucedani Drach. iij.
pyrethri Drach. ij.
zingib. Drach. j.
sem. nigell. Drach. j. ß.
myrrh. rubr. Drach. ß.
fl. rosar. rubr. P. ij.

Decoq. in aceti vini q. s. ad tertias.

Colat. R̄. Unc. ix.

Admisc.

fir. de rosas siccis Unc. j.

M.

Mizaldus commendat aquam rad. pyrethricum vino destillatam, quæ os collui jubet. Nonnulli dentes erosos & cariosos camphorâ replent; alii radice peucedani, zingib. & pyrethri. Alii easdem radices in aceto macerant, deinde coquunt & exsiccant, & eodem modo adhibent. Marcellus cavos dentes sanat imponendo iis cinerem musceræ, quo ossa cariola restitui perhibet. Sunt, qui sequentem Aquam stillatitiam parant, qua dentem erosum sæpius fricant:

R̄ Alumin. sacch. ℥ ß.
sal. ammoniac.
gemma, an. ℥ j.

Pulverisata indantur retortæ lutatæ, & s. a. destillentur.

L. II.

Arcet quoque corrosionem & caviem dentium sequens Linimentum:

R̄. Pulv. myrrh. Scrup. ij.
gummi juniperi Scrup. j.
alumin. Scrup. ß.
Cum mellis q. s.

F. Limentum, quo quotidie dentes putres & erosi fricentur.

Vel R̄. Radie. filic.

quinque fol.

oxylapath. an. Unc. j.

Coqu. in aceto, vel vino austero ad tertiam partem consumptionem.

Colaturâ os, qua parte dens cariosus est, colluatur, postea hoc Pulvere, quem Galenus, s. de comp. med. sec. loc. cap. 9. describit, dens impletur, qui ejus putrefactionem prohibet.

R̄. Melanth. Unc. j.

nitri Unc. ß.

Simul torrefiant, & in aceto acerrimo extinguantur, terantur, & cavernæ dentis imponantur.

Rondeletius aquam fortem in cavitatem dentis immittit: quod tamen vix tutum puto, cum ab ea & vicinæ partes, & nervus denti insertus facile lædi possit.

Fricentur etiam dentes iis, quæ postea de dentium denigratione proponentur.

Et ne dentes carioli amplius corrumpantur, utile est, post cibum eos à cibis in iis retentis mundare; deinde os vino colluere, & denti mastichem, thus, cyperum imponere.

Nonnulli ceram indunt. Sed monet de ea Rondeletius, ne sola dentibus indatur; cum habeat vim e-

D

mollis-

mollendi, nervos præsertim. Id-
eoq; suadet, si ea uti velimus, ut ad-
miscemus alumen, vel aliud, quod
siccat & adstringit, vel ceram viri-
dem, quæ vehementer siccat ob aru-
ginem.

Cauteria etiam admittit. Holle-
rius, *in periob. 5. in librum de compo-
s. medic. sec. loca.* Verum vix eo-
rum tutus est usus, propter exquisi-
tum sensum nervorum; metuen-
dumque, ne partes aliæ, & cerebrum
ipsium in consensum trahatur. Gra-
num etiam thuris vel myrrhæ denti
inserere utile est.

Sylva hujusmodi medicamento-
rum reperitur apud Galenum, *5. de
compos. medicam. sec. loc.* Aëtium,
tetrabibl. 2. serm. 4. cap. 33. Paulum
Æginetam, Trallianum.

Si foetor dentium simul adsit, ali-
quid de myrrha, aut de folio Indo,
aut radic. ireos medicamentis mi-
sceatur.

Ut *R. Myrrh.*

massich.

corall. rubr.

roris marin.

ireos, an. Drach. j.

cera q. s. pro incorporatione.

Fiat Massa, de qua aliquid in dentem
cavum immittatur.

Vel *R. Pulv. massich. Drach. ß.*

corallior. rubr. Scrup. j.

myrrh. rubr. Scrup. ß.

F. Pulvis, quo cavitas dentium
repleatur.

Vel *R. Flor. rosar. rubr. M. j.*

massich. Drach. ij.

radic. ireos. Unc. j.

ligni cupress. Unc. ß.

Fiat decoctio in sufficiente vini
quantitate.

Colatura *R. ß. j.*

oxymel. scilicet. Unc. iij.

Misc. & decoctio dentes eluan-
tur; deinde repleatur cavitas ma-
stiche cum cera mista. Dentes et-
iam mundat & a putredine præser-
vat sp. \oplus li.

Si vermibus dentes erodantur,
necare illos scribunt exceptum per
infundibulum fumum de sem. hyo-
scyami. Falsissimum tamen hoc pu-
tat Hollerius, *lib. 5. periob. in lib. Ga-
len. de comp. medic. sec. loca,* scribitque
aliquid vermiculorum semper de
accenso illo fumo erumpere, omni
tempore in aëre etiam, quando ad
dentes corruptos non pertingit.
Alij fumum ex fructu halicacabi
cum cera misto, & ferro candenti
insecto ore excipere jubent. Alii fu-
mum adhibent de trochiscis ex semi-
ne hyoscyami albi, succo cepæ vel
porri, & nitro, cum sevo hircino
formatis; aut fiat collutio oris ex de-
cocto radic. chelidon. Crato
commendat decoctum radic. fraxi-
ni, vel urticæ. Succus item folior.
centaurii minoris, & persicæ arbo-
ris, aloë, myrrha, C. C. & alia, quæ
contra vermes usurpantur, utilia
sunt. Quidam os spiritu vini collue-
re jubent.

Si dens maximâ ex parte cariosus
sit, & dolorem pariat, aut fistula
de facta sit, vel tuberculum, aut ulcus
in maxilla, de quo antea dictum, ex-
trahatur. In extrahendo tamen den-
te cautio adhibeatur, & non extra-
hatür, nisi vacillet, ut sine vi extra-
hatür.

*Dentium
extrahio.*

hi possit, aut, si nervi subjecti, ne inflammatio, & inde periculum imminuat. Erasistratus, qui dentes temere non extrahendos putavit, ejus rei testimonium hoc adduxit, quod in templo Apollinis *O'dovrayw-ydç* seu forceps dentarius plumbeus suspenderetur, quo innuebatur, non esse extrahendos dentes, nisi vacillarent, ut plumbeo forcipe, & sine ulla vi extrahi possint. Si enim magna vi extrahuntur dentes, sæpe majores dolores, & sanguinis fluxus sequi solet, vel maxillæ pars avulsa simul extrahi, aut alia pericula excitari possunt. Ita memini hic puero incautè dentem extractum, & procul dubio in extrahendo nervum læsum fuisse, unde postea fungus enatus fuit, qui totum os replevit, ac quamvis absunderetur, brevissimo tamen temporis spatio iterum suscevit, rursusque semper incrementum sumpsit, ac ægro tandem mortem attulit.

Ut autem dentes sine violentia evelli possint, quædam medicamenta adhibenda, quæ passim in Medicorum libris occurrunt: ut ranarum viridum in arboribus degentium pinguedo & pulvis, si dentibus affricetur; thymali succus denti inditus, aut si ex eo & salè armoniaci globuli formentur, & cavitati dentis indantur, gummi hederæ impostum, radix cucumeris agrestis per triduum in aceto macerata, semen hyoscyami, & radix ejusdem affata radici dentis calida applicata.

Alii hoc commendant:

R. Urinæ canis, thuris, dentis canis, an. q. s.

Pulverisentur subtilissimè & cum urina permisceantur, & imponantur denti eximèndo.

Tabernamontanus hoc laudat:

R. Gummi ammoniacum dissolutum, & cum sem. hyoscyami, Misce. F. Unguentum.

Monet tamen de hinc medicamento Valescus de Taranta. 1. ut vicini dentes bene muniantur, ne & ipsi à medicamento tangantur. 2. ut os apertum servetur, & saliva effluere permittatur. 3. ne quid deglutatur.

Ne etiam dentes carioli sub forcipe frangantur, ante extractionem tenui filamento replendus est dens cariosus.

Valescus de Taranta, lib. 2. cap. 72. non facillè admittit dentium extractionem: primò propter masticationem: secundò quia dentè uno evulso sequatur fluxio ad alterum, & sic continuò dentes extrahendos esse, donec tandem homo ad solas ossas & pulmenta redigatur. Verùm etsi hoc suo modo concedi possit in dolore dentium à fluxione, & ubi per vasa pluribus dentibus communia materia affluit: tamen in dentibus corruptis, & præcipuè ubi sanies ex iis exesis emanans in maxillâ tubercula vel ulcus excitat, nulla alia curandi ratio est, quàm si dens extrahatur. Neque tum metus est, ne vicinus dens cor-

rumpatur, cum talis corrosio non sit à fluxione recenti, sed quæ jam diu sæpe præterit.

De dentium Imminutione.

Dentium imminutio.

Non solum dentes Imminuuntur, dum intus corroduntur, sed etiam cum breviores fiunt. Fit autem hoc. 1. ob externas injurias, casum, scilicet, percussione, ubi pars aliqua dentis perditur. 2. ubi nonnunquam in dentium putredine non solum intus excavantur, sed etiam pars aliqua decidit. In adultis vix curabile malum est. In pueris, quibus adhuc spes est, dentes rursus renasci posse, sanationis spes est.

De dentium Elongatione.

Dentium elongatio.

Dentes nonnunquam etiam justo Longiores & prominentiores fiunt, præcipue anteriores. Id quod accidit, primò iis vacillantibus, vel eorum radicibus laxatis, vel ex percussione aut casu, atque externa violentiâ, ut in attentatâ, sed non perfectâ dentis extractione. Deinde etiam citra laxitatem & mobilitatem, quando nimirum augentur & longiores fiunt. Id quod plerumque fit, si dens oppositus deest, teste Columbo, de re Anatom. lib. 1. cap. 10.

Si à laxitate & vacillatione dentium fiat eorum elongatio, dentes iterum firmandi sunt, ut postea dicetur; aut si hoc non juvet, limâ atterendi; quod etiam faciendum, si ex incremento longiores sint. De qua re vide Actium, cervabibl. 2. serm. 4. cap. 30.

De dentium Mobilitate & Vacillatione.

Sæpe etiâ accidit, ut dentes vacillent: & imprimis incisorii mobiles fiunt, quia unâ saltem radice nituntur

Dentium vacillatio & mobilitas.

Vacillatio dentium fit vel à causa externa & evidente, vel interna.

Causæ.

Causa externa est ictus, vel casus.

Externa.

Internæ sunt defectus alimenti, ut in senibus, interdum quoque convalescentibus, unde alveoli dentium ampliores redduntur; nimia humiditas laxans radices dentium, præsertim si peculiaris aliqua pravitas accedat: id quod in scorbuto, & in lue Venerea ab inunctione hydrargyri accidit; diminutio gingivarum ab erodente succo prævo, quod etiam in lue Venerea sæpe usâ venit. Mobiles etiam fiunt dentes erosâ eorum radice.

Interna.

Si ergo à casu aut percussione dentes mobiles sint redditi, adstringentibus & firmantibus utendum.

Curatio à causa violenta.

Ut R. Rad. pentaphyll.

bistort. an. Unc. j.

cyperi Drach. ij.

flor. rosar. rubr. M. B.

sumach Unc. B.

Coqu in aqua ferratâ.

Colat. adde alum. Drach. ij.

F. Oris collutio.

Vel R. Corall. rubr.

C. C. usti præpar.

rad. bistort.

pentaphyll.

mastic.

rad. cyperi, an. Drach. j.

F. Pul.

F. Pulvis, qui dentibus affricetur, vel cum sirupo de rosis siccis in Linimenti formam redigatur, & dentibus illinatur.

R̄. *Succi nasturt. aquat. express.*

Drach. iij.

sir. ex rosis siccis Unc. j.ß.

Coqu. s. a; ad spissitud. Add.

rad. symphyti Scr. j.

nuc. mosch.

cupress.

C. C. usti pulv. vel præp.

sang. dracon. an. Scr. j

alum. usti Scr. ß.

F. l. a. Linimentum.

Si verò malum sit à defectu alimenti, dentium equidem tenuitas & exsiccationi nullum remedium adhiberi potest. Dentium tamen relaxationi opitulantur adstringentia medicamenta, & quæ gingivas roborant.

Si à nimia humiditate, exsiccantibus & adstringentibus opus est. Ubi tamen seligenda ea, quæ dentes non denigrant, & quæ odorem gratum ori conciliant. Ea enim, quæ dentes denigrant, omittenda, ut cortices granatorum, balauftior, gallæ, vitriolum, & chalcitis.

Fiat nimirum decoctum ex rad. filicis maris, pentaphyll, bistort, lapathi, tormentillæ, cappar., fol. myrti, lentisci, mespil., flor. rosar. rubrar., cupulis glandium in aqua vel vino austero: quibus si alumen, vel decocto si ol. ☉ vel ☿ guttæ aliquor addantur, efficacius decoctum redditur. Ad humiditatem simul educendam radix pyretis

addi potest, & ob odorem suavem rosmarinus, salvia, cinamomum.

Pulveres etiam dentibus in eundem usum affricentur, quales postea de gingivis laxis proponentur.

Ut R̄. *Aluminis,*

masliches, an. Drach. ß.

corall. rubr.

C. C. usti,

eboris,

sanguinis draconis,

bolæ Armenæ,

salis communis tostæ, an. Dra ij.

tburis,

balauftior. an. Drach. j.

radic. ireos,

bistortæ,

nuc. cupressi, an. Drach. iij.

piperis,

pyretis, an. Drach. j.

testarum sepia,

pumicis, an. Drach jß.

F. Pulvis.

Vel R̄. *Corall. utriusq; an.* Drach. ij.

masliches,

tragacantha,

gummi Arabici, an. Drach. j.

F. Pulvis.

Vel R̄. *Farinæ hordei* Unc. cxx.

folior. parietariæ viridis q. s.

Contunde folia in mortario, & cum farina Misce ut fiat Massa, quæ uratur in olla igne patente hor. 24.

in assam exime, & adde

maslich. Unc. ij.

rad. ireos Unc. j.

spica Indica,

folii, an. Unc. ß.

F. Pulvis.

Vel R̄. *Off. dactylor.*

olivarum combustar.

à defectu
alimenti.

Animia
humidita-
te.

oculor. caneri ustor an. Dra. ij.
sang. dracon.
alum. usti, an. Drach. j.
 F. Pulvis.

Vel R. *Flor. rosar. rubr.*

sumach,
granor. myrt.
cupul glandium, an. Drach. jß.
cort. rad. mori Drach. iij.
cort. rad. cappar. Drach. jß.
radic. ireos,
thuris, an. Drach. j.

Coquant. in vino astringente pro
 Collutione oris.

Vel R. *Ros. rubr.* M. j.

C. C. usti Drach. j.
rad. serpentariae Drach. j.
tormentill. Drach. ij.
alum. usti Drach. ß.
nuc. moschat. Scr. ij.
cortic. cass. lignee Drach. j.
 Coq. in aq. plantag. lbjß.

Vel R. *Herb. auricula muris,*

rad. serpentaria,
tormentilla, an. q. v.

Coq. in aqua ferrata ad consum-
 tionem tertiae partis pro Oris collu-
 tione.

Vel R. *Rad. pentaphyll.*

bistorta, an. Unc. ß.
flor. ros. rubr.

cupular. glandium Drach. ij.
spongiae marin. Drach. j.

Coq. in aquae communis chaly-
 beat. & rosar. part. aequal. ad tertias,
 & colentur.

Vel R. *Fol. myrtillor.*

sorbor. an. Mß.
balauftior.
sarcocoll.

aluminis, an. Scr. j.

aceti scillit. Unc. ij.

aquae plantag. Unc. vj.

Bulliant ad tertias; & colentur.
 Colatura admisce

ser. myrt. Unc. iss.

Misc.

Efficax est & hoc:

R. *Gland.* Unc. j.

alumin. usti Drach. j.

acaciae Drach. ß.

flor. rosar. rubr. Mß.

Coqu. in vini rubri lbij. ad tertiam
 partis consumptionem: decocto os
 saepe colluatur.

Utilis quoque est sequens Aqua
 destillata:

R. *Fol. salvia,*

rorismarini, an. M. iij.

mentha,

chamapith. an. M. ij.

schœnanthi M. j.

cort. citri Unc. j.

ligni aloes,

cyperi rot. an. Drach. ij.

Concisit affunde

aq. st. prunell.

perichlymeni,

rosar. an. q. f

vini cydonior. lbß.

Stent per triduum in infus., dein-
 de destillentur in MB. In fine adde
moschi Scr. ß.

Possunt & tali Linimento dentes
 mobiles fricati:

R. *Diamori* Unc. ß.

dianuc. Drach. ij.

alum. usti Drach. ß.

Misce.

Vel R.

Vel R. Pulv. gummi junip. Drach. ℞.
 alum. crudi Drach. j.
 origani Drach. ℞.
 mellis Drach. vj.
 Cum aceto scillitico,
 Misc.

Aqua pro firmandis dentibus,
 qua & in dolore dentium usurpari
 potest:

R. Herb. salv.
 urtic.
 rorismarin.
 rad. tormentill.
 nuc. jugland. bene lotar.
 & contus. an. M. iij.
 flor. salv.
 rorismar.
 rosar. rubr.
 fol. prunell.
 plantag.
 summit. rubi.
 marrub. an. M. ij.
 fem. myrtill. ℞j.
 hypocist. Unc. iij.
 coriand. prap.
 cort. citri, an. Drach. ij.
 cinamomi Unc. iij.
 nuc. cupress. num. x.
 boli Armena,
 mastich. an. Drach. ij.

Incisa & contusa infund. in ℞. q.
 vini nigri austeri, stent per triduum
 in macer. Postea exprimantur for-
 titer. Expressum indatur cucurb. vi-
 trea. Destillentur lento igne. In
 destillato ebulliant vase bene coo-
 pecto

aluminis Unc. ij.

Percolentur. Serventur usua.

Alia:

R. Rad. tormentill.
 serpent. an. Un. ij.
 plantag. Unc. j.
 prunell.
 cort. nuc. juland an. Unc. ℞℞.
 ligni. guajac. contus. Unc. iij.
 fem. coriandri prap. Unc. ℞.
 portulac. Drach. vj.
 myrtill. Drach. ij.
 fol. myrtill. M. j.
 herb. plantag.
 marrub.
 urtic. min.
 prunell. an. M. ℞℞.
 rorismar.
 salv. min. an. M. ij.
 flor. rosar. rubr. M. ℞℞.
 santali rubr.
 cort. citri,
 cass. lign. an. Unc. ℞.
 nuc. cupress.
 nuc. mosch. an. Drach. iij.
 pinear. rec. num. iij.
 boli Armena,
 mastich. an. Drach. ij.
 cinamomi,
 myrrha, an. Drach. ℞℞.
 rasur. C. C. Unc. ℞℞.

Preparata l. a. misc. & superfund.
 vini rubri antiq. ℞. xij.

Stent per aliquot dies, postea per
 cucurb. vitr. destillentur.

Si ab imminutis & erosis Gingivis
 sit dentium mobilitas, illae instau-
 rentur, ut suo loco dicetur. Ab immu-
 nutio
 gingivarū.

Ut **R.** Alumin. scissil. usti,
 flor. rosar. rubr.
 sumach, an. Drach. ℞℞.
 ligni aloës,
 radic. cyperi, an. Drach. j.

E. Pulv.

F. Pulvis, qui gingivas roborat & astringit.

Vel R. *Corall. rubr. prepar.* Drach. jß.
maslich.

radic. cyperi, an. Drach. ß.
aristoloch. rotund.

caß. lign. an Scr. j.

F. Pulvis.

In Lue Venerea materia putrida & maligna prius abstergetur oxymel. scillit, in quo maceratum sit. Guajacum cum succo plantaginis, vel ol. Φ ris aut Θ li: postea adspargatur pulvis ex adstringentibus: tandem post deterfionem dentes frequenter abluantur decocto ligni Guajaci parato cum vino, mastiche, plantagin.

Si à Scorbuto sit dentium mobilitas, cura ad scorbutum dirigatur, & adhibeantur ea, quæ postea de gingivis laxis & corruptis proponuntur.

Ementitur structuram firmam, dentium alligatio, facta filo aureo. Quia verò interdum hanc alligationem sequitur inflammatio, illa cautè instituenda.

Quibus dentes mobiles sunt, non multum loquantur, nec dentes digitis vel lingua moveant, nec aërem frigidum admittant, nec res duras masticient, sed juscula sumant, ova forbilia, vel alios cibos, in quibus forti masticatione non opus est.

De dentium Casu, & numero Deficiente.

Dentes præterea sæpenumero Deficiunt: quod accidit, cum vel vio-

lenter excutiuntur, vel spontè excidunt; quod malum dentium Casus appellatur: id quod frequenter in infantibus accidit, & sæpe in iis dentes à novis, qui emergunt, extruduntur, sed sine damno aliquo; cum paulò post renascantur. Molarium tamen appendix non decidit frequenter, quia ita cum dentibus committitur atque cohæret, ut ipsorum pars esse videatur, nec facile demi possit. Columbus, *de re Anat. lib. 1. cap. 10.* Molares proximos caninis nunquam decidere, vult Plinius; caninos elapsos nunquam renasci, *lib. 11. cap. 37.* Negat tamen hoc Fallopius, *in librum Galeni de ossibus*, qui maxillares dentes à se in puero evulsos renatos vidit. Atq; omnes maxillares dentes excidunt, & renascuntur, præter genuinos, qui si exciderunt, nunquam regenerantur. Adultis verò quando id evenit, rarò renascuntur: aliquando tamen id accidisse, observatum est, ut historia à Schenckio, *lib. 1. obser. 48. allegata*, & exempla supra, *initio capitis*, proposita testantur.

Causæ.

Et ferè causas easdem habet hoc malum, quas vacillatio & mobilitas dentium, de qua antea diximus, sed graviores. Quia enim dentes alveolis suis affiguntur, atque alveoli dentibus aptitudine respondent, præterea gingivarum carni dentes adhærescunt: si alveoli dentibus non respondeant, sed ampliores fiant, aut gingivarum carni non firmiter adhæ-

Dentium casus.

hærescant, mobiles primò fiunt, & deinde planè excidunt, siue id fiat ob inopiam alimenti, ob quam & alveoli & dentes ipsi exsiccantur, siue ob humiditatem nimiam, radices dentium laxantem, siue ob humorum pravitatem: quod in scorbuto, & lue Venerea, & ulceribus exedentibus, cujus rei exemplum est in puero apud Hippocratem, 4. epid. sect. ult. & inunctione cum hydrargyro evenit: siue ob gingivarum carnem immixtam & ablutam.

Signa diagnostica.

Signa causarum quod attinet, (viti-
tium enim ipsum per se patet) ex ali-
menti inopia vix unquam alicui
dentes excidunt, præterquam seni-
bus; & dentium casus ex hac causa
senectuti proprius & familiaris est.
Si ex alimento vitioso, & humori-
bus pravisid accidat, ex vivendi ra-
tione, morbis, qui præcesserunt, ex
destillationibus acerbis, dentium
dolore cognoscitur.

Si ex humiditate nimia, os salivâ
abundat, gingivæ sunt humidæ; lues
Venerea, scorbutus, & ulcera etiam
suis signis cognoscuntur.

Prognostica.

1. Malum hoc non contemnen-
dum est. Nam quia dentes masticationi
inserviunt si dentes desint, ma-
sticatio non rectè perficitur, atq; ita
etiam coctio in ventriculo non rectè
fit. Deinde & turpitudinem aliquam
pariunt, quæ in loquentibus, riden-
tibus, & oscitantibus apparet. Imò
sæpe inde sermo vitiatur.

L. II.

2. Dentium ab alimenti inopia
vacillatio curari nequit; id quod le-
nibus accidit. Quæ verò affectio
phlegmonæ similis est, ex alimenti
redundantia, ea juvenes magis cor-
ripit. Galenus, 5. de comp. medic. sec.
loca, cap. 8.

3. Dentes in infantibus siue spon-
tè, siue ob violentiam aliquam exci-
dant, modò radices remaneant,
spontè renascuntur. Quamobrem
cavendum, ne, cum pueris dentes ca-
su, atq; aliquo ictu effringuntur, quæ
reliqua est, portio eruat, sed accu-
ratissimè radix ipsa, quoad ejus fieri
potest, servari debet. In ea enim,
veluti in semine quodam, ipsius
dentis regenerandi spes residet,
eaq; radicitus evulsa, dentes non am-
plius, vel rarissimè renascuntur. Co-
lumbus, loc. alleg. In adultis verò etsi
hoc aliquando accidat: tamen ple-
rumq; ubi radices seu appendices
exactè coaluerint, si ita cum radice
excident, non regenerantur.

Curatio.

Quæ dentium mobilitas ex hu-
miditate nimia, vel humoribus pra-
vis accidit, eodem modo curatur, ut
dentium vacillatio & mobilitas;
cum easdem causas habeant. Den-
tes verò, qui ex alimenti defectu
exciderunt, etsi reparari nequeunt:
tamen quia deformitas aliqua in-
de oritur, præsertim in anteriore o-
ris parte, vel qui exciderunt, mo-
dò non sint carioli vel dentes arte
fabrefacti ex ebore, & in amissorum
locum arte inserti, deficientium nu-
merum

Curatio.

E

merum

merum supplere possunt. Cautè tamen hoc præstandum, nè ex compressione gingivarum vel nervorum inde inflammatio gignatur; quod interdum accidisse observatum est.

Observatum etiam est, quosdam loco dentium multorum unum os continuum habuisse, ut historia à Schenckio, *lib. 1. obs. 412.* annotatæ testantur.

De dentium Numero & Situ vitiato.

*Dentium
situs & nu-
merus vi-
tiosus.*

Præterea Numerus dentium præter naturam quandoq; Augetur, & plures, quàm secundum naturam, dentes reperiuntur. Quosdam enim, ut modo dictum, dentium loco unicum os habuisse, refert Plinius, *lib. 7. cap. 10.* Plutarchus, *in Pyrrho*, & alij, quos citat Schenckius, *lib. 1. obs. de dentibus.*

Ita observatum est, quosdam duplicem vel triplicem ordinem dentium habuisse, quod incommoda liquid vel deformitatis ferè non habet, si situm saltem ordinatum observent. Cujus rei historias collegit Schenckius, *lib. 1. observ. 413.*

Interdum etiam dentium numerus Imminuitur, & pauciores quidam, quàm vulgò homines solent, dentes habent, ut Valescus Taranta de seipso testatur.

Nonnunquam verò dentes, sive numerum justum observent, sive eum excedant, situm rectum non observant, sed extra ordinem prominent, & ita quidem, ut interdum labia diducant, deformitatemq; patiunt, ac in masticatione impedi-

mento sint. Et imprimis dentes incisores non raro duplices sunt.

Quibusdam etiam dentes in palato enati sunt, cujus rei historia habetur apud Schenckium, *1. obs. 411.*

Verùm cum ista mala omnia à conformatione vitiosa dependeant, emendari arte non possunt.

De Connexione dentium.

Non verò tantum in numero & situ, sed etiam in Connexione sunt dentium vitia. Connexio præter naturam dentium fit vel ipsorum inter se, vel cum maxilla.

*Dentium
connexio.*

Inter se connexi dentes interdum sibi coherant, sicut in Persa illo, de quo Herodotus, *lib. 9.* Post pugnam enim ad Plataeas, in qua multi Persæ ceciderunt, cum cadavera componerentur, inventa est maxilla habens quidem distinctos dentes, verùm ex uno osse. Cujus rei historia plures videantur apud Schenckium, *lib. 1. observ. 412.*

Connexio autem cum maxilla est, quando dentes maxilla non inserti tantum, sed planè adnati sunt & coherant, ita, ut evelli non possint, nisi maxilla ossis frustum simul avellatur; quod observavit Columbus, *lib. 15. de re Anat.*

De Sordibus ac Tophis dentibus accretis.

Tandem etiam dentibus Sordes & Lapidescu Tophi, quos Græci πώδες, appellant, nascuntur, atq; observatum est, in quibusdam ita incrementum sumpsisse, & dentes ista lapideâ

*Dentium
sordes.*

lapideâ materia ita obductos fuisse, ut nulla dentium distinctio amplius appareret, sed unius tantum ossis speciem præ se ferrent.

Generantur autem isti topi ex lentis & viscidis cibis, præcipuè caseo; dentibus adhærentibus, & in ijs, ut reliqui lapides in corpore, in hanc duritiem coagulatis. Topi illi jam geniti scalpellis, vel alijs instrumentis è ferro, aut potius argento paratis, à dentibus separandi sunt. Ne autem iterum generentur, dentes post cibum diligenter mundandi sunt; idq; faciendum non ferro & acie cultri, cum dentes inde lædantur, sed dentiscalpijs ligneis, vel osse firmo ac flexili: ideoq; in hunc usum commodum lignum lentisci, cupressi, juniperi, & hujus generis alia; spinæ item piscium aliquæ; item ossicula & tendines ossi gallinarum. Postea os abluatur, vel aqua, vel vino. & dentes à sordibus diligenter abstergantur; id quod fit commodissimè dentifricijs & pulveribus ad dentes mundandos idoneis, qui postea de Nigredine dentium curanda proponentur.

CAPUT XI.

De dentium Dolor.

ATq; hi sunt morbi, qui dentibus accidere solent. Symptomata dentium alia in actione læsa consistunt, ut quando dolore, stupore, vel algore afficiuntur; alia in qualitate mutatâ, dura stridorem excitant & dum nigrescunt, & sordido len-

tore obducuntur; de quibus jam dicendum.

Et primò *ὀδοναλγίας*, quæ appellatio à parte affecta & symptomate sumpta est, ut docet Galenus, 2. m. m. c. 2. Dolent autem dentes, & quidem maximè molares. (incisores verò rarò, vel nunquam) ossi sunt, quia sensu non planè destituti sunt, ut alia ossa. Nam, ut Galenus, 10. de usu part. c. 2. docet, dentes molium cerebri nervorum participes sunt, quod extrinsecus occurrentibus calidis, frigidis, duris alijsq; nudi sunt expositi. Nervulus autem ille ad radicem dentis implantatur membranulæ cavitatem dentis intus succingenti: & quidem ex tertia & sexta nervorum propagine nervi, qui dentibus implantantur, originem habent.

Galeno tamen 5. de comp. med. f. loc. etiam corpus dentis sentit ac dolet, ex affectione scilicet phlegmonæ simili in substantia dentis, ubi dolorem ex hac causa ortum discernit à dolore inflammati nervi, qui radici dentis substratus est, & à dolore inflammatarum gingivarum. Quæ omnia suo experimento Galenus, *ibidem*, confirmat.

Causæ.

Causa proxima doloris cum sit solutio continui in parte sentiente, etiam hic dentium dolor excitabitur, quatenus & ipsi nervum participant, hujusque membranæ dentibus inseruntur.

Solutionem autem continuû hîc parit

Causæ.

Dentium
dolor.

parit vel intemperies, vel humor, ut vulgò docetur.

Verùm vix sola intemperies dolorem ciet, nisi forsàn algor sit, de quo postea, sed semper humor conjungitur; & intemperies illa, si quæ adest, humori inest.

Humor autem is est vel frigidus & pituitosus, vel calidus, vel serosus, salus & acris; id quod frequentissimè acidit: & qui dolores dentium à vapore à multis fieri docentur, eos potius ab humore seroso provenire verisimile est. Interdum, etiam illa materia in dentibus protrahitur & corrumpitur, unde vermes geniti doloris in dentibus causam sunt.

Confluit autem illa materia vel in membranas maxillarum & alveolorum dentium, vel ad nervulum in radice dentis, & membranam hujus internam nerveam, vel in ipsum corpus dentis, è capite. Et quidem in superiorem maxillam per angulum oculi majorem, in inferiorem per venas temporum. Et principium hujus fluxionis plerumque est è capite, nonnunquam tamen & ex inferiore corpore materia affluit, epate scilicet, liene, utero. Cum enim vitiosi aliqui humores, præcipuè serosi, in parte aliqua geniti, in venis cumulantur, natura eis sese liberare cupiens, eos cum ad alias partes, tum ad dentes protrudit; præcipuè si sint debiles. Id quod maximè accidit, cum dentes sunt erosii.

Externæ causæ, quæ seu humo-

res commovent, seu, ut facilius recipiantur, faciunt, sunt ictus & casus, usus ciborum nimis frigidorum aut calidorum, maximè si mutuo mox se consequantur, acrium item, acerborum ac dulcium frequens usus, contractus creber, qui fit ferro.

Signa diagnostica.

Signa.

Primò ut certi simus, an dolor sit in dente vel gingiva, ante omnia inspicienda est gingiva, utrum inflammata sit, tumida, corrosio seu putrefactio in ea appareat. Si nihil horum cernatur, causa doloris erit in dente ipso, vel ejus nervo. In dente quidem, si dolor non ita profundus est, & secundum latitudinem dentis extenditur, mutatio etiam quædam doloris in dente animadvertitur. Et fortassis dens tum cariosus est à verme intus obfessus: ubi etiam dolor interpolatus est ad motum ipsius vermis. In nervulo verò si dolor sit, profundior & vehementior est, qui dente exempto nonnihil levatur, quòd ob viam patefactam materia jam melius diffilatur; dolor etiam secundum gingivas se extendit in latitudine, aut ad aurem pertingit.

Signa causarum sic discernuntur: Humor, qui doloris causa est, suis signis se prodit, ex doloris specie, ex sapore, & habitu corporis. Sanguis cognoscitur ex dolore pulsante, sapore subdulci; pituita dolore distendente, sapore salso aut in-

inspi-

spido, bilis dolore punctorio, sapore amaro; humor melancholicus dolore profundo, & sapore acido; à sero dolor non est ita fixus, sed sæpe mutatur. Ac generatim à calido humore dolor est acerbior, à frigido remissior. Habent hic locum signa, quæ supra, lib. 1. de *intemperie capitis cum materia*, sunt exposita.

Prognostica.

1. Dolor dentium maximis tormentis annumerari potest, teste Celso, lib. 6. cap. 9. Et, ut Galenus scribit, 2. de *comp. med. sec. loca*, cap. 1. nonnullis tantus fuit, ut mortem sibi impatientiâ consciverint. Ita dolor dentium periculosior videtur esse, quàm dolor capitis, symptomatis scilicet ipsius ratione, non causarum; cum causa dolorem capitis producens propior sit cerebro, & proinde gravia symptomata, ut excitatem, apoplexiam, & similia afferre possit.

2. Dolor dentium, pro causarum & loci affecti diversitate, facilius aut difficiliter curatur. Ex sanguinis affluxu citius tollitur: quanquam, si inflammationem pariat, multum saeviat.

3. Atrociorum dolorem excitat humor tenuis, acris, salis & serosus, sed citius desinit, ob materiæ illius mutationes subitas. Mitior dolor est à frigido & pituitoso humore, et si diuturnior.

4. Si affectus fuerit in gingivis, dolor non removebitur deus evul-

sione; si in nervo, dolor exempto dente interdum cessat, dum materia antea conclusa exitum jam habet, tensioque remittit, aliquando remanet, quando materia nimis crassa & lenta nervo adhæret. Avicennas, *cert. can. ser. 7. tract. 1. cap. 5.*

5. In vehementi dentis dolore si nullo prius affectionis vestigio in gingivis apparente, tumor jam in iisdem, aut in malis oboriatur, bonum est. Significatur enim, materiam ab interna dentis cavitate ad externa verti ac derivari, sive naturæ robore, sive virtute medicamenti.

6. Dentium dolor cum eorundem stridore & febre ardente lethalis est: quod si iis accidit, quibus antea dentes stridere non cõsueverunt, commotionem mentis, maniam, epilepsiam, aut convulsionem portendit. Cum enim stridor fiat ob convulsos temporum musculos, argumentum est, cerebrum affectum esse; cui si delirium conjungatur, mali confirmati est indicium, atque inde mors sequitur.

6. Quibus in dentium dolore à supercilio tenuia procedunt; his à pipere probe affricato postridiè crassiora discedunt, si stupefaciens prius adhibitum dolorem non sedavit, sed potius auxit, ut Hegesippi exemplo docet Hippocrates, 6. *epidem. sect. 6.* Piper enim impactum à narcotico succum solvit, unde dissipato eo mitigatio doloris sequitur.

8. Dolore dentium cessante interdum aures pus colligunt. Sic Athenæo puero sinistra parte dens in-

ferior, dextra superior doluit. Hujus auris dextra pus collegit, cum non amplius doleret. Hippocrates, 4. Epid. sect. ult.

Indicationes.

Indicatio-
nes.

Medicus in dolore dentium curando vel ad dolorem ipsum, vel ad causam respicit. Dolor equidem, qui maxime urget, indicat anodynum: verum ea parum proficiunt, nisi fluxio sit ablata. Ideo imprimis causa doloris removenda, humor scilicet ad dentes confluens revellendus, evacuandus, repellendus & evacuandus: si tamen dolor valde urgeat, narcotica adhibenda,

Curatio.

Curatio.

Itaque si plethora adsit, & dolor dentium vel gingivarum sit cum inflammatione, vena cephalica ejusdem lateris, revulsionis causa, si materia à capite mittatur; vel basilica aut saphena aperiatur, si ab inferioribus, aut cucurbitulæ cum scarificatione scapulis apponantur. Derivationis gratiâ venæ sub lingua incidantur. Quidam etiam post aurem, & in aurium meatu superiore, parte venam aperiunt. Nonnulli quoque aurium scarificationes adhibent. Nec aliæ revulsionis omittantur, ut & derivationes, per frictiones, ligaturas extremorum, lotiones crurum, vesicatoria brachij & cervici, vel post aures imposita. Vulgus carpo etiam flammulam vel ranunculum flammieum imponit. ejus manus, quæ est è regione & latere dolo-

ris. Exempla in Institutionibus & alibi sunt proposita.

Si verò alij humores peceent, ij conveniente modo evacuentur, pro ut humoris dolorem parientis natura & conditio id requirit.

Universalibus præmissis, si materia adhuc in fluxu sit, adstringentia fronti & temporibus applicentur, ac intus usurpentur, quæ os ventriculi astringunt ac roborant, si ab inferioribus etiam aliquid sursum mittatur.

Quin & errhina naribus immitti possunt. Imò etiam revulsionis gratiâ brachij & cervici vesicatoria applicare licet.

Temporibus quoque applicare utile est emplastrum ex gummi taca-mahaca, massiche, myrrha, gummi elemi. Quæ etiam dentibus ipsis topica applicantur, repellentia sint, quam diu aliquid influxerit.

Cautione tamen in repellentibus adhibendis opus est, præcipuè si maxillis applicentur. Nam licet, si materia in ipsum dentem saltem fluat, repellentes oris collutiones sine periculo applicentur: tamen, si materia sit copiosior, ita, ut etiam maxillam occupet, repellentia, præcipuè maxillis, non tuto applicantur; cum materiam intro ad fauces repeliere, & ægrum suffocare possint. Ita refert Valescus de Taranta quendam bonum & peritum Medicum, cum aliquando dolorem haberet dentium molarium cum inflatione maxillæ, apposuisse maxillæ oleum rosaceum cum aceto, cum ad lectum iret, unde factus fuit.

fuit fluxus materiae ad guttur, & ægrum angina correptum & mortuum fuisse.

Fluxione cessante discutientibus utendum, quibus tamen semper aliquid astringentium commisceatur.

Ad stupescientia non, nisi magna necessitate urgente, veniendum.

In materia igitur calida pro repulsione laudatur collutio oris cum aceto, in quo decocta sint fol. myrt. flor. rosar. rubr. radix oxylapathi, ficicis, rad. & fol. haliacabi. sem. hyoscyami. Vel detineatur in ore aqua rosarum cum tertia parte aceti, vel facerem plantaginis, sempervivi, vel decoctum è rosis, lactuca, plantagin. acetos. salic.

R̄. Flor. ros. rubr.

fol. malo. minor. ana M. j.

Coq. in vino austero ad tertias.

Colatura.

R̄. Unc. v i i i.

Quibus admisce

ol. sulphur. acidi Scrup. ℥.

croci Scrup. j. M.

Vel R̄. Fol quercus,

plantag. ana M. j.

hederæ arbor. M. ℥.

rad. tormentill. Drach. iij.

urtica Drach. iij.

Coq. in vini Rhonani q. s. ad tertias, & colentur.

Rulandus aqua solani cu mōleo vitrioli mixta utitur.

Ubi verò gingivæ simul sunt affectæ, acetum, monente Aëto, tanquam hostilis gladius, vitandum est, ob mordacitatem, quâ gingivas erodit. Alioquin in dolore dentium,

citra gingivarum inflammationem, sive corpus ipsum dentis doleat, sive nervulus eidem substratus, Galenus in aceto medicamenta præparare jubet, tam repellentia, quàm discutientia, de comp. med. sec. loc. cap. 9. Etsi enim acetum per se dentibus nocet: tamen repellentibus recte admiscetur; quoniam penetrando illorum, vim auget: discutientibus etiam, quia præterquam quòd penetrationem, adjuvat, ipsum quoq; incisoriâ vi sua nonnihil ad discutiendum conducit.

Vel R̄. Sem. papav. albi,

hyoscyam. ana Drach. iij.

rad. albæ Unc. ℥.

flor. chamæm.

rosar. rubr. ana P. j.

Coq. in aquæ & aceti s. q. ad consumptionem tertiæ partis.

Vel radices oxylapath. coq. in vino austero, & decoctura in ore detineatur.

Vel radices oxylapath. aceto maceratae denti dolenti & cavernoso indantur. Efficax est etiâ medicamentum decoctum radic. prunorum sylvestrium ablato cortice exteriori.

Vel R̄. Limatura ligni Guajaci Unc. iij.

cortic. interior. virid. quercus,

radic. prun. sylv. lan. Unc. j.

Coq. ad remanentiam ℥ j.

Extra inungatur maxilla unguento albastrino. Monet tamen Langius, ut unguentum alabastrinum in materia calida misceatur cum frigidis, sicut in frigida cum calidis.

Vel R̄. Pomor. dulc. Unc. ij.

Adde fursuris Unc. iij.

croci Scrup. j.

olei rosati Unc. j. M.

Fiat

Fiat cataplasma extrâ loco dolenti apponendum.

Vel ℞. *Medulla pomor. assat.* Unc. ij. ℞.
stercor. gallin. Unc. j. ℞.
ol. rosati omphac. Drach. vi.

Misce exactè, & fiat Cataplasma.

In materia frigida Avicennas alumen ustum aceto extinctum cum salis pari portione miscet, eoq; dentes fricat, & postea cum vino abluit. Resolvit simul vinum, in quo hyssopus & thymus coctus est. Utilis est & collutio ex decocto origani, serpilli, sem. staphidis agriz, rad. pyrethri, acori, ligni sancti, & similibus.

Ut ℞. *Origani* M. j.

hyssopi M. ℞.

cort. aurantior. Unc. ℞.

Coq. in vin. ℞. j. ad consumpt. tertiaz partis, & colentur.

Vel ℞. *Fol. betonic.*

salvia

majoran.

rorismar. ana. M. ℞.

flor. stechad. Arab. P. ij.

sem nigelle,

rad. pyrethri, ana Drach. ij.

Coq. in vino albo & aceto, pari portione, pro Collutione oris.

Vel ℞. *Origan.*

rorismar.

salvia, ana. M. ℞.

rosar. rubr. P. j.

rad. pyrethr. Drach. iij.

Coq. in ℞. ij. aqu. ad dimidium.

Colaturæ adde aceti rosacei q. s. ad gratam aciditatem

Vel ℞. *Limatur lign. Guajaci* Drach. j.

cort. inter. virid. lign. querc.

rad. pyrethri,

ficis, ana Unc. ℞.

Coq. in aqua pura ℞. j. ℞. ad ℞. j. remanentiam.

Vel ℞. *Rad. pyrethri* Drach. ij.

sarsaparille Drach. iij.

rasura ligni Guajaci Unc. ℞.

pini Drach. iij.

fl. ros. rubr.

serpilli,

origani, ana P. j.

gran junip. Unc. ℞.

sem. carvi Drach. iij.

Incisa & contusa coq. in aq. & vini Rhenani Unc. xii. ad tertias, colentur.

Colaturæ ℞. Unc. vi.

In quibus dissolve camph. gr. v.

M.

Utile etiam est decoctum gummi juniperi cum vino paratum.

℞. *Gummi juniperi* Unc. ℞.

vini Rhenani Unc. viij.

Coq. & colentur. Colatura calida in ore detineatur.

Alii camphoræ Scrup. ℞. in spiritus vini Unc. ij. dissolvant, & eodem modo utuntur. Juvat & sequens Gargarismus:

℞. *Rad. urtic. ardent.* Mj.

Lavetur ter in aqua, postea ex vino; terantur optime in mortatio cum

rad. pyreth.

zingib. ana Drach. j.

Bulliant in vini alb. opt. ℞. iij. ad tertias pro Gargarismo, qui sapius adhibeatur. Commendatur etiam sequens Liquor odontalgicus:

℞. *Cortic. ligni Guajaci* ℞. ij.

maslich. Unc. j.

vini bis distillati ℞. ij.

Digerantur in Sole per mensem bene

benè agitando, donec rubescant, spicæ, thymi, nuc. mosch. cinam., postea colentur & clarificentur. Hujus essentia gr. vj. vel vij. in ore detineantur.

Tedarum quoque & pinearum decoctum pro collutione oris.

Ipsi etiam denti dolenti applicentur rad. oxylapath. aceto macerata, ut antea dictum; vel spongia madida decocto staphydisagriæ, myrrhæ, cortic. radic. cappar.

Vel ℞. Rad. *helenii*,

oxylapath.

pyrethr.

filiciæ,

aluminis ussi partes æquales.

Contundantur in pulverem, & cum melle fiant Pilulæ dentibus imponendæ.

Vel ℞. Rad. *pyreth.* Drach. j.

serpentar.

filiciæ,

oxylapath.

alumin. ussi, an. Drach. β.

mellis q. s.

Fiant Pilulæ dentibus imponendæ.

Trochisci de pyrethro:

℞ Rad. *pyrethri* Unc. j.

bistort.

hyosyami, ana Unc. β.

alumin.

tragacanth. ana Drach. ij.

aceti vini a. err. q. s.

F. l. a. Trochisci.

Aut olei destillati caryophyllor. gutta una vel altera cum gossypio denti imponatur, cujus Drach. β. aliquot camphoræ gr. admisceri possunt. Idem præstant olea destillata

L II.

spicæ, thymi, nuc. mosch. cinam., juniperi, ligni Guajaci, & similia.

Suffitus etiam per tubulos convenientes ore excipi possunt ex radic. bryon., pyrethri, cortic. radic. cappar., myrrha, thure in aceto & vino coctis.

Hodie fumum Nicotianæ ore excipere vulgatum est.

Ussu sæpe à me compertum, & efficacax in dolore dentium à quacunq; ferè causa est remedium hæc Oris collutio.

℞. Rad. *filiciæ.*

pentaphyll. ana Drach. iij.

bistort. Drach. ij.

fol. rutæ,

salv.

betonicæ,

flor. rosar. rubrar. ana. M. β.

Coq. in vini rubr. & adstringentis & aquæ communis, aa. q. s. ad consumptionem tertiæ partis, pro Collutione oris.

Extra applicetur hoc Cataplasma:

℞. Rad. *malva* N. xi i.

Coq. ad mollitiem.

Adde *farina fenigraci,*

sem. lini,

pulv. anethi,

fl. chamameli, ana Unc. j.

farina bordet Unc. iv.

Incorporentur omnia simul, & in sine addatur *ol. chamamel. vel aneth.*

F. Cataplasma.

Si ob doloris vehementiam aliquod periculum metuendum sit, narcotica usurpentur.

F

E.g.

E. g. Fiat oris collutio cum decocto rad. & fol. hyofcyami, ut & sem. ejusdem, ac sem. lactuca, & papav. cum aceto parato, cum Scrup. ℞. opii. Vel fiat collutio oris ex aceto, in quo opij grana aliquot sint dissoluta. Possunt & opij grana ij. cum æquali parte croci vel castorei bombace excepta in dentis cavernulam indi, si erosus sit: sin minus, opium & crocus in pauxillo lactis vel aq. papav. aut hyofcyami dilui, & dentis dolentis radix eo fricari potest.

Vel ℞. *Fl. chamem.*

anethi, ana P. j.

cort. rad. mandrag. Drach j.

sem. hyofcyami,

papav. ana Scrup. ij.

Coq. in aq. solani,

plantag.

rosar. ana Unc. iij.

Colentur, colaturæ admisce-

aceti rosac. Unc. j.

laudanti opiati gr. iij.

M.

Vel indatur denti pilula de laudano opiato, vel pilula de cynoglossa.

Vel ℞. *Laudani opiati* gr. iij.

sp. vitrioli gut. j.

M. F. Pilul. & dentibus una indatur.

Vel theriaca recens aut Mithridatium, vel philonium Romanum, aut solirella parva, in Dispensatorio Augustano descripta, denti illinatur.

Vel ℞. *Syrac. calamit.*

piper albi,

costi,

opii,

sem hyofcyam. ana Scrup. ℞.

Cum vino F. Pilulæ dentibus indendæ. Vel indatur Pilula una de seqq.

℞. *Sem apii,*

hyofcyami, ana gr. iij.

opii gr. iij.

Cum *sir. depapav.* fiant Pilulæ iij. vel v.

Vel ℞. *Philon. Romani* Drach j.

spir. ligni Guajaci Scrup. j.

Vel ℞. *Rad. pyrethri,*

sem. apii, ana gr. ij.

hyofcyami,

opii, ana gr. j.

Cum *sir. papav.* fiant Pilulæ N. v.

Aut admoveatur cum gossypio oleum hyofcyami. Vel aliquid de sequenti Mixtura cum bombace denti dolenti applicetur:

℞. *Philon. Rom.* Drach. j.

opii gr. vj.

ol. vitrioli gnt. v. M.

Balsamum ad dolorem dentium:

℞. *Opii Thebaic.*

spec diamb. ana Scrup. j.

campb gr. iij.

ol. nuc. mosch ex pr. Scrup. ij.

caryoph. gut. vij. vel q. s.

F. Balsamum.

Decoctum Langii.

℞. *Opii Thebaici* Scrup. ij.

succi hyofcyami Scrup. i v.

cortic. mandragora Scrup. v.

fl. chamemel. Drach j. ℞.

pyrethri Scrup. v.

croci integri Scrup. j.

In funde in vini ℥ j.

aq. rosar. Unc. iv.

aceti opt. Unc. vij.

Bulliant in vase duplici ad tertiam partis consumptionem, & cum panno intincto dentibus colatura applicetur.

Cautio tamen in narcoticorum exhibitione adhibenda. Refert enim Alexand. Benedictus, *de tur. morb. l. 6. c. 13* Jacobum Justinianum, Patrium Venetum, in dentis dolore oleo opiato imposito, Patavii sopore perpetuo exinctum fuisse.

Dolore sopito post opiatorum usum os illico abluatur decocto salviae, roris marini, majoranae, hyssopi, ut noxa ab opio impressa tollatur.

A proprietate etiam valere dicuntur sequentia: Suffitus ex canis mortui dente, aut ustus ille in fornace cum u. posca misceatur & imponatur; senecta serpentis in aceto cocta, aut usta eadem & trita, atque cum melle vel oleo ad mellis spissitudinem subacta, imposita; dictamni quoque radix, & radix chelidonii, praesertim si vermes sint in dentibus.

Plinius plantaginis radicem in aceto coquere jubet. Decoctum etiam foliorum lappae majoris cum sale in aceto commendatur. De pastinacae etiam marinae radio scribit Plinius, *l. 32. c. 7*. si eo gingivae scarificentur, dolorem dentium sedare.

A Recentioribus, consentiente experientia, plurimum commendatur oleum ligni heraclei per retortam destillatum, si gutta una cum gossypio denti imponatur,

Nonnulla tamen horum ad manifestas qualitates reduci possunt, cum vel repellant, vel discutiant, vel dolorem sedent.

Si his nihil proficitur, dens corrosus extrahatur. Preparatur autem ad extractionem, ut supra etiam dictum, imponendo in foramen lacithymali vel solum, vel cum pulvere radice mori aut cappar mixtum. Aut, quo Galenus utitur, radice pyrethri. 40. diebus in aceto maceratae acritate denti imponantur.

De pastinacae etiam marinae radio scribit Plinius, si tritus cum helleboro albo illinatur, dentes sine vexatione extrahi.

Facile quoque cadit dens, si cum aqua ex sale Armoniaco destillata tangatur.

Dieta.

Dieta pro causarum diversitate variet, & medicamentis respondeat. Imprimis tamen danda opera, ut dentes a corruptione praeserventur. Ideoque ratio imprimis ventriculi & capitis habeatur, ne crapula & cruditate infestentur. Lactis item, & dulcium, ut ficuum, mellis, sacchari usus frequentior cavendus. Raphanus quoque & masticatione & evaporatione nocet, sicut & porrum, quod a proprietate dentibus nocere, auctor est Avicennas. Videntur quoque acerbata valde & acida: praeterea solida & dura inimica sunt dentibus, ac stupefacientia ac gelida, sicut & caeteris ossibus. Actu quoque vehementer calida, praecipue si frigida mox subsequantur. A ci-

bo dentes diligenter mundentur, *ὑποδαυεῖται*, ut dentes semper à cibo sale fricentur, & os vino eluatur.

Præservans-
tio.

Quod ad remedia præservantia, commendatur sal theriacale, Galeno, *in lib. theriac. ad Pisonem. s. 18.* teste. A dolore dentium etiam præferant collutiones oris ex iis, quæ adstringunt; imprimis si medius cortex fruticis berberis aqua maceretur, & aquâ mane os colluatur. Laventur etiam dentes bis singulis mensibus vino, in quo tithymali radix cocta sit, eodem Galeno docente, *1. de Euporist. cap. 12. & 2. cap. 16.* Quibus locis plurima hujus generis medicamenta reperuntur. Prodest etiam pro collutione oris aqua salviæ, vel vinum decoctionis salviæ, vel acetum decoctionis origani, & mentastri. Dentifricia quoque adhibeantur frequenter, de quibus postea, *cap. 14.* dicitur.

De dolore Puerorum dentientium.

Dolor in-
fantium
dentientium.

Et si, ut supra dictum, infantes jam, dum in lucem eduntur, dentibus præditi sint; tamen gingivis tum teguntur, & postea demum erumpunt. Infantes autem, cum dentes erumpunt, sæpe maximus dolor affligit. Et si n. & alia symptomata dentitioni infantium conjungantur; tamen de iis omnibus agere hujus loci non est, sed dicendum de eo, *de morbis infantium*, ubi de Dentitione in genere agendum erit.

Adest autem dolor maximus, cum canini erumpunt, unde etiâ vulgati

est; Parentibus non esse gaudendum de liberis, donec hi dentes eruerint.

Cum verò dolor ille ferè à densitate & duritie gingivarum existat, hæ rarefaciendæ & emolliendæ sunt. Oblinantur itaque lacte canino, aut cerebro leporino, quod nonnulli crudum assument, melli que permiscant. Sed Galenus, *in 11. de simp. med. fac.* & Avicennas cocto utuntur, toto scilicet capite el xo.

Valent & cerebellâ pullorum & avium. Aut gingivæ pinguedine gallinæ aut anatis recent. inungantur, aut butyro recenti non salito, eod; vel solo, vel cum melle, vel cum decocto lactucæ permixto.

Commendatur etiam succus è cancri vivis contusis cum aqua flor. cyani extractus, si eo gingivæ abluantur.

Si dolor vehementior sit, Avicennas succum solani cum oleo rosarum calefacit & illinit. Alii malagmate utuntur ex semine lini & althææ, & aliqua pinguedine, vel, si febris adsit, ex semine lactucæ.

Vel β . Sacchari & butyris sale,
succo althææ, ana Unc. j.
vitell. ovi dimid.

M.

Ambrosius Paræus, *lib. 23. cap. 67.* suadet, ut, si infantes ob gingivarum duritiem de vita periclitentur, scalpello gingivæ aperiantur; atque ejus rei periculum cum felici successu in aliquot suis liberis se fecisse scribit.

Nonnulli & quædam periapta com;

commendant. Aëtius radic. colocyinthidos sylvestris laudat, si canali argenteo includatur, & collopueri appendatur: alii dentem viperæ masculæ appensum, jaspidem item viridem, & dentem lupi dextrum, de quo Plinius, *lib. 11. cap. 37.* Dens dexter caninus lupi in magnis habetur operibus. Quæri tamen hîc posset, an dens lupi id, quod præstat, gestatus præstet, an verò potius, quòd, dum eum infantes sugunt, & gingivis admovent, eas hoc modo rarefaciat.

CAPUT XII.

De dentium Stupore
& Algore.

STupor dentium, Græcis *αιουδια*, est molestia & dolor quidam dentibus accidens ab acidis & acerbis præcipuè rebus, qui sensu rectius percipitur, quàm verbis describitur. Id malum ita occupat dentes exteriores, ut non solum mandentes ex eo intoleranter doleant; verùm etiam ipsimet dentes digitis suis attingere præ dolore vix sustineant. Quapropter non satis commodè stupor affectus ille appellatur, qui est abolitio sensus; sed potius ad dolorem pertinet. Unde rectè Capivaccius, *l. 1. Pract. Medic. cap. 53.* hæmodiam dolorem dentibus proprium esse asserit.

Causa est sapor acidus; temperiem dentium immutans. Id quod accidit à cibis quibusdam hujusmodi sapore præditis. Idem evenit ab humoribus acidis & atra bile

vomitu rejectis; id quod multis affectione hypochondriaca laborantibus accidisse memini, qui tam acida vomitu rejecerunt, ut dentes stupidi iis ita inde, evaserint, ut per integrum diem vix aliquid comedere potuerint. Quod quandoq; etiam præstant vapores acidi è ventriculo ad dentes elati. De quo Hippocrates, *lib. 2. de morbis, sub morbo nigro.* Aliquando & ipsis dentibus hujusmodi materia alieno sapore infecta innascitur, vel ad eos confluit.

Contingit etiam, ut ab imaginatione stupor ejusmodi inducatur, quando alium res acerbis masticantem videmus, aut strepitum limarum vel similiarum rerum audimus. Nam imaginatio occulto modo movet humores in corpore, atque eos præcipuè, qui cum re, quam imaginamur, analogiam aliquam habent.

Fracastorius tamen, & probabiliter, de *sympath. & antipath. cap. 14.* ad auditus organum affectum causam refert, dum scribit: *Similiter & si acutus valde sit sonus & stridulus, applicatio vim patitur, quasi in angusto facta, cum & membrana auditus quasi icta offenditur, unde conturbatur repente, ac cum ea simul & nervuli quosdam usq; ad radices dentium, in quem locum subito incidens novus aer horrorem quandam circa dentes facit.*

Medetur huic affectioni portulaca masticata, cujus succus lentore suo dentibus adhærens affinitate, quadam humiditatem acidam & acerbam è dentibus extrahit, ut disputat Aristoteles, *1. problem. 38.* Ersi hoc

Curatio.

hoc alij ad proprietatem substantiæ referunt, quâ & in apostematibus lienis portulaca proſit, & affriccione verrucas tollat. Rhafes & amygdalas amaras, atq; ceram maſticatam commendat, quæ temperatâ ſuâ qualitate ac unctuoſitate illam quaſi congelationem remittunt. Salem item affriccare jubet, qui materiam liquefaciendô acorem è dentibus extrudit. Alij panem calentem, ut è furno extrahitur, maſticandum exhibent, aut radices vel ſuccum glycyrrhiæ, aut pineas, avellanas, juglandes. Alij caſeum recentem, commanſum, & calidum ovi vitellum commendant. Ægineta omphacinum inunctum, ut & amurcam vetuſtam in æneo vaſe coctam ad mellis craſſitudinem inunctam laudat. Confert & frequens oris collutio cum vino calido. Collutio quoq; oris commoda eſt ex aqua ſaliæ calente, vel decocto radic. ariſtolochiæ & baccar lauri.

*Dentium
alger.*

Cognatum ſtupori malum eſt, cuius Rhafes meminit, *cap. 44.* quando dentes frigidi tactu imprimis offenduntur, quod malû Avicennæ eſt Ebet dentium, ac dentes tum ita afficiuntur, ut neq; frigidum neq; calidum, neque durum quid tolerant. Cauſſa eſt debilitas dentium ex intemperie ſive frigida, ſive calida, & eorundem debilitas, ſeu, ut alijs placet, nimia ſenſibilitas cum raritate texturæ. Plerumq; verò ab intemperie eſt frigida. Ideò Rhafes oleum excalefactum ore tenere jubet, & vitellum ovi aſſatum calidum

maſticare, aut calentem panem. Avicennas hierâ ſimpl. aut theriacam dentes fricat; vel maſticentur lauri baccæ, ariſtolochi. anethum. In calida materia Avicennas fricat dentes oleo roſaceo tepefacto, cui camphora & ſantali ſunt admixti; aut mucilaginem ſem. pſyllij vel ſem. portulacæ maſticare jubet.

CAPUT XIII.

De dentium Stridore.

Dentes naturâ eſſi moveantur, dum voci formandæ & maſticationi inſerviunt; tamen motus ille ſit ſine ſonô. Interdum verò p.n. ſonitus accidit, qui Stridor dentium appellatur.

Cauſſa ejus eſt imbecillitas muſculorum maxillæ à frigore, aut potius rigor quidam in ea accidens à frigore; vermes etiam, per conſenſum cerebro affecto, vaporum multitudo, ut in paroxyſmorum principiis.

Prognostica.

1. Stridor dentium minatur apo. plexiam, vel epileſiam. Valeſcus de Taranta.

2. In febribus dentibus ſtridere, quibus à puero minimè eſt conſuetum, infaniam & mortem ſignificat. Quod ſi jam deliranti id accidat, admodum id exitiale eſt. Hippocrates, *in Coacis.* Poſteſt tamen delirium cum dentium ſtridore dupliciter conjungi. Aut enim præceſſit ſtridor, & ſecutum eſt delirium, vel contra. Si præceſſit ſtridor, maniam & mortem prædicere poſteſt Medicus; quia

quia cerebrum simul afficitur. Si verò antecedit delirium, & sequatur stridor, non semper exitiale malum denotat; quia provenire potest à facultate imbecilla, non semper cerebro affecto.

3. Stridorem dentium etiam inter conceptionis signa refert Hippocrates, *de supersatatione.*

Curatio id ipsum stridorem dirigenda non est, sed ad causas.

CAPUT XIV.

De dentibus Nigris, male Coloratis & Sordidis, & Sanguinis è dentibus fluxu.

Dentes naturam suam ab ipso sunt, quæ res ut naturalem dentium constitutionem indicat, ita ad decorem & pulchritudinem hominis etiam facit.

Qui color si mutetur, quod sæpe accidit, dum dentes à naturali suo candore ad flavum, lividum, nigrum colorem deflectunt, vitium in qualitate mutatam oritur, quod sæpe in dentium corruptionem & graviora vitia degenerat.

Accidit autem ista dentium foeditas ab humoribus vitiosis in superficie illorum hærentibus, à vaporibus sursum exhalantibus à frequenti dulcium esu, à masticatione fructuum nigrorum, ut myrtillorum, mororum, à cibus in vasis cupreis aut æneis asservatis, ab inunctione argenti vivi, in lue Venerea, vel ab eadem in fucis & pigmentis faciei adhibitis, unde fæminæ, quæ

ad faciem pingendam fucis ex Mercurio utuntur, plerumque dentes male coloratos habent. Interdum tamen etiam ab humoribus vitiosis, & alimento pravo dentibus sese insinuante color eorum mutatur.

Ad dentium autem sordes tollendas, & colorem vitiosum emendandum, usitatissima sunt Dentificia, parata ex ijs, quæ sordes abstergere possunt; ut *ossibus sepia, pumice*, præcipue si igniatur, & vino albo bis extinguitur, ac tertiâ vice ignitus sponte refrigerati sinatur, & pulverifetur; *cornu cervi, corall. margarit. ocul. cancri, lapid. spongia, alabastr. cochl. testis combustis, radic. aristol. restis ovorum, mandibulis lucij, silicibus combustis, arena alba, mastiche, sale, gummi junperi, cartaro, alumine.* Quibus ad suavem anhelitum conciliandum addi potest *cinamomum, lignum aloes, rad. ireos, rosmarinus, flor. lavendule, rosarum, moschus.*

Ut R^y. *Alabastr.*

pumic. an. Drach. ij.

salis Drach. j.

F. Pulvis.

Vel R^y. *Oss. sepia Drach. ij.*

test. ovor. Drach. j. ß.

rad. ireos,

corallior. albor. an. Scrup. j.

alum. roch. Scrup. ß.

mastich.

rosar. rubr. an. gr. v.

mosch. gr. j.

silic. alb. combust. vel aren. al-

bis. subtiliss. ad pondus omn.

F. Pulvis.

Vel R^y. *Mandibul. lucij,*

G. C. usiti prepar.

corall.

Curatio.

Dentes sordidi.

Causa.

corall. prepar. an. Unc. ℥.
 aluminis usti,
 radic. ireos, an. Drach. ij.
 sal. gemmei Drach. j.

F. Pulvis.

Vel ℞. Os. sepia,
 corall. albor.
 margarit. prepar. an. Drach. j.
 C. C. usti Drach. j. ℥.
 pulv. rad. ireos,
 gummi juniperi, an. Drach. ℥.
 aristol. rot. Scrup. j.
 lign. aloes Drach. ℥.
 mosch. gr. ij.

F. Pulvis.

Vel ℞. C. C. usti prepar.
 corall. albor. an. Drach. ℥.
 margarit. prepar. Drach. j.
 mastich.
 ireos, an. Drach. j.
 mosch. gr. iv.

F. Pulvis.

℞. Corall. albor.
 rubr. an. Drach. ij.
 lapid. spong.
 os. sepia, an. Drach. j.
 C. C. usti prepar.
 rasur. eboris, an. Drach. ij.
 mastich. Drach. iij.
 gummi juniperi Drach. j. ℥.
 sal. torrefact. Drach. ij.
 mosch. Scrup. ℥.

F. Pulvis.

Vel ℞. Pulv. crystalli Drach. ij.
 corall. rubr.
 scobis C. C. albiß. & subtiliß.
 an. Drach. ij.

F. Pulvis.

Vel ℞. Pulv. osis sepia,
 lapid. filicis usti,

pumicis usti, an. Dra. j. ℥.
 calaminar. Drach. ℥.

C. C. usti Drach. j.

rad. ireos Drach. ℥. F. Pulvis.

Ansh. Boëtius pulverem osteo-
 collæ commendat. Potest & pul-
 veribus saccharum, mel, vel oxymel
 admisceri, & mixtura Electuarij in-
 star parari, quâ dentes fricentur.

Ut ℞. Pulv. corall. rubr.

lap. crystalli, an. Drach. j.

os. sepia,

lap. calaminar.

myrrha, an. Scr. j.

alum. usti,

salis tosti,

C. C. usti,

lap. pumicis, an. Drach. ℥.

rad. ireos,

calami odor.

nuc. mosch. an. Drach. ℥.

panis albi tosti Drach. iij.

oxymel. scillit. q. l. M.

Hæc mixtura dentes alternatim
 fricentur, postea laventur oxycrato
 vel aq. aluminosa cum aq. commu-
 ni vel rosarum.

Alij solo melle rosato cum oleo
 vel spiritu Oli mixto utuntur h. m.

℞. Mellis rosati col. Unc. j.

spir. Oli Drach. ℥. M.

Secreti loco nonnulli commen-
 dant carbones & cineres stipium
 roris marini: quibus Neoterici præ-
 ferunt, & pro certissimo experimen-
 to habent, cinerem Nicotianæ.

Cardanus aq. & succum limo-
 num ac citri commendat,

Vel ℞. Summit. myrthi,
 lentisci,

alca-

oleastri,
salvia,
rorismarini, an. Mj.
corall. rubr.
eboris,
dent. equorum. an. Unc. iv.

In fictili vase simul urantur, addendo *salis communis* p. j. donec omnia dealbata sint, & reducantur in pulverem, cui adde

garyophyll.
cinamomi,
rorismarini, an Drach. iij.
moschi Scr. j.

F. Pulvis. Qui etiam excipi potest oximel. scillitico, vel mucilage gummi tragacanth. aut Arabici, & inde Styli formari.

Loco pulverum etiam Styli ad dentes mundandos fieri possunt:

R. *Corall. rubr. prepar.*
pumic. prepar. an. Drach. j. B.
gallie mosch. Scr. j.
sanguin. dracon.
caryophyll.
cinamomi,
maslich. an. Drach. j.
mosch.
ambr. an. gr. ij.

Cum *tragacanth. in aqua rosar. dissol.*

F. Styli.

Vel R. *Lapid. pumic. Unc. B.*
corall. rubror.
alb.
C. C. prepar. an. Drach. B.
sanguin. dracon. Drach. ij.
gummi Arabici in aqua rosar. dissolue. & album. over. q. l.

In summa, ne dentes male colo-

rati evadant, & corrumpantur, dentes à sordibus & cibis mundandi, verum non acumine cultri, cum dentes inde lædantur, sed dentiscalpiis ligneis, vel ex osse firmo ac flexili paratis, è spinis piscium aliquorum, ossiculis & tendinibus osseis gallinarum, item ligno lentisci, myrri, lauri, juniperi, cupressi. Os verò post cibum colluatur aquà, salsà inprimis, vel vino. Commendatur ad dentes mundandos & hæc Aqua:

R. *Sacchar. lb. B.*
sal. Unc. iij.
alumin. Roch. Unc. j. B.

Destillentur per alembicum. In aqua intingatur gossypium, & eos dentes fricentur.

Vel R. *Salis ammoniaci,*
gemmei, an. Unc. j.
alum. Unc. j. B.

aq. rosar. q. l. Destillentur.

Laudatur & sequens Aqua:

R. *Sacchari lb. ij.*
alum. roche lb. j.
vini albi generosi lb. j. B.

Destillentur s. a.

Destillato liquore dentes sapius fricentur & mundificentur.

Chymici oleum sulphuris commendant, ut aquam fortem communi temperatam, cum penicillo denti appositam. In ea nonnulli folia *salvæ* macerant, eisq; dentes fricant, qui postea, ut glabri rursus fiant, melle rosato & sanguine draconis inungendi, osque eluendum. Sic enim statim dealbantur. Sed cautè ista usurpanda.

De Sanguinis è dentibus fluxu.

Nec prætereundum hoc loco quod Balduinus Rouffettus, libro de hominis primordiis, & hysteris affectionibus, refert. Nos, inquit, quod supra communem hominum fidem est, Furnis, municipio Flandria, mulierem novimus, cui forte fortuna, cum elisus esset dens molaris, soliti alioqui menses supprimerentur, natura noxium illum feculentumq; sanguinem propellente, singulis mensibus ex elisi dentis vulnisculo sanguineus quidam gurgis, proportionem purgationi respondens, efflueret. Scribit etiam Hollerius, comm. 2. in sect. 2. lib. 2. aph. 18. Coacar. prædictionum, se vidisse è loculo dentis longo tempore sanguinem profluxisse, qui nullis remediis cessit, ægrumq; tandem sustulit.

CAPUT XV.

De dente Aureo pueri Silesij.

Dens ab-
minus pueri
Silesij.

Hoc loco, ubi de colore dentium mutato agitur, non videtur omittere quaestio, de Aureo dente pueri Silesij. Anno enim Christi 1593: circa F. paschatos rumor innotuit, puerum quendam annorum septem, Christophorum Müllern/ in pago Weigelshorff/ in Silesia, cum ipsi dentes excidissent, ultimi molaris loco dentem aureum succrevisse; cujus rei historiam post anno Christi 1595. descripsit & publice

edidit D. Jacobus Horstius, Medicinæ Professor in Academia Helmstadiana, qui ipsum partim pro naturali, partim pro prodigioso habet, & solatij loco Christianis à Turcâ tum afflictis exhibitum esse statuit. Eodem anno 1595. ejusdem aurei dentis historiam edidit Martinus Rulandus, cui sese opposuit Joh. Ingolsteterus, anno 1597. contra quem lauta judicium eodem anno defendit Martinus Rulandus. De eodem aureo dente scribit etiam Andr. Libavius, parte 2. Singular. dissertat. 7. qui disputationes illas, in partem utramque habitas, recenset, quas ut huc afferam, operæ pretium esse non puto. Non enim entis enim nullæ sunt affectiones, & dens ille aureus nullus fuit, sed fucus merus, qui Uratislaviæ demum detectus fuit. Ejus rei historiam ad me perscripsit Dn. D. Michael Döringius, sicut illam ex Dn. D. Danielis Bucretii, Physici quondam Uratislaviensis, relatione accepit, quæ talis est: Puer ille cum Uratislaviam deductus fuisset, & omnes novitatis istius miraculosæ (ut putabatur) cognoscendæ ac visendæ desiderio tenerentur, factum est, ut in doctorum virorum conventum ac concionem, cui inter alios plures Cl. D. Christophorus Rhumbaumius, p. m. etiam interfuit, vocaretur. Acciti & admitti dextem sedulo contemplati sunt, qui splendore aurum Rhenanum representavit. Adfuit simul aurifaber. Is jussus, affricione lapidis

Lapidis lydii dentem examinavit. Linea affricatione inducta existimabatur reverà esse aurum Rhenanum. Aurifaber igitur, rei veritatem penitus exploraturus, ipsi illeivit pigmentum aureum. Et ecce, linea illa absumta disparuit. Protinus ergo de fraude suspicio concipitur. D. verò Rhumbauius, ut erat ingeniosus & cautus, inspectionem repetit, atque supernè dentem non integrum, sed foraminulo pertusum conspicatur. Spatulâ igitur, ferreâ admotâ, numquid lamina aliqua orichalcea solùm denti esset inducta, explorat. Rem ita se habere, certissimè invenit, & reliquis spectantibus ostendit. Lamina enim illa per spatulam movebatur, nihilque erat aliud, quàm medietas (& forsitan inaurata) globuli, quales crumenis & marsupiiis olim à fœminis in Silesia gestari solitis appendi consueverunt. Detraxisset prorsus à dente laminam istam D. Rhumbauius, ni deceptor restitisset, & se cum puero subduxisset. Fraudis enim hæc detectio pessimè habuit pueri istius circumductorem, utpote qui nummos corradendi occasionem sibi ereptam esse videbat: atque ita cum aureo isto dente evanuit ac disparuit. Quæ historia omnes Naturæ scrutatores meritò monere debet, ne causas rei & τὸ δῖον prius quærant, quàm τὸ ὄντι manifestum, & de re ipsa planè conset. In qua re tamen non rarò peccatur, dum de nonentis affectionibus & causis sæpe

acriter & magno conatu disputatur.

CAPUT XVI.

De Gingivarum affectionibus.

Gingivarum etiam affectiones *Gingivarum affectiones* p. n. variz sunt, nimirum Luxuries ipsarum, dum præter naturam augmentur, ut dentes propemodum integant: deinde Flacciditas, dum caro earum mollis evadit, & facile sanguinem fundit; quod vitium scorbuto familiare est: contrâ eorundem Corrosio & Absumptio: Inflammatio ad radicem dentis, quæ *πυρρῆσις*, Celso *αἰματώδης*, (nisi mendum in textu est) abscessus *πυρρῆσις* sequens, qui si malè curetur, caruncula innascitur, ad intimos præcipuè molares, quæ *επὶ τῆσι* dicitur, & aliquando cum adverso buccarum musculo coalescit. Nonnunquam abscessus in ulcera, cancrum & fistulas, degenerat; interdum & gangræna gingivas corripit; de quibus jam dicemus.

De gingivis Excrecentibus, Laxis, Flaccidis, Sanguinem fundentibus.

Gingivarum Caro ita sæpe Luxuriat & Incrementum sumit, ut dentes, præsertim molares, obtegat, quod vitium *πλασάρα ἔλα*, gingivarum Luxuries, Excrecentia, & dentium

tium Superincarnatio nominatur. Plerumque illa caro laxa, sordida & flaccida est, & cruorem, si paulatim attingatur, de se fundit & graveolet; id quod scorbaticis familiare est.

Atque accidit hoc vitium à sanguine seroso, vicioso, corrupto, copiosius ad gingivas confluente; ad quam rem imprimis facit caro gingivarum suâ naturâ laxa, quæ humores affluentés facile suscipit.

Ut enim in ulceribus & vulneribus, ubi caro cute non tegitur, facile luxuriat: ita etiam gingivarum caro, quæ cute crassa non tegitur, facile luxuriat.

Si luxuries ista carnis sit levis, & sine putredine, faci è reprimendum & astringentium usu compescitur, ut collutione oris cum aqua aluminosa, cum decocto balaustr. gallar. fol. pruni, cortic. mori, & aspersione pulver. ex balaustr. radic. bistortæ, corall. rubr. & paucò alumine.

Si verò gingivæ putridæ fiat, & gravem odorem spirent, fortiora requiruntur.

Commendatur hic peculiariter Aquilegia, & unguentum ex Aquilegia paratum in hoc malo utile est. Imprimis verò efficax esse sequens Linimentum, multo usu comperatum est:

Rx. Pulv. fol. aquileg.
salvia;
menth. crisp.
nuc. moscb. an. Unc. s.

(Nonnulli etiam rutæ & myrrhæ tantundem addunt.)

aluminis assi Unc. j.

mellis puriss. Unc. iv. vel. q. f.

Mel leni igne despumetur. Despumato & calenti pulveres inspergantur. F. Linimentum, quo gingivæ insungantur.

Vel Rx. *Stellis opt. Unc. ij.*

aceti vini Unc. j.

ß. aris Drach. j.

alum. Scr. j.

Bulliant, donec rubefiant, adde

pulv. sabina,

nuc. moscb. an. Drach. s.

C. C. prop. Unc. s.

F. Linimentum.

Præstantissimum quoque hic est decoctum fummitatum rubi Idæi. Utile est etiam gingivas cruentas & defluxione tentatas sæpius attingere sale usso. Idem præstat pulvis corallij rubri crudi, ut & antheræ rosarum, nec non collutiones ex vitriolo, alumine, myrrhâ, massiche & aceto scilicet paratæ.

Utilis est & oris collutio, cum aqua salviæ, plantagin. prunell. & nasturt. aquat.

Vel Rx. *Radic. tormentille,*
cor. rad. prunor. sylvestr.
hyperisi,
salviæ acutæ, an. M. j.

In cisa coq. in vino B. ii. ad consumptionem tertiæ partis. Colaturâ os colluatur.

Efficax est & hæc Aqua, & in omnibus ulceribus sordidis gingivarum, tonsillarum, palati faucium, narium & ozæmis utilis:

Rx. *Mellis rosati Unc. ij.*
sulfuris vivi,

alumi-

aluminis crudi, ana. Unc. j.

alb. Græc.

cimar sabin, an. Unc. ℥.

Spong. sambuc. Drach. j.

fol hyperic.

rariamar.

plant ag.

rui a.

salvia.

puleg. an. M. ℥.

Coqv. in vini & aquæ ℔. ij. ad consumptionem quartæ partis. Sub finem adde *eruginis aris* Unc. j. stent donec sponte refrigerint, postea colentur.

In colatura penicillum lana vel gossypio involutum intingatur, & locus affectus tangatur, vel gossypium aut stupa loco affecto imponatur. **Ætius** sumit *alumin. usi. thuris, myrrha.* p. æ. quæ cum melle miscet & illinit, & postea os vino colluere jubet.

Ejusdem est, quod efficaciter carnem corruptam gingivarum absumit & putredinem sistit:

Ry. *Chalcid. cruda* Drach. iij.
cadmia Unc. j.

Cadmia in aceto ad æstivum Solem aliquot diebus conteritur, deinde adjicitur chalcidis, & similiter cum ea teritur, affuso sepe aceto. Postea ambobus exsiccatis, tritis, & cribratis utere siccis, sed cum cautione, ne quid .ex pharmaco in os deglutiat.

Vel Ry. *Alumin. scissil.*

flor. rosar. rubr. an. Drach. j.

sal. fossil. Drach. ij.

eroci Drach. ℥.

Uttere sicco, aut cum melle cocto.

Mel etiam rosatum, sic uncia uni ol. vitrioli guttæ ij. addantur, ulceribus gingivarum & oris utile est.

Vel Ry. *Nac. mosch.* N. j.

alumin. crudæ Drach. ℥.

alb. Græc.

succ. rut.

milte fol.

ebaresol. ana Drach. ij.

mellis Unc. j. Miscet.

Utilissimum est, si ante & post cibum os colluatur aquâ, è qua sal, excoquitur.

De fluxu sanguinis è gingivis.

Interdum non solum laxa sunt gingivæ, sed etiam sanguis ex iis fluit. De quo Hippocrates, in *Coacis, lib. 2. comm. 1. sect. 2. aphor. 14. sec. distinct.*

Hollerii. Τα δὲ δὸν ἔλαι ἀμασᾶ ἀπὸ τοῦ ἰνὸς ὀλέθρα Sanguis de gingivis ab aivo liquida, ter bala. Significat enim virtutis debilitatem in epate & venoso genere, & in ipso sanguine vitium, ubi scilicet is est acris & *χορδαῖος*; qualis in scorbuticis colligitur. Si ergo is per gingivas effluat, & alvus symptomaticè solvatur, malum signum est.

R Cum malo si curatio adhibenda sit, medicamenta, quæ ad gingivas laxas conveniunt, usurpanda. Interdum tamen ejusmodi fluxus criticus est, & non statim sistendus. Ita apud Dodonæum, *obf. 14.* Latomæcchymatis laboranti sanguis è gingivis erupit, quo represso, ad urinario meatus delatus, ac cruenta urina subtecuta est, quæ cum repressibus talis esse desisset, iterum,

Fluxus
sanguinis è
gingivis.

ad gingivas se contulit, nec fluxus cessavit, donec æger sanitati restitutus est.

Ita refert Amatus Lusitanus, cent.

5. curat. 5. quibusdam hominibus sanguinem è gingivis effluxisse, qui, si fluxus non solito responderet modo, in capitis dolorem incidierint, ut eum revocare necesse habuerint. Et Julius Alexandrinus, in annot. ad cap. 11. lib. 2. meth. med. Galeni, scribit, focruī suæ per intervalla quædam sanguinem è gingiva fluxisse, quasi venulâ aliqua inibi ex *avascularum* apertâ. Et Zacutus Lusitanus, de Prax. Med. admir. lib. 1. obs. 86. refert, aurifabro cuidam febre ardente laboranti ex venula gingivæ inferioris per tres dies continuos sanguinis plus quam libras quinque criticè effluxisse, febremq; inde solutam fuisse.

De gingivis Carne denudatis, seu Carnis gingivarum consumptione.

Ut gingivarum Caro aliquando Luxuriat: ita contra nonnunquam Imminuitur & Absumitur, ut dentes nudi conspiciantur & laxentur, ac vacillent; quod accidit ex humore pravo & acri ad gingivas confluyente, easque erodente.

Danda igitur opera est, ut caro regeneretur.

Ergo R. *Tburis*,
massich.
sarcocoll.
sanguin. dracon. an. Dra. j.

F. Pulvis, qui gingivis aspergatur. Avicennas sumit *tburis*, *massich.*, *aristolochiæ rotund.*, *sanguin. dracon.*, *farin orob.* Rad. *ireos*, ana Drach. j. Pulverifata cum melle & aceto scilicet, subigit, & eo gingivas fricat.

Possunt tali etiam Linimento ungi:

R. *Sir. myrtini*,
mellis ros. col. ana Unc. ʒ.
diamori,
dianuc. ana Drach. ij.
pulv. mandibul. lucii pisc.
rad. bistort.
nuc. moschat. an. Scrup. j.

Misce.

Vel R. *Mell. ros. col.* Unc. j.

pulv. massich.

myrrh.

tburis,

nuc. mosch. an. Scrup. j.

Misce.

Vel R. *Rad. cyperi* Drach. ij.

aristoloch. rotund.

sarcocoll. an. Drach. j. ʒ.

myrrh. Drach. j.

rad. ireos,

terra sigillata,

rasura C.C. ana Drach. ʒ.

fol. myrti,

flor. rosar. rubrar. ana P. j.

santal. albor rubr. ana

Drach. j. ʒ.

alumin. usti,

balaust. ana Drach. ij.

F. Pulvis, de quo aliquid in aqua folior. quercus ebulliat, & decoctio os colluatur.

R. *Cancros vivos* N. vj.

radic. lappæ majoris Unc. j.

Contundantur in mortario ad pulvis

pultis consistentiam. Diluantur cum aq. fl. cyani Unc. xvi. Exprimantur per pannum linteum, laventur eo dentes & gingivæ.

De gingivarum Inflammatione seu Parulide, Epulide, Ulcere, Cancro, Fistula.

Præterea etiam gingivæ quandoq; inflammatione cum dolore corripuntur, apostema patiuntur, quæ in ulcera, interdum cancrum, fistulas, gangrænâ desinunt. Inflammatione, quæ Græcis *παραλῆς* dicitur, gingivæ corripuntur à sanguine tenui, sive puro; sive cum aliis humoribus mixto, qui è capitis vasis in eadem defluit. Familiaria etiam sunt ulcera gingivarum scorbuticis, de quibus, *libr. 3. Pr. part. 5. sec. 2. de scorbuto*, dictum.

Signa diagnostica.

Malum ipsum per se visui patet. Et quidem, si materia sit calidior & acrior, gingivæ magis rubent & calent. dolorque & punctio vehementius affligit. Si verò sanguis sit frigidior, rubor, calor & dolor est remissior.

Prognostica.

1. Inflammationes hæ, nisi statim reprimantur, in apostemata abeunt, quæ nunc citius, nunc tardius rumpuntur, pro tumoris magnitudine & humoris natura.

2. Non contemnendum est hoc

malum, cum, nisi maturis præfidiis ipsi succurratur, in apostema & ulcera diuturna, nonnunquam & in fistulam abeat. Sæpe & in cancrum incurabilem, ubi materia melancholica sicca & adusta fuerit, quandoque & in gangrænâ abit.

3. Si gingivarum inflammatio in gangrænâ mutetur, insanabile plerumque malum est, ut aliquot exemplis demonstrat Guilielmus Fabricius, *cent. 1. obs. 30.*

4. Ætate in aurium inflammationibus quinto die eruptiones sunt: sic & quæ circa gingivæ & nares supurationes contingunt. Hippocrates, *6. epid. sect. 6. t. 24.*

Curatio.

Universalia quod attinet, eadem methodo curanda hæc inflammatione, quæ aliarum inflammationes. Vena nimirum aperiri in brachio. Ita Melisandro apud Hippocratem, *7. epid. sect. ultima*, cum magno gingivæ dolore corripere, & valde intumesceret, vena in brachio secta est. Potest & postea vena sub lingua aperiri, & cucurbitulæ collo admove. Nec Topica multum discrepant; nisi quod gingivæ, cum carne sint præditæ molli, ac rara, fortia medicamenta nontolerant. Ideoq; dum nondum putrescunt nec corrosa sunt, conveniunt medicamenta, quæ asperitatis & mordacitatis sunt expertia. Nam acria insigniter nocent, & proinde in gingivæ dolore ab aceto abstinendum. Et primum quidem phlegmones genera-

tio

Gingivarum inflammatio.

Signa.

Prognostica.

Curatio

tio impedienda est & reprimenda. institutis oris collutionibus & gargarismis ex decocto fol. quercus, nucum cupressi, balauftior. ros. rubr. aqua plantaginis, prunellæ, sanicula, portulacæ, veronicæ, fragor. fol. quercus, cum succo vel rob. mororum in iis dissoluto, vel rob. nucum, ribes, berberum, fragotum, sirupo granatorum, violarum, rosarum siccatu, myrtino, oxyfaccharo simpl. melle rosato. E. g.

℞. *Aq. plantag.*
prunella, ana Unc. iij.
ros. rubr. Unc. j. ℞.
diamori Drach. vj.
mellis rosati col. Drach. iij.
salis nitri præp. Drach. ℞.

Misce.

Vel ℞. *Aq. sempervivi*,
plantag.
centinod. min. an Unc. ij. ℞.
mellis rosati Unc. j.
nitri præp. Drach. ℞. M.

Vel paretur tale Decoctum:

℞. *Herb. pruvell.*
plantag. ana M. j.
fol. ros. rubr. P. iij.
balauftior. Drach. ℞.
rad. glycyrrh. Drach. j.
cerasor. exsiccat. Drach. ij.

Concisa & contusa coq. in *aq. hord. simpl.* pro Unc. ix.

Inquibus dissolve

rob. fragor. Drach. vj.
sir. violac. Drach. iij.
nitri præp. Drach. j. ℞. M.

Galenus, *de comp. med. sec. loc. c. 91.* scribit, gingivis ex inflammatione dolentibus optimum remedium es-

se ol. lentiscin. temperatè calefactum in ore retentum, idque recens. Nam oleum quò vetustius, eò calidius Habet illud oleum vim moderatè reprimendi & discutiendi. Aëtius ptisana gingivas colluere jubet. In caussa frigida aliquid de resolventibus calidis admisceatur, ut de alumine usto vel sale. Aut decoctam fiat ex sem. lini, fol. agrimon. cum exiguo alumine, pro Collutione oris. Vel paretur tale Decoctum:

℞. *Hord. integri* M. j.
fl. malv. arbor. P. iij.
rosar. rubr. P. ij.
rad. glycyrrh. Drach. iij.
jujubar N. vj.
caricar ping. N. iij.

Coq. in s. q. *aq. flaviat. l.* ad tertias.

Colentur, colaturæ ℞. Unc. viij.

In quibus dissolve

oxymel. simpl.
mell. rosati colat. ana Unc. j.
diamori Unc. ℞.
lap. prunellæ Drach. ij.

M. pro Gargarismo. Alumen etiam ustum & tritum parotidas comprimit, teste Aërio.

Si apostema ad maturationem tendat, gingivæ butyro inungantur. Deinde apostema aperiatur decocto caricarum, lini, fanigræci, & similia. Vel caricæ per medium discissæ imponantur. Si abscessus sponte non aperiatur, scalpello aperiri potest. Apertus abscessus hydromelite, collutionis & gargarismi instar adhibito, mundetur. Tandem ulcus exsicceatur & claudatur.

Interdum verò apostema in ulcus desinit,

definit, & quidem nunculus simplex est sine corrosione & putrefactione, nunc verò corrodingo serpente incipit, ut non tantum putrescat caro, sed & absumatur, & vomu gingivarum fiat; quod accidit, eum humores falsi, acres aut pravi affluunt. Curantes autem talia ulcera, si sint simplicia, exsiccantibus & adstringentibus medicamentis, collutione scilicet oris cum decocto agrimoniz, rosar., balauſior., cupular. gland., aceto scullit., alum., myrrh. uti debent.

Ut R. Agrimon. M. j.
 balauſt.
 rosar.
 rad. aristoloch. rotund. ana
 Drach. ij.

Coquantur in vino.

Colaturæ R. ℥. j.

acet. scillit. Unc. ij. M.

Vel R. Rad. aristoloch. rotund.
 balauſt.
 flor. rosar. rubr. ana Unc. ℥.
 myrrh.
 alumin. ana Drach. ij.
 cinamom.
 spic. ana Drach. j.

F. Pulvis, qui dividatur in duas partes; una cum melle redigatur in formam Linimenti, quo dentes inungantur; Pulvis verò aspergatur vel affricetur.

Si ulcus in fistulam transeat, fortioribus utendum, ut:

R. Gallar.
 cupul. gland.
 flor. rosar.
 balauſt.
 cortic. granator. an. Unc. j.

L II.

Coq. in vino pro Collutione oris. Ipsi verò gingivis hic Pulvis inspergatur:

R. Gallar.
 sumach.
 gran. myrr.
 cupul. glandium,
 semp. plantag. an. Drach. j.
 Oli albi,
 alum. scissl. an. Scr. iij.
 amber rosar. Drach. ij.
 F. Pulvis.

Vel. R. Mastich.
 gummi juniperi,
 acacie,
 hypocistid. ana Scr. ℥.
 tute præpar. Drach. ℥.
 Oli albi Scr. ij.
 F. Pulvis.

Utilissima verò & efficacissima est hic aqua viridis, supra de gingivarum excrementia & laxitate proposita.

Si in cancrum degeneret ulcus, Gordonius hoc utitur:

R. Rad. bellchor.
 aristoloch. long.
 Fri,
 aluminis uſti,
 gallar.
 balauſt. p. æ.

& cum succo fol.

olivar. vel agrimon. & melle,

F. Unguentum, quo gingivæ cariæ illinantur. Epulid.

Si verò post inflammationem gingivarum carnis excrementia quædam emergat juxta dentes molares, quam Epulida vocant, quod accidit aliquando cum febre & vehementi dolore internæ mandibulæ, utitur Aëtius medicamentis, quæ inflam-

H matio

mationem solvunt, atque os colluere hydromelite, pifana, decoct. femin. lini jubet, totam item mandibulam contegere cataplasmare ex hydromelite & femin. lini. Postea ad ipsam carunculam siccantia medicamenta admovet, quale est pulvis alumin. ussi aspersus, aut qui

Recipe *Æris vivi, piper. alumin. sciss. fil. p. æ.* Efficax hic est & vitriolum.

Vel *β. Pulv. gallar. Drach. j. β.*

alumin. Drach. j.

F. Pulvis.

Ubi verò tardius consumitur, exedens apponit, quale est ærugo per se, vel cum æquali parte gallarum. Æger autem in æruginis usu monendus, ne salivam deglutiat. Exeditur etiam interdum aqua forti, aqua regis, & oleo vitrioli.

Utilis est hic aqua viridis, cujus antea facta mentio. Si nec his tollitur epulis, forcipe correptam ferro excindit, & ulcus, ut par est, curat. Debetque os post sectionem illam cum decocto myrrhæ & pauco sale collui.

CAPUT XVII.

De Maxillarum morbis, & Symptomatibus.

Fungi maxillarum.

Maxillarum fungi.

Maxillæ etiam suos morbos patiuntur. Inter eos autem primus est Fungi dicti, qui etiam interdum è cerebro nascuntur, ut supra, lib. i. part. i. cap. 25. dictum est, læsa pro-

cul dubio aliqua fibra nervea aut membrana. Ita memini cuidam puero dentem ore extractum, & procul dubio nervum vel membranam nerveam substratam læsam esse, è qua fungus postea enatus est, qui penè totum os replevit, & puero etiam mortem attulit.

Syderatio maxillarum.

Syderantur etiam nonnunquam maxillæ post dentium dolorem. Ita *γ. epidem.* Metrodori puero ex dentis dolore syderatio, & supererescens in gingivis caro, ac moderata suppuratio contingit, & tum molares, tum maxilla ipsa deciderunt.

Maxillarum syderatio.

Maxilla cum Capite connexio.

Maxillæ inferior pars capiti per articulationem conjungitur, ut liberè moveri possit. Contrarium tamen exemplum, ubi maxilla inferior capiti planè connata & conjuncta fuit, supra è Columbo, *anatomia lib. 15. retulimus.*

Maxilla cum capite connexio.

De maxilla inferioris junctura soluta.

Aliis plerisque animalibus maxilla inferior ex ossibus duobus per symphysin junctis constat, & in homine etiam in infantibus bifida est, & cartilagine copiosa in medio mento jungitur: in adultis tamen ita coalescit, ut nec coctione quidem separari queat. Violentiâ tamen magnâ interdum hæc junctura solvi, & ossa hæc separari possunt.

Maxilla inferioris junctura soluta.

Malum

Malum periculosum est, si in parte posteriori os recedat. De qua Hippocrates, in *Coacis: In nervorum distentionibus, & in iis, que in posteriorem partem fiunt, dissoluta maxilla mortem afferunt.*

Cursatio.

Quapropter curationem etiam tradit Hippocrates, in *lib. de articulis, com. 2. t. 33. Si compago, inquit, maxilla ad mentum diffideat, reponere os cujuslibet hominis est. Quod enim eminet, ad motus digitis ab exteriori parte introrsum propellendum: quod intra inclinatur, injectis digitis repellendum extrorsum est. Id autem distentione prius adhibita, sic, ut ossa distent, faciendum. Reposita maxilla postea, ut, *ibidem*, docet, deliganda est.*

De maxillarum Luxatione.

Luxationem etiam patitur maxilla inferior. Quod quidem non facile accidit, cum ob articulationis naturam, quæ undique ossibus circumvallata est, tum ob musculorum robur, quos plures & validos obtinet. Si tamen luxetur, tantum in priorem partem propellitur & luxatur, ut Galenus, *comm. 2. in lib. de articul. & Celsus, lib. 5. cap. 12.* docent, & ex anatome patet. Ad posteriora enim luxationem os impedit; ad dextram sinistram maxillæ caput; ad sinistram dextrum caput. Et quidem luxatur vel altera tantum parte, vel utraque. Ut autem luxetur maxilla, necesse est, ut processus rostro similis, acutus etiam di-

ctus, qui sub jugali osse inseritur, ipsa osse jugali humilior fiat, & extra os jugale feratur. Fit hoc non nisi maxima oris apertione, ut in nimia oris in oscitando dilatatione, vel si aliquid magnæ molis ore apprehendatur.

Signa diagnostica.

Si maxilla luxata sit, os claudi nequit, masticatio tollitur, locutio depravatur, saliva ore ægro invito profluit. Et quidem si maxilla ex parte utraque sit luxata, os magis hiat, nec lingua ad loquendum liberè moveri potest, unde fit balbuties, & maxilla inferior cum superiore non potest committi, sed maxilla inferior tota magis prominet, etsi ordo dentium inferiorum & superiorum respondeat, & canini sint sub caninis, molares sub molaribus. Processus etiam ossis rostrum referentis extra malas utrinque eminens apparet, & temporales musculi rigidi ac duri sunt. Si verò ex una parte tantum luxatio facta sit, à parte illa in anteriorem maxilla magis prominet, & in advertum ipsa & mentum inclinatur, & os distorquetur, nec ordo dentium inferiorum & superiorum sibi respondet, sed sub incisorij sunt canini.

Prognostica.

1. Periculo non vacat maxilla luxatio, & propterea quamprimum reponenda est, priusquam musculi affecti cerebrum in consensum trahant propter nervorum ramos, qui à

Maxilla-
rum luxa-
tio.

secundo & quinto cerebri pari orti in mŕculos maxillam moventes inŕeruntur.

2. Si maxilla luxata suo loco non restitatur, periculum mortis imminet, & quidem plerumq; circa diem 10. & febris continua excitatur, & dormiendi inexpugnabilis necessitas, & bilis sincera per aivum & vomitum rejicitur.

3. Si ex utraque parte maxilla luxata sit, difficilius restituitur, quàm si ex una tantùm; & propterea luxatio ex utraque parte periculosior est, & omnia symptomata sunt vehementiora. Nam omnes quatuor musculi maxillam sursum trahentes afficiuntur, & cum iis nervi inserti, unde dolor exoritur, & ex dolore inflammatio & febris acuta, & per consensum nervorum etiam os ventriculi afficitur.

4. Si post maxillæ restitutionem 12. dies elapsi sint, periculum relapsus non ita facilè amplius metuendum.

Curatio.

Danda ergo opera, ut quamprimum maxilla restitatur, antequam dolor & inflammatio accedat. Si verò jam spatium aliquod temporis à factà luxatione elapsum sit, utendum prius medicamentis emollientibus & laxantibus, antequam restitutio tentetur.

Videndum verò primo, an ex una, an verò ex parte utraque facta sit luxatio. Si ab unâ solum parte, ager vel in sedili colloce-

tur, vel resupinetur in pulvinari, & caput ejus immobile à ministro teneatur. Postea Chirurgus pollices, lineis vel linteis vel fasciis subtilibus involutos, in ejus os immittat & molaribus dentibus imponat, reliquâ manu extra maxillam ad mentum apprehendat, eamque deorsum trahat, deinde retrò versus guttur compellat, postea ad oppositum latus agitet, & simul rursus impellat, atque imperet, ut os claudat. Atque hæc omnia uno serè momento fieri debent, ut Celsus inquit.

Si verò ex parte utraque sit luxata maxilla, eodem modo restituenda est, præterquam quod ad latera non est agitata maxilla, ideoque primò maxilla deorsum trahenda ob mŕculos, qui processum acutum rostro similem trahunt, qui infra ossis juguli processum trahi debet. Secundo retrò æqualiter propellenda; quia luxatio in partem anteriorem facta. Tertiò sursum, & in locum suum compellenda. Maxillâ in suum locum restiturâ, danda opera, ut in eo retineatur, & non iterum excidat. Itaque medicamenta ex ovi albuminibus & pulveribus adstringentibus apponi debent, ac, si dolor adsit, musculi oleo rosaceo inungendi. Fascia quoque mento apponatur. Hinc ad aures adducatur, & tandem in capitis vertice colligatur, ut maxilla restituta in suo loco retineatur. Videatur

Hippocrates, 2. de articul. &

Galenus in eum commentar.

De

*De maxilla Fractura.**Maxilla
fractura.*

Tandem maxilla aliquando frangi potest ictu, casu & similibus causis. Aliquando etiam in dentium extractione pars avelli potest. Quod malum per se facile patet.

Consolidantur autem ossa maxilla facile, & quidem 21. diebus, & celeriter callus increfcit; cum sint medullosa & laxa: quod si non rectè reponantur, dentes vitiantur, atque inutiles redduntur.

Si verò quid de maxilla avulsum sit, id restitui non potest. Quomodo autem maxilla fracta componenda sit, docet Hippocrates, 2. de art. qui ibi videatur.

*De maxille inferioris
Immobilitate.**Maxille
inferioris
immobili-
tas.*

Symptoma etiam quoddam occurrit circa maxillam inferiorem. Cum enim facta sit mobilis propter sermone & masticationem; cum illa mobilitas tollitur, præter naturam sese habet. Fit autem hoc in tumoribus circa articulum, cum deffillationes in articulum circa auriculæ radicem fiunt, & ibi tumores atque inflammationes accidunt. Idem accidit in fracturis, luxatione, maxilla cum capite coalitu. Pertinet huc & rigiditas illa genarum scorbutica, cujus, lib. 3. tr. part. 5. sect. 2. de Scorbuto, cap. 4. facta est mentio. Non abfimilis videtur illa maxillarum rigiditas, cujus meminit Hippocrates, 5. epid. num. 23. in cod.

Foesii, in Eumelo Lariffæo, cui crura manus, maxilla rigebant.

Signa & Curatio patent è morbis, *Signa & curatio.*
à quibus immobilitas ista pendet.

DE ORIS VITIIS.

CAP. XVIII.

De Oris Inflammationibus & Ulceribus.

SEquuntur jam Oris vitia. E morbis sunt oris Inflammatio & Ulcera. E symptomatibus, oris Fœtor; de quibus ordine decendum.

Et primò quidem oris Inflammationem quod attinet, nonnunquam ex sanguine & calidis ac biliosis humoribus partes oris internæ, Palatum scilicet & Fauces inflamman-
*Oris in-
flammati-
o.*
tur. Interdum inflammationem excitanti sanguini etiam humores maligni conjunguntur, uti in Thaso accidit, apud Hippocratem, 1. epid. sect. 1. statim. Inflammationi etiam causam præbent inunctiones ex hydrargyro, è quibus sæpe inflammatio, gangræna & sphacelus excitatur, ut aliquot exemplis docet Guil. Fabricius, cent. 3. observ. 92.

Malum per se visui patet Humoris etiam eam excitantis natura è suis signis cognoscitur. *Signa.*

Est autem inflammatio nunc periculosa, nunc minus periculosa pro humoris peccantis natura. Etenim inflammationes oris, quæ ex solo sunt sanguine, sunt mitiores; difficiliore, quæ ex sanguine cum bile misto generantur. Perniciosiores

etiam sunt oris inflammationes, quæ cum febre fiunt, quàm quæ sine eâ sunt.

Curatio.

Ut in aliis inflammationibus, ita etiam hic, si in universo corpore abundet sanguis, vena primùm aperienda; si alii vitiosi humores, purgatione utendum. Hinc ad topica veniendum.

Quod si neutrum horum affuerit, statim ad topica accedendum. Requiritur autem in principio, quæ refrigerant & repellunt atq; adstringunt; in incremento & statu postea aliquid discutientium addendum.

Colluendum ergo os sero lactis, in quo flores rosarum, summitates rubi vel vitis costâ sint; aut decocto plantaginis, prunellæ, vel aquis inde destillatis, quibus diamorum, dianucum, sirup. violar. & similia addenda. Ad discutendum flores chamæmeli addi possunt.

Si tumor discuti non possit, sed suppuratio expectanda sit, adjuvanda ea & maturanda. Cui rei serviunt caricæ appositæ. Vel coq. furfur in aqua, dum lentescat. (commo- dum est etiam ficus addere) Colaturæ mel adde.

Eligenda autem semper sunt talia medicamenta, quæ neque sapore ingrata sunt, neque aliquam prævam aut venenatam qualitatem obtinent, qualia medicamenta Græci *σολυα- τικά* appellaverunt, & apud Galenum, *6. de compos. med. sec. loca*, describuntur.

Reliqua ex iis, quæ jam de oris ulceribus dicentur, patebunt.

De Aphthis & oris Ulceribus.

Ἀφθαί equidem dicuntur in specie superficialia oris ulcera, quæ infantibus præcipuè accidunt. Interdum tamen etiam latius hoc nomen ab Autoribus extenditur, & aliarum etiam partium ulceribus tribuitur. Ita Hippocrates, *lib. de natura mulieb. & de morb. mulierum*, *ἀφθὰν τὰ ἀϊδῶνα* scribit, & de *Coacis prænotionibus*, *ἀφθῶδες ἰσχυατὰ* in orificio uteri nominat. Et, *2. de morbis*, fistulam pulmonis aphthâ, id est, ulcere servido laborare dicit; & Galenus, *9. de comp. med. sec. loca*, *διδύμωσ ἀφθῶν- τος* nominat. Verùm, ut dixi, propriè aphthæ sunt exulcerationes quædam in summa oris superficie, igneæ quippiam caliditatis habentes, ut definit Galenus, *6. de compos. medic. sec. loca*, c. 4. Hærent enim in summa cute, & serpunt in palatum, gingivas, linguæ latera, ejusq; radicem. Interdum profundius sese demittunt, & palatum carnemq; linguæ exedunt, cujusmodi Gallicæ oris pustulæ esse solent, præsertim, ab inunctione cum argento vivo. Galenus tamen, quæ putrescunt & exulcerantur, aphthas non amplius nominandas censet, sed erosiones potius & oris ulcera, quæ & remedia planè peculiaria postulant. Itaque etiam de oris Ulceribus postea seorsim agemus. Ita Avicennas *Alcola* vocat, quæ oris Ulcera esse di-
cit

est cum expansione & dilatatione, seu, ut vulgus appellat, Ulcera oris ambulancia. Mitius verò malum eisdem est Bothorin ore, quæ pustulæ sunt non serpentes, sed tales, quæ faciè suppurantur & delentur, etsi nonnunquam leviter eas suppurare contingat. Estq; Bothor generalis appellatio etiam pustularum faciei, pulmonis, & aliarum partium; & variolæ ac morbilli etiam Bothor ab Arabibus nominantur.

Affectio ipsa, cum exulceratio quædam oris sit, ad solutam unitatem pertinet cum intemperie. Pars affecta est os internâ & summâ sui superficie, ita, ut malum etiam gingivas, linguam, & nonnunquam gurgulionem comprehendat.

Causæ.

Gignuntur aphthæ interdum primario in ore, dum ibi pravi humores collecti sunt, quos natura foras expellit; plerumque verò secundario per consensum sive totius, sive alicujus partis. Totius, ut in febribus acutis & præcipuè malignis, ubi acres & ferventes halitus, per fauces, venas, arterias, & occultos corporis meatus ad os elevantur. Unde etiam febribus malignis malum hoc familiare est, atque in iis ulcera hæc potissimum fauces occupant, & sæpe tam sæva sunt, ut depascentia fiant, simulque cum faucibus etiam asperam arteriam & gulam attingant. Partis, ut quando vel à capite acres, fervidi & erodentes humores in os defluunt, præsertim bi-

liosii, pituitosi & falsi; vel à ventriculo, ut postea de Infantibus dicitur, pulmone, epate, liene, utero, ejusmodi halitus sursum mittuntur, à quibus primò pustulæ in ore excitantur, quæ sæpe postea in ulcera desinunt, pro corruptionis & materiæ in hac diversitate. Cum enim summæ oris partes carne consistunt molli & tenera, quam cuticulâ tenuis investit, faciliè ab occursum acris lædi possunt.

Non solum verò ab internis hisce causis aphthæ oris existunt, sed etiam ab externis, ut ab acredine eorum, quæ comeduntur aut bibuntur, aut alio modo assumuntur. Ita in lactentibus infantibus aphtharum causa est aut lac nutricis nimis serosum, acris suâ absterione summas, easq; molles admodum in ætate illa partes exulcerans, teste Galeno, 3. *aph.* 24. aut, ut, in 6. *de compos. med. sic. loca*, addit, lactens ipse, si lac hauustum non probè concoquat, unde evaporatio acris vel putrida sursum, è ventriculo attollitur. Nam lac in ventriculis intemperatis faciliè corrumpitur, ut biliosum, acidum, vel aliter depravatum evadat.

In utrisque, in adultis scilicet & infantibus, adjurant hanc malam affectionem constitutio aeris calida & humida, pluviosa, humores putridos gignens, ita ut epidemium nonnunquam hoc malum fiat. Hinc etiam in regionibus calidioribus, ut in Syria & Ægypto; frequentiora sunt ista ulcera; unde etiam Ægyptiaca & Syriaca antiquitus appellata,

lata, teste Aretæo. Cibi in ventriculo corrupti, esus fungorum & aliorum, quæ faciliè corruptuntur ac malignitatem acquirunt.

Differentia.

Differentia.

Quod ad differentias aphtharum, ex Galeno, 6. de compos. sec. loca cap. ult. & ex 3. epidem. comment. 3. aphorif. 12. sic discerni possunt:

1. Tempore. Aphthæ enim aliæ incipientes sunt, aliæ vigentes, aliæ inveteratæ, atque ita quædam leviores, quædam deteriores.

2. Corporibus subjectis. Nam aliæ mollia infantium & puerorum corpora occupant, aliæ duriora adultorum.

3. Materiâ, ejusq; pravitate. Quædam enim inflammatæ sunt, eæque calidæ & rubicundiores ex sanguine; quædam igneæ & flaviores ex bile; quædam non inflammatæ, minusque fervidæ, ex pituita putrescente; quædam denique ex inveteratis atræ bilis malignitatem exurentem acquirunt. Unde constat, aphthas ratione materiæ alias mitiores esse, alias, ut Galenus, 3. epidem. nominat, κακονβείς, quæ ex putridis & malignis humoribus ortum habent.

4. Aparte affecta, quæ sumitur, distinctio, est, quod aphthæ vel in palato hærent, vel in lingua, vel in gingivis, vel in labiis, vel in faucibus & gurgulione. Quas partes vel superficialiter ulcerant, vel profundius erodunt, latè serpendo, pro malignitatis gradibus.

Postremò, ratione accidentium & symptomatum, quædam cum vehementi dolore sunt conjunctæ, quædam absque eo sunt; aliæ cum febre sunt, aliæ febre carent: aliæ sunt mundæ, aliæ sordidæ; aliæ sine crusta, aliæ cum crusta; & crusta aliquando alba, aliquando flava, aliquando livida, aliquando nigra.

Signa diagnostica.

Aphthæ faciliè cognoscuntur Partes enim oris calidiores deprehenduntur, & hinc inde ulcuscula seu tubercula quædam conspiciuntur. Et pustulæ rubicundiores sanguinem prævalere ostendunt; flaviores, Nam bilem; abescentes, pituitam; livescentes & nigrescentes, atræ bilis succum: quæ serpunt & vicina depascuntur, iis acridinem inesse significatur, & quidem malignitatis non expertem, si ad nigredinem tendant; si fœcescant, putredo edest. Causæ externæ, ut eorum, quæ eduntur & bibuntur, acrimonia, atque alia, ex ægri & adstantium relatione cognoscuntur.

Prognostica.

1. Aphthæ recentes, præsertim in mollioribus infantium corporibus, faciliè curantur moderate astringentibus, quoniam ex mitiore materia oriuntur: agrè sanantur, quæ diuturnæ sunt, & progressu temporis putredinosum quid acquirunt; quæ generis vocabulo *νομα* à Græcis dicuntur. Galenus, 6. de compos. med. sec. loca, cap. 4.

2. Aphthæ

2. Aphthæ antiquæ & exulceratæ longè periculossimæ sunt in infantibus: Hos enim confumunt. In adultis verò idem periculum non est. Pueris enim, præsertim lactentibus, imperari remedium aliquod (ad gargarisandum imprimis) nequit, quemadmodum adultioribus. Celsus, *lib. 6. cap. 11.* Loquitur igitur Celsus de aphthis infantium non recentibus & mitioribus, sed de inveteratis & malignis, quæ à gingivis incipiunt, & deinde serpendo palatum totumque os occupant, & ad gurgulionem faucesque descendunt. Hæ cum validiora remedia postulent, quæ mollia puerorum corpora non ferunt, iisque uti ipsi per facultatis animalis in illa ætate imbecillitatem nequeant, malum ob has causas ita invalescere necesse est, ut ægri infantes tandem ab eo confumantur.

3. Aphthæ ex pituita minus infestant, quàm ex sanguine aut bile; quæ verò ex bile atra ortû habent, ut malignitatis, ita nec periculi sunt expertes.

4. Aphthæ, præsertim inveteratæ, ideo quoque difficulter curantur, quoniam medicamenta, vel ritè applicata, tamen à saliva facillè eluuntur; præterea malum brevi invalescit, ob loci naturam calidam & humidam; unde putredo sequitur & ulcus ἐσθίουμενον. Pars quoque, cum valde sensibilis sit, facillè ab acris medicamentis, quibus tamen uti interdum cogimur, irritatur. Ac denique metus est, ne quid cum periculo de medicamentis acrioribus in fauces delabatur. Galenus, *6. de comp. med. sec. loca.*

L. II.

5. Quæ aphthæ in pueris nigrae sunt, & veluti crustæ, pessimæ & mox lethales sunt. Paulus, *lib. 1. c. 10.*

6. Quando aphthæ adhibitis convenientibus remediis non cedunt, sed putrescunt, & corrodendo profundè descendunt, malignæ sunt, & fortioribus medicamentis opus habent. Si autem mala symptomata alia conjungantur, & æger sit debilis, mortem nunciant.

7. Quando pustulæ nigrae per febres acutas & pestilentes in ore & lingua apparent, mortem brevi securam significant, teste Avicenna, ob materiæ malignitatem & virtutis infirmitatem. Et Hippocrates inquit, *3. prognost. aph. 15.* Fauces exulceratæ cum febre difficiles sunt, quia, ut Galenus explicat, malitiam erodentis humoris indicat.

Indicationes.

Aphthæ ipsæ, quatenus ulcuscula sunt, in principio adstringentia & repellentia requirunt. In progressu morbi addantur ea, quæ adstringunt & simul discutunt. Si ad supurationem tendant, maturantibus illa adjuvanda.

Sordidæ aphthæ extergendæ & si putrescere vel etiam serpere incipiant, fortius adstringentia, & quæ escharotica sunt, adhibenda. Et quia in ore saporibus percipiuntur, ingrata sapore medicamenta, quantum fieri potest, vitanda sunt. Deinde quia os ventriculo & pulmone cohæret, utendum iis, quæ sine periculo (si fortè ita contingat) deglutiuntur, non catharticis aut septicis;

I

aut

aut si his uti necesse est, provideatur, ne per gulam ab ægro demittantur. In corporibus etiam, quæ duriora & sicciora sunt, medicamenta valentiora conveniunt, molliora verò mollioribus, ut puerorum & fœminarum corporibus.

Curatio,

IN INFANTIBUS.

Curatio in infantibus.

Si aphthæ sint ex vitioso nutritio lacte, id corrigatur iis, quæ acrimoniam vel falsedinem ejus tollunt, bonumque sanguinem gignunt. Sin infans lac malè concoquat, parcius lactetur, & bona in ipso concoctio procuretur. Quando verò infans simul lacte nutritur & alio cibo utitur, Galenus, *6. de comp. med. sec. loc. cap. ult.* nutriti lentes præbet cum modico pane & medulla cervi aut vituli, quæ nutritrix mansa vel semimansa infanti exhibeat, ut ore ab ipso circumvoluta ulcuscula contingant.

Aliis quoque cibis à nutrice infanti masticatis admiscet cydonia, pyra, sorba, mespila, corna. Quandoque & lactucæ, portulacæ, solani aliquid addit, si aphthæ inflammatae ferveant.

Quod si infans mandere nondum possit, nutricem ejusmodi victu alit, eique simul de bona concoctione prospicit. Ipsi verò infanti linctus exhibeatur ex diamoro cum melle rosato, aut, si opus videatur, cum oxymelite. Aëtius ex Asclepiade gallas contusas aquâ decoquit, & cum decocto percolato parem portionem mellis permiscet, rursusque

decoquit ad mellis crassioris spissitudinem, idque ut maximum remedium aphthis puerorum illinit affricando, aut tomento lanæ purpureæ digito circumvoluto aphthis imprimendo.

Imprimis autem in masticatione considerandus est color aphtharum, ut stomatica hæc dicta medicamenta pro varietate humoris, à quo aphthæ generantur, rectè administrari queant. Nam si subrubeant, primò moderatè adstringentibus, deinde citra morsum discutientibus utendum est. Qualia sunt sirup. è rosis siccis, de portulaca, de agresta, de succo granator acetos. citri, diamorum, pulv. ex farina lentium, sumach, rosis, collutiones ex decocto lentil. viol. rubi, vitis, rosar. plantag. balauft. santal. sumach, acaciæ, admisto diamoro, rob ribes, rob nucum, succ. malor. punic. vel uvæ acerb. cum melle.

Si subflavæ fuerint, iisdem utendum, & magis etiam refrigerantibus, ut succo vel decocto solani, portulacæ, acetosæ, lemperviivi.

Pituitosis adstringentia cum quâdam caliditate & discutientia conveniunt, ut thus, manna thuris, mastich. mentha, nux cupressi, ervi farina, rad. irid. illyr. rad. aristol. quæ plura simul, vel pauciora cum decocto fol. myrti maseantur, iisque aphthæ illinantur.

Si denique lividæ aut fuscæ fuerint, fortiora discutientia adhibeantur, illinendo passulas exacinasas & anisum tritum cum melle, aut pul-

vere

vere ex flor. chamæmeli, meliloti, anethi, fænigræci; cum melle aut melle rosato mixtum; aut cum vino eadem coquantur, adjectis semper nonnullis adstringentibus, ut sirupo myrtilino, aut diamoro.

Vet. R. *Rob. nucum* Drach. vj.
diamori,
mellis rosati, ana Drach. ij.
aquæ plantag. Unc. ß.

M.

Tanquam expertum commendatur in aphthis puerorum, præsertim malignis & epidemiis, ranulam vivam admoveori pueri, quæ sugendo malignitatem attrahat, quæ lassatâ & mortuâ alia apponatur, atque iterum alia, donec virus omne sit extractum. Sed utrum fædum ac abominandum hoc remedium rectè admoveori possit, non immeritò quis dubitaverit.

In Adultis.

In aphthis adultorum ejusdem generis remedia conveniunt, paululum tamen fortiora, pro natura corporum. Antequam igitur ad topica veniamus, si sanguinis copia adsit, vena secetur cephalica in cubito, aut cucurbitulæ scarificatæ affigantur collo vel scapulis. Avicennas etiam sanguinem mittit è venis sub mento & extremitatibus labiorum. Pro evacuatione materiæ proximæ in partibus oris venæ sub lingua tandem aperiantur. Si vitiosus humor aliquis in toto abundat, is convenienti modo evacuetur.

Universalibus præmissis ad topica veniendum. Quamquam in mollibus corporibus & in aliis, dum malum recens est, etiam ante universi evacuationem iis uti liceat, ad prohibendum mali incrementum. Sint autem topica & *συμπληρωματικά* illa medicamenta in principio moderatè adstringentia & siccantia, cujusmodi sunt, quæ parantur ex rosis, sumach, myrti foliis, cortic. granator. fol. vitis, rubi, pro collutione oris, in aqua vel vino adstringente coctis, addito sirupo granat. acetos. vel diamoro. Fortiora sunt collutio oris ex succis vel aquis rosarum, lactucæ, plantagin. portulacæ, virgæ pastoris, solani cum paucis aceto; item decoct. gallar. maturarum, balaustrior. santalorum, acaciæ, cum rob. pyrorum, cornorum, sorbor. de ribes.

Ut R. *Flor. rosar. rubr.*

balaustr. ana P. j.

fol. plantag.

portulac.

solan.

prunell. ana M. j.

sem. cydon. Drach. j.

sumach,

cortic. granat. ana Drach. ij.

Coqu. in vini rubri adstringentis & aquæ part. æqual. pro t̄b. j.

Colaturæ adde

diamor. Unc. j.

succ. malor. punic. acid. Dra. ij.

Misce pro Collutione oris.

Cortex etiam aurantiorum cum melle & alumine mixtus utilis est.

Vel R. *Radic. tormentill.* Unc. ß.

fol. plantag. M. ß.

Coq. in aqu. plantag. ad remanentiam ℥ j.

Colaturæ adde

bol. Armenæ Scrup. j.

alum. roch. gr. xv.

Milce.

Vel γ . *Prunell.*

plantag.

caud. equin.

salv. ana M. j.

rad. tormentill.

acor. lut. ana Drach. iij.

stipit. uvular N iij.

flor. malvæ arborefc.

rosar. ana M. ℥.

Coqu. in vino rubro & aqua ad remanent. ℥ j. ℞.

Colatura os colluatur.

Vel γ . *Nucum viridiusm semimaturarum cum cortice contusarum* q. v. adsperge aceto, destilla in balneo. Aqua feliciter aphth. sanat, si in eâ spongiola madefiat, quâ aphthæ illinantur, & aquâ simplici, cui pars quarta vini admitta sit, abluantur.

In progressu ea misceantur, quæ adstringendo simul discutunt, ut cyper., nux cupress. fol. oliivæ sicca, myrrha.

In fine addatur cortex nuc. mosch., caryophyll. gallia moschat.

Spiritus etiam vitrioli, si ejus gutt. ij. mellis Unc. j. misceatur, utilis est.

Vel β . *Uvarum immaturarum* ℥ ij. ℞.

cortic. mali granat.

balustior.

sumach, ana ℥ j.

Macerentur in aceto & destillentur. Destillato adde *aluminis* ℥ ℞.

vitriol. Unc. j. ℞. Iterum destillentur, & aquâ ista locus affectus illinatur.

Si aphthæ ad suppurationem tendant, juvetur illa de rento in ore lacte, præcipuè asinino, vel mucilag. ne sem. alihæ, lm., cydon. vel horum aut passularum decocto.

Sordidæ aphthæ abluantur aqu. saccharata, aut sirup acetoso.

Utile etiam est decoctum hordei cum melle rosato mixtum.

Vel β . *Nus. mosch* Drach. j. ℞.

caryophyl. Drach. j.

radic. cyperi Drach. ℞.

ireos,

comllor. rubr. an Scrup. j.

bol. Armen.

caud. equin. an. Scrup. ij.

mell. rosat q. ℞.

F. Linimentum.

Fortius extergunt mel cum tartaro aut alumine mixtum, si spongiâ leniter affricentur: vel oliivæ muria conditæ masticatæ.

Si putrescere incipiant, ut aphthæ *Oris ulcera* amplius appellari non mereantur, sed in crustas & ulcera degenerent, fortiora requiruntur, & curatio, ut ulcerum, jam instituenda.

Ubi tamen monendum, oris ulcera non semper aphthas sequi, sed etiam post inflammationes & per se, ut in aliis partibus, ex affluxu vitiosorum humorum fieri, ut & in Gallico morbo excitari. In quibus, ut dictum, stomaticis utendum, quæ adstringant, siccant & roborent, quæ pro ulceris natura sint mitiora vel fortiora, & curatio horum ulcerum ex

jis, quæ postea de columellæ ac ton-
sillarum inflammationibus, ut & an-
gina, & hinc sequentibus ulceribus
dicentur, patebit. Prodest ex Aëtio
centaurii minor. usti cinis illitus
cum melle. Item nuc. cupress. ustæ.

Ad sordida Cris ulcera utilis est e-
tiam Aqua viri s. Plateri.

℞. *Ærugin. aris* Drach. j.
alum. Unc. ℞.
vitrioli,
mini, ana. Drach. j.

Coq. in vini albi Unc. iv.

aqua vitæ Unc. j.

& cum penicillo loca in faucibus tan-
gantur, cavendo, ne quid deglutia-
tur. Postea lacte caprimo, in quo calx
ignitus extrinctus sit, os colluatur.

Vel usurpetur aqua viridis, seu
gargarismus supra in ozenis propo-
situs. Ad serpentes & depascentes
aphthas ac ulcera summè efficax est,
teste Aëtio, radix feniculi usta per-
se, aut cum melle illita, a murca in æ-
neo vase ad mellis crassitudinem co-
cta & illita, alumen sciss. le. tritum &
cum gallis & oleo exceptum illi-
tumque. Avicennas gallar., alu-
min., balaust. p. æ. fumit., & pulveri-
sata per se cum melle applicat.

Usurpatur etiam a multis vitrio-
lum ustum & ærugo & squamma
æris cum melle illita. Et unguen-
tum Egyptiacum in aq. plantag.
cum pauco aceto dissol. adjecto
melle rosato. Monet tamen Guiliel.
Fabricius, *cent. 3. obs. 86.* cancris
illud ulceribus esse adversissimum.

Cavendum verò, ne quid de me-
dicameatis erodentibus in fauces il-
labatur.

Ardor relictus mitigetur lacte in
ore retento, vel aquâ plantaginis aut
tolani sæpius mutatâ.

In ulceribus Gallicis antiquis in-
terdum caro putrida tota præscin-
denda est, & eâ parte præcipitati
pulvis admovendus cum gossypio in
aqua plantaginis prius infuso.

De aphtharum curatione plura
videantur apud Aëtium, *tetrab. 2.*
serm. 4. cap. 39. 42. 43. 44. & Ori-
basium, *lib. 4. de loc. affect. curat.*
cap. 68.

Ad hoc caput referenda & illa ul-
cera, quæ ex aqua forti incautè hau-
sta aut veneno sumpto excitantur,

quæ curantur lacte bibito, jusculis
pinguibus & mucilage sem. cydon-
nior. ac psyllii, ut postea, *de morbis*
Oesophagi dicetur.

De ulcere magno & cancroso cir-
ca radicem linguæ videatur Guiliel-
mus Fabricius, *centur. 4. obs. 20.*

DIETA.

In infantibus lac nutricis corriga-
tur, cibus ac potu laudabili & bona
nutritio & alimenti in infante ec-
ctio procuretur. Expedi in cibus uti
cydoniis, pyris, sorbis, mespilis, & si
opus sit, lactuca vel portulaca. In
adultis victus ratio ut plurimum de-
clinat ad frigidum, vitentur acris
falsa & acida, & quæ pravi succi sunt
& difficilis curationis.

De Osis Palati corru- ptione.

Aliquando etiam Os Palati per-
foratur, & corrumpitur seu à vulne-

Osis palati
corrupt.

re, seu ab humore corroderente : id quod accidit sæpe in lue Venerea. Quod ubi evenit, sermo vitatur; cum aër, qui per os elidi debeat, simul per foramen illud ad nares penetret, & per eas egrediatur.

Si ex vulnere malum sit: & os sit purum, natura per carnem vel calum illud tandem, etsi tardè, claudere solet. Si verò os nigrum sit, prius radendum. Antequam verò foramen illud claudatur, vel si etiam planè claudi non possit, ut vitium, illud sermonis tollatur, fabricanda est lamina aurea instar clypei, quæ in medio umbonem seu eminentiam habeat, cui spongiola sicca, foraminis magnitudini respondens, alligetur, atque ita foramini adapteatur. Ubi enim spongia humorem imbiberit, dilatatur, ut lamina firmiter hæreat, & foramen ocludat.

Historiam talis morbi & curationis in *Instit. lib. 5. part. 1. sect. 2. c. 10.* proposui. Cum enim studiosus quidam ad nasi radicem, internumque oculi dextri angulum cultro vulneratus esset, & cultri fracti pars ferè digiti longitudine, vulnere extrà consolidato, ibi remansisset, accidit, ut post menses quatuor cultri fracti pars illa sponte suâ via facta in palato erumperet & eximeretur. Cum verò in superiore parte palati foramen inde apertum fuisset, præter medicamenta abstergentia, exsiccantia, laminam auream, modo antea exposito, applicavi: quâ instruetus etiam conciones habere potuit,

sine sermonis impedimento. Sensim tamen illud foramen carne impleri vidi, & tandem etiam planè oclusum fuisse ad me relatum est.

Verruca ingutturæ & lingua.

Nec prætereundæ hic verrucæ in gutture & lingua. Marcellus Donatus, *de histor. med. mirab. lib. 3. cap. 5.* refert, quendam Johannem Jacobum Fugacinam, civem Mantuanum, verrucis quampluribus guttur, fauces, & radicem linguæ occupantibus diu vexatum fuisse, quæ deglutitioni maximè officiebant: ut & alterum quendam Attilium Malegnanum universam linguam ejusmodi verrucis, sed longè minoribus conspersam habuisse. Fuisse autem ex illis, quas myrmecias vulgò appellant. Habentque ortum ex iisdem causis, ut in aliis partibus, de quo suo loco dicemus.

CAPUT XIX.

De Fœtore Oris.

Symptomata postea Oris quod attinet, pertinent huc Oris Apertio vitiata, dolor Faucium & Fœtor oris. Primò nimirum ad hunc locum referri posset oris Clausura, idque aperiendi impotentia, ut & oris p. n. Hiatus: verum de istis supra, *cap. 6.* dictum.

Pertinet deinde huc Faucium dolor sine tumore, de quo Hippocrates, *lib. 1. prædict.* & in *Coacis: Dolentes fauces cum labore & molestia absq. tumore*

enimore manifesto ac suffocatione præceps exitium minantur. Et: *Faucium gracilium dolores suffocantes consultationem minantur.* Verùm quæ de his dici possent, è doctrina de Angina patebunt. Ideoque hic solum de Foetore oris agemus.

Oris seu anhelitus & animæ foetor molestum, adstantibus præcipuè, symptoma est, cujus quidem causa proxima est vapor, seu halitus foetens ex ore egrediens. Verùm ille multis ex causis ortum habere potest.

Primò quidem ex ventriculo, cum scilicet cibi foetidi sumpti sunt, ut alium, cepæ, & similes, quod & à vino & cerevisia copiosius hausto accidit. Deinde ubi quidem cibi, qui assumuntur, per se foetidi non sunt, sed in ventriculo corrumpuntur, è quibus ejusmodi vapores foetidi exhalant. Cæterum non semper immediatè è ventriculo foetidus iste vapor exhalat, verùm etiam ex aliis partibus halitus ille foetens communicatur, ut ex vermibus in intestinis, ex ulcere intestinorum, vel ab ipsis intestinorum excrementis, cum scilicet orificium ventriculi inferius, quo in intestina sese aperit, non arctè, & ut secundum naturam fieri debebat, clauditur. Tum enim foetidae excrementorum exhalationes per laxam hanc viam in ventriculum ascendunt, & foetore suo anhelitum inficiunt, qui propterea etiam stercorosus percipitur; id quod præcipuè in iis evenit, qui crapulam continuè orificium ventriculi inferius la-

xum & debile reddunt. Idem accidit ex humoribus pravis in venis mesaraicis vel circa lienem contentis, ex utero & foetu mortuo in eo.

Secundò foetidus ille halitus ore egreditur, cum in dentibus, corrosis & cavernosis præcipuè, gingivis aut palato aliquid foetidum continetur, cum scilicet cibi & caro præcipuè in dentium interstitiis hæret, atque ibi putredinem, & hinc pravum odorem acquirit; aut cum ulcera sunt in ore, ut in scorbuticis, aut cum saliva foetidis humoribus inquinatur; id quod interdum in catarthis, febribus malignis, item lue Venerea contingit.

Tertiò idem halitus foetidus exhalare potest etiam ex humore corrupto in osse colatorii detendo, ut & ex ulceribus nasi & partium palato vicinarum.

Quartò ex pulmonibus & pectore; ut in pectoris vulneribus, ulceribus, empyemate; unde etiam iis, qui gibbosi sunt, plerumque os foetet.

Signa diagnostica.

Malum ab adstantibus facile percipitur. Equa parte verò halitus *Signa*, ille foetens auollatur, & proveniat, facile ex partium modò enumeratarum signis patet. Si à ventriculo sit, foetor major est ante cibum. Si ab osse colatorii, ore clauso aqua pleno etiam percipietur.

Prognosticum.

Pro causæ ratione malum *Prognosticis* *causis*

gas vel minus periculofum eft. Si enim anhelitus foeteat in tabidis, ut plurimum lethale fignum eft.

Curatio.

Cum halitus ille foetens fit proxima foetidi anhelitus cauffa, vitium hoc aliquo modo quidem corrigi potest, us adhibitis, quæ suavem odorem præstant.

Detinendi nimirum ore caryophylli, nux moschata, zedoaria, rad. angelicæ, imperatoricæ, cyperi, ireos, lign. aloës, cortic. citri, fol. lauri, rorismarini, cinaomum, sem. anisi, foeniculi, coriandri, carvi, myrtha, moschus, ambra. Equibus varia parari possunt medicamenta, quibus vel os colluitur, vel quæ in ore detinentur pilulæ & trochisci.

Ut *R. Caryophyll.*

nuc. mosch. an. Drach. j.

rosar. Drach. ij.

rad. ireos Drach. B.

cardamom.

ligni aloës,

cinaomum, ana Scrup. j.

gall. moschat. Scrup. B.

Cum melle rosato F. Pilulæ, vel cum mucilage tragacanthæ aqv. rosar. facta Trochisci in ore detinendi.

Sed cum hoc modo foetor odore suavi saltem obscuretur & caussa nõ tollatur, caussa etiã tollenda est, quæ non una est, ut supra dictum. Si à cibis, qui gravem odorem spirant, sit foetor anhelitus, brevi sponte evanescit: si vitiosi humores sint in ventriculo, illi evacuandi, & vitium, unde proveniunt, corrigenda,

ventriculusque ipse roborandus. Imprimis hæc aloë utilis & pilul. aloëphang. ut & absinthium vel vinum purgans cum absinthio.

Et ne cibi, præcipuè caro, in ventriculo putrescat facillè, condiendi aromatibus, aceto & acetosis. Pani semen foeniculi, anisi & carvi permisceatur. In fine mensæ sumantur, quæ ventriculum laxum claudunt, & suavem odorem spirant, ut cydonia, diacydonium, confectio semini, anisi, foeniculi, coriandri & similia.

Si à vermibus, vel alijs partibus foetens vapor exhalet, partium illarum vitia corrigenda. Si dentes imundi sint, mundandi ut supra dictum. Si oris ulcera adsint, vel à caussa alia saliva inquinetur, vitium illud corrigatur. Si tandem à thoraçe aut pulmone proveniat foetens anhelitus, caussa, quæ foetidum anhelitum suppeditat, tollenda.

DE GURGULIONIS affectionibus.

CAPUT XX.

De Gurgulionis Laxatione.

F Auces, Græcis *Φάρυγξ*, ea dicitur regio, quæ, ut Galenus interpretatur, antestomachum & laryngem, hoc est, antegulæ & asperæ arteriæ extremitatem sita est. Nonnunquam tamen *Φάρυγξ* pro larynge, hoc est, summo asperæ arteriæ

Gurgulionis laxatio.

riæ

riæ capite, vel ipsa quoque asper arteria usurpatur.

Et Suidas quidem atq; alij Grammatici Græci genere distinguunt, ut ἡ Φάρυγξ propriè fauces significet, ὁ Φάρυξι, verò laryngem aut tracheam. Sed Galenus indifferenter utroque genere vocabulum Φάρυγγος de summo tracheæ capite & de ipsa trachea accipit.

Eadem faucium regio etiam Ἰδμὸς nominatur per metaphorâ, quod tanquam angustus terræ tractus inter duo maria veluti utrinque posita exporrigitur. Hinc περιδμια vocantur tonsillæ sive amygdalæ, hoc est, glandulæ insignes ad radicem linguæ in faucibus oppositæ, salivâ, quam copiosam continent, partes vicinas humectantes.

Inter tonsillas medius dependet gurgulio, Græcis γαργαρέων, particula scil. carnosa à palato in os propendens, soli hominum aviumque nonnulli generi propria, ob vocis potissimum modulationem condita, unde & πλῆμερον τῆς Φωνῆς à Paulo Ægineta nominatur, lib. 6. cap. 31.

Nomen gurgulionis, ut & Græcum γαργαρέων factum videtur à sono, qui gargarisando fit ad illam oris particulam.

Atque hæc propria illius particula in summo ore appellatio est. Κίων verò sive κιονίς & σαφύλη affectionum præternaturalium ejusdem partis nomina sunt. Quando enim gurgulio præter naturam intumescens in longum æquali crassitudi-

ne extenditur columnæ instar, κίων & κιονίς dicitur: σαφύλη verò, quando inâ parte in rotunditatem crassescens, suprâ, quâ dependet, gracilior efficitur, ut uvæ à pediculo suo pendentis speciem præ se ferat. Aëtius, *tetrab. 2. ferm. 4. cap. 40.* etiam tertiam affectionem addit, quam ἰμάντα, id est, lorum appellat, quando ex suffitu, ut scribit, nimium ignitus gurgulio, hoc est, desiccatus gracilescit, & loro similis propendet. Accidit idem, cum ob ἀτροφίαν ejus partis, tum ob paralyfin (paralyfis tamen vocem non propriè accipiendo) ut Aëtius, *seqv. capite*, docet.

Differt igitur ἰμάς ἀπὸ τῆς κιονίδος, quòd in hac gurgulio non extenuatus est, ut in loro, sed crassitiam ex fluxione magnam est adeptus. Aretæus ἰμάντα de membranarum utrinque circa gurgulionem in latum tanquam alarum vespertilionum explicatione, de qua mox dicetur, interpretatur, i. *de causis acutor. cap. 8.* Frequentiora autem duo mala sunt, gurgulionis laxitas & inflammatio ejusdem. Illam τὴ γαργαρέων χάλασιν, hanc Φλεγμονὴν nominant; de quibus jam dicemus.

Κίων ergo vel κιονίς absolutè, & cum adjectione κιονίς χαλασμένον, est γαργαρέωνος χάλασις, seu gurgulionis laxatio, quæ affectio vulgò casus columellæ appellatur, der Zapffe ist gefallen oder geschossen.

Fit autem, quando gurgulio multo humore præter naturam perfusus

citra inflammationem laxatur & elongatur, ut radici linguæ & faucibus incumbat; sicut in catarrhis continuis sæpe accidit. Humor plerumque pituitosus est e cerebro demissus, partem illam nimium humectans. Columella sic laxata mollis est, albicans & concolor palato, sine dolore & calore.

Historiam gurgulionis mirè laxari describit Marcellus Donatus, de *hist. med. mirab. lib. 3. cap. 3.* ex Leonh. Botallo, cujusdam, cui repente ex labore columella ita laxata fuerat, ut ad anteriores dentes protenderetur. Aretæus etiam, loco citato, miræ ejusdem columellæ laxationis meminit, ubi scribit, bicornem columellam reddi, geminis membranis hinc atque inde pendentibus, quæ ab utraque parte jaceant quasi versperthionum alæ.

Curatio.

Curatio eadem propemodum est, quæ gurgulionis inflammationi, sive uvæ, de qua, *cap. seq.* dicitur. Fiant igitur pervenæ sectionem, ac cucurbitulas, præmissâ, si opus, purgatione capitis ac totius corporis, diversiones & evacuationes, ut decet. Capiti etiam prospiciatur errhinis aliisque remediis humorem pituitosum absumentibus, intemperiemque frigidam & humidam corrigentibus.

Topica autem initio sint adstringentia & repellentia; postea etiam paululum dissolventia & exiccantia. Imprimis verò & præ cæteris prodest decoctum & aqua plantaginis,

caprifolii, myrti, rosarum, fol. rubi, rad. caryophyllatæ, origani, hyssopi, oxycratum & acetum, quæ interdum sola sufficiunt. Fiat ergo Gargarismus vel Collutio oris talis:

℞. *Aqu. plantag.* ℥j.

diamor. vel *dianuc.* ana Unc. j.

M. usurpentur leni Gargarismo.

Aut ℞. *Flor. rosar. rubr.*

balauft. ana M. ℞.

fol. acerof.

plantag. ana M. j.

gallar. immaturar. Drach. ij.

alum ust. Drach. ℞.

sem. cydon. Scrup. iv.

Coq in f. q aquæ ad tertias pro ℥j.

Colaturæ adde

diamori Unc. j.

aceti vini Drach. ℞.

M. pro Gargarismo.

Vel ℞. *Fol. plantag.*

mespilor.

caud. equ.

rosar. rubr. ana M. j.

fol. scabios. M. ℞.

Coqu. in aqu.

Colaturæ ℥ij.

Adde mell. ros aut *diamori* Unc. ij.

aceti rosac. Unc. ℞. M.

Vel ℞. *Flor. malv. arboreæ,*

ros. rubr.

fol. prunell.

veronic.

salv.

uvular. (quam ob figuram nonnulli hic commendant)

ana M. ℞.

rad. tormentill. Drach. ij.

alumin. crudi Drach. j.

mellis Unc. ij.

Coqu.

Coqu. omnia in aqu. ℥. iij. & acetici Unc. iix. ad quarta partis consumptionem.

Colaturâ utere pro Gargarismo.

Vel ℞. *Dectocti salvia,*
hyssopi, ana ℥℥.
alumin. sacchar. Scrup. j.
diamori Unc. j.
mell. ros. Unc. ℞. M.

Vel ℞. *Aq. tormentill.*
plantag.
rosar. ana Unc. iij.
sir. de rosis siccis,
myrtini, ana Unc. ℞.
sir. vitriol. Scrup. j. M.

Vel ℞. *Aq. plantag.*
centinod. ana Unc. ij.
rosar.
prunella, ana Unc. j. ℞.
succi granator. Unc. j.
rob berberum Unc. ℞.

M.

Vel R. *Sem. sumach Drach. iij.*
balaustior. Drach. j. ℞.
rosar rubr. P. j. ℞.
rad. tormentill. Drach. j.
aq. plantag.

fol. quercus, ana Unc. iiij.

Ebulliant unica ebullitione, & colentur.

Colaturæ admisce

sir. de ros. siccis Unc. ℞.
diamori Drach. iij.
essent. rosar. rubr. Drach. j. ℞.
sir. vitriol. Scrup. ℞.

M.

Vel ℞. *Rad. tormentill. & uvular, an. q. f.*

Coquantur in cerevisia & cum modico melle dulcorentur pro Garga-

rismo. Commendatur & conserva rosar. vitriolata. Aut fiat talis Pulvis:

℞. *Rosar. siccar.*
balaust.
alumin. scissil. ana Drach. ℞.
piper.
zingiber.
myrrh. ana Scrup. j.

Contula & cribrata per calamm. insufflentur, vel, ut mox dicetur, applicentur.

Galenî repellens & discutiens est ex gallarum immaturarum, alumin. scissil. & salis Ammoniac. partibus æqualibus.

Vel ℞. *Alumin. usti & boli Armena p. æ. quibus tritis, cochleariq; sive σαφουλοπαρη instrumento impositis columella contingatur.*

Ad pulveres hos & similes columellæ rectè applicandos utile etiam est cochleare & follis Guilielmi Fabricii, quæ descripsit, cent. 2. obs. 21.

Aëtius ad valdè laxatam & tumentem columellam hunc Pulverem probat:

℞. *Piper.*
myrrh. ana Drach. j.
alumin. scissil.
gallar. ana Drach. ℞.

Contritis utere, è vestigio enim columellam firmat & resiccat.

Si malum diutius protrahatur, validè discutientia commisceantur, ut pulv. piper trium generum zingib., cinamom macis, galang. pyrethr. sal. ammon. sinapi, hyssopi, pullegii, origani, prassii calaminthæ.

Vulgus initio solo piperis longi cōtactu columellam sanat, ubi scilicet

est materia pauca est, & caput excrementis non plenum.

Aliàs intempestivus ejus usus noxius est. Addi potest aliquid aluminis & boli Armenæ, vel myrrhæ, vel myrobal. citrinarum. Nonnulli piperis loco zingibere utuntur.

Quidam futuræ coronali applicant emplastrum confectum ex acacia cum aceto aut ex gallis ustis cum aceto, quo columella elevatur. Alii ovum recens coctum ad duritiem per medium dissectum & thure vel zingibere confersum calidè vertici imponunt. Alii folium quercinum melle inungunt, & vertici applicant. Potest & pulvis olivani, succini, & ligni aloës admodum.

Vel R. thus & gallas pulverisatas & cum farina tritici & melle virgin. in formam emplastri redigantur & vertici imponantur.

Quidam nuc s juglandes cum spiritu vini contusas vertici imponunt. Alii fermentum vetus syncipiti imponunt, linteolo industum, cui nonnulli admiscunt pulverem succini albi. Alii matricariam recentem cum fermento contundunt & applicant, aut syncipiti illiunt axungiam leporinam. Ore vero accipere jubent suffitum ex succino albo, pulvere caryophyllorum, lign. aloës, mastiches.

In non delicatis quidam utuntur stercore albo canis ossa comedentis, sive pulveris formâ, quo columella attollatur, addito pauco ci-

namomo, sive cocto illo in vino cum fol. rutæ formâ gargarismi.

Vel R. Pulv. cupul. glandiæ Drach. j. albi græci Drach. ß. pip. long. zingib. ana Scrup. j. M.

Nonnulli etiam cervici topica imponunt.

Si defluxio ita acris & falsa sit, ut columellæ erosionem efficiat, humore contemperato & evacuato, diversionibusque usurpatis, exulcerationi ipsi extergentia, adstringentia, & tandem solidantia adhibeantur.

Paretur ergo gargarismus ex aqua & melle simpl. aut melle rosato & diamoro. Post extersionem partes erosæ saepe tangantur ipencillo lanâ obvoluto & intincto in hoc Liquore:

R. Aq. rosar. plantag. ana Unc. iij. mellis despumati Unc. ij. licii Drach. ij.

Ferveant unica ebullitione.

Aut Succ. moror. rubi, moror. Celsi, de cornis, ana Unc. ß. mellis despumati Unc. ij.

Coquantur ad justam consistentiam. Postea in eo dissolve.

licii Drach. iij. alumin. fissil. Drach. j. ß.

Iterum leniter coq. pro columellæ erosæ illitione.

CAPUT XXI.

De gurgulionis Inflammatione & Exulceratione.

Gurgulio.
nis inflam-
matio &
exulcera-
tio.

Aliquando etiam Inflammatur gurgulio, & græcis κριός Φλεγμαίνου nominatur; & quidem interdum retenta sui naturali figurâ, mole tamen auctus; interdum alienam, uvæ scilicet à pediculo suo pendens, figuram acquirit, & tum σαφύλη appellatur. Et quidem affectio, quæ σαφύλη seu uva dicitur, rarius gurgulioni accidit, frequentius vero is ita inflammatur, ut naturalem suam figuram magnitudine tantum mutata retineat. Galenus, 6. de compos. med. sec. loca, cap. 3.

*Causa.**Causa.*

Causa est de fluxus humoris è capite ad gurgulionem; qui humor sanguis imprimis tenuis est, aut pituita cum sanguine mixta: de quo etiam Hippocrates, 2. de morb. Arabes & à cæteris humoribus deducunt, qui colore & specie doloris discernuntur.

Quod si materia acris aut falsa sit, non solum inflammationem, sed & exulcerationem efficit, nisi mature occurratur. Affectio ipsa cum sit inflammatio, morbus est interperiei cum materia & magnitudine aucta, & si exulceratio sequitur, etiam cum soluta unire.

Signa diagnostica.

Malum oculis est expositum, a.

perto ore & depressâ lingvâ, adest tumor, dolor, ardor & rubor cum deglutendi difficultate, & suffocationis quodam periculo, interdum & cum febre.

Et quod signa cansarum attinet, ex sanguine magis est affectio partis, si pars ipsa rubicundior sit, & dolor in eâ sentiat pulsatilis; ex bile, si colore sit citrina, & dolor adsit punctivus; atque sic de cæteris.

Prognostica.

1. Quanto magis uvula est inflata in apostemate, & quanto magis elongata in relaxatione, tanto magis nocet operationibus, & tanto deterior est signum. *Prognostica.*

2. Gurgulionem inflammatione laborantem incidere aut scarificare, aut utere periculosum est, præsertim, quamdiu rubicundus tumidusque fuerit. Sequitur enim sanguinis fluxus, qui facile sedari non potest, & à quo suffocationis periculum imminet, ob decubitus ad pulmones. Vicinarum quoque partium inflammatio metuenda est, ratione doloris attrahentis. Hippocrates, 3. prognost. aph. 21. Ideò ad excisionem non statim festinandum est, sed extrema prius remedia tentanda sunt.

3. Contractas & rotundas uvas & sanguinolentas aut subnigras chirurgiã aggredi non decet, sed tenues & oblongas & summâ parte immixtas ac resolutas & non valde sanguinolentas, sed albicantes: hæ enim inflammatione carent, cum venæ extenuata sint, & sanguine destituta. Paulus, lib. 6. cap. 31.

Signa.

4. Quibus gurgulio totus excinditur vel eroditur, raro clarè & distinctè loquuntur. Observavit tamen Bauhinus, ut, in *theatro anatom.* refert, ut & Guilielmus Fabricius Hildanus, *Cent. 2. observ. 21.* aliquos, quibus columella fuit erosa, distinctè & articulatè locutos fuisse. Si etiam gurgulio totus excinditur, periculum à *Phores* imminet; cum particula jam deficiat, quæ impetum irruentis frigidi aëris avertere, & aliquid de cerebri destillationibus excipere & à pectore avertere solita est.

Curatio.

Ut in aliis inflamma-
tionibus, ita & in gurgulionis inflamma-
tione, primùm universalia præmittenda,
& si plethora adsit, venæ sectio, im-
primis cephalicæ, instituenda, postea
etiam vena sub lingua aperienda,
aut cucurbitulæ cum scarificatione
cervici aut scapulis affigendæ. Fiant
etiam diversiones per clysteres, fri-
ctiones & ligaturas extremorum &
similes. Si vitiosi humores abun-
dent, ij evacuandi.

Topica.

Topica remedia in initio sint repel-
lentia, quæ forma gargarismi &
pulveris usurpentur, atq; ubi mode-
rata est fluxio, austera illa sint, ubi
vehementior, acerba, quæ fortius
adstringunt & repellunt, docente
Galeno, *6. de comp. med. sec. loca cap. 3.*
His mel additur, ne exasperando do-
lorem pariant, fluxionemq; irritent.
Moderata ergo sunt diamorum,
succus ex moris cum melle. Diluan-
tur hi succi cum aquis aut decocto

rosarum, plantaginis, prunellæ, myr-
tillorum, rubi, sumach, balaust. gal-
lar. hordei, pro gargarismo, vel col-
lutione potius. Nam validâ & multâ
gargarisatione plus materiæ ad lo-
cum affectum attrahi potest.

Ut R: *Diamori* Drach. vi.
vini granat. Unc. ß.
decocti rosar.
balaust.
sumach. ℥. ß.

M. pro Collutione oris.

Vel R: *Aqv. plantag.*
equiseti,
prunelle, an ℥. j.
flor. rosar. rubr. M. ß.
balaustior. p. j.

Ebulliant unicâ ebullitione,
adde *diamori* Unc. iij.

Aut R: *Fol. plantag.*
portulac.
prunell, an M. j.
flor. rosar. rubr.
fol. myrt. an. M. ß.
cortic. granator. Drach. ij.

Coqv. in s. q. aquæ pro ℥. j. ß.
Colat. adde *succ. malor. granat.* ℥. j.
acet. rosac. Unc. R.
rob. nucum Unc. ij. ß.

M. pro Gargarismo vel Collutio-
ne oris.

Vel R: *Aq. fragor.*
prunelle an Unc. j. ß.
nymph.
plantag.
rosar. an. Unc. j.
fir. cerasor. Unc. ß.
rob. ribes Drach. iij.
diamori Drach. ij.
niri præp. Scrup. ij.

M. pro

M. pro Gargarismo.

In primo principio, ubi exigua est fluxio, sufficit gargarismus ex posca vel vino granator. vel sine gargarificatione liquor resupinato capite in ore teneatur, immutando, quando incalcescit.

Fortiora sunt, rob de ribes, rob nucum viridium, sirup. de agresta, succus cornorum & sorbor. acacia, hypocist. melle etiam hæc subacta. Decocta item myrti & bacca. ejus, fol. tenerorum quercus, mespilor. vitis, cupular. glandium. sumach, balauustiorum.

Pulveris formâ conveniunt rosæ, balauustia, cortic. granat. hypocist. gallæ, & prius enumeratarum plantarum folia exiccata.

E. g. R. Pulv. spong. sambuc. Drach. j.

summit. certinod.

prunella, an. Scrup. j.

R. rosar. rubr. Drach. R.

F. Pulvis.

Applicantur cum cochleari aut specillo concavo sive *σαφλοπίρη* instrumento, ut Paulus nominat, vel instrumento à Guilielmo Fabricio depicto, *cent. 2. observ. 21.*

Eger etiam sæpius lambat mel rosatum vel rob nucum, quod multum commendat Galenus, *6. de comp. med. sec. loca c. i.* ex narratione de Hortul.

Vel R. Fol. plantag.

bellid. minor. an. M j.

prunell. M. R.

flor. rosar. rubr. p. j.

passular. major cum arill. consular. Unc. j.

sem. cydon. Drach. j.

Coqv. in suffic. quant. aque.

Colat. R. R. j.

mell. rosat.

diamori, an. Unc. j. R.

Vel, R. Fl. rosar. rubr. p. ij.

balauustior.

sem. sumach Drach. j. R.

fol. plantag.

prunell. an. p. iij.

cupul. glandium Drach. j.

alumin. Scrup. j.

Coq. in f. q. aq. f. ad tertias, colentur.

Colat. R. Unc. ix. in quibus dissolve,

rob nucum,

moror.

fir. myrtini, an. Unc. R.

ol. ☉ Scrup. R.

M. pro Gargarismo.

Vel R. Fol. quercus,

alchimill.

plantag. an. p. ij.

byssopi p. j.

sort. granat.

nuc. cupress.

balauustior. an. Drach. j.

rad. glycyrrh. Drach. ij.

alum. rochæ Drach. R.

Coq. in aq. plantag. R. j. R. ad medietatem.

In colatura dissolve,

mellis ros. colat.

fir. fl. cyani, an. Unc. R.

de ros. sic.

myrtini, an. Drach. ij.

phlegm. aluminis Drach. R.

M. pro Gargarismo.

Atque hæc ferè in principio conveniunt.

Postea repellentibus admisceantur nonnulla moderatè discutientia, cujusmodi sunt flor. chamæmeli, meliloti, anethi, sem. fœnigræci, fo-

lia althææ, malvæ, radix iridis, cyp-
ri, hyssopi, ficus, thus, myrrha.

Ut R̄. *Prunell.*

hyssop. an. M. j.

flor. violar.

hord. an. M. ß.

glycyrrh. Unc. ß.

uvar. passar. exacinat. Unc. j.

caricar. N. v.

Coqv. in aq. simp. Colat. R̄. ℥ j.

oxymel. simpl.

mell. rosat.

diamori. an. Unc. j.

Vel R̄. *Rad. malv.*

alth. an. Drach. iij.

fl. violar. purp.

hord. mundi. an. p. j.

sem. malv.

althæa.

cydonior. an. Drach. j.

4. frig. maj. an. Drach. ß.

Coq. in aq. comm. puræ ℥ q.

Colaturæ R̄. Unc. iij. in qui-
bus dissolve,

diamori Unc. j.

nitri. trochisc. Drach. ß.

M. pro Gargarismo.

Si fluxio fuerit frigida,

R̄. *Piper.* Drach. ß.

radic. irid. Drach. ij.

suc. glycyrrh. Drach. j. ß.

sacchar. cand. Unc. ij.

mell. rosat. colat. Unc. j.

M. F. Lohoch, quod calidè æger
sumat.

Rondeletius in muliere, quæ penè
suffocabatur, feliciter usus est ecle-
gmate Scribon. Largi ex pipere myr-
rha & melle, cujus usu maximam
pituitæ quantitatem, quæ circa co-

lumellam & fauces collecta erat, re-
jecit.

Sæpe etiam, ut monet Galenus,
6. de comp. med. sec. loca cap. 3. in prin-
cipio quippiam ex discutientibus
addendum est, quando scilicet cor-
pus ægri pravis humoribus refer-
tum est, & particula affecta sua na-
tura debilis.

Si verò simul dolor vehemens
fuerit, mitigantia dolorem quoque
miscantur, quale est confusa gly-
cyrrhiza cum mellis & aquæ pari
mensura, cocta & gargarisata, lac
gargarisatum, vel emulsio sem. pa-
paveris, vel ptisana.

Quod si inflammatio in duritiem
vertatur, (quod tamen rarius fit, quo-
niam locus affectus est calidus & hu-
midus, & materia tenuis ac fluxilis)
emollientibus utendum, ut radici-
bus & fol. althææ, mucilag. sem. lini,
fanigræci: postea discutientia ad-
dantur, ut glycyrrh. radix irid. puleg.
origan. calaminth.

Si ad suppurationem tendat, ma-
turetur decocto caricarum cum a-
qua mulla, aut cremore ptisan. hord.
vel avenæ cum decocto passul. de-
cocto glycyrrh. aut furfur. tritic. lo-
tura calida.

Vel R̄. *Rad. glycyrrh.* Drach. ij.

fl. malv. arboresc. p. ij.

furfuris triticei in petia ligati

Unc. ß.

caricar. ping. N. iv.

jusubar. N. v.

Coq. in aq. comm. pro Unc. ix. In
quibus dissolve,

mellis passul. Unc. j. ß.

cremor.

cremor. pisane avena

Unc. j.

M. pro Gargarismo.

Si non succedat, ferro aperiatur. Post puris effusionem extergentia & desiccantia usurpentur, ut aqua mulsa, aqua hordei cum melle rosato. Item succus agrimon. aut caulium succus cum melle.

Si columella putrescere & in gangranam transire incipiat, tali Gargarismo utendum :

Rx. *Origan.*

hyssop. an. M. iij.

scabios. M. j.

glycyrrh. Unc. ℞.

Coq. in aq. pro ℞ j.

Colat. adde. *oxymel. s.* Unc. iij. M.

Si ulcus uvæ putrescat & serpat, chalcantio & similibus metallicis utendum est. Et utilis etiam hic est aqua viridis, supra proposta, & aqua viridis Plateri,

Ad ulcera Gallica convenit aqua fortis bene diluta, vel aqua, in qua decoctum est sublimatum, adhibitâ simul universali morbi Gallici curatione. Mitius est hoc:

Rx. *Unguenti Egyptiaci* Unc. ℞.

aluminis Drach. ℞.

mellis rosati colari Unc. j. ℞.

M pro Linimento, quo ulcus contingatur.

Si remediis hisce malum curari non possit, ad chirurgiam veniendum, ut Paulus monet, *lib. 6. cap. 31.* ne ex assiduis irritationibus tussis & vigilæ, aliquando & suffocatio sequatur.

Itaq. uvula corrupta & marcida,
L. II.

quæ non amplius tumet, nec rubicunda est, atq; ita sanguine & vita destituta, abscindenda eo modo, quem monstrat Paulus, *ibid.* & cujus Aëtius meminit, *tetrab. 2. serm. 4. cap. 41.* qui forcipe obtorquere, & prius illaqueate uvam jubet, ut stupida effecta minus sanguinis profundat. Sed hæc chirurgica operatio periculo non caret; refertq; Valescus de Taranta, *lib. 3. cap. 3.* historiam cujusdam presbyteri, cui plethorico cum uvula fuisset abscissa, sanguinis fluxus in tanta quantitate ad pectus secutus est, ut inde maxima pectoris angustia, & respirationis difficultas oborta, ægerq; cum amplius sanguinem de pectore ejicere non posset, suffocatus sit. Ideoq; ipse octo canones in uvulæ abscissione instituenda observandos proponit. 1. est, ut uvulæ abscissio non tentetur, nisi corpore prius evacuato, ut & monet Hippocrates, 3. *prognost. aph. 21. 2.* ne fiat affluxu humorum adhuc durantē. 3. nisi ubi alia remedia non satis fecerint. 4. nisi tumor ille valde lædat & molestus sit. 5. instituendam esse in aere lucido. 6. ante uvulæ abscissionem & post eam, usurpanda esse gargarismata adstringentia. 7. ne nimis rubra & tumida abscindatur, sed solum alba & versus radicem angusta. 8. non abscindatur, nisi quantum magnitudinem naturalem excedit.

Ubi etiam incisione opus est, aliquid, si fieri possit, relinquatur, necessarii usus gratiâ.

Ad uvulam tamen commodè & sine

sine periculo abscindendam peculiare instrumentum invenit Guiliel. Fabricius, idq; depinxit, *cent. 2. obser. 21.* Et si fluxus sanguinis retinetur, & putrefactio aliqua adsit, cauterium actuale commodissimum est, quod quomodo adhiberi debeat, docet Paulus, *loco alleg.* Et peculiare atq; ad hanc rem idoneum instrumentum descripsit Guilielmus Fabricius, *loco alleg.* Hieron. Fabricius ab Aquapend. *de operat. Chirurgicis, titulo de vice chirurgica*, præcisione factâ, quam forficulâ instituit, exiguum ferramentum in cochlearis formam factum bene calefactum non ignitum admovet.

Dieta.

Dieta.

Victus ratio talis sit, qualis in aliis inflammationibus præcipitur, imprimis quies & inedia in principio morbi competit. Usurpentur in cibis, quæ leniter adstringunt, ut succus cydonior. granator. moror. uvarum immaturarum. Masticet æger tenera mori vel quercus folia. Vitet laboriosas deglutitiones, respiraciones, loquelam.

CAPUT XXII.

De Tonsillarum Inflammatione, & Ulceribus.

Tonsillarum inflammatio.

Glandulæ duæ utrinque ad radicem linguæ paulò supra laryngem posite sunt, quæ Latinis Tonsillæ, vulgò à figura Amygdalæ, Græcis *αἰνίδες* & *παισιδία* vocantur, cum quod inter se oppositæ, tum quod

circa isthmum oris sitæ sint. Galeno autem, 3. *de sympt. causis cap. 4.* & in *lib. de tumoribus p. n. cap. ult. αἰνίδες* sunt illarum glandularum tumor aut inflammatio, *παισιδία* inflammatio eorum, quæ circa isthmum sunt. locorum, hoc est, partium, quæ os & gnam interjacent.

Tonsillæ igitur cum conditæ sint, ut congregata saliva laryngem & trachæam rigent, sæpe humore nimio ex frigidâ destillatione oppletæ intumescunt, sed sine inflammatione, ita ut colorem suum naturalem retineant, & dolore careant.

Interdum verò eas occupat inflammatio cum rubore, ardore ac dolore & siti, & cum quadam deglutitionis ac respirationis difficultate. Quâ inflammatione in abscessum degenerante pus intra fauces effunditur, unde sæpe ulcus sordidum & graveolens relinquitur.

Fiant tamen ibidem ulcera citra inflammationem, ex destillatione *Tonsillarum ulcera.* falsâ vel acri molles illas partes edente, aut tali halitu eò ascendente, quod lue Gallica infectis familiarè est.

Nonnunquam maligna & serpentina ulcera in his partibus oriuntur, tempore imprimis verno, & pestilente aeris constitutione, teste Aetio, *retrabib. 2. serm. 4. cap. 46.* five ex præcedente inflammatione efferata, five ex quavis alia causa, ut ex aphis in pueris & adultis, qui pravis humoribus abundant.

Interdum etiam tonsillæ planè indurantur, unde Mercurialis, *de morb.*

morb. pueror. lib. 2. cap. 12. Paulum Æginetam sub tonsillis etiam scrophulas seu tumores duros & scirrhosos complecti, scribit. Vide etiam historiam tumoris ejusmodi cancerosi apud Guiliel. Fabricium, *centur. 3. observ. 84.*

Causæ.

Causæ eadem sunt, quæ inflammationis gurgulionis. Concitatur scilicet inflammatio tonsillarum ex affluxu humorum ad illas; qui cum calidi sunt, partes illas calidas & humidas inflammant, in iis præcipuè, qui multo sanguine abundant; cum copiosi, tumefaciunt; cum acres & salsi, erodunt.

Et quidem tonsillæ magis obnoxia sunt inflammationi, quàm gurgulio, propter mollitiem & laxitatem substantiæ & temperamenti proprii ac loci caliditatem ac humiditatem.

Inflammatione etiam tonsillarum magis laborant, qui sanguine magis abundant. Privatim verò, ut Aëtius scribit, *lib. modò citato, cap. 45.* pueris hoc malum frequens est ob teneram corporis texturam, & ob *αδνηφαιαν*, & lactentibus è lactis vitio & prava qualitatè.

Puellis quoque usq; ad menstruæ purgationis tempora hoc malum frequens est. Aretæus, *lib. 1. cap. 9.* In adultis verò generatur hoc malum ex nimia meri potatione, ac multâ & avidiore devoratione, ciborum maxime acrium & asperorum. Ita cerasa avidius comesta faciliè acidi-

tate sua tonsillarum inflammationem & gurgulionis laxitatem efficiere perhibentur.

Signa diagnostica.

Tonsillis tumefactis foris sub maxillis tumore tactu visuque deprehenditur, & intus ceu frustulum, quoddam faucibus adhærescens mole sua premit, obstatq; , ne facilis fiat deglutitio, idq; sine siti & ardore.

Inflammatis iisdem præter deglutendi, & quod Paulus addit, *lib. 6. cap. 30.* respirandi difficultatem, dolor adest, rubor, ardor, sitis, interdum & febres.

Maligna tonsillarum ulcera partim alba sunt, maculis similia, partim cinereo colore, aut similia crustis, quæ ferro inuruntur. Accidit ergo siccitas in deglutendo, & suffocatio confertim incidit, maxime cum rubor subit mentum: aut, ubi hæc acrimonia præterierit, *τοῦν* loca illa infestans succedit, & cum hac putrefactio; ut docet Aëtius, *terribibl. 2. serm. 4. cap. 46.*

Prognostica.

1. Tonsillarum inflammatio morbus acutus est, & sæpe suffocationis periculum minatur.

2. Tumor autem vel resolvitur, vel suppuratur, vel induratur.

3. Tonsillæ in febribus denigratæ & arefactæ mortem imminere portentunt.

4. Ulcera tonsillarum quædam familiaria sunt & mitia, quæ scilicet sunt munda, exigua, non altè descendunt, nec inflammata,

Signa.

Prognostica.

nec dolorem excitantia, quædam aliena & pestifera, quæ lata sunt, cava, quodam concreto humore albo, aut livido, aut nigro sordentia, quæ aphthæ etiam nuncupantur. Quod si concreta illa fordes altius descenderit, eschæra gignitur, quam rubor insignis, inflammatio & venarum dolor circumfilit, sicut in carbunculo. Exigua quoq; & rara exanthemata oriuntur, quibus supervenientia alia, in unum ulcus coalescunt, latumq; ulcus efficiunt. Id si interius in os depascendo serpit, columellam exedit, & linguam quoq; & gingivas ac alveolos dentium occupat, unde dentes labefactantur & nigrescunt. In columella etiam phlegmonè erumpit, atque non multis post diebus phlegmonè, febris, fœtore, inediaq; consumiti intereunt.

5. Ac si in pectus per trachæam id malum invadat, eodem illo die strangulat, pulmo enim & cor neq; talem odoris fœditatem, neq; ulcera, neq; serosos humores sustinent, sed tussis ac spirandi difficultas enascitur. Aretæus, lib. 1. cap. 9.

6. Tonsillarum ulcera sine febre securiora sunt.

7. Tonsillarum ulcera æstate suborta pejora sunt, quàm quæ aliis oriuntur temporibus. Cito enim serpunt.

8. Serpentina circa fauces ulcera, quæ magnam molestiam exhibent, & acuta magis sunt, ut plurimum spirandi difficultatem adferunt. Videantur plura ejusmodi prognostica apud Hippocratem, lib. de dentitione.

9. Glandulæ istæ facile indurantur, & in scirrhum degenerant, qui nunquam aut raro curatur.

10. Aliquando tonsillarum tumores suppurantur & abscessus extrâ erumpunt, & ægri sanantur: cujus rei exemplum est apud Dodonæum, in observ. cap. 16.

Curatio.

Si levis sit inflammatio, circa initia gargarisimi adhibeantur adstringentes, cavendo, ne mel multum admisceamus, quod suâ acrimoniâ malum irritaret, ut monet Aëtius, loco citato, cap. 45.

Remittente autem inflammatione, rectè & utiliter illud admiscetur.

Ut R. *Aqu. plantag.* ℞j. ℞.

flor. rosar. rubr. M. ℞.

sem. cydon. Drach. j. ℞.

Semel ebulliant. Colaturæ adde

diamor. Unc. j. ℞.

dianuc. Unc. ℞.

M. pro Gargarismo, quo tepidè interna oris colluantur. Nam inflammata neq; frigus tolerant, neq; multum calorem.

Aut R. *Fol. plantag.* M. j.

flor. rosar. rubr. P. j.

cortic. granat. Drach. iij.

gallar. immatur. N. iij.

fol. prunell. M. j.

nuc. cupress. Drach. ij.

Coqv. in f. q. aqv. pro ℔. j.

Colat. adde *dianuc.* Unc. ij. ℞.

Misce pro Gargarismo.

Ubi vehemens est inflammatio, ut periculum sit à suffocatione, statim cephalica secetur, repetita sanguinis detractione in magnâ plethorâ; aut primùm basilica, postea cephalica aperiatur.

Ubi

Ubi venæ sectio locum non habet, aurium sacrificatio utilis. Cucurbitulæ etiam venæ sectionis vicariæ esse possunt.

Frictionem longam in carpo rusticis familiarem esse, scribit Rondeletius, *lib. 2, c. 4*. Prodesse autem revera ob diversionem.

In foeminis, ubi opus, vena tali primò incidatur. Ad evacuandam postea materiam conjunctam prodest secare venas sub lingua. Si cum sanguine vitiosi humores simul redundant, clysteres & pharmaca leniter purgantia exhibeantur.

Deinde ad topica veniendum est, quæ primùm sint repellentia: ut decoctum ex rosis, balaustis, fol. plantag. vitis, rubi, sorbis, cornis, mespilis, gallis, sumach, fol. & bacc. myrti, ac simil. quorum formulæ antea sunt propositæ. Repellentia autem Prædici ferè omnes solum intrâ applicant. Abiis tamen, & vulgata consuetudine dissentit Rondeletius, qui, *allegato loco*, non vult adstringentia solum in parte interna, & relaxantia in externa applicari, sed ea intus & extrâ adhibet. Cum enim partes laxæ sint, non amplius esse laxandas censeo, cum defluit materia, sed cum consistit fluxio, ut materia ad exteriora trahatur. In principio verò adstringentia extrâ etiam apponit in lateribus arteriæ sub maxilla inferiore. Quod in seipso expertum esse scribit, & anginam & defluxionem ad fauces prohibuisse, & multos à scrophulis incipientibus sanasse. Verùm omni-

nò hic cautione opus est, & videndum, quæ materiæ affluentis sit copia. Si enim corpus adhuc plenum sit & affluxus magnus, nulli auctor fuerim, ut repellentia extrâ apponatur; cum facile fieri possit, ut materia ad interiora repulsa periculosam anginam excitet. Semperque tutius materia ad exteriora, quam interiora fertur.

Post repellentia ptisanæ succus gargarisetur, in quo decoctæ sint passulæ vel jujubæ, aut surfur decoctio, aut decoctum glycyrrhizæ, ficuum & hyssopi. Lac tepidum gargarisatû acrium collutionum mordacitatem temperat.

Extrâ etiam illinatur guttur oleo amygdalarum dulcium, liliorum, alborum, chamæmeli, aut fomento cum spongiâ ex decocto chamæmeli, meliloti, althææ, malvæ, scabiosæ, sem. lini, fani græci: aut cataplasma ex iisdem paratum cum farina hordei, sem. lini, fanigræci, althææ, hordei, ol. chamæmel. amygdalar. dulcium, butyro recenti, aut cataplasma ex pane albo & melle apponatur, vel emplastrum de meliloto. Solvetur ita tumor, & quod reliquum est, discutietur.

Post cataplasmatibus, de quo dictum, ablationem, partes circa mentum tegantur, circumpositâ lanâ, molli oleo nardiao irrigata, ne partibus illis refrigeratis materia introcedat.

Interdum natura sponte suâ materiam ad externa convertit, natis utrinque in collo infra aures tumo-

ribus, quibus vel sponte vel scalpello apertis pus effluit, atque ita tonsillæ ab abscessu liberantur, sicut & in angina fieri consuevit, teste Hippocrata, 6. aphor. 37.

Si tonsillæ inflammatae in abscessum tendant, quodprehenditur augefcente inflammatione & exacerbationibus circa vesperam fortioribus factis cum horrore & inaequalitate, nonnunquam & cum febre, ut docet Aëtius: tunc suppuratione sine mora adjuvetur gargarismis ex aqua mulsa calente, decocto caricarum & hyssopo cum glycyrrh. vel decocto caricarum in lacte, vel decocto passular. vel jujubar. cum viol. & malva.

Vel ℞. *Farina triticea in petia ligata*
Unc. j.

caricar Unc. iij.

radic. malva Unc. j. ℞.

aq. communis ℞ ij.

Coq. ad consumptionem quintae partis. Deinde colentur. F. Gargarismus.

Foris cataplasma applicetur ex farina hordei, tritic. & sanigræc. cum decocto ex caricis, rad. althææ, & melle, vel emplastrum diachylon.

Ut ℞. *Fol. malva,*
violar. ana M. j.

Coq. ad mollitiem & per setaceum trajiciantur.

Adde *farina tritici* Unc. j. ℞.
croci Scrup. ℞.
butyri s. sale q. s.

F. Cataplasma.

Celsus vaporem aquæ calentis ore excipere jubet. Confectio pure,

quod ex dolore & tumore remittente cognoscitur, abscessus collutionibus acrioribus rumpatur, ex hyssopo, pulegio, thymo, calamintha in sapâ aut mulsa coctis & gargarifatis, aut ferro aperiatur, eo modo, quem Aëtius, *tetrab. 2. serm. 4. c. 45.* & Paulus, *l. 6. c. 30.* tradunt, aut devoratis majoribus frustis panis. Rupto abscessu aqua mulsa gargarifetur primum per se, postea admixta lenticula & rosis, vel plantagine; quibus immorandum est, donec ulcus ad cicatricem perducatur.

Si ex longo valde refrigerantium & repellentium usu, vel alias etiam tonsillæ indurescant, quod fieri solet non præmissâ phlebotomia vel purgatione, ante topica gargarismi emollientes & resolyentes conveniunt, ut:

℞. *Rad. althææ mundat.*

lilior. albor. ana Unc. ℞.

fol. violar.

malva, ana M. j.

scabios.

prunell. ana M. ℞.

extremat. sambuc. Drach. ij.

bord. P. j.

ficus N. iij.

sem. sanigræc.

malva, ana Drach. j.

nidi hirund. Drach. ℞.

Coq. in s. q. aqv. addendo in fine,

sem. cydon.

lini, ana Drach. ℞.

aq. scabiosa,

caprifol. ana Unc. ij. pro ℞ ij.

Colaturæ adde

mell. rosat. colat. Unc. iij.

diamor. Unc. j.

Misce

Misce pro Gargarismo.

Si tonsillæ induratæ deglutitionem & respirationem impediētes medicamentis emolliri nequeant, Celsus & Paulus ad chirurgiam accedunt, tonsillasq; extrahere conantur. Sed chirurgia hæc neque facilis est, neq; tuta. Qua de re videatur Hieron. Fabric. ab Aquapendente, *de operationibus Chirurgicæ. titulo de tonsillis.*

Ad nomas sive serpentiæ ulcera tonsillarum, præmissâ venæsectione, corporis evacuatione & diversionibus, convenit diamorū ex aqua mulsa, insperso pulvere flor. rosar. rubr. vel sumach. Paulus succum exprimit ex malo puniceo dulci cum cortice contuso, cujus partes æquales sex miscet cum una parte mellis & ad mellis spissitudinem cocta illinit. Utilis est & hic gargarismus supra propositus, cujus hæctenus aliquoties facta est mentio. Possunt etiam aristolochia & iris & chalcitis adhiberi cum melle, aliquando & Andronis & Musæ pastilli. Mirabiliter Aëtio crustas aufert stercus caninum cum melle illitum, & ustarum hirundinum cinis cum melle, & centaurei minor. cinis cum melle.

Expertum quoque in ulceribus tonsillarum malignis linimentum ex pulvere stercoris canini, si eum melle ad justam spissitudinem miscantur. Addi potest aliquid de pulvere radice iridis. Vide Galenum, 10. de *simpl. med. facult. cap. de stercore canino.* Tabernæmontanus commen-

dat, tanquam experimentum, decoctum radic. morsus diaboli.

Omnia autem oris ulcera vehementioribus exsiccantibus & adstringentibus gaudent, quàm externa ulcera; cum ne amplius serpent, tum quia semper à saliva sunt humidiora, unde & medicamentorum vis infringitur.

Post irritationes ab acrioribus hisce medicamentis factas gargarizetur decoctum glycyrrhizæ, quod paratur ex vino nigro dulci, ex mastiche, myrrha, croco, deinde etiam addito amylo, & tragacantha. Cognito jam ulcere de pascente, lac gargarizandum cum terrâ Samiâ mixtum. Crustis sublatis & purgato ulcere hoc convenit:

℞. Flor. rosar. rubr. Unc. ℞.

croci Drach. ij.

balaust.

myrrh. ana Scrup. j.

nuc. pinear. Drach. j.

Tritis & subactis cum melle utere ad illitionem. Progressu temporis addi possunt:

amyli Scrup. ij.

alumin. scissil. Scrup. j.

Vide plura hujus generis apud Aëtium, loco citato, cap. 46.

Diala.

Abstinendum ab acris, à fumo, à Solis aestu, à vino, ab exercitio & motu corporis atque animi nimio, præsertim ab ira, à balneo, & omnibus, quæ affluxum humorum augere possunt.

CAPIT

CAPUT XXIII.

De his, quæ in Guttur
vel Gulam inciderunt,
eximendis.

Illorum
quæ in gu-
lam inci-
derunt,
eximtis.

Accidit nonnunquam, ut sive dormientibus sive vigilantibus etiam per incuriam aliquid in guttur vel fauces illabatur, quod suffocationis metum & alia pericula affert. Quæ res quæ ratione eximendæ sint, dictum quidem in Institut. lib. 5. part. 1. sect. 2. cap. 10. Addere tamen quædam libet.

Sunt autem, quæ in guttur vel fauces incidunt, alia animata, alia inanimata. Exanimatorum genere sunt primam hirudines, quæ vel per natationem in stagnis ore imprudenter excipiuntur, vel unâ cum aquis minutissimæ ipsæ adhuc hauriuntur, & faucibus vel gulæ affixæ attracto sanguine grandescunt. Adhærent verò vel palato versus superiorem nasi partem, & tum sanguis sine screatu egreditur; vel gutturi, ubi sanguis cum screatu excernitur: & quidem si in initio sit trachææ, tussis continenter affligit; vel gulæ, & tum deglutitio impeditur vomitusque concitatur; vel denique ipsi ventriculo sunt affixæ, atque tunc nullum impedimentum in deglutitione sentitur, adest verò vomitus, cum quo sanguis rejicitur.

Hirudinum nonnullæ venenatæ sunt, quæ & graviora symptomata accersunt, ut syncopen, tremorem, cordis, febrem acutam, & ulcera

denique maligna. Agnoscuntur, quod magna habent capita, corpore sunt lanuginoso, colore nigræ aut virides, maculis vel lineis variis distinctæ, quemadmodum eas describit Avicennas, 1. canon. sen. 4. doct. 5. cap. 22.

Ubicunque verò hirudo ore concepta hæret, titillationis sensum obscuro suo motu efficit, punctio quoque sentitur, dum sanguinem sugit, & sanguis, ex ore tenuis ac paucus per intervalla exspuitur, quoniam ab exilibus seu capillaribus venis hirudo sanguinem allicit. De quo Hippocrates, 2. pradict. Quibus fauces sanguine frequenter & noctu & interdum replentur, cum neque capitis dolor progressus fuerit, neque tussis, neque vomitus, neque febris prehenderit, neque pectoris aut dorsii dolor tenuerit: in his nares & fauces inspiciendæ, num quid ulcus in eo loco aut hirudo compareat.

Quando igitur hirudo in ore ita hæret, ut oculis conspici queat, Chirurgus eam idoneo instrumento apprehendat, & caput ejus fortiter stringat, ne si medio forte corpore præscindatur, pars ejus anterior cum capite intus affixa remaneat.

Ubi verò hirudo profundius latet, ut chirurgiæ locus non sit, medicamentis res peragenda erit. Itaque Rhales gargarismos præcipit ex acerbis, & amaris, quibus offensa, hirudo spontè sese retrahat, vel quibus enecetur, qualia sunt sinapi, cum aceto gargarisata, aut sal cum aceto, aut cæpæ succus. A proprietate, valere creditur succus salicis. Ju-
bent

bent & nigellam ac sinapi tritum gutturi insufflare. Enecant etiam, absinthium, abrotanum, lupini, mentastrum, nasturtium, sem. sanctum, aloë, hiera, agaricus.

Amotam vel enecatam hircinam æger sreatu, tussi vel vomitu rejicere conabitur. Si eductâ hircine exspuitio sanguinis perseveret, venulis adhuc hanc antibus, unde hirudo suxit. non statim ille supprimendus est, sed permittendus, momento Avicentia, ut moderatè effluat, ne retentus venenositate suâ, quâ ab hircine contraxit, noceat. Eadem quoque venenositas corrigatur exhibitâ theriacâ aut Mithridatio, aut terrâ sigillatâ cum zedoaria, dictamno, tormentilla & similibus.

Postea sistatur sanguis gargarismis ex decoctione cortic. mali granati, balaustrorum & sumach, vel pulvere insufflato ex balaustris, thure, sangu. draconis, amylo.

Quod si hirudo stomacho inhæreat, medicamenta Rhases exhibet, quibus vermes enecantur & eijciuntur, aut ægrum in balneum siccum sive Laconicum ducit, ubi siti vehementi contractâ, postea aquam frigidissimam æger ore contineat, semper eam permutando, si incaluerit, ut hirudo æstu etiam afflicta prorepat in os ad reficiendum sese frigida, qua alioquin naturaliter deletatur.

Probatur & hoc:

℞. *Farin. lupinor.*
pulv. turbitib.
agarici,
sem. nigell. ana Drach. ij.

L. II.

Incorporentur cum succo absinthij & fiant Trochisci pondere Dra. j. dissolvaturque unus in decoctione sem. nigellæ, deturque unus jejuno stomacho.

Interdum animalia alia dormientibus in os irrepunt, quod de lacertis ac serpentibus compertum est. Hæc eodem modo in balneo sicco cum aquâ frigidâ ore retenta proliciantur, aut apposito ad os ægri vase lactis calentis pleno, cujus nidore, siti etiam vexatum animal prorepat; præsertim si vas illud ita dispositum sit, ut splendentis Solis radios excipiat. Oportet autem ægrum pronò capite in ventrem incumbere. Quidam & affatim hæc bibere jubent ad vomitum usque, ut simul cum lacte animal redditum, quod ingressum est, excutiat.

Inanimata, quæ vel casu vel sponte deglutita in gutture aut gulâ subsistunt, sive mole suâ inhærentia, ut bolus panis vel carnis non masticatus, annulus, moneta grandior, nucleus pruni; sive acumine suo se infigentia, ut fragmenta vitri, acus, spina piscis, os acutum & similia, suos etiam modos habent, quibus eximantur.

Et quidem si crassum quid deglutitum inhæreat, nisi immisso idoneo instrumento apprehendi & eximi queat, ægri cervix aliquoties pugno concutiat, ita ut depressam illam teneat, humerusque elevatus sit, quâ concussione res in gulâ hærens ad ventriculû delabatur; aut si prope fauces

M

fauces hæreat, tussis per os reijciatur. Biscula etiam carniū pingua, vel cum butyro parata, liberaliter & affatim hauriantur, vel ptisana cum melle aut oleo amygdalarum dulcium, ut lubrica reddita gula facilius, quod illapsū est, in ventriculū descendat, aut ut vomitus saltem istis pinguibus provocetur. Rhases quoque ægrum in balneum aquæ tepidæ se demittere jubet usq; ad mentum, ut viâ in gulâ emolliantur & laxentur.

Si his nihil proficitur, candela cerea mediocriter crassa, vel stylus plumbeus non nihil incurvatus sumi potest, quo melle vel oleo obliato & in gulam demisso res ibi subsistens in ventriculū detrudatur.

Si acutum est, quod infixum hæret, neque oculis ita patet, ut forcipe prehendi possit, tussis excitanda, oxymel continuo lambendo; aut sternutatio quoque, si locus affectus propior sit trachæ arteriæ, vel ipsa etiam sit trachea. Vehementi enim hac corporis concussione, spiritu simul expulsiōnem adjuvante, res obhærens excludetur.

Si obfessa est gula, aquâ mulsâ crebro gargarisetur, oleum etiam & pingues sorbitiones & albumina ovorum cruda & lubricantia alia bibantur.

Utilis est & continuus usus elegendatum emollientium, ut quod paratur ex mucilagine semine malvæ, radic. althææ, ficubus, passulis, jujubis, sebekten & similibus cum sirupo violarum. Tandem magni boli

deglutiantur, vel ficus sicca integræ, quo impetu id, quod subsistit, in ventriculū simul detrudatur.

Quod si his modis nihil perficitur, Rhases instrumentum commendat ex plumbo factum, quod foraminulis multis exilibus pertusum est instar retis, quorum usus est, ut dum instrumentum vertitur retrahiturq; res gulâ infixâ illis foraminulis implicetur, simulq; educatur, & ut respiratio per illa non impediatur. Quem imitatus est procul dubo Guil. Fabricius in fabrica sui instrumenti, quo ad res gulæ & faucibus infixas extrahendas utitur, quodque *centur. 1. observ. 56. dilineavit. Qui etiam videatur, eadem centuriâ, observ. 31. 32. 33. 34. 35.*

Si nec hoc modo suo loco moveri res immissa possit, naturæ & temporis negotium totum committendum. Progressu enim temporis calor naturalis coquendo & alterando rem illam mutat (si ejus natura talis sit) & imminuit. Et ut maturius id fiat, natura in coctione adjuvanda medicamento ex radicibus althææ, ficubus, farina sem. lini, fœnigræci, hordei, aut mucilagine ex iisdem parata, flor. cassiæ, butyro, oleo amygdalar. dulc. chamæmeli, lilior. albor. pingued. gallin. & similibus.

Quod & faciendum, si officulū vel simile quid inflammationem in œsophago excitet. Hæc enim ad supurationem perducta, & abscessu rupto, æger ab angustia & dolore liberatur. Exemplum de spina gulæ infixâ habet Dodonæus, *in observ. cap. 27.*

Compertum est ab Arculano, of-
siculum acutum gulæ infixum post
bimestre spatium per cutem in collo
apertâ spontè viâ exiisse. Benivenius
devorata acum decennio post per-
forato stomacho extrusam vidit. De
acubus cum urina emissis memi-
nit Johan. Langius, *lib. 2. Epist. 40.*
De aciculâ per alvum cum gravissi-
mis symptomatibus dejectâ videat-
ur Guil. Fabricius, *allegata cent. 1.*
obs. 34. Quod si tale quid naturam
moliri videmus, ne ventriculus vel
intestina lædantur, exhibendus cre-
mor hordei, juscula pingua, lac a-
mygdalarum dulcium, oleum a-
mygdalar. dulcium, cassia.

CAPUT XXIV.

D. Angina.

Angina.

Angina Latinis a b angendo, quæ
vox à Græco ἀγγω, ist est, suffo-
co & strangulo deducitur; Græcis
Συνάγγη & Κυνάγγη, & masculinâ
terminatione, ut ab Hippocrate, *lib.*
de loc. in homine, & 4. de rat. viêt. in
acut. aphor. 30 usurpatur, Σύνάγγη
& Κυνάγγη eodem etymo, à suffo-
cando scilicet, dicitur. Etsi enim, ut
postea in differentiis dicitur, poste-
riores Græci inter Græcas voces,
dum per σ Συνάγγη & per κ Κυ-
νάγγη scribitur, differentiam quan-
dam, constituerint, & Κυνάγγη,
quam à canibus ita appellari censent,
seu quod canibus familiaris sit, seu
quod ægri hiante orè & exertâ lin-
guâ spiritum ducere cogantur, ca-
num per æstum sitientium more,

pro graviore affectu habeant; Συ-
νάγγη verò, quam dictam putant,
quod sues eâ frequenter corripian-
tur, pro leniore malo: tamen Gale-
nus, 3. *prognost. text. 18.* hanc de lite-
ris contentionem tanquam inutilem
contemnit, quod & 4. *de viêt. rat. in*
acutis text. 30. facit.

Et enim & Συνάγγη & Κυνάγγη
apud Hippocratem & antiquissimos
Medicos Græcos generale nomen
est, quale apud Latinos angina, quod
in genere sumptum omnem faucium
& gutturis affectionem, spirationem,
nullo in thorace vel pulmone vitio
existente, difficiliorem reddentem,
& deglutionem impediendam, seu
meatum, per quos spiritum attra-
himus, cibumque & potum assumi-
mus, angustiam, spiritum difficilem
reddentem & deglutionem impe-
diendam significat. Etsi enim per mor-
bos thoracis, pleuridid & peripneū-
niam & alios respiratio lædatur:
tamen affectus ille angina non dici-
tur, cum illæsis faucibus fiat. Hippo-
crates tamen interdum distinguit in-
ter faucium inflammationem & an-
ginam Ita, 6. *epid. sect. 7. t. 1.* inquit:
Quibusdam verò faucium inflammatio-
nes aderant, aliis angina. Ubi procul
dubio anginam intelligit inflam-
mationem musculorū laryngis, quæ re-
spirationem difficilem valde reddit,
& viam spiritus intercludit: inflam-
mationem verò faucium, partium
aliarum vicinarum, quæ spiritus &
cibi viam non ita intercludit. Pos-
sunt enim & tonsillæ, & musculi os-
sis hyoidis, & musculi in radice lin-
guæ inflammari, ut postea dicitur,

quæ partes omnes etiam in faucibus sunt: quia tamen harum partium inflammatio à gutture longius distat, anginam per se non parit. Anginæ ergo in genere ita sumptæ causa erit, quicquid spiritus cibi que & potus viam angustiorem reddere, & hoc modo utriusque meatus capite, & principio quasi ocluso respirationem difficiliorem reddere, & degluttoni cibi ac potus impedimento esse potest.

*Differen-
tia.*

Quod cum pluribus de causis fieri possit, duplex angina statuitur, una propriè dicta & exquisita, quæ est ab inflammatione summarum gulæ & gutturis partium, sanguine è venarum jugularium ramis in partes illas effuso; altera notha, quæ provenit à frigida & pituitosa destillatione, è capite in fauces & cervicis ac colli musculos decumbente, & tumorem *οιδηματώδη* sine febre, rubore ac dolore excitante; etsi dum primò fluxio concitatur, quidam inæqualis calor & horror sentitur, qui tamen paulò post desinit.

Possit tamen & illa in faucibus inflammatio, quam Hippocratem ab angina discernere diximus, forsan angina notha appellari, & ita duplex angina notha constitui, una ratione causæ, altera ratione subjecti. Nam & harum partium inflammatio sæpè etiam respirationem & degluttonem non parum lædit.

Quò etiam referri potest angina illa, quæ fit à luxatione vertebrarum cervicis versus anteriora vel latera, sive à causis externis, sive ab humore frigido affluente fiat, idque citra inflammationem.

Si enim inflammatio accedat, vel ab inflammatione luxatio ortum habeat, ad exquisitam anginam pertinet, & acutissima angina est, ut postea de differentiis dicetur. Videatur etiam infra, *questio. 1.*

De Angina exquisita.

Angina ergo exquisita est angustia summarum gulæ & gutturis partium seu faucium, ab inflammatione earundem ortum habens, difficilem respirationem reddens, degluttonemque lædens. Seu est inflammatio in faucibus & summo gutture, angustiam earundem partium, & hinc difficultatem spirandi inferens, ac degluttonem impediens. Seu, ut Galenus breviter definit, *4. de rat. vict. in acut. text. 20. & 2. ad Glaucon. cap. 1.* est *Φλεγμονή τῶν καὶ Φάρυγγος μερῶν*. Per fauces autem intelligitur pars, quæ gulæ & gutturi præjacet, & duo dictorum meatuum ostiola comprehendit. Imò, ut supra dictum. *Φάρυξ* etiam pro larynge & summo alij eræ arteriæ capite accipitur, ut ita, dum Galenus anginam per inflammationem *Φάρυγγος* seu faucium definit, non solum intelligenda sit ea pars, quæ gulæ & gutturi præjacet, sed ipsa etiam larynx ejusque musculi. Et quamvis simul vicina complecti soleat inflammatio, ut glandulas utrinque circa radicem gutturis ad latera trachæe positas, & musculos ossis hyoidis, musculos item in radice linguæ, & glandulas, quæ tonsillæ dicuntur, & quæ sub

*Angina
exquisita.*

sub auribus & inferiori maxilla consistunt: tamen partium harum à gutture longius distantium inflammatio anginam non parit, nisi malum faucibus, id est, parti ex gutture & gulâ constitutæ, communicatum respirandi impedimentum afferat.

Dodonæus etiam anginam statuit ex inflammatione pulmonum fieri; de qua postea in differentiis de Cynanche dicitur.

Causse.

Ergo causa ut aliarum inflammationum, ita & hujus in angina est sanguis seu purus, seu biliosus, pituitosus aut melancholicus. Et is quidem è venarum jugularium ramis in has partes effusus. Nam frequentissime fit hoc malum per viam fluxionis, rarò per viam congestionis.

Affluit autem sanguis vel per modum attractionis, si fauces & guttur vehementer caleant & dolent; vel per modum transmissionis, si loca illa imbecilla sint laxa, & ad suscipiendam fluxionem idonea, pleonexia verò humorum adsit sive in toto, sive in capite, ac imprimis circa fauces. Ubi enim sanguis vel copiosus in corpore adest, vel impurus, atque is ad caput fertur, cerebrum verò robustum est, id eum non recipit, sed maximam partem per easdem venas ad subjectas partes retrudit, unde inflammationes earum variæ gignuntur, parotides, ophthalmiæ, anginæ & similes. Hinc etiam juvenes lenibus anginâ crebrius corripiuntur, quòd multo bi-

liosque sanguine, qui aptissima hujus mali materia, abundant, & qui habitu corporis sunt crasso, ac multo sanguine, præsertim in capite, abundant. Viros quoque frequentius quàm fœminas anginâ corripit, ex Cælio Aureliano statuitur; idque videtur observasse Hippocrates, *6. epidem. sect. 7. t. 1.* ubi epidemiam sui temporis constitutionem describens, quâ anginâ, tussis, peripneumoniæ vagabantur, paucissimas fœminas ægotasse scribit.

Aliam tamen causam non reddit Hippocrates eo ipso in loco, quàm quod non perinde atq; viri in publicum prodibant, & ita aëris externi injuriis sese non objiciebant. Id tamen, quod dicitur, fœminas minus ex sua natura anginæ esse obnoxias, quàm viros, de vera & exquisita angina intelligendum. Habent enim fœminæ sanguinem frigidiorum, & præterea laryngem minorem, ac gutturis partes & venas angustiores exilioresq; quæ sanguinem non ita facile admittunt. Interim tonsillarum, columellæ, ac laxarum in faucibus partium inflammationibus, quæ minus exquisitam seu notham anginam, quàm Hippocratem, *loco allegato*, simpliciter faucium inflammationem appellare, & ab angina distinguere diximus, gignunt, ob partium laxitatem, & excrementitiorum humorum abundantiam magis obnoxia sunt, quàm viri. Ad pleonexiam etiam humorum, quæ anginam excitat, cumulandam faciunt hæmorrhoides & menses suppressi, vicus ratio

multo & calido sanguini generando apta, potus vini meracioris.

Sæpe quoque angina accidit in febris, ubi materia pars ad hunc locum depellitur, ut ita febris temporius comitata sit, quam appellant, quam symptomatica; talesq; anginae sunt ferè epidemiae, quæ nonnunquam publicè grassantur; qualis fuit illa, quæ anno 1517. multos sustulit, ut annotavit Forelitus, *lib. 6. obs. 2. in schol.* atque illa, quæ anno 1544. & 1545. plurima Germaniæ inferioris loca Rhenique accolæ vexavit. Sunt enim quandoque etiam anginae, ut pleuritides, peripneumoniae & similes morbi, epidemiae. Nam etsi humores, qui morbos epidemios excitant, præcipuè si non pestilentes sunt, & imprimis à fluxionibus provenientes, à manifestis aëris alterationibus, frigiditatisque & caliditatis ac humiditatis excessu provenientes; tamen occultæ etiam qualitates ab astrorum influxu pendentes miscentur. Atque hinc accidit, ut nunc ad laryngem & fauces, nunc pleuram, nunc ad pulmones humores fluant, ibiq; subsistant, nunc ad alvum perveniant.

Externæ causæ sunt, quæcunque fluxiones humorum ad istas partes concitare valent, quales sunt pluviosa anni constitutio & imbres assidui, ut est, 3. *aphor. 16. A. u. e. s. a.* item quæcunque caloris & frigiditatis in aëre & ventorum flatibus, quorum hæc comprimendo expellit humores ad guttur & fauces, illa laxando facit, ut humores ad fauces affluant.

Præterea subita à magno æstu refrigeratio, haustus plenus potus frigidissimi, lotio capitis intempestiva, pleno corpore, nimia capitis tectura vel nulla, vocis nimia intentio, denique ictus capitis, cervicis, aut locorum prope fauces, infixa in faucibus vel gula spinæ vel ossicula, ut & vertebrarum cervicis luxatio; si nimirum non solum ipsa angustiam in locis istis pariat, sed & inflammationem excitet.

Quidam etiam à cibis quibusdam & medicamentis peculiari vi & proprietate anginam induci statuunt, ut cerasis, fungis quibusdam, andacocha, ut habet Avicennas, quæ trifolii species est; quæ scilicet in se vel vim suffocandi, vel qualitatem aliquam laryngi & faucibus occulto modo adversam habent, easque sanguini inflammationem excitaturo suscipiendo aptas reddunt, aut quocunque modo has partes vellicant, & offendunt, & sanguinis ad eas affluxui occasionem præbent, sicut cantharides vesicæ peculiari modo adversæ sunt. Verùm de hoc dicitur infra, *quest. 3.* Nonnulli huc etiam referunt eam suffocationem, cujus Aretæus, *lib. 1. passion. acut. c. 7.* meminit, quæ accidat ex spiritus ad calidissimum & siccissimum conversione, quod aliqui de aëre illo crasso, qui è carbonis accensis & musto ac cerevisia fervente attollitur, explicant. Verùm, ut postea, *in questione 1.* dicitur, non loquitur Aretæus de causâ extrinsecus adveniente, sed intrinsecus hærente, ubi vitium

vitium præcipuè est in pectore. Non tamen ista suffocatio huc pertinet, sed ad respirationem læsam, ut postea dicitur. Neque enim omnis suffocatio angina dicenda est; aliàs enim & catarrhi suffocativi ad anginam reducendi essent, sed ea saltem, ubi nullo in pectore vitio existente (quod tamen in suffocatione illa ab Aretæo descripta accidit) ob faucium inflammationem suffocationis periculum imminet. Unde nec ardor in faucibus, qui in febribus ardentibus percipitur, & vulgò die Breune nominatur, cum scilicet fauces & lingua exsiccantur, exasperantur & denigrantur, angina nominandus est.

Differentiæ.

Differentias anginae quatuor recentiores Græci, ut ex Galeno, 4. de loc. affect. cap. 3. & Paulo Ægineta, lib. 3. cap. 27. & Tralliano, lib. 4. cap. 1. videre est, recensent. Inflammantur enim seu *ὀδύνη*, id est, gulæ musculi; seu laryngis, id est, gutturis seu capitis tracheæ arteriæ; sæpe etiam, quæ utramque hanc partem connectunt. Has ergo differentias ut recentiores Græci etiam vocabulis distinguerent, generica illa vocabulla *κυνδύνη* & *συνδύνη*, cum aliàs specierum nominibus destituerentur, certis differentiis accommodaverunt.

Prima differentia nomine generis *συνδύνη*, ita dicta, ut Autoribus placet, quod suis sit familiaris (quæ tamen differentia Græcæ lin-

guæ analogiæ non responderet, ideoque potius à præpositione *συν* & *ἀγχα* nomen hoc deductum videtur) nominatur, ubi interni faucium musculi vel ambitus faucium interior inflammatur, cervice quoque ad linguæ radicem simul comprehenso, & tumore foris ac intus apparente.

Secunda *ὀδύνη*, ubi externi faucium & colli musculi linguam & os hyoides contingentes, & qui œsophagum firmant ac retrahunt, sunt inflammati, tumore sese nonnunquam etiam ad pectus diffundente.

Tertia *κυνδύνη* ita dicta, quod canes eâ frequenter corripiantur, aut quod homines eâ laborantes veluti canes sitibundi linguam exsertant, cum inflammatio in internis laryngis seu gutturis musculis delitescit, & neque intus neque foris in cervice tumor apparet, unde etiam Latens angina appellatur, tantusque est dolor & spirandi difficultas tanta, ut æger erecta cervice & ore hiante, ac linguâ exsertâ, canum sitientium more, spiritum trahere cogatur.

Cujus generis & illa est angina, quam describit Galenus, 4. aphor. 35. cum, inquit, nullo, neque ore multum aperto in faucibus, neque extrinsecus tumore apparente, æger deglutire non potest. Symptomâ n. perniciosum est ob inflammationem musculorum gulæ substratorum, interdum verò gulæ ipsius morbum. Est enim partibus illis per nervos & liga-

ligamenta commune quid & societas cum spinali medulla & membranis ipsum ambientibus, ac postea hisce extrinsecus adjacentibus vertebrarum ossibus. Cum itaque ad partes inflammatas ligamenta & nervi tenduntur, vertebrae quoque vel intrò, vel ad latus trahi necesse est. Nam si in altero tantum nervorum exortu tensionem fieri contigerit, ad latus; si utroque, intrò fiet vertebrarum distortio.

Hoc loco facienda est mentio anginae, quam describit Remb. Dodonæus, c. 18. quam etiam latentem appellat, in qua circa laryngem & asperam arteriam talis dolor sit, ut nec contingi, quantumcunque leniter, citra gravissimum dolorem queant, sed nec moveri sursum, nec attolli. Quamobrem non spiritus tantum cum difficultate trahitur, sed & cibus & potus ægerrimè, aut non dimittitur. Inflammari autem statuit Dodonæus per hujusmodi anginam non interiores ac latentes laryngis musculos, (id quod sectione se deprehendisse scribit) sed pulmonem.

Verum enim verò nulla est angina propriè dicta sine musculorum circa laryngem inflammatione. Itaque morbus, quem describit, vel non fuit angina, sed peripneumonia, quæ tamen ob communem membranam laryngem & vicinas partes in consensum trahit, unde respiratio & deglutitio fuit læsa; vel fuit angina, quæ tamen

subitò in peripneumoniam gravissimam mutata est.

Quarta est *ἡ ἀκροτάτη*, ubi externi præcipuè gutturis muscoli inflammantur; tumor tamen intus manifestè conspicitur, ore diducto & linguâ depressâ. Et cum hæc quarta differentia, nisi medicamenti occurratur, faciliè in *κωδύχλω* degeneret, & si affectus augeatur, etiam interni tandem muscoli inflammantur; Galenus, 4. de loc. affect. cap. 3. in hac differentia tam externas, quam internas gutturis partes affici scribit.

Verum istam accuratiorem nominum distinctionem à posterioribus Græcis introductam Galenus, loco modò allegato, & 3. prognost. apb. 18. non magnificat, cum omnis angina sit faucium, id est, partis ex gutture & gula constitutæ, inflammatio: & Hippocrates uno *κωδύχλω* nomine omnes istas differentias complexus est. Non prætereundem tamen, Hippocratem, lib. 3. de morbis, etiam in nominibus quandam differentiam observare, & duas anginae species ponere: *κωδύχλω*, quæ sit angina gravissima, & *ἡ ἀκροτάτη*, quæ mitior sit.

Præter enumeratas istas quatuor anginae differentias Galenus, 4. de loc. affect. c. 3. addit quintam, ex 2. epid. sect. 2. ex luxatione vertebrarum cervicis, quæ tamen potius ad anginam notham referenda est, nisi inflammatio ipsi conjungatur. Fit autem, ubi cervicis vertebrae ad anteriora

teriore luxatis fauces comprimuntur, cavo ponè in cervice apparente. Quod accidit vel à caussis externis, icù, casu; vel ab affluxu humoris pituitosi vincula vertebrarum laxantis, & vertebrarum internodia lubrica reddentis, aut copia sua vertebrae sede suâ dejicientis; vel à vicinis musculis inflammatis, quibus vertebrae ad anteriora trahuntur. Atq; ubi anginae conjungitur inflammatio, vera angina est, dolorq; etiam foris ad contactum in cervice sentitur. Vide Hippocratem, 2. *epidem. sect. 2* & Galenum, 4. *de locis affect. cap. 3.*

Aëtius, qui quatuor illas differentias in tres contrahit, hanc vertebrarum ad anteriora luxationem quartam numerat, eamq; propriè *κίβωδος* à veteribus appellatam, aut quoniam, linguâ à luxata vertebra juxta radicem suam à proprio loco depulsâ, æger hiantè ore ac exserta lingua spiritum ducere cogitur, canum per æstum sitientium more.

Sunt & aliæ quædam anginae differentia, quod scilicet inflammatio alia major, alia minor est; unde etiam majus vel minus periculum expectandum: & quod alia est à sanguine puro, alia à sanguine cum aliis humoribus mixto: ut & quædam epidemia est & maligna, alia malignitatis experts.

Signa diagnostica.

Anginam exquisitam ex iis, quæ hæcenus dicta sunt, cognoscere non ita difficile est. Verum cum sit morbus periculosus & peracu-

tus, qui celeri suo motu sæpe omnem Medici diligentiam superat, utile est, etiam imminentis signa cognoscere, ut omni modo ejus incrementum præcaveatur.

Si quis ergo sine manifesta causa collum vix movere & vix deglutire potest, ac difficulter spirare incipit, & dolorem ac calorem insuetum circa fauces percipit, anginam imminere suspicio est, præsertim si tempus vernum & pluviosum ac humidum sit, aut angina aliàs populariter grassetur.

Præsentem autem anginam, in quacunque etiam parte sit, adsunt imprimis duo: primò difficilis respiratio, citra aliquod thoracis ac pulmonis vitium; ita ut sæpe & suffocationis periculum immineat; unde Plautus, in *Mostellaria, act. 1, 3. v. 61.*

In anginam ego nunc me velim verti, ut venefice illi.

Fauces prebendam & enecem.

Deinde deglutitio difficilis, adeò ut nonnullis potus per nares resiliat. Neque enim deglutitio solùm œsophagi ministerio perficitur, sed etiam musculi duo à larynge exorti, œsophagici dicti ac circulatores, quod suis fibris transversis semicirculum imitantibus œsophagum complectantur, cibi & potus deglutionem atque ad inferiora detractionem adjuvant, dum laryngem deglutionis tempore sursum trahunt, ut descendentis cibo locum concedat: præterea etiam musculi faucium, dum ad suum principium

contrahuntur, cibum ad œsophagum detrudunt. Hi ergo muscoli cum in angina afficiantur, non mirum est deglutitionem lædi. Postea dolor circa guttur & fauces percipitur, rubor item & calor, plerumque & tumor, febris adest continua. Lingua ipsa intus tumet & rubet, & quoddammodo coarctata est, unde etiam ejus motus impeditur.

Etsi enim in angina notha, quæ fit ab humore pituitoso fauces occupante, febris non semper adest; in angina tamen exquisita febris continua semper adest; seu ut symptomatologica ex inflammatione generetur, seu sit primaria, cui angina accedit.

Differentiæ quoque non difficulter patefiunt. In synanche est minor respirationis difficultas, deglutitionis verò maxima, ut etiam liquida vix transire possint, sed potus ferè per nâres rejiciatur. In parasy-nanche inter omnes differentias respirationis difficultas minima est, & rubedo foris in cervice conspicitur, dolorq; percipitur, si locus contrahatur; cum inflammatio foras vergat. Interdum etiam pectus rubet, quia ibi prorepunt duo muscoli ad cartilaginem scutiformem. In cynanche verò neque in faucibus intus, neque extra in cervice, quicquam ruboris vel tumoris apparet, & tamen fauces vehementer intus dolent cum metu strangulationis, ita ut æger erecti cervice & aperto ore spirare cogatur, lingua est livida & nigra, & ut scribit Hip-

pocrates, 4. de mt. viçt. in acut. inflexa vel retorta, ob summam venarum circa linguam repletionem, adest quoque febris acuta. Seu, ut Hippocrates, 3. de morb. describit: ex angina dicta homo suffocatur, & fauces magis occupare videtur, ut neque salivam, neq; aliud quicquam deorsum trahat, oculi affecti sunt, & veluti iis, qui strangulantur, prominent, & per eos contentè intuetur, neque eos convertere potest, crebrò se jactat & exsilit, fauces & facies incenduntur, ac etiam collum. His verò, qui intuentur, nihil mali habere videtur, & visus atque auditus hebescit, nihilque præ suffocatione intelligit, neque quid dicat, aut audiat, aut faciat, sed jacet ore hiante salivam effundens. In paracynanche respiratio non est tam difficilis, nec dolor tantus, & rubor ac tumor aliquis intus circa faucesprehenditur. Si ex luxatione sit angina, plerumque id accidit à causis evidentibus & violentia. Postea etsi sit ab inflammatione & affluxu humorum,prehenditur ex inspectione cervicis. Cervix enim circa primam & secundam vertebra excavatur, ob depressam vertebra, & difficilis redditur respiratio ob angustiam faucium ex compressione. Videatur etiam Hippocrates, 2. epid. sect. 2. ubi incipit: ἢν δὲ τῶν κινωαρχικῶν τῶ παθημάτων ἴδῃς, &c. Egregiè enim & prolixè eo loco describit Hippocrates eam anginae speciem, quæ ex vertebra- rum colli λαδῶσι & σκολιῶσι, in-

clinatione & perversione oritur: quem locum propterea Galenus, lib. 4. de loc. aff. cap. 3. dignum iudicavit, ut commentario eum explicaret. Videtur etiam lib. 2. prorrhet. comm. 2.

Signa caussarum & humorum ex aliis locis patent. Sanguis abundans ex habitu corporis aliisque signis cognoscitur, adest major distensio, color faciei est rubicundus, faciesque ruborem & calorem habet insignem. Si adsit bilis, ardor & dolor major est cum siti, oris amaritudo, & morsus circa guttur. Si ex pituitoso sanguine sit, dolor minor est, febris exigua, tumor citra insignem ruborem. Et, ut Galenus, 4. aphor. 34. & 4. de rat. vict. in acut. t. 30. docet, sanguis biliosus plerumque laryngis prius musculis quam faucium, seu gulæ inflammationem parit, sicuti pituitosus sanguis potius faucium seu gulæ inflammationem, & glandularum, quam laryngis excitat. Cum enim laryngis venæ sint exiles, in eas non nisi sanguis tenuis penetrat; crassus verò, qui eas penetrare non potest; in faucibus potius & glandulis subsistit. Anginæ etiam biliosæ maximè æstate & autumno proveniunt: quod in æstate bilis generatur, & in autumno retinetur, quæ æstate genita est. At pituitosa ferè sit ex pituita hyeme genita.

Prognostica.

Prognostica.

1. Angina, teste Galeno, 1. aphor. 12. & 2. aphor. 19. Tralliano, lib. 4.

cap. 1. Celso, lib. 4. cap. 4. pestiferum acutumque malum est, quod celeriter ad finem properat, ac periculo non caret, ægrosque laquei modo strangulat & suffocat. Etsi enim pars absolute princeps non afficiatur: ea tamen pars afficitur, sine qua cor, membrum nobilissimum, salvum esse non potest; quæ scilicet destinata est respirationi, & simul degluttoni inservit, quorum neutro homo carere potest. Adest simul febris continua, quæ & cordis & ipsius corporis vires labefactat, ideoque Galenus, 1. aph. 12. hoc morbo laborantibus salutis spem in virium robore consistere scribit. Et suffocatur plerumque æger, vel quia tumor eò usque crevit, vel tanta facta est vertebrarum colli luxatio, ut faucibus coarctatus spiritus planè percipiatur, vel quia rupto tumore pus in pulmones ruit eosque implet.

2. Et quidem quò major est faucium & gutturis angustia, eò periculosior est angina, præsertim, si febris & ipsa sit acuta. Atque ita *κρυδύχη* à posterioribus Græcis in specie descripta omnium periculosissima est & gravissima, quæ intra unam diem, plerumque intra 4. jugulat: de quo Hippocrates, 4. aphor. 34. *Si febrem habenti suffocatio repente superveniat, nullo tumore in faucibus existente, lethale est.* Et, 3. prognost. 16. & in Coacis. *Angine gravissima sunt, & celeriter interimunt, quæcumque nihil conspicuum faciunt in faucibus, neque cer-vice, plurimum verò dolorem inferunt*

atq; orthopneam. Hæc enim in eodem die, & secunda, tertia, & quarta strangulant. Neque enim tum parvitas mali significatur, quod nihil conspici sefe prodit, sed quia magnus dolor adest, & summa respirandi difficultas, significatur, tumorem in internis gutturis partibus hæere, ibique conclusum spiritui aditum præcludere, atque ita subito strangulare. Aliàs si respiratio & deglutitio non valde lædatur, neque magnus dolor adsit, parvitas mali significatur. Idem tamen Hippocrates, 3. de morb. *novdyxlu* ad nonum diem protrahi posse docet.

3. Παρρηυάγχι *paulò* minori cum periculo conjuncta est, & potest diutius protrahi; de quo Hippocrates, 3. prognost. 17. *Quæcumq; verò dolorem alioquin alteri similem inferunt, in faucibus verò tumorem & ruborem excitant, valde quidem lethales sunt, præcedentibus verò diuturniores, si magnus rubor adsit*: quia tandem in cynarchen transit. Sic mortua quinta die Phytonis uxor, 3. epid. sect. 2. 1. 7.

4. Minus periculi autem adhuc est à *συνάγχι*, in qua plus læditur deglutitio, quam respiratio. Homo enim sine cibo & potu aliquantisper vivere potest, non verò sine respiratione, præsertim cum febris conjuncta est, eaque acutior. Et tumor ad interna vergens evocari longius & medicamentis digeri potest.

5. Levissima est, & omnium minimè periculosa Parasyanche; quia inflammatio longius à gutture abest.

Hinc Hippocrates, 6. aphor. 37. *Anginà correptio, si tumor in collo appareat, bonum.* Foras enim morbus fertur. Et, 7. aphor. 49. *Ab angina detento tumor & rubor in pectore superveniens, bonum; quia extrà morbus fertur.* Et, 3. prognost. 18. *Quibus verò fauces & cervix simul rubent, hæ sunt diuturniores, & maximè ex ipsis liberantur, quibus cervix & pectus ruborem contraxerit, nisi erysipelas intro recurat.* Et, aphorif. 20. 3. prognost. *Securissimum est, si rubor quam maximè foras, in cervicem scilicet & pectus, feruntur.* In his nimirum duabus differentiis neque dolore nimium vexatur æger, neque difficultate spirandi tenetur. Etenim cum partes hæ sint glandulosæ, molles & laxæ, affluentem humorem sine magna difficultate recipiunt, & quia laryngis muscoli non inflammantur, respirationis via non intercluditur. Easdem sententias iisdem ferè verbis tradit Hippocrates, lib. de Coac. pranot. Historias autem & eventus differentiarum, 6. epidem. sect. 7. ubi de signis anginæ epidemiæ loquens, tandem concludit: *In summa, qui solum deglutire non poterant, his valde mites, & toleratu faciles erant; pessimè verò his, quibus unà spiritus sublimis erat.*

6. *Angina laborantes nisi celeriter coacta exspuant, malè habent.* Hippocrates, in Coacis.

7. Angina biliosa periculosior pituitosa; quia & dolorem majorem & febrem, & majorem respirandi adfert difficultatem.

8. Si in angina tumore, & rubore intus in faucibus apparente, rubor die non critico evanescat, remaneat verò tuberculum sine dolore, quod nec naturæ nec artis beneficio suppuratur, mortem vel ruboris recidivam minatur, ex 3. progn. 19. Mortem quidem, quia relicta foris crassa materia teavior & ferventior intrò ad guttur conversa est; ruboris recidivam, quia materia calidior ex accidente aliquo intro repulsa est, non autem discussa.

9. Si in angina tumore & rubore foris apparente ista subito intrò evanuerit, malum; quia materia ad interiora recurrens suffocationem parit, ex 6. aphor. 25. Nisi tamen criticè discussa aut aliò depulsa materia hoc fiat, atque æger melius habeat.

10. Si febre detento repente collum intorqueatur, ac vix deglutire queat, nullo tamen tumore intus vel foris apparente, lethale est, 4. aphor. 35. ob luxationem scilicet vertebrarum.

11. Pueris angina ferè accidit ex vertebrarum cervicis intrò luxatione, 3. aphor. 26. Hujus curationem Paulus Ægineta, lib. 3. cap. 27. non aggreditur; cum nullam, uti censet, illa recipiat; quod tamen intelligendum est non de luxatione, quæ ex crudorum humorum affluxu paulatim facta evenit, quæ antequam planè perficitur, curati potest; neque etiã ex crudo tuberculo, modo vertebras non planè suo loco dejecerit; quales fuisse videntur anginae, quas Hippocrates, 2. epi-

dem. sect. 2. describit ex vertebrarum colli luxatione facta, quorum tamen neminem, qui tum laborarunt, mortuum fuisse refert: sed quæ fit ab inflammatione, vertebra distendendo violenter suo loco dimovente. Hæc enim omnino incurabilis; cum quia ipsa inflammatio reductionem vertebrarum prohibet, tum quia respiratio & deglutitio valde læditur.

12. Quibus ex angina in pulmonem mali sit conversio, intra septimum diem moriuntur; si verò hos effugiant, *ἐμπυροὶ* est purulenti evadunt. 5. aphor. 10. & 3. prognost. 20. Si angina materia in pulmonem convertatur, desipientiam affert, & ægri magna ex parte *ἐμπυροὶ* fiunt. *Ἐμπυροὶ* enim fiunt abscessu rupto & in pulmonem effuso; vapores verò calidi sursum exstantes delirium excitant.

13. Si strangulatis & suffocatis, ita & anginosis, spuma circa os appareat, lethale signum est, 2. aphor. 43. Extremam enim cordis angustiam significat, fervoremque summum, à quo materiam agitante spuma illa excitatur.

14. Quando in angina magna fit spirationis angustia, & spumajam in ore apparet, nulla sanitatis spes relinquitur, nisi æger adhuc viribus valeat, & nutrimentum appetat. Quando verò infirmo ægro febris invalescit, & facies ægri fit viridis, & sinus oculorum denigrantur, extremaque frigent, & lingua nigra ac crassa cernitur, lethale est.

Nam in forti febre multâ inspiratione opus est, quam angina negat, teste Avicenna, *capite proprio*.

15. In *anginosi subarida sputa gracilium mala*. Hippocrates, in *Coac*. Angina enim tralis est periculosa, si ne tumore in collo & faucibus, uti, *prognost.* 2. dictum, quod plerumque ægri suffocantur. Et licet, quod rarissimè fit, suppuretur: si tamen sputum sit subaridum, febrilem calorem maximè indicat, quo sputum glutinosum & crassum redditur. *Qui enim, ut, ibidem, habet Hippocrates, anginosi non celeriter exspuunt coëta, lethali ter habent.*

16. Qui in angina tumores faucium sine ulla ratione repente evanescent, lethales sunt, in *Coac*. Et si enim aliquando præcedente evacuatione vel repellentium usu tumor subsideat; tamen si sine his, atque ita præter rationem id fiat, malum periculosum est, cum non solvantur morbi manentibus iis, quæ eas faciunt, caussis. Significatur enim materiæ ad interiora recessus; unde periculosior in partibus internis morbus excitari potest; vel quod interdum accidit, ad partem, unde discessit, repente iterum delata subito suffocationem inducit. *crisi*

17. In *anginis sine signis dolores in caput conversi, lethale, in Coac*. Etenim cum fiat sine crisi aut materiæ translatione, & manente eadem gutturis & faucium angustia, ac difficili respiratione: malum non imminui & tolli, sed diffundi, & cere-

bro communicari significant. Eodem modo si in hypochondriis vel cruribus dolor excitetur, & angina non solvatur, morbi augmentum & humoris vitiosi etiam alias partes occupantis redundantiam significat.

18. Qui vehementer suffocantur, narium pinnas expirando contrahunt, inspirando verò dilatant. Galenus, 3. *epidem.* 2. *comm. text.* 4. Cum enim ob extremum suffocationis periculum aut caloris vehementiam membranarum respirationi interservientium motus necessitati satisfacere non possit, natura ad cartilagineas illas diducendas sese convertit, quasi aliquid commodi inde perceptura.

19. Solvitur autem angina vel tumoris *ἡ ἀπορροήσι*, causa ejus revulsa, distracta, evacuata aut discussa, aut tumoris maturatione, & puris ex illo aperto evacuatione, aut materiæ ad aliam partem translatione; quod ex doloris & tumoris subita cessatione, pulsusque mutatione cognoscitur. Optimum autem est, materiam discuti, vel tumoris maturatam materiam evacuari; aliò eam transferri periculosum, ut jam dictum.

20. Transfertur autem materia vel ad cerebrum, ubi statim dolor capitis gravis, deliria & phrenitis sequitur; vel ad musculos colli, ubi dolor & tumor, interdum & convulsio excitatur; vel ad pulmones & pleura

pleuram, unde dolor pectoris, tussis, difficilis respiratio oritur; vel ad cor, unde tremor ejus, syncope & pulsus obscuritas excitatur.

Indicationes.

Indicatio-
nes.

Quas aliæ inflammationes habent indicationes, eadem & angina observandæ, saltem partis affectæ habitâ ratione. Nimirum sanguis & materia, quæ adhuc affluit, aut affluxura est ad partem affectam, revellenda, derivanda: quæ jam affluxit, adhuc tamen in parvis venis consistit, vel in parte fluctuat, ne in partem recipiatur, atque in eo consistat, repellenda, & in parte affecta forâs protrudenda per adstringentia: quæ verò extra venas effusa est in partis spatia, & repelli non potest, insensibiliter discutienda est per digerentia, quod tutissimum est; vel si digerentibus non cedit, & ad maturationem tendat, maturatio adjuvanda, & diligenter simul cavendum, ne adstringentibus & refrigerantibus foris quocunque tempore applicatis materia intrò repellatur; sed relaxantia potiùs extrinsecus adhibeantur, quibus materia forâs evocetur, periculumque suffocationis evératur.

Curatio.

VENÆ SECTIO.

Curatio.
Venæ sectio.

Cum ergo angina sit inflammatio, & quidem ejus partis, à quâ præsens

periculum suffocationis imminet, & à sanguine vel solo, vel cum aliò humore mixto ortum habeat: in omni angina sanguinis missione & evacuatione opus est. Estque venæ sectio optimum, præsentaneum & compendiarium in hoc morbo remedium. Ideoque ut sanguis ad fauces ruens revellatur & evacuetur, periculumque maximè urgens avertatur, venæ sectio statim & sine omni mora instituat, præmissò, si licet, clystere.

Et quidem aperiatur in cubito cephalica aut mediana, aut utraque, si magna adsit plethora. Hoc enim modo, & venâ in brachio apertâ, & universum corpus promptius evacuetur, & non parum sanguinis à parte affecta avertitur. Et primò quidem mediana, hinc cephalica aperiatur, si utriusque sectione opus. Et si inflammatio alteram partem magis affligat, vena in opposito primùm brachio revulsionis gratiâ, postmodum in latere eodem aperienda; aut, si semel saltem venam aperire liceat, vena in eodem latere secetur. Si verò nullum lateris discrimen sit, aut dubitetur, utra pars magis affligatur, sanguis ex dextro brachio emittatur; cum epar sit plerumque pars mittens.

Si menses vel hæmorrhoides suppressæ sint, quæ vena primò aperienda sit, Auctores dissentiunt. Alii enim saphenam, alii venam in cubito pri-

to primò aperiendam censent. Verùm distinctione hinc opus videtur. Etenim si periculum non urgeat, ex poplite vel talo sanguinis missio primùm instituenda, ut menses suppressi revocentur, & sanguis ad partes distantes revellatur: imprimis si purgationis tempus instet. Et si malum augeatur, mox vesperi aut sequenti die cephalica aperienda; non tamen neglectis revulsionibus, quæ in cruribus institui possunt. Si verò morbus urgeat, & periculum instet, quod plerumque fieri solet, mox vena in cubito aperienda. Periculosum enim est, neglecta cephalica cum affecta parte communicante, in distantissima parte venam secare. Venâ autem brachii apertâ postea venam in poplite aut talo secare licet. Sic enim & urgenti affectioni, accelerem revulsionem & evacuationem requirenti, & suppressæ evacuationi satisficit. Imò sunt optimi Medici, qui in angina periculosa non solum in suppressis mensibus venam primò in brachio secandam censent, sed etiam fluentibus mensibus. Et tali in casu, dum sanguis per venas superiores evacuatur, cucurbitulas femoribus affigendas censent, ut minor fiat sanguinis versus superiora retractio.

Evacuatur autem sanguis major vel minore copia, pro ejusdem abundantia, magnitudine ipsius affectus & virium robore. Et si verò fuerint, qui in angina etiam usque ad syncopen sanguinem evacuandum censuerint, persuasi sententiâ

Galeni, qui, *1. aphor. 23.* scribit, in ardentissimis febribus, in maximis inflammationibus & vehementissimis doloribus, usque ad animi deliquium sanguinem detrahendum esse: tamen Græci, Aetius, *tetrab. 2. ferm. 4. cap. 47.* Paulus Ægineta, *lib. 3. cap. 47.* Trallianus, *lib. 4. cap. 1.* ut & Arabes plerique, item Cælius Aurelianus, *lib. 3. acut. cap. 4.* & posteriores Medici plerique, sanguinem non semel atque confertim, sed sæpius & repetitis vicibus evacuandum censent; ne, si confertim evacuetur, animi deliquio superveniente, suffocatio, quæ antea urget, augeatur, ægerq; suffocetur. Quamquam enim ipsa inflammatio, si sit magna, tale præsidium requirere videatur: prohibet tamen id respirationis difficultas, & imprimis suffocationis periculum. Respirationis enim cum sit actio vitæ valde necessaria, quâ ne exiguo tempore vivus homo carere potest: plus valet hinc prohibendo difficilis respirationis, quæ ex animi deliquio succedente ad largam sanguinis effusionem ita augeri possit, ut illico suffocatus æger interiret, quam magnitudo inflammationis eam indicando. Itaque ubi minor est spirandi difficultas, copiosius, si inflammationis ratio postulet, sanguinem mittere licet, ut inflammatis faucium, musculis. Si autem respirationis difficultas valde urgeat, id quod accidit, inflammatis laryngis musculis, cavendum est à larga sanguinis missione, quæ animi deliqui-

deliquium inducere posset, sed tum partibus vicibus, 4. vel. 5. horarum intervallo sanguinem evacuare commodius est. Et repetita venæ sectio plus revellit, quam una larga sanguinis evacuatio. Præterea cum saepe accidere soleat, ut ad partem affectam novus affluxus fiat, repetita venæ sectio etiam humores iterum affluentes avertit. Videndum tamen, ne nimis parvè prima vice sanguis evacuetur, ne, antequam alteram aut tertiam sectionem adhibere possimus, æger interim moriatur.

Et quidem primò in opposita parte vena aperiatur, deinde in brachio lateris affecti. Et si malum fert inducias, manè una vena aperiri potest, vesperi vel sequenti die altera. Foramen non fiat nimis angustum, ne crassior sanguis intus remaneat, nec nimis amplum, ne spirituum magna copia dissipetur.

Gravidæ etsi sanguine emisso interdum abortiant, tamen in morbo tam periculoso necessitas postulat, ut sanguis, sed minore copia, detrahatur. Et plurimæ gravidæ ita sanguine abundant, ut venæ sectionem sine abortus periculo tolerare possint. Imò compertum est, nonnullas fœminas, nisi sanguinis detrahatur, abortire, aut in alia mala periculosa incidere. Fiat autem sanguinis evacuatio ex vena cubiti.

Si phlebotomiam vires non ferant, aut saltem repetitam sanguinis evacuationem non tolerant, cucurbitulæ cum scarificatione apponantur cruribus, vel supra renes, postea

etiam in brachiis, non in collo. Nam si statim in principio cucurbitulæ parti loco affecto propinquæ applicantur, major ad partem affectam fluxus concitabitur, malumque augetur. Postea verò in loco propinquo applicari poterunt; sicut venas sub lingua secare licet, ut postea dicitur. Simul etiam alia adhibeantur, quæ repellere possunt, ut lotiones & frictiones ac ligaturæ extremorum, & cucurbitulæ in partibus remotioribus, ut modò dictum.

Purgatio.

Venæ sectione peractâ mox instituenda purgatio, præcipuè si bilis in corpore abundet, ut illâ pharmaci irritatione motus humorum fiat.

Purgatio.

Cum autem angina conjungatur febris, de purgatione initio anginae instituenda Autores dissentiunt, dum alii & plerique omnes Græci ac Arabes summum periculum attendentes, mox in principio purgandum esse censent; alii verò, inter quos præcipuus est Massariæ, ad cruditatem humorum respicientes, purgationem in principio prohibent.

Verùm febris natura hic attendenda. Nam, quod plerumq; fieri solet, si febris vel præcedat anginam, vel simul cum ea invadat, & materia peculiari motu naturæ humores vitiosos extrudere conantis ad fauces depellatur, atq; ita humores turgentis materiæ conditionem referant, & errabundi quasi à natura è venis expellantur, nondum immobiles,

sint, & licet ad certam partem ferantur, vagabundi tamen adhuc quasi sint, & tales, qui etiam ad aliam partem mox moveri possint, sicut sæpe angina in pleuritidem & peripneumoniam mutatur; ad turgentem materiam merito referantur, & propterea ex consilio Hippocratis, *1. aphor. 22.* statim evacuandi sunt. Id quod etiam à doctissimis Medicis hæcenus cum commodo ægrotorum factum fuit, & ipse etiam Hippocrates præcepit, *lib. de locis in hom. & lib. 3. de morb.*

Et omnino sum in ea sententia, etsi angina sit inflammatio (quod & de pleuritide, peripneumonia, parotidibus & similibus affectionibus intelligendum) primam tamen occasionem ei præberi à cacochymia. (nisi causa externa sanguinis affluxum excitet, ut spinæ vel officula gulæ infixæ vel vertebrarum luxatio) Natura enim irritata à pravis humoribus, eos ad partes corporis externas detrudit, ad latera, tonsillas, fauces, post aures, ad inguina, & alias partes. Verum ut in hæmorrhagiis narium criticis, quæ in febribus acutis à natura sæpe instituuntur, non præcipue sanguinis, sed cacochymia causa ea evacuatio à natura instituitur: ita & hæc natura quidem vitiosos humores expellere conatur, non tamen eos sine sanguine extra venas protrudit, sed cum sanguine permixtos extra venas in spatia partium effundit, unde inflammatio excitatur. Et ipsi tales humores è venis effusi acrimonia & pravitæ suæ naturam stimulant, majori sanguinis affluxui occasionem præbent.

Si autem inflammatio præcedat, neque ea ex humoribus vitiosis à corpore protrusis ortum habeat, & postea febris sequatur, non adeo multum commodi ex purgatione provenit, nisi forsam metuatur, ex affluxu humorum vitiosorum inflammationem augeri posse,

Et quidem maturè statim in initio instituenda purgatio Narratque Alexander Trallianus, *lib. 4.* se eodem die sanguinem misisse & purgasse, his verbis: *Post missionem sanguinis, si nullus laxitatis sensus oriatur, sed cibi & aeris transitus adhuc impediatur, etiam venas linguæ subjektas incidere ne graueris, neque in crastinum differre, sed eodem die facito. Ego sanè memini, me, cum usus valdè urgeret, venam manè aperuisse, diluculo linguæ subjektas secuisse, & vesperi ex cremore ptisanæ extractum scammonij exhibuisse, atque ita laqueum ex inflammatione ortum vix potuisse dissolvere. Imò alium, quendam novime, postquam brachiorum duorum venas in cubito secissem, repurgasse, sequenti die non expectato. Et omnino affectus gravitas sæpe purgationem ita urget, ut statim instituenda sit, nec tempus matutinum expectari possit. Etsi enim & ad venæ sectionem, & ad purgationem horæ matutinæ sint commodissima; tamen utraque etiam tempore vespertino institui potest, si quid mali impediatur, vel, ut venæ sectio vel purgatio maturetur, urgeat. Itaque si suffocationis periculum urgeat, manè instituta venæ sectione, vesperi exhiberi potest*

test purgans. Sic non solum Trallianus, ut modò diximus, vesperi purgavit, sed & Galenus, 14. *M. M. cap. 8.* in quodam, cui lingua tumefacta erat, ut ore contineri non posset, purgans vesperi exhibuit.

Eligantur autem purgantia, quæ febrim non augeant, nec humores valde agitent, casia, manna, tamariindi, sirupus rosar. & violar. sol. rhabarbarum, electuarium diasebesten, diacatholicum. Si humor pituitosus admixtus sit, fortiora usurpare licet.

Ut *R. Sirup rosar. solut.* Unc. iij. vel iv.
aqv. cichorij Unc. ij. *M.*

Vel *R. Manne* Unc. j. *β.* vel Unc. ij.

Dissolve in jusculo pulli, vel decocto prunorum, iterum colentur. Exhibeatur horis duabus ante prandium.

Vel *R. Rhabarb. elect.* Scrup. iv.
cinamomi Scrup. β.

Infunde in *decocti communis flor. & fruct.* vel *aqv. endiv.* Unc. iij. vel Unc. iv.

In colatura dissolvatur

manne Unc. i. vel Unc. j. *β.*

Colatura exhibeatur, postea detur seri lactis caprini ℥ j. vel ℥ j. *β.* Ita enim purgatio sine insigni calefactione perficitur.

Vel *R. Electuar. de psyllio* Unc. β

Dissolvatur supra ignem in *decocti florum & fructuum*, vel *pectoralis*, vel *aqv. cichor.* Unc. iij. *β.*

Incolat. dissolve *manne* Unc. j.

Iterum coletur. Adde

sirupi violar. Unc. β. *M.*

In humore pituitoso addatur a-

garicus. In melancholia admixta sena & manna exhibeatur. Sena enim & manna in actionis modo & tempore valde conveniunt.

Recentiores Chymici hic etiam vomitoria & antimonia exhibent, sed nulla evidenti ratione adducti. Neque eaturò in morbo, qui aliàs suffocationem minatur, exhiberi possunt. Ita refert Trincavellius, *lib. 5. cap. 7. de ration. curand. part. corpor. hum. affect.* foeminam quandam sumpto medicamento purgante, & quidem casia saltem, excitato vomitu, statim strangulatam interiisse.

Verùm quia facultas deglutendi plerumq; est impedita in angina, frustra sæpe præscribuntur purgantia, quæ æger deglutire non potest. Rondelietius equidem pilulas dissolvit. Verùm vix hoc tutum est. Propter abominandum enim saporem facile vomitus excitari posset, qui in hoc affectu minimè tutus. Et modò æger liquida deglutire possit, facile alia purgantia concinnari possunt, ut pilulas dissolvere opus non sit. Ubi verò planè purgantia sumere æger non potest, clysteres acriores ex emollientibus & cholagogis, & quidem, si febris acuta conjuncta sit, clementioribus constantes injiciendi, & iterum atque iterum deinceps reiterandi sunt.

Ut *R. Malva,*

parietar.

mercurial,

centaurii minoris, ana. *M. j.*

Coqv. in aqv. simpl. Colat. *R. ℥ j.*

adde *electuar. diacathol.*

de succo rosar. an. Unc. j. β.
mollis rosar. colati Unc j.
ol. viol. Unc. ij.
salis Scrup. β.

F. Clyster.

Vel β. *Decocti emollient.* Unc. ix.
 in quibus dissolve,

elect. diasebesen Unc. j.
diaphanic. Drach. iij.

ol. violac. Unc. j β.
sal. gemm. Scrup. β.

M. F. Clyster.

Vel β. *Decocti st. & fr.* Unc. ix.
 in quibus dissolve,

elect. lenitiv. Drach. vi.
de psyllio Unc. β.

fir. rosar. sol. Unc. j.
sal. comm. Scrup. j.

M. F. Clyster.

Repellentia.

Repellentia.

Statim post primam sanguinis missionem purgantia usurpanda sunt, ne inflammatio augeatur. Debent autem repellentia solum intus in faucibus, non verò extrà adhiberi, ne materia magis ad interiora & versus fauces repeliatur.

Usurpanda verò sunt repellentia formâ gargarismorum & collutionum oris, vel linctuum. Etsi enim quidam & suffumigii formâ talia exhibeant; tamen cum omnia, quæ in fumum resoluta ore & faucibus hauriuntur, guttur & fauces exasperare, & suffocationem augere soleant, à plerisque hic modus rejicitur. Et quidem forma gargarismorum seu collutionum utilissima est. In infantibus tamen, qui gargarizare non valent, sæpe linctibus utendum est.

In medicamentis autem invenientis hic non solum ad communem, quæ ex natura inflammationis sumitur, indicationem respiciendum, sed etiam ad partis affectæ conditionem. Nam cum, ut Galenus, *6. de comp. med. sec. loc. cap. 1.* docet, non solum rarior & mollior sit superficies tunicæ oris, quam est cutis, quæ totum corpus ambit, & præterea ex medicamentis aliquid faciliè in ventriculum vel pulmonem defluere possit: sint illa talia, quæ omnis acris & malæ qualitatis, quæ fauces lædere, vel degluta nocere possunt, expertia. Et cum diutius in ore, ubi gustus sedes est, detinenda sint, quantum fieri potest, ingrato sapore careant, ne nobis accidar, quod Medico illi seu imprudenti, seu imperito accidit, qui cum, referente, *ibidem*, Galeno, gargarisma ex atramento sutorio constans adhibuisset, magnum cum insuavitate nocuumentum gulæ & asperæ arteriæ extremitati ac ventriculo & pulmone intulit.

Commendantur à Galeno, *6. de comp. med. sec. loc. cap. 1.* quatuor Quatuor medicamenta ex Galeno. medicamenta; quod ex musto, quod ex moris, quod ex rubi moris, & quod ex nucum corticibus viridibus cum melle, quod insuavitatem & nimiam adstringendi vim, quæ est in his succis, temperat, conficitur.

Primum ex musto fit, injiciendo ad decem musti heminas, tres heminas rhois cortiariorum, aut ejus, qui obsonis inspergitur, vel ex utriusque parte æquali. Cujus quidem plures aliæ descriptiones *ibidem* leguntur.

Alte-

Alterum ex moris ita fit: R. succi mororum heminas vj. ad strigmentitiam spissitudinem coquito. Deinde tritas croci Dra. j. myrrhæ Dra. ij. omphacii Drach. j. alumin. sciss. obol. iij. mellis heminam unam addito. Vel R. croci Drach. β. alum. Drach. iij. β. injiciatur, & passi hemina una, & vini maris expertis austeri hemina una. Coctura autem fit usque ad compagem melleam. Tertiam fit ex mororum rubi succo, eodem modo, ut ex succo mororum. Quartum denique fit ex nucum corticibus viridibus, si eorum succus exprimatur, per linteum excoletur, coquatur, & tandem mel, veluti in eo, quod ex moris fit, admisceatur. Inter hæc autem medicamenta primum est mitissimum, secundum fortius, tertium adhuc fortius, quartum fortissimum, quod etiam præcipue à Galeno commendatur. Hoc enim vim adstringendum substantiæ tenuitate habet, atque ita profuadus penetrat, cujus rei argumentum est, quod succus ille manibus tractatus ita alre inficit, ut facile abstergi non possit. Varius autem modo, ut Galenus, *ibidem*, docet, ad diversa morborum tempora ejusmodi medicamenta parantur. Si enim in ipsis adstringens qualitas prævaleat, principiis conveniunt; si verò mitigatoria & laxatoria ac concoctoria, in doloribus & vigoribus inflammationum. Imò si unum saltem horum medicamentorum præstò sit, id ipsum per aquam

simplicem solvi & per additionem parabilium cuius tempori & scopo accommodatum reddi potest. Sunt autem parabilia ex adstringentibus, rosæ, & myrti bacca, & myrtus & lentiscus, & rubus, & rubus caninus, & galla omphacitis appellata, & Ægyptiæ spinæ fructus, omniaque aluminis genera. Post hæc parabilia sunt rhus culinarius & coriarius, & succus, qui ex Syria affertur: atque hic quidem per se admiscetur, culinarius autem & coriarius rhus aqua prius decocti, utiles mixtura fiunt. Est autem & glaucium ex parabilibus, & omphacium, & cytini, & balauftia. Ex discussoriis autem parabilia inoderata sunt caricarum & furfurum decoctum & aqua mulla, in qua origanum, aut hyssopum, aut thymus, aut calamintha, aut pulegium, aut mentha odora, quam hedyosmum vocant, sint incocta: fortiora autem sunt etiam hæc, si diutius coquantur, amplius autem & nitri spuma, aut ipsum adeò nitrum ustum: fortius verò his est sulphur vivum. Utilis est & succus malorum citriorum, & rob cornorum ac sorborum, sirupus granatorum, myrtillorum, de rosæ succis, diamorum, ut & decocta & aquæ prunellæ, plantaginis, polygoni, malvæ arboreæ, folior. rubi, myrti, radic. pruni sylvestr. sumach, sem. rosar. balauft. cortic. granator. hypocistis, acacia. Atque ex his eligantur fortiora vel mitiora, prout major vel minor fuerit inflamma-

tio, humorumque affluxus, & pro-
ut corporum natura sese habet. Mol-
lioribus enim & fœminarum corpo-
ribus mitiora, fortiora durioribus
adhibenda. Ita etiam in laryngis
inflammatione primò mitiora adhi-
benda medicamenta, ne dolor &
symptomata fortiorum usu exasper-
rentur. Ideoq; præcipuè illa valida
adstringentia, gallæ, balauftia, su-
mach, hypocistis, vix sola usurpan-
da, sed modicè saltem, ubi opus est,
reliquis admiscenda. Monendum
& hoc, in angina, quæ à spina vel
ossiculis, vel aliis rebus acutis gulæ
inhærentibus fit, adstringentia lo-
cum non habere. Talis enim in-
flammatio citò ad suppurationem
duci postulat. Ab adstringentibus
verò tum dolor intenditur. Cùm
enim talia corpus acutum infixum
magis parti impingant, dolorem in-
tendunt.

Attendendum & hoc, pro hu-
moris inflammationem excitantis
varietate medicamenta etiam va-
rianda esse. In sanguine enim &
bile refrigerantium & repellentium
vis intendenda; in pituita autem,
resolventium; in melancholia emol-
lientium.

Succi vel illinuntur faucibus, vel
dissolvuntur in decoctis aut aquis,
iisque os colluitur potius, quàm ut
gargarismus fiat, ne nimia gargari-
satione affluxus augeatur. Eadem
collutiones oris ex aquis destillatis
& decoctis plantarum modò enu-
meratarum parantur,

In principio ergo sequens Garga-
rismus vel Oris collutio utilis est:

Rx. *Horð. integr.* P. ij.

fol. prunella,

plantag. ana M. ℞.

flor. rosar. rubr. P. ij.

balauftior. Drach. ℞.

fragor. exiccat. Drach. j. ℞.

sem. acetos. Drach. j.

Coq. in *aq. comm.* pro ℥j. in qua
dissolve

succi cort. nuc. jugland. virid. Unc. j.

sr. granat. Unc. j. ℞. M.

Vel Rx. *Rad. althææ Unc. ℞.*

fol. rubi M. j.

alumin. usti Drach. ij.

sacch. Unc. ℞.

Coq. in *aq. comm.* pro Unc. x.

In quibus dissolve

mell. rosat. colat. Unc. j. ℞.

succi myrtill. recent. Unc. j. M.

Vel Rx. *Aq. prunell.*

prunell.

rosar. ana ℥℞.

aceti rosacei Unc. ℞.

succi granator. Unc. j.

In quibus dissolvatur *diamori, rob
nucum*, ana Unc. j. ℞. pro Oris collu-
tione.

Vel Rx. *Aq. radic. althææ ℥j.*

Coq. in ea *flor. malva arborea.*

Colat. adde

sr. de succo cydonior. Unc. iij.

Vel colluatur os lacte, in quo lens
palustris coctus sit.

Aliàs si dolor non urget, solare-
pellentia usurpanda.

Ut Rx. *Fol. plantag.*

prunell. ana M. ℞.

flor.

flor. rosar. rubr.

malva arbor. ana, P. ij.

balaust.

sem. cydon. ana Drach. j.

Coq. in aqua hordei ℥j. β ad tertiam partem consumptionem.

Colaturæ adde

diamori,

dianuc, ana Unc. j. M.

Vel ℞. *Summitat. rubi M. j.*

balaust.

cortic. granator. ana Dra. j.

Coqu. in aqua simpl.

Colaturæ ℥j. adde

diamori,

rob nucum, ana Unc. j. M.

Vel ℞. *Agrimonia,*

prunella,

plantaginis, ana M. j.

ros. rubr.

cortic. granator.

sem. acetose,

porculaca, ana Drach ij.

Coq. in aq. f. ad ℥j.

Adde

diamor.

dianuc.

succi granator. ana Unc. j. β.

F. Gargarismus.

Vel ℞. *Aq. prunell.*

acetose,

ros. rubr. ana q. f.

diamori,

rob sambuci, an. cochlear j.

Misce.

Linctus etiam profunt ex diamoro cum succo granatorum, vel ex sirupo de jujubi, myrtino, diamoro.

Si dolor sit vehementior, admiſcenda sunt medicamenta, quæ do-

lorem leniendi vim habent, & præcavent, ne fauces exasperentur. In quem usum lac utilissimum, possuntq; in eo coqui summitates rubi, reliquis etiam addi glycyrrh, jujubæ, passulæ.

Recentiores hæc laudant sal prunellæ, sive nitrum præparatum, in oris collutionibus.

Deinde ex Conradino, *lib. de feb. Ungar. cap. 19.* hanc Aquam:

℞. *Sempervivi maj. q. v.*

Contundatur succusque exprimat, & singulis ℥ addatur salis ammoniaci Unc. β. reponantur in loco humido, donec sal liqueſcat. Postea aqua destilletur, quæ fauces colluantur. Si verò hæc aqua in promptu non sit, sumatur aqua sempervivi vulgaris, & in ejus libra una dissolvatur salis ammoniaci Drach. j. ac modo dicto adhibeatur.

Vel ℞. *Cancros vivos N. viij.*

ſedi major. M. iij.

Contendantur, & succus exprimat, quo fauces colluantur.

Vel ℞. *Aq. sempervivi maj. ℥j. β.*

& admisc. succum ex quatuor cancriſ vivis expressum.

Verùm ista etsi in angina etiam suum locum habere possint: tamen ab Autoribus horum medicamentorum inventa & usurpata sunt ad linguæ ardorem, siccitatem, & nigredinem in febribus ardentibus, quod malum vulgò sic Breune nominatur, quod ab Angina differre, supra diximus. Istud enim faucium & linguæ incendium & siccitas febrium acutarum symptoma est, neq; ab eo

tam

tam subito suffocationis periculum, utin angina, imminet.

Valde etiam in hoc affectu prodest cassia extracta cum aq. plantag. dissoluta, & collutionis loco adhibita, ut & decoctum cortic. ligni berberum, vel cortic. interioris coryli; ut & decoctum avenæ rube-scens, item decoctum fol. & cymarum cerasi arboris. Pauperiores utantur aquâ fabrorum, vel aquâ & acetato invicem mistis, vel aquâ hordei.

Notandum autem hîc in univ-
sum, quæcunque in calidæ valde & sanguinæ anginæ incremento & statu imponuntur, eadem pituitosæ iniitiis præscribi posse. Et quæ declinantibus illis, eadem vigentibus his debent adhiberi.

Derivantia.

Derivan-
tia.

Postquam venæsectio in cubito & purgatio est instituta, etiam venæ narium, & quæ sub lingua sunt, aperiantur, aut hirudines venis narium, frontis, post aures & cervici applicentur. Nonnulli & scarificationes aurium adhibent. Trallianus, ut supra dictum, eodem mox die, non expectato crastino, venas linguæ subjectas incidit. Sed Galenus, neque sine ratione, in principio anginæ venam in cubito secat, ut revelat, quod influit; post principium autem venas sub lingua, ut, quod in parte affecta vel locis vicinis collectum est, evacuetur, *in lib. de curand. ration. per sanguin. miss. cap. 9. & 4. de ration. victus in acut. apb. 30.* Si tamen morbus admodum velox esset, pri-

mo die venam sub lingua cum Tral-
liano secare liceret.

Digerentia.

Malo procedente & augefcente, *Digerentia* quod secundo & tertio die accidere solet, propositis repellentibus dige-
rentia admiscenda. Monentq; hic doctissimi Medici plerique, in angina rarissimè solis repellentibus, & non, nisi cum imminet inflamma-
tio, aut ubi primùm incepit, uten-
dum esse, & contra solis discutien-
tibus vix etiam unquam utendum esse, atque in eo differre curationem anginæ ab aliarum partium inflam-
mationibus, in quibus in principio sola repellentia usurpantur; post sta-
tum verò repellentia omitti possunt: idque ob partis affectæ naturam. Cum enim partes, quæ in angina af-
ficiuntur, ferè sint laxæ & molles, citòq; inflammationem admittant, etiam in principio discutientium ali-
quid addendum, ne humor, qui influxit, nimio refrigerantium usu impactus hominem suffocet; in fine etiam aliquid adstringentium adden-
dum, ut partes roborentur, & ne solo discutientium usu in parte laxa & molli major vel novus humorum affluxus concitetur. Ubi ergo mor-
bus augmentum sumpsit, gargaris-
mis utendum discutientibus ex decocto thymi, pulegii, calaminthæ, hyssopi, origani, betonicæ, glycyrrh., flor. chamæmeli, meliloti, sem. lini, fœnigræci, & similibus.

Vel R. Glycyrrb. rec. Unc. j.

passul. mundat. Par. x.

daetyl.

*Radyl.**caricar. ana Par. iv.**sem. althææ,**fenigræci. ana Drach. ij.**hordei integri P. j.**fl. violar.**chamameli, ana P. ß.*

Coq. colaturæ adde

*mell. ros. col. Unc. ij.**ciner. hirund. Drach. ij.**croci Scrup. ß.*

F. Gargarismus.

Vel *℞. Hyssopi,**puleg. ana M. ß.**betonic. P. ij.**rad. glycyrrh. Drach. iij.**passul. minor. Unc. j.*

Coq. in l. q. aq. fluviat pro Unc. jx.

In quibus dissolve

*oxymel. simpl. Unc. j.**diamori Drach. vj.*

M.

Vel *℞. Aq. althææ ℥ ß.**hyssop. Unc. ij.**sir. de betonic. Unc. j. ß. M.*Vel *℞. Fol. plantag.**prunell. ana M. ß.**balauft.**flor. rosar. rubr.**chamamel ana P. j.**caricar. pingu. N. iij.**hordei M. ß.**sem. lini**fenigræc. ana Drach. j.*

Coq. in aqu. simpl.

Colaturæ *℞. ℥ j.*

Cui adde

*mellis rosacei col. Unc. j. ß.**dianuc. Unc. j. ß.*

L. II.

F. Gargarismus.

Commendatur & aqua è foli
& flor. periclymeni. In statu augean-
tur discutientia & emollientia. Ga-
lenus consistente fluxu crocum &
myrrham addit, quæ concoquere &
discutere valent, crocusq; simili-
ter leniter adstringit. Ut:

*℞. Fol. prunell.**violar. ana M. j.**scabios.**malv. arbor. ana M. ß.**flor. chamamel.**melilot ana P. j.**glycyrrh. ras. Drach. iij.**sem. fenigræc. Drach. ij.**caricar pingu. N. iij.**passular. Unc. ß.*

Coqu. in aqu. hordei *℥. ad tertiã*
partis consumptionem.

Colaturæ *℞. ℥ j.* In qua dissolve*castie recent. extract. Unc. ß.**myrrh. Drach. j.**croci. Drach. ß.**mell. rosat. colat. Unc. j.*

Misce pro Gargarismo.

Ad dolorem leniendum valet suc-
cus ex pane albo in aqua vel lacte
cocto expressus, item cremor ex fur-
furibus tritici expressus, ut & mucilago
semin. lini, cydonior. althææ,
succus ptisanæ, lac amygdalarum
dulcium, & sem. 4. frigid. major.
item cassia cum parte æquali olei
amygdalarum dulcium mista.

Declinante tandem morbo co-
quitur aliquid de nido hirundinis,
aut dissolvitur in colatura cinis
combustarum hirundinum & co-

P

chlea-

chlearum combustarum, vel, quod nonnulli pro secreto habent, cancrorum combustorum, aut cribratum album canis, aut gallinæ. Illinire etiam licet faucibus illa sterora melle excepta.

Extrâ adhibenda:

*Exsiccantia, & resolu-
ventia.*

Externa,

Dum hæc intus faucibus adhibentur, tentandum omni modo, ut inflammatio exteriora versus trahatur & discutiatur, in quem usum multa passim ab Autoribus proponuntur, ut oleum dulce, amygdal. dulc. chamæmeli, anethi, lilior. alborum, quorum aliqua spongia vel lana succida applicari possunt, succus cucumeris sylvestr. melle subactus, & hujus generis alia. Interquæ tamen ab initio, & ubi corpus non satis evacuatum fuerit, mitiora eligenda, ne humoribus attractis malum augeatur.

In principio ergo & prima statim die anterior colli pars illinatur oleo chamæmelino, amygdal. dulcium, vel liliorum alborum.

Vel R̄. *Ol. lilior. alb.*

amygd. dulc.

violac. ana Drach. ij.

pingued. capon. Drach. j.

empl. de meliloto q. l.

M. F. Linimentum.

Vel R̄. *Mucilag. gummi Arabici,*

irragacamb.

sem. cydonior. aq. ros.

extr. an. Dra. ij.

butyri recentis insulsi,

pingued. porcin. ana Drach. j.
stercor. hirund. Drach. s.

ol. irimi,

chamamel. ana. q. l.

M. F. Linimentum.

Præstantius est Unguentum Vanderai, quod

R̄. *Pulv. nidi hirund.*

stercor. canis jejunio macerati,

columbini, ana Unc. j.

rad. ireos,

flor. chamem. ana Drach. s.

pingued. gallinar. Unc. R.

ol. lilior. alb. Unc. j. s.

cera flava parum.

M. pro Unguento, quo collum & partes tumentes inungendæ.

Vel parentur cataplasmata ex farina vel cremore sem. lini, fanigræci, althææ, malvæ, hordei, flor. chamæm., meliloti, & similibus.

Vel R̄. *Farina hordei,*

pulpe passul. ana Unc. ij.

pulv. rad. althææ Unc. j.

Cum *ol. amygd. dulc.*

Fiat Cataplasma.

Hoc etiam utile est:

R̄. *Farin. hord. Unc. j.*

mucilag. sem. lini & althææ cū

aq. malve facta, an. Unc. s.

pulv. flor. chamemel. Dra. iij.

Cum oleo chamæmel.

amygdal. dulc. ana s. q.

F. Cataplasma.

Nidum etiam hirundinis cataplasmatibus modo foris applicandum admisceri vulgatum est, idque cum commodo ægrorum fieri, usu deprehensum; de quo postea, *quest. 4.* dicetur.

Uc

Ut ℞. *Nidum hirundin.* N. j.

fol. malva,

violar. ana M. j.

flor. chamamel.

melilot. ana M. ℞.

rad. albæ Drach. vj.

lilior. albor. Drach. ij.

ficuum N. iiij.

Coquantur ad mollitiem.

Contusis adde

farin. sem. lini,

fenigræc.

bordei, ana Drach. iiij.

croci Dra. ij.

butyri recent. Unc. ℞.

olei amygdal. dulc.

chamamel.

viol. ana q. ℞.

Fiat Cataplasma ad anteriorem
colli partem.

Vel

℞. *Nidum hirundinis,*

Coq. in decocto *radic. albæ*
ad pulvis consistentiam.

Adde

ol. amygdal. dulcium,

anethi, ana Unc. ij.

croci Drach. j.

castæ Unc. j. ℞.

Fiat Cataplasma.

Vel ℞. *Farin. tritic.* Unc. ij.

sem. lini,

fenigræc. ana Unc. j.

caricar. pingu. Unc. ℞.

nidi hirundin. contusi

Unc. j.

Cum oleo *lilior. albor.*

Fiat Cataplasma.

Vel ℞. *Stercor. hirund.* Unc. j.

farin. fabar. Unc. ij.

ol. chamamel.

lilior. albor. ana q. ℞.

Fiat Cataplasma.

Paratur & tale Emplastrum vel
Cataplasma ex nido hirundinis.

℞. *Nidi hirundinis* Unc. ij.

unguenti dialthæe,

æfyri, ana Unc. j. ℞.

rad. iridis Drach. ij.

ol. irini,

lilior. alb. ana Unc. ℞.

cera flava q. ℞.

Fiat Emplastrum.

Cataplasma de nido hi- rundinis D. Pauli Lutheri:

℞. *Pulv. nidi hirundin.* Unc. iiij.

radic. althæ,

chamameli, ana Drach. iiij.

fenigræc. Unc. ℞.

*mucilag. ficuum cum aq. cha-
mamel. expr.* Unc. j.

ol. chamem.

lilior. alb.

amygd. dulc. ana Unc. ℞.

Fiat l. a. Cataplasma.

Aliud Emplastrum ex nido hirundinis:

℞. *Nidor. hirundin.* N. j.

Coq. in aq. malv. Unc. vij.

Postea colentur & exprimantur
fortiter.

In colatura coq.

rad. malv.

bryon.

althæe, ana. Scrup. ij.

P 2

sem.

sem. lini Drach. j.
nigell. Scrup. j.
herb. violar.

parietar. ana Drach. ℥.

ol. lilior.

cheirini,

axung. porc. an. Dra. iij.

cere Drach. ij.

F. l. a. Emplastrum.

Aliud ex cineribus hirundinum
 & albo græco paratur h. m.

℞. *Ciner. hirund.*

stercor. canis per jejunium,
emaciati, ana Unc. ℥.

pulv. croci,

flor. spicæ, ana Drach. j.

benzoës Drach. ℥.

mellis Unc. iij.

F. Cataplasma.

Utile est etiam cataplasma ex
 medulla cassiæ cum oleo chamæme-
 li, & unguentum dialthææ, & em-
 plastrum de meliloro.

Vel ℞. *sem. cymini* Unc. j.

absinthii viridis contusi,

farina hordei an. Unc. ℥.

albi græci Unc. iij.

Cum melle F. Cataplasma.

Vel ℞. *Furfuris tritici,*

albi græci, ana q. v.

Cum melle F. Cataplasma.

Laudatur etiam epithema ex aq.
 scabios. ℥. j. & spir. vini Unc. j. loco
 affecto admoendum.

Fortiora sunt emplastra, si ali-
 quid fermenti vel cepa sub cine-
 ribus cocta addatur. Nonnulli
 etiam mel anacardinum & vesica-
 toria applicant. Notandum etiam,

ut medicamenta ista semper calida
 actu applicentur.

Si materia rebellis digerentibus
 non cedit, etiam in parte affecta
 vel ei vicina cucurbitulas affigere
 licet, sub mento scilicet, si tumor
 circa fauces & maxillas existat; in
 collo verò inter 2. & 4. vertebrae,
 cum affectis internis musculis tu-
 mor foris non apparat. Et si ma-
 teriam ad externa vergere videmus,
 adjuvandum est motus materiæ ap-
 positæ cervici cucurbitulis cum sca-
 rificatione, ut sanguis ad circum-
 ferentiam extrahatur.

Maturantia.

Si verò malum discutientibus ^{Maturan-}
 non cedit, indicio est, ad suppu-
 rationem tendere; quod plerum-
 que quarto vel quinto die contin-
 gere solet. Quod si animadvertatur,
 adjuvanda est maturatio, tum
 externis, tum internis medicamen-
 tis. Intus quidem utile est frequen-
 ter cassiam extractam, seu medul-
 lam cassiæ in ore tenere, ut paula-
 tim liquecens in gulam descendat.
 Lent enim, maturat & resol-
 vit. Gargarismi verò & collu-
 tiones fiunt ex lacte tepido cum
 saccharo, vel ex decocto radic. al-
 thææ, malvæ, lilior. alb., carica-
 carum, dactylorum, jujubarum,
 passularum.

Vel ℞. *Fol. malv.*

violar. an. M. j.

scabios.

summitat. melilori, an. M. ℥.

nidi

nidi hirundin. Unc. ℞.
caricar. pinguium N. v.
passular. Unc. ℞.
femin. lini Drach. ij.
cydon. Drach. j.

Coq in aqua bord. simpl.
 Colat. adde *sapæ* Unc. ij.

F. Gargarismus.

Vel ℞: *Passular. exacinar.* Unc. j.
glycyrrh. Unc. ℞.
caricar. pingu. N. v.
sem. albæ Drach. ij.
cydonior. Drach. j.

Coq. in *hydromel.* vel aqua pro
 Gargar. smo.

Vel ℞: *Dactylos* N. ij.
caricar. pinguium Unc. ℞.
chamamel. p. j.
sem. lini.

fenigraci, anã Unc. j.

Coq. in aq. f. ad mediet. consumt.
 Colat. ℞. ℞j. in qua dissolve
sapæ Unc. ij.

M. F. Gargarismus.

Extrã verò applicari possunt em-
 plastra maturantia, ex farina & re-
 manentiis decocti sem. lini & fo-
 nigr. cum butyro non salito, adipe
 gallinæ, & oleo lilior. alborum, &
 quæ antea fuerunt proposita, ex ni-
 do hirundinis.

Ut ℞: *Nidi hirund. pulv.* Unc. ℞.
sem. lini,
fenigrac.

rad. albæ, ana Unc. ℞.

Coqv. ad formam pultis, & ad-
 datur *ol. chamamel.* Unc. j.

F. Cataplasma.

Ut autem facilius rumpatur ab-
 scessus, aliquid nitri vel cineris hi-

rundinis vel stercoris canini addi
 potest.

Vel ℞: *Sem. sinapis* Drach. j.
 Coq. in *hydromel.* ℞ j.

Pro Gargarismo.

Nisi sponte abscessus rumpatur,
 æger, ut screatu & leni tussi vel vi id
 præstet, conetur. Nonnulli præci-
 piunt, ut æger spongiolam filo alli-
 gatam, aut carnem falsam semico-
 ctam deglutiat, ut filo attracto ab-
 scessus rumpatur. Alii panis cru-
 stam deglutire jubent. Verum cum
 liquidus cibus vix deglutiiri possit,
 multò minus solida deglutientur.
 Commodum ergo, cerëam cande-
 lam oleo amygdal. dulc. illitam in
 œsophagum immittere, ut ita rum-
 patur abscessus. Alii hiante ore
 linguam deprimunt, & cultro li-
 gneo acuto, vel scalpello tumorem,
 si conspiciatur, aperiunt. Quæ omnia
 tamen cautè peragenda, ne in peri-
 culum suffocationis æger conjicia-
 tur.

Abcessu rupto, ne pus in pulmo-
 nes aut gulam influat, id prono ca-
 pite exspuat æger. Postea ulcus ex-
 tergatur collutione vel gargarismo
 cum hydromelite vel aqua saccha-
 rata, vel decocto hordei adjuncto
 melle. Et si post puris evacuatio-
 nem ulcus quiddam sordidum, vel
 putridum præ se ferat, fortius de-
 tergentia & putredinem inhibentia
 usurpanda, qualia supra, in *ulceri-
 bus oris*, proposita sunt.

Vel ℞: *Fol. scabios.*

agrimon. an. M. j.

uacum cupressi Drach. j.
radic. aristoloch. longa,
iridis Florétina, an. Unc. ℞.
flor. rosar. rubrar. p. ij.
myrrha Scrup. j.

Coq. in hydromelite ad ℥ j.

Ad consolidandum usurpetur, linctus ex bolo Armena cum sirupo vel melle rosato; aut pulvis ex thuris, myrrha, rosarum, boli Armenæ æqualibus partibus. Qui si melle excipiat, forma linimenti exhiberi potest. Interdum tamen accidit, ut angina neque resolvatur, neque etiam intus tumor rumpatur, idque cum summo ægri periculo. Cum enim, ut supra etiam dictum, detur anginæ species, eaque deterrima, in qua nullus tumor, nulla rubedo, intus, vel extra apparet, ægroque tamen suffocationis periculum imminet, cujus Hippocrates, in prognost. Galenus, 4. de loc. aff. cap. 3. Aëtius, tetrab. 2. serm. 4. cap. 47. meminerunt, in qua aliis remediis nihil proficitur: in ultima desperatione sub maxillis & supra collum altioribus plagis scarificationem nonnulli instituerunt, & ægrum à suffocatione imminente liberarunt, nonnunquam pure, nonnunquam sanguine effluente, ægroque ita levato, ut postea reliquis præsiidiis locus esset. Quae de re scribit Anton. Benivenius, de abdit. morb. caus. cap. 38. Angina laborabat Nicolaus Rota, sed nullus tamen rubor, aut tumor, vel intus in gula, vel extra videbatur, & ipse nihilominus vix spiritum trabens, quicquid præterea edendum sumeret, per os sta-

tum & nares rejiciebat. Quare cum arescente corpore, pallente jam facie, ac vertentibus oculis spes omnis sublata esset, & Medici, quibus cura demandata fuerat, ægrum non amplius adirent, me, licet juniorem, convocant ægrum ostendunt, & quaecumque acta fuerant, exponunt. At ego cum & ægrum ipsum ad mortem tendere, & Medicos, quaecumque opportuna fuerant, præsiidia adhibuisse intelligerem, cepi mecum ipse cogitare, satiusne esset, ægrum ipsum Deo, & Naturæ, ut ceteri Medici, incuratum dimittere, an aliquid, licet insolitum, utile tamen auxilium experiri. Verum ad hortantibus his, qui egro assistebant, consilium capio, & locum altioribus plagis sub ipsis maxillis, ac etiam supra collum incido, ex quo cum sanies multa prorumperet, sed et morbus levatus est, ut faucibus ipsis spiritum simul, & cibum capientibus, facilius deinde ad bonam valetudinem egro ipsi daretur regressio.

Hoc etiam in curatioe anginæ animadvertendum, semper usque ad morbi declinationem aliquid detergentis medicamenti admiscendum esse, sicut in omnibus inflammationibus, quæ tenui cute teguntur, per quam semper aliquid resultat; id quod in angina copiosissima sæpe sputi rejectio monstrat. In quem finem mel commodè adhibetur.

Atque ut usum topicorum hactenus propositorum in summam contrahamus; in principio utendum repellentibus & nonnihil abstergentibus; in augmento abstergentibus &

repellentibus parum digerentium admiscendum; in augmenti fine & circa principium status abstergentia cū æquali quantitate digerentium & adstringentiū permiscenda; in declinatione tandem ferè solis digerentibus urendum, & pauillum saltem robōrantium & adstringentium admiscendum.

Specifica medica- menta.

Specifica. A proprietate prodesse traduntur fungus sambucinus coctus & bibitus, & foris etiam impositus. Lignum quoque hederæ à proprietate valere dicitur ad apostema gutturis. Unde Johannes Marquardus, *in practica*, scribit, quod comedens ex cochleari de ligno hederæ, vel bibens ex vase hederaceo nunquā vel rarò in apostema gutturis vel uvulæ incidat. Commendatur & ad tumores faucium rumpendos, si in decocto radicum althææ & ficuum cum momento zingiberis, addita vini quarta parte, maceretur, & decoctum diu in faucibus teneatur.

Commendant etiam tanquam expertum lupi guttur seu asperam arteriam, si angina laborans per eam bibat. Laudatur & hirundinum pulvis, si sale aspersi unā cum pennis in fictili comburantur, & cinis melle mixtus illinatur. Galenus, *6. de compos. med. sec. loc.* Et Celsus, *lib. 4. c. 4.* scribit: *Vulgò audio, si quis pullum hirundinis ederet, anginā toto anno non periclitari, servatumque eum ex sale, cum is morbus urget, comburi;*

carbonemq; ejus contritum in aqua mulsā, quæ potui datur, infricari & prodesse.

Laudant & filum sericum purpura tinctum, quo vipera strangulata sit, collo circumligandum, Galenus, *6. de simp. med. facult.* Varignana, *l. 7. de cur. morb. c. 1.* Commendantur & exuvie serpentis in oleo amygdal. dulc. coctæ, si in oleo illo lintum tingatur, colloque circumponatur. Stercus item canis ossa comedentis, ut & cochleæ cum testis ustæ, & cancri usti. Item rasura dentis castorei Scrup. j. vel Drach. s. pondere in aqua scabiosæ propinata; vel rasura dentis apri, si ejus Scrup. j. cum ol. amygdal. dulc. recent. Unc. s. miscetur, & cum saccharo cando albo dulcoretur ac assumatur.

Reijcit tamen hæc à proprietate substantiæ medicamenta Petr. Paulus Pereda ideò, quod angina est morbus manifestus, non occultus. Et non abs re est, medicamento- rum quorundam, quæ à proprietate substantiæ hic prodesse creduntur, rationes reddi posse. Ita stercus hirundinis & canis, ut & cochleæ & cancri combusti proculdubio vi exsiccandi & discutiendi, quam à sale imprimis habent, hic profunt. Si quæ verò sunt medicamenta, quorum causa facilè reddi non potest, illa proculdubio causæ anginæ opponuntur, in qua aliquid maligni & occulti inesse potest. Quæ ratione forsitan filum purpuræ tinctum, quo vipera strangulata fuit, prodest. Refert etiam Carda-
nus

mus, *lib. 7. de varietate rerum, cap. 25.* quod rubeta cocta & pro emplastro imposita adeò anginosi proficit, ut quendam hoc auxilio jamjam moriturum liberarit; creditq; & filum, quo rubeta suspensa interiit, conferre. Vide etiam Plinium, *lib. 30. cap. 4.*

Δ Α Ρ Τ Η Τ Ο Μ Ι Α

Si extremum suffocationis periculum immineat, & metuendum sit, ne antequam materia discutatur, vel maturetur, homo suffocetur, ut æger seruetur, *λαρυγγόλοια*, quæ *Φαρυγγόλοια* à Paulo Ægineta, *lib. 6. cap. 33.* nominatur, seu incisionis tracheæ sub larynge inter duos annulos tertium & quartum & quintum tentanda. Quod antiquum jam ab Asclepiade & Anthillo usurpatum est remedium, ut ex Paulo Ægineta, *loco citato*, & Cœlio Aureliano, *lib. 3. acut. c. 4.* videre est: de quo postea, *quest. 5.* dicitur. Modus operandi in Institut. *lib. 5. p. 1. f. 2. c. 7.* propositus est.

Dieta.

Aer sit temperatus. Sedeat aut decumbat æger erecto corpore & omnino ea figurâ, quâ se levâri senserit. Victus sit tenuissimus, cremor ptisanæ, & in nostris regionibus jus pulli & carnis, ac, si vires requirunt, ova forbilis. Utilia quoque sunt pruna & passulæ cum saccharo decocta, & juscula cum lactuca, portulaca, & sem. quatuor frig. maior. alterata. Potus sit aqua hordei,

sirupo violato, vel sirupo de succo citri dulcorata, vel aqua mulsa, vel cerevisiâ tenuis. Vinum, & omnia, quæ fluxionem humorum commovere & febrem augere possunt, vitentur.

Quod si æger planè deglutire non possit, nonnulli cannulam intra gulam immittere jubent, ac deinde liquidum alimentum per eam infundere, modò inflammatio ad illas partes non peringat. Alii fistulæ bubulam vesicam alligant, sicut in clysteribus fieri solet, eamq; succo nutriente implent, ejusq; extremitatem initio gulæ apponunt, vesicamque comprimunt, ut liquor in œsophagum descendat.

Quæ omnia si frustra tententur, ad clysteres nutrientes confugere licet, de quibus in Institut. dictum. Perfecta equidem nutritio inde sperari non potest; juscula tamen talia bene nutrientia & facilis coctionis, si in tenuiorem quandam chyli substantiam convertantur, corpus non nihil reficere possunt, donec via iterum alimentis per os assumendis patefiat. Nonnulli etiam odore panis & carniû vaporibus ægrum reficiendum censent.

De epidemia angina anni 1565. vide Dodonæum, *observ. cap. 18.* Et de cynanche, quæ intra 10. horas jugulavit, Antonium Brassavolam, *in comment. apb. 10. sect. 5.* & de alia, quæ 12. horis ægrum sustulit, Amatum Lusitanum, *Centur. 7.* & de alia, quæ horis 12. jugulavit, Antonium Brassa-

Brassavolam, lib. 4. de vitæ ratione
in acut. & Fernelium, lib. 5. patholog.
cap. 9.

De Curatione angina ex vertebrarum colli- luxatione.

Unica hîc indicatio est, verte-
bram è suo loco remotam in suum
locum restituere Ergo cucurbitu-
la cervicis parti, qua fovea apparet,
affigenda, ut vertebra suo loco re-
stituatur; aut quod tutius est, com-
primatur per anteriora colli juxta
latera asperæ arteriæ vertebra illa,
atque extra & in sedem naturalem
pellatur.

De Angina notha.

Angina, quæ notha appellatur, o-
ritur à pituitosa & frigida materia è
capite in fauces, aut cervicis & colli
musculos decumbente & tumorem
òidnuaradn efficiente. De hoc lo-
qui videtur Hippocrates, 2. de môr-
bis, dum scribit: Oritur autem angina,
cum pituita in capite agitata deorsum
consertim fluxerit, & in maxilla
ac citra cervicem constiterit. Abest quæ
in angina notha inflammatio, quæ
anginam veram constituit. Itaque
etsi etiam à melancholia anginam
fieri posse, postea ex Heurnio dice-
tur: tamen ea non est notha angina,
sed quia melancholiæ admiscetur
sanguis, parit veram anginam, etsi
non puram.

L. II.

Signa.

Cognoscitur ista angina, quod
inflammatio, calor, rubor, febris
abest, dolor est exiguus aut nullus.
Atque cum à materia in externis colli
musculis hærente excitetur, minus
periculosa est hæc angina. Diutur-
nior contra est, ita ut dolores sæpe
longo tempore durent.

Curatio.

Eadem ferè indicationes hîc sunt
propositæ, quæ in angina vera. Nam
humor qui affluit, evacuandus est,
revellendus, repellendus qui afflu-
xit, discutiendus vel maturandus &
deinde evacuandus. An ergo ve-
næ sectio usurpanda sit, docebit ha-
bitus corporis & plenitudo. Etsi
enim humor anginam istam produ-
cens venæ sectionem non requirit:
tamen, ne à sanguine affluente mor-
bus augeatur, si abundet, venæ se-
ctione imminuendus & revellendus
est. Humor pituitosus per clyste-
res acres & medicamenta conveni-
entia evacuetur.

Usurpentur etiam alia revulsoria
auxilia, ut vincula, frictions, lio-
nes extremorum & cucurbitulæ cum
scarificatione cruribus & dorso su-
pra renes impositæ.

Gargarismus primo dietalis u-
surpetur:

℞. Fol. plantag.
prunell.

flor. rosar. rubr. an. M. j.
balaustior. Drach. j.

Coqu. in hydromelite.

℞

Colat.

Colaturæ R. ℞j.
mell. rosat. colat.
rob. nucum. an. Drach. vj.

Fiat Gargarismus.

Sequentibus diebus

R. Nucis cupress. Unc. ℞.
balaust. Drach. ij.
massich. Drach. iij.

Coqu. in hydromelite.

Colaturæ R. ℞j.

Adde rob nucum Unc. j.
mell. rosat. Unc. ℞.
alumin. Drach. ℞.
myrrha,
croci, an. Scr. ij.

F. Gargarismus.

Malo procedente talis usurpetur :

R. Passular. Unc. j.
caricarum num. vj.
sem. lini.

fenigrac. an. Unc. ℞.

sinapi,

radic. pyrethri, an. Drach. j.

In colaturæ ℞ij.

dissolve myrrha,

croci, an. Scr. ij.

F. Gargarismus.

Celebre fuit apud antiquos me-
dicamentum Diabesasa, id est, ex ru-
ta sylvestri dictum, quod descripsit
Galenus, 6. de comp. med. sec. loc. c. 2.
Quod quia hirundines recipit, ap-
pellatur etiam ab Aretæo Diacheli-
donium.

Si dolor urgeat citra statum talis

Est Gargarismus.

R. Sem. malva,
caulis, an. Unc. j.
ficus num. iij.

Coqu. in decoct. glycyrrh. ℞j. ℞

Adde butyri recent. sine sale Unc. ℞.

F. Gargarismus.

Ad maturandum talis utilis est:

R. Caricarum pinguium,
daetyl. an. num. vj.
passularum,
jujubar. an. Unc. ℞.
fol. byssopi M. j.
myrrha Drach. j.
croci Drach. ℞.

Coqu. in hydromelite pro Gargarif-
mo. Potest etiam addi pulvis hiru-
dinum.

Paratur autem pulvis hiru-
dinum hoc modo :

R. Hirundines, tracentur capi-
te, & sanguis supra plumas extilla-
re permittatur, deinde pauco sale,
conspergantur, & in fictili combu-
rantur. Pulvis hic gargarismis ad-
di, vel etiam melli ad discutiendum
admisceri potest.

Pulvis hi-
rundinum.

Extra collum inungatur oleo cha-
mæmelino, amygdal. dulcium, lilior.
albor. unguento dialthææ. Postea
imponatur cataplasma ex farina
hordei, semine lini, fenigrac. ficu-
bus & similibus.

In statu

R. Malva cum radicibus,
althææ,
meliloti, an. M. j.

Coquantur ad mollitiem.

Contusis adde

farina sem. lini,

fenigrac. an. Unc. ℞.
pingued. porci sine sale Drach. x.
ol. amygdal. dulcium,
chamemel. an. q. s.

F. Cataplasma.

Vel R.

Vel R. *Nidi birundinis* Unc. jß.
emplastri de meliloto Drach. ij.
medulla cassia Unc. 8.

Cum s. q. *sape*

F. Cataplasma.

Cæterùmannon meritò adhuc
 alia constituenda sit nothæ anginae
 differentia, quæ ab humore melan-
 cholico & atro proveniat, Lectori
 judicandum relinquo. Facit ejus
 mentionem Heurnius, *de morbis pe-*
thoris. Oritur autem ea maximè in
 fæminis melancholicis, quibus men-
 ses non fluant; & sæpe in cancrum
 degenerat. Vidit talem ter Heur-
 nius, bis in duabus puellis, & semel
 in nupta fere senescente. Nigredo
 quædam ad epiglottida fere appa-
 ruit. Nupta deglutiendi difficul-
 tate perit. Atque exesus œsophagus
 ac musculus sternohyoïdes, ita ut
 cibus per interiora proflueret, ac
 exesus jugularibus hæmorrhagiâ in-
 teriret una, altera sensim contabe-
 sceret.

QUESTIO I.

An omnis angina sit ab Inflammatione.

Angina per Inflammationem vul-
 gò, & quidem ex Galeni doctrina,
 4. *de rat. victus in acutis*, text. 20. & 2.
 ad *Glaucôn*, cap. 1. definiri, supra di-
 ximus. Galenus tamen, 4. *de loc. af-*
fect., cap. 3. addita Hippocratis, ex 2.
epidem. sententia, etiam inter anginae
 species recenset eam, quæ ex verte-
 brarum ad interiora luxatione &
 perversione fit. Et Aretæus, *de caus.*
 & *sign. acut. morb. lib. 1. cap. 7. a-*

liam, quæ fit solius spiritus, prava
 conversione ad calidissimum & sic-
 cissimum mutati, vitio, nulla corpo-
 ris parte inflammatione laborante,
 addit.

Verum enim verò non omnis suf-
 focatio, multò minus respiratio læ-
 sa, est angina. Equidem si vocabu-
 lum anginae spectes, quòd ab *ἀγχο*
 deducitur, omnis suffocatio angina
 dici posset: usus tamen obtinuit,
 ut propriè & in specie illa suffoca-
 tio saltem dicatur angina, quæ salvo
 thorace à faucium & gutturis &
 partium huc pertinentium læsione,
 provenit. Et quidem cum vulgatissi-
 mè à partium harum tumore & in-
 flammatione accidat. angina etiam
 harum partium inflammatione de-
 terminatur. Luxatio verò vertebra-
 rum cervicis, etsi eandem suffoca-
 tionem inducere possit: tamen cum
 rarius accidat, & à causa externa
 pendeat, inter anginae quidem in ge-
 nere ita dictæ differentias referri
 potest; est tamen alterius curationis,
 quàm ea, quæ ab inflammatione
 provenit. Angina verò, cujus Aretæus
 mentionem facit, vix ad angina-
 nam commodè referri potest, sed po-
 tiùs ad respirationem læsam, de qua,
 parte secunda, dicitur, pertinet: cum,
 sicut ipse Aretæus scribit, in pectore
 vitium sit, ubi spirandi initium poni-
 tur, quodq; hominem celeriter eadè
 die jugulet. Neq; tamen, ut nonnulli
 existimant, de ea suffocatione loqui-
 tur hic Aretæus, quæ ex aère crasso &
 denso, qualis è carbonibus accensis
 exhalat, originem habet. Expressè n.
 scribit Aretæus, causam mali non
 extrin-

Angina à
 melanco-
 lia.

An omni
 angina sit
 ab inflam-
 matione.

extrinsecus advenire, sed intus exci-
tari. Sed si ea, quæ tradit Aretæus,
diligenter perpendamus, de acutis-
sima aliqua pulmonis inflammatio-
ne, aut certè de ætuosissima & acu-
tissima febre, qua spiritus calidissi-
mus redditur, loqui videur. Heur-
nius anginam hanc fieri existimat
ob inflammationem nervi, qui ena-
tus è colli vertebris, ac per pericar-
dium elatus, etiam diaphragmati
implantatur. Videatur etiam Hip-
pocrates, 4. de ratione victus in acut.
text. 21. & seqq. & Galenus, in com-
mentario. Et fortassis talis fuit an-
gina, cujus mentionem facit Dodo-
næus, in observat. cap. 18, qui in dille-
ctis talibus agris demortuis pulmo-
nes purulentos fuisse deprehendit.
Scribit autem eo loci Dodonæus,
destillante à cerebro humore aspe-
ræ arteriæ ramos primò repletos
fuisse: deinde eodem ad alia vasa
transmisso, liberari quidem arteri-
am, pulmonis autem malè affecti
partes à dolore occupari. Tale quid
Polemarchi uxori, 5. epid. sect. 61. ac-
cidit, quæ cum primùm angina te-
neretur, sanguine misso faucium,
suffocatio desuit, sed humore ad pul-
mones procul dubio decumbente,
septimo mortua est.

QUESTIO II.

*An humor anginam ex-
citans à cerebro & ca-
pite defluere possit?*

Docet id expressè Hippocrates,

dum, 4. de rat. victus in acut. text. 30.
scribit, anginam fieri, dum hyeme
& vere fluxio multa & viscosa ad
jugulares defluerit venas: id quod
ex capite fieri, Galenus, in comment.

*An humor
anginam
excitans à
cerebro de-
fluat.*

rectè docet.
Videntur tamen huic opinioni ad-
versari id, quod angina est tumor
calidus à sanguine ortum habens:
in hyeme verò, quæ pituita est me-
tropolis, frigidi & crudi humores
cumulantur, & inde excernuntur,
ut in catarrhis & coryza fieri vide-
mus. Deinde quod excrementa ce-
rebri per nares & palatum præcipuè
evacuentur, per quas vias in spatia
illa, in quibus angina generatur,
peringere non possunt.

Verum sciendum, excrementitios
humores, qui in cerebro colligun-
tur, præcipuè eâ parte, ubi venæ &
arteriæ primùm in ejus substantiam
inseruntur, non omnes per palatum
& nares evacuati; sed in vasa regur-
gitant, atque hinc, si post aures de-
fluxerint, parotidas, si per jugulares
ad faucium & gutturis venas, anginam
excitant, ut istos varios deflu-
xionum modos Hippocrates, in lib.
de locis in homine & de glandulis, ex-
plicavit. Unde etiam isti humores
non soli & separatim, ut dum per
palatum & nares fluunt, in fauces
irruunt, sed quia per venas ferun-
tur, sanguinem seu comitem seu ve-
hiculum adsciscunt, unde inflama-
tio excitatur, sed hujus vel
illius humoris par-
ticeps.

QUE

QUESTIO III.

An vera sit angina, quæ à Fungorum esu, & similibus venenatis rebus oriri dicitur.

An vera sit angina à fungorum esu &c.

Cognata quæstioni precedenti est & ista, an illa suffocationis species, quæ à fungorum esu, & similibus venenatis inferitur, sit angina. Etenim suprâ, in causis anginæ, diximus à nonnullis etiam inter causas anginæ recenseri Fungos, & similia. Etenim fungi quidam pariunt quasi suffocationem; id quod pausanix puella accidisse refert Hippocrates, 7. epid. Idem accidit ab helleboro albo & aconito; & unctor apud Harpalidem, lib. 7. epid. ex esu medicamenti purgantis suffocationem quasi incurrebat. Herba Bella donna dicta similem qualitatem habet, de qua Heurnius: *Foci causa*, inquit, (verum in talibus locus locum ita, turò non habet) *scrupulus de radice densus maceretur in vini Unc. j. horis ad summum duabus, & deinde percolato, ac digitis presso id vini recentis additur, quod poculum repleat. Totum potandum parastis præbetur. Fit inde, ut paulò post, qui biberint, nihil prorsus edere possint, magno spectantium oblectamento. Discutitur fucus à risu aceto potui dato. Id enim presentissimum antidotum. Idem habet Joh. Baptista Porta, lib. 14. Magia naturalis.*

Verum sciendum, talia venenata, & satem angustia quandam, & qua-

si suffocationem sine inflammatione inducant, ad causas anginæ referri non posse, patetque latius suffocatio, quàm angina. Si verò occasionem præbeant, ut sanguis ad fauces confluat, atque inflammationem excitet, inter causas anginæ meritò referuntur.

QUESTIO IV.

An Nidus hirundinis aliquem in angina curanda usum habet?

Vulgatum esse apud Practicos, ut Nidus hirundinis topicis medicamentis ad digerendum & discutendum in angina admisceatur, suprâ dictum. Aliqui tamen id improbant. Reprehendit primò usum nidi hirundinis Mercurialis, scribitq; Practicos plerosque, malè consilium veterum intelligentes, existimare, hanc vim inesse nido hirundinis, cum tamen eam habeat avis. Nam hirundo ad anginam commendatur; de quo Celsus, lib. 4. cap. 4. *Vulgò audio, si quis pullum hirundinis ederet, angina è toto anno non periclitari, servatumq; eum ex sale, cum is morbus urgeat, comburi, carbonemq; ejus conritum in aqua mulla, que potui datur, infricari & prodesse.* Et pulvisculus ex hirundinibus etiam gargarismis admiscetur. Verum et si in aliquam peculiarem ipsa avis in hoc morbo haberet; tamen usu deprehenum, jam est, etiam nidum prodesse, atque vis illa procul dubio nido inest, ob

An nidus hirundinis aliquem in angina curanda usum habeat.

excrementa pullorum hirundinum, eaq; sale multo abundantia; sicut & vis stercoreis canini, si biduo vel triduo tantum ossa comederit, proculdubio à sale proficiscitur. Deinde Perr. Paulus Pereda etiam usum nidi hirundinis hinc improbat, quod terra repellat. Verum non omnes terræ æqualem vim repellendi habent, nec ipse negare potest, sterco hirundinis digerere. Ideoque si quis omnino metuat vim repellendi in terrâ, ea maxima ex parte, ubi stercore hirundinum destituitur, separari potest, ut vis resolvendi & attrahendi, quæ est à stercore, fiat fortior. Neque enim existimò, nidum hirundinis præcipuè ob terram, quæ ei inest, adhiberi, sed potius ob sterco hirundinum, quod, ut Galenus, 10. de simpl. med. fac. & 6. de comp. medic. sec. loc. docet, acre & discussorium est; id quod ex historia Tobie patet, qui ex stercore hirundinis calido ipsi in oculos illapso excæcatus est. Quam acrimoniam cum admixta terra temperet, accommodatissimum discutiendis tumoribus, præsertim faucium & gutturis, est remedium, imprimis si hirundini aliqua peculiaris vis contra anginam inest.

QUÆSTIO V.

An Laryngotomia tuta & utilis sit?

An laryngotomia tuta & utilis sit.

Equidem nonnulli Laryngotomiam planè improbant, utpote quæ periculosa sit, cum primò ossa, &

cartilagine, è quibus & trachea pulmonis arteria constat, coalescere nequeant, ex sententia Hippocratis, 6. aph. 18. atque ita ægro interitus afferatur: deinde metuumdum sit, ne sanguis è vulnere effluens in pulmones ruere, ægrumque suffocare possit. Tertio etiam Aræteus & Aurelianus fide experientiæ hanc operationem destitui existimant.

Verum vulnera tracheæ planè insanabilia non sunt, sicut exemplò docet Albucasis Chirurg. lib. 3. c. 43. atq; aliquot etiam Schenckius, lib. 2. obs. 40. collegit. Atque ipse etiam arteriam ita vulneratam, ut vultus in cavitationem ejus penetraret, sanatam fuisse bis vidi. Et quamvis ipsa cartilago non coalescat, tamen carnis duræ & veluti calli interventu, & membranæ, qua junguntur, annuli asperæ arteriæ, conglutinatur. Neque etiam de fluxione sanguinis in pulmones metus est, si sectio rectè instituat. Nullum enim insigne vas est eò loci. Iis verò, qui experientiæ fidem in dubiù vocant, meritò ea exempla, quæ passim apud Medicos occurrunt, opponenda, quæ Schenckio, loco allegato collegit. Refertq; etiam Anton. Musa Brassavolus, in comment. in 4. Hippocrat. lib. de vict. rat. in acut. se suis manibus, cum chirurgus quidam imperitus id non auderet, angina laboranti morti propinquo guttur dissecuisse, quod & alias pluries cum felici successu se tentasse scribit.

CAPUT XXV.

De Strumis in Collo & Bronchocele, ac hydrope Gutturis.

Struma,

TAndem inter colli vitia meritò etiam Strumæ dictæ explicandæ. Strumæ autem, quæ Græcis χοιροειδής dicuntur, seu διὰ τῶν χοιροειδῶν, id est petris à mari prominentibus, seu διὰ τῶν χοίρων, id est, scrophis, undè & vulgò Scrophulæ dicuntur, quod scrophis, id est, suis frequenter in collo oriuntur, etsi in genere pro omnibus induratis tumoribus & peculiari membrana conclusis, qui in glandulis, in collo, sub axillis, in inguinibus, ut & mammis oriri solent, accipiuntur, ut ex Celso, lib. 5. cap. 28. & Aëtio, *tecrab. 4. ferm. 3. cap. 5.* videre est: in specietamen à nonnullis Strumæ pro tumore in gutture accipitur, de quo agere hujus loci est, de reliquis hujus generis strumis de tumoribus in genere dicendum.

QUÆSTIO.

An Bronchocele & Struma in Guttur e sit idem morbus?

Verùm cum tumorum horum natura & curatio rectè explicari & tradi nō possit, antequam hæc quæstio expediatur, eam, quæ aliàs postponenda esset, huic capiti præmittere libet. Fecit autem hujus controversiæ jam mentionem Joh. Langius, lib. 1. epist. 43. ubi scribit, bronchocele,

seu herniam gutturis, longè diversum à struma fuisse veteribus tumoris genus: Celso scilicet, lib. 5. cap. 28. strumam esse tumorem, in quo subter concreta quædam ex pure & sanguine, quasi glandulæ oriuntur; id quod in cervice, alis, inguinibus, in lateribus & mammis quoque accidat: bronchocele verò sit pendulus circa guttur tumor, à bocii, ventricosi poculi similitudine, bocium appellatus, inter cutem & asperam arteriam, in quo modò caro pituitosa, modò humor aliquis mellis, adipi, aut pulti similis membranulis includitur, interdum etiam pili minutulis ossibus mixti reperiuntur. Verùm cum consuetudo sit dicendi magistra, parum referre putat, bronchocelelem & charades strumas quoque appellari.

Verùm etsi forsitan hæc ita sese habeant, & strumæ vocabulum pro tumore, in quo subter concreta quædam ex pure & sanguine oriuntur, quæ febres movent, atque aliò tumore, quam qui hodie hoc nomine appellantur, (strumæ n. hodie notæ febrem non excitant) & forsitan pro apostemate aliquando scirrhuso acceperint: tamè de hoc etiam adhuc quæstio est, an strumæ hodie notæ differant à bronchocele. Nam video & hac de re etiam inter Autores discrepantiam. Alii enim bronchocelelem sub strumis cōprehendunt, & bronchocelelem statuunt esse strumam in gutture; alii v. eos tractatione sejungunt & separant. Hieron. Fabricius ab Aquap. *de oper. chirurg.* hanc differentiã cōstituit, quòd bronchocele sit tumor

An bronchocele & Struma in gutture sit idem morbus?

non in glandula aliqua, sed supra ar-
teriam asperam obortus; struma ve-
rò in collo sicutumor in glandula ali-
qua ex iis, quæ asperæ arteriæ adja-
cent, potissimum in iis, quæ sub la-
ryngè statim hinc inde ad asperæ ar-
teriæ latera ponuntur: atq; ita bron-
chocele sumit pro abscessu aliquo
penitiori membranæ incluso, ad
βέρυχον, id est, asperam arteriam
enato: strumas verò sumit pro glandularum in collo tumoribus. Idem
statuit etiam Franciscus Peccettius,
qui, *lib. 1. chirurgiæ, cap. 23. & 27.*
strumas glandularum tumores esse
scribit; bronchocele verò tumo-
rem seu abscessum magnum mol-
lem & rotundum inter cutem & aspe-
ram arteriam: & ex Guidone scribit,
si hujusmodi tumor in capite oria-
tur; talpam seu talpam dici, in
collo bocium, in testiculis herniam
(carnosam scilicet.) Distinguit etiam
strumas & bronchocele Platerus,
etsi alio modo, ut postea dicitur.
Ut ergò, quæ utriusque sit natura,
videamus, seorsim de utroq; affectu
dicemus.

De strumis in Gutturæ.

*Struma in
gutturæ.*

Strumæ ergo in Gutturæ sunt tu-
mores in glandulis, quæ asperæ ar-
teriæ adjacent, orti è pituita lenta
& crassa, aliquando etiam peculia-
ri carne geniti, peculiari membrana
conclusi.

Hippocrates, in *Coacis lib. 2. tertia
sect. apuor. 2. ex distinct.* Hollerii, ab
anno 14, ad 42. strumas fieri docet;
ab ea verò ætate ad annos tres & se-

xaginta strumas fieri negat. Quod
procul dubio verum est, ubi ab in-
terno humorum vitio strumæ fiunt;
cum eâ ætate materia amplius deesse
videatur. Interim non videtur
impossibile, etiam post 42. annum
strumas fieri posse ab aquarum vi-
tiosarum potu; quod illis accidit,
qui ad Alpinos populos veniunt.
Tumores enim hi quibusdam locis
endemii sunt, scribitq; Hieron. Fa-
brius ab Aquapendente, tales tu-
mores frequentes esse in quadam
Bergomensis agri parte, ubi cum vi-
ritum mulieres ferè omnes antè
in collo gestant tumores magnos,
molles, mobiles & pendulos, dolo-
ris expertes. Idem morbus & Al-
lobrogibus & Alpinis, ac Carinthiæ
& Styriæ alpinæ inhabitatoribus, &
Hispaniæ quibusdam locis familia-
ris est.

Tumores hi, ut diximus, & strumæ
& scrophulæ dicuntur. Platerus
tamen inter eos talem facit differen-
tiam, & strumas illos tumores in-
gutturæ appellat, qui sunt magni &
penduli, & sæpe, cum gutturi pro-
fundè incumbunt, raucedinem vel
dyspnæam aliquam efficiunt; scro-
phulæ verò eos saltem tumores,
cum una simplex glandula, vel ex
duabus tribusque nonnunquam in-
star uvæ complicata prominēt, ap-
pellat. Nam etiam scrophis seu por-
cis tumores hi saltem prominent,
non dependent.

Causæ.

Oriuntur autem strumæ hæc im-
primis

primis ex humore crasso & lento, quem vulgò pituitosum esse statuunt, cui interdum etiam melancholicus admisceatur. Platerus tamen non sine causa hinc monet, non satis rectè vulgò statui, ex sola pituita aut melancholia hos glandularum tumores deduci. Ex his enim si strumæ & ejusmodi tumores alii ortum haberent, non tam diuturni essent, sed putredini & corruptioni obnoxii, & in pus mutarentur, ut alii ex humoribus simpliciter excrementitiis orti tumores. Ipse verò è succo nutriente hostumores orti statuit. Cum enim glandulæ, quàm aliæ carnes, crassiore succo nutriantur, si is quantitate & qualitate moderatus sit, eas in suo naturali statu conservat; si verò qualitate, & imprimis quantitate excedat, tumores varii excitantur. Etenim si aliquid humorum planè excrementitiorum admisceatur, tumores ejusmodi citius in abscessum abeunt: si verò succus ille nutriens solus sit, sed copiosior, quàm ut parti omnis apponi possit, in ejusmodi tumores degenerat. Naturaliter enim talis humoris non plus in corpore generari debet, quàm ut partibus illis nutriendis sufficiat. Si verò plus ejus generetur, talium tumorum causa est. Natura enim ut vitiosos humores alios ad alias partes protrudit, ut in scabie, erysipelate, bubonibus, arthritide videre est: ita etiam, quod in alimento est ignobilius, non partibus nobilibus apponit, sed glandulis, unguibus, capillis. Quapropter et-

L. II.

iam si talis ignobilis, feculenti, & crassi alimenti plus generetur, natura rectè agens ad illas partes, cum quibus convenientiam habet, glandulas scilicet, protrudit, ex quo proinde etiam carnem aut carni quid simile generare tentat. Unde etiam Autor definitionum Medicarum strumas dicit carnem siccam, & Aëtius, ex Leonidâ, carnem subalbescentem faciliè auferentem. Et quidem peculiari membranæ strumæ includuntur, quæ & ipsa à facultate formatrice, quæ omnibus partibus viventibus insita & nunquam otiosa est, producitur. Dum enim ab affluente humore superfluo membrana distenditur & forsitan etiam rumpitur, natura novæ quasi membranæ texturam aggreditur.

Platerus his causis addit etiam semen & facultatem formatricem in utero, & serophulas has, ubi sunt, alicui loco familiares, à parentibus in liberos propagari potius, quàm cibi vel potus alicujus peculiaris causa evenire, statuit. Quod ut non rarò verum esse existimamus; ita potum & causas ante propositas rejciendas non censemus; cum observatum sit, eos, qui sani in talia loca pervenerunt, si aliquandò ibi degant, strumas tales contrahere.

Habet autem humor ille ortum è cibus crudis & crassis, unde etiam ætati puerili, quæ tales humores cumulat, malum hoc familiare esse, ex Hippocrate modò dictum est, imprimis ex potu aquarum crudarum & nivialium: qua de causa,

R

qui

qui Carinthiam & Styriam, & alia-
 ibi loca alpes versus incolunt, pleri-
 que bronchocele laborant. Langius
 equidem, *lib. 1. epist. 43. & lib. 3. epist. 4.*
 qui eò loci videatur, in hydrargy-
 rum seu aquas ex montibus metal-
 lorum feracibus scaturientes & Mer-
 curium in se continentes causam
 huius rei refert. Et omnino ne-
 gandum non est, argentum vivum
 peculiari modo pituitam ad faucēs
 & glandulas ibi protrudere, ita ut
 etiam extrà inunctus salivationem
 excitet & dentium vacillationem
 pariat: quia tamen in Hungaria &
 Transylvania, atque alibi etiam, in
 magna còpia Mercurius provenit,
 ubi tamen morbus ille epidemius
 est: malo simpliciter ex aquarum
 crudarum & ex nive liquecente
 resolutarum potuid fieri, quas Hip-
 pocrates, *lib. de aere, aquis. & locis,*
*ἡδαῖα φλεγμῶδῆσα, & βεργυ-
 ροῦδῆσα* nominat.

Signa diagnostica.

Signa.

Affectus ipse per se patet. Appa-
 ret enim tumor rotundus, pendu-
 lus, propriæ membranæ inclusus,
 qui propterea ad tactum mobilis
 est & à cute separari potest.

Prognostica.

Prognosti-
 ca.

1. Strumæ hæc ut omnes difficul-
 ter curantur, in pueris tamen faci-
 lius curantur, quàm in adultis.

2. Liberæ ac nulli vasi implicatæ
 strumæ curantur facilius, quàm quæ
 vasis implicatæ sunt.

3. Excisione sine periculo vix cu-

rantur, propter nervos recurrentes
 eò loci latentes, qui si læduntur, vox
 perit: quod cuidam accidisse refert
 Galenus, *1. de loc. aff. cap. 5.* quicum
 strumas in profundo in collo in-
 cumbentes excinderet, & inter se-
 candum quoddam vas non specillo
 feceret, sed unguibus evelleret, im-
 prudens ob ignorantiam simul ner-
 vos recurrentes distraxit, atque hoc
 p. cto puerum liberavit à strumis,
 sed mutum reddidit. Ideoque stru-
 mæ, quæ in anteriore colli parte
 sunt, periculosiores sunt, quàm quæ
 in posteriore.

4. Nisi folliculus radicitus excin-
 datur, malum reverti solet.

Curatio.

Materia tumoris causa tollenda. *Curatio.*
 est, & si quæ materia affluat, ea et-
 iam evacuanda. Quod fit, dum vel
 insensibiliter absumitur ac discuti-
 tur, vel in pus mutatur, vel excin-
 ditur.

Primo ergo, si adhuc vitiosi hu-
 mores, præcipue pituitosi, qui causæ
 antecedentis rationem habeant,
 in corpore abundant, ii tollendi,
 & corpus convenienter evacuan-
 dum, cum per universalia, tum per
 ea, quæ caput purgant.

Deinde corpore evacuato ea me-
 dicamenta exhibenda, quæ mate-
 riam strumarum absumunt, absor-
 bent, & exsiccant. In quo genere
 primo est radix scrophulariæ, quæ
 nomen inde habere videtur, quod
 scrophulis medeat, item radice,
 urticæ mortuæ, silipendulæ, gladio-

li Lan-

li. Laudatur & radix rufci, cujus efficaciam sibi quoque comperitam esse testatur Fallopius, si ejus in pulverem redactæ drachma una singulis diebus cum vino assumatur.

Vel R. Rad. rufci Drach. j.
iridis gr. x.

Cum vino dulci vel mulsa exhibeatur diebus 40.

Plurimum etiam commendatur spongia, ac sequens medicamentum, ut secretum in multis probatum, commendatur:

R. Spongiam novam, crudam, non lotam, quæ calculis & nodulis sit refertissima. Infundatur tota in f. q. cerevisiæ, ita tamen, ut aliquandiu decoctum sufficiat. Coque cum cerevisiâ, ut absumatur quantitas duorum transversorum digitorum. De eo bibat æger vesperi, cum cubitum itur, haustum calidè. Sin autem assumi illa potio præ nausea nequit, addi possunt aromata pro libitu, aut radix polypodii querni.

Arnoldus de Villa nova hunc pulverem laudat, ut pote à quo omnes infra vigesimum quintum annum infallibiliter curentur:

R. Cineris spongiæ marinæ &
palcæ marinæ,
ossis sepiæ,
piperis longi & nigri,
zingiberis,
cinamomsi,
salis gemmæ,
pyrethri,
nucum cupressi,
gallarum quercus,
rosar. ana Unc. ij.

F. Pulvis.

De quo æger sæpius de die & nocte in ore aliquid teneat, & paulatim deglutiat. Idem & cibus inspergi poterit.

Idem & alios pulveres proponit. Valdè etiam commendatur hic Pulvis:

R. Rad. aristoloch. rotunda,
raphani,
spatula fatida, ana Drach. j.
fol. pimpinellæ,
pilosellæ,
rutæ majoris, ana Drach. ij.
scrophulariæ,
filipendulæ, ana Unc. ℥.
sem. anisi Drach. ij.
zingiberis Drach. j.
turbit. opt.
fol. senæ elect. ana Drach. ij.
sacch. albi ℥. iii.

F. Pulvis, de quo sumatur singulis diebus cochlear unum cum vino albo vel aqua genistiæ.

Vel R. Lapidis spongiæ Drach. iij.
sal. gemmæ Drach. ij.
salis tartari Drach. j.

F. Pulvis. Sumantur à quadra ultima quotidie ex vino Drach. ℥. vel Scr. ij.

Alius Pulvis contra strumas:

R. Spong. marin.
pila marin.
corall. rub. ust. Drach. ij.
papyri tenuis & albi omnium
combust. ana Unc. ℥.

Quibus cinerib. admisc.

rad. scrophular. maj. Drach. iij.
oss. sepiæ,
sal. gemmæ,

R 2

gallar.

gallar. an. Drach. ij.
nuc. mosch.
piperis long. & alb.
zingib. a. an. Drach. j.
cinamomi ac. Drach. jß.
sacchari Unc. jß.

M. F. Tragema.

Ex pulveribus istis cum sirupo
 betonicae vel alio conveniente fieri
 possunt etiam Electuaria. Vel talis
 paretur Potio :

℞. *Rad. scrophularie,*
filipendulae, ana Unc. ß.
fol. agrimonie,
piloselle,
pimpinelle, an. M. j.
flor. betonicae,
rorismarini, an. P. j.

Coqu. in vino albo vase clauso.
 Colatura dulcetur saccharo, &
 addatur aq. cinamom. Drach. jß. pro
 duabus vel tribus dosibus.

Tertio Topica usurpanda, & pri-
 mo quidem danda opera. an mate-
 ria tumoris causa insensibiliter dis-
 cuti & absorbi possit. Et adhiben-
 tur ferè medicamenta, quæ scirrhis
 applicari solent, & primo quidem
 emollientibus, incidentibus & dis-
 cutientibus utendum, & imprimis
 ea eligenda, quæ strumis privatim
 prodesse comperta sunt, ut scrophu-
 laria, & similia: atq; ut corpus mol-
 lius vel durius, tumor recentior vel
 antiquior fuerit, ita fortiora vel mi-
 tiora usurpanda.

Ut ℞. *Rad. althae Unc. j.*
mucilag. sem. lini,
sanigraci, ana
Drach. vj.
pingved. gallin.

humanae, an. Unc. j.
ol. amygd. dulc. Unc. ß.
croci Drach. ß.
cera q. f.

F. Unguentum.

Vel ℞. *Rad. scrophularie autumnoe*
fossæ & purgatæ q. v.

Contundantur cum l. q. butyri
 recentis, inque fictile operculo clau-
 sum loco humido reponantur per
 dies 15. Deinde lento igne calefiant
 & colentur. Linimento hoc strumæ
 illinantur.

Vel ℞. *Folia cupressi, F. Pulvis.*

Pulvis hic vino conspergatur, &
 in massam unam redigatur. Hoc
 medicamento strumam illines &
 tertio die demum solves, tum locum
 exprimas, quem contractum invenies.
 Denuo medicamentum induces
 atque iterum obligabis per triduum,
 donec struma evanescat.

Et talia plurima passim à Galeno,
 Paulo, Celso, Rhase, Avicenna, &
 aliis describuntur, quæ omnia hic
 cumulare opus non est; præsertim
 cum plurimi diffidant huic curatio-
 ni in antiquis strumis. Quamquam
 enim Galenus & alii curandas hoc
 modo strumas esse præcipiant, ac
 Valescus de Taranta in strumis unius
 anni talibus resolventibus cum fe-
 licis successu se usum esse scribat: ta-
 men si sint antiquiores & perfectæ,
 ac membranis conclusæ, hoc modo
 integra curatio vix sperari potest.

Itaque ubi per emollientia & re-
 solventia tumor discuti non potest, ^{Suppuratio}
 ad maturationem & suppurationem
 veniendam,

Ut

Topica.
Emollien-
tia & re-
solventia.

Ut R. Rad. lilior. albor.

alibæ,
iridis.

Coqu. ad mellitiem.

Deinde adjecta farina triticea & oleo dulci vel liliorum alborum, ac pinguedine anserina vel gallinacea, fiat Cataplastma.

Vel alia maturantia applicentur, quæ passim nota sunt. Insistendum autem tamdiu usui suppurantium, neque locus antè aperiendus, donec tota materia intus conclusa in pus mutata fuerit. Vomicâ enim adhuc conclusâ calor etiâ conclusus manet, atque reliquum etiâ materiæ facilius in pus vertit. Quod si vomica citius aperiatur, cum humoribus etiâ spiritus & calor effunditur, quo expirante reliqua pars materiæ postea tardius & cum difficultate suppuratur. Cui & hoc accedit, quod pars materiæ suppurata facit, ut & reliquum facilius in pus mutetur.

Apertio.

Ubi verò struma fuerit in pus mutata, aperienda est vel medicamento, vel ferro, aut cauterio. Apertâ vomicâ pus evacuandum, deinde sinus expurgandus unguento Apostolorum, medicamento de apio, vel simili, hinc sinus carne implendus, & cicatrice claudendus. Imprimis verò hoc Unguentum ad strumas suppuratas & apertas commendatur.

R. Olei laurini Unc. j.
cerussa pulversata & cum aq.
vite lavigata eisdem Unc. j.
aluminis rocha Unc. ℞.

salis communis Drach. ij.

F. Unguentum.

Vel applicetur emplastrum diachylum compositum.

Vel R. Rad. iridis Unc. iij.

Coqu. in aceti & mellis, an. Unc. vj.
Contundantur minutim & addantur terebinthina,

unguenti dialibæ an. Unc. iij.
pulv. cumini,

sanigræci, an. Unc. j.

cera q. s. Fiat Emplastrum

Vel R. Galbani,

℞delli, an. Unc. j.

ammoniâ Unc. ij.

sordis albeariorum apum,

æsypi, an. Drach. ij.

terebinthina,

picis liquidæ, an. Unc. j. ℞.

baccar. lauri,

staphidis agricæ,

sumini,

pyrethri, an. Unc. ℞.

sercoris caprini,

ovilli,

anserini, an. Dra. iij.

axungie porci,

sevi caprini,

cervini,

ursini, an. Unc. j.

ol. chamamel.

lilior albor.

cera an. q. s.

F. Emplastrum, quod potenter resolvit.

Vel R. Rad. bryoniæ,

cyclaminis,

cucumeris agrestis,

ireos, an. Unc. ij.

Coqu. in vino albo & terantur.

R 3

Dein

Deinde adde

ammoniaci aceto dissoluti,
bdellii,
opopanaxii in oleo sesamino
dissoluti, an. Unc. j.
stercoris columbini,
caprini, an. Unc. jss.
ladani,
styracis calamitæ, an. Unc. ss.
piciis navalis q. s.

F. Emplastrum.

Vel ℞. *Emplastri de meliloto* Unc. j.
bdellii aceto scillitico dissoluti
Drach. ij.

castorei pingvis Drach. jss.
pulo. radic. ireos,
fol. cupressi, an. Drach. j.
ol. chamamel.
lilior. albor.
amygdalar. amar. an. q. s.

F. Emplastrum.

Septico.

Quod si nec hoc modo curatio sperari potest; extrahenda est struma: quod quidem fit primò sectione, quæ quomodo peragenda sit, in Instit. lib. 5. pars. 1. sect. 2. cap. 13. dictum.

Septica.

Quod si æger ferrum non admittat, alius modus superest strumas tollendi per medicamenta seu caustica & corrodentia, seu septica & putrefacientia. Hæc autem in re diligenter observandum, ne partes vicinæ à medicamentis his lædantur & inflammentur. Ideo muniendæ sunt unguento refrigerante Galeni, rosato Mesue, & similibus. Perficitur autem hæc res duobus modis. Alii scarificationem præmittunt, & strumam in minutissima scarificant,

deinde inspergunt pulverem paratum ex morsus diaboli siccat. in umbra
Unc. j. *arsenici rubri, vitrioli, lithargyri, auripigmenti, an. Drach. j.* Pulveri impone emplastrum diachylum, quod post 24. horas demum deme & vide, an struma sit castigata. Nisi fuerit, aufer scalpello cutem mortuam, denuoq; insperge pulverem & emplastrum imposito. Post 24. horas castigata scrophulæ illinatur locus butyro & vitello ovi mixtis in formam linimenti. Et ita singulis 24. horis linimentum mutabis, donec caro mortua deciderit.

Alii sine scarificatione mox medicamenta caustica & septica adhibent: alii tamen alia. Fallopius in corporibus rusticis utitur trochiscis de minio, quos describit Johan. de Vigo, lib. 8. cap. 13, ubi & similia medicamenta plura reperiuntur, pro quibus ille, ut mitiores, hos substituit:

℞. *Auripigmenti,*
arsenici crystallini, an. q. s.

Misce cum pasta ex farina triticea & F. Trochisci. Pro quibus etiam in apertam vomicam hoc medicamentum imponit:

℞. *Arsenici rubri,*
sandaracæ Græcorum, an.

Drach. ij.

axungia suilla q. s.

M. fiat Unguentum.

Et plurimi quidem censent, arsenicum hac in re primatum obtinere. Verùm cautione opus est, & non temerè admovendum. Nam supra modum vehemens ac virulentum est, febres

febres excitat, & plurima alia prava symptomata inducit, & in minima etiam quantitate multa præstat. Ideoq; ultra quantitatem dimidii grani triticei non adhibendum, & quidem in corpore robusto, & loco à membris nobilibus remotiore. In corporibus verò mollioribus & juxta membra nobilia minor quantitas adhuc adhibenda, semperq; præstat minimam quantitatem una vice applicare, & postea idem medicamentum, si opus sit, repetere, quàm nimia quantitate ægrum lædere. Et cum per dies tres duret operatio ejus, eotempore æger semper, ut febricitans aliquis, regendus, & contra malignitatem muniendus. Itaque cum non sine periculo arteriæ applicetur, præstat lapide caustico, quo fonticuli excitari solent, quemque in *Instit. lib. 5. cap. ult.* descripsimus, uti.

Quando glandula jam corrupta & absumpta fuerit, crusta inducta à sana parte removenda butyro loto cum farina triticea & axungia suilla. Crustâ demta si quid adhuc vitiosum reliquum fuerit, illud etiam per medicamenta erodentia, ut unguentum Agrippæ & similia, tollendum, & tandem ulcus, ut fieri solet, sanandum.

Est tamen adhuc alius modus strumas sanandi, quæ ab exili radice pendent. Illas enim serico filo, aut fetis equinis versus radicem constringere licet, & quidem indies arctius, donec resiccatae fuerint, & spontè deciderint. Potest etiam me-

dicamento efficacante actio vinculi promoveri & adjuvari.

Tandem de curatione strumarum non prætereundum, vulgo ferri, Reges Galliæ solo tactu sanandi strumas vim habere. De quo etiam alii aliter sentiant, & alii in imaginationem, alii in aëris mutationem & motum corporis causam hujus rei rejiciant: tamen vana hæc esse, facile patet. Cum autem hæc vis à Clodoveo primo Galliæ Rege profecta sit, atque inde ad successores per traducem, nullo respectu familiarum habito, translata sit, procul dubio donum est supernaturale divinitus concessum. Nam cum dictus Clodoveus primus Galliæ Rex esset idolorum cultor, Clotildis uxoris monitu & precibus persuasus est, ut Christi nomen profiteretur. Cum ergo à Remigio, Rhemensis Archiepiscopo, baptisatus & chrysmate unctus esset, ab eo tempore hanc vim strumas sanandi accepit, & quasi per traducem in omnes suos successores derivavit. Solent autem passim è vicinis & peregrinis locis quotannis strumis laborantes affluere, quibus rex manum imponit, & hæc verba Gallico sermone profert: *Le Roy te touche, & Dieu te guairit: Rex te tangit, & Deus te sanat*, atque apposito crucis signaculo, ab uno & trino Deo vim eam derivari, publicè profitetur. De qua mirabili strumas sanandi vi, solus Galliæ Regibus Christianissimis divinitus concessa, peculiarem librum conscripsit Andreas Laurentius, qui videatur.

*Curatio
strumarum
à contractu
Regis Gal-
liæ.*

De Bronchocele.

Bronchocele.

Bronchoceleum verò definit Celsus, *lib. 7. cap. 13.* quòd sit, tumor in cervice seu collo inter cutem & asperam arteriam, qua modò caro hebes, modò humor aliquis melli aquave similis includitur, interdum etiam minutis ossibus pili immixti.

Quæ autem & de causis ejus & de curatione vulgò traduntur, parum ab iis, quæ de causis & curatione strumarum dicta sunt, differunt. Ideoq; ea etiam non repetemus. Hoc verò non prætereundum, Felicem Platerum aliam planè, & à vulgata opinione diversam, de generatione & curatione bronchoceles, sententiam habere, quam proponere libet.

Ille autem statuit, bronchoceleum seu gutturis herniam esse tumorem in colli anteriore sede seu gutturo, amplo spatio extuberantem, qui tensus est admodum, ut, cum pulsatur, sonum edat, & cum premitur, sicut uter inflatus cedat, sed mox iterum attollatur; quibus à struma facile secernatur.

Causam autem hujus mali statuit esse flatum sub cutem membranamq; generalem cuti substratam, adnexamq; in colli anterioribus irumpentem. Collectionis autem aëris eò loci causam esse statuit laxationem seu avulsionem cutis, cum membrana illa, quæ eò loci crassior est & rubicundior, quàm alibi à subiectis asperæ arteriæ musculorumq; colli anteriorum sedibus, spatiumq;

illic efficientis, in quod ob fugam vacui aër seu flatus è vicinis locis irrumpens, illud non solum implendo, cutem membranamq; in tumorem elevat, sed & continuatione distendens in immensum adauget; unde nomen rectè acceperit tumor, quòd bronchocele, quasi raptura seu hernia gutturis, appelletur.

Causam autem avulsionis membranarum statuit esse conatum vehementem, qui fit, dum spiritu retento excrementa vel foetum in partu excludere nituntur, aut buccas vehementer inflant.

Verum enim verò etsi facile concedimus, causam principalem esse avulsionem cutis & membranæ illius à partibus vicinis, tamen verò vix simile videtur, solum flatum, utpote mobilem, nec facile uno in loco hærentem, malum tam diuturnum procreare posse; & tangenti aliud etiam facile deprehendere est. Ideoque mihi probabile videtur, in vacuum illud spatium, præcipuè membranis extensis, succum aliquem & nutrimentum crassius effundi, è quo natura carni quid simile formet. Unde etiam ipse Platerus statuit, nisi malo huic maturè occurratur, vix dum amplius abigi posse, sed toto vitæ curriculo permanere illic, quo p. n. excrefcit, sese circa vicina vasa implicante, & iis pertinaciùs adhærescente.

Curatio

Curatio ergò ut ex Plateri sententia rectè instituat, principio, ne tumor

Curatio.

tumor incrementum sumat, adstringentia sunt applicanda, ut emplastrum ad rupturam, & quæ in hydrope solent adhiberi, ut membranarum illa contiguitas soluta iterum jungatur.

Idem tamen etiam interna quædam adstringentia & siccantia exhibet, commendatque pulverem aluminis usti Unc. ℞. pondere exhibitum. Possunt & alii pulveres antea de strumis propositi exhiberi.

Si verò tumor jam incrementum sumserit, discutientia antea in strumarum curatione proposita etiam hic locum habere possunt.

De hydrope gutturis.

Non prætereunda hic rara affectio gutturis. Solent enim interdum partes quædam privatæ ab aqua intumescere, non solum internæ, ut pulmo & uterus, sed etiam externæ. Et vidi semel atque iterum, & idem annotarunt alii, toto corpore salvo, manum tantum intumuisse tumore aquoso pertinacissimo. Idem in gutture factum in puella, vidit Montanus, qui etiam hydropem illam gutturis per incisionem curavit.

*Hydrops
gutturis.*





LIBRI II.
 PARS SECUNDA,
 DE ASPERÆ ARTERIÆ,
 pulmonis, mediastini, diaphrag-
 matis, thoracis, præter naturam
 affectionibus.

PRÆFATIO,

Summam tractandorum continens.

Postquam hæcenus morbos & symptoma-
 ta, quæ partibus inter caput & thoracem interme-
 diis accidunt, explicavimus, ut ad vitia thoracis &
 partium in eo contentarum accedamus, ordo postu-
 lat. Hæc ergo secundæ libri secundæ parte dicemus de affectibus
 præter naturam Asperæ arteriæ, de Pulmonis morbis, puta ejus
 intemperie, inflammatione, seu peripneumoniâ, obstructione,
 de grandine & calculo ac vermibus in pulmone genitis, de hy-
 drope pulmonis, de pulmonis cum thoracis membranis coa-
 litu, de ruptura & erosione vasorum pulmonis, de vulneribus &
 ulceribus pulmonis; de Mediastini inflammatione; de Diaphra-
 gmatis inflammatione; de Pleuritide, seu inflammatione pleuræ
 & musculorum thoracis, de vulneribus & fistulis, de empyema-
 te, de hydrope Pectoris, de vertebrarum dorsi luxatione & gib-
 bositate, de fracturis Costarum & earum ad interiora compres-
 sione. Hinc dicendum de symptomatibus, quæ inde prove-
 niunt, puta de Respiratione læsa, Asthmate, Suffocatione; Vocis
 & Locutionis læsione; Tussi, Dolore lateris & pectoris, Sputo lan-
 guinis, & Grandinis ac Calculorum & Vermiculorum è pulmo-
 nibus rejectione.

CAPUT

CAPUT I.

De Aspera arteria morbis.

Aspera arteria morbi,
FAncibus & gutturi succedit Arteria, Græcis *αροχία* dicta, ad differentiam earum, quæ à sinistro cordis ventriculo in universum corpus distribuuntur: item *βεγυχο*, quod ex bronchiis, id est, annulis cartilagineis constat. Habet ea naturalem constitutionem suam, ut passim ab Anatomicis describitur, à qua si deflectat, varii morbi in ea oriuntur.

*Morbi Intemperiei.**Intemperiei,*

Et primò quidem morbi intemperiei corripitur, quam inducit imprimis aer, quem inspiramus, ut & quem expiramus, qui si frigidior fuerit, asperam arteriam refrigerat; si calidior, cal. facit; si humidior, humectat; si siccus, exsiccet. Possunt idem præstare etiam cibus & potus. Hinc ab aqua frigida vel potu alio congelato aut glaciè refrigerato aspera arteria refrigeratur. Eadem tamen intemperies accidere potest ab humoribus & materia, quæ eam præterlabitur, sive à capite ad eam confluat, sive à pulmone & thorace rejiciatur. Possunt etiam intemperies partium vicinarum tracheæ intemperiem aliquam inducere. Ita œsophagus inflammatus calidam intemperiem arteriæ asperæ communicare potest.

Cognoscuntur autem istæ intemperies à causis antecedentibus, scilicet vel calefacientibus, vel frigefacientibus, vel humectantibus, vel siccantibus, item ex vocis mutatione, oris ariditate vel humiditate, caliditate vel frigiditate, deglutiendi difficultate vel facilitate, ut & juvantibus ac nocentibus.

Si verò intemperies à materia in corpore contenta inducatur, arguunt eam tussis, sensus gravitatis, dolor, anhelitus difficultas. Materia autem & humoris natura etiam intemperiei speciem indicat.

Simplices autem intemperies & qualitates, siccitatem si excipias, facile sanantur, remotis, quæ eam induxerunt, causis, & contrariis adhibitis; difficilius verò intemperies sanantur, quæ à materia foventur.

De curatione autem in genere hoc tenendum, eum partes, è quibus aspera arteria constat, sint frigidissimæ & exsangves, in refrigerantium usu cautus esse debet Medicus. Cum etiam pars hæc sicca sit, & à cerebro defluentia excrementa subinde recipiat, audaciùs siccantibus uti licet; exasperantium tamen usus vitandus.

Intemperies autem simplices saltem remotionem causæ eam inducentis, & contraria medicamenta indicant.

Si adfit materia eam fovens, illa removenda.

Si nimirum intemperies sit *calida*, alteretur frigidis, *sirupo violarum*, *rosarum*, *cucurbitæ*, *mucilagine seminis psyllij*, & similibus.

Si *frigida* sit intemperies, conveniunt *species & vorule diarcos*, *diacalaminthæ*, *diabyssori*, *sirupus de hyssopo*, *de betonica*. Extrâ inungatur *cololum oleo irino*, *costino*, & similibus.

Si intemperies sit *humida*, utile est *decoctum & aqua hyssopi cum melle*, *species diarcos*, *diacalaminthæ*.

Si intemperies sit *secca*, utendum *sirupo violarum*, *juzubino*, *de glycyrrhiza*, *lacte*, *emulsione seminis papaveris*, *amygdal. dulc. pincarum*. Extrâ collum inungendum *oleo violarum*, *amygdal. dulc.*

Si cum materia sit intemperies, ea cura requiritur, quæ in catarrho ad pectus labente proposita est.

Asperitas.

Asperitas. Deinde aspera arteria patitur morbum superficiei, cum scilicet, quæ intus & secundum tunicam interiorem naturaliter lævis esse debet, aspera redditur & inæqualis.

Causa. Quod ipsi à rebus acris immo dicè detergentibus & erodentibus, ut falso & acri catarrho, rebus acidis, oleo, quod licet alias partes lenire & lævigare possit, asperam tamen arteriam & oculos exasperat, præcipuè si sit rancidum, vel frictione tale evaserit, rebus item

oleosis & rancidis aliis, ut nucibus & similibus, pulvere item & fumo, vaporibusque acris, quos cum aëre inspirando attrahimus, accidit. Longa etiam oratio & vocis intensio asperam arteriam reddunt, humores item maligni, ut in lue Gallica; item vapores acres in febribus malignis ex inferioribus partibus elevati.

Asperitas asperæ arteriæ cognoscitur ex causis, quas modò enumeravimus, & ex utilitate, quam præbent lenientia, & damno, quod oritur ex acrium & acidorum usu. Imprimis autem ex effectu cognoscitur, nimirum ex raucedine vocis, quæ ex asperitate arteriæ hujus excitatur.

Asperitas autem asperæ arteriæ lenientia & lævigantia remedia, & emplastica morstu expertia postulat. Cujusmodi sunt *amylum*, *tragacantha*, *bolus Armena*, *amygdala dulces*, *nuclei pini*, *dactyli*, *ficus*, *lac*, *vinum dulce*, *diapenidum*, *diatragacanthum frigidum*, *sirupus de juzubis*, *diacodiura*, *sirupus de glycyrrhiza*, *loch de psyllio*, *de papavere*, *succus & extractum glycyrrhizæ*. Imprimis hic profunt hypoglottides, ac pilulæ & trochisci sub lingua tenendi, ut *pilula bechicæ*, *trochisci bechicæ*, *oleum amygdal. dulc. cum saccharo cando*.

Atque omnino hujus loci sunt arteriaca dicta medicamenta, quod membranæ arteriam asperam succin-

cingenti prouent. Composita talia ex Antiquis multa proposuit Galenus, 7. de composit. medic. secund. loca. Verum cum, ut idem Galenus, ibid. cap. 1. ait, omnium simplicium medicamentorum vires exquisitè nosse oporteat eum, qui compositum quoddam sit facturus, simplicia arteriaca hinc proponere libet.

Est autem illorum triplex genus. Primum complectitur lenientia, quæ sine omni mordicatione lavigant, qualia sunt, *butyrum recens f. sale, amygdalum, lac, mustum dulce decoctum, passula, dactyli, jujuba, amygdala dulces, pinea recentes, glycyrrhiza, tragacantha, gummi Arabicum, cremor pisana hordeacea & triticea, muscilago sem. psyllii, cydoniorum, emulsio seminum quatuor frigidorum majorum.*

In secundo genere sunt, quæ abstergunt simul non nihil, citra tamen rosionem. Et possunt etiam in hunc finem usurpari medicamenta ex priore classe, si, quæ sunt hujus generis propria, adduntur. Sunt autem talia, *saccharum, mel, saccharum penidii, scarica, sirupus violarum, jujubinus.*

In tertio genere sunt paulò acriora, quæ exsiccant, abstergunt, & discutiunt, ut *hyssopus, thymum, radix ireos, semen uiricæ, cinamomum, amygdala amaræ, spica, thus, myrrha, terebinthina, farina orobi, spec. diaireos Salomonis.*

Esti verò pluribus modis talia exhiberi possunt, ut situporum, linsum; tamen commodissimè ferè

in hypoglottidas, seu trochiscos sub lingua tenendos, qui paulatim liquecant, conformantur. Harere enim necessum est.

Composita multa talia, ut dictum, apud Galenum, 7. de composit. medic. sec. loca, exstant. Unum atque alterum saltem addeamus:

Rx. *Sem. cydonior.*

psyllii,

spec. tragacanthi frigidi, an.

Drach. j.

Fiat Nodus, qui madefiat in decocto passularum & glycyrrhizæ.

Vel Rx. *Glycyrrhiza rec. in taleolas secta q. s.*

passul. minor.

caff. extr.

sacch. cand.

sem. cydonior.

Ebulliant parum, & pro usu seruentur.

Vel Rx. *Rad. albae Unc. j.*

glycyrrh.

branca ursina, an. Un. s.

passul. mundat.

jujubar.

sebesten, ana N. x.

flor. violar.

malve, ana P. j.

sem. 4. frig. major.

cydonior. an. Drach. iij.

hordei mundat. P. j.

Fiat decoctio. In t̄ j. dissolv.

fir. violar. Unc. iij.

jujubini Unc. j.

M. pro tribus dosibus. Vel coq. ad spissitudinem, & addatur saccharum penidium. F. Lohoh.

Angustia aspera arteria.

*Angustia
aspera ar-
teria.
Causæ.*

Tertio patitur aspera arteria morbos cavitatis, seu Angustiam, quæ fit à rebus extrâ comprimentibus, laqueo, manu, similibusque causis asperam arteriam extrâ coarctantibus; ab inflammationibus item & tumoribus asperæ arteriæ incumbentibus; bolis item grandioribus devoratis, vel rebus aliis duris deglutitis in œsophago subsistentibus, & arteriam, quæ à posteriore parte gulæ adjacet, comprimentibus, luxatione vertebrarum cervicis. Quò etiam referri potest nativa pectoris angustia, item nimia obesitas, unde arteriæ comprimuntur, & angustiores redduntur. Obstruitur à rebus extrâ in eam illapsis, humoribus crassis & glutinosis confertim à cerebro in eam illabentibus, vel pure ex rupto pulmonis abscessu, vel etiam abscessibus in faucibus ruptis, seu grumis sanguinis undecunque in eam illapsis; grandine item & calculis in pulmone genitis, & tandem à carne, quæ post vulnera vel ulcera arteriæ in eâ nata ejus meatum claudit.

Signa.

Asperæ autem arteriæ angustiam patefaciunt causæ cum externæ, tum internæ, quæ aptæ sunt canalem hunc comprimere vel obstruere. Monstrant eandem effectus, respirationis difficultas, & imminens suffocationis metus modò

major, modò minor, pro angustia, à qua provenit, ratione, tussis item, præsertim si extrâ illapsa sit causa angustia.

Et quidem inter morbos asperæ arteriæ angustia gravissimus & periculosissimus est, qui suffocando & spiritus intercipiendo hominem jugulat, sive id fiat à laqueo, sive à catarrho confertim in pulmones illabente, sive à sanguine in tracheam influente, sive à rebus aliis in eam illapsis. Cujus rei historias collegit Schenckius, *lib. 2. obs. 14.* Pro causarum etiam ratione malum nunc facilius, nunc difficilius curatur. Angustia enim asperæ arteriæ, quæ obgibbum ex asthma fit ante pubertatem, non curatur. Hippocrates, *6. aph. 46.*

Ad prognostica pertinet & hoc, quod ea, quæ in asperam arteriam illabuntur, interdum magno conatu in ipsum pulmonem detruduntur; quæ postea tamen interdum tussi rejiciuntur, interdum vomitum ibi excitant. Ita Alex. Benedictus, *hist. de part. corp. hum. lib. 3. cap. 18.* annotavit, Lucretiæ cuidam, cum nucem Ponticam dentibus frangeret, oborto risu, nucem in arteriam delapsam, & ancipiti conatu ad interiora propulsam, ubi ruptis venulis vomica in pectore exorta est, quæ tandem sanata, obfessis meatibus, vox rauca semper percepta est. Sic anno 1620. cum hic vir quidam cerasam comederet, nucleus cum maximo suffocationis periculo & tussi maxima in guttur, & tandem

dem in ipsum pulmonem illapsus est. Unde suffocationis periculo cessante, in eam venit opinione, illum suffocationis metum non à nucleo, sed catarrho præcipiti, cui aliàs valde erat obnoxius, provenisse. Verùm duravit per intervalla tussis ista tribus septimanis, & dolorem quendam gravantem in dextra thoracis parte sensit. Tandem cum nocte quadam vehementer integram horam tussisset, nucleum illum pituita obductum tussi rejecit, & ab ea liberatus est.

Curatio.

Curatur autem angustia asperæ arteriæ causæ, quæ eam excitat, ablatione. Si extra quid arteriam comprimant, illud tollendum. Si etiam extra quid in eam illapsum sit, tussi rejiciendum. Si verò causa obstruens interna sit crassus & viscidus humor, is incidendus, attenuandus & extergendus, ut facilius tussi ejici possit, *siropo scilicet de hyssopo, capill. Veneris, de prassio, glycyrrhiza, oxymelie cum malsa, vel decocto aut aquis hyssopi, capilli Veneris, prassii, loch de pino, de scilla, & similibus, quæ postea in obstructionibus pulmonis proponuntur. Si superiore parte œsophagi quid hæreat, ac asperam arteriam etiam coarctet, tum conquassatis pugno dorsi vel intra scapulas vertebra, quibus gula adjacet, impacta in ventrem detruduntur, quò tandem larynx & dilatari, & liberius aërem admittere possit.*

Vulnera & Ulcera asperæ arteriæ.

Causa.

Tandem etiam morbos solutæ unitatis patitur asperæ arteria, Vulnera scilicet, quæ præcipuè à telis, gladiis, vel aliis causis externis inducuntur. Quandoque etiam à tussi violenta, & magna vocis intentione, ut in pulmone, ita in asperæ arteriæ vasa rumpuntur.

Exulcerationem verò inducunt acres humores & erodentes, præcipuè salis & nitrosi, ut appellat Hippocrates, 4. de rat. vict. in acut. à cerebro defluentes, ut & humores acres & venenati in lue Venerea.

Vulnera autem externa asperæ arteriæ sensui patent, & ægri vel adstantes referunt, quæ causæ ea induxerint. Et si dubitetur, an vulnus ad cavitatem arteriæ penetret, id facile manu, candela, vel alia re vulnere admota, dum æger loquitur, & omnino ex aëris per vulnus egressu cognoscitur. Ruptura autem vasorum ex tussi nimia, ut & vocis intentione, quæ præcessit, ac præcipuè sanguinis sputo, quò sequitur, innotescit.

Interna autem exulceratio patet à causis, quæ præcesserunt, vel adsunt, catarrhis salis, medicamentis acris, lue Venerea; ut & iis, quæ exulcerationem consequuntur, dolore tussi, sputo sanguinis, in principio quidem puro, hinc purulento, aut materiæ purulentæ & sordidæ, ut &

ut & crustularum, quas Græci *Φελ-
ξιδας* vocant, rejectione. Interdum
etiam bronchia & cartilagine aspe-
ræ arteriæ tussi rejiciuntur, quod ta-
men ex pulmonibus frequentius ac-
cidit, rarò ex aspera arteria, quæ du-
rior est, quàm ut vivente homine,
tantam corruptionem pati possit.
Symptomata equidem, quæ vulne-
ribus & ulceribus arteriæ superve-
nire solent, recenset Hippocrates,
2. de morb. Verùm, ut mihi quidem
videtur, non agit eò loci Hippocra-
tes de aspera arteria extra pulmones
vulnerata vel exulcerata, de qua
nunc nobis sermo, sed de ejus ramis
jam per pulmonis substantiam dis-
persis; cùm inter cætera expressè
scribat, in vulneribus ejusmodi tan-
dem *βεγγυξια* pulmonis rejici.

*Prognos-
tica.*

Vulnera autem asperæ arteriæ pe-
riculosa sunt, & plerumque insana-
bilia, præcipuè si substantia ipsa car-
tilaginea sint vulnerata, potissimum
per transversum dissecta, quæ vix co-
alescit. Interdum etiam inflammatio
accedit, & hinc gangræna & sphace-
lus, quæ ægrum subito jugulant.

Aliquando tamen sanantur, præ-
sertim si vasus inter duos annulos,
atque ita membranam cartilagineam
connectentem incidat, cujus rei ex-
empla collegit Schenckius, lib. 2. obs.
40. Et ipse bis vulnera arteriæ aspe-
ræ penetrantia sanata vidi. Si autem
moriatur æger, jugulatur vel statim,
sanguinis effusione, qui in arteriam
illapsus ægrum suffocat, vel lentè,
quod post aliquot septimanas fa-

ctum vidi, cùm aliquid caruncula
vulneri succrescit, quod ægrum tan-
dem suffocat.

Ulcera, quæ internam asperæ ar-
teriæ partem occupant, difficilia qui-
dem curatu sunt, ob partium situm
& naturam, cui difficulter & non
omnis generis medicamenta appli-
cari possunt. Plerumque tamen sa-
nantur, modò non sint profunda, &
cartilagine exedantur & putrilago
accedat.

Vulnerum asperæ arteriæ cura-
tionem quod attinet, cutis labia di-
stantia conjungenda, & deinde em-
plastris convenientibus extra adhibi-
tis vulnus, ut moris est, congluti-
nandum. In ore verò, ut & intus
conglutinatio juvetur, continuò a-
liquid medicamenti detinendum,
quod liquatum sensim per viam a-
asperæ arteriæ delabatur; id quod
facilius fiet, si æger supinus jaceat,
ut *rotula diatragacanth. frigid. dia-
codium, & similia.*

Vel R̄. *Spec. diatragac. frigid. Drach. j.
gummi Arabici,
boli Armena, an. Drach. ʒ.
rad. consolida sub cineribus
coctar. Unc. j.*

fir. myrtin. q. l.

Fiat Electuarium.

Vel R̄. *Conserv. rosar. rubr.
rad. consolida majoris, an. Unc. j.
boli Armena,
spec. diatragacanth. frigid.
gummi Arabici, an. Drach. ʒ.
fir. de rosis siccis q. l.*

F. Electuarium.

Potest

Potest etiam exhiberi loch sanum & expertum.

Ager verò non multum loquatur, & omnia, quæ tulsim excitare possunt, præcaveat.

Ulceræ quoque curantur detergentibus, siccantibus, id, quod amissum, est, regenerantibus, & cicatricem inducentibus. Detergunt *mulsa, mel rosatum, cum aqua hordei*. Siccant & glutinant *bolus Armena, thus, myrrha, radix aristolochiæ pulverisata*, & cum melle in formam eclegmatis redacta. Et si ab humoribus acerbis & falsis vehementer detergentibus ulcera ejusmodi ortum habeant, lac commodissimum est, cujus solius usu humorum acrimonia temperatur, sordes detergentur, ac, quod deest, restituitur: imprimis si lac debito modo præparetur, & eas, quas debet, conditiones habeat; de quo vide Galenum, *5. meth. med. cap. 12.*

QUÆSTIO

An Ulceræ asperæ arteriæ sint sanabilia.

Galenus equidem, *5. meth. med. c. 12.* ubi ex professo de curatione ulcerum asperæ arteriæ tractat, & propterea hæc de re videri potest, scribit, se non paucos eorum, qui hoc morbo laborarunt, curasse, quod & Aëtius, *tetrab. 2. ferm. 4. cap. 64.* se factitasse testatur. Marcellus Donatus tamē, *de historia medica mirabili, lib. 3. cap. 1.* recenset historiam cujusdā, qui

L. II.

omni diligentia à Medicis adhibita, nihilominus hoc morbo periit. Et omnino non simpliciter affirmandum, esse sanabilia hæc ulcera, ut etiam de vulneribus dictum. Et enim cum sanies non nisi tussi reijci possit, facilè fit, ut isto conatu partes ulceratæ lacerentur. Quibus accedit & hoc, quod asperæ arteriæ non carnosa est, cujusmodi partium vulnera & ulcera facilè sanantur, sed dura & cartilaginosa. Præterea cum membra ulceratæ siccatione indigeant, etiam hac de causa asperæ arteriæ ulcera difficilè sanantur, cum continuò humiditas quædam, præcipuè è vicinis tonsillis, destillet, & imprimis, cum asperæ arteriæ naturâ sua sicca sit, & vehementius siccari postulet.

Et omnino ista rationi consentanea sunt. Quapropter statuentum, ut & Avicennas, *3. can. fen. 10. tr. 4. cap. 18.* docet, si ulcus in principio sit, & saltem externam superficiem asperæ arteriæ occupet, sanabile esse: si verò ulcus penetraverit, & ipsas cartilagineas asperæ arteriæ eroserit, tale ulcus vel planè insanabile esse, vel omnino difficulter curari.

CAPUT II.

De Pulmonis Intemperie.

ASpera arteria in ipsum pulmonem tendit & inseritur. Ideoq; *Pulmonis intemperies.*

T

pro-ries.

Ulceræ asperæ arteriæ an sint sanabilia.

proximum est, ut de ejus Morbis dicamus. Quæ autem naturalis sit constitutio Pulmonis, ex Anatomicis petatur. A quâ cum defleat, varios morbos patitur. Inter eos sunt primò morbi Intemperiei, cum pulmo vel nimis calescit, vel refrigeratur, vel humidatur, vel siccat; & quidem nunc sine materia, nunc cum materia.

Causæ.

Causæ.

Morbum intemperiei sine materia inducunt causæ simili qualitate præditæ, imprimis ær, quem si irruimus, quique ad pulmonem parùm alteratus defertur, præcipuè in iis, quibus columella deest. Quamcunque enim qualitatem ær habet, eam pulmoni imprimit. Hinc qui tempore hyberno per loca nivosa, aut ventis frigidis exposita iter faciunt, iis pulmones refrigerantur. Idem interdum evenit à potionibus nimis frigidis, imprimis quæ glacie refrigeratæ sunt, quarum portio aliqua, licet exigua, per asperam arteriam in pulmones defluit. Pertinent & huc, quæ totâ substantiâ pulmonibus adversa sunt. Quamquam enim talia occultis qualitatibus præcipuè pulmonibus noceant: tamen & ipsa sæpe unâ qualitatibus manifestarum excessus habent, quos & ipsos pulmonibus imprimere possunt. Extrâ quoque applicata thoraci medicamenta pulmonem alterare possunt. Ita refert Galenus, *10 meth. med. cap. 9* quod quidam imposito præcordiis refrigerante me-

dicamento, difficultate respirandi laboraverit, alter verò tussierit. Afficiuntur etiam & alterantur pulmones à vicinis quibusdam partibus, ut corde, epate, liene. Hæ enim partes, si incalescant præter naturam, plerumque etiam pulmoni intemperiem illam communicant.

Intemperies autem cum materia fit, ubi ea in pulmone vel sensim, seu ob facultatis concoquentis seu expellentis imbecillitatem colligitur, vel aliunde confertim affluit. Imprimis autem à capite ad pulmonem materia transmittitur in catarthis; sæpe à gutture & faucibus, quarum partium inflammatio nonnunquam in pulmonem convertitur. Frequentissimè autem ab ipso epate, imò per epar à roto venoso genere, seu multo sanguine, seu vitiosis humoribus repleto transmittitur. Nonnunquam etiam à thorace materia, ut pus & sanies, pulmoni communicatur; quod interdum quoque à membrana costas succingente, ut & à costarum musculis inflammatis, accidit. Nec extrâ culpam semper est uterus, à quo etiam sanguis ad thoracem convertitur, teste Hippocrate: nisi quis malit à venoso genere, antequam ad uterum feratur, ad pulmonem mitti sanguinem.

Signa diagnostica.

Calida pulmonis intemperies cognoscitur ex causis, quæ præcesserunt, irâ nimia & diuturna vocis intentione, motu nimio, inspiratione

Signa.

acris

aëris calidi, medicamentis & cibis nimis calidis, intemperie vicinorum viscerum calidâ; è rubore genarum, qui provenit à fumis calidis ascendentibus, siccitate linguæ & faucium, siti ingenti, quem potus non sedat, & frigidi aeris inspiratio, è magnitudine, celeritate & frequentia anhelitus, ut & pulsuum differentia simili, languore corporis, & quod æger causis, quæ calorem augendi vim habent, offenditur, juvatur ab iis, quæ refrigerant.

Frigidæ pulmonis intemperiei signa sunt causæ refrigerantes, quæ præcesserunt, imprimis mora in aere frigido, & locis ventis borealibus expositis, imprimis si corpus, & præcipuè os, non muniatur adversus hanc aeris injuriam, potus frigidus, imprimis qui glacie refrigeratus est, aut antea frigore congelatus fuit. Respiratio est tarda, parva & rara, pulsusque similis, exspiratio est frigidior. Æger frigidorum uti offenditur, commodum ex calidis, præsertim aere calidiore, percipit.

Signa pulmonis humidi petuntur à causis humectantibus, quæ præcesserunt, à vocis raucedine, anhelitu frequenti cum sibilo & stertore, sputo multo; & læsione ab humectantibus, & comodo ab exsiccantibus.

Sicca intemperies tandem cognoscitur, quod causæ exciccantes præcesserunt, motus & vocis intentio diuturna & nimia. Morbo hoc imprimis aurifabri & Chymici, ac qui circa metalla occupantur, infestantur,

à quorum valde exsiccantibus halitibus cum aere, quem inspirant, attractis pulmones exsiccantur. Morbo hoc affecti paulatim contabescunt, & si mortuorum pectus aperitur, nullum ulcus in pulmone apparet, sed pulmones veluti fumo exsiccati conspiciuntur. Respiratio est parva & frequens, sitis continua, sputum paucum. Exsiccantibus æger læditur, ex humectantibus emolumentum percipit.

Intemperies verò cum materia innoscit ex humorum in corpore redundantium notis, quæ alibi, &, quantum pulmones spectat, postea proponuntur.

Prognostica.

1. Intemperies sine materia, (sic Prognostica! cã exceptâ, quæ plerumque incurabilis est) quàm quæ cum materia committitur, facilius curatur, nec suffocationis periculum conjunctum habet.

2. Periculosior verò est intemperies cum materia. Nam graviora inde excitantur symptomata, atque ob visceris situm medicamenta difficilius eò penetrant, & majus & minus periculum conjunctum habet morbus, pro virium robore & debilitate, & ipsius materiæ conditione, quæ coctionem vel facilius vel difficilius recipit, & facile vel difficulter excernitur.

3. Si pulmonis intemperiei catarrhus conjunctus sit, curari ea non potest, nisi catarrhus prius tollatur & sistatur.

Indicationes.

Indicatio-
nes.

Si simplex intemperies sit sine materia, indicat contraria alterantia; si cum materia, et am ea, quæ materiam à pulmone revellunt & evacuant. In frigidis tamen adhibendis cautè agendum, nec nimis frigida exhibenda, quorum usui pulmo offenditur, ac tussis inde & alia mala interdum excitantur.

Pulmo
quomodo
obacuetur.

Pulmo autem evacuatur commodissimè per tussim; cum per arterias per ipsam dispersas quæ in unam magnam tandem coeunt, materia rectissimè evacuetur. Licet autem per urinam & alvum etiam aliquando ista evacuatio fiat; tamen hoc rarissimè accidit. Etsi verò tussis à materia concitetur, expultrice excitata ad ejiciendum ea, quæ molesta sunt; ars tamen naturæ subsidio venit medicamentis, quæ bechica & tussim excitantia appellantur. Sunt autem ea, quæ faciliè per asperam arteriam in pulmonem destillant; & crassam & viscidam materiam incidunt atque extenuant, & ob acrimoniam aliquam, quæ prædita sunt, naturam ad tussim stimulant.

Medicamenta autem, quæ pulmone adhibentur, vel interna sunt, vel externa. Interna, quæ per os sumuntur, alia per asperæ arteriæ latera in pulmonem sensim destillant; alia verò statim in ventriculum descendunt, & per viscera reliqua ad pulmones transeunt. Priora ita sint comparata, & talia eligenda, quæ nec pulmonem offendunt, nec ni-

mis liquida sunt, ut statim in ventriculum defluant, sed talia, quæ mediocrem crassitudinem habent, qualia sunt eclegmata sive lambilia; vel si sint duriora, talia tamen, ut in ore detecta sensim liquefere & in pulmonem destillare possint. Posteriora, & quæ mox ad ventriculum perveniunt, quod attinet, cum circuitus viaque, per quam ad pulmones talia medicamenta perveniunt, longus sit, & longæ ambages, medicamenta ea validiora sint, & majore copia, & frequentius exhibeantur, ut, ubi ad pulmones perveniunt, vires adhuc morbo curando sufficientes obtineant.

Externa pectori applicantur extrà, quod cum sit maxima ex parte ossium, ut validiora ea sint, oportet. Cavendum autem hinc, ne refrigerantia, repellentia & adstringentia valida pectori applicemus, Nam & frigore pulmone inimicum, & vitiosos humores talia medicamenta in pulmonem ab externis partibus compellunt.

Curatio.

Calidum ergo pulmonem refrigerant medicamenta ex *violis, endivia, Curatio, Pulmonem papavere, hordeo, nymphaea, sirup. vio. refrigerantiar. decoct. hordei, loch de psyllio.* Extrà inungatur thorax oleo violarum. Vel fiat epithema ex decocto lactucæ, violar. endiviæ.

Diata medicamentis respondeat. Diata. Aër, quem spiritu trahimus, sit actu frigidus, qui nisi talis sit naturâ, arte comparatur, ut alibi dictum. Potus sit aqua hordei simplex, vel cum
jule.

julebo violarum. Ager à vino abstineat Cibi quoque refrigerandi vim habeant, & condiantur endiviâ, lactucâ. Vigiliâ nimias ager vitet. Quies motui præferenda; cum motus calorem augeat; ut & silentium sermone. Vitanda est ira & excandescencia.

Frigidam verò pulmonis intemperiem corrigunt *hyssopus, prassium, capillus Veneris, helenium, thymus, calamimtha, tussilago, Nicotiana, radix ireos, crocus*. quem nonnulli pulmonis animam nominant, qui & ex ovo sorbili vel cum aliis medicamentis sumi potest; & cum linimentis misceri. Et ex his parata *decocta & aqua, syrupi item capill. Vener. de hyssopo, de glycyrrhiza, de prasio, de calamimtha, species diatrageant. calid. diatreos Salomonis, diaprasiu*, ut & *suffusus aromatum*.

Extrâ illinatur pectus *oleo irino, amygdal. amarar. rutaceo, anethino*.

Diatâ. Diata medicamentis sit similis. Aer sit calidus, & nisi talis sit naturâ, ut antea comparetur. Potus sit vinum & mulsum. Cibus sit carnes animalium aromatibus conditæ. Utilis est pulmonis & totius corporis exercitatio, quæ calorem viscerum excitat.

Pulmones siccantia. *Humidam* pulmonum intemperiem corrigunt medicamenta calida modò enumerata. Habent enim eadem etiam vim siccandi, ut & decoctum ligni Guajaci & *fassa fras*.

Extrâ pulmonem exsiccant aqua *fassa sulphurea, bituminosa, ut &*

sacculi milio ac sale pleni pectori impositi.

Aer sit siccus, vel suâ naturâ talis, *Diatâ.* qualis est maritimus & montanus, vel suffitu herbarum calidarum & siccaram modò enumeratarum, ut & aromatum, & lignorum calidorum suaveolentium, ut & styracis, thuris, myrrhæ, benzoës, talis redditus Suffitus etiam ad exsiccandum pulmonem ore excipi potest. Diata medicamentis consentiat. Potus ergo sit vinum hyssopo. marubio, helenio, vel aromatibus conditum. Cibus etiam vim siccandi habeat, quales sunt aves montanæ. Utilis est etiam corporis, ac imprimis pulmonis exercitatio, quæ sit multo sermone & locutione.

Siccos pulmones humectant *casia, glycyrrhiza, viola, jujuba, passula, amygdalæ dulces, sem. melonum.* *Pulmones humectantia.*

Extrâ convenit aquæ dulcis tepidæ balneum & oleum amygdalarum dulcium. Imprimis verò ad siccitatem pulmonum corrigendam, utilis est diata.

Aer sit humidus naturâ, vel *Diatâ.* arte talis factus. Potus & ipse vim humectandi habeat, qualis est vinum album dulce, decoctum hordei, emulsio seminis melonum, & amygdal. dulc. In cibis conveniunt ova sorbilia, carnes hædinæ, vitulinæ, pullorum gallinæorum, pisces faxatiles, caro gammarorum & cancrorum ac testudinum; lac imrimis recens. Utilis est & somnus, quies, & animi tranquillitas.

CAPUT III.

De pulmonis Inflammatione sive Peripneumonia.

Post intemperies pulmonis de Inflammatione ejusdem agere libet, ut intemperie cum materia. Et si enim & magnitudo aucta accedere possit; tamen magis lædit intemperies. Ulcus verò, quod interdum accedit, ad solutionem continui pertinet, de qua infra.

Περὶ πνευμονία, ἢ πνευμονία, Celso, l. 4. c. 7. morbus peripneumonius, vulgo pulmonia, (est enim hic morbus ex eorum genere, qui à parte affecta nomē acceperunt) est phlegmone pulmonum cum febre acuta, spiradi difficultate & tussi.

Morbus est primò intemperiei cū materia, quia sanguis p. n. ad pulmonē affluit; deinde in magnitudine aucta, quia est tumor parenchymatis pulmonum, quibus interdum & soluta unitas accedit. Pars affecta est pulmo, interdum secundum unū vel alterum lobum, interdum totus.

Causæ.

Oritur autem hic morbus ex sanguine, ut aliæ etiam inflammationes omnes, vel solo, vel bilioso, vel pituitoso. Et plerumq; (interdum enim solam plethoram hujus inflammationis causam esse impossibile non est) ut etiam suprà dictum, in talibus inflammationibus humores vitiosi in venis cumulati prima mali

ocasio sunt, quibus cum se natura exonerare cupit simul eos cum sanguine ad partem aliquam corporis protrudit & deponit. Sanguis autem semper prævalet, etsi motui primam occasionem alius humor præstare possit. Aliàs non esset inflammatio.

Infunditur autem sanguis in pulmonem è dextro cordis sinu per venam arteriosam. Nonnunquam aliis morbis succedit peripneumonia, ut anginx, pleuritidi, dum è faucibus & lateribus humor *κτ. υστερίσιν* repentè in pulmones irruit. Et si enim à pleura ad pulmonem nullus sit vasorum ductus; tamen quia pulmones cum pleura communem membranam habent, quæ omnes thoracis partes investit, per eam malum hoc vicinis partibus & pulmoni comunicari potest, de quo postea, de *Pleuritide*, dicetur. Accidere tamen etiam potest, ut humores ad fauces aut pleuram ruentes in venas recurrant, quos cum natura iterum adversus thoracem pellere conatur, eos per venam arteriosam in pulmones trudit, unde tum pleuritis in peripneumoniam degenerat, causã antecedente, quæ pleuritidem auctura erat, ad pulmones conversã. Potest enim, ut Galenus, 7. *aph. ii.* docet, pleuritis in peripneumoniam mutari & degenerare, potest & pleuritidi peripneumonia supervenire.

Degeneratio fit, cum priore cessante morbo alter succedit; supervenire verò, cum priori permanente alter accedit.

Sanguinis in pulmonem effusi pars

pars aliqua in arteriâ asperâ ramos impulsa ichore primùm, hinc cruore sputum imbuat, tandem mutatus & coctus per tussim copiosius eicitur, illâ sâ pulmonû substantia. Hæc enim si lædatur, phthisis succedit.

Causæ autem, quæ faciunt, ut materia ad pulmones fluat, ferè omnes sunt, quas postea in pleuritide recensimus, vehemens scilicet exercitatio post quietem longam & corpore repleto, clamor & vocis intentio nimia. Ira etiam sanguine in commovere potest, ut ad pulmonem confluat. De quo Hippocrates, 6. epid. com 5. r. g. *Præcepta atq; acerba iracundia cor & pulmonem in sese, & ad caput calorem & humorem trahit.*

Aër frigidus & aquilonius, australem præcipuè sequens; aer enim frigidus pulmoni est inimicus, qui facilius pectus afficit, si ab aëre tepido partes thoracis laxatæ sunt. Facit huc & aquarum lacustrium & stagnantium usus tempore hybeino: unde Hippocrates, de aere, aquis & loc. scribit, in regionibus lacustribus & paludosis frequenter observari pulmonias. Hyeme scilicet. Aqua enim ejusmodi non glaciata potius inferioribus partibus nocet, atq; ipse Hippocrates per ætatem alvi profusiva, intestinorum difficultates, lienes magnos, hydropem adesse scribit; de aqua viglaciata scribit 5. aph. 24 *Frigida, veluti nix & glacies pectori inimica, tussis movent, venarum ruptiones & destillationem efficiunt.* Cû enim tales aque nõ defluant, sed aque pluvia nova semper inferatur, tempore

æstivo, cum Sol eas urit, corumpuntur, hyeme verò glaciuntur, & frigidæ ob nivem & glaciem evadunt.

Pertinent huc & medicamenta venenata, & præcipuè lepus marinus, qui peculiari vi pulmones exulcerare, & hinc inflammatione ejus excitare solet. Nonnunquam & in constitutionibus epidemias talis est humorum malignitas, quæ peculiariter pulmones lædere apta nata est. Hinc observatæ sunt epidemias peripneumonias quibusdam annis sive solæ, sive cum pleuritide conjunctæ, in quibus tempore, id est, primo, secundo, aut tertio detractus sanguis profuit, quarto aut quinto die extincto: qualis fuit ea, quæ anno 1564 & 1565. inferioris Germaniæ & Rheni accolæ invasit. Vide Dodonæum, in observat.

Rarius ad catarrhum & asthma sequitur peripneumonia. Notham tamen seu spuriam quandam esse volunt, quando tenuis & acris destillatio è cerebro confertim in pulmones illapsa, ardore p. n. accenso febrem cum tussi & spirandi difficultate infert, quæ & sensim æger conficitur sine ulcere & cruoris expuitione. A pituita tamen è capite in pulmonem delapsa in pulmone putrescente facilius lædi, & tussi superveniente pulmo concuti potest, ut sanguinem inflammationis causam attrahat, unde vera peripneumonia generatur: & tum catarrhus peripneumonias occasio potius est, quam causa.

Causa

Causa verò proxima inflammationis pulmonis est calor putrescentis pituitæ, ob quem attrahitur sanguis copiosior, & antea calidus facile incalescit.

Magna autem est inter peripneumoniam & pleuritidem cognatio, imò sæpissime conjunguntur. Differunt verò præcipue loco affecto. Galenus equidem, *4. de caus. puls. c. 12.* respiciens ad diversitatem compositionis vel structuræ partium pulmonis & pleuræ, inter peripneumoniam & pleuritidem sic discernit, quòd pleuritis à tenui & bilioso, peripneumonia verò à pituitoso & crassiore sanguine ortum habeat; cum tenuis & biliosus sanguis in rara & laxa pulmonum substantia non adhærescat. Sed commodissimum erit saltem loco affecto hos duos morbos distinguere; ita ut, si soli pulmones afficiantur & pleura non sit affecta, peripneumonia, pleuritis verò excitetur, cum pleura vel sola, vel cum pulmonibus inflammatur. Causam communem esse posse, & humorem, qui producit pleuritidem, peripneumoniam quoque gignere posse, & contrà, vel ex eo patet, quòd angina & pleuritis sæpe in peripneumoniam mutantur; & cum pleurà plerumque pulmones simul afficiuntur. Et sanguis etiam si biliosus, nihilominus in substantia pulmonis p. n. eò effusus hærare potest. Quamvis enim laxa & mollis sit pulmonis substantia; talis tamen est, ut non minùs tenues in ea humores, quàm in spongia

aqua, contineri possint. Imò majorem quantitatem tenuis humoris recipere posse videtur pulmo, quàm crassi. Crassa n. poros citò oblinunt seu obstruunt; tenuiora verò penitus sese insinuant. Neque ipse Galenus alibi id negat, ubi phlegmonem hanc *ερωσιπελατώδη* esse statuit.

Differentia.

Dantur etiam aliquæ peripneumoniam differentia. Prima est à parte affecta. Afficitur enim vel totus pulmo, vel ejus pars, & quidem dextra vel sinistra. Secunda à causis. Sanguis enim, qui inflammationem pulmonis excitat, vel purus est, vel biliosus. Unde Hippocrates, *lib. de intern. affection.* etiam erysipelate pulmonem affici posse scribit. Verùm Hippocrates non solum eam, quæ à bile multa admixta fit, inflammationem erysipelas hæc appellat, sed & illam, quæ à sanguine, quæ verò à pituita, bile, & sanguine permixtis, inflammationem, ut videre est, *lib. 1. de morb.* ubi de erysipelate pulmonis inquit, quòd sanguis plurimus è venis magnis trahitur; & *lib. de intern. affect.* hunc tumorem potissimum è sanguine oriri scribit. Contrà de inflammatione pulmonis, *lib. 1. de morb.* inquit, hanc fieri, cum pulmo commotam & humectatam pituitam & bilem ad se traxerit, & *in lib. de intern. affection.* pulmonis inflammationem fieri, cum ad sese pulmo aut sanguinem aut pituitam falsam traxerit; & paulo post morbum hunc ex pituita suo

Differentia.

ta suo

ta suam originem habere asserit.

Verum forsitan Hippocrates illam differentiam hic intelligit, quæ ex causa & generationis modo diverso provenit, cujus etiam supra facta est mentio. Aliquando enim causa inflammationis è venis magnis, id est, è vena arteriosa, è dextro ventriculo cordis affluit: qui sanguis cum sit calidior, inflammationem erysipelati similem excitat; aliquando verò pituita è capite defluens inflammationi huic occasionem præbet. Hanc enim ubi pulmo, naturâ suâ rarus, imbibit, atque ea calorem concipit, inflammatio excitatur. Aliquando verò sanguis est pituitosus, vel melancholicus. Tertia à modo invadendi. Accidit enim peripneumonia vel per se, & à principio, nullo alio morbo præcedente vel aliis affectionibus, ut angina & pleuritidi, supervenit.

Signa diagnostica.

Signa. Etsi peripneumonia plurima signa cum pleuritide habeat communia, quibusdam tamen distinguitur. Difficultas enim spirandi major est, quàm in pleuritide, & cum periculo suffocationis, ut æger erectus spiritum ducere cogatur. Etsi enim ægri in supino decubitu libenter permanerent, ut virium debilitati convenientiori: tamen ad erectum corporis situm ipsos cogit respirationis difficultas & angustia. Hoc autem situ thorax facilius dilatatur,

L. II.

quippe qui decumbentibus in sese concidit, eò quod pectoris partes ad spinam declinant, quâ erectâ thorax etiam simul fertur, non amplius seipsum gravans, ut Galenus, 4. de loc. affect. cap. 7. docet. Interdum nec bibere nec loqui commodè possunt, ob respirationis angustiam. Nam major refrigerandi cordis necessitas urget, cum inflammatio sit cordi vicina, quàm in pleuritide, ut pulmo inflammatus humore plenus, etsi plurimum distendatur, aërem, ut opus, excipere non possit. Itaque æger erectâ cervicè & confertim respirat, crebra anhelatione vexatur, intumescit, nares expandit, non secus ac equus post cursum, & linguam crebrò exferit, pectus ei sonum edere videtur, & gravitas inesse, quam pectus capere nequit. Hippocrates, lib. 3. de morb. Difficilem hanc perineumonicorum respirationem subaniem vocat Hippocrates, 3. epid. sect. 2. agr. 7. scribens; in easumnum moveri thoracem ad aperta scoptula usque. Et quidem principio peripneumoniæ præsertim biliosa, respiratio est frequens & magna, quæ tamen brevi, ob virium debilitatem, & instrumenta spirandi affecta, in parvitatem mutatur, & frequentia augetur. Suspiratio est calida, & ubi plurimum efflant, alleviationem sentiunt, & multum aërem frigidum attrahere cupiunt. Cordis enim calor temperatur non solum refrigeratione, quam præstat aer inspiratus, sed etiam expulsionem fuliginum, quæ expira-

V

pira-

spiratione perficitur; quæ fuligines cum in peripneumonia. ob magnum incendium, copiosissimè colliguntur, ad earum subitam expulsionem vehementem expirationem, æger molitur, ac sæpe tam magnam, ut exsufflationis nomen mereatur.

Pectoris angustia adest cum dolore, dolorque non est pungens, sed gravativus, spinam attingens, ubi membrana pleuram ambientes sustentantur, isque dolor remissior est, nisi membrana simul inflammata fuerit. Nam deprehensum est in dissectis peripneumoniâ mortuis, sæpe membranam pulmones ambientem simul inflammari, & aliquoties, ut dictum, simul cum pulmone pleuram quoque inflammatione corripit; ubi dolor acutior & punctorius est; ubi verò ipsæ membrana primario non afficiuntur, sed visceribus, quæ ambiunt, inflammatis extenduntur, dolor tantum gravis excipitur.

Febris acuta est, & quidem acutior, quàm in pleuritide, ob cordis vicinitatem. Adest etiam anxietas & jactatio, ut Hippocrates, *lib. 3. de morbis*, habet, ægrique situm & figuram decubitus sæpe mutant; quod fit ob febris vehementiam, summam respirandi difficultatem, & virium debilitatem. Ob summam enim respirandi difficultatem & angustiam ægri sese frequenter erigunt, & federe conantur, ex corporis hac erectione aliquam alleviationem sperantes, ob virium tamen imbecillitatem erecti diu federe non possunt, ideoque situm iterum mutare coguntur,

Pulsus est magnus, ob vehementem arteriæ percussione, & usum urgentem; languidus tamen, ob virtutis imbecillitatem.

Facies rubet ob vapores calidos ad caput exhalantes, & sanguinem simul secum rapientes, malæ imprimis, ubi cutis est tenuior, & propterea sanguinis color ibi evidentiùs efflorescit. Eadem de causa oculi & venæ temporum tument, lingua flava est, vel lentore multo obducta, tandemque nigrescit, sæpe accidunt deliria, sitis magna adest, & potus frigidus, imprimis verò aëris frigidus appetentia, ob linguæ & faucium à calidis vaporibus ex inflammato pulmone exhalantibus inductam siccitatem, quæ ori ventriculi ob communem tunicam communiatur: unde pulmones etiam membrum sicutosum appellantur.

Signa differentiarum quod attinet, ac primò ratione subiecti, quia inter se pimento quodam pulmo in partem dextram & sinistram dividitur, prout hæc vel illa afficitur, ita dolor & gravitas in dextro vel sinistro latere magis percipitur. Si verò utraque pars sit inflammata, in toto pectore is dolor sentitur. Idem quoque ex altera clavicula vel hypochondrio condolente æstimari potest. De qua re videatur Hippocrates, *in Coacis, text. 400.* in codice Eoesii, vel *comm. 1. in lib. 5. sect. 2. aph. 47.* in Hollerio: *In pulmonis inflammationibus, si lingua tota fiat alba & aspera, utraq; pulmonis partes inflammatione laborant: quibus verò dimidia lingua, qua parte id apparet, inflammatio as-*

figit.

figit. Et quibus quidera ad unam claviculari dolor subit, iis una superior pulmonu ala laborat; quibus verò ad ambas clavicularas dolor extenditur, amba superiores pulmonis ala laborant; quibus ad mediam costam, media; quibus verò ad septum transversum, inferior; quibus verò una tota pars laborat, quæ parti respondent, omnia agrotant. Si quidem igitur suspensa utring; pulmonis partes aorta dicta tanta inflammatione detineantur, ut ad latus adhereant, illa corporis parte resolutio ne partiuntur, quæ morbo respondet, & ad costam furis livores sunt, quos veteres βλητὸς, ἔλεος vel sideratos vocabant. Quod si tanta non est inflammatio, ut adhereant, dolor quidem totum occupat, neg₃ tamen resolutionem sentiant, neg₃ livores habent. Quibus verò totus pulmo unà cum corde inflammatur, ut procidat in latus, resolvitur totus æger, jacet frigidus & sine sensu. Moritur autem secundo aut tertio die. Hæc Hippocrates.

Resolutionem autem seu paralytin, quæ ex pulmonis inflammatione fit, quod attinet, triplicem ejus causam reddit Desid. Jacotius, in comment.

Prima est, quia primi intercostales recipiunt à pulmone noxam, & tumore premuntur. Quoniam autem ab illis ad brachia derivantur nervi, ideo fit, ut ejusdem lateris brachium sensu & motu penè destituatur. Deinde, quia musculorum thoracem moventium calor internus resolvitur, & facultas motrix labefactatur, cujus defectus resolutio est. Postremo quia extincto calore cor-

dis, aut suffocato, morte repentina, citra syncopen tamen, veluti attoniti, affecti moriuntur, denegata subito vi movendi. Verum commodissimum est, statuerè, fieri hoc ob consensum spinalis medullæ & arteriarum intercostalium. Etenim si pulmones tanta inflammatione laborent, ut sanguis etiam in arteriam magnam copiosè irruat, ita ut etiam arteriæ intercostales repleantur & tumeant, & hinc etiam ramuli illi, qui perforamina vertebrarum thoracis in spinam penetrant, fit inde, ut & nervi è spinali medulla ibi progredientes comprimantur, atque ita paralytis partium, in quibus nervi illi resolvuntur, exciteretur.

Tussis molesta est, ob pulmonem primo affectum, cum qua sputum redditur sanie primum tenuiore, mox cruore, aliàs alio colore tinctum, nonnunquam spumosum. Et ipsum sputum, & hinc sequens stertor quasi quidam, peripneumoniam à similibus affectionibus discernit. Cujus rei exemplum est apud Hippocratem, lib. 5. epid. Larissa, inquit. Hippobthenes pulmonis inflammatione Medicis detineri; falsò tamen, videbatur. Principio quidem lecta se exercens, duro in loco supinus cecidit, superincidente ei adversario, & lavit frigidam, cenam sumpsit, & gravior sibi videbatur. Postridie verò febris & tussis sicior, ac spiratio crebra tenuit. Quinto autem die cruentum paucum secrevit, & delirare cepit. Cum tussis urgeret, tum color peccat & dorsum infestabat. Sexto postquam sternutasset, sanguis ex naribus effluxit ad quatuor ferè heminas.

Sub vesperam neque loquebatur, neque quid fieret, aut quid diceretur, sentiebat. Undecimo mortuus est. Quinque autem diebus quandoque bene sentiebat, quandoque verò minimè, febre liber erat. Sputum verò nullum exercebatur, neque ster tor detinuit, quoniã sputum non aderat.

*Signa differencia-
rum.*

Signa differentiarum ratione causa quod attinet, patent ea ex notis humorum in corpore redundantium. An autem per venas sanguis affluerit, an verò catarrhus malo occasionem præbuerit, etiam facile patet. An suppressa aliqua evacuatio vel lochia retenta mali causa sint, etiam latere non potest. Et quæ purgationes in puerperio retentas sequantur symptomata, docet Hippocrates, *de morb. mulier. lib. 1.*

Diversitatem a. humorum, inflammationem excitantium, ex sputi colore & substantia cognoscimus; aut, si æger non exspuat, ex aliis humorum signis.

Prognostica.

Prognostica.

1. Peripneumonia vehemens & acutum malum est, quod plus periculi, quam doloris habet, ut Celsus, *lib. 4. cap. 7.* ait, paucique eã correpti evadunt.

2. Estque peripneumonia periculiosior, quam pleuritis; quia pulmonis præstantius viscus est, cordique vicinior, & soluta continuitas in hoc non facile coalescit.

3. Cum una salus pleuriticorum & peripneumonicorum consistat in virium robore, teste Galeno, *3. prorrhet. aph. 4.* & *10. meth. med. cap. 5.* magna adsit virium debilitas, val-

dè periculosa peripneumonia est.

4. Periculosior est peripneumonia, in qua nihil exspuitur. Arguitur enim humoris contumacia & naturæ infirmitas, *3. epid. comm. 1. aph. 4.* ac in ipsa peripneumonia, ut & pleuride, saepe plus juvat, facile & copiose exspuere, quam ipsa coctio, ac plerique ex defectu exspuitionis moriuntur.

5. Screatione flava, & multum permixta sanguine, si in peripneumonia inter initia excernatur, salutis indicium est; si septimo die tardiusvè, minus securè, Hippocrates, *2. prognost. aphor. 50.* Nam in longius tempus morbus protrahitur. Interim verò multa ægro adversa accidere, atque imprimis vires deijci possunt. Quo quidem aphorismo non probatur sputum, vel quatenus flavum, vel rubrum est. Screationis n. flava sincera improbat, *2. progn. 46.* & rubra, tanquam cruda improbat à Galeno, *1. aph. 12;* sed quatenus ex flavo & rubro mixtum conspicitur. Tunc enim aliquod coctionis signum exhibet, quæ statim primis, tertio scilicet vel quarto, diebus appareat, morbum non ultra diem centesimum duraturum significat.

6. Sputum quandoque dolorem non tollit, malum; quod verò solvit, bonum. Hippocrates, in *Coacis.*

7. Si lingua initio nigrescat, celeriores sunt liberationes, postea verò tardiores. Hippocrates, *lib. de dieb. judicatoriis.*

8. In pulmonis inflammatione quibus circa initium urina crassa sunt

sunt, deinde ante quartum diem te-
tues evadunt, mors impendit. Hip-
pocrates in *coacis*.

9. Sudores circa cervicem & ca-
put oborti mali sunt, nisi urinæ mul-
tæ & crassæ proruperint, & sputa co-
cta prodierint. Hi enim sudores mali
sunt ex suffocatione, impetu & vio-
lentiâ. Hippocrates, *deratione victus
in acuis*.

10. Judicatur autem peripneumo-
nia brevissimè in septem aut novem
diebus, longissimè octodecim vel vi-
ginti diebus. Ubi æger vigesimum
diem transgreditur, non moritur
peripneumoniâ, sed tulsit & pus ex-
spuit & pectus dolet. Empyicus enim
fit, nisi in diebus criticis pulmo ex-
purgetur. Hippocrates, 2. & 3. *de mor-
bis*, & *in libro de internis affectionibus*.
Etsi enim, ut *prognost. 2.* dictum, peri-
pneumonia periculosior morbus
est, quàm pleuritis, & pauci ex ea e-
vadunt, ac propterea etiam, ubi le-
thalis est, citius interimit, quàm pleu-
ritis: tamen quæ mitior est, & salutis
spem præbet, longiore indiget tem-
pore, ut integrè indicetur. Nam ut
ex iis, quæ Galenus, 7 *aph. 31.* tradit,
colligi potest, in morbis pulmonis
periculosus morituri brevi moriun-
tur; qui verò evadunt, non nisi lon-
giore tempore evadunt.

11. Si lethalis futura sit peripneu-
monia, vigilia adest continua, aut
somnia levis, à quo delirium, ægerq;
morbi vehementiam non sentit, fri-
gent extrema, unguis lividi cur-
vantur; hi quarto, aut ad summum
septimo die moriuntur. Aetius, *te-
trabib. 2. serm. 4. cap. 66.* Si verò ad sa-

lutem permutetur, sanguinis è nari-
bus fluxus fit, aut alia perturbatio,
biliosis multis exeuntibus cum si-
gnis coctionis & in die critico. Vide
infra, *quest. 1.*

12. Si inflammatio in pus converti-
tur, si per urinam & alvum excerni-
tur, liberantur ægri. Per quam au-
tem viam id fiat, dicitur, *de pleuriti-
de*. Si autem in pulmones irruat, aut
suffocantur ægri, aut ad tabem dedu-
cuntur. Aetius, *loco allegato*.

13. Pleuritide & peripneumonia
detento diarrhæa superveniente, ma-
lum, 6. *aph. 16.* quod tamen solum ve-
rum est, cum nõ ab ingestis ea oritur,
sed ob magnitudinem morbi etiam
ventriculq; & epar afficiuntur, ut ven-
triculus nec cibum concoquere, nec
epar chylum attrahere possit. Aliàs
& in mitiore peripneumonia bonû
indicium est diarrhæa, cum coctio-
nis signis antecedentibus criticæ e-
vacuationis loco fit. Itaque tutior
& utilior tum est diarrhæa, quæ fit in
morbi principio, quàm quæ fit in fi-
ne vel statu. Illa enim causam ante-
cedentem utiliter tollit, hæc verò nec
antecedentem, nec conjunctam; sed
vires potius prostermit.

14. Quibus ex angina in peripneu-
moniam fit mali conversio, intra se-
ptem dies moriuntur; sin hos effu-
giunt, purulenti evadunt, 5 *aph. 10.*
Membrum enim nobili ac principi
inserviens ac vicinum materiam vi-
tiosam talem tolerare diu non po-
test, sed id efficit, ut morbus citò vel
ad bonum, vel ad malû terminetur.

15. Qui empyi sunt ex peripneu-
monia, si natu majores sint, id est,

inter senes & ἀμυδρότερς medii, potius intereunt, quam natu minores; cum expultrix facultas in iis languida sit, ut pus rejici satis nequeat, quo retento & pulmonem excedente, frustra curatio instituitur, 2. *prognost.* 69.

16. A pleuritide peripneumonia, malum, 7. *aph. 11.* quoniam translatio fit ab exterioribus ad interiora, & à minùs nobilibus ad nobiliora, cordique propiora. Sed cum, in *coactis*, contra scribatur, peripneumoniam, quæ post pleuritidem fit, mitiorem esse; sciendum ex Galeno, in *comm.* 7. *aph. 11.* aliud esse, morbum alium in alium transmutari; aliud verò, morbo morbum supervenire. Nam transmutatio unius morbi in alium fit, quando priore cessante alius advenit; supervenit verò morbus alii, quando altero manente alter supervenit. Ideoque cum, ut Galenus explicat, *loco alleg.* loquatur de peripneumonia superveniente pleuritidi, omnino ea periculosa est. Arguit enim humoris excitantis pleuritidem tantam copiam, ut in pleura affecta totus contineri non possit, sed in pulmonem redundet. Si pleuritis in peripneumoniam ita mutetur, ut nullum pleuritidis signum remaneat, paucitas omnino humoris indicatur, quæ etiam peripneumoniam adeò periculosam, excitare non potest.

17. Contra à peripneumonia pleuritis bonum, quia ex morbo periculo minùs periculosus excitatur,

quamvis id rarò accidat, ut Galenus 7. *aph. 11.* docet.

18. A peripneumonia phrenitis, malum, 7. *aph. 12.* Facta enim materia calidæ à pulmonibus ad caput translatione, si ad interiora capitis feratur, phrenitidem excitat, quæ periculosa est. Aliàs etiam ad peripneumoniam delirium sequi solet, non cum tanto periculo calidis vaporibus ad caput ascendentibus, & cum spiritibus mixtis.

19. Quibus urina in peripneumonia crassa & cocta apparet, circa quartum verò attenuatur, lethale est. Hippocrates, in *Coac.*

20. Quibus in peripneumonia, abscessus fiunt, ad aures, aut ad sedes thoracis inferiores, & in longum exeunt, seu in fistulam abeunt, ut materia evacuari queat, item abscessus ad crura omnes utiles sunt: optimi verò sunt, qui fiunt signis coctionis in sputo apparentibus. Criticæ enim expulsionis hujusmodi abscessus soboles sunt. Hippocrates, & Galenus, 2. *progn.* *aph. 64.* 65. & in *coac.*

21. Gravedines & sternutamenta per omnes morbos, qui in pulmone sunt, prævenire & supervenire, malum est. Hippocrates, 2. *progn.* 49. Etsi enim, ut Galenus, in *comment.* docet, per se gravedines peripneumonicis non efficiunt, cum humor inde ad pulmonem non descendat: per accidens tamen dupliciter malæ sunt, ut signum scilicet, & ut causa. Ut signum, quia monstrant adeò magnam esse pulmo-

num

num affectionem, ut capiti etiam communicetur, idque repleat; ut causa, quia strenuatio, quæ gravedinem comitatur, thoracem concutit, pulmonemque inflammatum lædit,

2.2. Peripneumonia, ut ex dictis patet, quinque modis finitur. 1. Cognitione & sputi excreatione; qui modus tutissimus est. 2. Crisi, quæ derivatio & evacuatio fit materiæ per hæmorrhagiam narium, fluxum mensium, hæmorrhoides, sudores, alvum, urinam. 3. Abcessu post aures, vel in cruribus. 4. Suppuratione, ex qua empyema fit, aut phthisis. Et quidem post suppurationem rupto apostemate duo modi ad salutem, duo ad mortem tendunt. Si nimium pus persputum vel urinam, vel alvum excernatur, æger convalescit; ad mortem fertur suppuratio, si propter copiam puris æger vel suffocetur, vel phthisis exulcerato pulmone sequatur. 5. Morte, ægro per sputi suppressionem strangulato. Nam ubi spirandi difficultas adest magna, ut ægri ferè suffocari videantur febrisque est vehementis, & sputi nihil vel parum reijcitur, viresque sunt debiles, lethalis morbus est.

Indicationes & Curatio.

Cùm peripneumonia sit inflammatio, etiam aliarum inflammationum modo indicat, ut materia,

quæ ad pulmonem fertur, avertatur, quæ affluxit, evacuetur, ut postea de pleuritide pluribus dicetur. Est enim eadem ferè peripneumoniæ, quæ pleuritis, curandæ ratio.

Curatio autem peripneumoniæ omnino maturanda est, ob summum periculum, & in id omni studio incumbendum, ut materia resolvatur & discutatur, ac materiæ suppuratio præcaveatur. Aut si id fieri nequeat, ut spurum & pus quam citissimè educantur, ne pulmonem, corrumpant.

Itaque si vires & alia permittant, vena basilica ejusdem lateris, in qua inflammatio percipitur, aut utriusque, si pulmo secundum utramque partem inflammatus sit, aperiatur. Sanguinis enim missione venis exinanitis sanguis non solum affluens ad vacuum implendum introcedit, sed etiam ille, qui jam in parte affecta est, succedit. Evacuetur autem sanguis eâ copiâ, quam sanguinis plenitudo indicat ac vires permittunt, & liberalius quidem, ob subitum, quod morbus minatur, periculum. Vires tamen nullo modo liberaliore sanguinis missione deiciendæ sunt; cum in hoc præcipue morbo, ob maximam respiratonis angustiam, ex virium debilitate non mediocre periculum imminet. Præstat potius, si vires id ferunt, venæsectionem in altero brachio repetere. Et si peripneumonia sit sanguinea, copiosius sanguis educatur; si biliosa, parcius; si pituitosa, adhuc parcius.

Si

Si verò peripneumonia alteri morbo, qui jam aliquandiu duravit, succedat, & vena jam antea ægro aperta sit, videndum, quid vires ferant. Si enim vires ferunt, sanguis moderatè adhuc evacuari potest. Si verò metuendum sit, ne venæ sectione vires deiciantur, brachiis, & thoraci cucurbitulas scarificatas applicare licebit, quæ à profundo thoracis ad cutem & partes externas sanguinem trahunt.

Primò tamen brachiorum muscularibus adhiberi cucurbitulas utile est, ut aliquo modo sanguis evacuetur & à pulmonibus avertatur, postea & scapulis vel pectori, si id carnosum sit. Etsi enim locus vicinus esse videatur: tamen à pulmonibus aliquatenus distat, & ab interioribus ad exteriora trahitur. Et cum adhibentur cucurbitulæ, tum vel antea venæ sectio præmissa est, vel vires ob debilitatem venæ sectionem non ferunt. Ideoq; non tanta plethora tum adesse potest, ob quam attractio ad partem affectam metuenda sit. Quem in finem & ligaturæ, frictiones ac cucurbitulæ sine sacificatione extremis adhibendæ.

In eundem etiam finem & clysters infundere decet, & medicamentis alvum moventibus primis diebus & materiæ impetum à pectore avertere, & humores vitiosos, si turgeant, ac in corpore abundant, evacuare. Cavendum tamen, ne fortioribus medicamentis humores nimium agitentur, febris incendatur,

viresque deiciantur: sed sufficienti mitiora, quæ aliàs pectori amica sunt, ut sirupus rosarum solut., violar. de cassia cum manna, diaprun. simplex, quibus tamen rhabarbar. agaric. & similia benigniora purgantia addere licet.

Ut R. *Decocti pectoral.* Unc. iij.

In iis dissolve

manna Unc. j. vel Unc. j. ß.

Colat. adde *sirup. rosar. sol.* Drach. vi.

M.

His peractis omni studio laborandum, ut materia per sputum è pectore ejiciatur, quod iis medicamentis fit, quæ postea de pleuritide proponuntur. Valentiora tamen illa sint hic, & eorum usus frequentior. Utilia hæc sunt, *caricæ cum hyssopo coctæ, hydromel*, in quo *hyssopus, scabiosa, pulmonaria, salvia, radix irisidis* & similia sint cocta, item *oxymel*. Pro humoris tamen peccantis ratione delectu quodam medicamentorum opus est. Si enim materia sit calidior, urpentur *viola, jujuba, sem. 4. frigid. major. bordei, rad. althææ, sirupus violar. jujubinus*. In frigidiore materia conveniunt *aqua mulsa, hyssopus, capillus vis, origanum. Oxymel* in utraque causa hic locum habet:

R. *Rad. glycyrrhiz.* Unc. ß.

capill. vis,

hyssop. an. M. ß.

scabios.

flor. papav. errat. an. p. ij.

jujubar.

sebesten, an. N. 10.

ficus N. iv.

sem.

*sem. malv.**melon. an. Drach. ij.**passular. Unc. j.*Coqv. in aqv. suffic. Colat. dul-
coretur saccharo cando.Vel *R. Sem. card. Mariae Drach. ij.**sem. 4 frig. major. excort. Unc. 8**pinear. mundatar.**amygdal. dulc. excort. an. 3 iij.**aqv. scabios.**capill. 2is,**endiv.**papav. errat. an. Unc. iij.*F. Emulsio, quæ dulcoretur, sac-
charo cando, v. *Ajulebo violarum.*Vel *R. Spec. diatrag. frigid. Drach. ij.**diatr. simpl. Drach. 8.**sacchar. penid. Unc. 8.*Cum *sirup. papav. errat. & violar.*

F. Loch.

Si validioribus expectorantibus
& incidentibus opus sit, quando sci-
licet sputum crudum & tenax est,
oxymelite, loch de caulibus, tussila-
gine, præsio uti licet.

Topica quoq; eadem ferè, quæ in
pleuritide, conveniunt, quæ scilicet
fervorem pectoris ac pulmonis, nō
nihil lenire ac mollire & digerere,
ac discutere possunt, sed omnia ca-
lidè applicata. Fortiora tamen hîc
requiruntur, & quæ ad interiora pe-
netrent. Eam ad rem etiam forma
medicamenti aliquid facit. Nam
profundius penetrat vis ceroti &
emplastri, quam unguenti.

Cerotum tale fieri potest:

*R. Butyri recent.**adip. anser. an. Drach. ij.**ol. rutac.*

L. II,

*amygdal. dulc.**amar. an. Unc. 8.**pulver. vid. Florent.**hyssopi,**marrub. an. Scrup. ij.*

Cera q. s. F. Cerotum.

Aut omisâ cerâ eadem excipian-
tur terebintina loca cum aceto for-
ti, & Emplastrum conficiatur.

In peripneumonia biliosa paren-
tur fomenta ex aqv. violar. cum mo-
dico aceti. Inunctiones fiant ex ol.
viol. chamæmel. amygdal. dulc. &
similibus.

Dista.

Dista quoq; eadem ferè est, quæ
in pleuritide Cibi non sunt salsi neq;
acres, neque austeri, neq; alvum ad-
stringentes, sed potius extenuantes.
Hinc commendatur ptisana cum
melle. Plerique etiam dulcia com-
mendant, de quo postea, *questionez.*
dicetur.

Postquam verò cessante defluxio-
ne sputum laudabile jam apparere
incipit, juscula pinguis, monente
Celso, exhibere convenit. Laudatur
etiam decoctum hordei vel simplex,
vel cum passulis & glycyrrh, hydro-
meli, in quo sol. hyssopi cocta sunt,
vel oxymel dilutius, vel hydrosac-
char s. ex aqua pura.

Aut tale:

*R. Aqua pura ℥ iv.**sacch. cand. Unc. iv.**glycyrrhiz. Dra. h. iij.**sem. anisi Drach. j.**cinamomi Drach. 8.*Coqv. ad tertie partis consumpt.
Colat. adde *julebi viol. Unc. ij.*

X

Omnis

Omnis autem potus paulatim sumatur, nec frigidus sit. Abstineat æger ab omni motu, præsertim sermone multo, & vocis intètionè & clamore.

Reliqua ex doctrina de pleuritide patebunt.

QUÆSTIO I.

An in peripneumonia hæmorrhagia narium utilis sit?

An in peripneumonia hæmorrhagia narium sit utilis.

Et si Aetius, *tetrab. 2 serm. 4. c. 66.* scribat, si ad salutem perveniat morbus, hæmorrhagiâ narium copiosâ solvi; tamen Galenus, *3. de cris. c. 3.* scribit: contingere interdum, ut per sanguinem fluentem è naribus phrenitis solvatur; non tamen lethargus aut peripneumonia fluxum sanguinis amant. Præsupposuit proculdubio hic Galenus, peripneumoniâ, ut & lethargum, simpliciter à sanguine pituitoso fieri. Cum tamen, ut supra dictum, peripneumonia à sanguine, & sæpe etiam bilioso, fieri possit, hæmorrhagia narium tum utilis est.

QUÆSTIO II.

An dulcia in peripneumonia convenient.

An dulcia in peripneumonia convenient?

Hippocrates, *2. de morb. in peripneumonia curatione* primis diebus dulces sorbitiones exhiberi jubet, ut, quod pulmonibus inhæret, eluatur. Et alias etiam dulcia pectori amica sunt. Verùm alii dulcia improbant, utpote quæ calida & facile bilescuntia febrètem augment, & ad jecoris ac lienis inflammationem nocent. Et cum Hippocrates, ubi de pleuritidis cura-

tionè agit, acidas potiones exhibeat, quò sputum facilius proveniat, eadem quoq; peripneumoniæ competere videntur, cum eadem ferè sit cura pleuritis & peripneumoniæ.

Verùm enim verò sciendum; dulcia non unius esse generis: alia enim sunt calidiora, alia potius temperata, imò nonnulla aquosa, è quibus posteriora non facile nocere possunt. Et quæ sunt calidiora, non per se & sola, sed iis, quæ impediunt, ne facile bilescant, diluta exhibentur. Et quamvis dulcia magis epar offendere possunt, quam pulmonem, cum ad epar integra & parum mutata perveniant; ad pulmonem verò exigua eorum portio proximè pertingat; tutius omnino est, dulcia minus calida eligere, & aliis permista exhibere. Et si humores, qui in pulmone continentur, crassiores sint, acidis admixtis vis incidendi & extenuandi intendi potest. Unde oxymel medicamentis thoracis affectibus convenientibus admixtum ad viscidorum expuitionem accommodatissimum est remedium, *3. de rat. vict. in acut. tert. 2.*

CAPUT IV.

De Vasorum pulmonis, & primò de Asperarum arteriarum, Angustia.

Asperæ arteriæ, quæ per pulmone disperguntur, cum & aerem, qui inspirando attrahitur, admittere & fuliginibus exitum præbere debeant, cavæ eâ de causâ factæ sunt, nullûq; humorem, vel aliud quicquam in se

Asperarum arteriarum angustia.

CON

continere debent. Quæ naturalis earum constitutio si lædatur, morbum in cavitate seu angustia patitur.

Causæ.

Fit autem hæc angustia vel ab obstructione, vel à compressione, vel ab exsiccatione.

Obstructionem efficiunt humores crassi in bronchiis pulmonis hærentes, sive ibi sint geniti (quod tamen rarius accidit, cum pulmones nutriantur sanguine tenui & puro, è quo succus crassus facillè colligi non potest) sive à capite transmissi, ut & à venis & reliquo corpore. Idem præstat crudum tuberculum, vapor crassus, calculi & grândines in pulmonibus geniti, caruncula item & vesicula, ut & vermes in pulmone procreati: sanguis item, qui ex gutture, œsophago, ore, pulmone, thorace vulnerato eò effunditur, ut & pus post ruptum partium vicinarum ablesum in pulmonem illapsum, aut è thorace in pulmonem imbutum.

Comprimendo asperas arterias angustiores reddunt eadem ferè causæ, si in arteriis lævibus & venâ arteriosa ac substantiâ pulmonis consistant, asperasq; arterias comprimant; humores nimirum crassi vel in pulmone geniti, vel per venam arteriosam in eum effusi, crudû item tuberculum extra arterias asperas consistens, easdemq; comprimens; calculi, vermes: Neq; enim semper (quod de asthma & catarrho suffocativo notandum) materia per asperam arteriam tantum in pulmones defluit,

& bronchia pulmonis obstruit, sed sæpe etiam per venas in pulmones effunditur.

Idem accidit in hydropo pulmonis, in hydropo pectoris, in empyemate, quando humores seu in pulmone, seu in thorace consistentes asperas arterias comprimunt, in inflammationib; pulmonis, septi transversæ, mediastini, in gibbositate & luxatione vertebrarum dorsæ, in lienis tumoribus, ventriculi, epatis.

Tandem si asperæ arteriæ validè exsiccantur, angustiores redduntur, nec satis dilatari possunt ad aerem hauriendum. Quam siccitatem imprimis auras & vapores metallicos inducere posse, atq; ideò Chymicis, & aliis, qui metalla tractant, familiarem esse, supra dictum. Ita refert Heurnius, *de morbis pectoris*, typographo cuidam adeò siccatos fuisse pulmones, ut ariatum pomum retulerint.

Signa diagnostica.

Angustia bronchiorum pulmonis, in genere ex effectis cognoscitur, respirandi nimirum difficultate, ut & plerumque tussi.

Hippocrates, *lib. 2. de morbis*, etiam pulmonis replèti mentionem facit, ejusque symptomata describit hoc modo: *Si pulmo repleatur, tussis, difficultas spirandi, quæ fit erè & a cervicè, & anhelatio detinet, linguâ exerit, pusillus velut ex igne rubètib; impletur, pruritus occupat, dolor acutus pectus & scapulas vexat, neq; sedere, neq; recumbere,*

Signa.

Pulmo repletus.

bere neq. stare potest, sed infirmia est viribus. Hic quarto ferè die moritur, què si superaverit, spes plerumq. super est. Sape tamen etiam septimo die periculum subit, quem si effugerit, convalescit. Verùm inflammationem potius quamdam pulmonis & acutum malum, quam simplicem obstructionem describere videtur.

Causas verò quod attinet, obstructio cognoscitur ex causis, quæ præcesserunt, nimirum catarrhis & humoribus pituitosis è capite in pulmonem delapsis a postemate aliquo partium vicinarum, è quo rupto pus in pulmonem effunditur empyemate & pure in thorace contento, pulmonis & thoracis substantiam penetrantibus, ut & partium vicinarum vulneribus, è quibus sanguis in thoracem effunditur. Respiratio est difficilis cum sonitu, quandoq. etiam cessat, & remittit, ubi pituita excernitur.

Speciem materiæ, id quod tussi eijcitur, indicat. Si crudum tuberculum adsit, seu obstruendo, seu comprimendo angustiam pariat, difficilis est respiratio & assidua, nec citra fertorem & strepitum, nec ulla antè fuit destillatio, malum sensim gignitur, & æger aliàs benè habens de difficili respirazione conqueri incipit, quæ indies augetur, tussis, quæ conjungitur, sicca est, adestque maxima pulsus inæqualitas.

Si humores vitiosi in lævibus arteriis & pulmone hærentes comprimendo angustiam pariant, catarrhus abest, & vitiosorum humorum vel in epate vel toto corpore redūdantium signa ad sunt, respiratio est diffi-

lis, tussis ab est, de quo postea dicitur.

Calculos & grandines in pulmone cognoscere, difficile est, & vix aliter cognosci possunt, nisi ex sputo præcedente & symptomatibus sequentibus. Si quis nimirum sputum crassum & viscidum valde expuat, postea verò ejusmodi sputum cesset, & respiratio absque sonitu difficilior reddatur, suspicio est, materiã in calculos vel grandines conversam esse.

Vermes etiam non facillè cognoscuntur, nisi ubi tussi rejiciuntur, & præcessit plerumq. tussis diuturna, quæ nullis remediis vinci potuit.

Tumores pulmonum, diaphragmatis, mediastini, pus in thorace è suis signis cognoscuntur.

Si ex pulmonis & asperarum arteriarum exsiccatione proveniat angustia, cognoscitur ex defectu sputi, macie totius corporis, ac præcessit causa, quæ talem siccitatem in pulmonibus generare potuit.

Prognostica.

1. Angustia asperarum arteriarum pulmonis nunc plus nunc minus periculi conjunctum habet, pro causarum, à quibus illa pendet, varietate. Quò enim causa vehementior & pertinacior est, eò etiam plù periculi est metuendum. Simul tamen respiciendum ad respirationem læsam, tussim, pulsus, & alias actiones læsas, quæ magnitudinem morbi determinant. Ergo si obstructio sit à multis, crassis, crudis & viscidis humoribus, vel subito suffocationis periculum imminet, vel morbus diuturnus expectandus.

Prognostica.

2. Angustia, quæ fit ex humore viscido & crasso, vel crudo tuberculo in lævibus arteriis. consistente, cum pulsus magna æqualitate, solet cordis palpitationem, respirandi difficultatem, ac tandem suffocationem & mortem afferre, ut Antipatri Medici casus docet, de quo Galenus, 4. de loc. affect. cap. ult.

3. Angustia vasorum pulmonis à siccitate plerumque incurabilis est, & tandem lenta morte hominem enecat. Reliqua exiis, quæ de aliis pulmonum morbis dicuntur, patent.

Indicationes.

Indicationes.

Materia, quæ angustia bronchiorum pulmonis causa, seu obstruendo, seu comprimendo id præstat, tollenda; quod fit, si materia viscida, attenuetur, detergatur, expectoretur. Crudum tuberculum attenuantibus, & exsiccantibus absumatur. Grandines, calculi, vermes tussi ejectionantur; partes tamen materiam ad pectus mittentes simul evacuandæ & roborandæ sunt. Siccitas pulmonis emendanda est, ut supra, de intemperie sicca pulmonum, dictum.

Curatio.

Curatio angustia arteriarum pulmonis ab humore frigido & crasso.

Interna.

Ut igitur materia crassa commode evacuari possit, primò præparanda est incidentibus & detergentibus medicamentis, è capillo *zsis*, hyssopo,

prasio, pulegio, radic. enulæ iridis, & similibus, quæ postea proponentur.

Ut R: *Capill. zsis,*

hyssop.

scabios.

prassii, ana M. ß.

rad. helen.

ireos, ana Drach. ij.

sem. anisi,

fenicul. ana Drach. j.

passular.

glycyrrhiz, ana Unc. ß.

ficuum N. vj.

Coqu. in aq. f. ad remanentiam tertiæ partis.

Colaturæ adde:

Sir. capill. zsis,

de hyssopo, ana Unc. j.

oxymel. scyllit. Unc. ß.

M. pro duabus dosibus, & potio hæc bis vel ter iteretur.

Vel R: *Rad. fenicul.*

glycyrrh.

ireos,

helen. ana Unc. ß.

capill. z.

russilag.

scabios.

hyssop.

prassii,

satureia, ana M. ß.

jujubar.

sebesten, ana N. xx.

caricar. N. vi.

passular. Unc. ß.

sem. anisi,

feniculi,

malva, ana Drach. j.

X 3

Coq

Coqu. in f. q. aquæ puræ.

Col. R. ℞. ℥j. adde
oxymel. scillit.
sir. de prass.
de glycyrrh. ana Unc. j. ℞.
aq. cinamomi Drach. ij.

M. pro 4. dosibus.

℞. *Sir. de prassio,*
de byssopo,
de glycyrrh. ana Unc. j.
oxymel. f. Unc. j. ℞.
aq. scabiose,
peronisa,
byssopi, ana Unc. iij.

M. pro 3. dosibus.

Præparata materia evacuetur.

E g. in decocti supra secundo loco parati suff. quantitate.

agarici trochiscati Unc. j.
sem. carthami Drach. vj.
 ebulliant; ita alvum simul movebit.
 Vel ℞. *Pil. de agaric.* Scrup. ij.
assajereb Scrup. j.
coctiar. Scrup. ℞.

Cum *oxymel. scillit.*

Fiant Pilulæ xxiv.

Nonnulli frequenter ad purgandum in obstructione pectoris ab humore crasso utuntur Trochiscis de violis, à Mesue, *cap. de asthma*, descriptis; quos tamen reprehendit Alexander Mallarias eâ de causa, quòd non sit compositio satis artificiosa, nec diagrydium satis correctum. Verum potest diagrydii loco sumi extract. scammonii. Possunt etiam sine scammonio hoc modo parari:

℞. *Flor. violar. Martiar. non in-
 mium exsiccatorum,* Drach. iij.

turbith. elect. Drach. j. ℞.
agaric. Drach. j.
succi glycyrrh. Scrup. ij. ℞.
manna Drach. j. ℞.

Cum *sirupo violarum.*

Fiant Trochisci, quorum Drach. ij. vel iij. in decocto pectorali vel liquore conveniente exhibeantur.

Vinum medicatum tale fieri potest:

℞. *Rad. helen.*
ireos, ana Unc. ℞.
turbith. elect. Drach. ij.
scabios.
carduiben. ana P. ij.
sem. anisi,
cinamomi,
galanga, ana Drach. j.

Affundatur vini mensura j. vel ℞.

Sumat æger manè iusculum g. lli, & superbibat haustum vini. Imprimis commendatur jus galli decrepiti purgans, in quo radix ireos & semen carthami coctum sit. Vel paretur hoc modo:

℞. *Gallum antiquum evisceratum,*
 in ventre ejus confusa imponantur.

sem. cartham. Unc. j.
rad. polypod. Drach. vj.
passular. Unc. j. ℞.
ficuum Unc. j.
sem. anisi,

feniculi, ana Drach. ij.

agarici albi Unc. ℞.

turbith. elect. Drach. j. ℞.

zingiber. Drach. ij.

Coqu. donec caro ab ossibus separetur.

Vel ℞. *Gallum decrepitem evisceratum,*
 ventrem que ejus sequentibus reple:

℞. *Paf.*

R. *Passular.*

ficuum, ana Unc. j. ℞.

glycyrrh.

hyssop.

satyria,

rhymi, ana Unc. ℞.

sem. feniculi Drach. j.

carbam. Unc. ℞.

turbith. elect. Drach. ij.

agarici trochisc. Unc. ℞.

zingiberis Drach. j.

Coqu. in aqua pura.

Decocti detur manè haustus, qui si non satis alvum moveat, addatur manna aliquid.

Quoniam autem purgantia talia humorem saltem in universo corpore evacuare videntur: tamen hoc modo revellunt, & humores ad pulmones tendentes retrahere possunt. Ideoque nec revellentia & derivantia omittantur, ut vomitus, clysteres, & diuretica. Avicennas tamen fortia diuretica improbat, quod subtile extrahant, relicto crassiore.

Corpore toto evacuato, danda opera, ut continens seu proxima causa è pulmone tollatur. Ideoque ad materiam crassam & viscidam, attenuandam, incidendam & detergendam adhibeantur *capillus ♀*, *hyssop.*, *prassium*, *puleg.*, *calamirba*, *scabiosa*, *rad. ireos*, *pimpinell.*, *helenii*, *sem. anisi*, *feniculi*, *scilla*, *ammoniacum*, *millepedes usti*, *sulphur*. & hinc composita, *sirup. capill. ♀*, *de hyssop.*, *de prassio*, *scabiosa*, *oxymel. s. composit.*, *scillit.*, *extr. ireos*, *helenii*, *spec. & rocula diareos*, *s. diar.*, *Salomon.*, *loch de caulibus*, *scilliticum*.

Videndum tamen, ne nimia medicamentorum caliditate humores exsiccentur, & magis crassi ac lentiores reddantur. Ideoque utile est attenuantibus & incidentibus humectantia permiscere, ut *glycyrrhizam*, *passulas*, *caricas*, *jubas*, *pineas*, *malvam*, *althæam*.

Ut R. *Passul.* Unc. j. ℞.

sem. fenicul. Unc. ℞.

hyssopi,

salvia acutifol. ana M. ℞.

capill. ♀ P. j.

jubar.

sebesten. ana N. xii.

dactylor. sine nucleis,

ficuum, ana N. iv.

glycyrrhiza rasa,

sem. anis.

cinam. ana Drach. ij.

rad. helenii Drach. ℞.

Conscindenda conscindantur & coqu. in ℥ ij aqu. in vase duplici. Colatura dulcoretur.

sacch. albi Unc. v.

Fiat potio clara.

Utile est & hic jus galli decrepitum si in eo thoracica medicamenta coquantur.

Utile est & oxymel, quod à Cratone, *cons. 79.* commendatur.

R. *Herb. hyssop.*

veronis.

scabios.

marrub.

origan.

pulegii,

cardui benedict. ana M. j.

rad.

Rad. ireos incis. Drach. vj.

zingiber. Drach. β.

agar. alb. Unc. β.

Infunde in aceti ℥ j β.

aqu. veronic.

carduiben. an. ℥ β.

Stent in vase vitreo obturato loco calido per triduum, deinde ebulliant lento igne, & colentur.

R. Colaturæ ℥ j β. mellis ℥ β.

Coqu. ad Syrupi formam, qui aromatizetur cinamomo, calamo aromatico; de quo sumat æger manè cochlearia duo vel tria.

Vel R. *Glycyrrh. rase* Unc. ij.

sem. anisi confusi,

feniculi, ana Drach. β.

spir. vini ℥ vj.

Stent in vase vitreo bene obturato. Macerentur dies duos,

Postea adde

mellis ℥ ij.

ambra grysea gr. xij.

moschi gr. x.

facch. alb. Unc. ij.

solutionis perlarum Drach. j.

Stent per dies 10. quotidie agitando, postea clarum separètur. Dosis Unc. β. cum Unc. ij. lactis caprilli jejuno stomacho.

Valdè etiam commendatur terebinthina, quæ non solum pulmones abstergit, sed & epar, lienem, renes, simulque alvum citra noxam solvit: ut & oleum amygdalarum dulcium recens expressum ad Unc. vj. cum saccharo sumptum, quod pulmones & pectus relaxat, & detergendo humores viscidos per alvum evacuat.

Imprimis hîc commendantur eclegmata, seu loch vulgò dicta, ut loch de caulibus; de pratsio, de pino, passulatum, de hyssopo, de scylla, sanum & expertum, & quod ad asthma dicitur.

Nonnulli diabutyrum commendant, hoc modo paratum:

R. *Caricar. pingui.*

dactylor.

passular. ana Unc. ij.

Contusa in aqua mulsæ ℥ iij. per diem infundantur. Hinc coquantur & exprimantur.

Colaturæ expressæ adde butyri recentis aquâ fontanâ diligenter loti & non salii Unc. iij. iterum coquantur & colentur.

Postea adde

Amygdalar. amarar.

pinear. mundatar. confusar.

ana Unc. ij.

Et omnia simul in mortario miscantur addendo paulatim,

succi glycyrrhiz. Unc. β.

pulv. tragacantib.

sem. urtic.

hyssop.

ireos,

thymi,

satureia,

prassii, ana Unc. β.

cinamom.

zingiberis,

pyreth. ana Drach. ij.

caryophyll.

galang.

piperis nigri,

anisi,

cardi,

cardamomi, ana Drach. β.
ligni alci, Scrup. j.
pulmon. vulpis Unc. ij.

Misce.

Galenus, *in fine lib. 7. de comp. med.*
f. l. aliquot ex veterum scriptis me-
 dicamenta recenset, atque inter ea
 & hoc:

℞. *Succi scilla crude,*
mellis part. æquales,

Coqu. lento igne. Dosis Drach. ij.
 ante & longè post cibum.

Vel ℞. *Æis vivi* (flores commodio-
 res essent) Drachm. j.

sem. ruta sylvestr.
aristoloch.
absinth.
abrotan.
ammoniac. ana Unc. β.

Terantur & fiant cum aceto Tro-
 chisci magnitudine fabæ, quorum
 manè & vesperi tres exhibeantur.
 cum liquore conveniente.

Cum internis medicamentis &
 externa conjungenda. Illinatur ni-
 mirum pectus *ol. amygdal. dulc.*
chamemel. anethino, lilior. albor. chei-
rino, additis, mucilaginitibus & pingue-
dinibus emollientibus.

Ut ℞. *Ol. amygdal. dulc.*

lilior. albor.
rutacci, ana Drach. vj.

adip. gallin.
anser. ana Unc. β.

mucilag. sem. fanigrac. cum aq.
scabios. factæ Drach. iij.
pulv. rad. ireos.

belenii,
croci, ana Scrup. j.

L. II.

cera parum.

Fiat Linimentum.

Interea non omittantur diversio-
 nes, & si à catarrho malum fovea-
 tur, omnia illa, quæ suprâ de ca-
 tarrho diximus, hic locum habent.
 Fonticuli etiam in brachiis excitari
 possunt, quibus materia averti-
 tur.

Pectore expurgato danda opera,
 ut exsiccantibus & absorbentibus re-
 liquiæ in pulmone absumantur. In-
 quem usum medicamenta pleraque
 ad humorem crassum expectoran-
 dum hæc nos proposita adhiberi
 possunt. E quibus tamen fortiora
 eligenda: Ut *rad. belenii, ari, scilla,*
sulphur, benzoe, & similia.

Ut ℞. *Rad. ireos,* Unc. ij.

belen.

ari, ana Unc. j.

angelic.

scill. ana Unc. β.

glycyrrh. Unc. j.

hyssop.

satureia,

pulegii

raarrub.

calamintb. ana M. j.

sem. fanicul.

anisi, ana Drach. ij.

urtic.

eruca,

cartham.

ana Drach. j. β.

Coqu. cum melle.

Fiat Sirupus,

Y

Cui

Cui sub finem adde croci Drach. ℞.
Commendatur & Sirupus de
Nicotiana.

℞. *Nicotiana sicca* M. iij.
capill. ℞is,
scabiosæ, ana M. j.
byssop.
marrub.
calamintib ana M. ℞.
caricar.
dactylor ana N. x.
rad. angel.
fenicul. ana Unc. ℞.
sem. fenicul.
anisi, ana Drach. iij.
urtic. Unc. ℞.
rad. ireos Drach. x.

Coqu. in aqu. ℥ iij. & addito
melle & saccharo.

Fiat Sirupus.

Est & efficax decoctum ligni
Guajaci & *sarsaparilla*, si pectoralia
addantur.

Laudatur & ros Solis, si ei cum
sem. botryos. glycyrrh. & marrubii
sp. vini affundatur. Est & utilis a-
qua cinamomi.

In senibus, & pituitoso ac frigido
temperamento præditis, efficaces
sunt aquæ pectorales dictæ, quæ hu-
mores crasses coquunt, eosque ac
flatus dissipant, vires roborant, &
sputum facilius reddunt.

Ut ℞. *Rad. ireos.*
belen.
fenicul.
glycyrrh.
tussilag. ana Unc. ℞.

mors. diabol. Drach. iij.

veronic.
scabios.
byssop.
salvia,
marrubii,
capill. ℞is, ana M. ij.
cinamomi,
granor juniperi, ana Unc. ℞.
sem. fenicul.
anisi,
scille prepar. ana Drach. ij.
ficuum N. x.
amygdal. amarar.
pinearum ana Unc. ℞.
croci Drach. ℞.

Affunde spir. vini optimi q. f.

Stent in infusione diebus 14.
postea destillentur.

Hoc loco de aquis pectorali-
bus ejusmodi monendum, etsi multa
in iis sint, quæ destillato vires suas
communicant: tamen multa etiam
sunt, quæ per alembicum non ele-
vantur, ut glycyrrhiza, amygdalæ,
pineæ, ficus, passulæ, & similia. Qua-
re commodius esset, talia in spiritu
vini vel aquire ejusmodi macerare,
& liquorem istum postea aquæ pec-
toralis loco usurpare.

Vel ℞. *Spir. vini optimi* Unc. 1v.
agu. cinamomi Unc. ℞.
ungul. cabalin.
scabios. ana Drach. iij.
sacch. candi Unc. ij.

Misce.

Vel F. Eclegma.

*Aqua pe-
ctorales.*

℞. Ana.

℞. *Ammoniac. aceto scillitico dis-*
sōl. Drach. ij.

sem. urtic.

malva, ana Drach. j.

flor. ꝯis Scrup. iv.

croci Scrup. β.

Cum melle scillit.

Fiat Lohoch.

Vel F. hæc Pulvis:

℞. *Rad. glycyrrhiz.*

ireos,

helen ana Drach. j.

ari Scrup. ij.

cinamomi Drach. ij.

sem. urtic.

nasturtii, ana Drach. j.

pulmon. vulpis prepar. Drach. ij.

croci Scrup. j.

flor. ꝯis Drach. j.

benzoes Scrup. β.

sacch. candi Drach. vi.

Fiat Pulvis.

℞. *Flor. sulphuris Drach. j. β.*

benzoes gr. vi.

ammoniac. gr. iij.

croci gr. iv.

margarit. prepar. Scrup. j.

mosch. Scrup. β.

Fiat Pulvis, de quo, quantum cu-
spide cultelli capi potest, detur ve-
speri in ovo forbili, vel oxymelite,
scillit. vel aqua scabiosæ.

Pueris datur semon fœniculi in
lacte coctum.

Vel ℞. *Flor. sulphuris Drach. j. β.*

benzoes Scrup. j.

rad. heleni Drach. β.

ireos Drach. j.

croci Scrup. j.

sacch. cand. Unc. β.

Fiat Pulvis.

℞. *Ammoniaci Drach. j. β.*

croci Scrup. β.

flor. benzoes gr. vi.

sacchari candi,

succ. glycyrrh. an. q. s.

Fiant Pilulæ xxx. sumantur una vi-
ce vi. vel v. r.

Vel ℞. *Flor. sulphuris Drach. j.*

extract. heleni Scrup. j.

sacch. albiß in aqua scabiosæ

dissolut. Unc. iij.

ol. anisi gutt. iv.

Fiant Rotulæ.

Vel ℞. *Spec. diaireos f. Drach. j.*

diatragac. calid. Drach. β.

balsam. sulphur. Scrup. β.

sacchar. in aqua scabiosæ dissol-

lut. Unc. iv. vel. v.

Fiant Rotulæ.

Dieta.

Aër, quem spirando æger attra-
hit, sit calidus, siccus, attenuans &
liber. Ideoque in conclavi, in quo
æger versatur, suffimigia parentur,
ex styrace, thure, myrrha, benzoe,
moscho, ambra. Vitetur aër filgi-
dus, humidus & crassus.

Cibus easdem qualitates habeat,
ideoque condiatur hyssopo, thy-
mo, fœniculo, baccis juniperi, ci-
namomo, & imprimis croco. Uti-
les sunt passule, amygdalæ, pinæ, pi-
stacia, & imprimis commodum est

Dieta ab
humore
frigido.

jus galli decrepiti cum thymo & croco. Melliti quoque cibi non inutiles sunt, si æger alias eos ferat. Vitentur verò adstringentes & crassifucci, ut pisces, caro suilla, lac, & similes. Potus sit vinum tenue & subdulce, vel melicratum aut mulsum, in quo thoracica medicamenta cōcta sint. Possunt & cerevisiæ medicatæ fieri cum salvia, hyssopo, roremarino, & similibus. Utilis est & potus ligni Guajaci. Ager sitim non ferat, sed sapius, verum moderate bibat, quia humectatione opus est, ad eam, quæ jam incisa & deterfa est in pulmone, materiam tussi ejiciendam. Somnus sit nocturnus, moderatus, capite & pectore non nihil elevato.

Curatio angustie arteriarum pulmonis à reliquis causis.

Curatio angustie à reliquis causis.

Si à spiritu aut flatu crasso obstructa sunt vasa pulmonis, is discutendus & dissipandus est medicamentis flatu discutientibus, quæ alibi proponuntur, è quibus thoracica eligenda, vel hæc iis admiscenda; & danda opera, ne flatu iterum generentur.

Si tuberculum est causa angustie, danda opera, ut attenuantibus & exsiccantibus absumatur, qualem facultatem aromata habere, Galenus, 7. de compos. med. s. loc. in fine scribit.

Sunt etiam utilia hæc ammoniacum, sulphur, benzoe, theriaca, Mithridat. sales chymici, & similia enumerata.

Si à grandine & calculo sit angustia, locum habent millepedes & aselli, si nimirum in olla comburantur, donec albescant, & melle excipiantur. Potentius sit medicamentum, si adjiciatur semen milii Solis.

Si à sanguine extra venas effuso proveniat angustia, fluxus sanguinis cohibendus, ut postea de curatione sputi sanguinis, dicitur; qui verò in vasis pulmonis, præsertim asperis arteriis, hæret, si concretus sit, per potam, oxymel, coagulum leporis, mumiam & similia dissolvendus, & per sputum ac tussim ejiciendus.

Si à siccitate pulmonis proveniat angustia, lac amygdal. dulc. & feminum melon. detur, sirupus depomis, violis; borrag. jujubæ, dactyli, ficus, passulæ, lac, & similia, ut supra, de intemperie pulmonum sicca, dictum.

CAPUT V.

De angustia Lavium pulmonis arteriarum.

Est modò, ubi de causis angustie asperarum pulmonis arteriarum dictum fuit, etiam lavium arteriarum ejusdem factæ mentione: quia tamen hæc etiam obstrui & angustiores reddi possunt, ut asperas arterias non comprimant, in specie & peculiariter de lavium arteriarum in pulmone angustia aliquid dicendum est, imprimis cum hæc tractatio doctrinæ de asthma non parum lucis allatura sit.

fit, & affectus ipse cognitu necessarius sit, cum hominem saepe subito in vitæ periculum conijcere possit, etsi antè nec de difficultate respirationis, nec de dolore & gravitate pe-
 ctoris, nec de tussi conquestus sit. Cujus rei memorabile exemplum recenset Galenus, 4. de loc. aff. cap. ultimo. Locum, quia notatu dignus est, integrum adscribere libet. Ea, inquit, que Antipatro Medico acciderunt, nemo est, qui nesciat, ut pote qui Medicam artem publicè apud Romanos professus est. Agebat hic ætatem sexaginta quidem annis minorem, sed quinquaginta jam annos excefferat. Is correptus aliquando febre quadam ephemera, idq; ab evidenti causa, declinante jam febre, ut, quid sibi factu opus esset, intelligeret, pulsum ipse suum tangere aggressus est. Cum igitur omne inæqualitatis genus in arteriarum motu inveniret, in primis quidem tenuius est, deinde verò, cum sese non febrile planè sentiret, ilicò balneum subit: quippe laboribus ac vigiliis corpus fatigaverat. Atq; tenui quoq; victu, donec diem tertium præterisset, usus est, quo, cum nulla appareret febris, ad soluta negotia pertrahenda prodit: atq; arteriam in extrema brachii sui parte tangens, admiratus est perseverantem in pulsibus inæqualitatem. Occurrens itaq; mihi, extendit manum, videns, jussuq; pulsum tangere. At ego subridens, quid inquam, portendis hoc quod proponis ænigma? ille iterum ridens obnixè oravit, ut tangerem. Igitur inter tangendū omnigenam in pulsu inveni inæqualitatem, non solum in multarum pulsatio-

num cumulo, quam systematicen (id est congregatricem) vocant, verum etiam in una arterie distinctione. Proinde miratus, quomodo adhuc viveret, cum talem haberet pulsum, interrogavi, num difficilis esset ei respiratio: illo verò nullam se sentire respondente, observavi equidè, an aliquando mutaretur, qui po-
 pe sex mensium spatio assidue arteriam tangebam. Cumq; ab initio interrogaret, quenam corporis dispositio mihi videretur posse hujusmodi pulsum efficere, atq; per quem modum, idq; cur a febre: ad eam questionem respondi, in commentariis de pulsu jam declarasse me hujusmodi inæqualitatem. Namq; ob magnarum in pulmone arteriarum angustiam id evenire putavi: angustia verò causam esse dixi visceris inflammationem. At tibi hanc ob causam id nunc accidisse impossibile est, quippe febre fuisses affectus. Relinquitur ergò, vel obstructionem ex liquidis, & crassis & viscosis humoribus, vel crudi cujuspiam tuberculi ortum in hujusmodi dispositionem induxisse. Tum illi respondens, oportuisset (inquit) me suspiciosa orthopnoea laborare. At ego probabilia, inquam ipsum dicere, sed à veritate aberrare: quippe fieri nonnunquam hujusmodi orthopnoeam ob eam, quam diximus, causam: id verò cum in asperis, non in levibus arteriis crassus & lentus humor cumulat. Proinde omnem ei victus rationem atq; medicamentam quoq; haud aliter, quam asthmaticis, a scribere jussimus: deinde sex (ut dixi) mensibus elapsis, levi quadam spirandi difficultate affectus est, accedente simul cordis palpitatione, in primis quidem

semel, deinde bis, atq; ter, postea quater, ac saepius quoq; , aut à simul spirandi difficultate ad quindecimum usq; diem: post quem diff. illa derepentè obortà spiratione, resolutus statim obiit, aliorum quorundam exemplo, qui cordis affectibus laborant.

Causse.

Causse. Causse autem hujus angustie est duplex: obstructio & compressio. Obstructio fit à crassis, viscidis & pituitosis humoribus, qui quidem vel in pulmone ex ejus coctione vitiosa generantur, vel aliunde transmittuntur; id quod sæpe fit ex epate, dum illud crudo & pituitoso sanguine scatet, cujus pars aliqua per venam arteriosam in pulmones transfunditur, & quidem sæpe certis intervallis, ut infra de *asthmate*, dicitur. Non verò materia hujus obstructionis causse è capite defluit. Hoc enim si fieret, prius à bronchiis pulmonis reciperetur, & difficultas spirandi ac tussis excitaretur. Deinde eadem obstructio fit à crudo tuberculo, de cujus generatione postea dicitur.

Comprimuntur verò hæ læves arterie itidem à crudo tuberculo, si illud in pulmone generatum extrà lævibus arteriis incumbit. Idem fit ab inflammatione pulmonis, ut etiam Galenus, loco allegato, innuit.

Signa diagnostica.

Signa. Deprehenditur hoc malum è sola pulsus inæqualitate, nimirum

tam systematica, quàm quæ est in una pulsatione, qui nunc est parvus, nunc magnus, celer, tardus, rarus, frequens, vehemens, atque inter pulsationes aliqua decurtantur, aliqua intermittunt, aliqua interdunt. Cùm enim natura fuligines ob angustiam harum arteriarum non possit satis expellere, fit lucta quædam, & natura causse morbificæ sese opponens, vi, quod molestum est, expellere conatur. Ubi autem natura hunc suum finem assequi non potest, aut dimidia facta est obstructio, syncopes aut suffocationis periculum imminet. Aliàs nihil molesti percipitur, nec difficultas respirandi, nec tussis, nec dolor, aut gravitas. Ubi tamen malum incrementum sumit, tandem ipsi arteriis communicatur, & tunc quæ antea non aderat, difficultas spirandi supervenit, tandemq; etiam palpitationis cordis, syncopæ, & suffocationis metus.

Causarum signa quod attinet, si à crassis humoribus sit obstructio, pulsus est durus per tensionem; si per tuberculum, durus per tensionem & siccitatem. Si ab humore sit obstructio, pulsus magis variabit; si à tuberculo, inæqualitas magis erit uniformis, utpote à causse magis fixa proveniens. In obstructione æquales plures simul adesse possunt: at in tuberculo plures sunt inæquales.

Ubi tandem malo incrementum sumente, & materiâ asperis arteriis commu-

Communicata, accidit difficilis respiratio, si malum sit à crasis succis, difficultas respirandi non est uniformis, sed nunc major, nunc minor, pro causæ ratione: si verò sit à tuberculo, uniformis est difficultas respirandi, nisi forsitan causa aliqua externa accedat.

Si malum sit ab inflammatione, ea ex febre & aliis signis suprâ propositus cognoscitur.

Prognostica.

1. Malum hoc longè periculosum est, à quo homo sæpe accedente syncope vel suffocatione subitò perimitur.

2. Quò in pulsus inæqualitate plures sunt magnæ, vehementes, celeres, intereidentes & æquales pulsationes, eò minus malum est: quò autem plures sunt languidæ, parvæ, decurtatæ, intermittentes & crebriores, eò majus periculum indicatur.

3. Quò minus actiones cordis læduntur, minorque est in syncope propensio, eò malum minus est; quò verò hæc majora, eò majus periculum imminet.

4. Quæ à crasis & viscidis humoribus est obstructio, non ita difficulter curatur, præsertim si recens fuerit; quæ autem angustia provenit à tuberculis, curatu difficilissima est, ut postea, *de tuberculis pulmonis*, dicetur.

5. Quò major cachexia conjuncta est, eò periculosius est malum; de cujus rei causa postea *in questione* dicetur.

Indicationes.

Causa angustiam pariens est tollenda. Ideoq; si humores crassi & viscidi sint, attenuandi, extergendi & evacuandi sunt. Crudum tuberculum, seu arterias has obstruat, seu comprimatur, attenuandum & resiciendum. Inflammatio si adsit, ea debito modo curanda.

Indicationes.

Curatio.

Crassi autem & viscidi humores quomodo præparandi & evacuandi sint è pulmonibus, *capite præcedente*, jam dictum est, ut ea hîc repetere opus non sit, & dicetur de eo etiam, *in asthma*. Nam ejus curatio ab hujus causæ sublatio ne pendet. Unum saltem hic moneo, quod etiam in curatione asthmatis repetendum, nonnullos paroxysmo asthmatico ingruente, vomitum præcipere. Quæ res etsi alicuià veritate aliena videri posset: aliquoties tamen vidi, vomitu spontè superveniente, à paroxysmo liberatos fuisse. Quærenda ergo hujus rei causa: quæ nulla alia videtur, quàm quod materia, quæ ab epate ad pulmones ruit, ad ventriculum convertitur. De quo postea, *in questione*, dicetur.

Curatio.

Crudum tuberculum quomodo curandum sit, dicetur postea, *cap. 8*

Inflammatio pulmonis quomodo curanda sit, jam antea, *cap. 3*, dictum,

QUÆ

Prognostica.

QUÆSTIO.

Quanam sit causa hydropis, qua levium arteriarum obstructione laborantibus super-venire solet.

Hydrops in obstructione me labium arteriarum causa quanam?

P. Salius Diversus, de affectib. parvitic. cap. 21. censet idè hoc fieri, quòd perseverante malo calor innatus, quoniam non sufficienter eventatur, languescat, atque inde epar debilitetur, cujus ratione postea aliqua hydrops species succedat.

Verùm enim verò, cù sæpe satis maturè sese cachexia prodatur, ubi cor adhuc satis bene valere deprehenditur, & epar nihil à pulmonibus, sed pulmones potiùs ab epate accipiant, credibile est, vel à pulmonibus refrigeratis epar refrigerari, vel, quod vero similis mihi videtur, primam mali causam in epate hæere, quod, cum sit debile, sanguinem pituitosum & frigidum generat, qui, cum necessariò ad dextrum ventriculum cordis mittatur, porrò etiam ad pulmones pervenit, & hujus mali causa est. Cùm enim vena arteriosa & arteria venosa per totam substantiam pulmonis in minutissimos ramulos divisæ dispergantur, & multis anastomosibus conjungantur, facillè ex vena arteriosa in arteriam venosam humores transferri possunt.

Angustia vasorum pulmonis opponitur eorum apertio: & proinde de hac post illam meritò agitur. Ad morbos enim pulmonis, & quidem meatuum vitia, & illi pertinent, cum vasa sanguinem continentia in pulmone, quæ clausa esse debent, aperiuntur. Id quod, ut in aliis etiam partibus, fit quatuor modis, *ἀναστομώσεις* scilicet, *Ἀπὸ πηδύσεως* & *Ἀναρρώσεως*.

Apertio vasorum pulmonis.

Ἀναστομώσεις, seu osculorum in venis vel arteriis apertio, fit primò à causa externà evidente, quæ proximè & sola orificia vasorum aperire potest, medicamentis scilicet abstergentibus & orificia vasorum aperientibus, qualia sunt aloë & similia, vel caussis nimis laxandi vim habentibus. Deinde à causa interna, quæ vel est proxima, sanguis scilicet vasorum orificia aperiens, vel antecedens, sanguis scilicet aut copiam peccans, aut calidus, aut acris, à quo facultas irritatur, quibus & motus sanguinis ad superiora addi potest. Ut enim à sanguine orificia vasorum in pulmone aperiuntur, causa non semper primariò in pulmone hæret, sed sæpe ad pulmonè ab aliis partibus transmittitur.

Quatuor modis vasorum aperiuntur.

Ἀναστομώσεις causa.

Procatartica causa sunt, quæ vel sanguinem cumulant, ut suppressa ejusdem consueta per nares, hæmorrhoides, menstrua, evacuatio, & alia plethoræ causa; vel calidiorem reddunt, ut corporum motus vehemens, aer, cibus, potus, medicamenta calida; vel ipsum ad pulmones & superiora commovent, ut motus nimius.

Ἀπὸ πηδύσεως.

CAPUT VI.

De Apertione vasorum pulmonis.

Διαπύδνησις, id est, transcolatio si-
ve transudatio fit ob vasorum &
tunicarum in ijs raritatem, cujus
caussa est sanguinis tenuitas & sero-
sitas.

Ρήξις ἀ
καύσις externis.
Ρήξις, id est, ruptio vasorum fit
primò à causis externis evidenti-
bus. quæ proximè vasa in pulmoni-
bus rumpere valent, ut lapsu ab al-
to, vel percussione & contusione
pectoris, ira cum clamore, inten-
tione vocis subitâ & magna ac ve-
hementi, non à leniore quasi per
gradus ascendente, tussu nimia, co-
natu magno grave pondus attol-
lendi vel loco movendi, saltu, impri-
mis post bilium, ubi vasa & totum
corpus rarius redditum, cursu, lu-
cta, retentione spiritus in conatu ex-
crementa excernendi, & fetum ex-
cludendi. Hinc Hippocrates, 3.

aphor. 29. scribit: Juvenibus sangui-
nis exspuitionses, sicut & phthisin esse
familiares: & 5. *aphor. 9.* eadem ab
anno 18. ad 35. frequentius accide-
re. Id quod Galenus non tam æta-
tis ratione accidere docet, quàm
propterea, quod in ea ætate consti-
tuti in vita & victu errores commit-
tunt. Etenim juvenes pugnare, a-
liisque exercitiis uti solent, sæpe fri-
gori nimio se exponunt, cibo & po-
tu supra modum se replent. Quibus
causis omnibus facillè vena iis præ-
sertim in pectore, rumpi contingit,
unde sputum sanguinis primò ori-
tur, quod nisi tempestivè curetur,
phthisis subsequitur. Præterea san-
guinem calidum & biliosum cumu-
lant, qui non solum rupturam, sed

L. II.

& reliquas causas, quæ vasa in pul-
mone aperiunt, inducere potest.
Eisdem ob causas viri etiam fre-
quentius apertionem vasorum pul-
monis patiuntur quàm foeminae. Ga-
lenus, 4. *de loc. affect. cap. 5.*

Deinde rumpuntur vasa pulmo-
nis à causa interna, eaque vel proxi-
ma, quæ est sanguis pulmonis vasa
distendens; vel antecedens, sangui-
nis abundantia seu sola, seu cum spi-
ritu flatulento; vel præcætarctica, quæ
scilicet vel sanguinem auget, vel ad
pectus commovet; ut motus corpo-
ris nimius, animi pathemata vehe-
mentiora & ira imprimis.

Et præcipuè causa ista vasa rumpunt,
cùm vasa extensioni resistunt
ob frigus externum. Tum enim illo-
rum tunica frigore contracta &
indurata ad rupturam prompta &
parata sunt. Hinc Hippocrates, 6.
epid. sect. 3. aph. 10. τα ψυχροῦ φλε-
βῶν ρυτίξιν, quod etiam habetur 5.
aphor. 24.

Frigus verò ipsum per se vas ali-
quod frangere non potest, sed vel
motum aliquem, vel plenitudinem
accidere necesse est, de quo Gale-
nus, 4. *de loc. aff. cap. 8.* ita scribit:
Frigus ipsum per se rupturas non facit,
sed quia venarum tunicas frigiditate
suâ duras & ad extensionem contuma-
ces reddens, ut rumpantur, paratior
efficit: rptionis verò causa est aut ve-
hemens motus, aut humorum abun-
dantia.

Διάβρωσις verò seu erosio fit ab
humoribus acris & salis, seu à
capite destillantibus, seu aliunde ad

Διάβρωσις.

Z

pulmo-

Pulmonem fluentibus, Quò faciunt acrium & pravorum ciborum usus, inedia acres humores coacervans & similia,

sistit, signaq; redundantis sanguinis adsunt; si verò ab acrimonia sanguinis proveniat, sanguis ita facillè sisti non potest.

Signa diagnostica.

Signa.

Si ἀναστομῶσις vasorum pulmonis sit, præcesserunt causæ vasorum orificia aperientes, quæ modò enumerata sunt. Et sanguis è vasorum orificiis apertis exit mediocri copiâ & sine dolore.

Si Μανήθσις adsit, exit sanguis serofus, paucus, & sine dolore.

Si ἀρήξις seu ruptura vasa pulmonis aperiantur, præcessit plethora, & causa aliqua rumpens antea proposita, & sanguis statim copiosus exit.

Si fit erosio, præcesserunt falsa è capite destillationes, sanguis est acris, & propter humoris acris admixtionem malè coleratus apparet; percipitur sapor salsus & acris, præcesserunt causæ acres humores cumulantes; & primò quidem sanguis purus expuitur, progressu verò temporis, & erosione auctâ, copiosior, tandemque sputum puris sequitur. Quæ signa confirmantur, si nulla causa violenta præcessit.

Præterea an à copia sanguinis, quæ tam ἀναστομῶσις, quam rupture causâ esse potest, ut supra dictum, an verò ab acrimonia ejusdem proveniat vasorum pulmonis apertio, ex eo quoque discernitur; quod si à copia sanguinis, quæ naturæ oneri erat, ea perveniat, sanguinis copiâ evacuata is spontè sub-

Prognostica.

1. Διαπήθσις minimè omnium Prognostica periculosa est, & adstringentibus facillè sanguis sistitur.

2. Post hanc minus periculosa est ἀναστομῶσις, ob quam si sanguis rejicitur, is spontè sæpe copia nimia evacuata subsistit, osculis spontè iterum sese occludentibus. Observatumque sæpius in consueto sanguinis, hæmorrhagiæ narium, hæmorrhoidum, mensum fluxu suppresso sanguinis superabundantem copiam, absque ullo damno è pulmone, osculis vasorum reclusis, evacuatam fuisse: quod etiam Fernelius, lib. 5. de part. morb. & sympt. c. 10. annotavit. Et Ludovicus Duretus de seipso scribit, in comment. super Coac. Hippocr. aphor. 46. sibi, cum olim familiaris fuisset narium hæmorrhagia, & quidem cum commodo valetudinis, usque ad annum ætatis quinquagesimum, tùm eâ suppressa, nec tamen ἀναστομῶσις temporibus quiescente, quasi datâ portâ proruisse per ἀναστομῶσιν vasorum pulmonis atque quidem sæpe & multum; quæ tamen sedata nullam pulmonis offensionem reliquerit, præter summam corporis infirmitatem. Si tamen oscula vasorum vel nimium dilatata, vel motu continuo impulsa ite-

rum connivere nequeant, interdum ex nimia sanguinis profusione mors sequitur. Aut si sanguinis effusi portio in pulmone retineatur, illic putrescens pulmonem corrumpere potest.

3. Periculosior est ruptura vasorum. Nisi enim intra tertium & quartum diem ruptura consolidetur, inflammatio facile accidere potest, à qua, cum tussis pus expuendum sit, vulnus indies majus efficitur. Et quamvis callus ulceri obducatur, tamen levi de causa, ut vocis intentione, vel risu immoderatiore iterum rumpitur. Galenus, 5. meth. med. cap. 14. Celsus l. 4. cap. 4. de Tussi.

Admodum etiam periculosa est vasorum pulmonis apertio, quæ fit in vulneratione, percussione, & contusione thoracis.

4. Periculosissima verò est *ἄβρωσις* seu erosio vasorum. Etenim ulcus sordidum, quod tum inducitur, non facile consolidatur; & ut vitium humoris corrigatur, longiore tempore opus est.

5. Si ruptura & erosio vasorum pulmonis sit recens, & antequam phlegmone accedit, non ita difficulter curatur. Si verò phlegmone accedat, exigua sanationis spes superest, eà præcipuè de causa, ut dictum, quod pus & saniem tussis è pectore expurgare oportet, quæ ulcus semper majus & deterius efficitur. Hinc Galenus, 5. meth. med. c. 13. & 14. scribit; se omnes curasse,

quæ pulmone sanguinem expuentes mox primo die ipsius opera usi fuerant; qui verò post biduum aut triduum ipsius operà usi essent, horum aliquos sanatos esse; quos autem phlegmone sic occupavit, ut jam febricitarent, eorum sanè nullum perfectè restitutum fuisse.

6. Morbus reversionem faciens magis, quàm ab initio urget. Hippocrates, de intern. affection.

Indicationes.

Apertum vas, quocunque modo apertio facta fuerit, claudendum. *Indicatio- nes.* Modus verò id præstandi varius est pro caussarum diversitate. Si nimirum ab *ἀναστομίσει* sit apertum vas, orificium vasis apertum obturandum & adstringendum est. Si à *ὑπερπλησίᾳ*, densantia & incrassantia requiruntur. Si à ruptura, ruptum vas uniendum atque agglutinandum. Si ab erosione, sarcotica primùm, quibus, quod deperditum est, regeneretur, & hinc consolidantia requiruntur.

Præterea si vitium sit à causa interna, eaque adhuc duret, aut vasorum agglutinationem impediat, ea tollenda. Sanguis nimirum ad pulmones affluens revellendus & avertendus, copiosus imminuendus, calidus & acris refrigerandus & mitigandus, humores biliosi & acres alterandi & evacuandi sunt.

*Curatio.**Curatio.*

Cùm à vasè in pulmone aperto sequatur sanguinis effluxus & hinc sputum sanguinis, vas apertum claudi non potest, nisi prius sanguis sistatur, &, si forsàn sanguis concretus circa vasa hæreat, is prius tollatur. Ideoque sive per *divasibionem*, sive per rupturam, sive per erosionem apertum vas in pulmone fuerit, commodissimè instituitur venæ sectio, quæ ferè plerisque scopis satisfacit. Et si enim, ubi causâ rupturæ amplius non adest, ut dum à contusione, lapsu, vel clamore nimio vas apertum est, sanguis saltem sistendus sit, & hinc vas claudendum & unendum; ubi verò causâ adhuc adest, id quod in plethora accidit, ubi à copia sanguinis vasa aperiuntur, non solum sanguis sistendus, & vas apertum claudendum sit, sed præterea etiam copia sanguinis minuenda: tamen his quoque omnibus satisfacit venæ sectio. Etenim dum sanguinem alio avertit, ejus fluxum sistit, dum verò ejus copiam immittit, causam morbi tollit.

Aperienda autem est vena in cubito. Si tamen consueta aliqua evacuatio suppressa sit, vena in pede etiã aperiri potest, ut ad remotiora fiat revulsio, deinde vena in cubito aperiri potest, ut in inflammatione pulmonis dictum. Qua in re tamen distinctio opus est, ut infra, *part. 3. cap. ult. in questione*, dicitur. Et quidem, si necessitas id requirit, bis vel ter eodem die vel spatio

bidui sanguis mittendus, si virium lapsum timeamus. Si enim venæ apertio sæpius repetatur, & in plures vices sanguinis missio distribuatur, efficacior fit revulsio, viresque minus deiciuntur. Et quidem convenientius sanguis mittendus, ubi copia sanguinis proxima & primaria apertionis vasorum causa est, in plethora scilicet, & ubi consueta aliqua sanguinis evacuatio suppressa est, sanguisque est calidior.

Si verò à pravitate humorum, qui vel orificia vasorum aperiunt, vel vasa erodunt, apertio vasorum proveniat; atque in iis, ut Galenus, *5. meth. med. cap. 14* scribit, qui parum sanguinis habere videbuntur: ad quandam succi probitatem reductis humoribus, detrahere aliquid sanguinis poteris, tum rursus reficere, eosdem etiam rursus purgare, atque rursus reficere, de quoque si res suadeat, sanguinem mittere, potissimum quibus veluti limus vitiosus & crassus totus sanguis est. At qui validi sunt, multi que sanguinis, ijs statim ab initio sanguis mittendus.

Quod si vires non ferant venæ sectionem, cucurbitulæ cum scarificatione partibus inferioribus revulsione gratiã applicandæ, vel etiam epati, si à plethora sit ruptora. Hirudines etiam præsertim si sanguinem antea fundere consueta sint, hæmorrhoidibus applicari possunt.

Et

Et omnino danda est opera, ut, si consueta aliqua evacuatio, vel mensium vel hæmorrhoidum suppressa sit, ea revocetur; sed per ista, quæ diximus, media. Nam menstrua per medicamenta menses moventia hæc movere non licet. Cum enim sint calida, & sanguinem vehementer movere, & venas aperire possunt.

Nec omittendæ aliæ revulsiones, quæ fiunt cucurbitulis sine scarificatione, frictionibus, ligaturis, & aliis, quæ citra evacuationem & virium dejectionem sanguinem revellunt. Si defluxio sit à capite, ea revulsio institienda, quæ catarrhis debetur, ut suo loco dictum.

Deinde si sanguini vitiosi humores permisceantur, quæ qualitate sua vitiosa vasorum apertionis causa sint; & qualitas illa vitiosa corrigenda, & vitiosi humores evacuandi. Ideoque & tum exhibenda alimenta boni succi, quæq; acrimoniam sanguinis mitigant, ut pitifana, amygdalum, tragacantha, succus granator. sirup. de portulaca, borragine, jujubis, & similia.

Ad purgationem exhibenda pulpamarindor. sirup. ros. solut. myrobal. manna, rhabbarbarum. Scammonio cautè utendum. Videndum enim, ne purgantibus fortioribus exhibitis sanguis magis agitetur, & fluxioni aptior reddatur.

Tertiò danda opera, ut grumi sanguinis in pectore ac pulmone, dissolvantur, cum non solum glutinationem vasorum impediunt, sed

& retenti gravia symptomata excitant & pulmones corrumpant.

Exhibendum autem oxycratum, seu posca, id est, mixtura ex aqua & aceto Unc. vi. vel ix. mensur. Sit autem posca, ut Galenus, *5. meth. med. cap. 8.* tradit, ita mista, ut potu sit jucunda, & ne ob acetum copiosius tussim excitet. Ita enim & concretum sanguinem dissolvit, & ad glutinandum nonnihil facit. Detur, autem non frigida nec calida, sed tepida, & quidem bis vel ter de die, vel etiam trium aut quatuor horarum intervallo. Græci Recentiores, ut Paulus Ægineta, Aëtius, Orbasius, commendant coagulum cervi, hædi, leporis imprimis, quæ ut dissoluta coagulant, ita coagulata dissolvunt, ut docet Dioscorides, *l. 2. c. 67.* Et quia acredinem non obscuram obtinent, vix magnitudine cicericis exhibent ex aqua calida adstringente aut oxymelite. Galenus tamen, *10. de simpl. med. fac. tit. Coagulum*, propter acrimoniam formidat coagulum dare ad rejectionem sanguinis in thoracis affectu, scilicet adstrictionem requirente. Posca igitur usus turissimus. Forestus ad sanguinem congelatum exhibuit mumiam & spermam ceti. Donatus post posca assumptionem commendat pulverem seq.

℞. Rhabarb. Drach. j. vel Scr. i. v.
mumie gr. v. vel vi r.
rubia tinctor. gr. iv.

Detur cum vino rubro, aut aqua plantaginis exiguo aceto injecto.

Lan-

Grumos
sanguinis
in pectore
resolventia.

Langius, l. 2. epist. 31. hunc Fulv-
rem commendat:

R. Rad. angelic. Scrup. ij.

coagul. lepor. Scrup. β.

succin. Drach. β.

farin. orob. rubr. Scrup. ij.

Exactè contusa cribro excernan-
tur, ac de illius pulveris farragine
Drach. j. dissolvatur in *stillatitii cere-*
soli aut *gingidii liquoris* Unc. iij. β. &
oxymel. Drach. j.

F. Haustus.

De medicamentis verò grumos
sanguinis in thorace dissolventibus
aliquid difficultatis oritur, quo sci-
licet tempore exhibenda sint, cum
si iis utamur, vasa non claudantur,
sed potius aperiantur. In ista au-
tem re perpendendum, an plus ur-
geat sanguinis impetus, quàm san-
guis concretus. Nam si rupta sit
in pulmonis vasis, & metus sit, ne
inflammatio excitetur, aut fluxus
sanguinis augeatur, malique aliquid
afferat, statim sistendus est. Ubi
autem jam ex parte aliqua impetus
sanguinis cessat, ut ex eo cognosci-
tur, quod jam minus fluit, & colo-
re non est amplius admodum flori-
do, grumos dissolventibus uti, &
postea agglutinantia exhibere licet:
imò medicamenta ex utrisque com-
posita exhiberi possunt; exempli
gratiâ, oxymel & sirup. de portula-
ca cum holo Armena. Si verò ru-
ptis vasis pectoris exspuatur san-
guis, & ex eo tantum periculum
phthiseos immineat, primò eum ex-
purgare & dissolvere, postea con-

glutinare licet. Idem faciendum
sanguisque concretus statim dissol-
vendus, siis è pulmonibus tantum
per *ἀνασφύων* exeat, cum tum tan-
tum inflammationis periculum non
adsit.

Si catarrhus à capite defluens
apertionis vasorum pulmonis cau-
sa sit, & vasa aperta conglutinari
non possint, nisi catarrhus desinat,
danda opera, ut primùm catarrhus
sistatur, de quo supra, *lib. 1. par. 2. cap.*
ult. de catarrho, dictum.

His ita peractis, & omnibus, quæ
consolidationem vasorum impedi-
dire possunt, remotis, danda opera,
ut vas ipsum statim consolidetur,
dum adhuc malum recens est, &
præcipuè in ruptura & erosione va-
sorum, antequam phlegmone ac-
cedat, ut *prognost. 5.* dictum. In va-
sorum autem apertorum conclu-
sione procuranda quædam pro cau-
sarum diversitate occurrit varietas.
Si enim sit *ἀσπρίθνης*, astringenti-
bus utendum, sanguisque si sit te-
nuior, crasso victu emendandus,
modò non adsit inflammatio, ut in
pleuritide, ubi adstringentibus ab-
stinendum, & potius screatus pro-
movendus. *Ἀνασφύων* & ruptu-
ram curandi ratio ferè eadem est.
Adhibenda nimirum adstringentia,
emplastica & glutinantia medica-
menta. Astringentia hîc utilia sunt:
portulaca, quæ quocunque modo
sumpta apertionem vasorum pul-
monis, & sputum sanguinis inde
proveniens curat; *succus* tamen
ejus

ejus efficacior est, *plantago, polygon. millefol. germina & fructus rubi. cynobai. myrti, tenera quercus folia, rosa, rad. symphyt. major. sumach, cortic. granat, balaustia, lapid. hematit. corallia, crocus Martis.*

Emplastica sunt *bolus Armena, terra sigillata, sanguis draconis, gummi Arabic. tragacanth. thus, mastich. amyllum.*

Glutinant hic *millefol. symphytum majus, lysimachia.* Et quia medicamenta pleraque plurimis prædita sunt facultatibus, ita ut quædam adstringant, condensent, conglutinent, etiam Medici modò ad hanc, modò ad illam classem ea referunt. Et cum talia medicamenta non facile penetrant, sed sibi ipsis potius viam quasi præcludant admiscendum aliquid medicamentorum, quæ calore & tenuitate partium prædita *dividoon* ac distributionem cæterorum medicamentorum adjuvant. In quem usum commodissima sunt & vehiculi vicem præstant mel & saccharum.

Ex his varia fiunt medicamenta, atque in utroque potissimum sunt *trochis. de terra sigillata, de carabe cum & sine opio, troch. ramch. spec. diatrag. frigid. sirup. de portulaca, de succ. plantagin. de rosæ sicca, de papavere, myrtin loch. de portulaca, conserv. rosar. rubr. antiq. de fol. quercus, sirup. de coral. ut & opiata, quam descripsit Fernelius, conf. 21.*

Rx. *Boli Armena aqu. rosar. lot. Drach. ij.*

sem. portulac.

lactuc. ana Drach. ß.

gummi tragacanth.

Arab. ana Scrup. ij.

amyli,

sem. nasturt. torrefact. ana

Drach. ß.

rosar. rubr.

sacch. cand.

rosat. tabul. ana Unc. j.

Cum *sirup. myrtillo.*

Formentur Trochisci, qui in ore detineantur.

Vel Rx. *Conserv. rosar. antiq. Unc. iij.*

boli Armena,

terra sigillat. ana Drach. ij.

Cum *sirupo de portulaca.*

F. *Electuarium.*

Vel Rx. *Conserv. rosar. rubr. antiq.*

symphyt. major.

ana Unc. j. ß.

boli Armena,

terra sigill. ana Drach. j.

lapid. hematit. Scrup. iv.

Cum *sirup. de portulaca.*

F. *Electuarium.*

Vel Rx. *Tragacanth.*

gummi Arabici,

sanguin. dracon.

boli Armena,

amyli,

spod. ana Drach. j.

lapid. hematit.

sem. papaver.

hypocist. ana Drach. iij.

Cum *sirup. de succ. plantagin. & rosarum.*

F. *Electuarium sensim deglutendum.*

Vel

Vel *Rx. Sir. de portulac.* Unc. j.
jujubin. Unc. ℞.
boli Armena aqu. rosar.
prapar.
fir. myrtini q. s.
 F. Lambile.

Forestus in rupta vena tale præscribit Decoctum, lib. 16. obs. 16.

Rx. Rad. consolid. maj. Unc. j.
burf. pastor.
portulac.
sanicul.
pyrola,
polygon. ana M. j.
sem. endiv.
acetos.
portulaca,
urtic. ana Drach. j.

Fiat decoctio, ut artis est, in aqua communi, pro ℞j.

Colaturæ addendo.

frup. myrtil. Unc. iiij.

Clarificentur pro Julep.

Pulvis, qui Julio Cæsari Scaligero & Medicis Parisiensibus in usu fuit, sed è Serapione, cap. 25. tract. 2. defumptus est.

Rx. Spod.
rosar. rubr.
boli Armen.
terra sigill.
hamatit. ana Unc. ℞.
gummi Arabici,
tragacanth. ana Drach. ij.
sem papaver.
portulaca,
arnogloss.
C. C. asti,
amylit. torrefact. an. Drac. iiij.

F Pulvis.

Descripito Pulveris hujus nonnihili varians apud Hollerium, exercit. Valerii in caput. 27. talis habetur.

Rx. Spodii,
ros. rubr.
bol. Arm.
terr. sigill.
hamatit. ana Drach. v.
corall. rubr.
carab.
margaritar. non perforat. ana
Drach. ii. ℞.
gummi Arabici,
tragacanth. an. Drach. ij.
sem. papav.
portulaca,
ros. rubr.
arnogloss.
cornu cervi combusti, ana
Drach. iiij.
acacia,
succi barba hircina,
glycyrrh. ana Drach. ij.
amylit. torrefacti Drach. iiij.

Terantur, misceantur, F. Pulvis, cujus dosis sint Drach. iiij. Datur cum aqua pluviali.

Vel *Rx. Sir. myrtin.*
de portulac.
de rosis siccis, ana Unc. ij.
boli Armena,
lapid. hamatit.
C. C. ana Scrup. ij.
agu portulac.
plantag.
burf. pastoris, an. Unc. iiij.
 F. Potus pro duabus vel tribus
 dosibus.

Vel

Vel R. *Spec. diatrag. frigid.* Drach. j.
conserv. rosar. antiqu. Unc. j. ℞.
rob. berberis Unc. ℞.
pilul. decynogloss. Scrup. ij.
sir. de portulac. q. l.

F. Lambile.

Vel R. *Sir. myrtin.*

de portulaca, ana Unc. j. ℞.
conserv. rosar. rubrar. antiqu.
fol. quercus an. Drach. vj.
tragacanth.
amyl. ana Scrup. ij.
rad. symphyt.
terra sigillata,
boli Armena,
lapid. hematit. ana Scrup. j.

F. Eclegma.

interim & post sanguinis aversio-
 nes (ante has enim topica appone-
 re tutum non est, ne ab adstringentibus
 sanguis intus compellatur, & vena,
 quæ in alto sunt, repleatur; ut & si ab
 externi aeris frigore vehementi san-
 guis intus ad pulmones pulsus sit)
 nec topica omittantur, pectusque in-
 ungatur oleo myrtino, mastichino,
 rosarum, quibus addi possunt pulve-
 res adstringentes.

Vel fiat tale Cataplasma.

R. *Fol. plantagin.*

portulac.

polygon. an. M. j.

rad. symphyt. major. Unc. j.

cortic granator.

farin. bord. ana Unc. ℞.

cydon. siccor. Drach. iij.

Coqu. in vino adstringente ad
 molliem.

Contusis adde

L. II.

thuris,

mastich.

boli Armena, ana Drach. iij.

corallior. rubr. Drach. j.

ol. rosar. & myrtin. ana q. l.

F. Cataplasma.

Sic refrigeratio rupturæ vasorum
 pulmonis occasionem præbuit, Ga-
 lenus, 3. meth. med. cap. 13. calefaci-
 ens ceratum ex thapsia pectori adhi-
 bet ad tollendam eam intemperiem.
 Sed si adhibendum est, diu tamen ibi
 non relinquendum, ne multum ca-
 lefaciat, malum augeat, ipsamque
 mortem inferat, cum magna Medi-
 cignominia; qualem hiltoriam re-
 censeat Forestus, lib. 6. obs. 16. in
 scholio.

Possent forsitan etiam, ut in hæmor-
 rhagiis, perlapta, ut iaspis, umbilicus,
 marinus & similia usurpant.

Si vulnere pectoris in pulmones
 usque penetrante sit facta apertio
 vasorum, vulnus curandum & con-
 glutinandum, ut, *capite sequenti*, di-
 cetur.

Erosio autem vasorum pulmonis
 difficilius curatur, ut supra dictum.
 Statim autem initio (ut & in anasto-
 mosi ex sanguine bilioso) etiam bilis
 purganda, nec purgatio procrasti-
 nanda, ne, dum studemus acrimo-
 niam humoris corrigere, ille acri-
 moniâ suâ majus malum inducat.
 Neque hic concoctionem expectare
 opus est; cum humor non sit putri-
 dus seu crudus, & præterea tenuis,
 qui dum medicamentis purgantibus
 faciliè sequitur. Validiora tamen &
 calidiora purgantia vitanda, ne hu-

Aa

morem

morem magis agitent & acriorem reddant, ut & aloë, utpote quæ venarum orificia aperire solet.

Peculiaris autem hîc offertur indicatio regenerandi partem erosione deperditam. Id quod præstant alimenta boni succi, ut pituita, lac, & quæ ex lacte conficiuntur; juscula gallinæ & carnes, & medicamenta carnem gignentia, qualia sunt thus, mastiche.

*Catarrhi
cum spūto
sanguinis
curatio.*

Si verò catarrhus adhuc adsit, qui è capite ad pulmones defluit, is primum cohibendus. Id quod triplici medicamentorum genere effectum dedit Galenus: 1. purgatione peccanti humori conveniente. 2. medicamento dialpermato, quod somnum conciliat, sensum doloris tollit, tussim sedat, & siccandi vim habet, cujus loco uti possumus theriac recente, pilulis de cynoglossa, & similibus. 3. cerato ex thapsia vel stercore columbino capiti imposito, ut catarrhi defluentis imperus prohibeatur, quod & alia hujus generis medicamenta & cauteria præstare possunt. Postea ægrum reficit cibus boni succi, frictione, inambulatione, balneo. Impremis verò lac exhibet, quo neglecto malum vix sanatur. Neque interm sanguinis missionem negligit, sed eam vel statim, si abundet, vel, si paucior sit, & pravus, ubi ægtum cibus boni succi refecit, eam instituit.

Curationem hanc Galeni reprehendit quidem Trallianus, lib. 7. c. 1. verum quid de ea sentiendum sit, supra, lib. 1. part. 2. cap. ult. de catarrho, quæst. 1. dictum.

Inter medicamenta autem, quæ vas erosum claudunt, Trallianus, *allegato loco*, commendat lapidem hæmatitem, in subtilissimum pulverem tritum, quem Scrup. iv. pondere citica principium, si magna sit sanguinis repletio, in succo mali punici vel succo polygomi, si minor, cum sola aqua tepida exhibet.

Vel suspendatur lapis hæmatites tritus in linteolo in aqua, & nodulus exprimatur, ut aqua rubescat, addaturque sirup. de portulaca, vel myrtinus. Exsiccatur enim ulcus, & prohibet, ne pus generetur. Utilis etiam est bolus Armena & terra Lemnia. Ut

℞. Boli Armen. Drach. ij.

spec. diatragac. frig. Drach. j.

sacchar. in aqua portulac. dissol.

Unc. ij.

℞. Rotula, de quibus per intervalla fumantur sex vel plures.

Vel ℞. Conserv. rosar. rubr. Unc. ij.

rad. consolid major. soltar.

vel conserva earum Unc. j.

boli armeni

masticb.

thur. ana Drach. j.

hypocist. Drach. s.

Cum sirupo de portulac.

℞. Eleætuarium.

Dieta.

Aër sit temperatus, aut moderatè *Dieta* ad siccum & frigidum declinet. Calidus verò ut alia incommoda habet, de quo postea, *in questione*, dicitur, ita etiam sanguinis profusiones invehit. Vicus sicutenus primis die-

bus

bus, & vim adstringendi habeat, vel emplasticam. Unde conveniunt for-
bitiones ex pitana, pulresq; ex oryza, avenâ, farinâ hordei, tritici, & amylo cum lacte coctæ, quibus si liber, addi potest conferva rosar. antiqua. Anonnullis commendatur caro suilla, ut glutinosa. Et recitat Suidas historiam Damini Philosphi, qui cum sanguinis sputo laboraret, oraculum de medicamento consuluit, à quo responsum accepit, ut carne suilla vesceretur, quam quoties comedebat, sanguinem non rejiciebat, ubi abstinebat, sanguinis fluxus rediit. Lac etiam hinc optimum alimentum est, refertque Trallianus, se solius lactis usû plures curasse. Nec inutilis est caseus recens, non salsus. Ex ole-
ribus conveniunt lactuca, acetosa, & præcipuè portulaca, mala aurantia, granata. Abstinentum verò à cibis flatulentis, salsis, acris & aromatibus. Aceti quoque usus, præsertim acris, non convenit.

Potum quod attinet, exhibea-
ur aqua hordeicum melle vel saccharo, ubi abstergendum; ubi verò glutinandum, aqua hordei chalybeata. Vel bibatur cerevisia tenuior, aut lac amygdalar. dulcium, ut & lac acidum ebutyratum. A vino verò abstinentum. Eger non moveatur, sed quiescat, non clamet, non excandescat, & quantum fieri potest, dormiat. In obæsiõibus tamen somnus sit interruptus, ne sanguis nimius in thorace collectus dormientem suffocet. Videatur etiam Hippocrates, *lib. de intern. affection. mox ab initio.*

QUÆSTIO.

*Qualis Aër in apertione
vasorum pulmonis ab
aère frigido con-
veniat?*

Equidem principium est in me-
thodo medendi, contraria contrariis
curari; ac præ inde etiam rationi con-
sultaneum videtur, ubi ab aère frigi-
do vas aliquod in pulmone ruptum
est, aërem calidum adhibere. Con-
trà quia calidus aër dilatat, non tu-
tum esse videtur, vase aliquo aperto
eum adhibere.

Verum enim verò, etsi plura in-
cuptura vasorum pulmonis sint indi-
cancia: tamen quod maxime urget,
est sanguinis fluxus; qui non solum
sine vitæ detrimento largius effluere
non potest, sed & dum fluit, facit, ut
vas claudi non possit, & quò diutius
fluit, eo magis vas dilatat. Qua-
propter æger potius in aère frigido,
quàm calido, qui laxat, detineri de-
bet. Et si enim adhuc adsit aliqua in-
temperies frigida, quæ tussiculam
aliquam excitare possit: tamen spiri-
tus retentione facile sedari potest. Et
ipse aër frigidus, in quo æger domi-
conclusus degit, non est tam frigi-
dus, ut ad rupturam vasis amplius ali-
quid facere possit. Eripse, ut supra
dictum, aër frigidus vasa non rum-
pit; modò plenitudo sanguinis dem-
ta sit, & æger ab omni motu violento
cesset, nullum ab eo periculum est.
Aër tamen, ille moderatè sit frigidus,

Et quod in ruptura vasorum pulmonis in principio calida non conveniant, etiam ubi ab aëre frigido est ruptura, exemplo etiam docuit Galenus, *5. meth. med. cap. 13.* in juvene, qui ex refrigerato pectore sanguinem exspuebat; cui intro nihil calidi adhibuit.

CAPUT VII.

De Grandine, Calculo & Vermibus in pulmone genitis.

Res planè alienas quandoque in pulmone generari observatum est, Grandines, Calculos, imò Ossa & Vermes, quæ non solum angustiam vasorum pulmonum parere possunt, sed & aliis modis præter naturam sunt, & à plerisque ad morbos numeri referuntur: de quo jam non disputamus; cum ea de re dictum sit in *Institutionibus*:

Galenus, ut, *4. de loc. aff. et. cap. 8.* refert, quendam vidit, qui grandines erivi magnitudinis è pulmone ejecit. Ipse idem in quodam viro docto & olim Professore hujus Academiæ observavi, qui grandines colore albo & duros è pulmone ejecit, & tandem phthisi correptus ac mortuus est. Si materia illa sit copiosior, & in majorem molem concresecat, calculi inde fiunt, id quod Trallianus, *lib. 5. cap. 4.* Paulus Ægineta, *lib. 3. cap. 31.* & alii Autores annotarunt, quos allegavi in *Institut. lib. 2. part. 2. cap. 9.*

Ossa pulmonibus impacta vidit Columbus, ut annotavit, *lib. 15. Anatomia.*

Carunculas etiam & vesiculas piscium vesicis similes interdum è pulmonibus ejici observatum, ut ejus rei historias collegit Schenckius, *lib. 2. observ. 50.*

Tandem quoque vermiculos, & quidem non unius figuræ, è pulmonibus ejectos, observatum à Medicis, ut apud eundem Schenckium, *lib. 2. obs. 51.* videre est.

Causæ.

Galenus, loco allegato, ex lento humore, qui antea tussi rejiciebatur, retento, siccato, induratoque grandines generari statuit. Et revera humor crassus & viscidus calculorum in pulmonibus est materia, facitq; ad concretionem etiam exsiccatio & pulmonum caliditas. Unde Fernelius, *lib. 5. de part. morb. & sympt. cap. 10.* invenit in dissectis grandines alios verteris casei consistentia incipientes, alios gypsea pituitæ duritie. Verùm etiam interna vis ad coagulandum tendens, quæ in aliarum partium calculis generandis concurret & hinc admittenda est: de quo alibi diximus.

Vermium quoque causa, quæ in aliarum partium vermibus concurret, ut in *Institut. loc. alleg.* diximus, etiam hinc locum habet.

Signa Diagnostica.

Calculos & vermes in pulmonibus hærentes difficulter omnino cognosci,

*Causæ.**Signa.*

gnosci diximus, *capite precedente* 4. & vix certò cognoscuntur, nisi tussis rejiciantur. Præcedit tamen plerumque hæc mala tussis diuturnior, quæ nullis, etiam efficacissimis, remediis tollitur.

Prognosticum.

Rarò autem hisce malis correpti convalescunt, sed plerumque pulmones à calculis & vermibus, tum à conatu in tussi, quæ ad earejicienda requiritur, læduntur, undè phthisis & tandem mors sequitur, ut ex historiis antea allegatis videre est.

Curatio.

Resistæ cum sint toto genere præter naturam, à corpore emotionem indicant, quod quomodo fieri debeat, porrò videndum. Quomodo enim qui grandines & calculos è pulmone rejiciunt, curandi sint. Galenus & Alexand. Trallianus dissentiant. Galenus, 4: de loc. affect. cap. 8. medicamentum in potu dedit, quod asthmaticis exhibetur, undè æger minorem quidem grandinem exspuit, atque in longiore, quam antea, intervallo, post plures tandem annos mortuus est. Trallianus verò, loc. allegat. Galenum reprehendit, quod refrigerantia neglexerit, & calida adhibuerit, Mithridatium, Athanasiam, theriacam, & similia acria & extenuantia medicamenta. Verùm in eo quidem fallitur Trallianus, quod scribit, Galenum Mithridatium, Athanasiam & theriacam illis, qui grandines rejecerunt, exhibuisse; cum

ad ulcus pulmonis ea adhibuisse, ad grandines verò ea, quæ asthmaticis conveniunt, constet. Rem tamen ipsam quod attinet, ea, quæ simpliciter calefaciunt, non adedò convenire videntur in grandine & calculo jam factò in pulmonibus, cum exsiccandò duriores efficerent; nisi peculiarem v. m. calculum frangendi habeant, præsertim, si adhuc materia in iis contineatur, quæ calefacientium & exsiccantium usu potius indurari possit. Sed solum conveniunt materiæ grandinem & calculos faciuræ; modò non jam concrecere incipiunt.

Dodonæus, ut, *observ. med. cap. II.* docet, feliciter usus est Sirupo hoc modo parato:

℞. *Adianti veri,*

Adianti albi, id est, rut. murar.
an. Unc. j. ß.

glycyrrh. Unc. ij.

rad. rusci.

assrag. ana Unc. j.

sem. malvæ, Drach. ij.

aqu. pur. ℞. iv.

Coqv. ad remanentiam ℞. ij.

Colat. adde sacchari, Unc. xii.

mell. candidi ß. Unc. iij.

aqv. hyssop. Unc. iv.

Coqv. ad Sirupiconsistentiam,

Si caruncula & vesicula è pulmonibus rejiciantur, exhibeatur loch. salinum & expert. de pulmon. vulpis cum flore vel lacte q̄s.

Ad vermes in pulmonibus genitos utilis est succus marrubii cum melle mistus, quem æger sæptus lambat.

Curatio caruncularum in pulmone genitarum Vermium.

Prognosticum.

Curatio grandinæ & calculorum pulmonis.

Morbi pulmonis in numero Deficiente.

Pulmonis morbi in numero deficiente.

Aliquando unus pulmo deest, idque vel ab ortu, ut observavit Columbus, *lib. 15. Anatom.* vel ubi post abscessus & vulnera corrumpitur. Verum mala hæc incurabilia sunt.

CAPUT IX.

De Tuberculis pulmonis.

Tubercula pulmonis.

PRæter inflammationem pulmonis, de qua supra dictum, quæ fit ex materia in pulmonis substantiam imbibitâ, & in totum viscus dispersa, etiam Tubercula in pulmone generantur ex materia collecta in una parte, & inde extuberante; de quibus agit Hippocrates, *lib. 1. de morbis*, & hoc loco agendum videtur. Sunt autem illa tubercula alia Cruda, quorum, *capite 4.* etiam mentio facta est, quæ ex materia, quæ nunquam suppuratur, generantur, quorum meminit Hippocrates, *lib. 3. de artic. text. 9.* & Galenus, *in comment. & 4. de loc. affect. cap. ult.* in historia Antipatii, & *6. aphor. 46.* quæ nunquam ad suppurationem deducta & nulla febre comitante solâ magnitudine, cum admodum adaucta est, exclusis in totum spiritus viis, ægrum interimunt: alia quæ Suppurantur, de quibus præcipuè, *alleg. modò loc.* Hippocrates agit.

Suppurata

Causa.

Generantur autem ista dupliciter: vel per affusionem materiæ, vel per

congestionem: & per congestionem rursum dupliciter, dum materia in una aliqua parte solum, sed sine vesiculâ conclusa colligitur, aut materia in cista peculiariter efformata coærvatur. Materiam verò tuberculorum in pulmone Hippocrates duplicem statuit, bilem & pituitam, id est, humores calidos & frigidos. Proveniunt verò præcipuè ab externâ aliqua violentiâ, ut Hippocrates, *lib. de salubri diata*, docet his verbis: *Quibuscumque autem dolores fiunt ex visceribus sive ex exercitiis, sive ex aliquo alio labore, hi quiescere conducit cibus abstinentes: potatione autem utantur, quæ quàm paucissima in corpus assumpta plurimum urina ducat, quo venæ visceribus insita non distendantur repleta.* Ex talibus enim tubercula oriuntur, & febres. Hæc Hippocrates. Etenim sive ex causa internâ sive externâ venæ violenter distendantur, progerminant, & simul materiam loco distento subministrant, seu sanguinem naturalem, seu humores vitiosos, è quibus formantur tubercula.

Abstrudum tamen non videretur, etiam sine externa violentiâ à causa interna talia tubercula fieri posse. Si enim tumores alii majores, in quibuscumque corporis partibus nulla externâ violentiâ concurrente, excitari possunt, cur non etiam tubercula hæc eodem modo generari possunt?

Signa Diagnostica.

Tubercula hæc cognita sunt difficilia. Sic affecti tamen sublivido ferè

Signa.

ferè sunt faciei colore, iisque lingua lentore quodam est oppleta maximè cum longè à cibo absunt, & corporis agitatione, aut potu cibo ve calidior urina faciliè tingitur, & pulsus citatur, citratamen ullam spirandi difficultatem. Interdum verò post conchatiorem corporis motum pilulæ parvæ & globuli instar pifi exigui redduntur è pulmone membranula inclusi, qui contriti digitis pus reddunt interdum fœtidissimum. Aliàs tubercula cruda, & quæ non suppurantur, cognitione difficilia sunt, & non, nisi, cum ad tantum incrementum pervenerint, ut spirationem lædant, cognoscuntur. Reliqua quod attinet, si hæc tubercula sint in arteriis lævibus vel in parte arterias læves comprimente, mutantur pulsus in ordine, & inæquales in magnitudine, celeritate, & frequentia fiunt; quæ inæqualitas in dies pro ratione augmèri tuberculi augetur, ut quandoque pulsus intermittens intercidat. Si fiant in pulmonum substantia, tussim siccam & levem quandam spirandi difficultatem excitant, quæ prout tuberculum augetur, & ipsa augetur. Si in arteriis asperis tuberculum tale generetur, statim tussis molesta & spirandi difficultas excitatur: ac pro morbi incremento tussis fit gravior & spirandi difficultas sæpe tanta, ut æger erectâ cervice respirare cogatur, & suffocatio impendeat, tandemque æger suffocetur.

Præterea si tubercula sint vel in asperis arteriis, vel in externa pulmonum superficie pro tuberantia, dolor

quidam levis ægros continuò affligit, & imprimis, ubi vehementius & concitato motu moventur, ubi querandi difficultas simul invalescit.

Si autem tubercula sint vel in arteriis lævibus, vel in pulmonis substantia, nullus dolor percipitur.

Si verò res jam ed redeat, ut suppuratio expectanda sit, febris accidit; nisi materia tuberculi proprio folliculo sit inclusa. Tum enim putridi vapores ad cor exhalare, & febrem accendere nequeunt. Invalescente jam putredine, omnia accidentia fiunt majora, dolores majores, tussis vehementior, quæ non amplius sicca est, sed humida, resudante aliqua materiæ particulâ. Et quidem dolores sunt vel antè vel retrò, prout tuberculum vel ad anteriorem, vel ad posteriorem partem vergit. Nam dum tubercula ista fiunt, & suppurari incipiunt, in membro sensum non habente dolorem non pariunt; dum verò suppuratione facta extrà prominent, & membranam pulmonis distendunt, dolorem excitant.

Pertinet huc & locus Hippocratis, lib. 2. de morbis. Si tuberculū, inquit, in pulmone exortum fuerit, tussis desinet, & spirandique difficultas, quæ non nisi erectâ cervice obitur, dolor acutus pectus & latera occupat, & ad decimum quartum diem ita afficitur. Plerisque enim tot diebus inflammationem concipit, sed & caput, & palpebras dolor vexat, videre nequit, corpus subsulvum evadit, & pustulis velut ex igne rubentibus completur.

Tubercula autem, quæ folliculo suo includuntur, cognoscere difficile est; quia febris hæc nulla excitatur; cum materia in folliculo suo conclusa ad cor vapores mittere non possit. Quo pertinet aphorismus Hippocratis, 41. sect. 6. *Quibus suppuratio in corpore abdita non innotescit, ob crassitudinem vel puris vel loci se non produit.* Hinc interdum nonnulli, qui nullâ febre laborarunt, disrupto tali tuberculo, vel sani evaserunt, pure salubriter rejecto, vel à putre erumpente statim suffocati sunt.

Prognostica.

Prognostica.

1. Ut æger ex hoc malo convalescat, quinque conditiones requirit Hippocrates, loco allegato: 1. est, ut suppuratio citò fiat. 2. ut facta suppuratione pus citò erumpat. 3. ut non ad inferiora, sed ad superiora erumpat, & per tussim rejiciatur. 4. ut totum pus evacuetur. 5. ut venter, id est, cavitas illa, in qua pus continebatur, perfectè agglutinetur.

2. Si verò aliqua ex hisce conditionibus desit, æger non convalescit. Si enim pus non erumpat, æger tandem præcedentibus doloribus vehementibus, inedia, tussi, febriliter plurimum interit. Si verò tardè erumpat, ægrique viribus jam deficientibus, iisdem de causis æger moritur. Si verò pus non per tussim rejiciatur, sed ad inferiora convertatur, morbus fit vel difficilis vel lethalis. Dum enim tuberculo rupto pus in pulmonem & supra septum transversum ef-

funditur, si à natura id evacuetur integrè, & locus, in quo in pulmone pus continebatur, integrè coalescat, evadunt quidem ægri, sed cum difficultate. Si verò pus non statim evacuetur, vel ægrum suffocat, vel dum supra septum transversum moram agit, id prava qualitate inficit, & tandem corrumpit atque exulcerat, unde mors sequitur. De quo Hippocrates, f. 7. aphor. 8. *A tuberculi intus eruptione exsolutio, vomitus & animi defectio fit.* Si enim tuberculum subito rumpatur, vapores ex pure subito ad cor penetrant, unde fit leve animi deliquiù, & hinc vomitus vel syncope. Vomitus quidem, si pus extra prærumptit & excernitur (per vomitum enim intelligit omnem per os subito factam evacuationem) syncope autem, si ad interiora pus vergat, & ad corruat. Si verò pulmo non exactè sanetur, & cavitas, in qua pus continebatur, non agglutinetur, ulcus paulatim inde generatur, & tandem fit phthisis.

Curatio.

Cùm spes salutis unica in hoc morbo sita sit in puris cità & perfectè evacuatione, & pulmonis agglutinatione: id partim fit à natura, partim ab arte. Suppuratio & puris per tussim rejectio quidem à natura instituitur; ut autem pus totum & perfectè expurgetur, naturæ ars succurrere potest. Ita etiam si agglutinatione pulmonis naturæ opus sit; tamen & hæc ars naturam adjuvare potest, & quidem his medicamentis, quæ postea,

da, de ulcere pulmonis, proponentur. Ut autem pus sursum vel deorsum erumpat, id provenit ex situ tuberculi, quatinus ars naturam nihil juvare potest.

CAPUT IX.

De Hydrope & Hydatidibus pulmonis.

Hydrops pulmonis.

Nonnunquam, & forsitan sæpius, quam vulgò putatur, aqua in pulmone colligitur, quod malum Hydrops pulmonis appellatur; quod descripsisse putatur Hippocrates, 2. de morb. his verbis: Febris & tussis tenet, & acervatim respirat, & pedestument, & unguis contrahuntur, & patiuntur talia, qualia is, qui suppuratus est, sed debilius & diuturnius. Est quid insundas, aut foris aut suffitum adhibitas, pus non sequitur, atque ex hoc sanè cognoveris, non pus, sed aquam intus esse. Est multo tempore aure ad latera adhibita audire tentaveris, ebullit intus veluti acetum, & hoc quidem aliquando patitur, postea erumpit ad alvum, & statim quidem sanus esse videtur ac à morbo liberatus. Verùm progressu temporis alvus incenditur eademque illa patitur, & adhuc amplius. Aliqui etiam intumescunt, ventre, scroto, & facie. In quo loco hoc notandum, etsi in editionibus omnibus legatur *òçç*, olet, & ita etiam Fœsius hunc locum verterit: quia tamen odor aure non percipitur, rectè vertit Jan. Cornarius, bullit intus, & legendum

L. II.

procul dubio *ççç*. Verùm pulmo vix solus hydropem patitur, sed hydrops pulmonis & thoracis ferè concurrunt, atque hic ipse locus Hippocratis, quem pro hydrope pulmonis allegant, potius de hydrope pectoris loqui videtur. Ideoque mali hujus hoc loco saltem mentionem facere voluimus. Postea verò, de hydrope pectoris, seu thoracis, plura hac de re dicentur.

Hydatides pulmonis.

Cognatum hydropi malum sunt hydatides pulmonis, vesicæ scilicet ^{Hydatides pulmonis.} aquâ plênæ, quæ externam ejus superficiem occupant, quæque oriuntur ex seroso & tenui humore, qui raram pulmonis substantiam pertransit, & sub membrana ejus, quæ densior est, hæret & subsistit. De quo Hippocrates, lib. de intern. affectibus. Fit enim hydrops, si tubercula in pulmone fuerint enata & aqua repleta & in pectore rupta. Quod autem fiat etiam à tuberculis hydrops, testimonium habeo in bove & in cane & in sue. In his quadrupedibus maxime sunt tubercula in pulmone, quæ aquam habent. Si enim dissecueris, citò cognosces. Nam sicut aqua, hæc Hippocrates.

CAPUT X.

De pulmonum cum latere Coalitu.

Nonnunquam etiam pulmones ^{Pulmonæ cum latere coalitum.} cum membranâ costas succin-

Bb

gente

gente Coalescunt. Hippocrates, vel quicumque autor fuerit, pulmonis ad latus prolapsus appellat, & de malo hoc agit, lib. 2. de morbis.

Causse.

Causse.

Interna.

Ortum habet hoc vitium à causa vel interna, vel externa. A causa interna interdum à primo ortu & malà confirmatione hoc accidit; interdum postea membranz thoracem investienti pulmo agglutinatur, cum pituita aliqua viscida & tenax inter pulmonis lobos & thoracis membranam inhæret, partesque has duas infarciens implicat ac veluti colligat.

Externa.

A causa verò externa malum ortum habet, cum confosso aut vulnerato thorace, aut empyemate per sectionem curato, pulmo membranz huic agglutinatur. Quod etiam post pleuritidem fieri impossibile non est. Ut enim aliæ partes vulneratæ, vel exulceratæ, si non rectè tractentur, coalescere possunt; ita & pulmo membranz thoracem investienti agglutinari potest. Hippocrates, de locis in homine, addit exsiccationem à fiti, dum scribit: Lateralis morbus siccus circa fluxionem oritur, cum ex vehementi fiti pulmo admodum reficcatus fuerit. Pulmo enim cum siccus existat, ubi amplius, quàm pro natura, reficcatus fuerit gracilis evadit, & impotens redditus, ad latus pro impotentia inclinatur, ipsumque contingit, eoque contacto cum humidum existat, ei adhærescit, & morbum lateralem facit.

Signa Diagnostica.

Sicut Hippocrates habet, pulmo ad latus prolapsus fit, tussis tenet & erecta Signa cervice spiratio, (nam pulmo non integer, sed ex altera tantum parte liberè moveri potest) & saliva tussi rejicitur alba, (nam pituita peccat, isque humor solum ad asperas arterias residet) & dolor ad pectus aut dorsum emergit, & incumbens pulmo impellit, & grave quid in pectore incumbere videtur, & dolores acuti pungunt, (nam expulmonis motu eâ parte quâ pulmo membranz cohæret, dolor percipitur, & membrana reliqua huic membranz consentit, dolorque is propter membranam affectam est pungitivus) & sanguis fridet veluti pelu, & spirationem prohibet, (sanguis nimirum in vasis thoracis existens commotus edit sibilum illum, quem lora emollita & aquâ macerata excitant, sanguisque ad intra ex difficultate respiratione eorum motus, & in angustias redactus, sibilum quendam edere videtur, qui tamen non nisi ab ipso ægro percipitur.) Et ad affectum quidem latus decubitus sustinet, non autem ad sanum, verum veluti grave quiddam ipsi de latere dependere videtur, per pectus se transpirare putat. Etenim dum æger in latere affecto decumbit, pars affecta in proprio loco quiescit, dum autem in oppositum se convertit, pars affecta distrahitur, & pulmo à latere, cui cohæret, quasi avellitur, unde veluti pondus quoddam ex eo latere dependere videtur.

Pro-

*Prognostica.*Prognosti-
ca.

1. Malum hoc etfi lethale non fit, tamen moleftiam & dolorem non parvum exhibet.

2. Si à primo ortu fit, incurabile est.

3. Coalitus ex ficcitate periculofus non est. Intra feptimum diem enim coalefcit. Hippocrates, *de loc. in homine.*

*Curatio.*Curatio
mali à
cauffa in-
terna.

In hoc affectu curando, fi malum ab interna cauffa, pituita fcilicet, ortum habeat, ea præparanda & evacuada, ut, *cap. 4.* dictum. Reliquam curationem quod attinet, Hippocrates, *loc. alleg.* tria instituit. 1. est, ut materia concoquatur & leniatur, qua de cauffa bis de die calidâ multâ lavare jubet. 2. Pituitam & materiam, quæ pulmones cum costis connectit, exsiccat & absumit, in quem finem à balneo vinum album modico melle admixto, & dauci & centaurei minor. seminibus tritis additis exhibet. 3. ut pulmo cohærens lateri laxetur, & à membranæ thoracis separaretur, vesicam bubulam aquâ tepidâ semiplenam lateri apponit & alligat. Quia tamen idem Hippocrates, *6. epidem. sect. 8. text. 51.* eum, cui apex epatis complicatus erat, concussione corporis sanavit: eadem & hîc, ut pulmo à latere separaretur, usurpari potest. Alimenti verò loco pitanz succum tepidum & vinum aquosum suprabibendum præbet.

Si verò à cauffa externa hoc malum proveniat, aut cum quis purulentus factus fuerit, Hippocrates mox duplici auxilio utitur. Primò inter os vulneris immittit vesicam fistulæ alligatam, quâ per flatum immissum possunt prædictæ partes separari; deinde penicillum stanneum indit, ac ulterius propellit, quò pulmo à cohærente membranâ separaretur.

A cauffa
externa.

CAPUT XI.

De Pulmonis Vulneribus.

SI thorax de cujus vulneribus ^{Pulmonū vulnera.} postea dicitur, à re aliqua secante vel perforante vulneretur, ita ut vulnus ad interiora penetret, sæpe pulmo simul cum suis vasis vulneratur.

Signa Diagnostica.

Vulnerati autem pulmonis signa, ut Celsus, *lib. 5. cap. 26.* & Paulus Aegineta, *lib. 6. cap. 88.* docent, sunt, si cum penetrante thoracis vulnere adsit respirationis difficultas, tussis assidua & spumans ex ore sanguinis cum tussi rejectio, & ex pectore rubens spumansque sanguis sine dolore effluat. Cervicis venæ turgidæ sunt, linguæ color mutatur, facies modò rubicunda, modò pallida apparet, & si profundum sit vulnus, tandem pallida remanet.

Signa.

An verò vasa, an potiùs substantia, pulmonis sit vulnerata, etiam signis

Signa vasorum pulmonis vulneratorum.

quibusdam cognoscitur. Vasorum vulneratorum signa sunt sanguis spumosus interdum rubicundus, interdum niger effluens, perpetua tussis, sicca vel humida, nisi vitium imbecillitas aut pulmonum oppressio à sanguine adsit, aut nisi superficialium ac leve sit vulnus.

Signa carnis pulmonum vulneratae.

Cum caro pulmonum vulnerata est, nec creuenta exspuitio, nec tussis ulla urget, quia sanguis in cavum thoracis destillat: sed respiratio est difficilis, vicissitudo caloris & frigoris, propter halitus à corde, qui statim discutuntur, crebra faciei characteris mutatio.

Historia vulnerati pulmonis.

Post signa hinc merito recenseo historiam sequentem quae de viis etiam, quibus materia à pectore evacuatur, cogitandi ansam praebet. Studiosus quidam anno 1623. mense Julio, noctu vulnus accepit in pectore, gladio non lato in dextra parte circa costam tertiam prope alam in pectus adacto, & à regione prope spinam exeunte, ut de laeso pulmone nihil dubitatum fuerit, cum & spiritus cum sono magno à vulnere exierit, & maxima sanguinis copia à vulnere effusa fuerit. Conquereretur simul de dolore summo & contractione abdominis, quae procul dubio à convulsione partium membranarum abdominis erat, orta à consensu membranarum thoracis cum membranis abdominis, & procul dubio à tendinibus musculi thoracis quarti laesis. Accedebat & hoc, quod thorax praecipue circa diaphragma, imò collum etiam manifestè intumescere

bat. Primo die sanguis satis copiosus à vulnere effluxit, postea verò nullus: post octo dies tamen à vulnere in dorso pus satis copiosum effluxit aliquot diebus. Tussit verò nihil, neque sanguinem per tussim alienius momenti eiecit, per dies tamen aliquot sputum album satis copiosum, cum sreatu potius, quam tussis; unde tumor in collo evanuit. Tumor ille, qui ad musculos erat circa diaphragma, ubi humoris sub cute collecti fluctuatio etiam digitis percipiebatur, supra & infra diaphragma, cataplasmatibus discutientibus adhibitis evanuit. Primis diebus semel atque iterum etiam aliquid sanguinis per alvum dejectum est. Ex quibus apparet, ad humorum translationem non semper viis manifestis opus esse, sed sufficere etiam Hippocratis occultam *ἔσφορα*.

Prognostica.

1. Magna pulmonis vulnera, & praecipue si vasa magna & bronchia caesa sunt (cum tum sanguis vix sisti possit) plerumque lethalia sunt.

2. Parva verò, & ubi insignia vasa non sunt laesa, etsi satis periculosa sint, saepe tamen curantur, cujus rei observationes passim extant. Et ille studiosus, cujus modò mentionem feci, integrè ante finem mensis potionibus ex plantis vulnerariis & pectoralibus, aliisque convenientibus medicamentis convaluit, & nunc etiam anno 1629. bene valet.

3. Refert etiam Andr. à Cruce, lib. 4. chirurg. tract. 2. cap. 5. etiam pulmo-

monum lobis, qui per thoracis vulnera prominebant, abscissis ægrum sanatum fuisse.

4. Si pulmonis vulnere accedit inflammatio, exigua spes est de ejus curatione; quia pus, quod generatur, sine tussi expurgari non potest, qua vulneris conglutinatio impeditur.

Indicationes & Curatio.

In pulmonis vulneribus danda opera, ut primùm sanguinis profusio, quæ ob insignia pulmonis vasa accidere solet, sistatur & inflammatio, cui pulmo obnoxius est, sistatur, tandemq; vulnus glutinetur, sanguis verò, qui in cavitatem thoracis effusus est, evacuetur. In aque ut inflammatio præcaveatur, nisi antea nimia sanguinis profusione vires dejectæ sint, vena aperienda. Si vulnus sit angustum, ut sanguini exitus non pateat, scalpello ampliandum. In operatione verò æger spiritum emittat, quò pulmones collabantur.

Deinde medicamenta adstringentia & emplastica adhibenda, quæ & sanguinem sistunt, & inflammationem prohibent & vulnus glutinant.

Sunt autem illa medicamenta alia topica, quæ in cavitatem thoracis induntur & infunduntur; alia interna, quæ ore sumuntur.

Topica. Topica autem eligenda talia, quæ minimè mordicant, neq; malignam aliquam qualitatem obtinent. Atque ob id metallica fere omnia & salinas

qualitates obtinentia, et si aliis vulneribus commoda sint, in vulneribus pulmonis omittenda.

Commoda ergo hic sunt *bolus Armena, terra sigillata, thus, mastiche, balauftia, acacia, tragacantha, gummi Arabicum, & alia*, quæ nullum visceribus internis damnum inferunt.

Fiat ergò pulvis ex thuris, mastichæ & boli Armenæ part. æqual. qui vulneri seu per cannulam infletur, seu vino nigro austero aut decocto plantag. rosar. rubrar., equiseti dilutus immittatur. Ut verò pulvis pulmone vulnerato applicetur, iubendum, ut ægrus spiritum attrahat, quo pulmones inflentur, spiritumque eo usque contineat, quò pulvere vulnus conspersum sit.

Est & hoc in pectoris vulneribus utilissimum:

*Rx. Rad. consolid. major.
tormentill.
caryophyll. ana Unc. ℥.j.
rosar. rubr. M. ℥.
mastich.
fol. olivæ, ana Drach. ij.
myrrh.
aloes ana Drach. j.*

Coqu. in aqu. hordei.

Colat. *Rx.* ℥. j.

*sr. myrrin.
de rosis succis, ana Unc. j.
mellis rosati colati Unc. ij.
Misc.*

Interna. Interna autem, & quæ per os ex-
hibentur, parantur ex herbis vulnerariis dictis, atque è quibus potiones vulnerariæ parari solent; de quibus in Institut. dictum: è quibus eligantur

turea, quæ simul thoraci, pectori & pulmone dicata sunt, aut hæc iis miscantur.

Parantur nimirum ex *fragaria veronica, scabiosa, alchymilla, virga aur. sanicula* & aliis hujusmodi E.g.

℞. *Fragar.*

sanic.

scabios.

pulmonar. utriusque, ana M. ℞.

alchymill.

flor. rosar. rubr.

scabiosa, ana P. ij.

jujub. N. x.

Coqu. in f. q. aquæ hord. f.

Colaturæ ℞. ℥. j.

Adde *julebi rosar. Unc. ij.*

Misce.

Vel ℞. *Achillea,*

pervinca,

veronica,

fragar.

pulmonar. Gallic.

russilag. ana M. j.

fol. labri. Veneris,

prunell.

agrimon.

scabiosa,

aster. attic.

sanicul.

arnogloss. ana M. j.

rad. angelic. Unc. j.

Concisa infundantur in

vini albi,

aq. scabios.

russilag. ana Unc. xxxii.

sacch. fini Unc. iij.

Coq. in vase duplici horis vi.

Colentur. Dosis Unc. ij. manè & vesperi.

Vel hoc, quod etiam in sclopetorum vulneribus commendatur:

℞. *Pulmonar. M. iij.*

arcemisia,

consolida acuta, ana M. j.

Adde *sacch. opt. Unc. iij.*

Coq. in vini & aq. ℥. ℞. in vase duplici.

Vel ℞. *Hordei mundi M. j.*

bulliat ad crepaturam.

Postea adde

herb. russilag.

veronic.

scabios.

pulmonar. maculosa &

quercin. ana M. ℞.

sanguisorb.

consolid. Saracenic.

alchymill. ana P. ij.

cinamom. Drach. iij.

jujubarum N. vi.

passul. vino ablut. Unc. ℞.

Coqu. & colentur.

Commendatur in hunc usum etiam medicamentum, quod diasperrmaton appellatur, & Galeno frequenter in usu fuit in vulneribus pectoris, 5. meth. med. cap. 13. & 14. Verum quale illud fuerit, apud Galenum reperire non potui. Etiam si enim apud antiquos quædam diasperrmaton descriptiones extant; tamen huic scopo non planè satisfaciunt. Quia verò Galenus id medicamentum exhibuit, ut somnum conciliaret, & sensum doloris levaret, nonnulli ejus loco electuario diacodion utuntur, utpote quod, ut Galenus, lib. 7. de compos. medicam. sec. loc. docet, in his, qui somno indigent,

gent, & quibus à capite in asperam arteriam fluxiones fiunt, utile est. Sed quia medicamenti diacodion. varia existant descriptiones, hanc huic affectui magis convenire experientia comprobavit:

℞. *Capit. papaver. albi* N. x.

nigri N. v.

ja jub.

sebest. an. N. v.

sem. lactuc.

malv. ana Drach. j.

scariol. Drach. ij.

cydon. Drach. j. β.

Contusa infundantur in aqua ℥. β. vel. q. s.

Hinc coqu. ad tertiã partis consumptionem.

Colaturæ adde

myrrh.

croci.

hypocist.

acacia, an. Drach. β.

Atque iterum coqu. ad tertiã partis consumptionem.

Postea adde

diatragacanth. albi Unc. ij.

Tandemque add. vel mellis ℥. β. & coqu. ad mellis consistentiam ac colentur, fiatque Eclegma; vel decocto colato & ad mellis consistentiam decocto add. sacchari q. s. & fiat confectio in Rotulis.

Ager in latere affecto decumbat, ut sanguis, qui in thoracem effusus est, per vulnus effluat commodius.

Si aliqua pars pulmonis è vulnere emineat, & livescere ac nigrescere incipiat, atque ita corruptionis

notas exhibeat, ea ferro abscondenda.

Diata.

Victus primò sit tenuis, ut bona ^{Diata.} nutritio etiam in pulmone procuretur. Abstineat æger ab acidis, acerbis, salis, pinguibus. Utatur cibis boni succi, qui mediocrem vim adstringendi & emplasticam habent, exprisana, oryza, amylo, cydoniis, amygdalis. Vinum parùm commodum est, nisi forsitan virium debilitas id requirat. Ager tussim, quantum fieri potest, præcaveat, nec multum loquatur, nec magnâ respiratione utatur, nec rideat. Etiam sanatus motum vehementem caveat, & propterea non statim vel curru vel equo vehatur, vitet iram, clamores, Venerem.

CAPUT XII.

De Ulceribus pulmonum, & Phthisi.

CUM post vasorum pulmonis Capertionem, ut & vulnera pulmonis sæpe ulcus pulmonis sequatur, restat tandem, ut inter morbos pulmonis de ejus Ulcericus dicatur. Quæ autem de Ulceribus pulmonis dici possunt, plerique in capite de phthisi tradere solent; cum ulcera pulmonis phthisis ferè sequi soleat. Quapropter & nos hoc capite aliquam phthiseos mentionem faciemus. Etsi enim ipsa phthisis non pulmonis, sed toti? corporis affectio sit,

cau-

caussa tamen ejus à pulmone pro-
venit.

Phthisis.

Φθίσις, quam Latini Tabem ap-
pellant, vocabulum in genere pro
omni totius corporis extenuatione
& imminutione, quacunque de caus-
sa & occasione orrã, accipitur, ita, ut
sub eã comprehendatur non solum
ea corporis extenuatio, quæ ab ulcère
pulmonis provenit, sed & ἀπο-
φία, in qua corpus non satis nutritur,
ob alimentĩ defectum, & σωτηξίς,
hoc est, colliquatio totius corporis,
quæ in febribus quibusdam ardentibus,
et hæcicis diuturnis, accidit,
ut & μαεγομύς, seu immodica cor-
poris totius ariditas & consumptio.
Imò Celsus lib. 3. cap. 23. ad tabem in
genere dictam etiam refert cachexiam.
Nam etsi in hac corpus univer-
sum laxum & humidum conspicitur
& propterea non extenuari, sed po-
tius augeri videtur: tamen in ea ve-
rum augmentum non est, sed potius,
musculosarum partium ab humore
aquofo & pituitoso repletio; partes
enim ipsæ secundum suam essentiam
alimento bono destituuntur. Unde
etiam ubi tandem malum in hydro-
pem degenerat, partes superiores ex-
tenuantur, etsi abdomen aqua reple-
tum tumeat.

Verum usus obtinuit apud Medi-
cos, ut in specie & frequentissimè
Φθίσις vocabulum de ea corporis
totius extenuatione sumatur, quæ ab
ulcère pulmonis provenit, & Græcis
aliàs ἰδίως & propriè φθὴν ut ex Gá-
leno, 7. aph. 16. & definit, Medic. ap-
paret, ut & πύσις nominatur, ut Arc-

teus, 1. de caus. & sign. diuturn. cap. 8.
scribit. Quomodo phthisin defini-
mus, quod sit totius corporis extenu-
atio & macies, à febris putrida & len-
tà, quæ ab ulcère pulmonis provenit,
ortum habens.

Occupat nimirum hoc malum *Subiectum*
totum, & phthisis totum corpus *phthisis.*
Subiectum est, quò modo à privatã qua-
rundam partium extenuatione dif-
ferre.

Extenuatio autem hæc provenit *Phthisis*
à febre putridã, lentã & tandem et-
iam interdum hæcica, quæ conco-
ctionem alimenti in toto corpore
impedit, & calore illo præternatu-
rali id, quod concoctum & apposi-
tum est, absumit. Febris autem ea
ortum habet à putridis vaporibus ex
ulcère pulmonis ad cor continuò ex-
halantibus, caloremque præternatu-
ralem in eo accendentibus, qui per
arterias cum sanguine & spiritibus
in totum corpus diffusus totum cor-
pus calefacit. Febris hæc continua
est lenta & putrida, id quod cum
alia, tum urinæ satis testantur. Ac-
cidere tamen potest, ut cum lenta ista
febre aliæ febres complicentur, aliàs
erraticæ, aliàs tertianæ modò inva-
dentes. Nam humores intra venas
contenti à calore febrili à pulmonis
ulcère excitato accensi, putrescentes
sui generis febrem sæpe excitant, un-
de etiam deliria ante mortem ali-
quoties observavimus, & pro caco-
chymix reliquum corpus occupan-
tis ratione, paroxysmis quibusdam
interdum ex intervallis seu certis, seu
incertis redeuntibus, phthisicorum
febres

febres exacerbantur. Id quod etiam in epidemiis constitutionibus accidere potest, ut ex Hippocrate, *1. epidem. comm. 1.* in fine videre est. Febres enim, quæ tanquam populares ex cœli statu, quem ibi describit, ortum habuerunt, tabidos non minus, quàm alios homines corripuerunt. Accidere tamen etiam potest, ut calor ille lentus tandem hecticum sibi adsciscat & inducat.

Causse.

Ulceris verò pulmonis, de quo hic agere præcipuè propositum, causse sunt, quæcunque vel acrimonia vel putredine pulmonis substantiam erodere & corrumpere possunt. Præstantque hoc causse vel proximæ vel mediætæ; internæ vel externæ. Interna & quidem proxima caussa est humor acris seu naturæ suæ, scilicet biliosus & serosus; vel ratione acquisitæ putredinis talis, sanguineus nimirum vel humor pituitosus putrescens. Etsi enim si pituita sit dulcis & non nimis copiosa, in pulmone facillè non putrescit, sed in sicutum naturale abit: tamen si majore copia ad pulmonem defluat, & bronchia pulmonis obstruat, ipsiusque substantiam humidiorum reddat, atque ibi hærens ideo non satis ventilari possit, putredinem & acredinem concipit: imprimis si natura jam aliquid acridinis participet.

Materia ista vel in ipso pulmone colligitur & gignitur, vel aliunde influit. In ipso pulmone ortum ha-

bet, cum aut in eo humores vitium contrahunt, aut è vase ejus seu rupto, seu erosò, seu vulnere aperto, & omnino post sanguinis sputum, sanguis effusus putrescit, unde Hippocrates, *7. aphor. 15.* scribit: *A sanguinis sputo, sputum puris malum est:* aut à peripneumonia aut pulmonis vomica introrsum rupta, aut à variolis ulcus in eo relinquatur.

Interdum verò aliunde in pulmonem influit, cum scilicet ex vicinis partibus inflammatis, pleura, mediastino, diaphragmate, aspera arteria materia eò fertur, ut & dum in empyemate pus pulmonem corrumpit; de quo Hippocrates, *5. aphor. 15.* *Qui ex pleuritide empyi sunt, si à ruptione empyematis intra dies quadraginta repurgantur, liberantur, alioquin transcunt in tabem.* Imprimis cum à capite catarrhi frequenter ad pectus defluunt, quorum materia nunc naturæ suæ acris est, nunc, cum in pulmonibus corrumpitur, acrimoniam acquirit, de quo Hippocrates, *7. aph. 38.* *Destillationes in ventrem superiorem ad suppurationes perveniunt intra dies viginti.*

Pertinet huc pulmonis à primo ortu vitiosa constitutio, quando pulmonis substantia vitio seminis parentum mollis est, & ad corruptionem propensa, ut sensim ætatis decursu stæcescat & sponte corrumpatur. Nam ut liberi parentibus similes sunt quoad externa lineamenta; ita & quoad partes internas. Unde in quibusdam familiis tanquam morbo hæreditarius grassatur phtisi.

Ulceris
pulmonis
causse.

Proxima.

Interna.

Diutius

sis, nullâ etiam humoris ad pulmones destillatione aut transmissione accedente. Et Galenus, 4. de loc. affect. cap. ult. scribit, nonnullos citra manifestum pulmonum ulcus phthisicorum more decessisse, qui primùm flava quædam non acris, deinde purulenta, tandem etiam pulmonis particulas expuerint, sine omni cruore, aut hoc admodum exiguo. Hos simili affectu laborasse censet, qualis in externis partibus aliquando conspicitur, ubi cum putrescente humore pars corrumpitur & pus aut sanies ab eâ emittitur, nullo cruore mixto. Et si enim in talibus neque vas ullum ruptum sit, neque aliunde etiam humor in pulmonem effundatur: tamen ob innatam debilitatem acris humor colligitur in eo, qui tandem pulmonis substantiam corrumpit, & ulceri simile quid inducit, unde meritò ad phthisin hic affectus refertur. Hos Hippocrates *Φθισώδεις* & *Πεφυώδεις* appellat, 3. epidem. text. 70. de quibus postea dicemus.

Externa:

Inter causas externas, quæ proximæ & solæ pulmonem corrumpere & in eo ulcus excitare possunt, est primò Contagium: unde rectè ab Aristotele, 7. problem. 8. & à Galeno, 1. de differ. febr. cap. 2. phthisis inter morbos contagiosos refertur, ne cura satis cum phthisicis conversatio habetur; cum *μίσθισμα* illa, quæ phthisici exhalant, ab aliis cum aère in pulmonem attracta similem in eo dispositionem inducant, & hinc ulcus ac phthisin excitare valeant.

Deinde Lepus marinus, & si quæ sunt alia venena, quæ occultâ proprietate pulmonibus adversa sunt, eosq; exulcerare possunt.

Reliquæ causæ omnes sive internæ sive externæ, mediata & remotiores ulceris pulmonis causæ sunt. Inter mediatas seu antecedentes ulceris pulmonis causas, sunt humores vitiosi in corpore collecti, qui ubi postea vel à capite, vel aliunde ad pulmones confluent, vasa in iis aperire, pulmonesq; exulcerare valent. Pertinent huc & menses suppressi, de quibus Hippocrates, lib. 1. de morb. mulier. *Nonnullis mulieribus cum menses duorum mensum spatio in utero existerunt, ubi intercepti fuerint, ad pulmonem feruntur, eademq; omnia his contingunt, quæ in tabe dicta sunt.* Quò facit corporis constitutio ad phthisin proclivis, qualis est illorum, quos Hippocrates *Φθισώδεις* & *Πεφυώδεις* appellat, 3. epidem. comm. 3. text. 70. qui, ut Galenus, in comment. & 1. epidem. comm. 1. text. 18. & 2. de temperam. cap. 6. explicat, ad eò angusto sunt pectore ac restricto, ut à tergo in morem alarum promineant operta scoptula. Praefertim si ob substantiæ mollitiem & hæreditariam constitutionem vitiosam, de quâ antea diximus, plurimum in ipsis excrementi colligatur. Sunt etiam ad phthisin proclives, quibus caput facile impletur, quodque ad spiritus organa multas destillationes demittit. Atque hæ duæ causæ si in unam coeant, thoracis scilicet figura & capitis imbecillitas, eò faci-

*Mediata
Internæ.*

lius iis, quibus obtigerunt, tabem inducunt.

Externa.

Externae sunt aer vel nimis calidus, resolvens materiam acrem in capite, ut ad pectus defluat; vel frigidus constringens & exprimens, aut vasa pulmonis densando & angustiora reddendo, ea ad rupturam aptiora efficiens, aut etiam tussim vehementem, quae vasa pulmonis rumpuntur, excitans. Imprimis vero aer autumnalis, qui sua inaequalitate frigoris & caloris acutas & salvas destillationes movet, & ad phthisin propensos insigniter offendit. Unde Hippocrates, 3. aphor. 10. scribit: *Autumnus tabidis noxium esse.* & ibidem, aphor. 13. *Æstate sicca & aquilonia; autumno pluvioso & australi vehementes capitis dolores in hyemem & tussis & mucositates & gravedines, nonnullis etiam tabes expectanda:* &, 22. *autumno æstivos etiam multos morbos & febres quartanas & ernaticas, aquam inier cutem, phthisin fieri.* Quod pertinent & regionum constitutiones, quæ frigidæ & humidæ, hujus effectus germanæ sunt, ut Aretæus, lib. 1. de sign. & caus. diurn. cap. 8. loquitur; fumi metallorum, & mora in specubus subterraneis. Deinde cibi potusque acres & salsi, & qui caput vaporibus ejusmodi replent, & alia omnia, ob quæ excrementa acria in capite generantur & pulmoni communicantur. Præterea causæ omnes, quæ vasa pulmonis rumpere & aperire possunt; thoracis contusio, vocis nimia intentio, & similes, thoracis vulnera penetran-

tia. Unde Hippocrates, lib. de aere, aquis & loc. tabem etiam frequenter à partu contingere scribit. Violenti enim rupturis & vulneribusprehenduntur.

Pertinent huc aphorismi Hippocratis, 3. aphor. 29. *veavloxois sanguinis exspuitionses, tabes, febres acuta, epilepsia, aliudq; morbi, sed præcipue nunc dicti.* Per *veavloxois* autem & adolentes & juvenes intelligit, ut ipse, 5. aphor. 9. explicat, dum scribit: *Tabes iis maxime ætatibus fit, quæ sunt à decimo octavo ad tricesimum quintum.* Non quidem, ut Galenus, in comment. explicat, secundum ætatis naturam, sed ex accidenti ipsius quopiam, quia scilicet vel vulnus acceperint, vel contusi sint, vel saltaverint, vel vehementius & contentius vociferati vel refrigerati fuerint, vel humi cubaverint, vel plenitudine nimia aut ejusmodi occasione aliqua in sputum sanguinis inciderint. Ad sanguinis vero spurum tabes consequitur. Quibus & hoc addi potest, quod hac ætate sanguis abundat & à calore funditur, humoresq; acres cumulantur, unde sanguis abundans & calidus vasa rumpere, & humores acres à capite in pulmones elapsi eos erodere possunt.

Differentia.

Differentias tabis quod attinet, Differentias quidem nonnulli plures recensent: verum propriè & in specie distinctæ tabis, de quâ hîc nobis sermo, tales differentia non sunt, quæ omnem corporis contabescentiam,

extenuationem & siccitatem, à quacunquē causa profectam, comprehendit. Ob curationem tamen non praterenda videtur differentia, quod phthisis alia ortum habet à catarrho à cerebro ad pulmones defluente; alia citra hunc ex vasorum pulmonis aut pleuræ inflammatione suppuratâ.

Signa diagnostica.

*Signa
phthisis
incipien-
tis.*

Signa & notas hujus mali quod attingit, cum ulcus pulmonis & phthisis saltem in principio curationem suscipiat, confirmata verò & inveterata non curetur; & incipientis & perfectæ ac desperatæ phthiseos notas perspectas habere utile est. Incipientis autem phthisis signa sunt, tussis diuturna & sputum rotundum citius apparens, quod materiam crassam à calore excedente in pulmonem condensari indicat, quæ temporis tractu acredine acquisitâ pulmonem exulcerat, ut ex Galeno, *6. epidem. coram. 3. t. 36.* videre est. Interdum aliquid cruenti rejicitur, & hoc subsistente sordidum & purulentum aliquid. Corpus totum extenuatur, & nullum post cibum sumptum corpori robur accedit, febris adest lenta & continua. Quæ signa omnia confirmantur, si *Φρωδης* illa corporis dispositio, de qua supra dictum, adsit, aut familia illa phthisi obnoxia sit, parentesq; vel fratres aut sorores phthisi perierint. Præcesserunt causa, quæ pulmonem exulcerare possunt, sputum sanguinis, de-

stillatio acris & salsa diu perseverans, & alia causa suprà propositæ.

Perfecta autem phthisis ex iisdem signis cognoscitur, sed jam evidentioribus & augmentum sumentibus. Si quis enim vel plebeius hominem viderit pallentem, imbecilem, tussientem, macie confectum, hunc verâ phthoë laborare pronunciat, ut Aretæus, *1. de sign. & caus. diurn. morb. cap. 8.* scribit. Cognoscitur nimirum perfecta phthisis ex pulmonum ulcere, febre lentâ, continuâ & hinc sequente totius corporis macie & extenuatione, ac difficili respiratione.

*Signa
phthisis
perfecta.*

Ulceris autem pulmonis signum est pus per tussim rejectum. Ulcere enim serpente ac sordescente pus excernitur, ac sputa sordida rejiciuntur, quorum ut Aretæus, *loco allegat.* loquitur, *infinita propè sunt species, lividorum, atrorum, purorum ac sincerorum, aut pallido alboq; aut albo & viridi mixtorum, latorum, rotundorum, durorum, glutinosorum, aut rarerum dissulentium, aut odore carentium aut sædè olentium.* Quia verò pituita crassa & ipsa puri similis est, imò catarrhi interdum in pectus delapsi, præsertim in juvenibus, deducuntur ad quandam consistentiam puri similem, unde ob putredinem fiunt febres, & corporis macies sequitur, phthisis tamen revera nō est, cum caro aliqua regeneretur: affectus hîc à vera phthisi discernendus est. Vulgò docetur, pituitam à pure duobus discerni, primò, quòd pus vel per se, vel certè igni & carbonibus

*Signum
ulceris
Pulmonis.*

bus injectum foetidum odorem reddat, qui in pituita non deprehendatur. Deinde quod pus in aquam tepidam projectum descendat, quod pituita cruda non facile faciat; agitatam quoque facile dissolvatur, quod à pituita è capite delapsa & in pectore concocta non acc. dat, quæ ob lentorem non facile dissolvitur.

Verùm Aretæus, loco alleg. hanc explorationem non ita necessariam esse existimat, scribitq;: *quicumq; aut igne aut aquâ humiditates hinc explorat ac notat, hunc videri haud ita multum phtisicè dignoscere.* Nam, ut addit, visio quolibet alio sensu certior est, non modò iis, quæ rejiciuntur, intuendis, sed & ægrotantis specie consideranda. Si quis enim, ut antea dictum, vel plebeius hominem viderit pallentem, imbecillum, tussientem, macie confectum, hunc reverà phtisicè laborare pronunciat. Neque, ut in aliis etiam partibus, omne pus foetidum est, sed in ulceribus saltem sordidis. Ideoq; Hippocrates non omni phtisicè sputum graviter olens tribuit, sed lethali saltem ac perniciosa, § *aphor. ii.* Sunt tamen graveolentiæ quidam gradus. Ratio omnis factor à verà phtisicè abest, quod vel anhelitus foetidus testatur, ipsiq; ægri exspuentes ferè gravem odorem percipiunt. major tamen est graveolentia in lethali phtisicè. Febris est continua, lenta, putrida, ut suprâ dictum, quæ tamen noctu exacerbatur & emicat. Totum corpus absumitur & extenuatur. Quibus accedunt & alia: tussis est molesta, quâ,

qualia memoravimus, rejiciuntur. Respiratio est difficilis, non solum ob facultatis imbecillitatem, sed & quia bronchia pulmonis obstruuntur, tum ob puris copiam, quæ ab ulcere in ea transmittitur, tum ob multa excrementa, quæ in pulmone debilitato colliguntur. Quibus accedit, quod ipsum viscus ulcere debilitatum & sæpe magna ex parte consumtum materiam collectam satis rejicere non potest. Pulsus inæqualiter sese habent, modò sunt languidi, modò sunt celeres, nunc duri, nunc molles: molles quidem ob materiam humidam arterias humectantem; duri autem, ubi calor corpus exsiccavit. Sæpius etiam sudant phtisicè, ob facultatis naturalis debilitatem, quæ & naturales humores & excrementitios retinere nequit. Malo tandem confirmato inveteratoq; pus indies magis foetidum redditur, & sæpe putris pulmonum portio, ac bronchiorum ac vasorum pulmonis ramenta aut crustulæ quædam tussi rejiciuntur. Fauces, ut Hippocrates, *lib. de intern. affect.* habet, sono implentur, & veluti per arundinem sibilum reddunt. Tandem capilli desuunt, ob alimenti corruptionem & penuriam. Ungues incurvantur, absumptâ carne, quæ in summis digitis existebat, unguesque firmabat. Malæ livescunt, nisi, quod post sumptum cibum fit, vaporibus sursum elevatis, rubescant. Pediculi copiosè generantur ob alimenti corruptionem. Extrema & pedes calore languescente intumescunt. Super-

venit denique his omnibus diarrhoea ex reentricis ventriculi & intestinorum imbecillitate, imò & humorum corruptione. Nonnulli etiam ante mortem mente vacillant, sed sine aliqua furoris commotione. Atque ita tandem ob febrem, sudores, alvi profluvium, consumpto toto corpore, sputoq; ob virium imbecillitatem retento, mors sequitur.

Prognostica.

Prognostica.

1. Omnis phthisis gravis & periculosus morbus est, tum ob causam, ulcus scilicet pulmonis, quod curatu est difficilimum, tum ob symptomata & quæ id consequuntur, febrem, totiusq; corporis consumptionem. Est verò ulcus pulmonis curatu difficile, non tam ob pulmonum motum continuum, quàm quòd sanies & pus in molli & spongiosa illa carne hærens citra tussim expurgari nequit, quâ pulmones indies magis læduntur. Quibus accedit, quod medicamenta integris viribus tanto intervallo ad pulmones non perveniunt. Reddit quoque febris adjuncta & hanc sequens corporis consumptio curationem difficilem. Febris enim & macies corporis humectantia requirunt, quæ ulceri nocent: contra ulcus detergentia & siccantia postulat, quæ adjunctæ febris & corporis consumptioni non conveniunt. Hinc Galenus, 5. meth. med. cap. 8. concludit, quòd rupto in pulmone vase, nisi statim, antequam phlegmone accedat, ulcus sanetur, exigua sanationis spes

superfit. Licet enim diligentia adhibitâ ulcus interdum sicceatur, & labris ejus nonnihil induratis, & quasi callo obductis, spes aliqua affulgere videatur: tamen levi occasione callo decedente malum recrudescit, ut idem, 4. de loc. affect. cap. 5. docet.

2. Et si verò phthisis, si ulcus sit profundum & diuturnum, planè incurabilis, quæ verò ab ulcere parvo & non diuturno provenit, & ipsa curatu difficilis est: non tamen planè incurabilis est, si maturè ei convenientia remedia adhibeantur; & passim exempla curatorum phthisicorum à Medicis annotata reperiuntur, quorum aliqua collegit Joh. Schenckius, lib. 2. observ. 144. 145. 146. de qua re infra, in questione, dicitur.

3. Est præterea phthisis sæpe malum diuturnum, & quod in multos annos protrahitur. Refertq; Avicennas, lib. 3. fen. 10. tract. 5. cap. 18. se vidisse mulierem phthisicam vixisse circiter viginti tres annos: & Matth. de Gradibus, in 9. Rhaf. cap. 54. aliam mulierem phthisicam, quæ citra furnum & ignem quotidie occupabatur, plus viginti octo annis vixisse scribit. Cujus rei exempla alia apud alios Medicos occurrunt.

4. Phthisis ex ulcere, ex erosione in pulmone facta, ferè insanabilis est. Nam longiore tempore ad hoc vitium corrigendum opus est, ut Galenus, 5. meth. med. cap. 8. & 14. docet. In tempore autem longo alterum duorum fiat necesse est. Vel enim, si ulcus vehementer exsiccare conamur, antequam acrimonia humoris

moris satis obtusa sit; id non consequimur; vel si humoris acrimoniam corrigere studemus, sordidum interea fiet ulcus & incurabile.

5. Hippocrates, 2. *prorrh.* sex signa proponit, quæ in convalituro apparere debent. Eum, inquit, qui probè liberari volet, oportet facillè sputum per tussim rejicere, idq; album & æquale, & ejusdem coloris & ἀφλέγματον. Quod verò à capite defluit, oportet ad nares converti; (ne scilicet malum ex affluente in pectus humore augeatur) febrem autem non invadere, (putridam scilicet noctu) quæ coenam prohibeat, neque sitim faciat. Alvus autem quotidie deiciat, & id, quod egerit, durum sit, (seu consistentia mediocri, non fluidum,) copia iis, quæ assumentur, respondens. Hominem verò ipsum quàm minimè extenuari convenit: pectus autem quadratum & hirsutum, cujusq; cartilago exigua & admodum carnosa est. In quo hæc omnia inveniuntur, maximè superstes erit: qui verò nihil horum habet, interitui proximus est.

6. Si nimirum sputum, quod phtihici exspuunt, vel per se vel carbonibus injectum graviter olet, & capilli defluunt, periculosum signum est, 5. *aphor.* 11. quod magnam corruptionem in substantia pulmonis, & alimenti penuriam vel corruptionem significat. Superveniente autem alvi fluxione tabidi moriuntur & in propinquo mors est, *ibid.* *aphor.* 12. quam & facies Hippocratica dicta, 1. *pragnost.* descripta denotat. Quod

idem docet, *lib. 2. de morbis.* Siquidem, inquit, autumnno, jam capilli ex capite huic defluunt, caputq; velut ex morbo nudatur, & super prunas exspuente sputum graviter olet, hunc intra breve tempus periturum asseritur, & ex alvi profusio periturum. Ubi enim jam pus circa cor computruit, id prunis impositum nidorem exhalat, & una incallescens cerebrum salsuginem emittit, quæ album ciet; cujus rei indicium est, quod capilli à capite defluunt. Hunc, cum ita habuerit, non curato. Quo loco Autor fluxus alvi phtihicis supervenientis unicam causam ponit humorem salsuginosum è capite defluentem. Verùm frequentior hujus symptomatis causa est virium naturalium summa imbecillitas, & interdum etiam acris sanies è pulmonibus ulceratis resultans.

7. A puris sputis phtihis & fluxio: cum verò sputum retentum fuerit, moriuntur, 7. *aphor.* 16. Tamdiu enim, ut Galenus, in *comment.* addit, phtihici vivunt, quamdiu exussire, & per sputa pulmonem expurgare possunt. Ubi verò intus ipsa remanent, respirationis obstruuntur viæ, & ægri suffocantur.

Indicationes.

Cum ergò phtihis malum tam periculosum sit, maturè ei occurrendum. Et quamvis incurabilis plerumque videatur, tamen ægri sine auxilio non sunt relinquendi: cum non solum, quod Averroes dixit, quâdoq; monstra in Medicina fiant, & qui

Indicationes.

& qui desperati videbantur, sanitati restitutos fuisse, sed etiam nonnullos, licet non planè convaluerint, adhibitis idoneis medicamentis, vitam diu protraxisse, historiarum medicarum passim annotata testentur.

A tribus autem hinc indicationes sumuntur: ab ulcere pulmonis, à febre, quæ conjungitur, & à corporis totius macie & consumptione. Indicatio autem præcipua in phthisi ab ulcere pulmonis, ut fonte & causa hujus mali, petitur, quo sanato & febris evanescit, & corpus iterum incrementum sumit. Ulcus autem abstergendum, substantia pulmonis regeneranda, tandemq; ulcus consolidandum. Febris refrigerantia & humectantia indicat. Corpus tandem exsiccatum & extenuatum humectandum & nutritione instaurandum. Quæ indicationes cum sint contrariæ, ita moderandæ, ne, dum uni attendimus, alterum negligamus. Et quidem si spes sanandi ulceris adhuc supersit, cura præcipue ad ulcus dirigenda. Quod si res jam planè deplorata & nulla spes ulceris curandi amplius supersit, humectantibus solum, refrigerantibus & nutrientibus corpus extenuatum reficiendum. Sic enim vita aliquandiu protrahitur. Quo in casu etiam medicamenta, quæ ulcèri conveniunt, & corpori extenuato profunt, ita misceri & temperari possunt, ut medicamenta una parte ulcus purgent, abstergant & siccent, alterâ verò corpus reficiant.

Curatio.

Primò ergò ulceris curationem *Curatio.* quod attinet, etsi plerumque hunc scopum, ut difficiliorem, minus accurate persequantur: tamen cum reliqua curatio, febris puta & corporis extenuati instauratio, fieri non possit, nisi ulcus sanatum fuerit, omnino de ulceris curatione diligenter dispiciendum. Etsi autem ulceris consolidatio naturæ opus sit: tamen Medicum removeere oportet impedimenta, quæ naturam in opere suo remorari possunt.

Primò nimirum humores sive in toto corpore, sive in capite consistentes & ad pectus affluentes, sunt evacuandi, & corpus à cacoehymia liberandum. Si enim cacoehymia in toto adsit, & humores affluentes malum augeant & foveant, febremque ipsam graviolem reddant, tabesque ipsa nondum confirmata sit; lenia purgantia, quæ simul thoraci & ulcèri prodesse, & fluxionem humorum avertere possint, exhibenda. Tale medicamentum est *rhabarbarum cum infusione rosarum & sero caprino datum*. Item *rhabarbarum cum passulis majoribus sumptum*, aut *conserva rosar. cum rhabarb. data: sirupus item rosar. solut. jus galli antiqui*, in quo *manna* dissoluta sit. Potest & *castia* usurpari.

Jus galli antiqui sic paratur:

R. Gallum antiquum, & in ventre Jus galli. ejus ponantur sequentia:

R. Pas-

R. Passul. mundat. par. xx.
 jujubul. an. N. x.
 sebesten, an. N. x.
 medullasem. carehami Unc. vj.

Coq. in aqu. ff. vi. ad consumtionem
 tertiaz partis. Utatur manè jusculo.
 Potest & manne Unc. j. vel
 Unc. ij. addi.

Vel R. Decocti scabios.

tussilag.

sem. melonum.

trium flor. cordialium,

an. Unc. iv.

In quibus dissolve

manne Unc. j. B.

fir. viol. Unc. j.

Misce.

Vel R. Flor. cassie Unc. j

pulv. glycyrrh. Scrup. j.

Cum saccharo

Fiat Bolus.

Utiles sunt & clysteres lenientes, qui excrementa non solum evacua-
 re possunt, sed & corporis calidita-
 tem & siccitatem emendare. Vali-
 dioribus verò purgantibus medica-
 mentis hinc nullus locus est, ut & san-
 guinis missione; cum corpus exte-
 nuatum & consumptum, viresq; de-
 cta eam non admittant. Et licet Hip-
 pocrates, 5. epidem. & Galenus, 6. epi-
 dem. comm. 3. text. 29 tabidis seu ex-
 tenuatis venam cum commodo ape-
 ruerint: phthisici tamen ii non fue-
 runt, sed graciles & extenuati, vel ob
 calorem sanguinis nimium, vel ob
 ejusdem evacuationem suppressam.
 Et licet etiam nonnulli purgantibus
 fortioribus, ut pilulis cochiis, & si-
 milibus utantur: id tamen potius

L. II.

imminente, & præsertim ob catar-
 rhum, phthisi, quam jam præsentem
 locum habet. Imprimis verò viden-
 dum, an malum adhuc à catarrho à
 capite destillante foveatur. Tum
 enim danda opera, ut is quamprimum
 sistatur & à pectore avertatur.
 Nam frustra in curatione ulceris pul-
 monis tempus teritur, nisi fluxio
 prius cohibita vel aliò conversa fue-
 rit. Quà ratione autem hoc præstan-
 dum sit, ex doctrina de catarrho pa-
 tet. Et si fluxio sit diuturna, nullo tu-
 tiore inter incitia remedio materia
 aliò avertitur, quam fonticulo in al-
 tero vel utroque brachio aperto. In
 morbi verò progressu æger jam im-
 becillior frustra cauteriis vel fonticulis
 cruciatur

Deinde ipsum ulcus pulmonis
 quod attinet, ad ejus curationem duo
 medicamentorum genera requirun-
 tur: abstergentia & consolidantia.
 Primò ergò adhibeantur ea, quæ ul-
 ceris deterfioni inserviunt, & quod
 deterfum est, tussi & sputo leniter e-
 ducere valent, (expectorantia vo-
 cant) ne sordes in pulmone subsi-
 stant, eumq; amplius corrumpant.
 Huic usui inserviunt, aq. saccharata
 & aq. mulsa. Nam mel crudum val-
 de abstergit. Fortiora sunt succus
 caulium, tussilago, capill. Vener. hyssop.
 pus, scabiosa, marrubium, agrimonia,
 radix iridis, aristolochia heleni, rere-
 binthina, & ex his parata medica-
 menta.

Ut R. Marrubii M. j.

hyssopi,

scabiosa, an. M. B.

Dd

Coq.

Curtio
 mali à ca-
 tarrho.

Ipsius ul-
 ceris pul-
 monis cu-
 ratio.

Coq. in aqu. ℥. iij. ad tertia partem consumtionem.

Adde mellis ℥. 8.

Iterum ebulliant & despumetur.

Vel R̄. Butyri recent. s. sale. Unc. ij.

terebinthina abietis pellucida

Unc. j.

mell. el. Unc. iij.

M. F. Bolus.

Postquam ulcus deterfum est, glutinationi incumbendum. Inter glutinantia autem medicamenta facile primas obtinent *rosa*, *bolus Armenica*, *tertia sigillata*. Quibus addi possunt *lapis hematit*, *radix symphyti major*, *consolida media*, *plantago*, *scabiosa*, *pulmonaria pulmonaria Gallica tenuifolia*, *Tabernamontani*, nonnullis herba *costa dicta*, *que species hienacii est*, *veronica*, *hedera terrestris*, *botrys ros Solis*, *sanicula*, *flores hyperici*: è quibus varia medicamenta parantur, quibus etiam *pulmo vulpis* & alia peculiariter pulmoni dicata admisceantur. Avicennas, lib. 3. fen. 10. tr. 5. cap. 6. miris modis commendat *conservam rosarum*, refertque mulierem quandam phthificam & morti destinatam ejus usu ita curatam fuisse, ut non solum sana, sed & pinguis redderetur. Idem Mesueus, cap. de phthisi, & alii Medici testantur. Vis enim abstergendi & consolidandi rosis inest, saccharumque etiam abstergit simulq; nutrit. Sunt tamen quedam conditiones in usu conservæ rosarum observandæ. Prima est, ut Mesueus, loco alleg. monet, ut abstergentia & mundificantia præmit-

tantur, ac proinde initio conserva rosarum recens, quæ plus succi, ac proinde vim abstergendi majorem habet, adhibeatur. Secunda, ut magna quantitate exhibeatur, & quotidie imò cum pane & cibo ac potu sumatur. Tertia, ut si ob ejus usum sputum retineatur, & difficilis respiratio reddatur, sirupus de hyssopo vel alia expectorantia per intervalla exhibeantur. Utilis est & conserva pitosella.

Conservæ rosarum & alia enumerata medicamenta commodè miscentur, ut *tertia sigillata*, *bolus Armenica*, *sirupus* vel *pulvis symphyti major*.

Ut R̄. Conserv. rosar. Unc. iij.

pulv. rad. consolid. Drach. j. 8.

boli Armenica,

pulmon. vulpis, an. Scrup. ij.

Cum sirupo myrtino

F. Electuarium.

Vel R̄. Conserv. rosar. Unc. iij.

loch. de pulmon. vulp. Unc. j.

spec. diatr. frig. Drach. ij.

boli Armenica,

terr. sig. ℥.

lap. hemat.

rad. symphyt. an. Drach. j.

Cum sirupo myrtino.

F. Linctus.

Vel R̄. Radic. torment. ℥. M. j.

Coqu in vino ad consumtionem tertia partis.

Adde conserv. ros. antiq. Unc. iij.

Vel R̄. Millefol. vulgaris M. i. ij.

millefol. purpurei M. ij.

herbar. & radic. tormentill.

sanguisorbe

pimpinella, an. M. j.

Con-

Contulis adde *conserv. rosar. antiq.*

Unc. iij.

Affunde *aq. symphyti,*

plantag. an. Unc. xxxii.

tormentill.

pimpinell. an. Unc. xvi.

Coq. in vase duplici. Colentur.

Vel *R. Pulv. pulmonar. aurea. Unc. j.*

conserv. rosar. antiq. Unc. iij.

Cum *sr. myrrino*

F. Electuarium.

Langius aquam hederæ terrestris cum sacch. ros. antiquo novem diebus potam laudat.

Pertinent huc & aquæ quæ ex pulmone & epate vituli destillantur.

Uti *R. Veronica,*

hedera terrestris,

botryos,

salvia,

pulmonarie auree,

pilosella, an. M. j.

mdic. tussilag. Unc. j.

Infundantur in *aq. hederæ terrestris,*

pimpinell.

sanguisorba, an. q. l.

vini albi lb. j. lb.

Horis 24 addito pulmone & epate vituli conciso. Postea destillantur. Potest & *conserv. rosar.* addi, vel in destillato dissolvi.

Vel *R. Cancror. N. LX.*

Coq. in *lacte caprino.*

Postea *R. pulmones & epar vituli.* Similiter decoquantur in *lacte caprino* & probè contundantur, iisq; adde

sol. salvia minor.

passul. minor. ana ad pondus

cancrorum & pulmonum.

Misce.

Postea *R. Glycyrrh. lb. lb.*

fol. scabiosa cæ flor. quart. j.

byssopi lb. lb.

Agitentur probè & destillentur per alembicum. Aqua servetur in vitro, cui injice *manus Christi perlati* q. v. Dosis manè, in meridie & vesperi cochlear. ij.

Mercatus hunc Sirupum commendat:

R. Hordei torrefacti. Unc. iij.

cancrorum fluviatilium bene

locorum & crasso modo co-

susorum N. xii.

capill. veneris,

polyrrichi, an. M. lb.

parietarie,

byss pi,

helentis,

verbena,

verbasci,

fol. urtica, an. M. j.

baccar. tauri,

sem. papav. albi, an. Unc. lb.

jujubar.

sebesten.

passular. an. Unc. j.

carnis testudinis prius lota vino

albo Unc. ij.

Bulliant omnia ad perfectam coctionem.

Colat. *R. lb. iij.*

sacch. albi lb. ij.

F. Sirupus, de quo æger sumat manè Unc. ij.

Insignem quoq; ph. hiscorum ulcera curandi vim habet *decoctum ligni Guajaci* & à plurimis doctissimis Medicis Francisco Arceo, *lib. de vulneribus & febribus curandis*, Thoma

Erasto, in consiliis à Scholtzio collectis, consil. 88. atque aliis commendatur. Est & utile decoctum radicum *Chinæ*. Quanquam enim ista decocta corpus exsiccare videantur; tamen commodum, quod ex ulcere pulmonis sanato provenit, longè majus est. Cum enim macies illa corporis ex ulcere pulmonis ortum habeat: decocta talia causam extenuationis corporis tollendo, vitiosos humores absumendo & ulcus curando, faciunt, ut corpora extenuata iterum bene nutriantur, & pingua reddantur: id quod ipsa experientia sæpe docuit. Febris tamen ratio habenda. Nam si hectica conjungatur, ab his abstinendum. Veteres valde exsiccantibus utebantur, quibus callus ulceri pulmonis induceretur, ut *theriacâ*, *Mitridatio*. Galenus, *s. meth. med. cap. 6.* ad sputum sanguinis ex erosione, ut materia purulenta in ulcere absumatur, ulcusq; claudatur, *pastillis Pasonis*, *Andron*. *Polyida* utitur. *Dioscorides sulphur vivum* exhibet. Hinc Chymici commendant contra phtisim è sulphure parata medicamenta, ut *sulphuris flores*, *balsamum & lac.*

Exempl gr.

Rj. Lactis Sulphur. Drach. f.
magister corallor.
perlar. an. Scrup. f.
emuls. sem. melon. cum aq. russi-
lag. vel veronic. facta. Unc. ij.
juleb. rosar. Drach. vi.
aq. cinamomi,
manus Christ. perl. an. Drach. ij.
 Misc.

Non solum autem ad exsiccationem ulcerisq; glutinationem interna medicamenta faciunt, sed & externa utilia sunt, si scilicet eorum vapor & halitus vel per os, vel per nares inspiratione attrahatur. Quod vel aër docet, de quo infra in diæta dicetur. Per os ut attrahantur, medicamenta idonea in vino vel liquore conveniente coqui, & eorum vapor excipi atque attrahi potest, vel pulvis conveniens ex *thure*, *massiche*, *rosis*, *myrrha*, *benzoe* carbonibus aut ferro candenti inspergi, idemq; fumus spiritu attrahi potest. *Dioscorides etiam suffitu sulphuris* utitur.

Per nares quæ attrahuntur, sint svaveolentia, quorumque vapor inspiratione attractus ulcus exsiccare potest. Talia describit *Aëtius*, *tetrab. 4. serm. 4. cap. 13. 14. & 15.* ad quorum imitationem & alia componere licet ex *thure*, *myrrha*, *rosis*, *ladano*, *benzoe*, *santalis*, *cinamomo*. Recentiores commendant suffitum ex *Nicotiana* seu *tabaco*. Habentq; hæc, quæ cum aëre attracto miscentur, suffimigia & odoramenta præ reliquis hanc prærogativam, quod ulcus siccant, reliquum tamen corpus non ita afficiunt. *Aëtius*, *tetrab. 2. serm. 4. cap. 67.* etiam topica applicat in phtisi. Initio quidem, dum materia præparatur ad eductionem per tussim, cataplasma ex *althea* & *sem. lini contusis* & cum decoctione *malv.* & *sænigraci* & cum oleo & melle mixtis. Dum tussi expurgandum est, epithema ex *tenebintbina*, oleo *irino*, *butyro*, *medulla cervi*, *adipe*

adipe tauri, farina iridis, æsipo, partibus æqualibus mixtis. Dum cicatrix inducenda est, oleo rosar. myrtilino cum acacia, malicorio, hypocistide, alumine scissili, gallis, sumach, additis, postulante usu, quoque aliis, sicut apud ipsum videre licet. In concoquentibus tamen & tussi expurgantibus ea cautio adhibeatur, ne intempestivo illorum usu exulceratus pulmo magis offendatur. Tutius κολητικῶς & ἐπελαστικῶς suo tempore utimur.

Corporis extenuationem & maciem ac febrem quod attinet, illi per ea, quæ ad corpus nostrum instaurandum faciunt, succurrendum; hæc per refrigerantia & humectantia tollenda. Ad corpus instaurandum faciunt, quæ alimentum boni & multi succi præstant, quæ ex *pulpis carniuni gallinarum, caponum, phasianorum, perdicum, cancrorum fluviatilium, vel nostrorum gammarorum* fumuntur, de quibus postea, in diætâ, dicitur. Et commodissima hæc sunt jura instaurantia seu consummata dicta. Utiles sunt & alii cibi, ut & medicamenta, quæ parantur ex *bordeo, amygdalis dulc. pineis, pistaceis, seminib. 4. frig. major. excorticatis, amylo, tragacantha, gummi Arabic. saccharopenid.* Hinc exhiberi potest *cremor hordei vel avenæ cum emulsione amygd. dulc.* cui aliquid pulveris *Haly*, de quo postea, cum *conservâ rosar.* addi potest.

Commodissima autem hæc sunt medicamenta, quæ omnibus scopis satisfaciunt, ulcus nimirum consolidant, corpus emaciatum instaurant,

caloremq; febrilem mitigant. Inter quæ primas facile Lac tenet, & quo, ut Galenus, 3. de alim. facult. cap. 15. de cibis boni & mali succi cap. 4. 5. meth. med. cap. 12. 7. meth. med. cap. 6. docet, curandis phtihicis vix quid præstantius datur, ut postea, de diætâ, dicitur. Et ut efficacius sit lac, viresque medicamentosas, quæ expetuntur, acquirat, potest animal, cujus lac expetitur, in convenientibus pascuis nutriri, qualem ad pascua locum describit Galenus, 5. meth. med. cap. 12. & 10. meth. med. cap. 11. vel capris plantæ phtihicis convenientes loco pabuli præberi possunt. Utile est & hoc:

Rx. *Oxygala seu lactis, è quo butyrum sit separatum, ℞. ℞.*

Stet nocte una sub dio, & postea fortiter agitetur, & spuma detrahatur.

Postea adde

*conserv. rosar. Unc. ℞.
boli Armena Drach. j.
Misc.*

Commendatur à plurimis etiam pulvis *Haly Abbatis, lib. 6. pract. c. 2.* descriptus.

Rx. *Papav. alb. Drach. x.
gummi Arabic.
amylis, an. Drach. iij.
sem. portulac.*

*malve,
albæ, an. Drach. v.
cucurb.*

*cucum.
citrull.
cydonior. ana Drach. vij.*

podii,

Dd. 3

glycyr.

*glycyrrhiz.**tragacanth.* an. Drach. iij.

F. Pulvis.

Valefcus de Taranta addit *sacchari penidi* ad pondus omnium. Atq; isto pulvere & fequente Electuario Valefcus de Taranta Monachum phtificum jam deploratum fe curaffe refert.

Rx. *Corall. rubr.**carabe,**lycii,**terrae figill.**hypociftid.**amyli,**spodii,**glycyrrhiz. & succi ejus,**sem. 4. frig. major.**minor.**gumm. Arab.**tragacanth.**rosar. rubr.* an. Drach. j.*pinear. mundat.**piftacior.**amygd. dulc.* an. Drach. ij.

Torrefacienda torrefiant &

F. Pulvis.

Rx. *Pulveris hujus* Unc. j. β.*sacchar. q. s.**conferv. capill. Vener.**symphye.**teftudin.* ana Unc. β.

M. F. Electuarium.

Rondeletius Pulverem istum hoc modo præstantiorem fore fcribit;

Rx. *Sem. papav. albi,* Drach. β.*gummi tragacanth.**Arabici,**farina crobi,* ana Drach. j. β.*sem. albæ,**portulaca,**cucumer.**melon.**citrulli,**bombac.* ana Drach. iij. β.*cineris cancrorum fluviatilium,**corall. alb. ust. præparat.**succi glycyrrh.* ana Drach. j. β.*sacch. rosar. tabulati* ad pondus omnium.

F. Pulvis.

Dentur Drach. ij. cum *sirupo de papavere* vel *jujubino.*

Est & sequens utilis;

Rx. *Nuc. Indic.**piftacior.**sem. 4. frig. major.**amygdal. dulc.* ana Unc. j.*sacch. penid.* Unc. β.*gummi Arabici* Drach. ij.*sem. malve.**lactuce,* ana Drach. ij.*tragac.**sem. cydonior.**macis,**charyophyll.* ana Drach. β.*anis* Drach. j.*glycyrrhizæ nase* Drach. j. β.*cinamom.* Drach. ij.*carnis testudinis,* vel *pulpa phasiani* aut *caponis,* Unc. vj.*sacch. opt.* ℥. iij.*aq. ros. opt.* q. s.Fiat *Morsuli* vel *panis Martius.*

Plinius etiam, *lib. 28. cap. 17.* medicamenta quædam ad phtifin habet.

Nonnulli etiam balnea aquæ dulcis tepida adhibent ad corpus humectandum.

Verùm id potius hæcti

hecticis simpliciter, quàm phthificis convenit. Et in phthificis, etsi ad hecticam declinent, non habet locum, nisi ulcus ab omnibus sordibus repurgatum & consolidatum sit, corpusque siccatum balneo ad alimentum rectius suscipiendum præparandum sit.

Dieta.

Phthifici omnem aëris in calore & frigore excessum nimium, subitasque ejus mutationes, ut & aërem pluviosum vitent. Siccus verò aër ad ulcera pulmonis sananda utilissimus est, sive naturâ talis, sive arte comparatus. Antiqui hac de causâ suos phthificos ad Tabios mittebant, monticulum inter Surrentum & Neapolim, locum nonnihil calidum & præcipuè siccum ob Vesuvii montis, instar Aetnæ perpetuò flammam evomentis, vicinitatem, quem describit Galenus, 5. *meth. med. cap. 12.* Commodum quoque est hac de causa loca piceis & similibus arboribus abundantia incolere. De quo Plinius, *lib. 24. cap. 16. Constat*, inquit, *illum cœli aëra plus ita, quàm navigationem Aegyptiam proficere, plus quàm lactis herbidos per montium aëstiva potus.* Possent ergo etiam ligna hæc resinosa in conclavi haberi vel incondi. Et quantum aër siccus in phthisi curanda possit, testatur trita illa mulieris historia, quæ cum annis aliquot ad furnum artem pistoriam exercens versaretur, sicco aëre inspiratione attracto, & ulcere ita exsiccato, vitam diu prostravit. Quod

tamen intelligendum est, ubi spes aliqua sanitatis recuperandæ superest. Si enim de ulceris curatione desperetur, ægerque ad extremam maciem jam sit deductus, aër talis ulcus non sanabit, ægro verò mortem accelerabit. Celsus hac de causâ navigationes longas præcipit, iis quidem, qui tam robusti adhuc sunt, ut peregrinationem suscipere possint: cum, ut Aretæus, *de curat. morb. diuturn. lib. 1. cap. 8.* scribit, *pulmonis ulceribus quiddam siccum marina saledo communicet.* Eadem de causâ ex Italia in Aegyptum navigare suadebant. Aliàs æger ab omnibus animi & corporis motibus vehementibus sibi temperet.

Cibi sint boni succi, faciles cocti & multi nutrimenti, cujusmodi parantur ex hordeo, avena, amygdalis, ut & alica, amylo & oryza. Et quidem in principio cibi abstergendi vim habeant, hinc glutinandi & consolidandi. Parentur igitur in principio ex hordeo, hinc alica, amylo & oryza. De alica tamen, amylo, oryza & ejusmodi cibus notandum, quòd etsi mali succi non sunt, succum tamen præbent lentum & crassum, ideoque sola & sine præparatione non sunt exhibenda, sed aliis coctis facilibus admistis, & quidem in forma sorbili, & propterea cum jusculis bonarum carniùm præparanda. Quo modo & reliquis cibus vim melius nutriendi imprimunt, & à calore debili faciliùs concoquuntur. Id quòd Galenus, 7. *meth. med. cap. 6.* docet, dum scribit, *Nec planè,*

Cibus.

quod

Dieta.

quod maximè nutriat, optimum est in corporibus, quæ refici magis egent, utpote quibus concoquendi facultas non est, neque etiam quod facilimum concoctum est, cum scilicet ipsum nequeat esse maximè nutriens. Cum igitur hæc duæ indicationes ex aduerso pugnent, committendum non est, ut dum alteri nimium sis intentus, alterius omnino obliuiscaris, sed utriusq; memor, quo ad liceat, utrumq; misceas.

Et quia phthifici multo nutrimento indigent, ob caloris verò nativæ debilitatem multum cibum unâ vice concoquere non possunt, ideò sæpe cibus, sed ejus parum unâ vice præbendum.

Inter alimenta autem præcipuè, ut supra etiam dictum, primum locum Lac obtinet. Optimè enim corpus nutrit, sanguini bonam materiam præbet, acrimoniam vitiosorum humorum temperat, parte ferrosâ ulcus abstergit, caseosâ consolidationi inservit, butyram eâ humidat & corporis exsiccationi resistit. Imprimis autem laudatur lac muliebre, quod naturæ corporis nostri maximè cognatum est. Asininum est tenuius & serosius & ad ulcus abstergendum commodius. Inter hæc medium locum habent caprinum & vaccinum. Ne autem lac in ventriculo coaguletur, aliquid sacchari vel mellis admisceatur. Dandum etiam vacuo ventriculo & mundato ventre: alioquin faciliè accessit & corrumpitur. Ea etiam quantitate dandum, ut à ventriculo bene ferri, & concoqui possit. Ideoque à mi-

norî quantitate ad majorem ascendendum, & primò quotidie semel, deinde bis de die dandum. Post lac sumptum æger non statim dormiat, nec alium cibum, præsertim vinum, capiat, ne lac in ventriculo corrumpatur. Si tamen adfit febris manifestè affligens, dolor capitis, vasorum obstructions, & flatus; à lacte abstinendum. Potest lac etiam hoc modo præparari:

R. *Lactis caprini vel vaccini mensur. iij.*

Adde

*aq. fontan. pure mens. j.
sacch. alb. Unc. ß.*

Coq. lento igne ad aquæ consumptionem.

Lac hoc modo præparatum vel potandum detur, vel pani albo trito affundatur, & comedatur.

A plerisque maximè commendatur caro cancrorum & cochlearum, quæ scilicet propter substantiæ crassitiem ulcus consolidare possit. Verum enim verò hac de re dubitatur; cum hæc animalia sint crassæ & terreæ substantiæ, & proinde non nisi crassum, terreum, & vitiosum succum generent, difficilimè coquantur, & maximè excrementosa sint. Ideoque non nisi parçè aliis cibis admiscenda, aut reliqui cibi cum iis permixti solidius alimentum præbeant. Aut potius jus eorum, quàm substantiæ, præbendum, & pars quædam in limacibus, quam *minwa*, id est, papaver, Aristoteles, 4. de *hystor. animal. c. 4.* nominat, quæ non difficulter coquitur. Ideoque nonnulli

nulli caneros & cochleas in lacte coquant, & postea jus saccharo condiunt, vel etiam farinam hordei & lac amygdal. dulc. addunt. Vide infra, *quest. 2.* Vel hoc modo præparetur.

R. Cochleas, quæ separatis excrementis omnibus incidantur, & in vase vitreo optimè clauso coq. in balneo. Liquorem per seraceum trajice, trajectum lento igni expone, ut omnis pars aquosa resolvatur, & remaneant partes solidiores, sed in liquorem reductæ. Hic liquor pro cibo dari poterit, qui si alteretur cichoraceis vel similibus, evadit medicamentosus, & refrigerabit & humectabit.

Potus, ubi abstergendum, sit *aqua malsa bene diluta* vel *aqua hordei cum pauco melle.* Cum glutinandum, *aqua hordei, in qua saccharum rosar. dissolutum sit.* Vino tamen etiam locus est, sed sit illud debile ac modica quantitate exhibeatur. Commodum etiam potum præbent *cerevisia hordeacea & triticea.*

Peculiariora pulmonis ulcera, Sphacelus, & Cancer.

Peculiariora
pulmonis
ulcera.

Facienda sub finem hujus capituli & aliorum ulcerum, quæ phtisis tamen non introduxerunt, & Sphaceli ac Canceri pulmonis mentio.

Interdum enim Apostemata in pulmonibus reperiuntur, quæ nullam febrem conjunctam habent, nec tussim. Ita refert Nicolaus Massa,

L. II.

in *Introductorio anat. f. 57.* se anno 1533. quendam secuisse, & in substantia pulmonis in parte sinistra Ulcus magnum concavum & putridum ad quantitatem multo majorem, quam sit dimidia pars corticis unius ovi gallinæ cum sua profunditate, in qua cavitate fuit sanies multa & prava, deprehendisse: cum tamen iste, quem bene noverat Massa, nunquam conquestus sit de aliquo dolore, neque tussiverit. Sed procul dubio iste tuberculum habuit, quod tandem in pus mutatum est.

Post sanguinis sputum pulmonis *Sphacelus* partem quandam nigricantem & *pulmonis*, Sphacelo correptam, & in ea profundum sinum, sine ullo pure & sanie inventam fuisse, refert Dodonæus, *obs. cap. 24.*

Refert etiam Jacotius, *comm. 1. in Cancer lib. 5. sect. 2. aph. 67. Coac. Hippocr., pulmonis.* interdum partem superiorem pulmonis in Cancrum abire, atque ad juguli partem superiorem trahi, ut sub alis lateat, unde compressa asperâ arteria stertor quidam obauditur, non à puris multitudine, aut alterius humoris, sed ab angustia & interceptione meatûs, in quo refractus & agitated humor aliquis in gutture ferretur.

QUESTIO I.

An Ulcera pulmonis sint sanabilia?

Ulcera pulmonis satis periculosa esse, & paucissimos, quibus pulmones exulcerati fuerint, evadere, ipsa *An ulcera pulmonis sint sanabilia?*

E c -

experientia testatur. Imò nonnulli in ea sententia sunt, nullos planè è pulmonis ulceribus evadere, ea de causa, quòd pulmo in perpetuo motu sit, atque ita labra ulceris, ut & vulneris, coalescere non possint. Quam rationem etiam Galenus, *s. meth. med. cap. 8.* reprehendit, & revera motus ille pulmonis naturalis in respiratione tam vehemens non sit, ut sanationem impediatur, & vulnera pulmonis sanari posse experientia testetur: tamen aliam causam, *loco allegato*, Galenus affert, nimirum tussim. Cum enim ulcus nullum possit sanari, nisi à pure prius mundatum fuerit, pus verò è pulmone sine tussi evacuari non possit; facile hinc patet, motu illo, qui in tussi est vehementior, ulceris labia iterum lacerari. Quibus accedit & hoc, quod idonea ulceri sanando medicamenta adhiberi non possint. Nam illud, quod rectà in pulmones ex ore destillat, exiguum est: quod verò in ventriculum descendit, non nisi per longas ambages & alteratum atque imminutum ad pulmonem pervenit. Hinc & Galenus, *s. meth. med. cap. 13. & 14.* omnes illos, qui sanguinem è pulmonibus exspuentes primo die se curandos ei tradiderunt, quosdam etiam post duos aut tres dies se sanasse prædicat. Quotquot autem phlegmone sic occupavit, ut jam febricitarent, horum nullum in totum per sanatum esse scribit.

Alii contra ulcera pulmonis sanabilia esse statuunt, adducuntque primò autoritatem Hippocratis, qui, *6.*

aphor. 18. vesicæ quidem, cerebri, cordis, diaphragmatis, intestinorum tenuiorum, ventriculi, epatis vulnera mortem afferre docet, pulmonum verò vulnerum non meminit, Franciscus Arceus, *de febribus, cap. 8.* à vulneribus argumentum petit, & cum pulmones transfossi, quod sæpe fit, feliciter curentur, etiam ulcera pulmonis sanari posse putat, idq; se felicissimè præstitisse affirmat, & quidem usum decocti ligni Guajacæ: quod & Philippus Ingraffias & Thomas Erastus se factitasse scribunt. Conservà etiam seu saccharò rosarum phthysicos curatos referunt Avicennas, *lib. 3. fen. 10. tract. 5. cap. 6.* Mesues *capite de phibisi*, Valescus de Tarenta, *lib. 3. cap. 11.* Valeriola, *lib. 5. obs. 5.* Crato, *in consil. Mont. 152.* P. Forestus, *lib. 16. obs. 58.*

Et omnino cum experientia rem definiatur, disputatione multa opus non est. Rarò tamen hoc accidit, non quidem ob naturalem illum pulmonis motum, sed ob sanientem, quæ pulmones corrumpit, & non nisi tussi, & vix turò ejici potest, unde pulmones lacerantur; & quòd medicamenta ad pulmones viribus integra vix perveniunt, unde si quid præstare debent, continuanda, & in magna copia medicamenta talia usurpanda sunt, sicut Montanus retulit, phthysicum quendam Venetiis nihil ferè aliud comedisse, quam saccharum rosarum, ut pharmacopola Veneti id amplius ipsi vendere nolent.

Notan-

*Quomodo
ulcera pul-
monis in-
sanabilia
dici pos-
sint?*

Notandum tamen hîc, etsi suo modo sanabilia pulmonis ulcera dici possint: suo modo tamen etiam rectè dici insanabilia, dum insanabile sumitur pro eo, quod ad pristinum statum reduci nequit. Et si enim callus quidam obducatur: tamen perfecta ea sanatio non est. De quo Galenus, 5. meth. med. cap. 14. *Sed qui postea, inquit, sic per omnia præsidia ritè transferunt, ut siccaretur ulcus, ii tantum saltem lucriferunt, ut illud nec ultra progredereetur, nec majus fieret, sed siccatum ac callo duratum longiore vitâ frui hominem sineret.* Et, 4. de loc. affect. cap. 5. *Quæ verò in pulmone longo tempore jam permanserunt, quamvis aliquando curentur; relinquuntur tamen in eo res quedam callosa fistulosæ, quæ tractu temporis à levi occasione excoriatur.*

Deinde & hoc ii monendi sunt, qui sapius se ulcera pulmonis & phthificos sanasse dicunt, ut attendant, ne decipiantur, & pulmonem exulceratum putent, cum tamè thorax saltem laboraverit, aut catarrhus & pituita in pulmonibus in similem puri substantiam, illæsis pulmonibus, mutatus sit.

QUÆSTIO II.

An in phthisi Cochleæ utiles sint?

An cochleæ phthificis utiles sint?

Antiquiores equidem, qui de natura & facultatibus Limacum scripserunt, Dioscorides, Galenus, Aëcius, P. Ægineta, Oribasius, non me-

minerunt, quod phthificis profint: Recentiores tamen, & superiorum seculorum Medici eas phthificis & hecticis commendarunt, adducti procul dubio autoritate Galeni, qui, 3. de aliment. facult. cap. 3. limacum carnem potentissimè nutrire affirmat.

Verum enim verò, cum, ut, *ibidem*, Galenus & res ipsa docet, caro cochlearum sit difficilis coctionis, & succum non adè bonum præbeat, facilè hinc patet, cochlearum carnes phthificis pro cibo non convenire. Cum enim phthificis febre lenta putrida laborent, & propterea vis naturalis in ventriculo, epate, imò toto corpore sit debilis, cibum difficilis coctionis rectè concoquere non potest, atque hinc multa excrementa cum alibi, tum in pulmonibus etiam colligi necesse est; imprimis cum ex se succum bonum non præbeant. Ideoque, quod in vulnibus accidit, quod nimirum, si ægri cibis mali succi utantur, copiosior sanies generatur: idem in pulmonis ulceribus evenire credibile. Cum verò ob pus imprimis phthifici periclitentur Limacum etiam usum iis potius nocere, quàm prodesse, verò consentaneum est. Et quanquam juscula ex iis parata, & pars illa, quam Aristoteles, lib. 4. de histor. animal. cap. 4. *πύλωρα* id est, papaver appellavit, dentibus statim cedens, & caseosa substantiæ paulò magis duratæ, sive factæ nuper è favis ceræ, non ab simili faciliùs concoquatur: tamen saltem respectu aliarum

cochleæ partium est facilioris coctionis: absolute verò & simpliciter facilis coctionis non est; succi verò, quàm aliæ cochlearum partes, est melioris, & crassum ac melancholicum nutrimentum præbens.

CAPUT XIII.

De Mediastini Inflammatione.

*Inflam-
tio media-
stini.*

Causæ.

Mediastinum seu septum, quod pulmonis lobos disjungit, & ipsum Inflammationem interdum patitur, oriturq; ea præcipuè à sanguine, eoq; plerumque bilioso. Ideoq; causæ, quæ peripneumoniam & inflammationem pulmonum excitare solent, & hic locum habeat.

Signa diagnostica.

Signa.

Febris adest continua & ardens, cum cor ob inflammationem vicinam valde incalescat, quam magna inquietudo sitisque inexhausta comitatur. Respiratio est frequens & celer, & in thorace maximum incendium, unde calidum spiritum efflant agri, & frigidi aëris inspirationem desiderant. Dolor est exiguus, & saltem molestia quædam in inspirando ad sternum percipitur. Et si enim locus affectus sit pars membranosa, tamen dolor non est pungens, ut in pleurite, quoniam membrana non ut pleura ita in costis firmatur, sed in laxa parte thoracis consi-

stit: ad sternum saltem dolor quidam percipitur, quoniam ibi alligatur hæc membrana. Tussis in principio in quibusdam est sicca, post humida, & rubra quædam ac flava rejiciuntur, plurima tamen flavi coloris, paucissima rubri, verum non admodum copiosa, quia inter duplicem quasi membranam materia colligitur, unde non facile nisi ea erosa evacuatur. Pulsus qualis pleuriticorum, durus & inæqualis, non tamen æquè manifestà inæqualitate, sed aliquanto majore.

Si in pericardio affectio fuerit, aderit astuatio, & phlogosis major, ad syncopen laborans facile & frequentor accedit. L. Mercatus, lib. 2. de morb. int. c. 6 p. 138.

Prognosticum.

Plerique hoc malo correpti moriuntur. Estq; hic morbus, quàm pleuritis, vehementior; cum locus affectus cordi sit vicinior. Et si protrahatur, agri plurius correpti tandem moriuntur.

Prognosticum.

Curatio.

Curandi ratio eadem ferè est, quæ inflammationis pulmonis & pleuræ. Sanguis nimirum & humores ad mediastinum fluentes evacuandi, revelendi, repellendi, & per sputum evacuandi. Ideoq; statim in principio vena aperienda, & sanguis satis copiose evacuandus, & venæ sectio, si vires ferant, vel eidem, vel sequenti die repetenda, cum venæ sectio non

Curatio.

fall

saltem evacuet, sed & revellat & refrigeret.

Venæsectione autem adhibitâ captorum applicanda, quæ fervorem humoris mitigant, sanguinemq; aliquo modo reprimunt, medicamenta scilicet, quæ frigida quidem potentia sunt, sed astrictione carent, ut facilius penetrare possint. Quem in usum commodissimè adhibetur oleum violaceum, quo tepido totum pectus inungatur, vel panni eo imbuti pectori imponantur.

Si tempus æstivum sit, & inflammatio erysipelatodes, etiam actu frigidum adhiberi potest. Etsi enim frigida aliàs thoraci sint inimica, & in pleuritide frigida actu non adhibeantur, tamen quia hic incendium magnum est, & inflammatio est in penitioribus thoracis partibus, frigida non faciliè ad locum affectum penetrant. Oleo violaceo admisceri potest lac recens & aqua endiviæ, vel paretur cataplasma ex farina hordei cum succo endiviæ, & lactucæ & oleo violarum.

Ubi incendium non nihil remiserit, oil. chamæmel. admisceatur, ut & mucifagines sem. althææ, malv. foenigr. & similes.

Interim etiam propinentur ad materiam alterandam & expectorandam aqua vel decoctum hordei, violar. de jujub. de glycyrrhiz. de tussilag. Sirupi tamen in minore quantitate admisceantur, cum saccharum faciliè bilescat.

Tandem etiam ad reliquias materiæ discutiendas extrâ applicetur ca-

taplasma ex radice, albæ, violar. scabios. caricis. Quibus coctis & contusis addatur farina sem. lini, fenigræc. pulv. flor. chamæmel. & cum oleo chamæmelino & amygdal. dulc. Fiat Cataplasma.

Quod si materia hoc modo evacuari vel absorbi non possit, non planè incommodum esset, perforato sterno materiam purulentam extrahere, quod etiam Columbus, lib. II. anat. cap. 3. monuit.

Dietæ ratio sit eadem, quæ in Peripneumonia & Pleuritide. Dieta.

CAPUT XIV.

De Diaphragmatis Tumoribus.

Diaphragma etiam interdum tumoribus corripitur, & quidem nunc calidis & inflammatoriis, nunc frigidis & diuturnis.

Inflammationem diaphragmatis quod attinet, sit ea à sanguine calido & bilioso eo modo & us de caussis, ut aliarum partium inflammationes. Crassior enim in membranam densam sese non faciliè penetrat.

Diaphragmatis inflammatio.

Signa diagnostica.

Conjungitur autem cum hac inflammatione febris continua & acuta non solum ratione humoris calidi, qui tumorem hunc excitat, sed & ob viciniam cordis & connexionem cum eo per arteriam magnam. Adest dolor & respirandi difficultas, ac

Signa.

respiratio est parva & frequens, antequam delirium accedit, ut & pulsus, ut docet Galenus, *lib. 5. de loc. affect. cap. 3.* Præcordia tenduntur, nullo tumore in hypochondriis apparente. Ad locum diaphragmatis apparet interdum quædam palpitatio vel saltus quasi, ut docet Hippocrates, *3. prognost. t. 91.* Galenus, *in comment. & 1. epid. comm. 3. t. 18.* Procedente malo, quia cerebrum à diaphragmate, quod membranosum est, in consensum trahitur, delirium continuum excitatur; qua de causa veteres etiam diaphragma *Φρένας* appellarunt, quod ejus inflammatio mentem turbet, & delirium excitet. Respiratio est inæqualis, modò parva, modò magna, modò frequens, modò rara. Solent etiam nonnunquam accedere convulsiones, ut Galenus, *lib. de pulsibus, cap. 11. de pulsu inflammatorio*, docet. Et tum pulsus sit durus, parvus, creber.

Prognosticum.

Prognosticum.

Inflammatiò hæc pleuritide adhuc periculosior est, & plerumque ægrum ad mortem deducit, ob connexionem & consensum, quem hæc pars habet cum corde, cerebro & epate. Unde acutissimus hic morbus est, & ægrum citò in summam vitæ discrimen adducit, curamque reddit difficiliorem, quòd ægri delirant, nec facillè Medicis in sumendis medicamentis obtemperant.

Curatio.

Curatio.

Communes inflammationes cu-

randi leges & hîc locum habent, & ferè eadem hujus inflammationis curandæ est ratio, quæ peripneumonix & mediastini inflammationis. Itaque statim in principio alvo clyster emolliens & refrigerans injiciatur, & hinc vena brachii dextri aperiatur, ac, si vires tolerant, vel eadem, vel sequenti die venæsectio repetatur.

Extrâ thoraci ad locum diaphragmatis apponantur ea, quæ fervorem humoris mitigare, sanguinemque effluentem repellere possunt, potentiâ sunt frigidâ, actu verò subcalida. Igitur inungatur locus oleo rosaceo; vel fiant epithemata ex decocto herbarum refrigerantium, violar. endiviæ, lactucæ & similium. In progressu morbi addatur oleo rosarum chamæmelinum, & epithematibus malva, althæa, chamæmelum, melilotus, sem. lini, foenigræci. Ob delirium lotiones extremorum ex refrigerantibus herbis instituantur, quæ actuali caliditate revellere à capite, & potenciali frigiditate humores demulcere possunt. Syncipiti, temporibus & fronti etiam ea applicentur, quæ somnum conciliandi vim habent, ex supra, *lib. 1. part. 2. cap. 1.* propositis.

Externa.

De tumoribus diaphragmatis Frigidis.

Generantur hi tumores à materia cruda & tenui. Crassa enim & viscida non possunt in diaphragma ob ejus densitatem penetrare. Dantq;

Tumores diaphragmatis frigidis. occa.

occasione materiae collectioni percussio vel compressio diaphragmatis, qualis etiam fieri potest, si quis inter scribendum vel legendum mensae saepe pectore innitatur.

Signa diagnostica.

Signa.

Si tumor sit frigidus in diaphragmate, malum est diuturnius, adest tensio hypochondriorum, nullo apparente in his tumore ad tactum, & spirandi difficultas pulsus est durus & parvus, dolor adest, sed non ita magnus, abest febris, aut, si febris accidit, non est acuta. delirium etiam abest, & non nisi morte instante interdum accidit.

Prognostica.

Prognostica.

1. Si morbus sit recens & adhuc infieri, aegri interdum sanari possunt.
2. Si verò malum sit diuturnus, aegrum ad tabem deducit.

Curatio.

Curatio.

Principio ne major materiae fiat affluxio, materia affluens debito modo preparanda & evacuanda, ut cum materia ista sit pituita aquosa & serosa, medicamentis, quae pituitosum & serosum humorem evacuant, agarico, mechoacanna, turbitis & similibus utendum. Et si quae causa adsit, ob quam talis materia in visceribus generetur, ea tollenda, & viscerum debilitas, vel obstructio corrigenda.

Universali corporis evacuatione praemissa materiam discutientia

simulq; emollientia, (nam sensibilter eam evacuantia hic locum non habent) usurpanda, ut butyrum recens, pinguedo gallinae, anferis, medulla vitulina, cervina, omnes recentes. Progressu autem temporis validiora discutientia adhibenda, ut oleum chamamel anethin. vel sem. lini, foenigræci, quibus aliquid terebinth. vel ammoniac. addi potest. Utile est & emplastrum de meliloto.

Vel Rx. *Malva,*

albae,

betonic.

origan. ana M. j.

sem. anisi,

fenicul.

carvi, an. Drach. j.

flor. chamamel.

verbasci, an M. β.

F. Sacculi duo ex linteo albo, qui coquantur in vino, & expressi ac calidi alternatim pectori imponantur.

Intro exhiberi possunt digerentia & discutientia ex rad tussilag. helen. capillo ♀. marrubio, hyslopo, scabiosa, sem urticae, & simil. Vel exhibeatur decoctum sarsaparillae cum pectoralibus. Non tamen nimis tarde, ubi humor jam indurari coeperit. Ita enim tenue discuteretur, crassum verò magis induraretur. Sensibilis verò evacuatio, ut dictum, hic sperari non potest: cum diaphragma a parte superiore pleurae, a parte inferiore peritonæo cingatur & investiat. Nisi forsitan abscessu rupto in cavitatem thoracis effundatur, & inde per tussim ejiciatur. Quod si fiat,

si fiat,

si fiat, malum reliquum, ut empyema, curandum est.

Diatæ,

Victus ratio sit attenuans, non tenuis; cum morbus sit diuturnus. Cibibus sit boni succi, faciliis coctionis: alvus sit laxa, ac si subsistat, sæpe clysteres injiciantur.

CAPUT XV.

De Vulneribus Diaphragmatis.

Vulnera diaphragmatis.

Cum Diaphragma Vulneratum est, ponderis sensus eo loco molestus est, tussis & dolor eò loci percipitur, ut sæpe delirium accedat. Risus adest cum perturbatione; illa sursum convelluntur adeò, ut respirandi vehementia contingat. Aliquando ventriculus & intestina per vulnus in thoracis cavitatem rapi solent. Cujus rei historias duas recenset Ambrosius Paræus, *lib. 9 chirurg. cap. 30.* Memorabile & singulare hujus rei exemplum etiam annotavit Dominus D. Andreas Schato p. m. Socer meus, quondam Academia hujus Professor. Est autem tale: Anno 1582. die 20. Septembr. Studiosus quidam, Henricus Buschero-vius, Rivaliensis Livonus, cum melancholiâ variisq; tentationibus vexatus esset, ante portam oppidi hujus proprio gladio se confodit, vulnere intra quartam costam in thorace adacto, & sub nona costa in tergo gladio penetrante: quod vulnus tamen intra duos menses sanatum fuit, ut æger satis bene sibi habere videretur,

Historia diaphragmatis vulneratis.

Verùm accidit, ut post menses aliquot iterum absurdis cogitationibus vexaretur, & postea 28. April. Anno 1583. male habere inciperet, & seqq. diebus mense Majo nigra quater, eaq; magnâ copiâ vomitu rejiceret, cum sudoribus frigidis & lipothymia, tandemq; post ultimum vomitum expiraret. Corpore aperto deprehensum est vulnus per diaphragma & pulmones penetrasse; & quidem diaphragma transossium fuit in ipso nerveo circulo. Pulmonis ferè nihil repertum est in sinistro latere confosso, cum proculdubio is corruptus cum pure rejectus fuerit. Exigua saltem particula aderat costis adnata. Ventriculus totus ascenderat in sinistram thoracis lateris, & cor cum capsula sua depulerat in dextrum lateris, ubi & vivus ille post acceptum vulnus jubebat observare pulsum cordis. Cor aridum & tabefactum erat, copiosa autem aqua in capsula cordis. Omentum & pancreas totum ferè circa ventriculum computruerat.

Habentur autem diaphragmatis vulnera sanabilia, si saltem pars carnosâ diaphragmatis sauciata & perfossa fuit, etsi tunc conglutinatio sit difficilis ob perpetuum motum diaphragmatis. Si verò in nervosâ ejus parte vulnus sit, insalubre habetur. Verùm Galenus, *6. aphor. 18.* docet, etiam nervosarum partium vulnera, si non sint magna, quandoque sanari posse, ac proinde & diaphragmatis vulnus in parte nervosa, si magnû non sit, consolidari aliquâdo potest.

Exem-

Diaphragmatis vulnera quomodo sint sanabilia.

Exemplum talis vulneris est apud Hippocratem, *5. epid.* Cum enim Tychon in oppugnatione circa Datum catapulta vulnus in pectus accepisset, paulò post parvus risus ei aderat cum perturbatione. Videbatur autem Medicus, cum lignum eximeret, circa septum transversum hastilis partem aliquam reliquisse. Primam noctem implacide egit, sub diluculum melius habere visus est. Prædictum est, convulsione accedente celeriter periturum. Postera die implacidus insomnis egit, & sub tertii diei exitum convulsione tentatus tum temporis mortuus est.

Ratio curandi eadem est, quæ Pulmonis & Mediastini vulnerati.

CAPUT XVI.

De Pleuritide, seu Inflammatione Pleuræ & Musculorum thoracis.

Pleuritis. INflammatum sæpe & pleura seu membrana costas succingens, musculiq; intercostales; quod malum Græcis Pleuritis dicitur, & Pleuriticus, qui inflammatione pleuræ laborant. Βληθὸς etiam Antiquis dicitur, qui ex lateris aut pulmonis inflammatione, repente difficultate spirandi suffocati, latera livida habent, tanquam plagâ percussi aut siderati. Hippocrates, *1. de rat. victus in acut. aphor. 35. & in Coacis ultra*

L. II.

dimidium. In pleuriticis enim, si subito difficultate spirandi suffocentur, ut & in peripneumoniacis, sanguine inflammationis in cutem diffuso, livor fit, totumq; latus, in quo fuit inflammatio, post mortem livescit; eodem modo sicuti in apoplecticis & epilepticis idem interdum accidere videmus.

Est videlicet pleuritis, eaq; vera & exquisita, (nam dari & notham, infra de dolore lateris dicitur) inflammatione membranae costas succingentis, quæ quandoque pulmōni communicatur, ex affluxu sanguinis per ramos seu venæ cavæ ascendentis seu ἀζύγης eò impulsæ ortum habens, cum febre continuâ acuta, dolore lateris pungente, tussi, pulsû duro, celeri ac frequenti, & difficultate spirandi. An verò pleuritis etiam fieri possit, sine notabili & manifesta inflammatione pleuræ, dicitur infra, *questione 1.* Sub pleuritide rectè etiam comprehenditur inflammatio musculorum μεσοπλεύρων, præsertim internorum, ab pleuræ ex vicinia consensum.

Datur deinde & notha pleuritis alia quædam, quodammodo talis, sed & ipsa vera inflammatio, ratione sitûs & partis affectæ saltem notha, quando sanguis, per ramos venæ axillaris in extrema thoracis sparsus, in musculos illos externos, qui costis & musculis μεσοπλεύρεις extrâ incumbunt, illabitur, quæ ob communiter propaginum venarum externarum & internarum, (cum interiorum venarum extrema foras

Ff

emer-

emergant, & externarum ora intro subeant) sæpe in pleuritidem veram permutatur.

*Quæ pars
afficiatur
in pleuriti-
de.*

Quæ autem pars in pleuritide afficiatur, an sola scilicet pleura, an verò etiam pulmo, & Antiqui & Recentiores dubitarunt, diciturque de eo infra, *questione 2.* Ut rem hic brevibus complectamur, statuimus, non quidem in omni pleuritide necessario pulmonem affici; semper tamen ferè hoc accidere, ubi superior pleuræ pars afficitur. Est enim pleuræ cum membrana pulmonis communio, & præcipuè versus colum; & circa exortum asperæ arteriæ per fibras multas cum pleura pulmo coheret. Imò, ut supra, *cap. 10.* dictum, scribit Nicolaus Massa, *in suo introduct. anat. cap. 29.* se ferè semper invenisse adhærentiam pulmonis cum pleura, & non sine difficultate partes superiores pulmonis à pleura separari. Itaque facillè fieri potest, ut, si sanguis in pleuram præter naturam influat, etiam simul in pulmonem effundatur. Atque tùm sanguis & sputum, quod tussu rejicitur, non tam à pleura, quam à pulmone simul affecto provenit. Si verò inferiores pleuræ partes afficiantur, non necessarium est, pulmones simul affici; cum ibi nullà pleuræ & pulmonum sit communio.

Causa.

*Causa
proxima.*

Est autem inflammationis pleuræ, ut omnium aliarum inflammationum, causa proxima sanguis, sive sincerus & purus sit, sive humores

alios admistos habeat, qui è vasis thoracis loca hæc nutrientibus, ex furculis scilicet & ramis venæ cavæ ascendentes, per ramum subalarem venasq; mammarias, quibus nutriuntur costæ quatuor superiores, vel ex *ἀθύγ* ramis, quibus reliquæ octo costæ inferiores nutriuntur, eò effunditur. Refert tamen Vesalius, *lib. 3. c. 7. de fabrica corp. humani,* se in quibusdam corporibus talem constitutionem venæ *ἀθύγ* reperisse, ut omnes thoracis costæ ab ejus ramis nutrimentum accipere poterint. Sed & pleuritidem non nunquam à sanguine ex arteriis, (quibus membranam hanc destitui non rectè sentit Mercatus) quæ venas hæc comitantur, in membranas effuso excitari posse, à vero alienum non videtur. Frequentius tamen humores calidi, tenues, biliosi & acres sanguini permisti pleuritidem pariunt, aut aliorum humorum sunt vehiculum; cum vasa, quæ membranam hanc pertingunt, sint parva, ipsaque membrana densa. A sola verò bile, pituita vel melancholia, pleuritis non generatur.

Est enim pleuritis inflammatio, cujus causa proxima est sanguis, & proinde sine sanguine reliqui humores pleuritidem non excitant, etsi sanguini pleuritidem parienti admisceri possunt, ut ita sanguis inflammationem producens modò purus sit, modò bilem, vel pituitam, vel melancholiam admistam habeat. Quanquam verò Galenus, *6. aph. 33.* scribit, pleuritidem aliam cum fla-

*Bilis, pituita
ita vel melancholia
sola pleuriti-
dinem non
generat.*

vis &

vis & ruffis sputis esse, eamq; ex biliofis humoribus ortum habere; aliam cum spumeis, eamque ex pituitosis provenire; aliam cum nigris, eamq; ex melancholia; aliam cum cruentis, eamq; ex sanguine: tamen id saltem accipiendum est de humore vitioso sanguini permixto, cujus signa ex sputo deprehenduntur. Postquam enim, ubi pleuritis coqui incipit, non sanguis crudus, sed alteratus & in substantiam albam redactus rejicitur: si sanguis is laudabilis sit, copiaq; potius quam qualitate peccet, in principio quidem sputum tenue rubrum rejicitur, paulò post verò album. Si verò alius humor admixtus sit, quem natura, ut mox dicetur, præcipuè expellere nititur, non planè album, sed flavum, vel alterius coloris, pro humoris peccantis ratione.

Causas remotas quod attinet, alia materiam suppeditant, alia eam movent, & ut ad pectus fluant, faciunt. Antecedens causa materiam suppeditans est cacoehymia vel plethora seu in toto, seu in parte aliqua. Et quidem frequenter pleuritis generatur, cum vitiosis humoribus in venis febres continuas accendunt, quorum pars ad thoracem effusa pleuritidem facit. Natura enim animalis saluti intenta non solum perfectam coctionem humores vitiosos è corpore expellit, & perfectas crises instituit, sed quandoque etiam vel copia vel pravitate humorum stimulata, initio tales humores aggreditur.

Et quidem rectissime agit, dum

tales humores planè ejicit atque ex-terminat. Si tamen quacunque de causa id præstare nequeat, à conatu suo non statim desistit, sed ut vasa communia & cordi vicina, regionem quasi corporis sedem & vias publicas, ab humoribus vitiosis repurget, ad minores venas, & partes privatas ac remotiores eos depellit: quæ si sint ignobiliores, ut glandula sub cute & ipsa cutis, ea suum finem assequitur, & id in ægri commodum cedit. Si verò quacunque de causa in partem aliquam nobiliorem, aut quæ nobilem in consensum trahere possit, materiam detrudat, sine suo frustratur, & febris inde non levior, sed gravior ac periculosior redditur. Qua de re insignis est locus apud Hippocratem, lib. 4. de morbis. *Quicquid, inquit, in morbo copia abundat, dum turbatio in principis contingit, ad locum fertur, in quo plurimum superat. In turbatione autem amplam capacitatem natum secretum volvitur, & corpus calefacit, aut in aliqua corporis parte adhaerescens una cum alio humore, qui in alio loco est, dolorem & calorem exhibet. Quod verò incalcescit, reliquum etiam corpus calefacit, ex eoque febris contingit, ferèq; ex bile, pituita & sanguine ortis, quæ calidissima existunt. Et si quid horum in aliquam corporis partem incubuerit, plerumq; inde morbus nominatur, & appellationem habet.*

Itaq; etsi Antiqui febres, quæ pleuritidem, ut & anginam, peripneumoniæ, & similes partium internarum inflammationes conjunctas habent,

Febres pleuritico- rum quales.

pro symptomaticis agnoverint, ut symptomatum more inflammationi, ut morbo primario, succrescere crediderint; adeo quidem, ut referente 4. *aphor.* 73. eos, qui propter lateris aut pulmonis, aut alterius ejusmodi partis inflammationem febricitarent, jam non febricitantes appellaverint, sed pleuriticos aut peripneumonicos, aut similibus aliis nominibus nuncupaverint: tamen si quis rem diligenter perpendat, animadvertet, non febres ab hisce inflammationibus, sed potius inflammationes istas à febris eo, quo dictum, modo suam originem habere. Experientia enim testatur, quod pleuritis & ejusmodi aliarum inflammationes non præcedant febre, sed febris inflammationem; aut certè febris simul cum inflammatione incipit, animadvertimusque, materiam inflammationis causam non in parte inflammata fixam consistere, & calorem p. n. à se diffundendo febre accendere, sed sæpe vagam & quasi turgentem hinc inde vagari: id quod ex morborum, qui febres hæc comitantur, commutationibus patet, quod ex pleuritide & peripneumonia angina fit, ex peripneumonia phrenitis, materiam ex una parte in aliam translata, ut ex 5. *aphor.* 10. & 7. *aphor.* 11. & 12. videre est. Atque hinc sæpe accidit, ut inflammationes tales aliarum febrium acutarum more per universales evacuationes & crises solvantur, & coctionis humorum signa in urina conspiciantur.

Et tales pleuritides sunt plerumque eæ, quæ aliorum epidemiorum morborum more plurimos corripunt, & cum malignitate conjunctæ sunt, & quæ à causis communibus & malignis ac contagio ortum habent. Ut enim venena alia aliis partibus infesta sunt: ita materia maligna, quæ morbos epidemios parit, nunc huic, nunc illi parti magis infesta est, & nunc pleuritidem, nunc anginam, nunc phrenitidem, nunc dysenteriam, nunc alios morbos gignit.

Ad pleuritidem autem excitandam facere possunt omnes causæ, quæ ad plethoram & cacochymiam generandam faciunt, ut suppressæ sanguinis consuetæ evacuationes, per nares, menses, hæmorrhoides, item humorum vitiosorum, qui ad articulos depelli, vel per ulcera inveterata evacuari solebant, retentio, & alvi fluxus intempestiva defectio, sicut ex dysenteria intempestive suppressa pleuritidem excitatam fuisse, sæpius observatum est. Et in summa sex rerum non naturalium usus immoderatus, qui plethoram & cacochymiam excitare valet, huc pertinet.

Ut autem seu sanguis abundans, seu vitiosi humores ad pectus fluant, & actu pleuritidem excitent, facit pectoris debilitas, ad materiam affluentem facile suscipiendam apta, vel à primo ortu, vel à morbo aliquo contracta; calor aut dolor attrahens. Huc faciunt, quæ sanguinis ad latus affluxum concitare valent, ictus, casus, contusio pectoris, velic-

vehemens exercitium, æstus humores fundens, frigus exprimens, vini meracioris ingurgitatio, potus frigidus, præcipuè post exercitia, flatus aquilonii post austrinos, 3. aphor. 5. corporis post sudorem in aëre frigido denudatio.

Differentia.

Pleuritidis differentia à nonnullis plures recensentur, præcipuè, & quæ ad curationem aliquid faciunt, sunt, quæ sumuntur à loco affecto & causis. A loco affecto & doloris situ, ex 2. de rat. victus in acut. t. 10. & 11. dividitur pleuritis in ascendentem, cum dolor ad superiora & jugulum versus extenditur, & descendentem, cum versus hypochondria vergit. Nonnunquam etiam versus dorsum magis tendit, cujus mentionem facit Hippocrates, lib. 3. de morb. nunc magis versus anteriora.

Ratione causæ secundum sanguinis inflammationem parientis varietatem est differentia. Sanguis enim modò purus est, modò ei bilis, quod plerumque accidit; modò pituita; modò melancholia admisceatur.

Est tamen & illa differentia notatu digna, quod pleuritis alia dicitur sicca, in qua nihil, vel parum omnino & nullius momenti exspuitur, non solum in morbi principio, sed etiam in ejus progressu; quod vel ob humoris cruditatem, vel ejusdem crassitiam & visciditatem, vel facultatis imbecillitatem, vel doloris vehementiam, vel propter bronchio-

rum obstructionem accidere potest: alia verò humida, in qua sputum mox circa principium apparere incipit, 1. de victus ratione in acut. 21. & 23.

Signa diagnostica.

Signa pathognomonica, quæ in omni pleuritide animadvertuntur, ipsiusq; ideam complectuntur, & à Galeno, 5. de loc. affect. cap. 3. 1. aph. 12. & de consir. art. med. cap. 15. recensentur, sunt 1. dolor lateris acutus, qualis in membranis fieri solet, à sanguine in eam effuso ortus, qui & ad vicinas partes, nunc versus jugulum, nunc versus hypochondria extenditur, quod membrana hæc totam thoracis cavitatem investiat. Atque doloris ratione peripneumonia à pleuritide discernitur, & in peripneumonia sola lateris dolor est exiguus vel nullus. Quod tamen solum verum esse putat Plateus, cum pulmonis interna magis, quàm externa inflammantur. Si enim ad externa usque extendatur inflammatio, non solum fibris, quibus succingenti membranae annectuntur pulmones, contractis, sed & inflammatione succingenti membranae communicata, dolores in latere excitari existimat.

2. Febris continua acuta, ex phlegmone in loco cordi vicino accensa, sæpe verò ex natura sua talis & ante phlegmonem orta, quæ tamen accedente pleuritide & inflammatione rursus ab ea incrementum sumit atque augetur. Atque febris hæc

Signa.

Differen-
tia.

plerumque tertianæ typum obseruat, quod frequentissime pleuritides à sanguine bilioso ortum habeant.

3. Respiratio difficilis, frequens, parva, quia ob inflammationem & dolorem, instrumenta respirandi satis distendi nequeunt. Itaque cum usui magnitudine satisfieri non possit, defectum in magnitudine per celeritatem & frequentiam natura compensare studet. Et ob dolorem natura cogitur, ut ad secundam respirationem statim pergat, cum primâ, utpote nimis parva, usui satisfactum non sit. Nam velocitas non ita dolorem parit, sicut dilatationis magnitudo; cum hæc motûs vehementia partem dolentem distendat, illa brevi tempore motum efficiens ad quietem festinet.

4. Pulsus est durus, parvus & frequens, ob tensionem arteriæ, & quia membrana dura & densa inflammata non permittit arterias ita distendi, quemadmodum calor & usus id requirit. Ideoq; pulsus sit celerior & frequentior, atque ea pulsus differentia oritur, quæ à Medicis Serrina nominatur, ed quod, dum pulsus tangitur, serræ dentes representat, cum alia pars attolli, alia non attolli videatur.

5. Tussis ægro valde molesta est, quæ accedit tum ob tumorem, membranam, quæ costas succingit, occupantem, qui cum minus liberum spatium, in quod distendantur, spirandi organa permittat, natura ad expellendum id, quod impedimento est, insurgit; tum quia portio ali-

qua materiæ pulmoni communicatur, quæ cum sputo per tussim excernitur. Et quia initio à loco inflammato parum exit, plerumque initio tussis sicca est, postea humida, materiâ copiosiore penetrante; sputumque coloratum & cruentum apparet. Quando autem pulmones simul inflammantur, magna materiæ pars è pulmone provenit. Quod autem sputum à pleura in asperam arteriam proveniat, & hinc per tussim excernatur, de eo dicitur infra, *quest. 3.*

Atque qui hæc signa pathognomonica diligenter in conspectu habet, facile veram pleuritidem ab aliis affectibus omnibus, qui cum ea similitudinem habere videntur, discernet. Neque enim in ullo alio morbo omnia hæc simul reperiuntur. In notha quidem pleuritide, quæ fit ab inflammatione musculorum intercostalium & externæ partis thoracis, febris vel nulla adest, vel non adeo acuta; tussis, nisi forsitan aliquid à capite destillet, est nulla, & nihil, præsertim cruenti, excernitur. Pulsus non percipitur adeoensus & durus: dolor est mitior, isq; pulsans, non pungens, & neque ad jugulum neque ad inferiora extenditur, locusque manu pressus dolet; nonnunquam & dolor foris apparet, qui suppuratus per cutem erumpit, teste Galeno, *5. de loc. affect. c. 3.* Quandoque tamen accedit, ut in vera pleuritide phlegmone versus exteriores musculos ob magnitudinem tendat, ac dolor etiam extrâ per-

Vera & notha pleuritis differentia.

percipiatur, atque ita pleuritis
nothæ speciem præ se ferat; cum ta-
men internæ inflammationis saltem
incrementum sit. Itaque ad alia si-
gna, ne fallamur, simul respicien-
dum.

Si dolor à flatibus inter muscu-
los intercostales & membranam
conclusis ortum habet, etsi aliquis
sensus punctiois adsit; nulla tamen
adest febris, nulla tussis, nulla ferè re-
spirandi difficultas; dolorq; ferè est
vagus, neque perpetuus, sed per in-
tervalla recurrens, & sæpe de una
parte in aliam transit.

Inflammatio verò pulmonis seu
peripneumonia valde similis est
pleuritidi; nullus tamen, si solus pul-
mo inflammetur, dolor in eo perci-
pitur, vel exiguus, & nullo modo
pungens, isque non in lateribus sed
in medio potius thoracis; pulsus et-
iam non est durus, sed laxus & un-
dosus; difficultas spirandi major, ut
ægrî sæpe rectâ cervice spirare co-
gantur.

Ab inflammatione diaphragma-
tis differt, quòd dolor in latere non
urget, sed extrema costarum ad fi-
nem sterni dolent, ventrisque pars,
ubi diaphragma est turget, delirium-
que adest.

In mediastini inflammatione do-
lor non ita in lateribus percipitur,
neque est extensus.

Inflammatio epatis, quæ etiam
habet quandam cum pleuritide si-
militudinem, ita ut Sículus Medicus,
ut refert Galeñus, *s. de loc. affect.*
cap. 7. dum eam experiretur, pleuri-

ticum se factum existimaret, à pleu-
ritide differt loco doloris, qui perpe-
tuò est in dextro latere, & circa dex-
trum hypochondrium collectus, ne-
que is pungens est, sed gravans, tu-
morq; infra costas nothas percipi-
tur; pulsus est undosus, non tensus,
tussis est minor & sicca, respirandi
difficultas quoque minor; urina est
citrina, nigra, alvi excrementa san-
guinolenta.

Quis autem humor pleuritidem
pariat, tum ex signis humorum uni-
versalibus, tum ex iis, quæ pleuriti-
dem comitantur, & præcipuè sputo
cognoscitur, cum quo tussi rejicitur
pars ejus humoris, qui inflammatio-
nem excitat. Si videlicet sanguis
purus pleuritidem pariat, adest re-
pletio & tensio venarum, maximè
circa tempora & frontem, cum sen-
su gravitatis circa oculorum cavitates,
& capitis anteriora, rubor faciei,
sputum est rubrum & malum mi-
tius. Si bilis adsit, sputum est sub-
flavum, dolor admodum pungens,
febris est acuta & ardens, quæ ferè
typum tertianæ servat, sitis est vehe-
mentior, pulsus durior & velo-
cior, vigiliæ & anxietudo major,
oris amaritudo, urina citrina tenuior.
Si pituita admiscetur, spu-
tum albicat, viscidum & glutinosum
est, febris est mitior & minus
acuta, quæ ferè typum quotidianæ
observat & circa vesperam exacer-
batur. Si melancholicus, sputum
ad nigrum & lividum tendit, nisi in-
signis corruptionis & pleuritis le-
thalis sit indicium, quod accidit si

*Signa hu-
morum
pleuriti-
dem pari-
entium.*

præ-

*Pleuriti-
dis & peri-
pneumo-
niæ diffe-
rentia.*

*Inflamma-
tionis dia-
phragma-
tis & pleu-
ritidis dif-
ferentia.*

*Epatis in-
flamma-
tionis à
pleuritide
differetia.*

præcessit sputum rubicundum, & postea nigrum sequitur.

Si malignus sit humor, sputum plerumque est malè coloratum, ad est magna virium dejectio, pulsus est languidus, & alia februm malignarum symptomata apparent.

Tempora pleuritidis.

Tempora morbi hujus ex sputo præcipue cognoscuntur, ut docet Galenus, lib. 1. de cris. cap. 18. Si enim sputum sit nullum, vel paucum, vel crudum, & cum difficultate rejicitur, morbus adhuc in principio est. Postea ubi sputum copiosius non nihil & post tenue crassius exspuitur, idq; facilius incrementum est. Quod si sputum jam coctum, id est, album, leve, æquale, consistentiæ mediocris, & quod facile rejicitur, apparet, idque copiosius exspuitur, status est. Declinatio tandem, ubi post copiosius sputum paucius rejicitur, & febris, dolor, & omnia symptomata remittunt. Cum verò febris, quæ pleuritidi conjuncta est, non raro sit primaria, non symptomatica, coctionem humorum etiam ex urinis animadvertere licebit.

Differentia ratione subjecti.

Rondeletius etiam, capite altero de pleuritiside, signa, quæ ratione pleuritis ratione subjecti differat, proponit, quæ Lectori perpendenda relinquimus. Pleuritis, inquit, duplex est, altera, quæ extenditur per partem anteriorem omnium costarum. Altera verò, quæ costam undiquaque investit, tanquam periostium costarum, & in utraq; membrana sit inflammatio. Distinguitur autem species ex decubitu. Nam si æger in partem affectam de-

cumbere potest, & non in oppositam argumento est, affectum esse in membrana extensa, quæ hyposcota dicitur. & hoc fit, quia, cum in oppositam partem decumbit æger, pondere materia collectæ illa membrana distenditur magis, & divellitur à costis. Illa autem, quæ fit in periostio, contrario modo se habet. Nam in oppositam partem dormire possunt, in affectam verò minime. Sed quia hæc nota communis est pleuritidi veræ & non veræ, ob id aliam notam adungere oportet ad distinctionem harum. Nam si affectus sit in musculis externis, si digito premantur, dolorem sentiunt. Quod non accidit his, qui inflammationem in periostio habent, nisi supra modum comprimatur costa. Fit etiam pleuritis in musculis intercostalibus, quæ species pulsatione deprehenditur. In multæ enim inflammatione costarum arteria comprimitur, præterquam in inflammatione musculorum intercostalium. Hac nota certissima deprehenditur, & in utrunq; latus dormire possunt. Conveniunt omnes in dolore punitorio, in pulsu duro, in difficultate anhelandi; febre verò & sputo distinguuntur. Nam omnes inflammationes interna febre habent, sed dolor lateris sine febre, à materia frigida vel flatulenta excitari solet. Nulla tussis, nulla exspitio sequitur, quia materia in parte externa continetur. Omnibus aliis difficultas respirandi est major, & dolor magis pungens, spuitio magis sanguinolenta, vel flava vel spuriosa. In inflammatione membrana interna semper adest pauca, aut multa in morbi processu.

Nam

Nam in salubribus tantum mox apparet sputum. Verum in inflammatione musculorum intercostalium minor sit resudatio, ob id. expulio minor. In ea parte, quæ est in pericostio, ferè nulla apparet; & resolvitur per insensibilem transpirationem & sudorem, modo misfo sanguinis probibuerit incrementum. Nam talis inflammatio à pauca materia fit.

Prognostica.

Prognostica. 1. Eventus pleuritidis triplex est: vel enim ad salutem, vel ad mortem terminatur, vel in alium morbum commutatur. Ut autem, quis eventus futurus sit, sciamus, vires naturæ & morbi componere convenit. Vires corporis, ex actionibus corporis vitalibus, naturalibus & animalibus cognoscuntur. Quò enim ipsæ actiones rectius sese habent, eò majus naturæ robur significatur. Morbi conditiones autem etsi plurima signa ostendant; tamen inter ea in pleuritide signa coctionis & cruditatis sputi primas obtinent.

2. Hinc crudæ pleuritides morbi diuturnitatem vel mortem; coctæ brevitatem & salutem ostendunt. Salutem quidem ostendit coctio, quatenus coctio; brevitatem verò, quatenus hoc vel illo tempore apparet. Nimirum in omni pleuritide salubri sputum maturè coctionem recipere, & in calore ac substantia sese bene habere, ac facillè & promptè excerni debet: & quò meliora coctionis signa adsunt, & quò citius sputa apparent, eò citius morbus ter-

minabitur. De quo Hippocrates, 1. aphor. 12. In pleuritide si sputum statim appareat in initio intra tertium diem, brevem morbum indicat; si vero posterius, longum.

3. Periculosissima verò pleuritis est, in qua nihil expulitur: (nisi tamen ita levis sit, ut insensibiliter vel per sudorem discuti possit) secundum locum obtinet, atque ita levior est, in qua ichores tenues saltem expulsiuntur: tertio loco est, in qua crassiora apparent: quarto, in qua sputum perfectè coctum apparet. Quod si circa tertium vel quartum diem contingat, morbus ultra septimum non extendetur.

4. De sputi conditione passim extant aphorismi apud Hippocratem. Flavam bilem sputo admodum permixtam apparere intra initia, bonum est; si multò post apparet, malum: quia naturam nihil adversus morbum rebellem tentare significatur, 2. prognost. t. 44. & 45.

5. Sputum flavum sincerum a quo sita multæ permixtum periculosum est; album verò glutinosum ac rotundum inutile, 2. progn. aphor. 46. Et, 1. de nat. vitus in acut. 1. 37. sputum glutinosum *κακοῦθός* pleuritidis signum habetur; cum ex igneo calore materiam adurentem lentor & visciditas contrahatur: idq; propterea alibi *κατὰ γλισχραίνιδρον αἰσινπείας* nominat, id est, admodum glutinosum sine coctione. Quod enim coquitur, modicè glutinosum evadit. Hoc verò saltem ab adustione lentorem contrahit.

6. Malum quoque est *χλωρόν*, id est, æruginosum, vel admodum viride, & quod spumosum excernitur, 2. *prognost.* 47.

7. Sputum nigrum sincerum pessimum est, 2. *prognost.* 48. Indicat enim & humoris pravitatem, & caloris nativi extinctionem.

8. Nimirum quò humor mitior est, à quo pleuritis provenit, eò & ipsa mitior est. Mitior est, quæ à sanguine cum bile mixto excitatur. Contumax & diuturna est, quæ à pituitoso humore. Pessima, quæ ab humore melancholico & maligno provenit.

9. In pleuritide, ubi exsereatio dolorem; tussim æspirandi difficultatem non sedat, malum. Copia enim vel malignitas materiae, vel expultricis debilitas significatur.

10. Qui pleuritide laborant, nisi intra 14. dies supernè persputum repurgentur, iis in empyema fit transmutatio, 5. *aph.* 8. Aretæus tamen hic interdum vigesimum diem terminum constituit: & Galenus, in *comment.* non solum empyema, sed quàmlibet in pus mutationem intelligit.

11. Materiam autem ad suppurationem tendere dignoscitur ex eo, quod sputum parcius ejicitur, nec expectorandi finis est intra decimum quartum. Et cum fit suppuratio, omnia symptomata ingravescunt, dolor, febris, linguæ siccitas, difficultas respirandi; sæpe etiam accedunt deliria.

12. Qui verò ex pleuritide empyici fiunt, si in 40. diebus repurgentur à die, quo ruptio facta est,

liberantur: alioquin in tabem transcunt, 5. *aphor.* 15.

13. Pleuritis maximà ex parte die decimoquarto terminatur, aut si non hoc, saltem vigesimo, & quidem si quarto die exspuat æger album, læve; æquale, idque ter vel quater tussiendo, in septimo terminabitur. Si in septimo tale sputum primum appareat concurrentibus aliis bonis signis, morbus ultra undecimum & decimum quartum diem non extenditur.

14. Si tardius æger spuerè cœperit, tardior etiam morbi solutio erit. Contrà quò citius signa mala apparent & ingravescunt, eò citius æger moritur.

15. Præterea sunt & alia signa, quæ ad eventum hujus morbi significandum faciunt. Maximum indicium exitialis pleuritidis est, si pulsus moperè durus sit, & præterea etiam parvus, atque ob calorem frequentissimus. Pleuriticus enim cum tali pulsus nullus sanatus fuit, ut Galenus, 4. *de presag. ex pulsu cap.* 5. scribit.

16. Quicumque dolor circa thoracem & pulmonis sedem affligens neque sputi expurgatione, neque alvi dejectione, neque sanguinis missione, neque medicamentis, neque victus ratione desinit, cum in empyema converti sciendum est, 2. *prognost.* 52. si tamen nulla signa lethalia apparent, aliàs mors expectanda.

17. Ad salutem enim terminatur pleuritis vel materiae *ἐκκρίσις* atque

excre-
natio.

Pleuriti-
dis salutis
ris termi-
natio.

excretionem per sputum; quæ ratio frequentissima est & tutissima; vel *Αεφοχός* atque discussione. Compertumque est, pleuritidem biliosam septimo die iudicatam fuisse per ischerum, vel evacuationem materiæ per hæmorrhagiam narium, urinam, alvum, sudorem; vel permutationem in empyema; vel, quod rarissimum est, per *μετάστροφον* materiæ ad articulos & glandulas, vel parotidas. *aph. 38. s. 2. lib. 5. Coacar.*

18. Hinc fluxus sanguinis è naris signum bonum est in pleuritide, ut & hæmorrhoidum & mensium fluxus. Et præcipuè si fluxus sanguinis in die critico fiat, & post signa coctionis accadat, bonum prælagit, nec inhibendus, nisi vires ad extremum deiceret. Si verò in principio contingat ex multitudine materiæ à natura gubernatæ, & anhelitus difficilis inde minuatur, & febris vehementia cesset, utilis quoque est. Si contrarium verò eveniat, & symptomata non allevientur, contingit plerunque ægrum mori in quarto.

19. Diarrhæam quidem, quando supervenit pleuritidi vel peripneumoniæ, malam esse, *6 aphor. 16.* scribit Hippocrates: sed hoc intelligendum de pleuritide, in quâ inflammatio tanta est, ut epate & ventriculo in consensum tracto, nutrimentum nõ bene concoquatur. Si verò pleuritis non adeo gravis sit, nec epas, nec ventriculus in consensum trahatur ob mali gravitatem, aliquando bonum signum est, materiã per alvum evacuata; maximè si coctionis signa

adsint, nec fluxus ab alia causa existat: cujus rei historia habetur apud Valleriolam, *lib. 1. observ. 4.*

20. Pleuritidi si peripneumonia superveniat, malum *7. aphor. 11.* Fit enim translatio materiæ ad membrum nobile. Pulmonis tamen inflammationes, quæ ex morbo laterali permutationem accipiunt, iis, quæ ab initio fiunt, securiores esse, in *Coacis comm. 1. lib. 5. sect. 2. aph. 44.* apud Hollerium, scribitur. Quod cur fiat, parum constare scribit Hollerius. Desiderius Jacotius verò locum hunc corruptum, & pro *σπορδύων* legendum esse *πνευμονίων* putat. Forfan verò hoc loco Hippocrates nõ instituit collationem pleuritidis cum peripneumonia, sed peripneumoniæ, quæ per se incipit, cum ea, quæ pleuritidi succedit. Etsi enim bonum non sit, pulmonem inflammari sanguine à latere ad eum delato: tamen adhuc periculosius est, si *εξ ἀξίως* & per se peripneumonia incipiat. Tum enim toto impetu materia ad solos pulmones ruit. Si verò materia prius ad pectus feratur, in plures partes diffunditur, nec tanta inflammatio inde excitatur. Quando verò transit pleuritis in peripneumoniã, dolor lateris, cessat.

21. Si pleuriticus dolor ex sputis biliosis absque ratione evanuerit, ægri in delirium incidunt, *3. prorrhetic. 1. 5.* Humor enim biliosus sursum in caput trahitur, & tum urina tenuis atque alba redditur.

22. Quando pleuritis accedit prægnantibus, periculosum est, sicut &

senibus, cum in his ob vitium imbecillitatem & caloris naturalis inopiam materia non concoquatur, utriq; verò phlebotomiam & victum tenuem, quæ in pleuritide maximè necessaria sunt, non facile ferant.

23. Pleuritis post alium morbum diuturnumq; plerumque lethalis est. Periculosa illa, quæ in corpus cachecticum incidit.

24. Densa & exercitationi dedita corpora citius ex morbo laterali & pulmonis inflammatione intereunt, quam quæ sine exercitatione degunt *In Coactis.*

25. Quibus in morbo laterali plurimus ex sputo strepitus in pectore sonat, & vultus demissus est, oculisque aurigine suffusus & c. ligine obductus, in his mors expectanda.

Ibidem.

26. Quibus in morbo laterali lingua circa initia biliosa est, hi intra septimum judicantur: quibus verò tertio aut quarto die, circa nonum.

27. Et ut signa reliqua etiam, quæ pleuritidi, cum aliis morbis communia sunt, conjugamus, & quid de eventu pleuritidis sperandum sit, in summam quasi contrahamus, ægrum convalesciturum hæc significant: Leviter & moderatè morbum perferre, corpus esse æqualiter calidum ac molle: urinas & alvi dejectiones, somnumq; rectè sese habere, sitim esse moderatam, facile respirare, dolorem esse sedatum, sputum facile ac maturè excerni, idq; in substantia & colore sese bene habere.

Signa pleuritis.

28. Contrà mortem significant, graviter ac cum anxietate morbum perferre, corpus inæqualiter affici, ut si thorax & venter uratur, extrema frigeant, alvi dejectiones, sudores non bene sese habere, non dormire, siti ardere, dolorem non sedari, nihil aut paucum & cum maximo conatu excerni. Delirium si cecidat, cum septo affecto hoc contingere solet, mortale est signum. Si urina tenuis & subtilis fuerit, nec habens aliam malitiam, indicat materiam raptam esse ad locum inflammatum, & plerumque mortem notat. Propria tamen signa majoris momenti sunt, & plus ad mortem significanda n unum signum proprium, quàm ad salutem plurima communia faciunt.

Signa mortis.

Indicationes.

Cum pleuritis sit inflammatio, quæ ex affluxu sanguinis fit, ea, quas inflammatio suppeditat, indicationes & hic dantur. Humores videlicet affluxuri & affluentes revellendi; fluentes interceptiendi, repellendi, derivandi; quod denique affluxit, & in parte inflammata hæret, discutendum, aut quoquo modo è parte tollendum. Repellentibus tamen hæc & interceptiendis locus non datur; cum per ea materia ad interiora repelli & inflammatio augeti possit. Ideoq; in pleuritide materia saltem affluxura & affluens revellenda: & quæ quidem influxit, in venis tamen partis adhuc fluctuat, nondumque impacta est, derivanda, & quod influxit

fluxit discutendum, aut si id fieri non potest, maturandum, concoquendum, & curandum, ut quamprimum tussi ac sputo rejiciatur atque evacuetur.

Deinde dolor, si magnus sit, & ad sanguinis missionem non leniatur, mitigantia indicat.

Tertio cum febris, quæ pleuritidi conjungitur, sæpe sit primaria, ea non negligenda, sed ei necessaria remedia adhibenda. Tandem quod in omni morbo fieri debet, virium habenda est ratio, & conveniens victus præscribendus. Quæ omnia quomodo expedienda sint, jam dicendum.

Curatio.

Atque à quo auxiliorum genere curatio inchoanda sit, an à fomentis discutientibus, an à purgatione, an à venæsectione, inter Auctores non convenit. Hippocrates quidem, 2. de rat. victus in acut. r. i. scribit: *Latereis dolorem, sive is per exordia fuerit, sive postea abortus sit, tentare medicamentis calidis dissolvere, non absurdum est.* Aliis tamen hoc tutum non videtur; cum ejusmodi calefacientibus auxiliis facile major humorum affluxus concitari, atque ita inflammatio augeri possit. Verum enim verò non loquitur Hippocrates eò loci de pleuritide, seu inflammatione pleuræ in specie, sed in genere de lateris dolore, qui ab aliis etiam causis, & quæ fomentis discutiti possunt, non solum ab inflammatione pleuræ ortum habere potest,

ut infra, part. 3. cap. 6. dicitur: Ideoq; in vera pleuritide vix venæsectio, si vires eam ferant, differenda, & fomenta præmittenda sunt. Nisi forsitan planè; ut Galenus, 6. epid. comm. 3. text. ult. scribit, pleuritis exigua & levis sit, neque à magno humorum affluxu oriatur, & fomenta ad humorem discutendum sufficere videantur. Tum enim levia fomenta adhibere convenit, præsertim si à causa externa, ut aère frigido petus lædente, dolor excitetur, absq; sanguinis in reliquo corpore abundantia.

Nam fomenta duo commoda habent, & per ea materiæ pars evacuat, parsq; affecta propterea minus distenta minus dolet. Ita Galenus, loco modò allegato, cuidam pleuritide laboranti venam non aperuit. Atque his fomentis si dolor mitigetur, signum est, nullam adesse plethoram, aut pleuritidem potius notam esse, quæ à flatibus ortum habuerit. Itaque audaciùs tunc fomentis uti licebit, quibus hoc, quod inflammationem aut dolorem parit, discutitur. In fomentis tamen illis adhibendis cavendum, ne nimis calida & discutientia sint; sed planè lenia adhibenda. Unde etiam Hippocrates aquam calidam & milium applicat. Et applicamus ista, ut & lac, commodissimè in vesica, quæ pondere latus non gravat, ut vasa ænea. Videndum etiam, ne, quæ calida admoventur, refrigescant: unde linteis calidis fovenda. Si vero dolor augeatur atque acerbior

Venæsectio

Fomenta.

Fomentorum duplex commodum.

Curatio.

vadat, indicio est, plethoram subesse, quam ad se trahant partes calfactæ, aut omnino, si signa adsint certi sanguinis affluxus, tunc statim à fomentis desistendum, vel etiam fomenta planè omittenda, & aliqua evacuatio instituenda.

Utra præmittenda sit in pleuritide, venæsectio, an purgatio?

Utra autem præmittenda sit, venæsectio aut purgatio, etiam ab Autoribus in controversiam trahitur. Quæ præcipuè orta est ex loco Hippocratis, 2. de nat. victus in acut. t. 10. & 11. ubi ita scribit: *Si dolor ad claviculam pertigerit, aut molestia sit vel brachio, vel mamma, vel partibus septo transverso superioribus gravitas, internam cubiti venam secare expedit. Si verò eas, quæ sub septo transverso sunt, partes dolor infestat, nullumq; ad claviculam signum fecerit, ventrem vel nigro veratro vel peplio mollire oportet.* Præterea, ut alibi etiam dictum, pleuritis & talium inflammationum causa principalis est plerumq; cacochymia, quam natura in principio febrium talium è corpore depellit, aut certò ad exteriora protrudere conatur.

Verùm Galeno, in comment. cui & Paulus Ægineta, lib. 3. cap. 33. Rhases, & alii Medici assentiuntur, tutius videtur in utroque casu sanguinem primò mittere. Est enim pleuritis inflammatio cum febre acuta, in quâ secundum Hippocratem, 1. aph. 24. rarò purgandum, & quidem in initio & cum ingenti præmeditatione; cum sine omni periculo sanguinem mittere liceat. Et sit, ut in pleuritide etiam purgatione opus sit; ve-

næsectio tamen præmittenda, ut Hippocrates, 4. de nat. victus in acutis t. 21. & Galenus, 6. epidem. comm. 1. text. 6. docet. Venæsectione verò peractâ tutius medicamentum purgans exhiberi potest, si cacochymia magna sit, & illa præsertim in prima corporis regione contineatur, aut eò vergat; quod ex vomitu, alvi excrementis liquidis, anxietate, & circa ventriculum gravitate cognoscitur. Et Hippocrates, loco allegato, non loqui videtur de pleuritide propriè dicta, sed, ut modo dictum, de dolore lateris in genere, qui non solum ab inflammatione pleuræ, sed & ab aliis causis ortum habet; quod etiam Rondeletius, lib. 2. cap. 15. animadvertit. Etenim dolor, qui sub septo transverso est, non est in pleura, & intelligit proculdubio Hippocrates alium dolorem, qui provenit ab affectu aliquo in ventre inferiore ejus partis, quæ cum intestinis consensum habet. Qua de causa etiam purgantia exhibet. Et Hippocratem de flatulento aliquo affectu potius loqui, quàm de vera pleuritide, patet ex eo, quòd daucum, seseli, cuminum & anisum veratro nigro & peplio addit.

Tutissimum ergo & maximè necessarium pleuritis auxilium est venæsectio, quæ etiam summum ægro commodum affert: modò sanguis per venas affluat. Maximas enim, ut etiam Heurnius existimat, pleuritis etiam nasci sanguine ex arteria aorta affluente verò consentaneum est. Et tum non satis juvat venæ

*Venæsectio
tutissimū
pleuritis
auxilium.*

venæfectio. Virium tamen habenda est ratio, & an illæ venæfectiōnem ferant, videndum. Et cū quædam sint, quæ vires robustas vel debiles indicant, quæri hîc solet, an pueris & senibus pleuritide laborantibus vena aperienda sit? Item an gravidis pleuritide corruptis venam aperire liceat? & an mulieri, si sub ipsum mensium fluxum pleuritide corripatur, sanguis mittendus sit.

Et primò pueros quod attinet, et si Averrois referat, quod Avenzoar, maximi apud Arabes nominis Medicus, filio suo trimo venam aperuerit, aliq; idem sexto anno & octavo fecisse legantur; tamen non facile id tentandum, & vix ante annum 14. vena aperienda; cū vires eâ ætate debiles sint, & ob mollitiem ac raritatem aliâ insignem dissolutionem corpus patiatur. De qua re etiam in Institut. lib. 5. part. 2. sect. 2. cap. 17. & de febribus, lib. 2. cap. 5. dictum. Si tamen morbus valde urgeat, & puer sit pleno corporis habitu, ac sanguine redundet, corpusq; non sit nimium molle, circa annum ætatis nonum vel decimum hirudines venis apponere licet. Ægyptiis hodie crurum scarificationem in talibus etiam in pueris in usu esse, in Institut. lib. 5. part. 1. sect. 2. cap. 7. ex Prospero Alpino dictum. Senibus autem, si adhuc validi sint; sanguinei carnosique, venam aperire nihil impedit; cū vires non annorum numero, sed robore ac corporis habitu æstimandæ sint.

1. An verò gravidis & sub ipsum

mensium fluxum foeminis pleuritide correptis venam aperire fas sit, de eo in Institut. loco priùs alleg. dictum.

Quæ autem vena & quo in latere aperienda sit, non ita planum est; ob plurimas & gravissimas hac de re motas controversias. Non enim solum antiqui (puta Græci & Arabes) non planè inter se consentire videntur, sed superiore etiam seculo hac de quæstione variè disputatum, atque, ut Thaddæus Dunus, lib. 2. de art. revell. cap. 4. hac de re scribit, acerrimè in hac controversia altercatum; ac doctiores quique Medici, Itali, Galli, Hispani, (adde & Germani) plurimum sunt commoti, ita ut ad magistratum ea res delata fuerit, quo Principis autoritatè & gladio tumultuosa ista disputationes sedarentur. Quæ de re infra pluribus, quest. 4. dicitur; hîc saltem veriorè, quam putamus, sententiam proponemus.

In pleuritide, ut in aliis inflammationibus; revulsionem, quæ sanguinem affluxurum, aut etiam, qui jam affluit, à parte inflammata, quantum fieri potest, longissimè avertat, atque ita incrementum inflammationis prohibeat, necessariam esse, tentandamq; eam mox esse in principio; dum fluxio humorum adhuc durat, & inflammationis incrementum metuitur, extra controversiam est. Materiam autem, quæ ad vicinæ inflammationis loca jam influit, aut etiam in partem inflammatam jam influxit, nondum tamen in ea impacta est, derivationem requirere,

Quæ vena
& quo in
latere aperienda.

Ante annum 14.
vena vix
aperienda.

rere, etiam extra dubium est, sicut & illud, revulsionem ad contraria, derivationem ad vicina, & utramque *καὶ ἕν* seu secundum rectitudinem fieri debere. Hoc autem jam in controversia est, an revulsio, vena in latere affecto aperta, fieri, & an una & eadem venâ aperta simul revulsio & derivatio fieri possit; & an rectitudo saltem secundum latitudinem consideranda sit. Nihil horum concedimus, statuimusq; præsentè plenitudine venâ in eodem latere aperta sanguinem potius ad partem affectam attrahi, quàm ab eo revelli, & quòd revulsio, ubi utroque auxilio opus est, tempore præcedere debeat derivationem, neque utraque eadem venâ aperta peragi possit, asserimus. Et si hoc non negamus, quòd plethora etiam in eodem latere venâ aperta demi, atque ita morbus aliquando præcaveri possit. Veruntamen commodius est, si in latere opposito vena aperiatur, quâ & sanguis minuitur, & à loco affecto revellitur. Statuimus hinc, τὸ καὶ ἕν non solum secundum longitudinem corporis, sed etiam secundum latitudinem considerari posse.

Primum quod attinet, cum focus & fons quasi, è quo sanguis affluit ad partem affectam in pleuritide, non sint venæ brachii in latere affecto, sed truncus venæ cavæ, à quo utriusque brachii venæ originem habent, & plus sanguinis sit inter latus oppositum & locum affectum, quàm inter locum affectum & brachium lo-


co affecto vicinum, si in principio, præsentè adhuc plenitudine, vena in eodem & parti affectæ vicino brachio aperiatur, facillè fieri potest ut sanguis, qui post venæ sectionem ratione vacui ad brachium, in quo vena aperta est, fluere debet, ad partem inflammata, utpote debilem, dolentem & calentem, præter naturam ruat & trahatur, atque ita inflammatio augeatur. Præcipuè si fluat sanguis per ramum subclavium, aut mammarium, aut thoracicum. Tum enim venâ in eodem latere sectâ non conciliatur motus contrarius, sed augetur influxus.

Sit enim a. ramus subclavius, b. vena mammaria, c. thoracica, d. cephalica, e. basilica, f. truncus venæ cavæ. Secetur ejusdem lateris cephalica vel basilica, manifestum est, motum contrarium hoc modo non conciliari. Ex fonte enim, seu trunco venæ cavæ, dum vena d. vel e. aperitur, simul fluit versus a. b. c. Neque etiam, si per intercostalem venam sanguis influat, tutò in eodem latere vena aperitur; cum, ut Hippocrâtes, *de ossibus*, docet, danda sit opera, ut quàm maxime procul à locis, in quibus dolores fieri & sanguis colligi solet, sectiones faciamus.

Contrâ verò si in opposito brachio vena aperiatur, sanguis, qui ad affecti lateris venas, & per eas in partem affectam fluxurus erat, in contrarium trahitur, & sine ullo periculo,

Lector

[Lector benevole, cum Liber II. Pract. typis primò imprimere-
tur, accidit, ut septimanis aliquot peregrè abessem. Amanuensi ergo commisi,
ut schema hoc venarum ex opere Vesalii Basilea, annò 1555. edito insereret. Is
verò cum incidisset in schema Venarum, quod pag. 450. extat, non animadvertit,
vitiosum in eo schemate vena axillaris exortum exhiberi; sed illad ipsum
Practica mea inseri curavit; cum potius alterum, quo prius corrigitur, pag. 505.
extans inserere debuisset. De qua re Te monere, & schema correctum hic ex-
hibere volui.]



Et licet è venis ejusdem lateris,
utpote quæ parte affectâ in pleuriti-
de superiores sunt, sanguis fluat; ta-
men venæ illæ revera fons non sunt,
è quibus sanguis fluit; cum is ex in-
ternis & majoribus venæ cavæ ramis
ad hos & per has ad partem affectam
mittatur. Et quamvis eadem vicini-
tas est utriusque brachii cum vena
cava, tamen, ut dictum, si venæ in
latere affecto aperiantur, facile fieri

L. II.

posset, ut cum majore impetu ad so-
cum vicinum affectum fluat. Et
confirmat ipsa experientia, quod re-
ctè fiat, si in opposito brachio vena
aperiatur. Per tot enim annorum
secula quibus Arabes, & post hos
Barbati, ut ob stylum nominantur,
Medici in pleuritide in initio morbi
in oppositâ parte venam aperierunt,
nihil incommodi ex eo Medici illi
non imperiti perceperunt, nihilque

Hh

damni

damni ægris ex venæsectione hoc modo administrata inferri animadverterunt. Imò Matthæus Curtius, ut postea, *in quest. 4.* dicitur, cum ipse pleuritide corripere, & à Medicis, quos in consilium vocaverat, rogaretur, an secundum suum dogma in brachio lateris affecti, an verò in opposito secundum Arabum doctrinam venam sibi aperiri vellet: in opposito latere venam sibi fecari maluit, proculdubio non ignarus, quod aliis etiam eadem sine incommodo imò cum utilitate aperta esset.

Una vena aperta revulsioni & derivatio- ni inservire non potest.

Neque ex unâ venâ apertâ simul revulsio & derivatio fieri potest. Cum enim revulsio fiat ad remota & contraria, derivatio ad vicina; una & eadem pars remota ac vicina esse non potest, atque eodem tempore utramque fieri non posse, clarè docet Galenus, *de cur. rat. per sanguinis missionem, c. 19.* Ut summarius dicam, inquit, incipientes inflammationes revulsione curare oportet, quæ verò jam inveteratæ sunt, ex ipsis, si fieri potest, affectis partibus. Quod si fieri nequeat, saltem ex vicinis. Ideoque cum Hippocrates & Galenus in eodem latere venam aperire præcipiunt, id non revulsio, sed derivatio gratiâ fecerunt. Quod vel ex eo apparet, quod eo usque sanguinis missionem continuari voluerint, donec color mutaretur, qui sanguinis è parte affecta jam affluentis signum est; revulsio verò è parte affecta non evacuat.

Tò καὶ ἔϊν &c

Tò καὶ ἔϊν verò & restitutum quod attinet, quamvis in oppo-

sito latere vena aperiatur, nihilominus secundum Hippocratis & Galeni præceptum fit καὶ ἔϊν καὶ ἐὺθυεῖαν. Neque enim τὸ καὶ ἔϊν observatur solum secundum longitudinem corporis, sed & secundum latitudinem, id quod clarè docet Galenus, *in comment. 3. ad lib. Hippocr. de fractur. t. 10.* καὶ ἔϊν, inquit, semper pro ex directo ponit, aliquando per longitudinem corporis, aliquando per latitudinem. Et idem Galenus, 2. ad Glaucon, cap. 2. uno crure laborante ex altero sanguinem mittere jubet. Non enim requiritur, ut vena, quæ revulsio gratiâ aperitur, communionem cum parte affecta habeat, id quod in derivatione est necessarium; sed cum parte mittente communicare debet. Nam cum derivatio è parte affecta, aut certè vicinis evacuare debeat, necesse est, ut per venas, quæ cum parte affecta communionem habent, fiat, & quidem vicinas. Cum verò revulsio finis sit, sanguinem ad partem affluxurum aut jam affluentem ab ea ad contrarium avertere, necessarium est, ut per eas venas fiat, quæ cum parte mittente communionem habent, à parte verò recipiente seu affecta remotæ sunt. Quod in pleuritide optime fit in latere opposito. Cum enim è trunco venæ cavæ sanguis ad latus affectum affundatur, vena in brachio opposito aperta habet cum venæ cavæ trunco, utpote à quo oritur, communionem; remotior verò est à loco affecto, quam vena ejusdem lateris.

*restitu-
do
quid?*

Quæ

Quæ cum ita sese habeant & medicinae fundamentis consentanea sint, si Medicus mox in principio ad agrum vocetur, & plenitudo corporis insignis adsit, & vehemens ad partem affectam affluxus, viresque venæsectionem ferant, in opposito brachio vena aperienda est, longinquioris revulsionis gratiâ; & ne corpore adhuc pleno & durante humorum affluxu, secta in eodem latere vena affluens humorum copia ad latus inflammatum moveatur. Postea verò in eodem latere derivationis gratiâ vena aperiiri potest. Et imprimis id fieri debet in iis regionibus & hominibus, qui largam & repetitam sanguinis missionem faciliè ferunt.

Neque refert, quod, ubi vena in opposito brachio aperitur, evidens auxilium non statim inde percipiatur. Etenim nemo primo die vel moritur, vel sanatur, & satis est, si postea commodum ex ista venæsectione percipiatur, quod satis magnam est, dum à loco inflammato sanguis, qui inflammationem aucturus erat, avertitur, & ex derivatione plus postea commodi percipitur, si revulsio præmissa sit.

Si verò, quod sæpe fieri solet, Medicus non statim in primo morbi principio vocetur, & sanguinis, qui morbi vehementia, febrili calore & inedia minui solet, non adeò magna sit abundantia, nec magnus etiam amplius affluxus; aut si pleuritis sit mitior, sanguinisque nec copia magna, nec magnus affluxus, & vires

etiam iteratam sanguinis missionem laturæ non sint, statim in loci affecti latere venam aperire licet. Nam si initio pleuritis, in qua magnus humorum affluxus non est, solum fomentis curari potest, cur non etiam in tali miti pleuride, aut in qua non est amplius magnus humorum affluxus, solum ejusdem lateris venam aperiire sufficiat?

Cæterum & hoc in controversia est; utrum mulieribus mensium aut hæmorrhoidum suppressionem patientibus & pleuride correptis vena: in brachio an verò in poplite aut pede aperienda sit. Arabes quidem nonnulli etiam aliàs à vena in pede secta fecerunt initium, & sentiunt nonnulli, morbos à menstruorum in fœminis & hæmorrhoidum in viris & fœminis suppressione originem trahentes venarum in crure sectione tantum sanandos esse; id quod in morbis diuturnis, & quidam inducias, faciendum esse, libenter concedimus. In morbis verò acutis, qualis est pleuritis, non semper in poplite aut pede vena aperienda est, sed distinctio adhibenda. Nam si in talibus evacuationibus, quæ statis temporibus fieri solent, repente omninoque suppressis, sanguinis ad superiora motus & in latus affluxus manifestè deprehendatur, à venæ poplitis vel tali sectione curatio omnino inchoanda est. Si verò suppressio jam antiqua sit, per quam paulatim plethoræ vel cacochymia aliqua & humorum abundantia in superioribus partibus

Mulieribus mensium suppressione laborantibus quænam vena secanda in pleuride.

cumulata sit, neque etiam tempus mensium inflet, tum à venarum brachii sectione curatio inchoanda. Acutus enim morbus id requirit, nec moram fert, donec rursus vel menses vel hæmorrhoides provocentur, fieriq; potest, ut, dum in mensibus vel hæmorrhoidibus provocandis laboratur, æger vehementiâ morbi juguletur. Mensium verò & hæmorrhoidum suppressio moram fert, ejusq; postea, cum acuti morbi periculo æger liberatus est, ratio haberi, & ut sanguis suppressus provocetur, opera dari potest.

Nec hîc prætereundum, cum pleuritis non rarò febrem & morbum primarium sequatur vel comitetur, quæ sæpe malignitatem insignem conjunctam habet, id quod frequenter in pleuritide epidemia accidere solet; diligenter tum malignitatis esse habendam rationem, & an ea venæsectionem ferat, attendendum esse. Mentionem facit Gesnerus, *lib. 1. epistoliar. pag. 19.* cujusdam epidemix malignæ & contagiosæ pleuritidis, quâ multi perierunt, & in qua venæsectio in brachio nihil profuit, sectio verò ad malleolos, & in principio sudor ab antidoto aliquo plus opis tulit. Et omnino in talibus malignis primò malignitas expugnanda, & hinc reliqua, quæ opus, peragenda.

*Quando
secunda
sit vena.*

Tempus quod attinet, cum sanguis vel revulsiois vel derivationis gratia mittatur, & revulsio humori fluenti debeatur, fluxio autem fiat in principio, sanguis statim revulsio-

nis gratiâ in initio morbi quacunq; diei hora mittendus, neque venæsectio hîc diu differenda, ut postea derivatio fieri possit. Veteres, teste Galeno, *3. epidem. comm. 3.* non mittebant sanguinem post quartum diem. Verùm certus dierum numerus hîc definiti non potest, sed interdum post quartum diem sanguinem mittere non licet, quandoque & octavo licet. Nam si quarto die jam materia concoqui, & per sputum expelli cœpit, ne natura ab hoc suo opere avertatur, post quartum diem venam secare faciliè non licet. Si tamen corpus sit valde plethoricum, tutius id facere licet, ut natura oneris parte levata reliquum facilius concoquat. Si verò tale quid non observeretur, etiam post quartum diem venam secare fas est, quod & Hippocrates, *loco allegato*, fecit, qui Anaxioni venam aperuit octavo die, vel quod citius non fuerat vocatus, vel quod in pleuritide crudissima, quæ undecimo die vix coqui cœpit, morbus inducias tulit.

Quantum sanguinis mittendum *Quântum sanguinis sit mittendum.* sit, ex ejus copia & virium robore æstimandum est. Ita etiam vides docebunt, utrum confertim & unâ vice, an verò partitis vicibus sanguis mittendus sit. Hippocrates, *2. de nat. victus in acutis text. 10.* vacuationis modum statuit esse coloris in sanguine mutationem, si scilicet à crudo etiam aquoso rubicundus vel flavus fluat, aut à rubicundo vel flavo lividus vel niger ob adustionem. Indicio enim est, sanguinem ex ipsa phle-

phlegmone, vel vicinis huic venis alteratum, & transmutatum jam evacuari, qui ob calorem & adustionem ibi colorem mutavit. Verum id tantum locum habet, cum in eodem latere derivationis gratia sanguis mittitur, non vero, cum in opposito revulsionis gratia.

Neque tamen, cum in eodem latere vena aperitur, illam coloris mutationem semper expectare licet, sed prius cessandum est, cum scilicet aut vires infirmæ sunt, ægerque habitu corporis molli teneroq; est, qui facile resolvitur, aut tempus anni admodum calidum, aut inflammatio ita prava, ut de impacto ei sanguine nihil emittatur.

Antiqui etiam ad lypothymiam usque sanguinem mittebant. Verum corpora nostra talem venæsectionem, præcipue in pleuritide, non facile ferunt, cum propter dolorem, febrem, tussim viribus opus sit, quæ constare nequeunt, si initio statim sanguis tam copiose evacuetur.

Vicariæ phlebotomiæ in corporibus infirmis & materiæ copia non magna sunt cucurbitulæ cum scarificatione infernis lumbis vel partibus inferioribus appositæ.

Purgatio.

Postquam sanguinis missione impetus ejus aliquo modo conquievit, & pars aliqua humoris inflammationem patientis evacuata est, si ex missi sanguinis colore & aliis signis cacochymiam in corpore subesse, quæ malum foveat, augeatque, Me-

dicus conjiciat, ad purgationem accedendum est, imprimis si eam ad primamæppitis regionem vergere ex ventris murmure, vomitu, excrementis alvi liquidioribus, anxietate circa ventriculum cognoscatur. Atque id maturè faciendum. Autor quidem, *lib. 4. de rat. victus in acut. aphor. 76.* diem quartum simpliciter purgationi determinat. Verum rectè scribit Galenus, in *comment. talia ægrò secundum numerum dierum simpliciter injungi non posse; sed quod Hippocrates statuit, esse sequendum; ideoq; statim initio medicandum, vel postea, quando ad maturitatem perducti sunt humores; quam ob causam & prima interdum die, & secunda & quarta & interdum quinta se purgans medicamentum dedisse scribit. Ideoq; humores, qui in communibus ductibus redundant & facile ad partem affectam conflunt, initio, quo tempore aversio maximè desideratur, purgandi; postea vero ubi morbus viget, & humores à natura concoquuntur, melius est quiescere.*

Exhibenda verò talia medicamenta, qualia sunt apta ad evacuandum eum humorem, qui in corpore abundat, & in latus jam fluere cupit, vel saltem ad fluxionem paratus est, modò illa mitia sint & lenia, qualia sunt tamarindi, manna, cassia, sirupus rosar. & violar. solut. quibus & rhabarbari, mechocaccinæ, fol. senæ, agarici vel fortiorum aliquid addi potest, diaprunum, diacatholicum.

A fortioribus verò purgantibus medicamentis abstinendum, necomoti ab his humores majori impetu in partem affectam ruant.

E. gr. R. *Decocti fl. & fruct. Unc. ij.*

In quibus dissolv.

manna el. Drach. vj.

castia extr. Unc. ß.

diapruni simpl. Drach. iij.

extr. rhabarb. Scrup. j.

spir. vitriol. g. v.

Misce.

Nonnulli quocunque humore redundantante exhibent oleum amygdal. dulc. recens, per quod facile sine molestia alvus movetur. Cui quidam aliquid visci querni vel dentis apri addunt. Conradus Gesnerus, loco allegato, in pleuritide illa epidemia oleum lini propinatum fuisse, & alvum copiosè movisse scribit.

Alterantia quoque febris & humoris peccantis causâ exhibenda, humorque, si nimis calidus, acris, tenuis, aut contrâ crassius sit, aptis medicamentis alterandus & corrigendus. Quæ tamen etiam commodè cum illis, quæ humorem jam in latere hærentem respiciunt, misceri possunt, vel ex alterantibus ea eligi, quæ simul peculiari proprietate causam morbificam respiciunt. Et si conjiciamus, febrem illam, quæ pleuritidi conjungitur, esse malignam, qualis termè semper in pleuritide epidemia, utile, imò necessarium est, ut statim initio etiam medicamenta sudorifera exhibeantur, qualia aliàs febribus malignis dicata sunt; quæ tamen ita parari debent,

ut simul peculiari vi hunc morbum respiciant.

Universalibus evacuationibus hoc modo præmissis, ad ipsam continentem causam & humorem inflammationem excitantem curatio dirigenda est. Ubi duo imprimis medicamentorum genera requiruntur. Alia proprietate & vi peculiari pleuriticis utilia; alia expectorantia & expuitionem faciliorem reddentia, vel materiam insensibiliter discutientia.

Priora quod attinet, etsi inflammatio morbus notus sit, & propterea medicamenta occultâ vi agentia requirere non videatur; tamen causis, quæ eam excitant, plerumque peculiaris malignitas inest, quæ propterea etiam medicamenta occultâ qualitate agentia requirunt. Talia sunt flor. papaver. errat. seu rhæados sive per se sumpti, sive illorum succus, sive aqua, sive sirupus. Nonnulli flores istos recentes in succo betulæ, inspersis aliquot guttulis spir. sulphuris acidi per campanam facti, ad gratam conciliandam acridinem, non secus, quàm rosas aut violas macerant, atque inde ter aut quater reaffuso recentibus floribus diluto cum saccharo serapium rubicundissimi coloris conficiunt, quo postmodum prospero successu in pleuritide suo tempore utuntur. Nam non solum impetum humoris tenuis affluentis refrenat, ardoremq; & ebullitionem sanguinis compefcit; verum etiam acutæ febris præsens est auxilium. Huc referuntur

Duo medicamentorum genera in pleuritide.

Specifica.

Oleum lini in pleuritide epidemia alvum movit. Alterantia.

carduus Mariæ & præcipue semen, carduus bened. scabiosa, radix lap- pæ major. seu bardanæ, radix aristo- lochiæ, cortex avellanarum rubra- rum, oculi cancrorum, vel eorum magisterium, dens apri, castoris, lign. visci quèrni, mandibulæ lucii cum dentibus, oculi item lucii, & cruces in capite ejus inventæ, lapis carpio- num, percarum, priapus tauri, cervi, talus leporis, capreoli, sperma ceti, corallia rubra, quorum Drach. j. vel etiam plus cum aqua convenienti ex- hiberi potest; millefolii item radix contusa & cum aceto exhibita; suc- cus pimpinellæ Italicæ seu sangui- sorbæ; aqua prunorum sylvestrium, sal hyperici, quæ imprimis juvant, si post eorum usum sudor excitetur. Ideoq; Chymici & alia sudorifera exhibent, ut bezoarticum minerale, & diaphoreticum, & spiritum illum Fri compositum. Peculiariter et- iam à nonnullis commendatur jus pavonum pingue.

De horum autem viribus, & quo- modo pleuriticis profint, alii aliter disputant. Nobis probabile vide- tur, ea imprimis ratione pleuriticos juvare, quod vim humores dissipan- di & discutiendi habent, & ex iis et- iam quædam malignos humores ex- pellunt, ac cum pectore peculiarem cognationem habent. Unde plera- que ex iis lapsis & contusis ad san- guinem concretum dissolvendum exhibentur, quædam in malignis fe- bribus usurpantur. Sicut nimirum venena alia aliis partibus nocent: ita & humores vitiosi alii ad alias

partes à natura seu protruduntur, seu ruunt, & ut cancer, erysipelas, simi- lesq; tumores non in omnibus æque partibus excitantur, & humor, qui dysenteriam excitat, intestinis pecu- liariter infensus est: ita & humoris pleuritidem excitantis ea plerunque natura est, ut ad pleuram, non ad alia membra tendat. Hinc etiam, sicut dysenteria, ita & pleuritis nonnun- quam est epidemia. Medicamen- ta ergo, quæ peculiari vi pleuritidi profunt, occultam illam humoris vi- tiosi qualitatem expugnant. Qua- propter etiam commodissime dan- tur initio, ut scilicet malignum illud, quod naturam stimulat, & hujus fluxionis causa est, discutiatur.

Ut R̄. *Fl. papav. errat. M j.*

Infunde in *aq. scabiosæ,*
cardui Mariæ, an ℥. ℞.

Colentur & cum *saccharo cando*
dulcorentur.

F. Julebus.

Vel R̄. *Cardui Mariæ Scrap. ij.*

flor. papav. errat.

ocul. cancri, ana Scrap. j.

F. Pulvis, qui detur cum aqua en-
diviæ.

Vel R̄. *Unicornu.*

C. C. prop.

margaritar.

corallior. rubr.

ocul. cancri,

mandibular. lucii,

lapid. percar. ana Drach. j.

F. Pulvis,

Detur Drach. ℞. in *aq. prunor. sylve-*
strium.

Vel

Vel R̄. *Carduiben.*

cort. avellanar. rubr. ana

Scrup. ij.

ocul. cancri,

mandibul. lucii,

corallior. alb. ana Drach. j.

F. Pulvis.

Vel R̄. *Rasura dentis aprugni*

Drach. iij. β.

ligni visci querc.

rad. bardanae, ana Drach. j. β.

F. pulvis tenuissimus.

Vel R̄. *Sem. cardui Mar. Drach. j. β.*

cardui bened. Drach. β.

Cum aqua cardui Mariae Unc. iij.

cardui bened. Unc. j.

F. emulsio, cui adde

fir. violar.

papav. errat. ana. Unc. β.

Misce.

Vel R̄. *Sem. melon. Drach. ij.*

papaver. albi Drach. j.

cardui bened.

cardui Mariae, ana

Drach. j. β.

aq. scabios.

cardui ben. ana Unc. iij.

hysopi Unc. j.

F. emulsio, in qua dissolv.

mandibul. lucii ustar.

rasura dentis apr. an. Scrup. j.

crystalli præp. Scrup. β.

fir. de althaa Drach. iij.

manus Christi perlar. cum aq.

rosar. Unc. β.

Misce.

Vel R̄. *Succi sanguisorb.*

fir. papaveris errat. an. Unc. j.

aq. cardui Mar. Unc. ij. vel iij.

Misce.

Vel R̄. *Dent. apr. Scrup. j.*

flor. papav. errat. Scrup. ij.

fir. papav. errat.

capill. ♀, ana Unc. j.

Misce.

Vel R̄. *Aq. scabios. Unc. xvi.*

pimpinella.

sanguisorba, ana Unc. viij.

flor. papav. errat. succ. M. j.

sacch. penid. Unc. ij.

Ebulliant in vase duplici clauso & colentur.

Vel R̄. *Aq. charesfol.*

cardui Mariae,

papav. errat. ana Unc. ij.

ocul. lucii Scrup. β.

matris perlar. præp.

succini albi præp. ana gr. xv.

extr. enule gr. y.

fir. de hysopo Unc. β.

de succo violar. Drach. ij.

essent. papav. errat. Drach. j.

M. de quo die noctuque per quatuor vices tria cochlearia calidè propinentur.

Vel R̄. *Aq. carduiben.*

scabiosa, ana Unc. j. β.

papav. errat. Unc. ij.

ocul. cancri præp.

C.C. præp. ana Scrup. j.

fir. de succo violar.

de sjujabis, ana Unc. β.

de althaa Drach. ij.

spir. sulphur. acidi Scrup. ij.

Misce.

Quod verò medicamenta, quæ ad materiæ per sputum sensibilem evacuationem faciunt, attinet, pro humoris & temporis morbi ratione hæc nonnihil variant. Cum enim humo-

humores ad expuendum aptissimi sint, ubi mediocritatem quandam obtinent inter crassum & tenue: medicamenta ita comparata esse debent, ut eam humoribus inducant. Humores enim tenues, & qui pro tenuitate aeris tussi expulsi impetum effugiunt, ab initio in crassitudinibus ad mediocritatem reducendi, & ad exsiccationem aptiores reddendi sunt. Crassos verò attenuare, viscidos incidere, adhærentes abstergere & abluere, simulq; vias expulsionis aptas reddere, convenit.

Incrassant *rad. altheæ, flor. violar. bugloss. jujubæ, sebesten, gummi tragacanth. amyllum, papaver, sirup. violar. jujubim. de papav. diacod. diasperid. diatragac. frig. lob de phyllo, decoctum pectorale, quod ex hordeo, passul. jujub. glycyrrhiz. ac 4. sem. frig. major. conficitur. Exemp. gr.*

Rx. Sacch. penid. Unc. j. rotul. diaireos f. diatrag. frig. an. Drach. iij. passul. enucl. Unc. f. sem. matv. Drach. i. papav. Drach. f.

Cum f. q. sirup. violar. M. in formam Linctus.

Vel Rx. Sir. violar. de jujubis capillorum Veneris, conservæ violar. sacch. candi, amyli, ana Unc. f. Misce.

Vel Rx. Amygd. dulc. contusar. pinear. in aqu. hordei infus. & contusar. ana Unc. j.

L. II.

sem. melonum, cucurbita excortic. ana Drach. ij. sacch. candi Unc. f. sir. capill. f. jujubini, ana q. f. F. Lohoh.

In crassa verò materia conveniunt *hydromel, oxymel, byssopus, capillus f. scabiosa, tussilag. sirupus capill. Veneris, de glycyrrh. de farfar. de byssopo, de prassio, de scabiosa, lob de farfar. de pino, de prassio, de scilla, diatragacanth. calid. decoctum pectorale ex passul. sebesten, jujubis, dactyl. caricis, bord. glycyrrhiza, capill. f. byssopo paratum.*

Ut Rx. Sir. capill. Vener. de glycyrrhiza, an. Unc. j. de tussilag.

oxymel f. ana. Drach. vj. Misce.

Vel Rx. Loboh de penid. de farfar. an. Unc. f. spec. diaireos f. Drach. j.

Cum sirupo de glycyrrhiza, F. Lohoh.

Vel Rx. Ol. amygd. dulc. vel lini vel utriusq, oxymel. f. ana Unc. f. sacch. penid. q. f. F. Lohoh.

Bottonnus, Medicus Italus, sequenti Eclegmate feliciter usus est:

Rx. Ol. amygd. dulc. Unc. ij. oxymel scillæ. sacchari candi, ana Unc. j. succi cepar. Drach. j.

M. de quo sapius cochlear f. pro pinetur.

li

Verum

*Crassum
duplici
modo ac-
cipitur.*

Veram medicamenta, quæ ad crassos humores temperandos adhibentur, non sine omni distinctione usurpanda; cum crassum sit varium. Crassum enim aliud naturâ suâ tale est, aliud ob coctionem. Primo conveniunt incidentia & attenuantia; crasso ex coctione, quæ abluunt & abstergunt; adultis ea quæ humectant. Si materia sit cruda & contumax, & febre remittente non cedat materiæ exsecratio. validioribus utendum, ut loh de caulibus, de farfara, sano & experto, & aliis, quæ pulmonem à pituita & pure expurgare possunt. Atque medicamentis reliquis acetosi aliquid interduo addere licet, ad majorem incisionem, & ut ad tussim æger non nihil stimuletur. Aliàs becchi-cis non utendum, nisi cum facultas languida est, ut satis non expellat; eum ipsa causâ naturam satis ad ipsam tussim irriter.

Antiquis in omni vera pleuritide in magno usu erat oxymel, sed dilutius, de quo Hippocrates, *t. de rat. viſt. in acut. t. 43. & 3. de rat. viſt. in acut. t. 24 & seqq. videatur.* Dictum etiam est de eo in *Institut. lib. 5. part. 3. sect. 3. cap. 4.*

Atque ex enumeratis hæcenus plerumque parantur medicamenta, quæ plures fines respiciunt. Nimirum quæ simul vim habent febrî, cuius ferè soboles est pleuritis, ut & malignitati, si quæ adsit, resistendi, materiæ per sputum reiectionem adjuvandi, & pleuritidi peculiariter resistendi.

Ut R. *Lobob de farfar. Unc. j. omni
spec. diar. s. Unc. ʒ. du. an
ocul. cancri Scrup. ʒ. m. an
conserv. violar. Unc. ʒ.*

Cum sirupo papaver. errat.
F. Lohoh.

Vel R. *Rad. fenicul. ana Drach. iij.
russilag. ana Drach. iij.
spec. decocti peſtor. Drach. vj.*

Coq. in suffic. quantit. aquæ simpl.

Colaturæ R. ʒ. j. ʒ.

Adde sirup. acetos. s.
papav. errat.
violar. ana Unc. j.
Misc.

Vel R. *Scabios. P. j.
cardui Mariae M. ʒ.
jubar. Unc. ʒ.
rad. glycyrrh.
sem. melon.*

card. Mariae, ana Drach. ij.

Coq. in f. q. aq. hordei.

Colaturæ R. Unc. vij.

ſir. papav. errat. Unc. j.

violar. Drach. vj.

Misce.

Vel R. *Rad. glycyrrh. Drach. vj.
ſior. violar.*

papav. errat. ana P. j.

jubar.

ſebeſten, ana N. vij.

paſſul. Unc. j.

ſicum N. vj.

ſem. cardui Mariae,

melon. ana Drach. ij.

Coq. in aq. hordei.

Colaturæ R. ʒ. ij. dulcoretur

saccharo cando.

Vel R. *Fol. farfarae M. ij.*

fragor.

*frigor.**violar. ana M. j.**rad. belenit Drach. ij.**glycyrrb. Unc. j.**sem. fenicul. Drach. j.**caricar. N. iv.**passul. Unc. ij.*

Coq. in *aq. hordei* mensur. iij. ad
 tertiæ partis consumptionem. Detur
 manè & vesperi haustus.

Vel R̄. *Sem. fenigraci* Unc. j.

lini Unc. β.*jijubar. N. vij.**daçylor.**ficuum, ana N. iij.**passul. exacu. Unc. β.**rad. glycyrrb. Drach. iij.*

Coq. in *aq. hordei s. pro* Unc. viij.

Quibus add.

pulv. rad. bardana Scrup. j.*spes diacrag frig. Drach. β.**liquor. visci querc. gr. xiiij.**sal. carduiben. Scrup. j.**ser. de jujub.**de albaa, ana Unc. β.*

Misce.

Ad dolorem mitigandum, mate-
 riam evacuandam, inflammationem
 resolvendam, sudorem elicien-
 dum, ut admirabile præsidium *aq. è*
flor. chamæmeli destillata commen-
 datur, cujus Unc. iij. cum sacchar.
 Unc. β. vel Unc. j. exhibentur.

Externa.

Neque solum interna medica-
 menta post universalia illa præmissa
 necessaria sunt, sed & externa quæ-
 dam medicamenta adhibentur, quæ
 materiam insensibiliter resolvunt, si-
 mulque dolorem leniunt; ad mate-
 riæ concoctionem faciunt, pectusq;

ut ægri facilius expuere queant, di-
 latate possunt. Quorum alia sunt
 mitiora, ut spongia vel linteum ma-
 defactum in aqua dulci tepida vel
 lacte, aut vesica his repleta. item ol.
 dulce, viol. amygd. dulc. mucilago
 sem. althææ, cydon. adæps suillus,
 gallin. butyrum, omnia recentia, un-
 guentum dialthææ. Alia medio-
 cria, quæ vim aliquam discutiendi
 & aperiendi habent, ut chamæme-
 lum, anethum, hyssopus, origanum,
 melilotus, sem. lini, fenigraci, flor.
 cheiri, & olea ex his composita. Alia
 fortiora, ut sal, dictamnus Cretic. ru-
 ta, galbanum, lepidium, sinapi. Et
 quidem mitiora in corporibus mol-
 lioribus, ut pueris & fœminis, locum
 habent, & initio morbi sufficiunt, ut
 dolorem leniant, quo sedato influxus
 sistatur. Validiora viris & robustio-
 ribus admovenda; sicut & thorace à
 materia per expectorantia maximè
 ex parte expurgato ad fortiora ascen-
 dendum. Atque ex his variæ medi-
 camentorum formæ componun-
 tur: fomenta, inunctiones, catapla-
 smata, emplastra, sacculi; sed sicca
 & arida veræ pleuritidi minùs quàm
 nothæ conveniunt. Atque in ma-
 jore dolore mollioribus, ut fomentis
 & illinitionibus, utendum. Ubi ve-
 rò dolor non est adeo vehemens, ca-
 taplasmata, cerata, emplastra adhi-
 bere licet.

Admittora

Fortiora

Uti R̄. *Mucilag. sem. albaa,*

*psyllii,**cydon. an. Dra. iij.**ol. violar.**amygd. dulc. ana Unc. β.*

Ii 2

cera

cera parum.

F. Unguentum.

Vel R \bar{x} . *Ol. amygdal. dulc.*

chamam.

lilior. albor.

unguenti dialth. an. Drach iij.

pingued. gallin.

butyri recent. non saliti, ana

Drach j.ß.

cera parum.

F. Linimentum.

Vel R \bar{x} . *Unguenti dialth. Unc.ß.*

pulv. rad. ireos Drach ß.

ol. amygd. dulc.

medull. crur. vituli, an. q.ß.

F. Linimentum.

Vel R \bar{x} . *Rad. alb. ad mollitiem coctar.*

& per setaceum transmissar.

ß. ß.

farin. fabar.

sem. lini,

fenigræc. an. Unc.ß.

pulv. flor. chamam. Drach iij.

pingued. gallin.

anferin. an. Unc.ß.

vitell. ovor. duorum,

croci Scrup. j. M.

F. Cataplasma.

Vel R \bar{x} . *Rad. lilior. albor.*

alib. an. Unc. j.

malv.

violar.

flor. hyperici,

consolid. regal. an. M. j.

Coq. ad mollitiem, & per setaceum trajiciantur. Deinde adde

farin. sem. lini,

fenigræci,

pulv. flor. chamam. an. Unc. j.

ol. amygdal. dulc. vel butyri recentis sine sale q.ß.

F. Cataplasma.

Aëtius, *tetrabib. 2. ferm. 4. cap. 68.* post septimum diem, si dolor persistat, cucurbitam lateri affigere & cutim scarificare jubet, manifestissimamq; in pleuriticis utilitatem ex cucurbitulæ appositione percipi scribit. Vulnusculis verò scarificati loci salem aut nitrum inspergere, si sustinere queant; in aliis linteolum oleo madefactum ac sale conspersum imponere præcipit; sequenti deinde à scarificatione die rursus cucurbitam affigere jubet, quâ sanguis saniosus ex vulnusculis extrahatur. Paul. Ægineta, *lib. 3. cap. 33.* post decimum quartum etiam diem utitur cucurbitulis. Commendat Trallianus, *lib. 6. cap. 1.* hoc auxilium, ut quod cum admiratione dolorem, licet vehementissimum, leniat, ut neque fomentis, neque alio auxilio opus sit. Verum enim verò validum hoc est auxilium, & quod vel insignie commedum vel damnum afferere, & à paucis tolerari potest, præsertim si ad Aëtii præscriptum adhibeatur. Quapropter usurpandum cautè, & cavendum, ne vel nimii dolores vel nova fluxio concitetur, tum scilicet, cum affectus diuturnior causæ potius parti impactæ contumaciam, quam multitudinem præ se fert, & cum venæsectione & purgatione adhibitâ dolor eodem modo intensus non ad septimum solum diem, sed ad undecimum etiam & decimum quartum perseverat, & neque manifestè

festè evacuantibus neque resolventibus cedit; nulla tamen plenitudinis & cacochymia in corpore relicta suspicio reliqua est.

Vigilia.

Vigilia si urgeant, hisce subveniunt illis, quæ affectui quoque convenire possunt, ut lacte amygdal. cum emulsione sem. papav. & croco dato, vel sirupo de papavere, &c.

Tandem si materia non rejicitur, nec ullo modo à parte amoveri potest, sed phlegmone in pus mutatur, curandum, ut quamprimum maturetur, & abscessus rumpatur. Ad maturationem tale habet emplastrum Benedict. Faventinus, quod & Forestus commendat, *lib. 6. obser. 40.*

Rz. Fol. malv. cum radic.
violar. ana M. ij.
rad. alb. mund. Unc. ij.
lilior. alb. Unc. j.
enula Unc. ℥.
flor. chamem.
meliloti, an. M. j.

Bulliant omnia in s. q. aq. ad mediet. Colat. adde

farin. fenigr.
frumenti, an. P. j.
fermenti Drach. ij.
pingued. porci,
butyri, an. Unc. ℥.
ol. amygdal. dulc.
communis an. q. ℥.

ad impinguandum emplastrum, cui adde *croci Drach. ℞.*

Ruptio abscessus.

Ut verò abscessus rumpatur, æger voce intenta loquatur, de latere in latus volvatur, tussi aut cum conatu.

Rumpitur etiam abscessus, si vomitus aut sternutatio excitetur. Ad quod etiam faciunt becchica adhibita, commendanturque scabiosa, prassium, carduus bened. & aqua ac sirupi ex his compositi.

Vel *Rz. Radic. alb.*

belenii, an. Unc. j.

jujubar.

sebesten, an. N. xv.

glycyrrb.

passul. an. Unc. j. ℞.

dactylorum,

ficuum, an. N. vj.

Coq. in aq. ℞. ij. ad tertiae partis consumptionem.

Colat. adde *sacch. q. ℥.*

F. Julebus.

Vel *Rz. Fermenti tritici q. v.*

Et F. Puls cum decocto *ficuum*
 & edatur.

Vel panis bene fermentatus in aqua multa maceretur.

Extrà cataplasmati adjiciatur aliquid stercor. columbini, & galbani.

Rz. Rad. lilior. alb. contusar. Unc. iiij.
ficuum N. x.
fini columbini Unc. ij.
fermenti Unc. iiij.
axungia porci,
butyri, an. Unc. ij.

F. Cataplasma.

Quæ si non prosint, nonnulli partis apertionem suadent. Sed rarò tumor extrà vergit.

Abscessus ruptus detergendus hydromelite, decocto pectorali. Ad consolidandum utilis est conserva rosar. mediæ ætatis, thus, bolus, terra sigillata. Omnes verò intentiones

complet lac chalybeatum, nisi febris ejus usum prohibeat.

Cum verò abscessus ad interiora ruptio in pleuritide periculum faciat, & suffocatio vel phthisis ex eo imminet, suadent nonnulli, ut extrà aperiat abscessus. Neque abs re hoc fore videtur, modo locus, in quo vomica contineatur, certò & exactè cognosci possit. Neque enim eo loci, quo in empyemate & pure jam in thoracis cavitate collecto sectio fieri solet, de quo postea dicitur, sectio tum instituenda, sed ex pondere, dolore & calore diligenter locus, in quo vomica hæret, investigandus, atque is intra duas costas aperiendus leniter & paulatim, donec pus exeat, cavendumq; ne simul tunica interior perforetur. Verùm nisi planè exactè locus perspectus habeatur, sed is incertus sit, aut vires debiles eam non ferant, sectio non instituenda.

Jacobus Fontanus, *med. pract. lib. 2. cap. 3.* refert, interdum malignas & vulgares pleuritides grassari, qualem Anno 1598. vidit, quæ generabatur ex humore tenui virescente, & omnibus, qui ea corripiebantur, ferè lethalis erat. In cadaveribus dissectis sub mammis reperiebatur vomica plena virescente liquido humore. Huic pleuritidi in sectione est unicum remedium. Cum enim in humore pravo nulla sit coctionis & mitigationis spes, materia sectione ut extrahatur, necesse est.

Diuretica.

Si materia ad vias urinæ vergat, diuretica exhibeantur.

Ut R. *Radic. aperientium in vino macerentur.* an. Unc. j. glycyrrh. Unc. j.

sem. 4. frig. major. an. Unc. 8. *adianthi* M. j. *cicerum rubr.* M. 8.

Coq. in l. q. aq. pura ad dimidiæ partis consumptionem. Colatura saccharo dulcoretur.

Si ad intestina vergat, clysteres abstergentes & abluentes exhibeantur, & ne dysenteria excitetur, etiam sirupi nonnihil adstringentes propinentur.

Clysteres.

Dieta.

Cum pleuritis ex acutorum morborum numero sit, victus rationem accuratam, & qualis acutis convenit, requirit; de qua pluribus Hippocrates, 1. *de nat. vict. in acut.* ubi pleuritidem exempli loco tractat, & Galenus, *in comment.* itaque in principio ad dies 4. si ægri vires ferant, tenuissimo victu utendum. Veteres tenuem victum præscribebant ex melicrato primùm, postea ex cremore ptisanæ hordeacæ usque ad septimum vel nonum diem, ubi integram ptisanam aut ova aut carnis aliquid exhibere licebat. Et omnino accurati erant Antiqui in præscribendo pleuriticis victu; habeturque, *ibid. t. 32. & 33.* dolorem in pleuriticis augeri, si ægro ptisana detur alvo retenta & non prius aperta; imò ægrum ad mortem præcipitem agi, si dolore non remittente sputoq; retento ptisana præbeatur; non præmissâ evacuatione corporis, sive per

Dieta.

Veteres accurati in præscribendo victu pleuriticis.

venæ

Verùm distinguendum est inter pleuritidem seu inflammationem pleuræ, & dolorem lateris seu pleuræ. Neque enim, ut infra dicitur, omnis dolor lateris est ab inflammatione pleuræ, sed etiam ab aliis causis ortum habere potest. Et meminimus, in morbillis infantes quandoque acutissimos lateris dolores passos esse, antequàm morbilli erumperent, à materia maligna & acri pleuram vellicante. Dolorque hic, ut rectè Heurnius, *ibid.* ait, à materiâ mole sæpe non magnâ ortum habere potest. Ac proinde ille, quem mortuum secuit Heurnius, non fuit propriè pleuriticus, sed febre acutâ malignâ laboravit, in qua pars materiæ malignæ & febrilis ad pleuram effusa dolorem ibi excitavit, pars in caput elata delirium procreavit.

Atque talis proculdubio fuit ille dolor pectoris, cujus Quercetanus meminit, quanquam falsò pro pleuritide eum habuit, qui à vermibus & malignis vaporibus ex iis ascendentibus ortum habuit; & tales dolores scabiosis etiam sæpe accidisse animadverti. Talis est etiam, qui scorbuticis accidit, & proinde pleuritis vera non est. Si tamen talis dolor diutius duret, & affluxus humorum causa sit, pleuritis inde & quidem non notha, sed vera excitari potest.

QUÆSTIO II.

An in pleuritide sola Pleura, an verò simul Pulmo inflammetur?

De loco in pleuritide affecto & *An sola Antiqui & Recentiores dubitarunt, pleura in an scilicet in pleuritide sola Pleura, pleuritide aut musculi intercostales, an verò si inflamme- mul etiam Pulmones afficiantur? tur?*

Membranam equidem costas succingentem inflammari in pleuritide, utpote quæ à parte affecta nomen habet, dubium nullum est. Cùm enim dolor sit adedò vehemens, ut ægri quasi terebrâ latus perforari conquerantur, neque costis, quæ omni sensu destituuntur, neque earum membranæ, quæ ob nimiam tenuitatem ac venarum parvitatem atque exilitatem tantam inflammationem suscipere non potest, neque ipsis musculis, qui sensum adedò exquisitum non habent, neq; soli pulmone, qui ipse non sentit, nisi parum ratione membranæ ambientis, is competere potest, sed in membrana costas succingente eum consistere necesse est. Hoc tamen negandum non est, interdum musculos intercostales simul in consensum trahi, cùm membrana costas succingens & hi musculi adedò connexi sint, ut unum sine altero affici vix possit.

De hoc verò quæstio maxima est, an solum membrana costas succingens, an verò simul pulmones in pleuritide afficiantur. Nostro seculo Felix Platerus, vir in re medica peritissimus, semper simul pulmones inflammari, ex sectione pleuritide mortuorum se deprehendisse, scribit. Idem Joh Zecchius, *in consult. Medic. conf. 26. in appendice*, sentit, dum scribit, semper se fuisse in ea senten-

tià, quod lateris dolor magna ex parte ad pulmones pertingat, raro autem ad membranam costas succingentem; cum in pluribus corporibus post mortem dissectis agrotantium, qui communiter ac certe pleuritide periisse judicabantur, non membranam affectam fuisse, sed pulmones observavit cum sua membrana laceratos & corrosos. Deinde & experientiam & rationes pro sua statuenda sententia adducit Platerus. Sanguinem enim, quem tam cito excreant, ab unica succingente membrana inflammata, tam subito præsertim, ad pulmones provenire, ejusq; vasa ad exspuitionem permeare, nec suppuratione facta pus ex eo loco transitum sibi per pulmones, illis non læsis & exulceratis, facere, & sic ad excretionem usque pervenire minimè posse, sed potius, si inde emanaret, in thoracis cavitatem defluxuram materiam, & inde empyema facturam existimat. Et licet concedat, succingentem tunicam quandoque solam inflammari: tamen talem pleuritidem inde fieri non concedit, in qua cruenta & purulenta exspuuntur; cum succingens membrana sese eò exonerare non possit: sed si inflammatio suppuratur, extrinsecus potius, quam intrinsecus vergat, vel si intrò rumpatur, pus in cavitatem pectoris potius, quam in pulmones effundatur.

Verùm enim verò equidem negandum non est, sæpe cum pleura pulmones etiam inflammari, & vero valde consentaneum videtur, tantam

copiam sputi ac materiae, quæ à pleuriticis sæpe tussi rejicitur, pulmonibus salvis vix ejici posse. Atque id accidit, cum superior pars pleuræ afficitur. Cum enim illa cum membranâ costas succingente communionem habeat, & circa partem superiorem pulmones cum pleura connectantur, dum sanguis præter naturam in pleuram influat, facile etiam simul in pulmones illabi potest. Contrà tamen etiam negandum non videtur, solam membranam costas succingentem aliquando inflammari, & veram pleuritidem, quæ propterea à pleura nomen habet, inde generari posse; cum membrana hæc inflammationis capax sit, utpote quæ duplex est, interior & exterior, inter quas venæ arteriaq; præterlabuntur, ac sanguine præter naturam affluente ipsa adeò in tumorem nonnunquam attollitur, excrescitque, ut decuplo crassior, quam cum sana est, evadat, ut ipsemet Platerus observavit, & lib. 2. de corp. hum. structura pag. 168. annotavit. Atque id accidit, cum inferior pars pleuræ inflammatur, quæ cum pulmonibus non connectitur. Neque planè impossibile est, sanguinem & pus è membrana succingente per superiora ejici: quamvis facile concedam, id in tanta copia non exspui, ac cum pulmones simul sunt affecti. Etsi enim antiqua dubitatio sit, ut ex 1. de loc. affect. cap. 5. videre est, quomodo sanguis & pus è thoracis partibus in pulmonem ejusque asperas arterias penetrare, & tandem tussi rejici possint:

fit: tamen id fieri posse, plurima experientia ostendunt. Si enim aqua mullæ in cavitatem thoracis, in vulneribus & ulceribus eo usque penetrantibus, infundatur, tussiendo rejicitur, & æger aquæ mullæ saporem apprehendit. Conglutinatis quoque extra vulneribus, antequam intus perfectè sanantur, cruoris & saniei è vulnere in cavitatem thoracis effluentis nothæ in sputo apparent. Et empyicos pus tussii rejicere notissimum est. Quandoque tamen suppuratam inflammationem pleuræ empyema sequitur, ut ex Hippocrate, 5. aphor. 8. & 1. de morb. p. 9. in codice Foessii, videre est. De quare mox etiam, in questione tertia, dicetur.

QUESTIO III.

*Per quas Vias materia
in pleuritide ad asperam
arteriam perveniat,
& inde tussii eji-
ciatur.*

*Per quas
vias ma-
teria in
pleuritide
ad asperam
arteriam
perveniat,
& inde
tussii eji-
ciatur.*

Per quas Vias sputum in pleuriticis in asperam arteriam perveniat, & inde tussii ejiciatur, & excernatur, non ita planum est. Si pulmones simul afficiantur, res manifesta est. Si autem sola pleura afficiatur, res dubia est & obscura, de qua prolixè agit, & contra Erasistratum disputat, Galenus, 5. de loc. affect. cap. 3. qui hac de re videatur. Galenum plerique Medici sequuntur, & sta-

tuunt, per pleuram materiam transudare, aut eam pertusam, erosi, vel quovis modo rarefactam in thoracis cavitatem pervenire, atque inde, tussii thorace compresso & pulmone dilatato, in asperas arterias, quarum orificia in pulmonis ambitum tenui tunica obducta desinunt, cogi. primò quidem in minores, hinc majores, donec tandem per canaleam amplissimam tracheam è faucibus tussii ejiciantur.

Verum enim verò etsi non negandum sit, tenuius quid, quale mullæ est, quam exempli loco affert Galenus ad probandum, humores in cavitatem thoracis contentos in pulmonem penetrare, & si quid tenuius è pleura transudat, & illud à pulmone imbibit posse: tamen non credibile est, materiam tantam copiam, qualis sæpe à pleuriticis per tussim rejicitur, per pleuram transudare, (neque enim in principio vel augmento pertusa esse potest,) & quidem eam tam crassam sæpe per angustos illos meatus è thoracis cavitatem in pulmonis substantiam penetrare posse. Neque etiam credibile est, mox in principio sanguinem purum, qualis sæpe à pleuriticis tussii ejicitur, è pleura in thoracis cavitatem effundi; cum id in aliis inflammationibus fieri non videamus, neque densitas membranae id faciliè admittat. Atque hoc modo etiam omnes pleuriticis fieret empyzi. Ideoque ubi sputum magnam copiam tussii rejicitur, pulmonem simul affici, credibile est. Et præcipue veronon est consentaneum, sanguinem, qui in principio pleuriticis purus pla-

nere-

nè rejicitur, per pleuram transfudat-
se in cavitatem thoracis, & à pulmo-
nibus imbibitum fuisse, nullam ta-
men in iis alterationem accepisse.
sed vero magis consentaneum est, è
vasis, quæ asperæ arteriæ nutrimen-
tum advehunt, quæque partes illas,
quæ in parte superiore pulmones la-
teri annectunt, nutriunt, hiantibus
ob copiam sanguinis in pleuram vi-
cinam ruentis, effundi.

QUÆSTIO IV.

Quæ Vena in pleuritis principio aperienda da sit?

De Vena in pleuritis principio
aperienda magna verborum con-
tentione superiore seculo pugnatum
est, aliq; Græcos, alii Arabes secuti
sunt; alii suas peculiare opiniones
proposuerunt. Ideoq; etiam hanc
quæstionem plenius explicare, & to-
tam hujus certaminis historiam &
præcipuorum Medicorum senten-
tiam, secundum ordinem temporis,
quo vixerunt, proponere libet. Hip-
pocrates, 2. de nat. victus in acut. t. 10.
in pleuride aperire jubet cubiti ve-
nam, verum non addit, in utro bra-
chio: id verò, 4. de nat. vict. in acut.
t. 73. declarat, ubi eo in latere venam
aperire præcipit, quo æger laborat.

Archigenes, ut ex Aëtio, tetrab. 2.
serm. 4. cap. 68. videre est, ex opposito
brachio sanguinem mittit. In his,
inquit ex Archigene Aëtius, qui acu-
to verbo infestantur, siquidem circa

mammæ ac claviculam hæret dicitur,
venam incidere oportet in brachio, non
eo, quod rectè ab inflammato latere
procedit, sed opposito.

Galenus cum Hippocrate con-
sentit, scribitq; lib. de curand. nat. per
sang. miss. c. ap. 16. Pleuritis, quæ è di-
recto lateris laborantis adhibita fuit
sanguinis missio, clarissimam sepe uti-
litate attulit, quæ verò ex brachio op-
posito, aut omnino obscuram, aut post
temporis intervallum.

Galeno assentitur Oribasius, dum,
lib. 1. synopsis, cap. 10. & lib. 7. collect. c. 5.
Galenî modò allegata verba recitat.
Aëtius etiam, tetrab. 1. serm. 3. cap. 12.
in pleuritidis venam è directo lateris
affecti secare jubet.

Cælius Aurelianus ex alio latere, Cælius Au-
quod fuerit dolenti lateri contrari-
relianus.
um, sanguinem mittere jubet.

Celsus, lib. 2. cap. 30. usu se docuif-
se scribit, ex longinqua & opposita
sanguinem mittendum esse.

Si ad Arabes veniamus, Sera-
pion, qui antiquissimus inter eos ha-
betur, tractat. 2. cap. 21. secatur primò
& materia fluente basilicam oppo-
siti lateris, tum si adhuc materia
fluat, in loco contrario ei ex dor-
so ad longitudinem, id est, saphen-
nam ejusdem lateris, ut plerique in-
terpretantur: quod si malum con-
firmatum est, & non amplius mate-
ria fluit, venam in brachio ejusdem
lateris.

Rhases non idem sentire videtur.
Nam, 9. ad Almanf. cap. 57. si dolerit
usque ad claviculam perveniat, san-
gui-

Quæ vena
in pleuri-
tidis prin-
cipio aperi-
enda?
Diverse
Autorum
opiniones.

Hippocra-
tes.

Archige-
nes.

Galenus.

Oribasius.

Cælius Au-
relianus.

Celsus.

Serapion.

Rhases.

guinem ex axillari lateris dolentis mittere jubet, nisi forsan sanguis in toto abundet. Tum enim in opposito brachio venam aperire jubet. In opposito verò latere, *lib. divis. cap. 54.* venam aperire præcipit, postea tertio die ex latere dolente. *5.* autem *contin.* initio ex brachio lateris oppositi, tum ex saphena lateris affecti, tandem ex brachio lateris dolentis fanguinem detrahit.

Avenzoar. Avenzoar etiam primò venam basilicam oppositi lateris aperuit.

Haly Abbas. Haly Abbas, qui cum Isaaco idem Autor censerur, *pract. lib. 6. cap. 13.* primò lateris oppositi basilicam, at si malum processerit, ejusdem lateris venam secare præcipit. Idem facit Alzabaravius.

Avicennas Avicennas. *lib. 3. fen. 10. tr. 5. cap. 1.* præcipit primò sectionem saphenæ oppositæ secundum longitudinem, id est, ejus lateris, non, ut Capivacius interpretatur, oppositi; deinde nigram, id est, medianam oppositi brachii, aut hæc non apparente cephalicam; tandem & post aliquot dies venam brachii in latere opposito aperit.

Aven Rois. Aven Rois, *7. collect.* venam in parte opposita aperit.

Mesues. Mesues idem facit. Si tamen magna sit plethora, saphenam lateris oppositi, exempli gratia, saphenam pedis sinistri, si dextrum latus afficiatur, primùm aperit.

Cum verò postea ab Arabibus ad Gallos & Italos cum aliis artibus Medicina perveniret, & iis seculis Græ-

corum de Medicina libri penè omnes in tenebris delitescerent, aut, quos habebant, ex Græco in Arabicum versos legerent, & hinc Latinos redderent, Medicinamq; præcipuè ex Arabum libris discerent & docerent; Medici illi, qui post Arabes in Italia & Gallia de Medicina Latine seu potius Latinobarbarè scripserunt, plerique etiam Arabum opiniones secuti sunt. Atque ita post Arabum tempora ferè ad annum Christi M, D. Medici omnes, Gentilis, Arnold. de villa nova, Gordonium & ipse Gallus, & apud Monspelienfes Medicinæ Professor, Valescus de Taranta, Petrus Apponensis, cognomento Conciliator, Nicolaus Florentinus, Matthæus de Gradibus Mediolanensis, Antonius Guainerius & Gattinaria, Ticinenses Medici, Alexand. Benedictus Veronensis, Johan. Arculanus & plurimi alii omnes, initio pleuritis aut saphenam aut basilicam oppositi lateris aperuerunt. Nemo autem inter omnes repertus, qui initio morbi in affecti lateris brachio venam aperire auderet. In morbi verò progressu venam ejusdem lateris aperuerunt.

Circa tamen annum Christi 1500, de vena initio pleuritis secanda factio quædam inter hos ipsos Medicos extitit, dum Veneti initio pleuritis saphenam aperirent, Medici verò Bononienses ac Florentiui basilicam oppositi lateris. Circa illa tempora bonæ literæ renasci cœperunt, & Græcorum libri vel Græci vel

vel in Latinum melius conversi in manus Medicorum pervenerunt, unde nonnulla Arabum dogmata, quos antea unanimiter secuti fuerant Medici, à nonnullis in dubium vocata sunt. Atque inter ea etiam sententia de venæsectione in pleuritide.

Matthæus Curtius. Ita Matthæus Curtius, Ticinensis Medic. Professor, in pleuritis initio venam cubiti ejusdem lateris aperiendam statuit. Ipse tamen pleuriticus factus contrarium in se fieri voluit, maluitq; vitam sibi servari, quàm libri sui, quem de venæsectione in pleuritide scripserat, fidem.

Petrus Brisottus. Eandem opinionem secutus est Petrus Brisottus, Medicus Parisiensis. Eandem sententiam in Germania defendit Leonhardus Fuchsius, etsi non semper eodem modo. Petri Brisotti, ut Magistri sui, sententiam secutus est Martinus Acakias. Matthæo Curtio & Pet. Brisotto sese opposuit Andreas Thurinus, Pisciensis, Medicus inter eos nobilis, qui tum temporis Arabum dogmata sequebantur, epistola ad Brisottum anno 1526. & peculiari libello, *de cur. pleurit. per sanguinis missionem* scripto.

Leonhardus Jacchinus. Leonhardus Jacchinus, Emporionensis, etsi Medicinam Græcorum sectaretur, & tum temporis Græcorum scriptis addictus esset, hinc tamen Arabibus assentiri voluit, & initio morbi saphenam, hinc lateris affecti venam aperire voluit. Johan. Manardus an. 1531. Curtii adversus Thurinum patrocinium suscepit. Benedictus Faventinus, edito hac de re libro an-

Johannes Manardus. no 1534. venæsectionem in pleuritis initio in eodem latere defendit. Arabum contra sententiam & eorum qui in opposito latere venam aperire initio jubent, defendit Julius Cæsar Scaliger, in *comm. in lib. Hipp. de insomn.* anno 1539. edito. Idem fecit Victor Trincavella, qui peculiari scripto Curtium ac Brisottum refutat, edito Venetiis anno 1539.

Julius Cæsar Scaliger. Andreas Vesalius, vir rei Anatomicæ peritissimus, peculiarem hac de re opinionem defendit. Is enim, in *epistola ad Nicolaum Florenatem scriptæ*, sive dextrum sive sinistrum latus afficiatur, semper in dextro latere venam aperiendam censet; nisi costæ tres superiores sinistri lateris afficiantur. Tum enim in sinistro latere venam aperiendam censet, qui hoc modo *το κατ' ἑξῆς* Hippocratis & præterea etiam fibrarum rectitudinem observari statuit, idque ideò, quòd vena ἀξυγῆ à cava exorta prope cor per latus dextrum excurrentes & dextri & sinistri lateris octo costas inferiores nutrit, ut ita, etiam si sinistrum latus laboreat, vena in dextro brachio, ad quod magis pertinet vena ἀξυγῆ, aperta sanguis commodissimè trahi possit. Si tamen sinistri lateris costæ superiores inflammantur, cum eæ non à ramis venæ ἀξυγῆ, sed à ramis, qui à cava statim exoriuntur, nutriantur, etiam in sinistro brachio venam aperiendam esse statuit, atque ita Græcorum doctrinam sequi voluit. Hanc tamen suam sententiam non constanter defendit, dum, *lib. 3. cap. 5. & 7.*

Vesalius.

nihil interesse scribit, dextrinè an sinistri cubiti vena secetur in laterali morbo.

Fernelius. Johannes Fernelius, *lib. 2. theorie. cap. 5.* revulsionem quidem esse tractum in contrarium concedit, non tamen dextra sinistris, sinistra dextris aut alio modo opposita contraria esse statuit, sed fibrarum hic ductum præcipuè attendendum existimat, quarum recto cursu hic opus sit. Ideoque etsi, cum unum crus laborat, in altero venam commodè aperiri posse statuit, quia communis & directa sit venarum ob fibras societas: tamen idem in pleuritide non fieri posse putat, quòd hic fibrarum communio & venarum societas desit.

Job. Baptista Montanus.

Johan. Baptista Montanus obscurè satis hac de re loquitur; ut ex *commentario in sen. 4. Canonis Avicenna, edito Venetiis anno 1556. p. 247. & comm. ad aphor. 21. lib. 1. Hippocratis ibid. anno 1555. edito, patet. Dividit enim phlebotomiam diversivam universalem in simplicem & compositam. Simplicem vocat, quam solùm impetùs nobis indicat; compositam, quando simul cum impetu plethora consideratur. In diversivisione simplici considerandos esse duos terminos docet, ad quem, seu locum affectum, & terminum à quo, seu fontem, unde materia transmittitur. Terminum à quo esse nunc totum corpus, seu totum venosum genus, nunc partem aliquam corporis determinatam. Si igitur in dextram succingentem materia com-*

municetur à capite, ratione unius diametri sanguis deorsum ruens sursum trahendus esset. Verùm quia supra caput nihil, & ita altera diameter, qua scilicet inferna superioribus respondent, deest, mittendum censet sanguinem ab opposito latere; quia saltem habemus unam diametrum, quæ est inter dextrum & sinistrum. Ita si ab epate communicetur materia, venam non in brachio aperiendam censet, (ita enim traheretur ad partem affectam) sed potius saphenam aperiendam, ut sanguis ad inferiora revellatur. Si verò membrum mandans seu fons sit totus ambitus venarum, tantum de termino ad quem sollicitum esse jubet, quia fluit à singulis materia; servandumq; debitum spatium & rectitudinem, non tantum respectu viarum, sed & quia sanguis commodè potest progredi; unde tunc venam aperiendam in eodem, v. g. dextro latere. Nam hic quantò magis servamus ductum rectæ linæ, tantò commodiùs sanguis evacuatur; quia in angulis sequitur impedimentum sanguinis. Si verò diversio sit composita, i. e. cum impetu simul consideretur plenitudo, tunc semper ab opposito latere ducendus; quia si in eodem latere vena aperiretur, & quidem copiosè sanguis efflueret, & usque ad synco-pen, homo moreretur, vel fieret peripneumonia; si parum, æger suffocaretur. Unde Avicennas primò aperit saphenam ad evacuandam multitudinem, deinde in opposito brachio, ultimò eodem latere.

Marcus
Antonius
Montisiani-
nus.

Marcus Antonius Montisianus Geminianensis conclusiones de sanguinis missione in morbo laterali conscripsit, & Florentiæ anno 1556. edidit, in quibus Cartium & Thurinum ambos sibi familiares, ut & Monardum & Brissottum hinc inde perstringit. Statuit autem 1. Incipientem in regione costarum phlegmonem, quam appellamus pleuritim, revulsu primò curandam esse, nisi nos interpellet plenitudo, illa scilicet, quæ vasa respicit. 2. Revulsio- nem nihil aliud esse, quàm humorum in partem aliquam influentium ad sibi oppositam maximeq; distan- tem retractionem. 3. Opposita in corpore humano tria esse, superius scilicet & inferius, dextrum & sinis- trum, antè & retrò sive intùs & ex- trà. 4. Omnem revulsionem fieri aut à superioribus ad inferiora, aut contrà, fluètem (hoc est, ut ipse post- eà explicat, à sinistris ad dextras se- cundum modò dictas oppositiones) materiam revocando. 5. Licet lon- gitudinis, latitudinis & altitudinis extrema revulsionem respiciant, non pari tamen utilitate in hac passione revellere.

Unde Avicennam quidem non damaat, quod incipiente phlegmo- ne in opposito latere venam secuit; urgere enim rationes, quia sinistro nihil aliud opponitur, quàm dex- trum, & contrà. Pari ratione non arguendum esse Galenum & Hip- pocratem, si in eodem latere venam secuèrunt. Nam si materia supe- riora petit, ad inferna esse trahen-

dam, quod optimè fiat sectà venà in eodem brachio: maximoperè verò approbandam & præferendam hanc illi, quæ est in opposito latere; quia prior manifestum auxilium & sta- tim affert, altera non nisi post in- tervallum. Quia igitur conven- niant cum Græcis Arabes in oppo- sitorum ratione, in revulsione, & in exacta ferè lateralis morbi curatio- ne, sola in oppositione altera dissi- dentes, non insudandum esse putat, inter Galenum & Avicennam hanc litem componere, ut Thurinus vo- luisse visus est. Irricum enim esse laborem, inter illos concordiam me- ditari, qui consultò volunt esse dis- cordes.

Hollerius ex basilica ejusdem la- teris sanguinem mittendum statuit, nisi suppressa sit aliqua, quæ per par- tes inferiores fieri solet, evacuatio, vel adsit insignis plenitudo, vel ma- teria maligna, aut ea statim ad caput rapiatur. Tum enim in cruribus ve- nam aperiendam esse censet.

Rondeletius basilicam vel media- nam ejusdem lateris aperit, & inde sanguinem usque ad ejus mutatio- nem & doloris mitigationem extra- hit, aut si dolor non remittat, venæ sectionem iterat, idq; ideo facit, non quòd fibrarum seu villorum rectitu- dinem observandam putet, sed quia naturam suscitandam censet; quæ so- let facere suas excretionem secundum rectitudinem.

Thaddæus Dunus, Medicus Ti- gurinus, libris 4 de arte repellendi, de- rivandi, simpliciterq; evacuandi per ve- nase-

Hollerius.

Rondeletius.

Thaddæus
Dunus.

na se-

*na*sectionem scriptis, & epistolica cum Leonbaro Fuchso concertatione, ferè Vesalii sententiam sequitur, & in omni pleuritide, ut, *lib. 1. cap. 7.* scribit, & laborantibus costis seu dextri, seu sinistri lateris, semper internam cubiti dextri venam aperiendam censet. Cùm enim à vena sine pari tam dextri quàm sinistri lateris partes nutrimentum accipiant, exceptis tribus costis superioribus; vena verò sine pari cum dextri cubiti venis majorem consensum habeat; etiam in dextro cubito venam aperiendam putat. Venarum verò rectitudinem & consensum ideò spectandum esse docet, quod per rectas fibras, quæ in venis sunt, sanguis ab una parte in aliam celeriter & copiosè trahatur, si venarum fibræ connexionem habeant, & ea vena, quæ secatur, & quæ membrum alit, fibris conveniant. Si tamen contingat id, quod tamen vel rarò, vel nunquam fieri statuit, ut tres costæ superiores primarià affectione teneantur, sinistram axillarem secare concedit. Cùm enim à vena sine pari non nutriantur, sed ab alio ramo paulò supra illius exortum enato ex sinistro magnæ venæ latere; cum axillari sinistra fibris suis multò magis proculdubio consentire, quàm cum dextera, imò cum hac nullum prorsus habere consensum statuit.

Omneshabenus proposita sententia ad tres classes redigenda. Atque hæ sunt præcipuæ præcipuorum Medicorum de venæ sectione in pleuritidis initio sententiæ, quas postea alii Medici recentiores etiam secuti sunt, & omnino omnes

sententiæ ad tres classes redigi posse videntur.

Alii enim Græcorum opinionem sequuntur, qui κατὰ τὴν venam secandam, atque in eodem latere aperiendam censuerunt. Nonnulla tamen hic inter eos occurrit differentia, quod alii simpliciter τὸ κατὰ τὴν seu ἐνθυσπῆσαν & rectitudinem, alii etiam fibrarum rectitudinem observandam censent. Et Mercatus hic statuit, aliud esse in aliarum partium inflammatione sanguinem mittere revulsionis gratià, aliud in pleuritide & membrorum principalium inflammatione. Nam in aliarum partium affectibus ob partis naturam & securitatem fieri posse revulsionem ad partem oppositam citra vitæ periculum aut aliud damnum statuit; pleuritidem verò periculosam esse, atque illud omnino, quod in parte affecta colligitur, etsi paucum sit, tantum tamen periculi minari, ut subitum auxilium postulet. Ideoq; pleuritidis gravitatem omnino requirere, ut à parte affecta fiat sanguinis evacuatio, per quam à parte affecta & revulsio & derivatio fieri possit. Idem ferè Platerus sentit, qui in pleuritide, quia latus dolet, à brachio ejusdem lateris sanguinem detrahere, quàm ex opposito, utilius censet, non tam rectitudinis vasorum occasione, sed quod in pleuritide ob dolorem dolentis lateris venæ magis, quàm sani lateris venæ impleantur. Quo nomine si in dextro latere dolor sit, in dextro brachio venam aperire multas utilitates affer-

Prima classis.

afferre scribit, si in sinistro, propter affluxum sanguinis à dolore concitatum ab ea parte sanguinem revelere convenientius putat. Nonnulli tamen ex iis, qui in eodem latere venam aperiendam censent, aliquos casus excipiunt: ut si suppressa sit aliqua per inferiores evacuatio; si ad sit insignis plenitudo; si materia sit maligna, vel ad caput tendat.

*Secunda
classis.*

Alii Arabes sequuntur, & quidem nonnulli primò saphenam, alii verò statim venam oppositi brachii revulsionis gratià aperiendam censent, postea, ad derivationem, ejusdem lateris.

*Tertia
classis.*

Alii tandem Vesalium secuti sunt, & semper in dextro latere in pleuritide venam secandam censent; cum, si fibrarum rectitudo spectetur, longè major sit inter dextram axillarem, regionemq; costarum quamcunque consensus, quam inter eundem locum affectum & sinistram axillarem. Cùm enim vena sine pari à dextro cavæ latere enascatur, & axillaris dextræ similiter, hujus & illius fibræ quàmplures, quæ secundum longitudinem corporis ipsarum sunt porrectæ, invicem consentiunt, rectoque tramite mutuò se respiciunt.

*Decisio
contro-
versia.*

Verùm si ista omnia diligenter perpendamus, & fundamenta suprà proposita, ubi de venæsectione egimus, diligenter attendamus, non ita difficulter ex hac obscura & tot annorum sæculis agitata controversia nos expedire poterimus. Primò rationes omnes eorum, qui statim

venam in brachio lateris affecti secare jubent, sive id fiat ob fibrarum communionem, sive saltem ob *ev-
thoejav* & rectitudinem, quam natura in suis evacuationibus observare solet, sive ob dolorem, qui valde urget, eò tendunt, ut monstrant, commodiùs per venam è directo lateris affecti apertam è loco affecto materiàm evacuari, quàm ex opposito brachio. Verùm cum venæsectionio in pleuritide revulsionis gratià instituitur; in revulsione autem non requiratur è parte affecta evacuatio, sed derivationis hoc sit: revulsio saltem prohibet, ne pars affecta amplius sanguine repleatur, & id agit, ut sanguinem eò, unde fluit, retrahat, eiq; contrarium ei, qui est ad partem affectam, motum versus fontem, à quo fluit, conciliet. Atque ideo commodissimè in latere opposito in principio venam aperiri censemus, utpote quæ contrarium motum sanguini conciliat, & eum à parte affecta avertit; quod vena è directo lateris affecti aperta præstare non potest. Et id rectè fieri, primò experientia confirmat, cum per aliquot annorum secula, quibus Arabum secta floruit, vena semper in opposito brachio aperta est; & si aliquid incommodi ex eo accidisset, id Medicos illos alijs diligentes non latuisset. Ipse etiam Julius Cæsar Scalliger hac de re suas observationes annotavit, ut ex ejus *comment. in libr. Hippocrat. de somniis* videre est. *Finem, inquit, in quem intendimus, hunc esse par est, prohibere sanguinis copiam,*

ne ad malè affectum concurrat locum. Ergò ab opposita parte sanguis detrahendus. Nam si dolor in latere sinistro, aperta indidem vena plus trahit à dextro in sinistram, quàm dextra incisa in sinistram. Plus enim humoris est inter circumferentiam dextram, & doloris locum, quàm inter eundem locum & circumferentiam sinistram. Unum habent, quòd profugiant: non prodesse, quoniam nulla sit, ut appellant, colligantia. At nos dicimus non nunc agere, ut quod si xit, detrahimus; neque enim magni momenti est. Neque quisquam prima statim die mortuus est, sed post multam affluxionem, quam tollit vena contraria remota: vena autem ejusdem lateris non solum non tollit, sed etiam trahit ad locum malè affectum. Itaque toto post factò fluxu, ex eadem parte nos quoque detrahimus. Ac de ratione quidem hæc, de experientia quid dicamus, facile in promptu est. Jam duodeviginti annos non nisi unum vidimus, ex eadem parte incisa vena evasisse. Et sanè corpus erat athleticum, ut etiam magis miraremur. Verùm scimus, multos etiam sine phlebotomia sanos factos. At plus octoginta redegimus in commentarium quinto ab hinc anno, qui omnes eo curandi genere sint extincti: cum plus quingenti his duodecim annis evasisent, quibus in averso cubito vena aperta fuerat. Hæc Scaliger. Et ipse Galenus, lib. de cur. nat. per sanguin. mission. cap. 16. nullam in pleuriticis ex vena in latere opposito secta detrimentum, sed utilitatem

provenire statuit, etsi obscuram & post temporis intervallum.

Deinde rationes satis firmæ idem suadent. Nam licet etiam venæsectio simpliciter evacuationis gratiâ institui possit: tamen ea quacunque etiam venâ apertâ fieri potest. Neque de vena evacuationis gratiâ aperienda hîc tantum quæstio est, sed de vena ad revellendum & derivandum aptâ. Nam præter evacuationis scopum duabus de causis prætermissionis ea, ut etiam in aliis inflammationibus, sanguis in pleuritide mittitur, in pleurirevulsionis scilicet & derivationis gratiâ. Illa debetur sanguini ad locum affectum affluenti vel affluxuro; hæc sanguini, qui in venis parti affectæ vicinis continetur. Utraque autem hæc evacuatio, revulsio scilicet & derivatio, ita institui debet, ut partium consensus observetur, ut venâ unius partis sectâ altera, & quæcum illa consensum habet, evacuetur, & consequenter humor vel revellatur vel derivetur.

Aliter verò omnino se habet hic consensus in revulsione, aliter in derivatione. In revulsione enim cum id agatur, ut sanguis, qui ad partem affluit, vel affluxurus est, ad fluxionis initium & fontem revocetur, vena, quæ revulsionis gratiâ aperitur, cum fonte, unde fluxionis initium, aut si vena eò loci aperiri non possit, cum venis initio fluxionis vicinis consensum habere debet, ita ut venâ hæc apertâ sanguis, qui ad partem affectam fluere cœpit, jam amplius eò fluere

fluere desinat, & in contrarium trahatur. In derivatione verò ea vena aperiri debet, quæ cum parte affecta consensum habet, & ab ea vel locis vicinis evacuare possit. Igitur quò propius fonti & initio fluxionis vena aperitur, eò rectius & propriè magis revelli dicitur; quò verò magis à fonte fluxionis recedimus, & vena affectæ parti propinquior aperitur, eò minus propriè revellere dicitur.

Notandum tamen hîc quod non nullos turbavit & eò adduxit, ut statuerent, non semper ad originem fluxionis esse revellendum. per originem fluxionis non intelligendam esse causam fluxionis procatarticam, puta calorem & dolorem, qui sæpe est in parte affectâ, sed fontem & locum, à quo sanguis ad partem affectam fluit. Ad eum enim sanguis, quantum fieri potest, retrahendus. Interim non incommodum est, ut causa illa fluxionem irritans & sanguinem attrahens in parte affectâ mitigetur vel tollatur. Locus verò, in quo instituitur venæsectio revulsionis causâ, nonquam vicinus esse potest, sed remotus sit, necesse est. Docet hoc clarè Galenus, 4. *meth. med. cap. 6. Si, inquit, perpetuum est, quod ab eo didicimus, incipientem fluxionem ad contraria trahendam esse, fixam verò jam in laborante particulâ vacuandam esse, vel ab ipsâ particulâ, quæ affligitur, vel à maximè vicinâ, in promptu nobis de sanguinis detractioe colligere est, quod in principio hæc à longinquo*

postea ab ipsis laborantibus partibus sit instituenda. Quod & alibi passim docuit.

Itaque cum in pleuritide fons & principium fluxionis non sint pedes, vel caput, vel brachia, vel venosum genus, seu venæ cavæ rami majores, naturaq; hoc observare soleat, ut partes principes, quantum fieri potest, tueatur, & publicam corporis regionem à pravis humoribus liberare, eosq; propterea ad extremas partes protrudere soleat; at verò in principio pleuritidis non derivare, sed revellere animus sit: facilè hinc apparet, non venam loco affecto vicinam eligendam esse; cum facilè fieri possit, ut in loco vicino venâ apertâ sanguis majore cum impetu ad partem dolentem & calentem ruat: sed quæ à loco affecto remota sit, & cum parte mittente consensum habeat, sanguinisq; ad partem affectam ruentis imperum sistere, eumq; ad contrarium revocare possit; quod fit commodissimè venâ in brachio opposito apertâ. Neque enim datur ulla vena, quæ à parte affecta remotior sit, cum parte ramen mittente, seu epate & venâ cavâ, majorem consensum habeat. Neque est, ut quis cum Matth. Curtio, Manardo & aliis ad imaginariam quandam oppositionem confugiat, quæ etiam in brachio ejusdem lateris fieri possit, quâdo scribunt, dum inciditur vena ejusdem partis, primùm adesse oppositionem intus ad extrâ, quatenus sanguis extra emittitur; deinde oppositionem à dextra ad sinistram,

pro vario brachii situ; rursus oppositionem in longitudine, quatenus humor sursum trahitur, qui deorsum vergebat. Non enim sufficit hæc imaginaria oppositio, sed talis requiritur, quæ ad fontem, unde fluit sanguis, quantum fieri potest, eum retrahat. Hoc optimè præstat vena in latere opposito aperta, etsi id videre non potuerit Argenterius. Hæc enim vena ex axillari sanguinem primò evocat, hinc ex vena cava, atque ita sanguis non amplius tam copiosè confluit. Arabes quidem nonnulli, ut supra dictum, ut planè ad remota revellerent, venam in pede primò aperuerunt; sed locus iste ab epate nimis remotus est, neque facilè motus sanguinis, qui per venæsectionem in pede concitatur, usq; ad sanguinem ad latus affectum fluentem pertingere potest, quod venâ in brachio apertâ optimè fieri potest. Etsi verò mensibus & hæmorrhoidibus suppressis plethora vel cacochymia cumulata sit, tamen si suppressio antiqua sit, non sperandum, unicâ ista venæ saphenæ sectione eos revocari posse. Interim morbus acutus non fert moram, sed subitum auxilium requirit. Atque in hac sanguinis missione, quæ fit in brachio opposito, non opus est coloris mutationem expectare. Neque enim eum evacuare animus est, qui jam in parte affectâ mutationem accepit, sed eum, qui ad locum affectum affluit.

Vesalii o. pinio exa. Vesalii tandem opinionem, quia peculiaris est, ut seorsum perpenda-

mus, si revulsionis gratia in dextro brachio, sinistro latere affecto, instituitur, commodum id sanè est. Verùm si dextrum latus laboret, in eo revulsionis gratiâ vena aperiri nõ potest; cum facilè hac occasione major ad partem affectam affluxus fieri possit. Si verò, quod sentire videtur, derivationis aut evacuationis gratiâ ex parte affecta venæsectionem instituit, via illa nimis longa esset, si è latere, præcipuè sinistro, sanguis in venam sine pari reflueret, atque in cavam venam & dextrum brachium retrahi deberet. Imò sunt, qui nullo modo ex vena sine pari ad venam cavam sanguinem reflueret posse statuunt. Scribitq; Hollerius, *lib. 1. de morb. intern. cap. 26. in schol.* venam sine pari sanguinem, quem à vena cava accepit, non amplius ad eam remittere posse; valvulas enim habere, sicut vesicam & cor; idque eo probat, quòd, si quis venam cavam in parte superiore secet, & fistulâ immittat, in inferiorem partem sufflet, tota ipsa vena cava in parte inferiori simul cum vena sine pari infletur: ut si venam sine pari in parte inferiore secemus, immittatq; fistula ore ventum sursum impellamus, vena cava non infletur, quod aër in vena sine pari contentus exire non potest. Unde concludit, si aër à vena sine pari ad cavam non penetrat, multò minus sanguis reflueret poterit. Eadem penè omnia proponit Amatus Lusitanus, *cent. 1. curat. 52. in schol.*

Verùm istam de valvulis venæ sine pa-

ne pari doctrinam Gabriel Fallopius, in *observ. anatom.* irridet, & Thaddæus Dunus risu & sibilis potius explodendam, quàm refutandam censet; cùm nemo peritissimorum etiam Anatomicorum eas invenire potuerit. Et quod experimentum illud de inflatione venæ cavæ attinet, id ita refutat Thaddæus Dunus. Venam cavam, inquit, prius secuit, ut ex ea ἀστυον inflaret; postea ἀστυον quoque secuit, ut inflaret cavam. Mirum autem non est, cavam non potuisse intumescere, siquidem dissecta erat. Neque enim spiritus non penetravit ad eam, sed non continebatur eâ reclusâ. Vinculum igitur injiciendum erat venæ cavæ.

Atq; hæc de valvulis venæ ἀστυs controversia postea ab Anatomicis variè agitata est, nec tum tamen satis discussa, dum alii dari ajunt, alii negant, etsi in eas diligentissimè inquisiverint. Et qui eas dari affirmant, inter quos Riolanus, in *sua Anibropographia*, non tamen eodem modo, quo Hollerius & Amatus Lusitanus, dari statuunt, sed ita firas esse, non ut recurrenti sanguini obsisterent, sed potius, ut impetum affluentis sanguinis sustinerent. Neque ulla valvula est in venis, quæ totam cavitatem occludit, sed ferè saltem dimidiam partem occupant, ubicunque sunt, eoq; sine factæ sunt, ut sanguinis fluxum & motum moderarentur.

Sint ergo valvulæ, vel non sint in vena sine pari, & si sint, tales, ut sanguinis recursum impedire non possint: tamen non ideo vena dextri

brachii semper aperienda est, derivationis & evacuationis ex parte affectâ gratiâ. Via enim hæc nimis longa esset, & datur brevior, si vena lateris affecti aperiatur, ut jam dicitur.

Etsi ergo initio pleuritis vena in brachio lateris oppositi commodissimè revulsionis gratiâ aperiatur: tamen cum postea etiam derivatio è loco vicino requiratur, post revulsionem in latere opposito factam, vena etiam in latere eodem aperienda est; quod etiam faciendum, si tardius Medicus ad ægrum vocetur, morbusq; jam progressus sit, & tempus revellendi, sanguine jam in loco inflammationis maximâ ex parte recepto, præterierit.

Etsi verò, quod præcipuè Vesalium movit, saltem superiores tres costarum ramis è vena axillari enatis nutrian- tur, reliquæ costæ inferiores ramis venæ ἀστυs: tamen vena in brachio lateris affecti apertâ sanguis è latere inflammato, ubicunque etiam inflammatio cõsistat, satis com- modè evacuari potest. Et de costis quidem superioribus tribus nullum dubium est. Annotavit tamen Gabriel Fallopius, & alii etiam Anatomici diligentiores, consensum axillaris cum vena sine pari, docentque, ab axillari prodire venam, cujus tres vel ad summum quatuor rami aliquando jungantur cum tribus aut quatuor propaginibus venæ sine pari, videlicet inter tertiam & quartam, quartam & quintam, quintam & sextam, & inter sextam & septimâ.

Imò interdum eam in sinistro latere truncus invenitur. Et Columbus annotavit peculiarem ramum, qui à dextro trunco, dum reflecti incipit, exit, ascendensq; ramos mittit superioribus intervallis supremarum costarum alendis dicatos, neque solum in dextris, sed & in sinistris.

*Montani
sententia
examina-
tar.*

Montani sententiam quod attinet, rectè ille quidem monet, ad fontem respiciendum esse, ut & ad sanguinis copiam, ne si sanguis sit valde copiosus in latere affecto venam secemus, metu majoris affluxus ad partem affectam. At in eo fallitur, quod ubi venosum genus (quod ut plurimum, si non semper, accidit) fons est, ex eodem brachio detrahit. Nam & in opposito latere servatur recta linea respectu venæ cavæ. Est enim eadem latitudo. Si verò rectitudinem respectu partis affectæ intelligit, confundit derivationem, seu evacuationem potius & revulsionem.

*Marci Anton.
Montisiani opi-
nio examina-
natur.*

Marcus Antonius Montisianus eodem in errore est, dum per venam in eodem latere revulsionem instituit; cum mera sit evacuatio, ut supra dictum. Magis adhuc errat, quod sectâ venâ in eodem brachio ad inferna trahi scribit,

Atque hæc evacuatio, cum & ea à loco affecto sit nonnihil remota, à Galeno quandoque etiam revulsio appellatur, sed minus propriè, ut ex 2. de mt. vict. in acut. t. 10. & præcipuè, 6. epidem. comm. 2. t. 32. patet, ubi diversionem, quæ ab oculis ad palatum fit, revulsionem appellat.

Atque ut hæc tandem concludamus, hanc venam secandi rationem in pleuritide observârunt, ut dictum, Hippocrates & Galenus. Quamquam enim de mente Hippocratis & Galeni nonnulli variè disputent, & iis, quæ, *lib. de mt. victus in acutis*, habentur, ubi in eodem latere venam secare jubent, alia ex Galeno loca opponant, ubi in principio inflammationum in parte opposita venam aperire præcipit: tamen, quod Mercato & aliis etiam placere diximus, Hippocrates & Galenus in aliis quidem inflammationibus, in quibus in mora nullum periculum, in opposito primò latere venam aperiunt; in pleuritide verò, ubi dolor valde urget, statim in directo lateris affecti venam aperiunt, ac unicam venæsectionem instituunt; quod & nos, si tardiùs, & post morbi principium ad ægrum vocemur, imitari possumus. Sanguinem autem largiùs, & ad coloris mutationem miserunt; & unâ venæsectione tantum sanguinis detraxerunt, quantum Arabes geminâ. Verùm cum non solum tutius sit sanguinem bis evacuare, quàm semel copiosa sanguinis missione vires dejicere, sed etiam aliæ, quas supra proposuimus, rationes suadeant, commodissimum esse in principio sanguinem in loco & parte affecta remoto evacuare: rectissime primò in brachio opposito instituitur venæsectio; ita tamen, ut post etiam in eodem brachio derivationis gratiâ vena aperiatur.

QUÆ.

QUESTIO V.

*Per quas Vias è thora-
ce materia ad alvum &
vesicam pervenire &
hinc evacuari
possit?*

*Per quas
vias è tho-
race mate-
ria ad al-
vum & ve-
sicam per-
venire, &
hinc eva-
cuari pos-
sit?*

Sanguinem, ut & pus, non solum per tussim, sed & per vesicam cum urina ex thorace quandoque excerni, Galenus, *6. de loc. affect. cap. 4.* docet, & se vidisse testatur, quod & alii Medici plures, Græci, Arabes, & Latini observârunt. Scripsit etiam nuper ad me Amicus quidam, quendam in sinistro latere thoracis vulneratum fuisse gladio, super costas nothas sursum adacto, ita ut vulnus unius & dimidii digiti longitudinem æquaret. Vulneratus etsi de dolore nullo conquereretur, tussi non affligeretur, nihilq; sanguinis expueret, ut inde colligi potuerit, tantum externos thoracis musculos fuisse vulneratos: tamen accidit, ut sequenti nocte difficultate mejendi corripere, post quatrimum verò copiosum sanguinem emingeret, partim grumotum, partim floridum, quæ sanguinis mixtio ad duas septimanas duravit, donec æger convalevit.

Per quam autem viam istæ evacuationes fiant, non ita planum est. Et cum materia in thoracis locis consistere possit in pulmone, in lateribus seu musculis thoracis, & in cavitate thoracis, de singulis seorsim

inquirendum, & per quas vias materia è pulmone, è lateribus, è cavitate thoracis cum per urinam, tum per alvum evacuari possit, explicandum. Pulmones primò quod attinet, Galenus, *6. de loc. affect. cap. 4.* levem arteriam pulmonis, quantum puris eruptâ vomica suscipit, id ad sinistrum cordis sinum deferre statuit, quod inde in magnam ipsius arteriam incidens, per renes transeat ad vesicam. Verùm viam hanc alii rejiciunt, & inter eos P. Andreas Matthiolus, qui, *lib. 1. Epist. ad Julium Alexandrinum*, scribit, credibile non esse, ut pus, quod foetens & corrupto sanguis est, non solum transeat per arterias, in quibus vitales spiritus continentur, sed & sinistrum ventriculum cordis, ubi vita humana & sanguis ille purissimus cum spiritu vitali continetur, quin gravissima symptomata, adeoque ipsam mortem inferat, quod pluribus ibi probat. Ipse verò putat, transmitti pus ad venam sine pari, vel ad alias fortassè, quæ circa pulmones vel thoracem habentur, & inde in cavam, in renes & vesicam.

Julius Alexandrinus, *in epist. responsor.* Galenum tueri conatur, scribitq; aliud longè esse, si quid naturaliter sit, atque quod præternaturaliter; cum à facultate quadam, atque cum ab affectu; cum pars valet atque imbecillis est; cum expellitur noxa, atque cum recipitur. Ideoq; licet in syncope, tremore cordis, pestilente aëre attracto, cor valde afficiatur; tamè si valida expultrice facultate utatur, longè venientè noxam repellere.

Idq;

Idq; tum etiam facere naturam, cum pulmonis abscessus ruptus est. Tum temporis enim robore suo constare cor, spiritibusq; præditum validis cum aliis unâ insurgere ad rei noxiæ celerrimam quandam expulsionem; Deinde Matthioli sententiam improbat, statuitq; longè faciliorem è pulmonibus esse materiæ transitum in asperas levesq; arterias, quàm ut primùm in pectoris cavitatem è pulmone effundatur, & hinc venæ sine pari exiguis osculis sese insinuet; quod omnino fieri debet, si materia è pulmone à venâ sine pari recipi debet.

Verum enim verò sit sanè cor validum, & quamprimum affluentem à pulmone materiam à se repellere conetur: tamen id sine gravibus symptomatibus, palpitatione cordis, lipothymia & similibus, fieri non posset; cum videamus saltem flatus ex hypochondriis ascendentes talia symptomata excitare, licet cor aliàs salvum & validum sit. Nisi forsan quis hoc pus non confertim, sed sensim ad cor deferri, neq; id adeò malignum, sed à natura satis elaboratum esse statuat. Ideoq; non quidem planè nego per hanc viam naturam pus quandoque evacuare; cum constet, eam interdum miras vias quære: & Nicolaus Massa anno 1533. ut, in *introducitor. anatom. fol. 56. & 57.* refert, observavit abscessum in cuiusdam dextro ventriculo cordis & auriculam sinistram ulceratam totam cum sanie manifestâ, qui tamen sanus visus fuit, & Benivenius, ob-

serv. 89. reperit abscessum in sinistro cordis ventriculo pituitâ redundantem in quodam, qui egregius fur fuerat. Veruntamen non puto, naturam facile viam hanc affectare; cum tutiores habeat, ut mox dicitur.

Nonnulli ad vias nobis quidem occultas & ignotas, naturæ tamen cognitæ, & illam Hippocratis, in *lib. de alimentis, ἔσφοιαν & ἐμπυριαν* confugiunt. Verùm non est opus ad occultas vias confugere, cum manifestas dentur.

Viam autem manifestam, ut dictum, Matthiolus & alii statuunt esse per venam ἀζυρον. Verùm non videtur de nihilo quod Matthiolo objicit Jul. Alexandrinus, difficilem factis esse transitum, si materia primùm è pulmone in pectoris cavitatem deberet effundi, atque ibi empyema efficere, deinde demum sese exiguis venæ sine pari ramis insinuare, & quidem per membranam adeò densam, quæ thoracem intus succingit.

Itaque aliæ manifestæ viæ quærendæ, per quas etiam ex ipsis pulmonibus materia ad renes & vesicam pervenire possit. Viarum autem istarum prima est arteria venosa, ut Bauhinus, *lib. 2. theatri Anatom. cap. 26* docet, quæ per pulmones distribuitur, si per eam ad ventriculi sinistri principium, non verò in ipsum sinistram ventriculum cordis deferatur, & deinde per ejus rami peculiarem & insignem, quem, *cap. 22.* describit, ad emulgentes, indeq; ad renes & vesicam deferatur. Altera via

via in quibusdam est vena pulmonaria, quæ à venæ cavæ trunco non procul ab exortu venarum diaphragmaticarum ad pulmonem in nonnullis corporibus mittitur. Observavit hanc venam superioribus annis Nicolaus Sanmichelius Novocomensis, vir suo tempore in dissectandis corporibus exercitatissimus, qui in cadaveribus quibusdam venam magnam, ubi diaphragma excessisset, priusquam in cor se insinuat, ramulum quendam rectâ ad pulmones misisse observavit, ut refert Johan. Costæus, in annot. in Avicen, lib. 3. sen. 10. tr. 4. cap. 1.

Si autem in latere contineatur materia, quod in pleuritudine accidere solet, viæ manifestæ ad renes sunt; primò vena $\alpha\zeta\upsilon\gamma$, per quam sanguis vel pus in venam cavam effunditur, & hinc in renes ac vesicam porrò transmittitur, & cum urina evacuat; observatumq; est à Recentioribus Anatomicis, à sinistro ramo venæ $\alpha\zeta\upsilon\gamma$ interdum ramulum ad venam emulgentem rectâ ferri. Deinde materia è thorace pervenire, potest ad renes & vesicam, ex intercostalibus arteriis ad arteriam magnam deducta, & hinc ad renes trãsmissa. Tertio etiam materia per phrenicum venæ cavæ & ductum arteriæ à Bauhino descriptum ad urinæ vias pervenire potest. Atque per has vias materia cum è pulmone, tum è lateribus cum urina evacuari potest.

Per alvum autem puris evacuationem quod attinet, plerique hinc

ad occultas vias, quas sibi natura quærit, confugiunt: sed & hic manifestæ dantur. Et primò quidem vias è pulmone ad alvum quod attinet, potest è pulmone materia evacuari per alvum primò per ramum illum arteriæ venosæ, modò dictum, & à Bauhino descriptum, sive delata in arteriæ magnæ ramum cœliacum, qui ad ventricululum effundatur, & ab hoc in intestina, sive feratur per arteriæ magnæ ramum alterum mesentericum dictum, qui supra emulgentes ad mesenterium & intestina mittitur.

Alii volunt, quod materia per venam arteriosam in dextrum ventricululum cordis, & ex hoc in truncum venæ cavæ, & inde per epar ad ramos venæ portæ transmittatur, tandemq; per ramum mesentericum in intestina perveniat. Verùm etsi per hanc viam evacuationem fieri non impossibile sit, longa tamen est, & per ambages.

Tertio si vena illa pulmonaria à Nicolao Sanmichelio observata adsit, per illam etiam è pulmone ad alvum mediante vena portæ pervenire potest.

Puris autem in pleuritide & lateribus affectis per alvum evacuationis via manifesta est primò per venam sine pari, per quam in venam cavam, & hinc in portam transire potest. Deinde per truncum arteriæ magnæ transire potest, si scilicet materia ex ramis intercostalibus in aortam, & hinc sive per ramum cœliacum, sive per mesentericum ad intestina

stina mittatur. Neque impossibile, per arterias materiam, præcipuè naturâ id agente, evacuari posse, cum aliâs etiam arteriæ in morbis ab humoribus vitiosis non semper planè immunes videantur.

Si verò materia in thoracis cavitate contineatur, verisimile est, eam potius in pulmones, quorum membrana rarior est, penetrare, & hinc seu per urinam, seu per alvum per vias modò dictas evacuari, quàm per membranam densam in latus sese insinuare. Et observatum est, materiam interdum satis crassam è cavitate thoracis in pulmonem receptam, & hinc per tussim rejectam fuisse; sicuti historia habetur apud Guiliel. Fabricium, *cent. 1. observ. 46.* de quodam, qui cum in pectore vulneratus esset, duas turundas, quæ ex incuria per vulnus in cavitatem thoracis illapsæ erant, tussi rejecit.

CAPUT XVII.

*De Thoracis Vulneribus.**Thoracis vulnera.*

Thoracis vulnera alia sunt non penetrantia, in quibus scilicet membrana succingens adhuc integra est; alia penetrantia, in quibus non solum musculus thoracis, sed & pleura perforatur, ut ita vulnus in ipsam thoracis cavitatem penetret. Penetrantia rursus sunt vel sine partium in thorace contentarum læsione, vel cum earum læsione, puta pul-

monis, mediastini, pericardii, cordis, venæ cavæ, arteriæ aortæ, arteriæ arteriæ, gulæ.

Vulnera thoracis non penetrantia.

Si thoracis vulnera sint simplicia, neque in cavitatem ejus penetrent, & nullus alius affectus jungatur, eandem, quam alia vulnera, indicationem habent. Itaque i. sanguis sistendus, si opus sit, modo in aliis vulneribus usitato, vulnusque fascia ligandum, quæ talis sit, ut turò contineat, nec tamen tam alta, ut premedo dolorem excitet. Et si vulnus parvum sit, brevi temporis spatio sanari solet. Quod si amplius sit, digestivum aliquod unguentum imponendum, quem in usum terebinthina clara odorata præcipuè utilis est. Partes vicinæ oleo chamæmel, rosæ. inungendæ. Tandem ubi in vulnere coctio apparet, emplastrum aliquod conveniens, ut barbarum, basilicon Mesue, aut diapalma imponatur.

*Vulnera thoracis non penetrantia.**Vulnera penetrantia.**Vulnera penetrantia.**Signa diagnostica.*

Ubi verò vulnus profundius est, primò diligenter inquirendum, an penetrèt usque ad cavitatem thoracis, an non. Cognoscitur autem hoc visu in magnis vulneribus, in aliis tactu, specillo scilicet, seu stylo exploratorio, vel candela cereâ im-

Signa.

mis

missa, item auditu, dum aër per vulnus cum strepitu exit. Aëris tamen per vulnus exitus, qui penetrationis signum est, aliis etiam modis explorari potest: si nimirum penna, vel lanæ floccus vulneri imponatur, vel candela accensa admoveatur, & retento aëre inspirato, atque ore & naribus clausis æger efflaere conetur. Tunc enim exeunte aëre lana moveri, & flamma ventilari ac moveri solet. Hæc autem per aërem egredientem exploratio fallere potest, si vulnus obliquum aut tortuosum sit, aut costa aliqua fracta vel depressa, aut muscoli intercostales situ hominis ab eo, quem habebat, dum vulnus acciperet, evanierint; vulnusque regant, vel pars externa vulneris, quod turunda non immissa sit, conglutinata sit. Tum enim aëre ingredi non potest, imò nec specillum vel stylus adigi. Ideoque ægrum, dum vulnus explorare volumus, eo situ collocare debemus, quo erat, cum vulnus acciperet. Ex instrumento quoque, quo vulnus inflictum est, aliquo modo profunditas vulneris agnoscipoteest. Angustiora enim instrumenta penetrationis suspicionem præbent, præsertim si vulnus extrâ nonnihil latum sit. In penetrantibus quoque & amplis thoracis vulneribus respiratio interdum læditur, & voce æger privatur patente vulnere; vulnere verò clauso respiratio & vox redit. Postea & alia signa accedunt, dum sanguis aut pus in pectore cumulantur. Tussis est molesta, spurum sit cruentum vel puru-

lentum, lateris dolor, gravitas ac pondus circa costas nothas percipitur. Febris sæpe accedit, & ubi æger se in ægrum latum convertit, fluctuatio in thorace percipitur, si sanies in eo continetur.

De pulmonis & mediastini vulneribus jam dictum; de cordis & oesophagi vulneribus suo loco dicetur.

Si vena cava in thorace vulnerata sit, magna sanguinis crassi copia effluit, viresque valde dejiciuntur, facies pallet, & paulò post mors sequitur.

Si arteria magna vulnerata sit, sanguis clarus & tenuis, copiosus ac cum saltu exit, si ei via pateat. Pulsus tremulus adest, vires collabuntur, syncope accedit, & paulò post mors.

Si aspera arteria sit vulnerata, parum sanguinis effluit, dolor in dorso percipitur, vox fit rauca & tussis acris.

Prognostica.

1. Vulnere hæc, quàm non penetrantia, longè sunt periculosiora; *Prognostica. ca.* etiam ubi viscera interna non sunt læsa; quia aer externus per vulnus non alteratus ingreditur, internasque partes offendit, & aëre interno & calore expirante virtus debilitatur. Et cum vulnus penetrare non possit, nisi pleura perforetur, illa verò densa & sensu exquisito prædita sit, ac reliquis thoracis partibus communis: dolores, tussis; inflammationes, febres hinc excitantur.

2. Præterea nisi vulnera hæc diligenter curantur, facile in empyema & fistulas degenerant. Quod ubi accidit, sæpe pus foetidum redditur, tandemq; ægro mors attrahitur.

3. Interdum accidit, ut licet externum vulnus conglutinetur & consolidetur, in sputo tamen adhuc notæ sanguinis appareant; quod accidit, quia partes internæ non sunt consolidatæ, è quibus cruoris aliquid & saniei in cavitatem thoracis emanat, unde empyema generari potest.

4. Si simul quidem tum interna tum externa parte sanescat, cicatrix autem intus debilis, aspera & livida existat, quandoque refricatur, eoq; modo purulentus evadit. Iterum verò etiam exulceratur, si quid plus iusto laborarit & extenuatus fuerit, pituitaque & bilis ad cicatricem affigatur, & si morbo alio detentus extenuatus fuerit. Hippocrates, *lib. 1. de morbis.*

5. Vulnera hæc in dorso periculosiora sunt, quàm in parte anteriore; quia ibi plures & majores nervi ac tendines sunt, ibique transit vena cava, arteria magna, aspera arteria, gula, & omnia spiritualia organa dorso alligantur. Cavæ autem venæ & aortæ arteriæ vulnera lethalia sunt, ex sanguinis, qui vitæ thesaurus est, profusione, qui eò loci sisti non potest, solentq; varia prava symptomata supervenire.

6. Si autem prava symptomata non superveniant, sanitatis recupe-

randæ spes est. Unde de thoracis vulneribus Albucasis scripsit: Si prætereat dies tertia vulneris, & non accedat infirmo spasmus vel tremor cordis malus, vel structura anhelitus, & vides ejus dispositiones bonas, tum scias vulnus esse sanum, & virtutem fortem, cui nihil impossibile.

Curatio.

Indicationes quidem vulneris, *Curatio.* quatenus tale, eadem sunt, quæ vulneris non penetrantis: quia verò sanguis in cavitatem thoracis effundi solet, & humores vitiosi è corpore reliquo ad vulnus affluere; danda opera, ut sanguis sistatur, humorum ad vulnus affluxus prohibeatur, & sanguis qui in thoracem effusus est, saniesque, quæ ibi colligitur, evacuetur.

Itaque 1. ut sanguis sistatur, turunda ovi albumine & aliis medicamentis sanguinem sistentibus illita immittenda. Quod si nil efficiat, etiam per os medicamenta sanguinem sistentia exhibenda, ut conserva rosarum, bolus Armena, terra sigillata, succus portulacæ, trochisci de carabe, terrâ sigillatâ, & similia, de quibus in sputo sanguinis dicitur.

Deinde, si gravia symptomata metuenda sint, & sanguis non valde effluerit, sanguis è latere opposito evacuandus, aut corpus, si cacochymicum, evacuandum.

Tertiò, ubi magna vasa non sunt vulnerata, sanguisque in pectus non

mul-

multus effusus, vulnus statim consolidandum, ne ab aëre externo, in vulnus sese insinuante, pulmones lædantur. Aliàs etiam observandum, ut vulnus, quoties opus est, celeriter obligetur, ne aër per vulnus patens in thoracem transeat. Si verò de sanguine in thoracem copiosè effuso suspicio sit (quod cognoscitur, si Medicus anatomix peritus ex loco vulneris perspiciat, an magnæ vel parvæ venæ vel arteriæ vulneratæ sint) vulnus turundis apertum servandum, dandaq; opera ut sanguis quamprimùm effluat, ne intus corrumpatur. Ubi notandam, ut turundæ filo alligentur satis longo, ut in cavitate thoracis decidant; sicut in observat. Guilielmi Fabricii. *cent. 1. observ. 46.* habetur, cuidam duas turundas in pectus delapsas, ac post tres menses tussi rejectas fuisse. Est & adhuc observandum, ne turundæ nimis sint longæ, ne pulmones lædant. Ut etiam facilius sanguis effluat, jaceat æger super latere vulnerato. Et si sanguis in thoracem effusus non spontè effluat, extrahendus instrumento, quod Græci *πυρλκον* nominant. Et si vulnus nimis angustum sit aut obliquum, paululum dilatandum cute sectâ, aut si æger sectionem admittere nolit, turunda ampliandum. Si accepto vulnere nullus sanguis effluat, isque in pectore detineatur, æger granum unum moschi sub lingua teneat. Ita enim statim sanguis fluere incipit, quod nonnulli pro secreto habent.

Si etiam ob materiæ copiam in thoracè contentam æger malè habeat, ut materia continuò effluat, nec ibi putrescens, febrem, anhelitûs difficultatem & tussim excitet, cannulam plumbeam vel argenteam pluribus in locis perforatam, extra verò alis munitam, immittere decet, quæ digestivo medicamento prius illinenda est.

Si sanguis sit concretus, ut exire non possit, attenuandus & incidendus liquore conveniente in cavitate pectoris infuso. In quem usum commodum est melicratum, ex una parte mellis & duabus partibus aquæ ad tertiæ partis consumptionem coctis, vel mulsum, vel mel rosatum, in aqua hordei aut consolidæ, aut veronicae vel agrimonix dissolutum. Et si materia sit viscida & tenax, aliquid oxymelitis addere utile est. Liquor autem hic tepidus injiciendus; ut & topica omnia medicamenta hic calida usurpanda; cum frigus sit pectori inimicum.

Extra verò applicentur medicamenta vulnere idonea, exsiccandi vi prædita; humectantia verò & oleosa vitanda. Valde in hisce vulneribus commendatur sequens Unguentum.

R. Resinæ pini rec. clara & odorat.

Unc. xij.

ol. lauri puri,

terebinth. ana Unc. ij.

gummi elemi puri Unc. iij.

Resina & gummi super igne liquefiant, deinde addantur olea & terebinthina, parùm bulliant, donec

unguenti crassitiem acquirant, tandem colentur.

Et ne partes vicinæ in consensum trahantur & dolore afficiantur, loca vicina æstate oleo rosaceo, hyeme chamamelino inungenda sunt. Interna etiam medicamenta usurpentur thoraci dicata, quæ materiam exsiccant, ejus corruptionem prohibent, & si ad pulmones quid perveniat, quæ ad ejus expectorationem profunt, ut sirupus è jujubis, capill. ♀, de glycyrrh. scabios., cum aqua scabios. tussilaginis, veronic. capill. ♀. Tandem etiam medicamenta, quæ intus conglutinationem adjuvant, usurpanda, ut sirupus myrtinus, conserva rosarum, mel rosatum, consolida, plantago, bolus Armena & similia. In tota verò curatione omnia metallica hic omittenda; cum valdè noceant.

Sæpe verò accidit, ut vulnus extra conglutinetur, antequam intus planè exsiccatum & consolidatum sit. De quo Hippocrates, in *Coac. lib. 6. sect. 2. comm. 1. aph. 5. secundum Holterii distinct.* Quicumq; vulnerati in thorace, externa vulneris parte sanati, interna verò non, periclitantur, ne empyici fiant; at quibus interna parte infirma cicatrix obducta, vulnus ea parte refricatur, rupta cicatrice. Ideo, quod supra etiam dictum, danda opera, ut vulnus probè mundetur & intus insuper consolidetur, antequam extra fiat consolidatio. Si verò tale quid accidat, agri ut empyici curantur. Si per urinas materia &

pus evacuetur, adjuvanda urinam moventibus.

Dieta.

Aër sit temperatus & potius ad calidum, quam frigidum declinet. Victus sit initiò tenuis, donec inflammationis terminus præterierit. Cibi in principio adstringentes vitentur, ne sanguis concretus in cavitate thoracis detineatur. Conveniunt in cibis amygdalæ, passulæ, hordeum. Æger quiescat, nec moveatur, vel multum loquatur; caveat quoque iram, & alios affectus nimios.

Dieta.

CAPUT XVIII.

De Fistulis thoracis.

Nonnunquam post tumores aut vulnera thoracis malè curata fistulæ in pectore excitari solent, quæ difficilis sunt curationis, præsertim si ossa, sternum, spina dorsii, aut costæ simul afficiantur.

Fistula thoracis.

Differentia.

Sunt autem fistulæ aliæ penetrantes, aliæ non penetrantes.

Differentia.

Signa diagnostica.

Cognoscuntur facile & oculis patent; & si penetrent, stylo vel aëris egressu cognoscuntur.

Signa.

Prognostica.

1. Fistulæ hæc curatu sunt difficiles; cum partes hæc non solum per-

Prognostica.

petuò

petuò moveantur, sed etiam præcipue si penetrent, multæ superfluitates in iis colligi soleant.

2. Quæ in dorso sunt fistulæ, periculosiores sunt, ob majorum nervorum copiam & spinalem medullam vicinam, ac raro curantur. Quæ in musculis sunt circa magna vasa, non satis tutò curantur.

Curatio.

Ideoque Medicus certus sit, quæ vasa circa fistulam ducantur, ne curatione venas, arterias, nervos lædat, ægroque noceat. Ac proinde ubi dilatatio fistulæ requiritur, turundis illa tutius, quàm ferro peragitur.

Cæterùm medicamenta quod attinget externa, quæ in fistulam injiciuntur, parantur ex hydromelite vel mulso, decocto *rad. caryophyllat. gentiana, ireos, aristolochia, veronica, valeriana, salvia, millefolii, hyperici, rosar., caudæ equinæ, pilosellæ.* Quæ in vino coquantur & colaturæ *mel clarum* addatur. Potest & *thus* ac *myrrha* addi.

Ut R \bar{y} *Hyperic.*

flor. rosar. rubr.

caudæ equin.

centaur. minor. an. M. j.

rad. caryophyllatæ,

aristoloch.

ireos, an. Unc. j.

Coqv. in vino,

Colaturæ R \bar{y} . ℥ j.

mell. opt. Unc. iij.

Dissolve

thus,

myrrh. ana Drach. j. ß.

Decoctum hoc vel simile toties in ulcus injiciatur, donec mundum fuerit.

Post injectiones tale vel simile medicamentum cum turunda immitti potest.

R \bar{y} . *Terebinth. Unc. j.*

farin. lupinor. Unc. j.

fabar. Drach. ij.

succi apii,

agrimon.

plantag. ana Unc. j.

mellis Unc. j. ß.

myrrh.

mastic.

thus, ana Drach. ij.

Misce super igne.

F. Unguentum.

Ulcere mundato, injectiones & unguenta exiccantia & conglutinantia, ut in aliis ulceribus, adhibenda ex *rosis, radicibus consolide, balaustris, sumach, myrrha, thus, masticæ, aloë, radice ireos, terebinthina & similibus.*

Dum verò externa adhibentur, *Interna.* intus etiam usurpentur medicamenta ex iis, è quibus potiones vulnerariæ parari solent, nimirum ex *agrimonia, plantagine, veronica, scabiosa, hyperico, betonica, sanguisorbia, hedera terrestri, salvia, rosis.*

Ut R \bar{y} . *Fol. scabios. M. ij.*

agrimon.

caryophyllatæ,

sanicula,

veronica, ana M. j.

russilag.

pulmo.

pulmonar.

lingua cervina, ana M. B.

rad. caryophyllat & Unc. j.

vincetoxici Unc. B.

¶ Coq. in vini albi & aqu. fontanae,
ana lb. j in vase duplici.

Colatura saccharo dulcoretur.

CAPUT XIX.

De Empyemate.

Empyema. Pleuritidem, peripneumoniam,
& alios thoracis affectus non raro sequi solet malum, quod Græcis *ἐμπύημα* appellatur, quo qui laborant, *ἐμπυοί* & *ἐμπυηκοί*, suppurati & purulenti dicuntur. Etsi enim, si nominis proprietatem spectes, *ἐμπύημα* omnem suppurationem & puris collectionem significat; usus tamen obtinuit, ut in specie id suppurationi seu purulentiae in thorace tribuatur.

Est ergo *ἐμπύημα* puris in cavitate thoracis collectio. Solent quidem nonnulli empyema appellare, cum non solum in cavitate pectoris, verum etiam inter pleuram vel costas, aut in pulmone pus colligitur; verum magis proprie & specialissime solet empyema nominari, cum tantum in cavitate thoracis sit puris collectio.

Causse.

Causse.

Colligitur autem pus in cavitate thoracis ex præcedente aliqua & in abscessum mutata ac rupta partium vicinarum inflammatione, ut pleu-

ritide, peripneumoniâ, anginâ, interdum & rupto tuberculo ad spinæ partem anteriorem. De quo Hippocrates, 5. aphor. 19. *Quibus ex angina in pulmonem mali sit conversio, intra septem dies moriuntur. Si verò hos effugiunt, purulenti fiunt.*

Nonnunquam etiam sine inflammatione pus in pectore colligitur, quod fit, quando sanguis è vasibus suis in cavitatem thoracis effusus, ibique detentus putrescit, & in pus mutatur. Et quidem si post venam in pulmone ruptam ulcus sequatur, quod continuo saniem in thoracem effundat, verum fit empyema. Si verò sanguis copiosus effusus in loco alieno corrumpitur, materia illa pus minus proprie dicitur. Plerique addunt destillationem è capite, de qua Hippocrates, 7. aphor. 38. *Destillatio in ventrem superiorem ad suppurationem pervenit intra dies viginti.* Nonnulli tamen pituitam in pectore immutatam minus proprie pus appellari censent. Est enim hæc purulenta materia non merum pus. Nam hæc est ex humore excrementitio; cum merum pus ex nutritiva materia fiat.

Omnes autem modos, quibus pus in thoracem effundi potest, proluxa oratione descripsit Hippocrates, lib. 1. de morbis, qui hac de re videatur. Cujus summa hæc esse potest: Empyema verum esse, quando in ipsa thoracis cavitate pus continetur, idque quatuor modis fieri. 1. ex pleuritide non satis expurgatâ. 2. à pituita ad cavitatem thoracis à pectore defluente

fluente 3. ex vena in thorace rupta. 4. ex vena in pectore aperta. Non verum autem empyema esse, cum non in cavitate pectoris, sed in pulmone materia hæreat, idq; etiam quatuor modis fieri. 1. in peripneumonia suppuratâ & non expurgata. 2. ex pituita è capite descendente & in pulmone putrescente. 3. ex vena rupta in pulmone 4. ex varice in pulmone generato & rupto.

Differentia.

1. Pus interdum totam thoracis cavitatem occupat, interdum ejus alteram partem, dextram vel sinistram.

2. Ex differentia materiz datur empyematis differentia, quæ nunc benigna est, nunc acris & foetida.

Signa diagnostica.

Signa quod attinet, quæ inflammationem aliquam in thorace in abscessum, è quo post empyema futurum est, mutari significant, si pleuritis & peripneumonia, vel alia in pectore inflammatio, remediis idoneis adhibitis non cessat, ac præterea rigores & febres subsequuntur, & gravitas: morbum in empyema mutari indicio est. Si enim materia intra dies quatuordecim non expurgatur, in pus mutatur. Rumpitur verò vomica circa diem vigesimum, interdum trigessimum aut quadragessimum. Hippocrates, 2. *prognost. aphorism. 57.* Rigor verò fit, dum à pure genito vicina membranosa corpora vellicantur. Ponderis ve-

rò & gravitatis sensus in thorace pro dolore percipitur, quod humor, qui antè in partem inflammataam disperserat, in unum locum jam totus colligitur.

Signa verò jam facti ex vomica rupta empyematis proponit Hippocrates, 2. *progn. 60. & 61.* Et quidem recentis ac nuper facti empyematis signa sunt eadem, quæ inflammationis suppuratæ modò esse diximus, quibus difficilior respiratio accedit. Quamvis enim rupto abscessu dolor sedetur, & hinc diaphragma & muscoli thoracis liberius moveri possint: tamen quia pulmo à circumfusio pure gravatur, ut liberè moveri non possit, & præterea aliqua puris pars à rara pulmonis substantia imbibitur, & hinc pulmo humidior & gravior redditur, bronchiaq; ejus à pure imbibito obstruuntur, respiratio redditur difficilior. Galenus, 4. *de loc. affect. cap. 8* addit fluctuationem. Nam, inquit, ubi quis subito à decubitu transmutatur, idq; maximè si ab uno latere in aliud se convertens defluere aliquid sentiat, puris multitudinem ibi contineri haud dubia conjectura est. Quin etiam in his fluctuatio sæpenumero, haud obscure auditur. Nisi forsan puris crassities aut copia, quæ omnem penè thoracis capacitatem implet, impediat fluctuationem illam audire.

Diuturnioris autem empyematis signa sunt, quod febris quidem mitior redditur, sed lentè, partim putrida, partim hectica, perpetuoque

infestat, quæ de die quidem mitior, sed circa vesperam exasperatur, & noctu vehementior est. Tussis est perpetua, spurumq; tandem fit purulentum, adest anxietas & cibi fastidium ex vapore putrido orta, sudores multi superveniunt, sed inutilis & non copiosi, sed frequentes ob virium imbecillitatem. Ex enim debiles alimentum etiam non in nimia quantitate sumptum superare & rectè apponere non valent. Tandem oculi fiunt cavi, maxilla ruborem contrahunt, ob vapores puris acres calidosq; faciem ipsam calefacientes, pustulæ circa pectus erumpunt, subtiliore ac acriore puris parte ad extremam cutem penetrante, pedes intumescunt.

Signa differentiarum quod attingit, primò locum, in quo pus continetur, ita nosse docet Hippocrates, 2. progn. aph. 59. Si empyema in altera parte tantum existat, hoc convertere & discernere oportet, doleantne in altero latere, & an alterum altero calidius sit, atque cubantem supra latus sanum interrogare, an sibi videatur onus aliquod desuper suspendi. Si enim ita est, in quodcumque latus pondus insit, in altero suppuratio existit. Quemadmodum si utrinque calor & pondus sentiat, in tota thoracis cavitate pus continetur. Avicennas hoc, quod habet ex Hippocrate, lib. 3. de morbis, addit: Applicetur, inquit, linteam madidum thoraci secundum utramq; partem, dextram & sinistram: citius enim exiccatur

illud, quod supra partem pus continentem appositum est.

Puris verò conditio, si rejiciatur, ex fatore & aliis qualitatibus cognoscitur.

Prognostica.

Prognostica empyematis recensuit Hippocrates, 2. progn. 63.

Prognostica.
ca.

1. Si cum abscessus ruptus est, febris eadem die dimiserit (id est, ita mitis reddita fuerit, ut si præcedenti vehementiæ conferatur, prope modum pro nulla habeatur. Nam planè non cessat), æger cibum appetat, siti careat, (nam vapores fatidi acetri à thorace ascendentes ad linguam ac palatum ob communem tunicam simul orificium ventriculi afficiunt, & hinc appetitus dejicitur, sitisq; excitatur. Quapropter si brevi tempore post eruptionem hæc symptomata remittant, puris exigua quantitas, idq; benignius significatur. Si verò hæc symptomata non remittant, puris ingentem copiam & praviratem significant) venter exigua & consistencia dejiciat, pus leve, album sit & æquale, & pituita vacans, absq; dolore, & valida tussis expurgetur, ægrum evasurum spes est.

2. Si verò contrarium accidat, & horrores post puris eruptiones maneant, febris non desinat, aut cum videtur desinere, recrudescat, ægerq; sitiatur, nec cibum appetat, alvus sit humida, sputum sit prave substantiæ, ut & coloris mali, flavum, viride, nigrum, foetidum, pituitosum,

inæ-

inæqualis substantiæ: pereunt, quibus hæc omnia adsunt. At quibus alia adsunt, alia non, horum quidam moriuntur, quidam in multo tempore evadunt.

3. Plerumq; verò empyema in phthisin transit, & tum collum ac tempora valde extenuantur, pedes intumescunt, ungues curvantur. Etiam qui servantur, ubi pleuritis vel peripneumonia in empyema transit, intra dies quadraginta pus per sputum ejici debet; quod si non fiat, in phthisin transit, 5. *apb.* 15. Non quidem opus est, ut quadragesimo die æger, planè ab omni pure liberatus sit, sed sufficit, si eo tempore tanta ejus copia rejecta sit, ut reliquæ exiguæ, quæ supersunt, faciliè postea evacuari possint, cujus evacuationis non ita certus terminus definiri potest. Nam ultra diem quadragesimum mollis & rara pulmonis substantia pus sine damno vix sustinere potest. Ideoq; opus est, ut intra eum terminum maxima ejus pars rejiciatur.

4. Quibus in magna puris copia intra thoracem & pulmonem collectâ totus thorax in respiratione attollitur, celerrimè suffocantur, Galenus, 4. *de loc. affect.* cap. 7.

5. Malum periculosius est, si pus totam cavitatem thoracis occupet, quàm si in altero solum latere contineatur.

6. Empyema tamen, quod unum saltem latus occupat, periculosius est, si sinistrum latus occupat, quàm quod dextrum; quia sinister cordis ventriculus ut nobilior plura magis afficitur.

7. Quicumq; empyi uruntur aut secantur, si album pus effluat, evadunt; si verò subcruentum & foetidum, pereunt. 7. *apb.* 44.

8. Quandocunq; empyi uruntur aut secantur, si pus aut aqua universim effluerit, certò moriuntur. Hippocrates, 6. *apb.* 27.

9. Purulentos moderatius habentes si spura graveolentia consequuntur, recidiva interimit. *In Coacis.*

10. Quibus specillum à pure velut ab igne coloratur, ij. ferè moriuntur. *In Coacis.*

11. Ex suppurationibus quas pulmonum morbi excitârunt, ferè senes moriuntur, ex cæteris verò juvenes. *Ibid.*

12. Inflammatio lateris aut pulmonis in suppurationem versa, quandoq; sursum rumpitur, id quod periculosius est. Si enim pus quam citissimè per sputum non rejiciatur, tabidi fiunt. Quandoq; verò per alvum & vesicam evacuatur, quod per quas vias fiat, suprâ, cap. 16. *quest.* 5. videatur, id quod cum minore periculo conjunctum est Paulus Ægineta, & Aetius. Cum enim ut æger citò à pure liberetur, evacuatio per tussim ac sputum non sufficiat; siquidem per eam sensim & lentè pus evacuatur, & interea temporis à pure in thorace & pulmone moram trahente substantia pulmonis faciliè corrumpitur; commodior est, & minore cum periculo conjuncta, per alvum vel urinam puris evacuatio.

Curatio.

Curatio.

Si prohiberi à Medico nequit suppuratio, adjuvetur moderatè calidis & humidis cataplasmatibus & emplastris impositis, de quibus in Pleuritide dictum. Maturato abscessu ut maturè rumpatur, operanda, ne pus partem amplius corrumpat, forti locutione, sternutatione irritata.

Rupto abscessu, ut is abstergatur & consolidetur, materia verò evacuetur, danda opera. Evacuatur autem materia vel sensibiliter, vel insensibiliter. Sensibiliter rectius & commodius evacuatur, & quidem frequentius ac tutius per sputum vel thoracis perforationem, vel per alvum, vel per urinam. Itaq; considerandum, quò materia verò gat.

Si tussis urgeat, ut per sputum expurgetur, detergentur aqua saccharata, hordei, hydromel & pitana cum melle, quæ ut alimentum medicamento sum & medicamentum familiare in omni empyematis genere ac quovis tempore convenit. Radix iridis cum mulla, hyssopus, decoctum glycyrrh. sirup. de prass. capill. ♀. Imprimis efficax est aqua mulla, in qua lota sit terebinthina, vel cremor terebinthinæ.

Vel R. *Succi hedera terrestris*, Unc. iv.
prassii Unc. ij.

thuris,

myrrh. an. Drach. j.

diapenid. Drach. ℞.

F. Lohok.

Vel R. *Folia brassica recentia ruberrima concisa.*

Coq. in balneo vase clauso. Li-
quor saccharo dulcoretur, & manè
ac vespere bibatur.

Materia tamen expectoranda in
delectu medicamentorum habeatur
ratio. Si enim pus fuerit biliosum,
acre & erodens, eligenda & usur-
panda, quæ acrimoniam ejus miti-
gant & leniunt, ut *hordeum*, *juba*,
passula, *sebest.*, *glycyrrh.*, *amygdal.*
dulc., *pinæ*, *viola*, *capillus ♀.*, *semen*
malva, *sirup. violar.*, *capillorum ♀.*,
rotule diatragacantib. frigid., *diatreos*
simpl. Si verò pus non acre, sed cras-
sius sit, attenuantia, incidentia &
abstergentia usurpanda, ut *hyssopus*,
tussilago, *radic. helen.*, *semen cartha-*
mi, *anisii feniculi*, *carica*, *sirup. de*
hyssop., *de glycyrrh.*, *de tussilag.*, *lob*
sanum & expertum.

Medica-
uentorina
delectus.

Si verò pus nimium crassum sit
& pituitosum, validius incidentia &
attenuantia usurpada, sed moderatè,
& cum arteriacis ac thoracis leni-
entibus miscenda; quo modo & pus
crassum incidetur & attenuabitur,
& humectatione diluetur, & ad ex-
spuitionem aptius reddetur.

Si verò ad vias urinæ vergat, ea,
quæ extergendo urinæ meatus pur-
gant, vel quæ serosam humiditatem
suppeditant, medicamenta exhi-
beantur, ut decoct. ex *rad. aperien-*
tibus, *granis Alkekengi*, *ciceribus ru-*
bris, *capill. ♀.* *sem. 4. frig. major.*

Ut R. *Radi. aperientium macerata-*
rum in vino albo,
glycyrrh. an. Unc. j.

sem.

sem. 4. frigid, maj ana Unc.

j. B.

adiant. M. j.

ciccrum rubror. M. B.

Coq. ad dimidias. Aromatizentur
cum radic. iros Drach. ij. & dulco-
rentur saccharo.

Si verò ad intestina feratur, ex-
hibeatur jus galli decrepiti, decoct
betæ, caulium, graminis, prass,
cassia, quæ thoracem lenire & al-
vum movere possunt, ut & terebin-
thina: vel clysteres abstergentes in-
jiciantur. Tandem sirupus aliquis
abstergens & adstringens nonnihil
adhibeatur, qui intestinorum exul-
cerationem prohibeat, ut sirup. de
rosis simpl. infus. de rosis siccis cum
decocto plantaginis. Vel etiam ad
prohibendam intestinorum exul-
cerationem clysteres ex lacte. fur-
furibus & semine psyllii injiciantur.

Si verò tanta puris copia in tho-
race collecta sit, ut neq; tussi, neq;
per alvum aut urinam expurgari
possit, vel etiam natura eas evacua-
tiones non tentat, aut suffocatio-
nis periculum imminet, ut maxi-
ma adsit difficultas respirandi, tho-
rax aperiendus. Id quod sit non so-
lùm sectione, sed & unctione, ut ex
Hippocrate, 6. aph. 27. patet: Per
unctionem autem hic ab Hippocrate
non talem intelligi putat Mercatus,
quæ ad pus usque penetret, sed so-
lùm efficiat exterius ulcuscula ma-
nantia, per quæ pus sensim expiret.
Verùm aliud ipse textus Hippocra-
tis docet, qui ita habet: *Quicumq;*

*empyici aut hydropici, uruntur aut
secantur, si pus aut aqua, universim
effluxerit, omninò moriuntur. Si enim
ustione saltem talia ulcuscula parari
deberent, per quæ pus sensim exspi-
raret, nullo modo semel confertum
evacuari & inde mortis periculum
attrahi posset. Accusat verò hic Ron-
deletius, lib. 2. cap. 15. timiditatem
Medicorum assistentium & agro-
torum, scribitq; se unctione liberasse
juvenem, qui per annum pus in tho-
race collectum post pleuritiin gesta-
rit, & multos alios, quorum nomina
supprimat. Verùm sectio non so-
lùm tutior est, sed & minore cum
dolore & ægri consternatione con-
juncta.*

Verùm in hac re cautione opus
est, ut primò attendatur, an vires æ-
gri istam operationem sustinere
possint; deinde an aliquid commodi
æger ex sectione illa percepturus sit.
Etenim si pulmo respirationisq; or-
gana ita corrupta sint, ut nulla con-
valescentiæ spes adsit, frustra æger
sectione cruciatur. Itaque maturè
& ante diem 40 & priusquam pul-
mones à pure corruptantur, sectio
instituentur. Qua ratione autem ea
fieri debeat, dictum in Instit. lib. 7.
part. 1. f. 2. cap. 7. de sectione thoracis,
& dicitur etiam de eo in fine hujus
capitis, quest. 2.

Columbus, l. 1. c. 3. etiam inter me-
diastinum, id est, duplicem pleuram,
thoracem in duo secantem, mate-
riam aliquam colligi posse statuit,
quæ perforato sterno tutò satis ex-
trahi possit, à diligenti chirur-

*Cautio in
sectione in-
stitutienda.*

*Sectio &
ustio.*

go rei que Anatomicæ peritissim^o.

*Pus sensim
evacuand^{um}.*

Thorace aperto pus non conser-
tim, sed sensim evacuandum; cuius
si confertim evacuetur, æger moria-
tur, ut modò ex Hippocrate dictum.
Et sufficit, si prò mò ℥ j. ß. extra-
hatur, postea singulis diebus paulò
minus.

Si deniq; neq; per tussim, neq; per
urinam, neque per alvum materia
evacuetur, neque etiam æger se-
ctionem admittat, vel tolerare pos-
sit, vix evadet; sed phthisi morietur.
Nonnulli tamen suadent, ut materia
insensibiliter discutatur & absuma-
tur decocto ligni Guajaci, sarsæ pa-
rillæ, Chinæ & simulum, extrà verò
impositis emplastris & fomentis
discutientibus. Et tentari potest illa
curatio, sed vix ægrum liberabit. Si
tamen experiri libeat, potest fieri
tale Fomentum.

*Insensibili-
ter discuti-
entia.*

℞. *Rad. aristol. rotund.*
ireos, an. Unc. j.
acori veri,
althææ, an. Drach. vi.
hyssop.
origan.
prass.
scabios. an. M. j.
flor. melil.
chamem. an. M. ß.
agaric. Drach. ij.

Coqv. & decocto spongia imbua-
tur & thoraci imponatur. Post fo-
mentationem pectoris regio inun-
gatur oleo nardino, irino, anethino;
Vel imponatur hoc Emplastrum.

℞ *Emplast. diachyl. magni,*
de melilor. an. Unc. j. ß.
ol. irini Drach. vi.
puls. rad. ireos,
spica,
puleg. an. Drach. j.
cera. q. s.
F. Emplastrum.

Vel ℞. *Cortic. radic. ulmi,*
radic. lilior. albor. an. Unc. iij.
malva,
violariæ,
hyperici,
chamemeli, an. M. ij.
Coq. & contenduntur.
Adde *fermenti ex atro pane Unc. iij.*
farin. sem. lini,
fanugraci, an. Unc. j. ß.
ol. amygd. dulc. vel butyri s.
sale,
ol. violar. an. Unc. ij.
F. Cataplasma.

Dieta.

Curationem non parum diæta *Dietæ*
adjuvat. Sit nimirum victus ratio
siccans, attenuans & abstergens.
Ideoque cibi condiendi hyssopo,
fœniculo. Utiles sunt amygdalæ,
pinæ: optima est prisana cum mel-
le, si ad alvum vergat materia. Uti-
lis est & beta & brassica cum butyro
cocta. Si ad renes, jus cicerum cum
petroselino. Abstineat æger à legu-
minibus, fructibus. Potus conve-
niens est hydromel, præcipuè hyf-
sopo conditum. Vinum oligopho-
rum etiam concedi potest, nisi febris
sit magna.

QUÆ.

QUESTIO I.

*Qualisnam sit Febris,
quæ empyemati con-
jungitur.*

cipuè sub noctem, exacerbari debe-
ret.

Alii hæc fieri dicunt, quia pus propius ad sanguinem pituitolum (pituita autem circa vesperam movetur) quam alium quemvis humorem accedat. Verùm pus ad naturam pituitæ non accedit, sed potius à calore p. n. fit, & in thorace detentum incalescit. Ideoq; aliqui id ob humores adustos & melancholicos accidere existimant, qui cum vesperi & noctu moveri soleant, non mirum esse putant, etiam febris empyicorum exacerbationem vesperi incipere & noctu durare. Quod cuilibet perpendendum relinquimus; cum & alii morbi, qui non sunt melancholici, noctu exacerbari soleant. Scribitq; Hippocrates, *lib. 3. de morbis: In omnibus lateris morbis dolores ferè interdium, quàm noctu, leviores sunt.* Cujus rei causa, salvo cujusque judicio, & hæc esse posse videtur, quod nocturno tempore pus magis elaboratur, secundum Hippocratem, *2 aph. 47. Dum pus fit, dolores ac febres magis fiunt, quàm confectio.* Cùm enim nocturno tempore calor & spiritus ad interiora vergant, natura eo tempore ad concoquendam materiam magis apta videtur. Et si verò in empyemate pus jam confectum sit: tamen quia natura nunquam est otiosa, ea materiam purulentam; quamdiu in corpore hæret, magis magisque elaborare nititur.

Febrem empyemati conjungi certum est. Vapores enim putridi ex pure cordi vicino communicantur, quod inde incalescit, caloremq; p. n. in totum corpus diffundit. Verùm qualisnam sit febris illa, non eadem videtur esse omnium sententia. Nos supra diximus esse illam lentam putridam, quæ interdium mitior est, circa vesperam exasperatur, & noctu est acerbior, tandemque hæcticam inducere potest; quod jam porrò explicandum.

Nonnulli quidem febrem istam saltem hæcticam planè esse putant. Verùm putridæ notæ satis adsunt, & inter reliquas etiam circa noctem exacerbatio. Galenus equidem *1. de differ. febr. c. 9.* empyicorum febrem etiam ad hæcticas refert; quod verò interdium minus, noctu magis infestat, ad alimentum assumptum & vaporem ex eo ad solida membra calentia distributum refert, *2. prognost. t. 60.* Verùm etsi non negetur, si febris empyicorum hæcticam tandem sibi asciscat, post sumptum cibum ob causam modò dictam exacerbari posse; tamen si illud hac saltem de causa fieret, non solum vesperi post coenam, sed etiam de die post prandium, & ita bis, non verò præ-

QUÆ-

*Qualisnam
sit febris,
quæ empye-
mati con-
jungitur.*

QUESTIO II.
Quo in loco Sectio thoracis in empyicis instituenda sit?

*Quo in loco
 sectio tho-
 racis insti-
 tuenda.*

Quo in loco sectio thoracis in hoc morbo sit instituenda, non omnes idem docent. In *Instit. l. 5. p. 1. sect. 2. cap. 7.* inter 5. & 6. costam sectionem faciendam esse diximus, fecimusq; id autoritate Pauli Æginetæ, *lib. 6. c. 44.* & Hieron. Fabric. ab Aquapend. *de operationibus chirurgicis, cap. de thoracis sectionibus*, qui pluribus ibi hac de re agit, & consuli potest. Alii tamen aliud sentire videntur. Hippocrates, *2. de morbis*, de suppuratione ex peripneumonia agens, si utroq; in latere pus sit, sinistrum latus eligit, quod eò loci minus lethalis sit operatio, propterea proculdubio, quod epar gibbâ sui parte diaphragma sursum eleuat, & ut locus magis tumidus est & dolet, sectionem instituit; sed locum determinatum seu costam ibi non definit. Alibi verò, *in libro de internis affectionibus*, cutem & carnem usq; ad tertiam costam ab ultima fecat, & postea terebrâ cavâ costam perforat.

Guido de Cauliaco, *Chirurg. sua doct. 2. c. 5.* apertionem thoracis fieri jubet inter 3. & 4. costam; securius tamen inter 4. & 5. Amatus Lusitanus, *cent. 5. curat. 61* etiam inter 3. & 4. costam sectionem feliciter institui docet, idq; in Anatomia Ferrariæ se deprehendisse. Scribit imò; etiam si

intra 2. & 3. costam sectio instituat, id sine latione septi transversâ fieri posse; aliosq; qui loco altiore sectionem instituunt, reprehendit. Henricus Smetius *Miscellaneor. lib. 7. p. 355. & lib. 10. p. 533.* sectionem inter 10. & 11. & costam notham, seu proximè & contiguè undecimæ, hoc est, inter penultimam & antepenultimam costam à jugulo deorsum numerando, seu inter secundam & tertiam sursum ab ultima costa notha numerando sectionem feliciter, & cum ægti commodo ac salute instituisse refert.

Ex hoc dubio ut nos expediamus, sciendum, duo in loci electione attendenda esse: primum ut operatio tuto instituat, id est, nihil in thorace, unde ægro aliquod periculum imminere possit, violetur, pericardium scilicet, pulmones, diaphragma, venæ item & arteriæ insignes ac nervi: secundo, ut per locum, in quo sectio instituitur, pus commodè evacuari possit. Ne ergo pericardium violetur, thorax neq; in anteriore, neq; in posteriore parte perforandus est sed in latere. Ne autem violetur diaphragma, sectio in loco non nimis humili peragenda est, ne diaphragma, quod pleuræ annectitur, & quod in respirando elevatur. De quibus prolixius agit Hieronymus Fabricius, *loco alleg.* Ut autem pus commodè effluere possit, sectio loco non nimis alto instituenda, è quo pus non facile effluere possit.

Ex quibus decisio hujus quæstionis facile patet. Si enim, qui inter 5.

*Duo in loci
 electione
 obserbanda.*

*Decisio
 quæstionis.
 & 6.*

& 6 costam, aut certè inter 4. & 5. sectionem instituunt, tutissimum locum eligunt. Aliàs enim si loco humiliori sectio instituat, metus est, ne simul diaphragma lædatur, quod non fit sine periculo, cum pars sit nervosa. Quod ipsum etiam præcaveri iussit Hippocrates, 3. de morbis: *Quod si, inquit, præ creffitudine humor non fluctuet, rix spirituum frequenter trahat, & pedes intumescant, & tussicula aliqua adsit, ne te decipiant hæc, sed thoracem pure plenum esse probè noris, proinde in terra E. ytriade liquida, vel trita ac tepida linteum tenue tingito, eoque thoracem circumcirca integito, & quâ parte primùm ressecatum fuerit, eâ secato aut urito, quàm proximè ad septum transversum, cavendo tamen, ne hoc ipsum lædas.* Qui verò inter 3. & 4. inter 2. & 3. costam sectionem instituunt, locum ad puris evacuationem commodissimum eligunt. Quo enim foramen propius est diaphragmati, pus faciliùs effluit, sicut videmus, ex dolio liquorem omnem faciliùs effluere, si versus fundum proximè foramen fiat. Itaq; ut hæc concludamus, consultissimum est, Hippocratis consilium, in 3. de morbis, sequi, & explorare, quo loco pus maxime hæreat, & in eo sectionem instituire, quàm proximè ad septum transversum, cavendo tamen, ne id lædatur. Et credibile est, diaphragma à puris copia deprimi, ut non tantum elevetur, quantum in homine sano; & proinde loco etiam humiliori sectio sine periculo & læsione dia-

phragmatis institui possit. Si verò de hoc dubitetur, & proinde quis tutò omnino agere velit, & Paulum Aeginetam ac Fabricium ab Aquapend. sequi, is ægrum postea ita locare debet, ut pus commodè effluere possit.

De thoracis etiam in empyemate sectione videatur Vesalius, in opusculo hæc de re edito, quod allegat Schenckius, lib. 2. observ. 131.

CAPUT XX.

De Hydrope pectoris.

Empyemati cognatus affectus est, quem *ἔδερρον* & Hydropem pulmonis ac pectoris nominant. Ut enim in empyemate pus in thoracis cavitate colligitur, ita in hydrope pectoris aqua & ferosi humores in cavitate thoracis colliguntur, quibus & ipse pulmo sæpe repletur. De quo Hippocrates, 2. de morbis, quem locum supra, cap. 9. adscripsimus. Et aliquot morbi hujus historias ex variis Autoribus collegit Schenckius, lib. 2. obs. 52 & seqq. Unum etiam exemplum habet Dn. D. Gregor Horstius, in epistol. Medic. sect. II. pag. 44. annotavitq; etiam similem observationem Dn. D. Döringii, lib. 4. de febr. cap. 12.

Cum autem affectus hic, etsi forsitan satis frequens, cogniti sæpe satis sit difficilis, a. plerumque maiora causa in obstructa pulmonis vasa solùm referatur; unam atq; alteram ejus historia in Caroli Pisonis lib.

de morbis ex illuvie serosa, addere libet. Primò refert, Nobilem virum annos octoginta jam excedentem sensim gravi difficultate spirandi opprimi cœpisse, & eâ, quidem, quæ de nocte potissimum ei negotium exhiberet sub primum somnium. Tum enim suffocationis periculum subito somnium interrupisse, ut è lecto surgere & ad fenestras liberio rem aërem captare cogeretur, & spiritum altum traheret, nullibi que locorum consistere placidè posset. Quæ angustia sensim die proveniente remittebat, & sub noctem iterum urgebat. In mortui cadavere repertus pulmo & præcordia in plurima aqua septicis thoracis interclusa innatantia.

Alius nobilis cum inveterata orthopnæa multis annis ac febre laborasset, morbi vi tandem subito jugulatus est. In ejus cadavere, præter inflammatorium in epate tumorem repertus hydrops thoracis, sed in uno duntaxat latere, & pulmo vesicis humore consistente lentoque ac pellucido instar albuminis ovi prægnantibus refertus.

Causa.

Causa. Statuunt quidem nonnulli, etiam à cerebro per asperam arteriam serosam illam materiam descendere. Verum probabile non est, tantam copiam à cerebro destuere, & si id fieret, in pulmones destillaret, & diuturna tussis præcessisset, de qua tamen, qui hoc

malum incurrunt, sæpe conqueri non solent. Credibile magis est, humorem serosum vel colligi primario pulmonis vitio, dum is frigidus est & debilis, & alimentum suum non bene concoquit, sed in aquosum humorem mutat, vel in toto corpore, vel, ac præcipuè, circa epar & lienem in abdomine colligi, atque inde aut cum ipso sanguine ad pulmonem mitti, aut ex abdominis cavitate cœcis ductibus in thoracem penetrare; quod in hydropicis sæpe animadvertitur. Hinc accidit, ut malum quandoque in thōrace initium sumat, & tandem in hydropem degeneret: & contra sæpe evenit, ut in hydropicis humor serosus ex abdomine in cavitatem thoracis penetret. Per quas vias autem humor serosus in cavitatem thoracis penetret, non adeò planum, & potest id forsitan variis modis accidere. Nam vel vaporis specie humor in cavitatem thoracis penetrare potest, ibiq; rursus condensari; quod facile fieri potest, cum membrana thoracem intus succingens satis densa sit: vel etiam serum sub propria abundat, ut in ventre inferiore in abdomen: & ut Hippocrates, *6. epid.* loquitur, ἀνεύθρονες ὄντες ἀντὶ τῆς ἐπιπέρας τῆς ἐπὶ τῶν σπλῆνος διαστοίας. Invenit natura etiam sine ratione sibi ipsi vias.

Et plerumq; in ventre inferiore causa mali hæret, ac nutritionis vitiosa scirrhusa aut vesicis aqua plenis referta deprehenduntur: unde etiam

etiam pedes intumescunt, facies pallet & cachexiæ signa adsunt. Accedit autem hoc malum præcipuè iis, quibus thorax ac pulmò vel à primò ortu, vel ab occasione aliqua debilis est, & ad recipiendos superfluos humores aptus. An verò etiam à corde vel pericardio humor hic provenire possit, considerandum. Lectori relinquo. Semper enim humor aliquis in pericardio reperitur, qui præternaturam etiam augeri potest, cum sanguis arteriosus admodum serosus sit, & hinc ad thoracem penetrare. Videatur etiam Columbus, *lib. 15. anatom. de hydropica*, in qua epar & lien salvus inventus fuit, abscessus verò & putredo in corde. Et Dodonæus, *in anat. cap. 35. observat. Benivenii*.

Differentia.

Differentia præcipua est, quod aliquando aqua in toto thorace continetur, aliquando in altera saltem ejus parte.

Signa diagnostica.

Percipitur in thorace dolor gravans ob materiæ aquosæ abundantiam, & plerumque sonitus aquæ fluctuantis, dum æger corpus movet, deprehenditur. Tussis est sicca. Est enim materia multa in pectore abundat: tamen natura eam nec coquere, nec ob tenuitatem expellere potest. Respiratio est difficilis, frequens & parva, ægerq; quasi suffocari videtur, ob organorum respiratoris angustiam, & diaphragmatis

à materia incumbente compressione, & imprimis illa in respirando difficultas & crebritas somni primò tempore ægrum subito invadit. Sitis est molesta, ob pulmonem exsiccatum. Est enim aqua in thorace abundat, ea tamen falsa est. Appetitus dejicitur: accidunt interdum animi deliquia & palpitationis cordis, color faciei pallidus est, & palpebræ ac pedes intumescunt: latus intrinsecus acetum olet, non tamen semper, si scilicet materia in thorace moram trahat & corrumpatur. Accedit interdum etiam febris, cujus quoque Hippocrates, *allegato loco, meminit*. Materia enim ista serosa in thorace moram trahens acrimoniam acquirit, tandemq; putrescit & febrem accendit.

Prognosticum.

Malum est curatu difficile & rarò sanatur. Ut Hydrops ex caloris nativi viscerumq; debilitate provenit, ita & hic ex eadem causa ortum habet. Et licet quandoque morbus spontè solvi videretur, erumpente ad alium aqua: tamen paulò post malum, & quidem gravius, recrudescit, & incrementum paulatim sumit, tandemq; in hydropem vertitur ægerq; suffocatur.

Indicationes & Curatio.

Materia aquosa pectus & pulmones replens evacuanda, ejusque generatio, undecunque etiam proveniat, præcavenda. Et quia humor

hic coctionem nullam recipit, eam etiam expectare opus non est, sed statim eum evacuare convenit iis medicamentis, quæ aquas e corpore educere solent. Ut viæ tamen, per quas effluere debet, aperiantur, commodum fuerit. Hinc etiam Autor libri *de morbis, loca supra, cap. 9. allegato*, scribit, si materia ad alvum erumpit, ægrum statim sanum & à morbo liberatum videri. Et observatum, morbum hunc permutatum fuisse in herniam aquosam, simulq; per alvum effluxisse aquam, & sic evasisse ægrum, & integrè restitutum fuisse. Id quod accidit, ubi non ex toto materia ad pectus fertur, nec viscera naturalia, nec pulmones insigniter læsi sunt. Secus enim si res se habeat, temporis progressu alvus incenditur, eademq; illa, vel adhuc amplius patietur æger, ut idem Autor, *ibidem*, loquitur.

Utilia autem hic sunt imprimis mechoacanna, radix gialapa, gummi gotte, succus radicum sambuci ad Unc. j. vel Unc. j. si sumptus, succus radicum ireos, elaterium ad gr. iij. exhibitum. Educenda est autem materia paulatim, & medicamenta purgantia repetenda sunt. Hippocrates & antiqui etiam sectionem thoracis instituebant, de qua, *capite precedente*, dictum. Verum cum ea præsentem solum materiam exhauriat, futuræ autem regenerationem neququam prohibeat, si pulmones vel viscera sint corrupta, omnino inutilis est, & Medico ignominiam parit.

Potest tamen etiam serum per urinam evacuari. Atque ab hoc auxilio Cæsar Maximilianus II. plurimum commodi sensit, qui cum pectoris hydrope cum cordis palpitatione ad annos viginti laborasset, uno interdum die ad sex libras mixxit, cumq; motus ille materiæ impeditus esset, suffocatus est, ut refert ipse Medicus, Joh. Crato, *in epist. à Scholtzio collect. epist. 136.* Diuretica autem talia proponuntur, de *hydrope*.

Est etiam utilis aqua hæc D. Döringii:

R. Rad. calam. aromar.

rufhani marini, ana

Unc. iij.

rufci Unc. j.

cortic. & sem. ebuli, an. Unc. ℥.

agrimonia M. j.

Incisa & commixta cum epate & pulmone vituli infundantur hor. 24. in aq. apii.

cotula fetida, ana ℥ iij.

vini Rhenani ℥ ij.

Fiat f. a. destillatio suspensâ in alembico cortic. citri siccor. in nodulo ligat. Unc. ℥.

Verum etsi modis his omnibus materia quandoque evacuari possit: tamen id semper tentare adeo tutum non est; cum à calore medicamentorum agitata materia difficilem respirationem, suffocationemq; excitare possit. Ideoq; turissimum videtur, ut materia sensibiliber evacuetur, aperto thorace. Et quidem maturè id faciendum, secundum præceptum Hippocratis, *6. epidem. sect. 7.*

Diuretica
utilia sunt.

Aqua D.
Döringii.

Cumtito.

Act. 7. ἰδαλῶδες ἴσσον τέμνειν, ne ab aqua pulmones corrumpantur. Materiâ evacuâtâ danda opera, ut ejus generatio prohibeatur, viscerumque morbi, intemperies, obstructio, scyrhus, medicamentis, de quibus in doctrina de hydrope dicitur, emendetur. Et cum materia serosa facilè rursus generetur, ejus purgatio per intervalla repetenda.

mentumq; ad pectus fluctatur, unde & eloquendi & spirandi potentia tollitur, homoq; subitò jugulatur.

Cervicis verò vertebræ & luxantur, & subluxantur. Et si integrè luxantur, celeriter homo interit. Etenim spinalis medulla in prima origine & nervi ab ea oriundi comprimuntur, unde spiritus animales in membra inferiora influere non possunt, & ipsa respiratio tollitur. Subluxatio verò fit in partem anteriorem, & tum collum distorquetur, caput moveri nequit, facies livet, locus affectus dolet, & spirandi ac loquendi difficultas ad est. Malum tamen minus periculosum est, quàm luxatio. Statim verò iis occurrendum. Quod fit, si æger in humili sella sedeat;

*Cervicis
vertebrarum
luxatio.*

Subluxatio.

Chirurgi verò minister toto corpore scapulis & humeris ægri incumbat, Chirurgus autem caput utrinque ad aures comprehensum concutiat, & in omnem partem moveat, donèc vertebra suo loco restituantur. Quod ubi factum dolor statim remittit, caputq; iterum moveri potest.

Frequentissima verò luxatio dorsiflèst, quæ in genere Gibbositas nominatur, & qui ea laborant, Gibbi dicuntur. Luxatio autem ista non est ejusdem generis. Luxantur enim vertebræ vel extra, vel intrò, vel ad latus alterutrum. Et quidem ad latera id fit frequenter; extra frequentissimè; intrò rarissimè; eâ de causa, quia in spinæ parte, quæ cavitatem thoracis spectat, inter vertebrae est cartilago multa & crassa, quæ pro-

Gibbositas.

Ejus spectio.

CAPUT XXI.

De Vertebrarum dorsiflèxi- laxatione. & Gibbositate.

Spina dorsiflèxi est multis vertebrae componitur, quæ peculiari articulatione inter se coherent & connectuntur, ut ad inflectendum, in anteriora præsertim, apta sint, in quomotox ne sedibus suis excidant vertebrae multis & variis ligamentis firmatae sunt. Quandoq; tamen causarum præternaturalium violentia è sede sua exturbatur, & quidem nunc tota, quæ luxatio est; nunc ex parte saltem, quæ subluxatio nominatur.

Et quidem primæ vertebræ caput infidet, è qua tamen quandoq; versus posteriora etiam excidit, quo fit, ut spinalis medulla comprimatur,

Cauterio.

Dietæ.

*Vertebra-
rum dorsiflèxi
luxatio.*

Primæ vertebræ luxatio.

hibet, ne spina facilè versus anteriora luxari possit, in reliquis verò positionibus nullum adest impedimentum.

κύρσις,
seu gibbositas.

λόρδωσις,
seu repanditas.

σκολίωσις,
seu obliquatio.

Σείσις,
seu quassatio vertebrarum.

Cum versus exteriora vertebræ luxantur, & sedibus suis excidunt, tumor in dorso apparet, malumque hoc propriè Græcis κύρσις, κύρσις & ὕβωσις, Latinis Gibbositas nominatur. Si verò versus anteriora fiat luxatio, cavitas in dorso apparet, tumor verò ante & circa sternum, & tum λόρδωσις appellatur, quod verterunt Repanditatem, Recurvitatem & Gibbositatem ad interna. Si autem in latus alterutrum fiat luxatio, dicitur σκολίωσις, Obliquatio & Tortuositas.

Galenus, 3. de artic. text. 2. & 6. aph. 46 quartum adhuc vitium vertebrarum spinæ dorsi adjungit, quod σείσις, id est, Quassationem nominat, quando vertebrarum junctura & compages dimovetur, vertebræ tamen in sede sua mane. Quod malum, aut certè huic cognatum, forsitan est illud malum, quod Germani das Rheethum appellant, & quod nonnulli frequenter pati dicuntur. Conqueruntur hoc modo affecti de dolore dorsi & circa ventriculum, appetitus dejicitur, nonnulli vomunt, caput dolet, nonnullos etiam & præcipuè infantes calor quasi febrilis corripit, imò sæpe febris satis magna, quæ ob symptomata conjuncta malignam, quandoque simulat. Atque hoc sibi accidere dicunt, cum grave onus ali- quod sustulerunt, vel alio modo ve-

hementer & inordinatè spinam dorso moverunt aut inflexerunt.

Curandi rationem hanc habet.

Curatio.

In infantibus candelam ceream accensam umbilico applicant, & olulam imponunt, eamque instar cucurbitæ affigunt & adherere permittunt, donec spontè decidat. In adultioribus verò quasi luxationem hoc malum curant, atque alii aliter. Plerique brachia decussatim pectori injiciunt, manibus intergum reflexis, quas alius à tergo sedens, & genua sua dorso applicans apprehendit. agrumque hoc modo concutit, donec quidam strepitus audiatur. Tum enim vertebris suam compagem restitutam esse dicunt. Exhibetur etiam cum commodo unguentum rubrum potabile, oculi cancerorum, & similia, quæ lapsis & percussis exhiberi solent medicamenta. Mulierculas etiam sæpe falso ad hoc malum præcipuè in infantibus, recurrere scio, & licet infantes febribus laborant, id huic malo imputant. Siquid tamen tale seu infantibus, seu adultis revera accidit, causa est σείσις seu quassatio vertebrarum ex causa aliqua violenta, & quidem undecimæ vel vicinæ alicujus vertebræ, ubi orificium ventriculi dorso alligatur, è ejus & membranarum id dorso annectentium extensione præter naturam ista symptomata oriri credibile est.

Nonnulli adhuc quintum genus addunt, curvitatem scilicet, quæ decrepitis accidit, quod tamen potius

Curvitas
decrepitorum.

tius incurvitas, ut dixi, quàm gibbositas, nominandum; cum iis, qui corpore sunt procerò, in decrepitate atate corpus in anteriora incurvetur, vertebris quidem non luxatis, sed totà spinà incurvatà.

Differentia.

E quibus, quæ luxationis vertebrarum sunt differentia, patet. Addo & hoc, quòd aliquando ea accidit in thorace, aliquando sub diaphragmate.

Causa.

Causæ à quibus vertebræ loco suo dimoventur, sunt vel Externæ, vel Internæ. Externæ sunt casus, percussio, inflexio nimia, & similes causæ violentæ. Quòd pertinet etiam nutricum imprudentia, quæ infantes fasciis nimis arctè aut inæqualiter constringunt, aut in brachiis gestant, antequam spina tam firmata est, ut erecti sedere possint, aut si, dum infantes è cunis elewant, dorsum manu alterà non fulciunt. Huc referenda est & vestium nimia constrictio, ob quam causam puellæ gibbosæ interdum fiunt, dum matres, ut eas junceas reddant, thoracem arctius & violenter constringunt. Consuetudo etiam frequenter corpus in partem anteriorem vel latera flexendi malo huic materiam præbere potest.

Causæ Internæ sunt, primò nativa & vitiosa in utero conformatio; unde etiam sæpe hæredita-

rium malum est. Deinde humores vitiosi, qui ligamenta spinalis medullæ laxiora reddunt, sive aliunde affluant, sicut id à capite factum esse annotavit Guilielmus Fabricius, *cent. 1. observ. 45.* sive circa spinam à nativa vel ascititia earum partium imbecillitate colligantur. Quòd facit maximè ligamenti nervosi, quo vertebræ connectuntur omnes; debilitas. Id enim cum tenaci & glutinoso humore ob motus vertebrarum commoditatem circumfusum sit, ei nonnunquam alius frigidus crassus humor per catarrhos commiscetur, unde ligamentum hoc & nexus vertebrarum laxior redditur, vel tumor excitatur. Tertio tumor intus ad spinalem medullam natus; de quo Hippocrates, *.6. aphorism. 46.* Talia enim tubercula, ut & musculi adjacentes, si intumescant, vertebras loco suo dimovent. Trahuntur autem & dimoventur à talibus tumoribus vertebræ nunc intrò, nunc extra, pro situ tumoris. Si enim tumores duo obliquantur ligamenta internà duarum aut plurium vertebrarum, inter quas una, duæ aut plures interjectæ sunt vertebræ nullo tumore occupatæ, tum vertebræ à suis ligamentis tumore trahuntur, compelluntque vertebras, quæ sunt intermediæ, à suo loco dimoveri, & fit *κύβωσις*, perinde ac ramus viridis, si ejus duo extrema in se contrahantur in medio curvatur. Si verò unus vel duo, vel plures tumores, inter

quos

Differentia.

Causa externa.

Nutricum incuria in infantibus fasciis constringendis.

Internæ.

quos nulla interjecta est vertebra, adfint, ligamenta, quæ occupant, ad se trahunt in partem interiorem, & sic simul vertebra intrò trahitur, & sic *λόρδωσις*

Signa diagnostica.

Signa.

Malum hoc visui & tactui patet. Et quod vertebrae suo loco motæ sint, & quo in loco, visu & tactu explorari potest. An etiam vertebrae versus interiora vel exteriora vel ad latera luxatæ sint, visu dignoscitur. Symptomata tamen etiam provenientia mali ejus qualitatem edocent. In *κυβάσει* vertebrarum thoracis spiritus difficulter & cum sono trahitur, sternum fit strictius. In *λορδώσει* maxima adest spirandi difficultas, movendiq; in partibus inferioribus impotentia. In *σκολιώσει* plerumque excitatur paralytis in parte luxata, & convulsio in opposita. Quibus spina ad lumbos gibba est, renum & vesicæ vitia superveniunt, & plerumque sunt infæcundi. Ad paralytin tamen partibus inducendam imprimis modus luxationis multum potest. Si enim luxatio fiat repente & sit magna, compressa spinali medullâ, & nervis inde oriundis, accidit paralytis. Si verò sensim vertebrae luxentur, interim spinalis medulla, quæ mollis est, extendi potest, unde nihil mali patiuntur. Qua de re videatur Galenus, 4. de loc. affect. cap. 3. Symptomata, quæ ex luxatione duarum vertebrarum lumborum ex lapsu ab arbore su-

pervenerunt, recenset Guilielmus Fabricius, cent. 5. observ. 680. Post calum, inquit, supervenit dolor acerbissimus, qui longum tempus duravit, cibum indigestum evomit, nihilq; cibi & potus per aliquot dies retinere potuit. Febris quoque ardentissima, sitis inexhausta, vigiliæ, inquietudo, ariditas linguæ, tandemque delirium supervenit. Statimque post calum inferiores partes corporis ab umbilico paralyti correptæ fuerunt; quapropter nec excrementa alvi, nec urinam continere potuit. Gibbis plerumque anhelitus foetet; quia, ut Aristoteles docet, thorax est angustior, quam ut pulmones satis dilatari possint, unde humores & vapores in eo corrumpuntur.

Prognostica.

1. Morbus hic est curatu difficilis, præsertim si malum amplius non sit recens, & sæpe est incurabilis. Prognostica.
2. Hereditaria, & quæ à primo ortu & conformatione obviat, gibbositas incurabilis est.
3. Quæ à causa externa fit gibbositas, sæpe est sanabilis, ac quæ ab interna, vix unquam sanatur.
4. Si plures vertebrae ordine sese consequentes simul luxentur, minus periculosum malum est, quam si una saltem luxetur. Una enim vertebra si solum luxetur, cum in acutum angulum desinat, Spina-

spinalem medullam comprimit, & eam valdè lædit. Si verò plures vertebræ simul luxentur, & obtusum angulùm efficiant, minus spinalem medullam comprimunt.

5. Luxatio integra longè periculosior est, quàm subluxatio; quia graviora symptomata infert.

6. Luxatio introrsum facta ferè habetur pro incurabili ab Hippocrate, *libr. de artic.* Paulo Ægineta, *libr. 6. cap. 117.* Avicenna, *libr. 4. fen. 5. tract. 1. cap. 21.* Quomodo enim quis ab anteriore parte per ventrem coactionem facere possit? Guilielmus Fabricius tamen, *sent. 5. obs. 69.* id non planè pro impossibili habet, & modum curandi ibi proponit, ut infra dicitur; sed videtur difficilis, modò non sit planè impossibilis.

7. Quicumque gibbi ex asthma vel tussi fiunt ante pubertatem, moriuntur. Hippocrates, *6. aphorism. 46.* Calor enim circa annos pubertatis auctior majorem & liberam respirationem requirit: ipsa quoque viscera in thoracis cavitate, cor & pulmo, augentur. Quia verò tuberculum in majorem molem excrescit, & ipse thorax non fit amplior, impedita spiratione calor insitus paulatim languescit, tandemq; suffocatur. Et cum ob ipsam asthmaticam dispositionem difficilis fiat respiratio, malum duplicatur, gibbositate accedente, ut non sit mirum, hominem in adolescentia mori.

L. II.

8. Qui verò gibbosi fiunt ex aliis causis, quàm hu moribus frigidis, ut tussi, ictu, humorum defluxu, non necessariò tam brevis vitæ sunt, sed sæpe diu vivunt.

9. Qui verò gibbi fiunt post pubertatem, cum in iis thorax jam naturalem magnitudinem habeat, non tam citò moriuntur.

10. Quicumq; ab infantia statim gibbosi sunt, iis costæ vel parùm vel nihil in latum crescunt, sed fortis antorsum porriguntur, unde petori sua latitudo decedit, atque in eo fiunt asthmatici, pulmonibus compressis. Quin etiam cervicem & magnam vertebram in anteriorem partem recurvatam habere coguntur, ut & iis caput primum sit. Atq; igitur magnam faucibus angustiam exhibet, cum intrò vergat.

Curatio.

Indicatio hîc unica est, vertebram *Curatio* sua sede, è qua prolapsa est, restitue- re, id quod in tenellis corporibus fieri potest, in luxatione extrorsum facta, si spina dorsî, qua ad extra gibba est, quotidie ab axillis ad os sacrum verius leniter manibus intrò comprimatur. Iisdem corporibus ahiberi possunt thoraces ferrei, quibus vertebræ ad sua loca intrò comprimuntur & compelluntur, quaslem depinxit Ambrosius Paræus, *lib. 22. cap. 8.* vel saltem lamina ferrea thoraci insatur, & emplastra & inunctiones ex medicamentis nervos roborantibus & consolidantibus adhibentur; de qua vide

P p

Guiliel-

Guilielmum Fabricium, *cent. 5. observ. 67.*

In adultis verò gibbositas non nisi Chirurgiæ opera, & plerumque per peculiaria instrumenta, quæ de pingere facilius, quàm describere, curantur. Quæ de re videatur Hippocrates, *3. de articul. & Galenus, in comm. Oribas. de machinis c. 35. Paulus Ægineta, lib. 6. cap. 117. Cornel. Celsus, lib. 8. cap. 14. Paræus, lib. 5. cap. 15, & 16.*

Luxationis verò spinæ dorsæ ad interiora curatio ab omnibus penè habita est pro impossibili. In corporibus tamen tenellis, si malum sit recens, emplastra fortiter adhærentia applicari possunt, quibus avulsis spina versus exteriora retrahi potest; de quibus dictum, *lib. 1. p. 1. cap. 20. de cranii depressione, & etiam capite 25. dicitur.*

In adultis verò etiam aliquid tentandum censet Guiliel. Fabricius, *cent. 5. observ. 69* primò quidem extensione, & spinæ ejusdem nunc in dextrum, nunc in sinistrum latus concussionem, & ventris in altum elevationem, per instrumenta ab Oribasio & Paræo *locis allegatis*, depicta. Deinde dorsæ incisione, usq; ad vertebra luxatam, & vertebra, quæ post incisionem tenaculis aptis in appendice deprehendenda est, in altum elevationem. Verùm modus hie tutus vix videtur, & pauci tam ancipiti curatione se se subji-

UNC.

CAPUT XXII.

De Fractura Spinae, & Vulneribus spinalis Medulla.

Interdum etiam accidit, ut à causis externis & violentis spina dorsæ & ejus vertebra frangantur & contendantur. Fractura plerumq; lethale malum est, ob spinalis medullæ & nervorum læsionem. In contusione hoc usurpetur Cataplasma:

℞. Farin. hordei,

fabar. an. Unc. j.

semin. fenigræc. Unc. ʒ.

pulv. flor. chamemel.

absinth.

cumini, an. Drach. ij.

croci Scrup. ʒ.

rad. consolid.

major. minoris, an. Unc. j. ʒ.

Radices ad molliorem coquantur & per setaceum trājiciantur, postea adde reliqua, & fiat f. a. Cataplasma.

Si spinalis medulla vulnerata sit, cum ex ea partes inferiores nervos accipiant, inferiores partes omnes vel resolvuntur, vel convelluntur, malumq; est periculosum, quia cerebrum in consensum trahitur, ac dolor & febris excitatur, raroque agri, præsertim si vulnus sit magnū, convalescunt. De quo etiam Hippocrates, *2. prædict. Si spinalis medulla aut ex casu, aut aliâ quapiam causa externa, aut suâ sponse laboravit,*

CRURUM

Fractura
Spinae.

Contusio
Spinae.

Vulnera
spinalis
medulla.

ururum impotentiam facit, ut ne tantum quidem percipiat ager, & ventris & vesicae, adeo ut primis quidem diebus stercus aut urina nisi coactè reddatur. Quod si morbus invaluerit, & stercus & urina agro inscio prodit, eandemq; non longo post intervallo perit.

Cum autem spinalis medulla quasi cerebrum oblongatum sit, eadem etiam medicamenta ei, quæ supra, lib. 1. part. 1. cap. 24. de vulner. cerebri proposuimus, adhibenda.

CAPUT XXIII.

De Tabæ Dorsali.

Facit etiam Hippocrates lib. 2. de morbis mentionem tabis dorsalis. Dorsalis tabes, inquit, ex spinali medulla oritur, præcipue verò recentes sponso & libidinosos corripit. Febris sunt expertes, bene comedunt & colliquantur. Quod si ita affectum percontentis, asseret, sibi videri ex superioribus partibus à capite velut formicas in spinam demitti, cumq; urinam aut stercus reddit, semen genitale copiosum & liquidum ei prodit, neq; generatio fit, & inter dormiendum, cum uxore dormiat, nec ne, Veneris ludibria patitur. Cumq; aliàs, tum præcipue per locum arduum iter fecerit aut cucurterit, anhelosus & imbecillus evadit, caput gravatur, & aures sonant. Hic temperis progressu vehementibus febribus correptus perit ex lippria febre.

Quatuor autem, ut, in commentario; addit Petrus Salius Diverfus, tabis dorsalis apud Hippocratem oe-

currunt differentiæ. Prima est ex nimia Venere; altera, ex sanguine copiosiore in spinalem medullam irruente; tertia, ex ejusdem resiccatione; quarta, ex prava destillatione in eandem incumbente.

Primam differentiam quod attinet, potest illa confirmari historiâ Satyri, 6. epid. sect. 8. text. 52. qui cognomento Grypalopax vocatus, annos 25. natus non solum sæpius per somnum genitale semen excrevit, sed & per diem illi multoties promanavit. Cum autem jam annum trigessimum attingisset, tabe correptus mortuus est.

Hippocrates morbi hujus causam proculdubio hanc esse statuit, quod semen ex cerebro per spinalem medullam ad membra genitalia proveniat, ut, ex lib. de aere, aquis & locis. lib. de genitura & natura pueri, videre est; quæ de re hinc non disputo. Hoc tamen certum est, & totum corpus ex nimio seminis profluvio contabescere, & cerebrum insigniter lædi, & proculdubio etiam spinalem medullam, quæ cerebrum oblongatum quasi est; unde succedit tanta corporis impotentia, ut ex omni motu validiore, ut cursu vel in locum acclivem ascensu difficultas spirandi sequatur. Et si verò in principio nulla adsit febris: temporis tamen progressu, & facultatibus omnibus debilitatis febris tandem putrida succedit, quæ plerumque est è malignarum genere, in quibus interiora uruntur, exteriora frigent.

Prima.

Causa
ejus.Tabæ dor-
salis.Differen-
tia.

Universalibus autem præmissis Hippocrates lac asininum, deinde bubulum per 40. dies præbet, & postea cibis mollibus, ipsum reficit.

Secunda.

Secunda tabis dorsalis differentia est, cum calor spinalis medullæ insitus à copiosiore sanguine obruitur & ferè extinguitur.

Tertia.

Tertia, cum occlusis meatibus, per quas nutrimentum ad eam defertur, exsiccat.

Quarta.

Quarta, cum prava destillatio in eam decumbit; cujus exemplum habetur apud Guilielmum Fabricium, cent. 1. observ. 45.

Lumbago.

De ista tabe dorsali pluribus agit Balduinus Rosseus, epistol. 32. quæ etiam, tract. de scorb. epist. 4. habetur, quam hic proponere libet: *Morbis, quem Græci λόρδωσιν, Latini Lumbaginem appellant, est Hollandis tum propter rationem victus, tum loci ipsius qualitatem uliginosam prorsus, familiaris planè, ac propemodum indigena, quanquam & aliis locis illos soleat invadere, qui immoderatiore utuntur Venere. Nam, sicuti, lib. 2. de morbis, autor est Hippocrates, corripit maxime sponso, atq; Veneri dedito, proditq; ipsis genitale semen multum ac liquidum, & genitura in utero non manet, & in somnis semen profundunt, sive dormiant cum uxore, sive non. Verùm hanc tabis dorsalis speciem, sicuti puto, non est quod metuamus: quando verisimile magis sit, morbum tum originem traxisse à materia pituitosa sanguini, aut flatibus, aut melancholia mixta, per modum catarrhi à capite per venas in spinalem medullam deslu-*

ente. Siquidem cum septem sint catarrhum aut defluxionum species, ut auctor est, libro de glandulis, Hippocrates, quibus cerebrum sese exonerare solet, per nares dico, per aures, per oculos, per palatum in guttur ac gulam, ac reliqua per venas in spinalem medullam, & sanguinem; necessum est, locum, in quem defluxio decumbit, variè affici, pro materia ipsius tum qualitate, tum quantitate. Nam si recrementa aut sordes, quæ à cerebro in aliam partem defluunt, non prorsus malignæ sint, ac quantitate pauca, dolor ipse & affectus talis erit, qui à natura facile evinci ac discuti possit: sin excrementa tum qualitate, tum quantitate peccant, credendum est, eadem gravissimorum symptomatum occasionem præbitura. Ac proinde quoniam reliquis sex ommissis, de ea tantum defluxionis specie, quæ à capite per venas in spinalem medullam decumbit, nobis sermo est: sciendum est, quod quoties frigidi ac lentis humores in spinam defluunt, vicinas partes primùm occupare, atq; efficere, quæ nisi ita robusta sint, ut conceptam materiam statim evincere, ac dissipare possint, easdem ad subjectas, ac maxime vicinas partes vicissim transmittunt, quæ dum nervosum genus distendit, gravissimis doloribus totum hoc corpusculum lancinat, incipiendo à scapulis, & sensim serpendo ad lumbos, atq; interdum etiam ad ipsum os coxendicum. Atq; ita affecti vix progredi, aut sese loco movere possunt, quam affectionem propriè Lumbaginem, aut λόρδωσιν vocamus. Si quis tamen Neotericorum Gutturam dicere malit, quod tanquam gutta

à cere-

à cerebro defluat humor, rectius fecerit, quam ii, qui generaliter ad omnes articulorum dolores gutta nomen accommodare voluerunt. Habet autem hoc cum quartana commune, quod omnibus anni temporibus invadat, astate tamen sit brevior, autumno longior, maximeq; si hyemem attingat. Ceterum si acrior simul, & tenacior sit humor, qui à cerebro defluit, atq; majore cum impetu feratur, jam non solum in subjectam spinam decumbit, verum etiam in acetabula ossis coxendicis, ac tum demum tabem dorsalem, aut spinalem, aut ossis sacri dicti Hippocrati, conciliat, malum tale, in quo vitam cum morte commutare pro solatio est, quando semper magis ac magis ingruentibus doloribus, requiei tempus nullum conceditur, siquidem, ut, libro de glandulis, Hippocrates ait, oritur morbus, ex defluxione capitis per venas in spinalem medullam, inde autem in os sacrum impetum facit, quò medulla ipsa fluxionem producit, & in coxendicum acetabula seu juncturas deponit, & si tabem fecerit, homo marcescit, atq; hoc modo contabescit, & vivere non expetit. Statim enim scapula dolent, amboq; pedes & crura consequuntur, & semper tandem pereunt multo tempore curati, atq; sic deflorescit homo & moritur. Habet præter cetera cum reliquis tabidis commune, quod autumnus ei magna ex parte exitialis sit, ver autem ad pharmaciâ oportunistimum. Porro quod spinalis medulla areseat, atq; marcescat, in causa est obstructio orificiorum, ac venarum, atq; vasorum à cerebro ad spinam sanguinem atq; spiritum deferentium; quo

fit, ut curandi methodus in eo consistat, ut reseratis poris materia peccans evacuetur. Quod si plethoricum quoq; corpus sit, primum tundenda erit vena, aut humeraria brachii dextri, aut media sinistri, aut etiam, si usus exigat, poplitis, & si fortè tumeant ora illa venarum, quas hamorrhoidas Greci appellant, consultum erit easdem, aut ad motis sanguisugis, aut alio quovis modo adaperire. Solet enim, ut ante diximus, lumbaginis causa esse humor melancholicus, qui quamvis crassior esse videatur, quam ut commodè ad spinam transmitti possit: quotidiana tamen experientia ita fieri posse docet, quando lienosis lumbaginem indies supervenire conspiciamus, quemadmodum in sceleris nostre annotavimus. Et Galenus, commento tertio in primum propheticum Hippocratis idem aperte demonstrat, dum dicit, lumbis dolentibus expectandam evacuationem per hamorrhoides, quod propter eandem retentionem non raro doleant lumbi, magisq; si ejus temperatura, qui ita afficitur, melancholica sit, aut si abscedentes, ut sic loquar, precedentis morbi reliquis, ad ora illa venarum delata exitum non habeant.

Post sanguinis igitur missionem de coctis res tentanda est, quæ materiam fluidam reddant: deinde medicamenta purgantia, pro humoris peccantis ratione propinanda erunt, incipiendo à clementioribus, habita semper ratione capitis, tanquam partis primario affectu. Deinde si res exiger, fortioribus etiam utendum erit, in quem usum elaterium suum Hippocrates summè commendatum habet. Ego magis proba-

Curatio
Lumbaginis.

rim globulos ex agarico, cum turpethi portione aliqua maceratos, idq; aut in decoctio foliorum sena, cui nonnihil seminis omisi aut fanticuli additum sit, aut alio quovis, prout res exigere videbitur. Post purgatum corpus consultum erit fomentationibus, frictionibus, irunctionibusq; uti, quae simul & evocent materiam, & dolorem mitigent, & robur addant affectu particulae Poterit etiam in eundem usum, si locus, tempus & aeri consuetudo admittant, preparari balneum, aut aqua dulcis, aut quod artificiosè confectum sit, ex verbena, rosis, salvia, libanotide, chamamelo, meliloto, atq; aliis id genus aqua incoctis. Quod si per se non facia fluxa sit abtus, suadet Hippocrates, ut eandem, injecto lacte, eluamus. At si fortè humor tenacius inhaerit, atq; altius quodammodo impactus fuerit, ac flatu utcumq; fuerit participes: non solum jam dictis hypobesibus exequendum erit negotium, verùm etiam medicamentorum illas cucurbitulas in usum vocare par erit, ut videlicet humor ille, earundem attractione, foras evocetur, cautione interim habitâ, ne copiosior sit materia, quàm ut commode per easdem educi possit, siquidem alioqui pericula esset; ne novus quidam fomes morbo suppeditaretur. Vitus ratio incidens, atq; attenuans, & quae non omnino tenuis sit, injungenda est. Protenditur enim malum hoc, ut reliqui articulares morbi, ad minimum, in vigesimum diem; ut plurimum in quadragesimum: quanquam non raro metas has excedat. Potius sit interim vinum $\delta\lambda\gamma\sigma\phi\sigma\pi\sigma\nu$, quod nos villum dicimus, vel cerevisia tenuis, di-

ligenter cocta. Somnus sit temperatus, & qui concoctioni ciborum sufficiat. Nimiis enim catarrhis obnoxium reddat cerebrum. Exercitium moderatum esto pro virium robore, ac tolerantia ratione citra defatigationem. Haec Ronssaus.

CAPUT XXIV.

De Vermibus dorso.

UT vermes in aliis corporis partibus pluribus, ita quandoq; etiam in dorso generantur in infantibus; nonnunquam etiam in brachiis, imò quandoq; & in aliis externis partibus, (cùm autem in dorso praecipuè nascantur, de iis hoc loco agere libet) quos nonnulli Crinones nominant, alii Dracunculos, & b similitudinem cum Dracunculis, qui ^{Dracunculi.} Aegyptiis & Indis sunt familiares, & ut Aetius, *tetrab. 4. serm. 2. cap. 85.* & Paulus, *l. 4 c. 59.* testantur, in musculosis corporis partibus, brachiis, cruribus, lumbricorum formâ sese exerunt; quorum capitâ apprehensa si trahantur, vehementem dolorem excitant. De quo affectu Avicenna, *l. 4. fen. 3. tr. 23. c. 21. & 22* Guido de Cauliaco, *Paræus, l. 7. chirurg. c. 21.* Scholtzius, *in epist. med. epist. 27* Reusnerus, Wierus, *in tract. Germ. de Dracunculis*, Forestus, *observ. medic. l. 20. in fine.* Germani *Witteffer* quod ^{Witteffer.} alimentum infantium absumant, nominant. Qui enim hoc morbo laborant infantes, contabescunt ferre, & licet satis comedant, & aliâs benevaleant, non nutriuntur, & prurium

ritum molestissimum in dorso percipiunt.

Generantur autem hi vermes ex materia viscosa in venis capillari- bus, præcipuè in dorso, conclusâ sub- ter cutem, & ob cohibitam transpi- rationem in hoc vermium genus transmutata.

Cognoscuntur autem hi vermes & sui suspensionem præbent, dum in- fantes quidem comedunt, sed non rectè nutriuntur, & ferè contabe- scunt, & sunt inquieti, ac pruritus sentiunt molestissimum, & sæpe lan- cinatione indefinente admodum di- vexantur, ac quasi spinularum acu- leis punguntur, ita, ut huc illuc sese jactantes quieti manere non possint. Quæ res ut certius cognoscatur, in- fantes in balneum & sudatorium in- ferendi, & manibus fortiter frican- di. (Potest etiam panis cum melle pro frictione adhiberi.) Ita enim quasi capilli quidam cineritii aut nigricantes è cutè prorepunt.

Cura rationem quod attinet, refert Andreas Dudithius, in *epistol. me- dic. à Scholtzio collect.* epist. 27. in Po- lonia in labrum aquæ calidæ, in quo pueri lavant, injici panis in micæ friati manipulum, cineris item pa- rum, lotis infantibus aquam perco- lari, & panem illum in massam com- pingi, quæ, ubi in diversas partes ma- nibus distrahitur, magnam subtilis- simorum pilorum vim oculis offerat primo die, posterioribus diebus pauciores, postquam convalescunt infantes, planè nullos

Nostris usitatum est, dorsum, ut

& brachia, si opus sit, linimento ex farina triticea & melle confecto in- ungere, & partes illas bene fricare.

Alii B. *Radic. bryonia* Unc. ij. Coqv. in *lixivio è cineribus quernis pa- mto* in formam puliculæ, quâ pue- ros illinunt.

Ubi vermiculi illi capitella sua instar pi orum, vel seminis papave- ris è poris cutis exserunt, novaculâ acutâ statim detruncanda sunt, ne iterum retracta sese abscondant. Alii stercus gallinaceum sacco in- clusum in *lixivio* per noctem mace- rant, & postero die infantem usq; ad collum eò immergunt, ac peracta sudatione melle inungunt, tandem- que novaculam adhibent, infanti se- men nasturtii præbent, ter illud re- petendo Atq; id aliquoties interje- ctis aliquot diebus repetendum est, donec frictione illâ nihil amplius eliciatur. Mulierculæ certos dies & dierum intervallum eligunt, sed su- perstitiosè.

Accidunt & alii morbi interdum spinæ ac dorso. Ita Columbus, *lib. 15. annat.* vertebra primam occi- piti planè adhærentem observavit. Ex abscessu in dorso pediculos eru- pisse refert Forestus. Fabro cuidam lignatio in abscessu quinquagi. ta ova (seu vesiculas) tenuissimâ mem- branulâ obducta, intus limpidissimâ aquâ plena repleta fuisse, refert ex re- latione Laurentii Scholtzii Schen- ckius, *lib. 5. observ. 46.* Cornua quoq; in dorso innata fuisse observatum est; cuius rei exempla annotavit idem Schenckius, *loco allegato, observ. 50.*

Vertebra
prima capi-
ti admo-
ta.

Pediculi in
dorso.

Ova in dor-
so.

Cornua.

Causa il-
lorum.

Signa
Curatio.

CAPUT XXV.

De Luxatione & Fractura Costarum.

Luxatio.

Costarum
luxatio.

Costa etiam interdum à percussione vel lapsu luxantur, nunc supra, nunc infra, nunc intrò. Si supra vel infra, vel si in latus luxatio fit costæ, inæqualitas visû & tactu deprehenditur, & hinc cavitas, illinc extuberantia apparet. Si intrò luxata sit, saltem cavitas apparet.

Ejus sympt.
ptomata.

Sequuntur autem varia luxatas costas symptomata, difficultas spirandi, thoracem movendi, & corpus erigendi, dolor pleuritidem referens, musculosæ carnis, quæ costæ superjacet, inflammatio.

Curatio.

Costa autem ut quamprimum sedi suæ restitatur, danda opera. Si luxatio sit in latus superius, æger rectus suspensus ex januæ vel fenestræ alicujus parte superiore brachiis statuatur, & costæ capitulum eminens comprimatur, donec in locum suum redeat. Si verò versus inferiora luxata sit costa, æger pronus incurvetur manibus supra genua innixus, & costa, quæ eminet, comprimatur, ac in locum suum compellatur. Si verò intrò facta sit luxatio, manus opera nihil præstare potest, sed emplastrum aliquod attrahens apponendum, qualia supra, lib. I. part. I. cap. 20. de cranii depressione, sunt proposita. Et talia emplastra non semel sed sæpius applicanda & avelenda sunt.

Si inflammatio carnis superjacentis adfit, cataplasma aliquod conveniens imponatur, quale etiam est, quod, capite precedente 23. propositum, vel Diachylum ipeatum. Vide Paræum, lib. 5. cap. 20.

Fractura Costarum.

Franguntur quoq; interdum costæ itidem ex causis violentis, casu vel percussione.

Fractura
costarum.

Signa ejus rei sunt, quod quædam inæqualitas & cavitas tum visû, tum tactu deprehenditur, strepitus quoq; quidam auditur. Quibus accedunt & alia symptomata. Adest dolor gravis, & præcipuè si internæ costæ pars fracta sit, isq; pleuriticorum dolorem æmulans, respiratio est difficilis, tussis molesta, & nonnunquam etiam sanguinis sputum supervenit, dum ex vasis ruptis sanguinem effluentem pulmo imbibit, febris accedit. Præcipuè verò duo mala fracturam costarum comitari solent. Primum est carnis superjacentis costæ inflatio, quæ & tactu & visû deprehenditur, & si manu locus comprimatur, aëris cedentis strepitus auditur. Cui nisi succurratur maturè, inflammatio, & febris atq; abscessus succedere solet. Cujus rei causa est carnis ab osse separatio, & imbecillitas partis ictu inducta, quæ alimentum, quod doloris ratione attractum copiosius affluit, satis concoquere nequit, quod partim crudum ideo remanet, partim in vapores & status resolvitur. Malum hoc interdum & costarum corruptio sequi

qui solet. Cum enim caro ab osse abscedit, succedit in locum aer, cujus contactu os offenditur & corrumpitur.

Prognostica.

Prognostica.
(A.)

1. Equidem per se vacat periculo costarum fractura: verum quoniam gravia, quæ diximus symptomata contusionis carnis circa costas accidunt, ea de causa periculo non vacat, imò quandoq; lethalis est.

2. Quò pauciora symptomata prava adfunt, eò malum mitius est; quod fit, ubi costa solum fracta, non verò intrò compressa est. Solet autem costa per callum die vigesimo coalescere & ferruginari.

Curatio.

Costa fracta primò rectè componenda & conjungenda est; secundo ejus per callum unitio procuranda; tertio symptomata, & præcipuè carnis inflatio, avertenda.

Primò quidem videndum, an tussi & spiritus retentione, an verò manuum operâ fracta costa in locum suum restitui possit. Quod nisi succedat, emplastrum aliquod attrahens & quod adharet, qualia supra, lib. 1. part. 1. cap. 20. sunt proposita, imponendum, & cum impetu auferendum, ut costa in locum suum reducatur. Conveniens huic usui etiam est hoc Emplastrum.

℞. *Farinae volatilis* Unc. ij.
tragacanth.
sturis pulv. an. Drach. v.

visci querni (glucinis scil.) ʒ. vi.
ichthyocoll. Drach. j. ℞.
album. ovor. Unc. ij.
Aqu. rosar. q. s. Misce.

Vel emplastrum ex terebinthina, resina, pice nigra, farina hordei vel fabarum, mastiche, aloe compositum. Et talia emplastrâ sæpius applicanda & avellenda sunt, donec æger melius spiret. Et memini me ante aliquot annos victori, cui in latere dextro à pertica, quam pro dolii vinculo parando flectere volebat, reciprocantè, costa fracta & depressa erat, ita, ut difficulter respiraret, tussiret, nec se erigere valeret, tali emplastro imposito costam in suum locum reduxisse.

Nonnulli quidem cucurbitulis costis fractis in locum suum reduce conantur: verum improbant id pleriq; Medici; cum mens sit, ne plus humoris attrahatur, & aliàs caro supra costas inflari soleat. Si verò fragmentum costæ membranam pungat, atque inde acerbissimi dolores & alia prava symptomata oriantur, atque ipsa mors meruenda sit, pars, quæ costa fracta est, incidenda, ut fragmenta pungentia vel eximere, vel præcidere liceat. Si etiam contusio adsit, vena secanda, ne inflammatio accedat.

Costis in locum suum reductis natura quidem sponte callum generat: cui, ut subveniatur, emplastrum aliquod ad fracturam ossium conveniens imponendum, inter quæ & hoc valdè celebratur:

℞

℞. *Pulv.*

℞. Pulv. myrtill.
 rosar. rubr. ana Unc. j.
 farin. bordei,
 orobi,
 lentium,
 fabarum,
 mastich. ana Drach. ij.
 cupular. glandium,
 nucum cupressi,
 cortic. granat.
 balaust. ana Unc. ℞.
 hypocistid.
 acacia,
 cortic. thuris,
 sang. draconis.
 terre Lemnia,
 aloes,
 myrrh. ana Drach. ij.
 olei myrtin.

rosac. omphacini, ana
 Unc. ix.

Cera & terebinth. clara, ana ℞ ℞.
 Fiat Emplastrum.

Nonnulli in morbi progressu fa-
 scias aquâ roris marini imbuunt,
 quam efficacissimam in ossium fra-
 ctura esse scribunt,

Si caro humida & flaccida sit,
 medicamenta, antea proposita im-
 ponenda, & locus fasciis ac plagis
 constringendus, ut caro ossi con-
 jungetur.

Dieta.

Victus sit in principio tenuis &
 talis, qualis in aliis acutis requiri-
 tur. Ager quiescat, non tussiat,
 non sternutat, quantum potest, non
 loquatur multum, non rideat, non
 irascatur. Vide Hippocratem, 3.

de artic. t. 54. & seqq. & Galenum,
 in comm.

Sunt & alia interdum costarum,
 vitia. Quandoque numerus variat,
 refertque Columbus, lib. 1. anat. c. 19.
 se aliquando costas tantum unde-
 c. invenisse, & lib. 15. aliquando 25.
 & 26. Aliquando duas aut tres con-
 nexas idem, lib. 15. observavit. Costas
 etiam in notatu dignum tumorem,

Numerus
 costarum
 variatus.

Tumor co-
 starum.

CAPUT XXVI.

De Mucronata cartila- ginis Prolapsu.

Antequam à morbis pectoris di-
 grediamur, novi, & ab aliis non
 explicati morbi facienda mentio,
 nimirum Mucronata cartilaginis
 Prolapsus, quem peculiari libello
 Baptista Codronchius descripsit. Ex
 eò ergo, quæ ad rem facere videbun-
 tur, hoc loco afferemus.

Mucronata
 cartilagi-
 nis prola-
 psus.

Nomen & natura mor- bi hujus.

Scribunt autem, quod in Italia hunc
 morbum vulgo appellent animæ, ali-
 qui verò officuli vel furculæ casum,
 & lingua materna l'anima caduta:
 ipse autem mucronatæ seu xyphoi-
 dis cartilaginis prolapsus, præci-
 dentiam, depressionem, plicationem
 & flexionem appellat. Primam
 appellationem peritissimus Mercuri-
 aliis

Ejus no-
 men &
 natura.

alis in quadam epistola ad Codronchium missa improbavit, eò quod ignari homines partem hanc affectam animam appellaverint, tanquam sit quoddam animæ domicilium, quo descendente simul anima ipsa cadat, & eo restituta, simul anima ad propriam sedem tedeat; quod sanè est merum figmentum. Ipse verò putat, vulgus ideo forsan hanc partem animam nominasse, quod apta sit, animam ex corporibus eximere, ob angustias & ingentia mala, quæ excitare solet, cum ad infernas partes labitur; vel potius vocasse hanc partem animam, ob situm aut ob similitudinem. Cùm enim populares nucleos fructuum, qui in medio ipsorum sunt, animas vocent, videntes hanc partem in corpore nostro medium sortitam esse locum, illi animæ nomen indiderunt. Vel quoniam opinati sunt, hanc partem esse similem aliquibus fructuum nucleis, ut amygdalis. Ipse verò Codronchius gratia facilioris doctrinæ hunc affectum Mucronatæ cartilaginis Prolapsum nominat. Galenus enim & cum eo omnes Anatomici testantur, à natura procreatum esse in pectore os quoddam, à Græcis *σέπρον* appellatum; pro stabiliendis illis costis, quæ orbiculatim thoracis amplitudinem efformant, & ut propugnaculi vicem gereret. Ex hujus ergo ossis imâ parte exoritur cartilago quædam longa & triangularis, quæ etsi aliquando bifida, geminaque occurrat, ut plurimum tamen acuta, ut

gladii mucro, spectatur, cui multa fuerunt imposita nomina. Nam Græci Xyphoidem appellant, eò quod ensis imaginem referat, ut testatur Galenus, 7. *de usu part. c. 21.* Alii mucronatam cartilaginem, quod ad gladii mucronis formam accedat, & Junioris clypealem, gladialem & ensiformem nuncupant. Quidam & malum Punicum, eò quod balaustii formam gerere videatur. Et nonnulli epiglottalem, ab imagine operculi laryngis, huic cartilagini specie non admodum ab simili, vocare voluerunt. Sed quod ad formam gladii seu ensis, si rem, ut est, considere velimus, multò melius ac verius totum pectoris os pugionis Hispani speciem præ se ferre apparet. Nam primum os, seu prima ossis pars, rotundæ pugionis parti respondet, quàm minimus digitus apprehensione tangit, & vulgò dicitur ensis pomum. Secundum, vel secunda ossis pars, respondet illi parti, quam tota manus complectitur, & capulum seu manubrium nuncupatur. Tertium os, vel tertia ossis pars, unâ cum ipsa cartilagine reliquæ parti pugionis assimilatur, & idèò universam hanc ossium struem nonnulli xyphoidem ab ensis imagine vocarunt. Amatus Lusitanus, *cent. 3. cur. 93. in schol.* refert, in dissectione corporum cognovisse cartilaginem hanc à natura perforatam esse, quod tamen alii Anatomici silentio prætereunt.

Q 9 2

Cùm

*σέπρον.**Cartilago mucronata.*

Cum autem nulla pars sit in homine, quæ non sit ob aliquem usum à natura facta; aliter enim supervacanea esset, & potius abscindenda, quam optanda, teste Galeno, *lib. 17. de usu part. cap. 1* ideo exquirendum, quem usum, quamve actionem habeat in corpore hæc cartilago. Galenus, *lib. 6. de usu part. cap. 3. & lib. 7. cap. 21.* ait, hæc cartilaginem esse factam, ut sit propugnaculum oris ventriculi, & partis septi transversæ, quæ illic est, ut & cordis similiter. Quam tamen sententiam Realdus Columbus, *lib. 1. de re anatom. cap. 20.* refellit, eo quod pars hæc in sinistro latere à ventriculi regione plurimum distet. Et ipsæ existimat, hæc membranam esse progenitam, ut cordi præsit, & septum transversum munit. Johannes Valverda, *lib. 1. sua anatom. cap. 161.* aliam habuit sententiam, hæc videlicet partem esse munimen anterioris patris jecoris, ac ventriculi. Quidam celebris ac doctissimus nostra ætatis Anatomicus arbitratur, xiphidem jecori tantum superstare, & à ventriculi orificio superiore longissimè distare. Vesalius scribit, hæc cartilaginem subditurum illi partium esse propugnaculum, quæ vero partes ei subjiciantur non explicat. Videre tamen se non posse scribit Codronchius, cur cartilago hæc à loco suo dimoveri ac situm mutare non possit. Nam quamvis dura sit, aliis partibus collata, est tamen mollis præ ossibus, ita ut flecti, ac sedem suam valeat mutare,

quamvis non sine aliquo labore, ut animadvertit Columbus. Et sicut epiglottis, quæ tota est cartilaginea, curvatur & inflectitur, cum eculenta ac potulenta deglutuntur, & illis cedit in ventriculam demissis: ita huic parti, cum sit ejusdem naturæ ac substantiæ, non repugnat, ut ipsa quoque possit flecti, ac deprimi. Imò fuit sententia Nicolii, *in serm. 7.* & Piccolominei, hæc cartilaginem à summo retum omnium Opifice in humano corpore factam esse, non solum ad tutelam ventriculi verum etiam ob motum ipsius, id est, ut cedat motui ac dilatationi ventriculi, qui cum copia alimentorum turgescit, jecur antrorsum, simulque sursum propellit, adeo ut ex his gravissimis viris pateat, membranam hæc esse mobilem ac flexibilem. Præterea Excellentissimus Flaminus Rota, Bononiensis Medicus & Anatomicus apprime peritus, in hæc venit sententiam, hæc cartilago nem non posse quidem luxari propriè dicta luxatione, sed luxatione impropriè accepta, id est, depressione ad inferiora. Verum unusquisque in contrectandis hypochondriis exercitatus, si voluerit, & occasio se obulerit, hujus cartilaginis depressionem facili negotio percipere poterit extremâ ac interna digitorum parte, in qua quidem sensus tactus maxime viget.

Morbum autem istum Bapt. *Qualis sit* Codronchius refert inter morbos *morbis.* in compositione seu mala constitutione

tionem ad vitiatum situm, sive etiam depravatam figuram pertinentes. Nam cartilago compressa situm variat, & figuram, quamvis hæc morbi differentia potius ad partes instrumentales ac oppositas videatur, attingere, nec morbo tantum in compositione laborat ista pars, verum etiam intemperie composita cum materia affici potest, ut quando à frigido ac humido succo irrigatur, qui saltem est causa antecedens, seu mediata ipsius depressionis. Nata sic affecta ex quacunque levi occasione ac vi illata potest à sua sede moveri. Non esse autem morbum in solutione continui, docet. Nam cum pars sit dura, non nisi cum magna difficultate potest solvi illius unitas. Est enim substantia quadam, mediâ inter ossa & ligamenta, ossibus tanto mollior, quanto ligamenti durior, propterea nulla ratione frangi potest, cum ubique sua mollitie cedat, neque adeo resistat, sicut ossa faciunt, præterquam quod soluto continuo minimam lationem subjectis partibus impertiret.

Causæ.

Causæ prolapsus sive depressionis hujus cartilaginis & obscuræ & manifestæ esse possunt. Manifestæ sunt illæ, quæ extrinsecus fiunt, ut sunt cæcus, icterus, violenta ac incongrua corporis extensio, distorsio, aut perversio nimia totius corporis, vel inordinata circumvolutio, vel etiam, ut aliqui volunt, molesta ac magna tussis. Obscuræ verò causæ

sunt illæ, quæ ab intrinseco principio ortum habent, ut est humor, vel tenuis, vel lentus ac crassus circa ipsam coacervatus, qui ipsam laxando facit, ut ex levi quapiam occasione deprimatur, sicut usu venire novimus vertebrae spinæ, quæ propter destillationes irruentes ad ipsas facillè laxantur.

Ex hujus ergo cartilaginis mutata figurâ subjecta membra, ventriculorum, jecur, ac septum transversum, vel cor etiam, sed mediante diaphragmate, aut ore ventriculi, premi & lædi, atq; hinc aliqua symptomata excitari posse statuit. Et quoniam cum Realdo Columbo nonnulli alii affirmant, ventriculorum vel ventriculi partem superiorem lædi non posse à mucronata cartilagine, eò quod pars hæc ab illa valde absit, ut omnis (si fieri potest) removeatur scrupulus, respondet, posse considerari ventriculorum duplici respectu; primò ut est pars corporis inortui, secundo, ut est pars corporis viventis. Si priori modo consideretur, hi viri peritissimi vera fatentur; si secundo, facillè hallucinari potuerunt. Nam cum partes vitæ & motu privatae concidant & contrahantur, & illæ præcipuè, quæ in vivente turgere solent, idque eveniat potissimum in hominum cadaveribus, qui vel ex longo morbo extincti sunt, vel post mille tormenta & ærumnas in carceribus toleratas morte violenta perimuntur, ibi non est mirum, si eorum ventriculi tum Anatomici

Quæ partes in hoc morbo afficiantur?

Ventriculus dupliciter consideratur.

Causæ manifestæ.

Obscuræ.

cis videantur valde distare à mucronata cartilagine: qui tamen cum in sanis ac viventibus crassi sint, & cibo ut plurimum repleti turgent, superius elati adherent, vel propinqui sunt mucronatæ cartilagini. Quare fuit rectè scriptum à præclarissimis illis viris, hanc cartilaginem non solum ob munimentum ventriculi, verum etiam ob motum illius procreatam esse, ut scilicet cederet motui ac dilatationi ventriculi ex alimenti copiâ turgentis. His adde illud: Quo ablato & alterum aufertur, & eoposito alterum existit, illius quidem causam esse fateri debemus: sed est observatum, nonnulla symptomata ventriculi, potissimum cum deprimitur ista cartilago, fieri, ac nullo remediorum genere posse profligari, & restituta cartilagine quamprimum aboleri: quis ergo negare audeat, horum causam esse hujus cartilaginis proidentiam? Addit porro: Neque verò ex imperitia vel avaritia aliquorum hominum statuere debemus, esse hunc morbum fictitium, & inventum duntaxat pro extorquendis hominum pecuniis, sed potius horum imperitiam ac avaritiam redarguere & Deum omnium bonorum largitorem laudare, summaque gratiarum actione prosequi, qui dignatus sit, hunc fortasse antiquum, sed non cognitum morbum nobis patefacere. Codronchius quidem non solum concedit, aliquando accidisse, & accidere etiam posse, ut ex nequitia, vel imperitia,

*Error non
nullorum.*

aliquorum, qui violenter, vel quando opus non est, illam partem contrectant, ubi morbi non sunt, morbi fiant, & ubi sunt, augeantur, potissimumque, si ab alia causa ortum habeant. Verum etiam hanc rationem, ab Excellentissimo quodam viro adductam, suam firmare potius opinionem existimat. Nam si hæc cartilago, cum sit sensus expertis, dolore affici non potest, & ea malè ab istis tractata, vel ob vicinitatem jecoris, vel diaphragmatis, aut diaphragma & jecur, vel etiam os ventriculi, consensus ratione afficitur, & varia subsequuntur symptomata, cum ea fieri non possint, nisi partes eæ vim huic cartilagini factam recipiant, & illi vicinæ sint; videre se non possescribit, cur ab aliqua externa causa vel interna allata huic participatione, ac vi pariter earundem partium symptomata varia non subsequantur.

Symptomata ac signa.

Symptomata verò, quæ sequuntur prolapsam hujus cartilaginis, plura recitat. Primum enim ubi cibus receptus, præsertim durioris substantiæ, & non admodum dentibus fractus, ad os ventriculi pervenit, ob pressionem cartilaginis angustius factum, aliqualem dolorem parit, & ægrè ad ventriculum pertransit, sæpiusque evomi consuevit. Virtus enim expultrix, percipiens laesionem cartilaginis, irritata insurgit, ut noxium expellat, in quo conatu frequen-

Symptomata ac signa.

quea-

quenter alimentum ipsum rejicit, deinde laborantes pondus quoddam & sæpe dolorem, circa ventriculi regionem percipiunt, potissimum post assumptum cibum. Præterea cum appetentia sit oris ventriculi propria, functio ex Galeno, 2. *apb. comm.* 20. & 1. *de rat. victus in acut. comm.* 18. si hæc pars à cartilagine mucronata prematur, ac lædatur, sic, ut appetitus ipse imminuatur, vel ferè aboleatur: & quoniam cartilago hæc reclinata aliquam etiam vim infert ad aphyragmati, hinc insurgit aliqua spirandi difficultas, qua ægro tantes potissimum laborant, cum moventur, vel altiora loca, ut scalas & montes ascendunt. Quemadmodum enim septum transversum à ventriculo & jecore, vel etiam liene, cum maximo tumore laborant, premi potest, & difficilem respirationem excitare, ut scriptum reliquit Galenus, *lib. 2. de difficult. respiration. cap. 10.* ita etiam illo à mucronata cartilagine presso idem symptoma oriri sine dubio potest, quamvis id nec à Galeno, nec alio quopiam fuerit animadversum. Quod si cartilago hæc jecur ipsum comprimat, cum ex hac compressione & coarctatione non possit biliofus succus ad propria loca transmitti, per universum corpus diffunditur, ac regium morbum excitat: & cum sæpenumero ex morbis morbi fiant, si inappetentia, vomitus & regius morbus diu perseveraverint, in atrophiam vel cachexiam incidunt; in-

illam ratione privationis alimenti, in hanc verò causa vitiosi alimenti. Præter enarrata mala, si laborantes sursum brachia extendant, vel in lecto supini jaceant, ingenti vel majore dolore circa præcordia afficiuntur, in reliquis sunt anxii, ac loco stare nesciunt, vigiliisque valdè molestantur. Non est autem necessarium, ut omnia commemorata symptomata in singulis hisce ægro tantibus reperiantur, sed alia in aliis, modo intensiora, modo leviora, pro majori vel minori cartilaginis depressione ac læsione illata.

Prognostica.

Cartilago mucronata, sicut & *Prognostica* cætera cartilagines, si præscindatur, non recrescit: & si rumpatur, nunquam reparatur, vel solidescit, auctore Aristotele, *lib. 3. de histor. animal. cap. 8.* & *lib. 2. de part. animal. cap. 9.*

Mulieres consueverunt magis hoc morbo laborare, quam viri; cum in iis mucronata cartilago sit minus dura, habituque sint humidior, & excrementis potissimum frigidis abundant.

Hæc cartilago depressa à principio facili negotio ad propriam sedem restituitur: si autem depressio negligatur, ac diu ita perseveret, ratione duritiei partis maxima cum difficultate ad situm reduci potest.

Cura

*Curatio.**Curatio.**Varii cartilagineæ reponendi modi.*

1.

Ideo operæ pretium est, quamprimum operam dare, ut ad naturalem situm extollatur, quod pluribus rationibus effici poterit. Nam si adesset in corpore humorum abundantia, vel humores ad partem affectam fluerent, antequam manus intro adhibeantur, plenitudo auferri, vel saltem imminui, & fluxio aliò deflecti ac inhiberi debet. Igitur peritus artifex ventrem fascia sursum versus devinciat, & ab utroque hypochondrio subtrus costas inchoando partes illas manibus comprimat, ut impulsu turgentium partium cartilago depressa ad locum proprium redeat: à quâ tamen curatione abstinendum in mulieribus gravidis. Nam sine manifesto abortus discrimine minime adhiberi potest, ut contigit annis elapsis uxori cujusdam Equisonis prægnanti, quæ cum febre tertianam immitante cum quibusdam ventriculi perturbationibus afficeretur, à quodam pro restituenda cartilagine ad locum suum, posthabita omni foetus custodia, supra ventrem arctissimè vincita altero die partum abegit, & sequenti nocte ipsa obiit: & accessit Codrochius, ut opem huic mulieri ad interitum properanti afferret, audiens ex viri hujus audacia & infcitia foetum mortuum excussum esse, & videns miserissimam illam foeminam jam interematam esse, non potuit non maxima animi sui molestia hanc dementissimam temeritatem detestari, & simul cogitare &

perquirere, an verum esset, cartilagineam hanc præter naturam deorsum prolabi posse, & si procidat, quæ symptomata ac mala excitare posset, & tandem, quænam esset germana ac tuta hujus procidentiae cura, quam pluribus modis fieri posse postea cognovit, quorum unus jam explicatus.

Cui succedit alter, quem ægrotus ipse propria industria assequi poterit, si videlicet rem aliquam gravem ac ponderosam, quantum ferre valet, manibus strenuè capiat, tantumque extollat, ut à terra magis distet, quàm capitis ipsius summitas, & sic eam sublimem summa vi tenens se hinc inde aliquantisper, modò ad dextram, modò ad sinistram vertat.

Cùm tamen non omnes, & potissimum mulieres, ob virium imbecillitatem id efficere possint, succedat tertia ratio curandi, & est, ut artifices manibus cartilagineam lapsam leniter contrectando elevent, & ad naturalem sedem reducant, ad quod præstandum inveniuntur plures mulieres peritæ, quàm viri; cuius rei hanc esse causam ait Excellentissimus Masinus, (quem unum invenit in tanto Medicorum numero, qui hanc fieri depressionem ac morbum asseruerit) quoniam mulieres crebrius ab hac aegritudine capiuntur, & ob verecundiam & honestatem libentius mulierum, quàm virorum manibus se committunt. Hinc usù evenit, ut mulieres ob magis frequentem operationem & usum

2.

3.

sum peritiores, & magis idoneæ fi-
ant.

Quod si his tribus expositis modis
cartilago non possit ad naturalem si-
tum restitui; fortasse nõ erit sine fru-
ctu, supra regionem hujus partis ap-
ponere cucurbitulam superius perfo-
ratam cum levi tamen flamma. Nam
cum ventosa habeat insignem vim
sursum trahendi, rationi consonum
est, ut & hanc delapsam partem sur-
sum eleuet & atrahat: cum tamen ali-
quantum sper cucurbita manserit, non
vi auferatur, sed aperto foramine
permittant, ut per se removeatur.

Antequam verò ministri hujus carti-
laginis restitutionem aggrediantur,
ut facilius id consequi possint, cum
ea pars, ut sæpe dictum, sic diriuscula,
regionem totam superioris partis
ventriculi illinere solent vel butyro
solo, vel butyro & oleo amygdalarum
dulcium, quibus aliqui parum croci
adjiciunt, quod faciendum ipse ma-
gis probat, cum prolapsus est factus
ab aliqua causa externa, quam cum
ab interna, in quo casu magis exsicca-
tione egemus, quam humectatione.
Si tamen id fiat, ut faciliorem aditum
manui præbeat, ut videlicet cutis mu-
sculi huic cartilagini suppositi à lini-
mento laxati manus contrectationi
magis cedant, id se non improbare
asserit, dummodo parèe fiat. Quod
si prolapsus sit antiquus, & qui spatio
temporis callo ferè obduruit, adhi-
benda sunt, quæ molliant, laxent, &
partem extensioni aptam efficiant,
ut est fofus cum decocto malvæ, al-
thææ, foenigræci, atque id genus a-
liorum, atque sive fiat spongiâ, sive

aliquo instrumento molli, parum
refert.

Cartilagine in propriam sedem
repositâ, insurgit alia indicatio ipsam
firmandi & roborandi, ne amplius
prolabatur, sed in sua sede constan-
ter firmiterq; consistat, quod facili
negotio perfici poterit, si locus affe-
ctus aliquibus vicibus foveatur spon-
giâ aliave re simili madefacta in vino
nigro parum austero, in quo mastix,
thus, absinthium, balauftia, rosæ ru-
bræ, nuges cupressi, & id genus alia
ebullierint, & postea admoveatur
sequens Ceratum.

Rx. Mastich. Unc. ij.
Ladan. Unc. j.
rad. bistort.
nuc. cupress.
medull. interioris ibur.
ros. rubr.
balauft. an. Unc. ß.
corall. rub. Scrup. j.

Misce & cum pice navali ac tere-
binth. q. s. f. l. a. Ceratum, quod per
6. vel 8. dies parti adhæreat. Nec
laudandos censet illos, qui cerati vice
albumen ovi apponunt, quoniam
nimis refrigerat, quod in parte adeo
frigida vitari debet.

Atque ista è Baptista Codrochio
proponere libuit, quæ Lectori per-
pendenda & cum experientia con-
ferenda relinquimus, atq; hoc etiam
considerandum damus, an non af-
fectus, quem Germani das Wehe-
thum nominant, cujus supra, cap. 21,
luxat. vertebrarum dorsi, mentio-
nem fecimus, quandoque etiam
ad hanc causam referri
possit.

Cartilagi-
nem fir-
mandi ra-
tio.

LIBRI II.

Pars III.

DE SYMPTOMATIBUS,
quæ pulmonibus & thoraci
accidunt.

Proœmium.

Rostquam precedente parte hujus libri absolvimus morbos, qui pulmones & thoracem infestare solent; restat, ut jam Symptomata, quæ iisdem accidunt, subjungamus. Et quidem primò Actiones lasas quod attinet, cum pulmones cum aspera arteria & thorace respirationis organa sint, simulq; voci & sermoni in homine formando inserviant, dicendum 1. de Respiratione lasa; quò pertinet Asthma, & Suffocatio ac Strangulatio, 2. de Vocis & Locutionis vitiiis, 3. de Tussi, item Convulsione diaphragmatis, quæ ad Motus symptomata pertinet, 4. Dolo-
re lateris & pectoris, qui etiam insigne est in pectore in sensu Tactus symptoma.

Qualitatis mutata, quæ in sensus incurrant, Symptomata hic non dantur. In Excretis verd est Sputum, & Puris ac sanguinis, Grandinis, Calculorum ac Vermiculorum è pectore ejectio, de quibus ordine dicemus.

CAPUT I.

De Respiratione læsa in genere.

Respiratio, Græcis ἀναπνοή, motus est pectoris & thoracis, quo aer attrahitur in pulmones & expellitur. Et quidem pulmones naturali vi, ubi aeris attrahendi vel expellendarum fuliginum necessitas percipitur, dilatantur & contrahuntur: quod ut commodè præstare possint, & locum, in quo moveantur, inveniunt, facultas animalis simul cum pulmone thoracem dilatat & contrahit, pulmonisque & thoracis motus in unum finem conspirant. Ideoque etiam hic motus non planè liber est & voluntarius, sed παθημασι & necessitatibus corporis subiectus, & thoracis motus naturæ urgenti cedit. Qui enim motus voluntarius & planè liber est, is nullum tempus, nullam mensuram præscriptam habet. Cohibitum autem spiritum ducere iterum cogimur; cum suffocatio urgeat, quam natura reformidat.

Peculiare enim quiddam fuit, quod de servo Barbaro refert Galenus, 2. de motu muscul. cap. 6. qui cohibito sponte spiritu seipsum suffocavit; cum alioquin natura superior tandem ad respirandum impellat.

Respiratio autem duobus motibus perficitur; inspirationis scilicet & expirationis. In inspiratione

pulmo & pectus dilatatur, & aer attrahitur. In expiratione pulmo & thorax contrahitur, & aer fuliginosus expellitur. Inter hos duos motus duæ intercedunt quietes; sicut in pulsu inter systolen & diastolen. Differentia tamen hic quædam est inter pulsum & respirationem. Quia enim pulsus planè naturalis est, motus ille est continuus & non interruptus, nisi quod duæ quietes inter systolen & diastolen intercedunt: quia verò ad respirationem etiam facultas animalis concurrat, non nihil pro arbitrio nostro hic motus regi, & interdum aliquandiu differri potest.

Tria autem ad respirationem naturalem concurrunt: 1. Facultas motus. 2. Organa respirationi inservientia, quæ sunt pulmones, diaphragma, thorax variis musculis instructus & agitur, trachea, quæ via est, per quam aer ingreditur, & egreditur; quò pertinent & nares ac os & fauces; quæ ipsa etiam aeri transitum permittunt. 3. Usus, qui est caloris in corde temperatio, spirituumque generatio. Ideo enim, sic respiratio, ut cordis calor ventiletur, & in statu naturali conservetur, cordisque actiones rectè perficiantur.

Quibus fortasse quartum addere licet, ipsum aërem, qui inspiratur. Is enim ita dispositus sit necesse est, ut calorem cordis ventilaret & refrigerare possit; si verò, est sic crassus, fuliginosus, qualis est in quibusdam

Respiratio læsa in genere.

Differentia inter pulsum & respirationem.

Suffocatio servi barbari.

busdam cavernis, aut si nimis astuosus, ad refrigerandum ineptus est, & quandoq; suffocationem inducit.

Ratione autem organorum respiratorum quædam differentia est, & *εἰσπνοῆ* alia est. *ἀπνοῆς*, cujus instrumentum est diaphragma; alia *βίαια*, quæ à musculo fit in summis scapulis sito, & ab interna intercostalium parte. Sic *ἐμπνοῆς ἀπνοῆς* instrumenta sunt musculi circa abdomen; *βίαια* autem externa intercostalium pars. Nervi, qui ad diaphragma pertingunt, inter 4. & 5. vertebram cervicis prodeunt, qui ad intercostales musculos & thoracis vertebrae progrediuntur. Atque hæc ad naturalem inspirationem necessaria sunt, quæ si lædantur, respirationem lædi necessè est.

Est nimirum respiratione læsa pulmonis ac thoracis motus à naturali statu deficiens, propter vitium aliquod in facultate movente, organum respirationis, usq; mutato, vel etiam in aëre, qui attrahitur, consistens.

*Respiratio
quomodo
lædatur.*

Læditur autem respiratione, vel quia planè aufertur, quæ *ἀπνοια* dicitur, vel depravatur, quæ *δυσπνοια* appellatur. Plætus tamen, nec incommodè, dyspnæam omnem ad respirationis defectum seu diminutionem refert; depravatam autem, solum respirationem appellat, quando non rectè fit respiratione, ut dum est frequens, cita, vel interrupta, quod etiam suspirium refert.

Causæ.

Causæ.

Respiratio læditur .i. læsa facultate

te, idque fit, vel cum facultas motrix per se læditur, vel per accidens, ubi eâ salvâ, ac spiritu animali præsentè, aliundè in motu impeditur. Cum autem vis movendi seu respirationem efficiendi & in pulmone & thorace consistat, utriusque facultatis læsio perpendenda:

Pulmonis, præcipui respirationis organum, motus peculiari ejus vi perficitur, quæ ejus facultas tam diu salva esse dicitur, quamdiu ejus temperies & calidum innatum salvum est. Ideoq; læsa pulmonis facultas per se tantum dici potest, cum ejus temperamentum vitietur, & calidum innatum deficit, id quod in phthisicis & moribundis sæpè accidit. Impeditur verò facultas pulmonis motrix, licet salva sit, & ita per accidens læditur, & in operatione sua impeditur, dum spatium, in quo liberè, moveatur, non habet, id quod fit in pectoris angustia quacunque de causa profecta, ut in gibbositate, empyemate, hydrope pectoris, aut dum ab abdomine diaphragma comprimatur & sursum pellitur.

Thoracis verò motus ab animali facultate pendet, quæ per se equidem lædi propriè dici non potest; per se tamen lædi à Medicis dicitur, cum spiritus animalis, qui ad motum animale necessarius est, deest; & cum spiritus animalis ad thoracis musculos & diaphragma non influat. Fit autem hoc, vel quia non transmittitur, vel quia non recipitur, ipsiusque, influxus prohibetur. Non transmittitur, vel quia spiritus animalis deficit:

cit, ut in moribundis & in nimis evacuationibus, & aliis causis spiritus dissipantibus; vel ejus influxus à cerebro non sit, ut in apoplexia & soporosis affectibus. Non verò recipitur influens spiritus animalis propter vitium nervorum spiritum animalem ad musculos thoracis & diaphragma deferentium. Et si verò etiam ex sexta & septima conjugatione thorax nervos accipiat: tamen quia septum transversum, cujus motus ad mediocrem respirationem sufficit, nervos etiam à dorsali medulla insignes utrinque accipit, rarò respiratio sola & seorsim, extra aliarum actionum læsionem, nervorum sextæ & septimæ conjugationis vitio læditur, sed dorsali medulla & conjugationibus dictis simul læsis, quod non nisi circa exortum in cerebro fieri potest, ut in apoplexia, respiratio læditur. Nervi autem majores à dorsali medulla progressi, si seorsim afficiantur, id, quod in catarrhis edecumbentibus, ut & intemperie frigida, vulneribus, tumoribus sit, respiratio seorsim læditur. Quò etiam refert potest spinalis medullæ obluxationem, vulnera, vel alias causas, vitium;

Per accidens verò læditur facultas & motus thoracis, in primis ejus dilatatio, dum facultate integrâ, & spiritibus præsentibus motus impeditur, vel ob dolorem lateris & diaphragmatis, colli, abdominis, intestinorum, epatis, ventriculi, aut harum partium vulnera, aut dum ob æquâ, vel pus, vel sanguinem in-

cavitate thoracis contentum is liberè moveri non potest, & diaphragma comprimitur, ut liberè distendi nequeat; ab epate vel liene tumente, aut flatibus & vaporibus in intestinis contentis. Vapores etiam vel flatibus in abdomine collecti & circa diaphragma subsistentes illius liberum motum impediunt, & nunc respirationem difficilem, nunc suffocationis metum inducunt, quibus sæpe & cerebri ac cordis alia mala accedunt, ob insignem cum cerebro & corde diaphragmatis consensum, præsertim si materiæ magna sit copia. Vapores autem hi à venis mesaraicis & hypochondriis, ventriculo, intestinis, interdum & utero attolli solent. Viscera quoque in abdomine circa septum transversum appensa, si obstruantur valde, vel intumescant, pondere suo diaphragma infra trahendo illud liberè moveri non permittunt; id quod fit in epatis obstructionibus & tumoribus; quæ difficilis respiratio sæpe diu hydropem præcedere solet. Ventriculus quoque cibo repletus eodem modo difficilem respirationem efficere solet; quod & ab ingestorum ciborum qualitate interdum evenit. Quod & in gravidis accidit ab utero, qui distentus diaphragma comprimit, & difficilem respirationem efficit.

II. Ratione organorum læditur respiratio, dum aliquod in iis est vitium. Organa autem respirationis alia ad motum faciunt, ut pulmo, diaphragma, muscoli thoracis

& ab dominis; alia aëri ingressum & egressum permittunt, ut nares, os & fauces, larynx, aspera arteria, & jusque rami per pulmonem dispersi, quæ ad pulmonis substantiam pertinent.

Pulmonis ergo vitio respiratio impeditur, dum pulmonis asperæ arteriæ angustiores, quàm par est, fiunt, nec satis dilatari possunt, dum scilicet obstruuntur à catarrhis eò defluentibus, qui si confertim & a Spasmodicis ruunt, Suffocativi nominantur, & pituitoso humore in iis collecto, à sanguinæ eò effuso, ut & pure, vel in pulmone collecto, vel aliunde effuso grandinibus item, calculis & vermiculis; aut comprimantur à pituita in laxis arteriis & pulmonis substantia, vel tuberculis, vel aquâ in pulmone collectâ. Connexus etiam pulmonis cum concavo thoracis strictior pulmonis motum liberum impedit, respirationemque difficilem reddit, quod nonnullis à primo ortu, aliis post casum aut pleuritidem accidit. Si etiam pulmo à prima origine sit minor, quàm par est, aliquod respiracioni impedimentum affert. Faciunt etiam huc pulmonis vulnera & ulcera.

Diaphragmatis verò & musculorum respiracioni inservientium vitio fit respiratio læsa, dum diaphragma vel inflammatur, vel vulneratur, aut dum catarrhus, qui in musculos intercostales lapsus est, ad diaphragma usque etiam penetrat. Aut dum musculi contunduntur, inflammantur, vulnerantur, vel exulcerantur, ut & musculi abdominis, respiracioni in-

servientes: aut si catarrhus in eisdem musculos decumbat.

Pertinet huc & costarum & vertebrarum vitium, dum vel franguntur, vel luxantur, ac thoracis motui obstant.

Tandem inter thoracis vitia est hoc, si cartilagine thoracis, quæ ad motum faciliorem edendû pectoris circumferentiam constituunt, in osseam substantiam indurantur. Nam & tunc thorax satis dilatari nequit.

Partium autem, per quas aër transire debet, vitio, putanarium, oris & faucium, ut & tracheæ angustia, difficilis respiratio, imò suffocatio interdum induci potest. Quod fit, si nares vel à pituita, vel à tumore aliquo obstruantur & obturentur, si tumor aliquis sit in musculis faucium, laryngis, in tonsillis, vel columella delapsa sit, vel si vertebræ cervicis luxata viam hanc intercludant, imprimis verò si aspera arteria, & præcipue ejus caput seu laryngis rimula vel obstruatur vel adstringatur & contractetur, vel à quacunq; causa angustior reddatur. Quò pertinent & asperæ arteriæ vulnera.

III. Ob usum respiracionis seu finem mutatû, atq; ita cordis vitio, respiratio læditur. Si enim ille non urget, nulla aut quàm exigua sit respiratio: & quamdiu motus cordis cessat, tamdiu etiâ cessat respiratio; quod fit in syncope & suffocacione uterina. Si verò usus urget, respiratio fit magna vel frequens & celer, id quod in febribus ardentibus accidit, & plurimæ respiracionis læsæ differentia ab usu & sine mutato proveniunt.

IV. Tandem etiam aëris, quem spirando attrahimus, vitio, respiratio lædi potest. Si enim is crassus, caliginosus, & fuliginosus sit, qualis est in quibusdam cavernis, qualemque faciunt fumi, qui è carbonibus accensis exhalant, ut & vapores è musto & cerevisia fervente, usui non satis sit, adeò, ut etiam à tali aëre nonnullos suffocatos fuisse, compertum sit. Ita in Cypro è venis chalcantii fumus attollitur, qui hominem suffocat, teste Galeno, 9. *de simpl. med. facult. tit. de Chalcantio.*

Respiratio læsa.

Causa 1.

Has causas omnes ut in numerum redigamus, fit respirationis læsa.

1. Ab insigni intemperie & pulmonis corruptione.

2. A pectoris angustia, quæcunque de causa profecta, ob quam pulmo, & diaphragma liberè moveri & dilatari non potest.

3. Ob defectum spiritus animalis, in moribundis, in apoplexia, & frigidis affectibus.

4. Ob nervorum insignium ad thoracis musculos & diaphragmatendentium læsionem quamcunque, quæ spiritus animalis fluxum prohibere potest.

5. Ob dolorem in musculis thoracis & aliis partibus vicinis, quæ respiratori quocunque modo intervniunt.

6. A diaphragmatis motu impedito, ab aqua, pure, vel sanguine in thoracis cavitate contento, vel à vaporibus & flatibus ab inferioribus ascendentibus, & circa diaphragma subsistentibus, seu viscerum in abdomine obstructione, distensione & tumore,

7. Pulmonis vitio, dum scilicet ejus arteriæ vel obstruuntur quacunque de causa, vel comprimuntur, aut dum pulmo pectori agglutinatur aut vulneratur.

8. Diaphragmatis vitio, dum illud vulneratur, inflammatur, vel dum catarrhus in id decumbit.

9. Musculorum thoracem moventium vitio, dum illi contunduntur, vulnèantur, inflammantur, exulcerantur, aut dum catarrhus in eos decumbit.

10. A costarum & vertebrarum dorfi luxatione & fractura, ut & cartilaginum pectoris induratione.

11. A musculorum abdominis morbis, ob quos liberè moveri non possunt.

12. A narium, oris, faucium angustia.

13. A laryngis & asperæ arteriæ obstructione, compressione, vulneribus.

14. Ab usu mutato, qui varius est.

15. Aëris quem inspiramus, vitio, si is calori refrigerando & ventilando non sit idoneus.

Atque tot quidem sunt respirationis læsæ causæ. Verùm enim verò plurimæ à morbis, quos jam explicavimus, ut & apoplexia, febribus, & similibus dependent, atque ita de respirationis læsæ, curatione uno in loco tractari non potest. Ideoque alios Medicos secuti, hinc saltem de ea respirationis læsæ curatione dicemus, quæ vulgò Asthma vel Orthopnoea dicitur; deinde de Suffocatione & Strangulatione, quæ peculiare respirationis læsæ differentia sunt.

CAPUT II.

De Asthmate & Orthopnoea.

Asthma.

Asthma, Latini Anhelatio, est interdum in genere & amplo vocis significatu pro quacunque respiratione difficili & anhelosa quacunque de causa profecta, sive cum febre, vel sine febre accipiat: stricta tamen vocis significatione Hippocrati est πύκνῃ, hoc est frequens seu densa & difficilis respiratio sine febre, qualis est eorum, qui ex cursu & celeri exercitatione subsistunt; & quidem cum sono, ut Celsus addit, à spiritu humorem in pulmone contentum dissolvente. Quando verò malum eò usque crevit, ut æger erecto corpore propter suffocationis metum respirare cogatur, ὀρθόπνοια appellatur. Imò, ut Galenus, 6. aphor. 46. scribit, qui Hippocratem ætate secuti, affectionem quandam diurnam, nonnulli asthma simpliciter, nonnulli quoque ὀρθόπνοια nominant, cum sine febre æger continenter difficilem habet respirationem.

Unde etiam Asthma definitur læsa respiratio eaque densa & frequens ferè, ut æger sine anhelatione respirare nequeat, sine febre plerumque ab angustia bronchiorum pulmonis proveniens. Quando malum (differt enim asthma & orthopnoea saltem magnitudine) ita incrementum sumpsit, ut æger non nisi erecta

cervice spirare possit, Orthopnoea nominatur.

Locus affectus est pulmo, & quidem secundum bronchia, id est, asperæ arteriæ cartilagineas propagines per pulmones dispersas, quæ spiritus via sunt. Quanquam enim thorax & pulmo etiam suo modo satis dilatentur, tamen propter harum viarum angustiam satis aeris inspirando attrahi non potest, unde, ut, quod magnitudini & sufficientiæ deest, compensetur frequentia & velocitate, frequens ac velox respiratio oritur.

Causse.

Esti verò ut dictum, respirationis difficilis plurimæ causse sint: asthmatis tamen in specie dicti duas tantum ponit causas Galenus, homines scilicet crassos ac pituitosos, & crudum tuberculum; quibus tamen adhuc una atque altera addi potest.

Est nimirum proxima asthmatis causa angustia bronchiorum pulmonis, seu usus auctus propter angustiam bronchiorum pulmonis. Angustia autem illa oritur, non à quacunque causâ, cum, ut dictum, asthma sit respiratio difficilis non quævis, sed anhelosa & diurna ac curatu difficilis sine febre, ab obstructione vel compressione pertinaci. Utrumque enim, obstructionem & compressionem scilicet, efficiunt, primo humores sæpe crassi & viscosi, nonnunquam & tenues ac serosi, sed copiosi, deinde crudum tuberculum vel grando & calculi in pulmo;

pulmonibus hærentes. Quibus nonnulli & flatum crassum addunt. Hæc enim sive intus bronchia pulmonum obstruant, sive in substantia pulmonis; venis ejus & lævibus arteriis hærentes ea comprimant; angustiam efficiunt, & ita respirationi ob sunt, ut postea, *questione. 1.* dicitur.

Materia autem bronchia pulmonum seu obstruens, seu comprimens, nunc in pulmonibus sensum colligitur, ob debilitatem & cachexiam illius visceris, ut docet Avicennas, *3. can. seu. 14. tract. 4. cap. 3.* & bronchia obstruit, quæ interdum etiam in calculum & grandinem induratur: nunc vero aliunde affluit. Fit hoc interdum à capite, cum catarrhi à capite lapsi in pulmonibus subsistunt; id quod vulgo frequentissime fieri putatur. Verum ego id rarius accidere puto, ut postea, *quest. 2.* dicitur, & frequentissimam asthmatis causam esse puto materiæ per venam arteriosam in pulmones effusionem, dum scilicet circa epat. in venoso genere crudi humores colliguntur, & per venam arteriosam in pulmones effunduntur, & bronchia pulmonis comprimentes respirationis difficilis & asthmatis propriè dicti, mali scilicet diuturni & contumacis illius, causa sunt. Eti enim in hydropicis humor serosus ad thoracem penetrans respiracionem difficilem efficere possit: tamen ea respiratio difficilis propriè asthma non est, sed ab hydrope, morbo primario, dependet. Et quidem ille humor, qui è venis per ve-

nam arteriosam in pulmones confluit, non semper crassus est, sed sæpè tenuis & serosus, qui in venis & arteriis collectus nunc motu corporis, nunc irâ, sæpe verò ad aeris & tempestatis mutationes agitatus in pulmones irruit; unde paroxysmus sæpe secundum Lunæ motû & quarto fere die exacerbatur. Non impossibile tamen videtur, ut humor etiam talis (cum arteriæ multo sero abundent) per arteriam venosam in pulmones infundatur. Eodem modo à crudo tuberculo oriri potest asthma, non solum in asperis arteriis consistente, sed & extra eas constituto, easque comprimente. Et quidem si crudum tale tuberculum consistat solum in aspera arteria, vel circa eam, tantum asthma parit; sin etiam circa leves, cor in consensum trahitur, & pulsus inæqualis efficitur, id quod in Antipatro factum refert Galenus, *4. de loc. affect. cap. ult.* Ideoque sive materia in lævibus arteriis consistat, & asperas comprimat, sive utrasque pulmonis arterias obsideat; & asthma, & inæqualitas pulsus inducitur.

Possunt quidem & alii tumores, qui suppurantur, respiracionem difficilem efficere, ut non solum Galenus, *4. de loc. affect. cap. 8.* & Aetius, *tetrab. 2. serm. 4. cap. 57.* docet, sed & res ipsa loquitur; cum tum etiam bronchia pulmonis comprimantur: tamen si strictè vocabulum asthmatis accipimus, ea læsa respiratio asthma non est; sed cocto ac rupto abscessu ac pure per sputum rejecto cessat;

lat; asthma verò propriè dictum saltem ab humore crasso & crudo tuberculo oriri docet Galenus.

Hiscè caussis nonnulli addunt etiam vapores ex utero ascendentes & flatus crassos. Verùm etsi negandum non sit, ab hiscè caussis interdum respirationem planè difficilem fieri; tamen quia illa subito invadit, & citò cessat, asthma propriè dictum non constituit. Ille flatus potius ad asthma pertinet, qui se materiæ asthmatis causse jungit, paroxysmique autor est; cum scilicet humor crassus à motu nimio vel alia caussa in flatum resolvitur.

Quod autem flatui tribuitur, sapius rectius humori seroso, ut modò dictum, tribuendum esset, cum is in ramis venæ cavæ majoribus quacunque de caussa fervens & motus *αἰσπώος* & confertim per dextrum ventriculum cordis in pulmones irruit, & asperas arterias comprimit; quæ non infrequens paroxysmi asthmatici caussa est, ob quam æger difficili respiratione, sæpe nulla caussa manifesta præcedente, sed imminente aëris aliqua mutatione & tempestare corripitur.

Affinis etiam est asthma illa difficilis respiratione, quæ à siccitate nimia pulmonis provenit, ob quam pulmones satis dilatari ad aërem hauriendum non possunt; quam siccitatem imprimis metallici vapores inducunt, & propterea his, qui metalla & mineralia tractant, familiaris est. Ita refert Heurnius,

de morb. pest. cap. 4 typographo cuidam adeò siccatos fuisse pulmones, ut aridum pomum retulerint.

Differencia.

Asthma aliud est recens, aliud *Differencia.* inveterarum. Aliud est periodicum, quod per intervalla redit, ubi scilicet materia interjecto quodam temporis intervallo vel confluit, *αἰσπώος*, id quod potissimum per venas fieri puto, vel paulatim antea in pulmonibus collecta moveri & agitari incipit. Hinc fit, ut præter causas proximas antea enumeratas, etiam remotiores cognoscendæ sint, ut vitentur. Tales sunt cibi flatulenti, aër crassus ac nubilosus, aëris caliditas aut frigiditas nimis, corporis & animi motus nimis.

Deinde asthma aliud est gravius, aliud mitius. Si enim æger quidem, difficulter respiret & anhelosus sit, simpliciter asthma appellatur. Si verò ita incrementum sumat difficilis respiratione, ut æger non nisi erecta cervice respirare possit, orthopnoea nominatur, ut antea etiam dictum.

Tertiò asthma aliquando est etiam hereditarium, habentque nonnulli congenitam ad asthma propensionem, quæ sita est in pulmonum laxitate quadam & debilitate ad recipiendum affluentes aliunde humores, vel etiam eos cumulandos apta.

Signa diagnostica.

Imminentis asthmatis signa ita tradit Aretæus, *lib. 1. de sign. & caus. morb.*

Signa.

morb.

morb diuturnor. cap. II. Motu incipientis seu impendentis nota sunt hujusmodi; gravitas pectoris, tarditas ad solitum opus, & aliud quod libet agendum, in cursu & in acclivi itinere difficilis & ægra spiratio, raucescunt & tussunt, flatus in præcordiis atque eructationes præter rationem excitantur, vigilans noctu parum & obscure incalescunt, nares acutæ & adpirationem paratas habent.

Malum autem præsens facile signis suis pathognomicis cognoscitur. Ægri nimirum plerumque sine feбри, de qui postea, *questione 3.* dicitur, & alia evidente causa, quæ respirationem difficilem inducere potest, frequenter, ut ii, qui cursu velociore aut motu alio vehementi sunt defatigati, & si malum sit vehemens, etiam erecta cervice respirare coguntur. Et fit hæc respiratio læsa, quandoque cum stertore & sonitu, quandoque sine eo, ideo quod materia quandoque hæret in bronchiis & asperis arteriis, quæ dum spiritu disploditur, sonitus excitatur, aliquandoque extra asperas arterias. Scribit tamen Johannes Zechius, *consultat. 18.* hoc quidem ut plurimum fieri, se tamen in quàm plurimis observasse, respirationem, accessionis præsertim tempore, raram & admodum tardam, longeq; difficultiorem inspirationem expiratione ipsa esse. Atque ipse causam hujus rei hanc reddit, quod cum duo sint respirationi inservientium instrumentorum genera,

quorum alia aërem suscipiunt, ut arteria cum pulmone, alia movent, ut ipse etiam pulmo cum thoracis musculis: si accidat, ut non solum bronchia pulmonum, sed & ipsa pulmonis substantia cum suis venis & vasis arteriis afficiatur, facultasque thoracem movendi languida sit, accidere, ut nec pulmones humore gravati, nec thorax facile moveri & distendi possit. Quapropter tum natura non sine labore & conatu maximo ac longiore temporis intervallo inspirationem moliri potest; unde etiam partes pectoris superioræ moventur, quam inspirationem sublimem Hippocrates appellare solet, in qua obeunda, ut vires dejectas interposita quiete aliquantulum natura non nihil reparare possit, inspirationem alteram non admodum maturat & accelerat; & ipsa exspiratio expeditior est inspiratione, quoniam hujus operis instrumenta sine multo labore moventur, & ferè sponte sua concidunt. Idem tamen, *consultat. 53.* addit, respirationem hanc simul magnam esse. Cum enim rara respiratio usui non sufficit, ab urgente postea necessitate coacta natura magnam pro viribus respirationem efficit; ita ut non solum septum transversum cum musculis intercostalibus manifestè moveantur, sed etiam musculi superiores omnes ita ut sublimis fiat appellata respiratio.

Quomodo autem asthma à difficili respiratione, à virium inbecillitate, & calore magno in cordi di-

scernenda sit, docet Galenus, 4. de loc. affect. cap. 7. Subijciamus, inquit, aliquem omnes simul movere musculos, ut pectus unà cum scapulis manifestè sublevetur. In hoc opere ex tribus unum aliquod conicere necesse est, aut virium imbecillitatem, aut viarum spiritus angustiam, aut vehementem in corde & pulmone calorem. Quamvis interdum duæ, ac nonnunquam (licet rarè) tres quoque ex jam dictis causis concurrere possint. Igitur ubi vires duntaxat fuerint infirma, ad tria momentium musculorum genera venire, eosq; omnes ad motionem excitare solent, uno genere vehementer pectus movere nequeunte, & propterea non solum diaphragma, sed universi thoracis muscoli moventur: motum tamen & sensum efficiunt, & propterea neque frequens omnino, neq; rarè omnino eorum actio existit. At præterea thoracis dilatatio hautquaquam magna erit, nullaq; ex ore fiet exsufflatio & spiritus ex solis naribus emitti solent. Quod si per inspirationem narium pinna manifestè trahi videantur, id prostrati roboris efficax indicium erit. Aucto verò in corde & pulmone calore, omnibus quidem thoracis musculis peragitur quoque respiratio, sed magna, velox, frequens vehementesq; percipitur, & præterea calidus exsufflando spiritus emittitur. Tandem qui ob viarum spiritus angustiam difficulter anhelosq; respirant, totum quidem thoracem magna ex parte & celeriter & frequenter dilatant, sed neq; exsufflare, neque calidum spiritum emittere conspexerunt. Id enim acuti caloris est indicium.

Cum verò angustia ista bronchio-^{Signa cau-}
rum pulmonis, quæ proxima est ast-^{sarum.}
matis causa, à pluribus, ut dictum, causis provenire possit, & eas discernendæ sunt. Ut verò de causis, quæ respirationem difficilem in genere excitare valent, nihil dicamus, ut de pure vel sanguine in spiritus vias illapsis, & aliis quæ ex suis locis patent: si à crasis humoribus fiat asthma, & iis quidem in pulmone collectis, sensim difficulter respirare incipit æger, estque difficultas spirandi continua. Si verò aliunde affluat materia, respiratio difficilis eodem modo continua non est, sed per intervalla infestat vel exacerbatur. Etsi enim asthma, quod ob materiam in pulmone collectam excitatur, ob iram, aerem austrinum, & similes causas, exacerbari etiam possit: tamen in asthma, quod fit à materia aliunde affluente, exacerbatio illa longè manifestior est.

Exacerbatur autem hoc malum magis tempore autumnali & hyberno & noctu. Cum enim, ut Galenus, 6. epidem. sect. 1. text. 15. docet, dies totius anni proportionè respondeant, ut matutino tempori ver, sit simile, meridiei æstas, vesperi autumnus, nocti hyems; pituita verò noctu moveri soleat: non etiam est mirum, asthma, quod est morbus pituitosus, noctu magis exacerbari. Sive enim humor aliunde affluat ad pulmonem, noctu is magis moveri solet, sive in pulmonibus congestus contineatur, nihilominus ibi agitur, & proprias qualitates intendens, vel

vel ad majus spatium sese extendit, vel vapores de se emittit, & omnino evidèntia sui exhibet indicia. Et quidem si materia à cerebro delapsa sit, catarrhi signa adsunt: quod si catarrhus absit, per venas materiam affluere indicio est, epatisque affecti signum tandem exhibet tumor pedum & cachexia. Ac si humor ille crassus obstructionem efficiat in bronchiis pulmonis, difficilis est respiratio cum sonitu & tussi, malum quandoque etiam cessat vel remittit pituità excretà; si verò pituita & humor in venis & pulmone hæreat, abest sonitus & tussis & raro aliquid excernitur, ac malum pertinacius & diutius hominem exercet.

Quod si à crudo tuberculo sit asthma, æger ab initio, dum bene adhuc habere videtur, paulatim incipit difficulter spirare, accrescitque deinceps quotidie anhelatio citra stertorem ac strepitum. Quod si hujusmodi tuberculum temporis diuturnitate calefactum, & tandem quandam coctionem recipiens, in abscessum mutetur, febris accedit, deinde rupto tuberculo pus vel puri simile quid excreatur, & pure evacuato sit respiratio levior.

Grandinis, & calculorum signa antea sunt proposita.

Si à siccitate pulmonis proveniat asthma, præcesserunt causæ, quæ talein siccitatem inducere potuerunt, sputum deficit, & macies totius corporis adest.

Prognostica.

I. Asthma etsi sit morbus diutur-

nus, tamen paroxysmos habet acutos, ob loci affecti nobilitatem, qui organum respirationis est, quo graviter affecto homo diu vivere nequit; compertumque est, nonnullos in platea ambulantes hoc malo subito extinctos fuisse.

2. Juvenes hoc malo difficulter liberantur, senes verò nunquam, sed eos asthma ferè comitatur usque ad mortem 2. *aph.* 40. Infantes autem suffocat, nisi maturis auxiliis sistatur & avertatur.

3. Asthma hæreditarium vix unquam curatur.

4. Qui gibbi ex asthma, aut tussi fiunt ante pubertatem, ii statim moriuntur, 6. *aph.* 46. Galenus, in *comm.* causam refert in angustiam pectoris & tubercula spinæ intus annata, quæ si cruda & coctu difficilia sint, hominem asthmaticum diu vivere non sinunt. Sin humida, quæ tandem suppurantur, tussi aliquando vexatos citò tandem suffocant & interimunt. Et quamvis aliàs calor circa pubertatem incrementum sumens multos morbos curare solet: tamen calor hic gibbositatem tollere non potest. Et quia adhuc pulmones incrementum sumere solent; spina verò in gibbis amplius non crescit, atque ita pulmōni crescenti in angusto pectore satis loci non datur; is non satis ventilari potest, caloremque nativum suffocari necesse est.

5. Periculosum valde est asthma in febre acuta. Nam materia & causa asthmatis à calore febrili valde excruciat, & ad ejectionem ineptior reddi-

Prognostica.

redditur. Multa quoque inspirati-
one in febre ob calorem vehemen-
tem opus est, quæ ob angustiam pe-
ctoris, quæ est in asthma, fieri ne-
quit. Materia præterea calore febrili
agitata asthma gravius reddit, & si-
mul ob eam febris invalescit.

6. Asthmate laborantibus cum
tussi, si tussis cessat, difficultate respi-
rationis aut perseverante, aut incref-
cente, periculosum est. Contuma-
ciam enim materiæ, & virtutis ex-
pultricis debilitatem significat.

7. Ad asthma inveteratum, si no-
va repente accesserit, influxio, quæ
pulmones obruat, ut in catarcho suf-
focativo fit, lethale est.

8. Asthmatici si maximè pe-
riclitantur, qui viribus sunt in-
firmi. Citò enim suffocantur &
in syncopa incidunt; cum autem
pulsus inæqualis admodum reddi-
tur, ægrum morti vicinum esse
indicio est, & multò magis, si inter-
mittat.

9. Postquam etiam asthmatici
difficiliter respirant, ut omnes mus-
culi intercostales superiores scapu-
larum, & ipsæ scapulæ atollantur,
periculosum asthma est. Virium
enim imbecillitas, calor vehemens,
& angustia partium, respirationi in-
fervientium adest. Ne tamen in-
prælagione ex pulsu & respiratio-
ne Medicus deiciatur, videndum.
Sæpiissime enim, qui bonum pul-
sum habere videntur, subito moriun-
tur, & suffocantur; & contra, qui
pulsus pravum habent, auxilio ali-
quo adhibito, aut flatu, vel seroso

humore discussio, subito restituan-
tur. Ideoque ad causam morbi,
ejus magnitudinem, aliasque fun-
ctiones attendere decet, non ad so-
lam respirationem & pulsus respi-
cere.

10. Asthma nonnunquam in pe-
ripneumoniam mutatur, idque fe-
bre superveniente cognoscitur,
nonnunquam in hydropem & ca-
chexiam degenerat.

Indicationes.

Materia, quæ angustia bronchi-
orum causa est, tollenda; quod fit
evacuando eam; idque ut commo-
dius fieri possit, ejus crassities, si ad-
sit, attenuanda, visciditas detergen-
da, Partes etiam materiam in pec-
tus mittentes evacuandæ & robo-
randæ, & materia ad pectus ruens
ab eo averrenda. Flatus si con-
junganter, discutendi; crudum tu-
berculum attenuantibus & exsic-
cantibus absumendum. Pulmo-
nis siccitas humectantibus emen-
danda.

Quæ tempore paroxysmi facienda?

Et quidem tempore accessionis
omnis danda opera, ut æger præ-
senti periculo liberetur, nec suffo-
cari permittatur. Hoc enim ma-
ximè urget, & propterea ad hoc ma-
ximè respiciendum. Cum verò
paroxysmus è tribus causis oriri
possit, nimirum vel ex commota
materia, quæ in pulmone quiescit
consistebat, vel ex nova in pulmo-

Indicatio-
nes.

Quid tem-
pore paro-
xyismi faci-
endum?

nes affluxione, quam & flatus & vapor aliunde transmissus teritur auge-
re potest; materiam verò moveat
corporis atq; animi motus nimis,
mora sub radiis Solaribus, ad ignem,
suppeditet autem & augeat ebrietas
& crapula, usus ciborum crassorum
& flatulentorum, initio perpenden-
dum est, à quâ causa paroxysmus or-
tum habeat. Nam si à causa ortum
habeat quæ præsentem antea mate-
riam agitare solet, non ita opus est
frictionibus, ligaturis, cucurbitulis
& aliis revulsionibus, sed quiete po-
tius, & his, quæ materiam motam
discutere possint. Si verò aliunde
materia ad thoracem affluat, seu ex
toto, seu ex aliqua parte, omni stu-
dio laborandum, ut materia à pecto-
re averti & distrahi possit. Ergo
tum æger corpore erecto, ut spiritui
via, & dilatato pulmone spatium
majus detur, nullo modo supinus,
ne confidente ad dorsum thoracis
angustia augeatur, collocetur, pec-
tore nudo, aut certè levibus saltem
vestibus tecto, non verò onerato aut
coarctato, in aère temperato & ad
frigidum declinante collocetur, & in-
vulsum adstantium importuna tur-
ba arceatur. Hinc magnæ frictio-
nes, ut & ligaturæ, in partibus infe-
rioribus instituantur, quæ humores
ad superiora ruentes revellunt, eos
verò, qui in pectore sunt, non agi-
tant. Si verò pectus & dorsum e-
tiam fricari libeat, fiat id sanè leni-
ter, ut meatibus saltem dilatatis fa-
cilius fiat transpiratio, quæ respira-
tionis defectum aliquomodo com-

pensare possit, Suppositoria quoque
hic indantur.

Clysteres verò non admittit Lu-
dovicus Septalius, cum viribus pro-
stratis, & suffocationis periculo in-
cumbente, commodè injicere non pos-
sint. Sed tamen vires non semper
ita prostratae sunt, ut clysterem non
admittant, qui à pectore satis com-
modè revellit.

Si sanguis in corpore abundet, &
virtus valida sit, vena basilica sece-
tur, vel mediana, & tantum sangui-
nis detrahitur, quantum vires &
morbus ferant. Si verò menses vel
hamorrhoides substiterint, saphena
aperienda. Possunt & cucurbitulae
& cruris applicari revulsionis &
aversionis gratia.

Si humor sit crassus, equidem
non satis commodè purgantia ex-
hibentur. Verum si humor sit te-
nuior & mobilis, ad periculum suf-
focationis vitandum satis commo-
dè purgantia exhibentur; de quo
quest. 4. dicitur.

Ad materiam verò discutien-
dam pectori applicanda Topica la-
xantia, discutientia, ex oleo amyg-
dalarum dulcium, chamæmelino,
liliorum alborum, irino, pinguedine
gallinæ & similibus.

Ut :

R. Pulv. rad. alibee,
iridis, ana Drach. j. B.
Sarin. sem. lini,
sennigræ, ana Drach. ij.
ol.

Clysteres.

Vena se-
ctio.

Purgan-
tia.

Topica dis-
cutientia.

ol. amygd. dulc.

irini,

chamemel. an. Unc. ℥.

pingued. gallin. Drach ij.

ammoniaci vino dissoluti ℥ ʒ.

cera. q. ℥.

F. Linimentum.

Vel ℞. *Mucilag. sem. lini,*

fenigrac.

cydonior. cum

aqua scabios. vel tussilag.

extract. ana Drach vi.

pulv. rad. ireos,

hyssopi, ana Drach. ℞.

croci Scrup. j.

ol. lilior. albor.

amygdal. dulc.

amarar. an.

Unc. j. ℞.

Cum *cera,*

F. Linimentum.

Si tamen flatus conjungantur, cavendum, ne subito & confertim calescentia medicamenta extra adhibeantur. Si enim flatus à materia foveantur, metuendum est, ne his calidis medicamentis ea attenuetur & fundatur, flatusque augeantur, atque ita respiratio difficilior reddatur.

Lenientia & attenuentia.

Exhibeantur medicamenta internalientia, attenuantia, detergentia & expectorantia, qualia sunt *amygdal. dulc. & amara, ficus, passule, scabios., capill. ʒis, marrubium, hyssopus, radix aristoloch. rotundæ, ireos, ari. helenij, gentiana, scilla, spermaceeti, crocus, moschus, ammoniacum, sulphur benzoe, & medicamenta ex his parata, ut:*

℞. *Rad. ari Unc. ℞.*

Coqv. in vino albo, & cum

lob. de pino vel strup. de hyssopo,

Misce & Eclegmatis forma exhibeantur.

vel ℞. *Aquinarom. Unc. ij.*

oxym. scilicet. Unc. j.

M. aliquid sensim sorbeatur.

Vel ℞. *Ammoniac. Scrup. ℞.*

flor. ⚊ vel lactis ejusdem,

croci, an. gr. v.

moschi gr. j.

oxymel. s. Drach ij.

vini albi Unc. iij. M.

Vel ℞. *Ammoniac. Drach. j. ℞.*

Adde pulv. glycyrrh. & sacchar.

penidij q. ℥.

Formentur Pilul. x xv. quarum

4 vel 5. exhibeantur.

Brunnerus, *consil. 34.* ut expertam

& usu prob. tam sequentem Potiunculam commendat:

℞. *Ammoniac. Drach. j. ℞.*

aqv. hyssop. Unc. iij.

vini Rhenani Unc. ij. M.

Major tamen videtur Ammoniaci quantitas, quam quæ pro una dosi exhibenda. Theriaca etiam vel Mithridatium in ore teneri potest, & sensim aliquid deglutiri.

Commendatur & pomum excavatum, & Drach. j. thuris repletum & assatum

Vel ℞. *Flor. ⚊ Drach. j. ℞.*

benzoes gr. v.

ammon. gr. iij.

croci gr. ij.

margaritar. prepar. Scrup. j.

moschi Scrup. ℞.

F. Pulvis

F. Pulvis, cujus, quantum cuspidè
cutelli capi potest, cum jure pulli
aut oxymelite aut aqua scabiosæ su-
matur.

Avicennas cuminum cum aceto,
vel semen sinapis alb. cum æquali
portione mellis ad formam electua-
rii mistum exhibet.

Vel R̄. Oxymel. f. Unc. j.

scillitic.

aqv. cinam. an. Unc. B.

ammoniaci. Scrup. j.

croci gr. iij.

Misce.

Vel R̄. Croci Scrup. j.

moschi gr. ij.

flor. benzoæ gr. ij.

succi ceymi depurati Drach. ij.

vini albi calefacti Unc. iij. M.

Commendatur & tanquam usu
probata aqua è floribus raporum
destillata, & cum croco ac pauxillo
moschi mixtat.

Utiles etiam sunt *Aque pectorales*
dieta. (Euffwasser) Item aqua salviæ,
anisi, rorismarini.

Aqua pectoralis temperata D.
Andr. Dœreri:

R̄. Rad. glycyrrh. ras.

polypod. q. mund. ana.

Unc. j. B.

russilag. Unc. j.

belenii.

borrag. an. Drach. ij.

dactylor. rec. enucl.

zibeb. rec. exacina. an. Unc. iij

conserv. viol. purp. Unc. j. B.

rosar. incarn. rec. Unc. B.

nuc. mosch.

croci orient.

L. II.

garyophyll. arom.

cinamom. elect. ana. Unc. j. B.

Incidantur & contundantur, po-
stea affundantur.

seri lactis caprill. rec. & puriss. ℥ ij. B.
aq. scabios. ℥ j.

veronic.

prunell. an. ℥. B.

Relinquantur in infus. in loco
calido vel B. per novendium, de-
stillentur deinde per organa vi-
treæ.

collecti liquoris ℥ iij. adde
sacch. candi albi ℥. Drach. vi.

Alia aqua pectoralis à me præ-
scripta:

R̄. Herb. veronic.

scabios. at. M. ij.

capill. ♀.

hyssopi,

salviæ,

marrubii, an. M. j.

rad. ireos Florentin.

glycyrrh.

eryngii,

belenii,

fenic. ana. Unc. B.

cinam. opt.

gravor. juniperi, an. Drach. iij.

Affund. spir. vini opt. q. l. Stent in
infus. dies' xiiij. postea destillentur,
Destillatum funde super.

dactylos N. x.

jujub.

sebesten. an. N. xxx.

ficcum N. x.

passular. minor.

major. exacinat. ana.

Unc. ij.

croci Drach. B.

Tt

Dige-

Digerantur & filtrentur. Neque enim è dactylis, jujubis, sebesten, ficubus, passulis, multum per alembicum elevatur.

Commendantur & millepedæ vel aselli, qui sub vasis aquariis stabulantur, si scilicet panno lineo excepti in vino macerentur & vinum sine expressione propinetur.

Quando paroxysmus ultra quartum diem protrahitur, vesicatoria in dorso, è regione pulmonis, applicentur. Nonnulli sinapismos in anteriore parte thoracis applicant, & vesiculas diu apertas servant.

Victus interea sit tenuissimus, atque utilis est ptisana cum croco & saccharo, eibique croco condiantur; cum is utilissimum sit in asthma remedium.

Quomodo extra paroxysmum æger curandus sit?

Quid est extra paroxysmum faciendum?

Quando æger à paroxysmo vehementiore & suffocationis periculo liberatus est, laborandum omnibus generis præsidiiis, ne malum revertatur. Ideoque si plenitudinis signa adsunt, & vires permittant, vena aperienda basilica, præsertim ubi vaporum calidiorum copia magna in corde & pulmone urget. Et ubi à mensium & hæmorrhoidum fluxu suppresso malum originem habet, vel augetur, vena tali vel malleoli aperiatur. Cucurbitula quoque in eundem finem femoribus & cruribus adhiberi possunt.

Postea præparetur materia & evauctur. Præparetur autem attenuantibus, incidentibus, & abstergentibus iis, quæ thoraci dicata sunt. Ubi tamen videndum, ne nimis calida & exsiccantia exhibeantur, quæ partes tenues materiæ absumere, reliquumque incrassare, & ita malum curatu difficilius reddere possunt. Quapropter commodè glycyrrhiza, passula, & similia medicamenta humectantia simul admiscerentur.

Utilia & hæc medicamenta sunt; *hyssopus, scabiosa, capilli zis, prassium, passula, calamintha, feniculum, scilla, jujuba, ficus*; & ex his composita, *syrup. capill. zis. de glycyrrhiza, de jujubis, de scabiosa, de hyssopo, de calamintha, de prasso, oxymel simpl. compos. & scillitic.*

Ut R. Cap. II. zis,
hyssopi,
scabios.
prassij, ana M. ℞.
rad. helen.

ireos, an. Drach. ij.

sem. anisi.

fenic. an. Drach. j.

passul.

glycyrrh. rasa, an. Unc. ℞.

ficuum N. vi.

Coq. in aqua simpl.

Colat. R. Unc. vi.

adde syrup. capill. zis,

hyssopi,

oxymel scillit. ana Unc. ℞.

Misce pro duabus dosibus: & potus hic bis reiteretur.

Vel

Vel B. Rad. ireos,

glycyrrhiz.

helenij,

fenicul. an. Unc. ℞.

byssopi,

capillor. Qris,

ruffilag.

scabios.

satureia,

calamintb. ana M. ℞.

jujub.

sebest. an. N. x.

caricar. N. vi.

passular. Unc. ℞

semin. anisi.

feniculi,

malv. ana Drach. j.

Coqv. in aqu. f.

Colat. R. ℞. j.

oxymel. scillit.

sirup. de prassio,

de glycyrrhiz. an. Unc. j℞.

aqu. cinamom. Drach. j.

M. pro 4. doibus.

Vel B. Aquæ veronica,

scabiosa, an. Unc. iij.

sirup. de prassio,

capill. Q. ana Uuc. j. ℞.

℞. ℞. Scrup. ℞. M.

Vel B. Sirup. de prassio,

de byssopo,

de glycyrrh. an. Unc. j. ℞.

flor. ℞. Scrup. j.

succ. glycyrrh. in ℞. Drach. j℞.

vel potius.

extract. glycyrrh. Drach. ℞.

aqu. veron.

in ℞. an. Unc. iij. M.

Sumat æger manè & ante coenam
cochlearia 2. vel 3.

Præparata materia evacuanda. *Purganda.*
est, & primò per purgantia. Et si enim materia, quæ in thorace continetur, ita facile per alyum evacuari non possit: dum tamen materiam ex universo corpore purgantia evacuant, eadem à pulmone revellant. Imò aliquid retrahi posse non impossibile est. Præterea cum antea dictum sit, uti & postea *questione 2.* dicetur, materiam, quæ paroxysmos asthmaticos concitat, non semper totam in pulmone consistere, sed ex epate & venis affluere: cum modissime per purgantia ea tollitur.

Antiqui etiam fortioribus purgantibus utebantur, ut ex Aetio, *tecrab. 2. ferm 4. c. 57.* Paulo Ægineta, *lib. 3. cap. 29.* Orbasio *synops. lib. 9. c. 5.* imò ipso Galeno, *7. de compos. med. sec. loc. cap. 6.* videre est.

Verùm tutius est, à mitioribus inchoare, atque ea sæpe repetere, & ita per *ἐπιρροήν* materiam evacuare. Cum enim materia crassa, viscida & contumax sit, & sæpe satis copiosa, una vice expurgari non potest; ideoque per intervalla eam præparare & evacuare decet, medicamentis mediocribus, qualia sunt agaricus, mechoacanna, & similia; quibus tamen stimuli loco fortiora quædam in minore quantitate addere utile est. Quoniam verò purgantia medicamenta diutius *Purgantia mutanda sunt.* continuanda, ne natura iis afflicta, earumq; vires ob longam consuetudinem contemnat; ea mutare utile est.

Tt 2. Itaque

Itaq; in decocto preparante supra
proposito infundantur,

agarie. trochisc. Unc. j.
sem. caribami Drach. vi.

Colentur, & exhibeantur Unc. iiij.
Vel R̄. Pilul. de agaric. Scrup. ij.

assireth.
cochiar. ana Scrup. β.

extract. panchymag. gr. vi.
Cum oxymel. scillit.

F. Pilul.

Vel R̄. Agaric. Drach. j. β.

turbith. Drach. j.

femin. sciscut.

zinzib. an. Scrup. j.

Infundantur in oxyrael. f. Unc. j.

vini albi,

aqu. byssopi, an. Unc. ij.

Colat. adde manne Drach. vi.

Iterum colentur.

F. Haustus.

R̄. Rad. ireos Drach. ij.

suffilag. Drach. j. β.

pulmonar. M. β.

ligni Guajaci Drach. j.

rad. belenii,

hellebor nigri, an. Drach. j. β.

fol. sen. Unc. ij.

zingib.

galange, ana Drach. j.

Coqv. in f. q. decocti pectoralis.

In colat. infundantur agar. troch.

Unc. β.

rhabarb. Drach. j.

cinamomi Drach. β.

Cum f. q. sacchari

F. Sirupus liquidior, cujus Unc. iiij.
manè exhibeantur.

Nonnulli frequenter ad purga-
dum in asthma trochiscis de violis

utuntur, à Mesue, cap. de asthma, &
descriptis, quos tamen rejicit Ale-
xander Massariæ, quod compositio
minus sit artificiosa, & diagry-
dium non bene correctum. Verum
diagrydium faciliè correctius reddi
potest.

Vel R̄. Polypod. q. Unc. β.

mechoacan. opt. Drach. j.

agaric. albi. Unc. β.

glycyrr. Unc. β.

fol. sen. Drach. vi.

zinziber.

galange, an. Drach. j.

passular. Unc. j.

sem. anisi.

fennicul. an. Drach. ij.

fol. ruscilag.

capillor. R̄. an. M. j.

Infundantur in vini mensura una.
Detur manè haustus.

Oxymel de Nicotiana purgans
anhelolis utile descripsit Querceta-
nus, pharmacop. dogmat. rest. cap. 10.
& sirup. de Nicotiana, ibid. cap. 12.

Imprimis vulgò commendatur
jus galli decrepiti purgans, quod ta-
men à Ludov. Septalio planè rejici-
tur, ut postea, quest. 5. dicitur. Pa-
ratur autem hoc modo:

R̄. Gallum decrepitum evisceratum,
ventremq; ejus sequenti pulvere re-
ple:

R̄. Pulmon. vulpis Unc. j.

passular.

ficuum, ana Unc. j. β.

glycyrriz. Unc. j.

byssop.

saturia,

thymi, ana Unc. β.

semin.

sem. fenicul. Drach. j.
cartham. Unc. B.
turbith. elect. Drach. ij.
agaric. trochisc. Une B.
zinzib. Drach. j.

Postea coqv. in aqua pura.

De jure detur manè haustus, qui si non satis purget, dissolvatur in eo aliquid manne.

Vix verò quicquam commodius est ad pulmones expurgandos, quam oxymel cum agarico. Efficax quoque est oxymel helleboratum Gesneri. Sed omnino potest helleborus albus & augeti pondus agarici.

Corpore toto evacuato danda opera, ut causa continens seu proxima è pulmonibus tollatur, idque medicamentis tum internis, tum externis effectum dandum. Ad crassam & viscidam materiam attenuantia, incidentia & detergentia adhibenda, citra tamen insignem caliditatem, ne humores exsiccati magis crassi & lenti reddantur. Hinc Avicennas etiam diuretica fortiora improbat, quod subtile extrahant, crassiore relicto. Ideoque utile est attenuantibus & incidentibus humidantia permiscere, ut glycyrrh, pasulas, caricæ, pineas, mel, saccharum, malvam, althæam. Atque talia medicamenta supra inter præparantia proposita sunt. Valde etiam laudatur terebiathina, quæ non solum pulmones abstergit, sed & epas, lienem, renes, simulque alvum citra noxam solvit.

E supra enumeratis varia componuntur medicamenta. In vul-

gari usu sunt *loch. de caulibus, de tus-silag., de pino, de passulis, de pulmone vulpis, de scilla, & quod ad asthma dicitur, species diaireos, diaireos Salomon., diatragacanth. calid. diapenid., diabyssop., diaprasfi, conditum rad. helenij, extract. helenij, ireos, ol. anis, fenicul., oxymel. scillit., flores lac & balsamum ejusdem. flores ben-zoes.* Galenus, 7. de comp. med. sec. loc. in fine cap. 6. ex veterum scriptis aliqua recentet, inter quæ & hæc:

℞ *Succi scille crudæ,*
milis part. æqv.

Coqv. lento igne. Dosis Drach. ij. circiter, ante & longè post cibum.

Vel ℞. *Sulphur. vivi,*
sem. ruta sylv. an. Drach. j.

aristoloch.

abfinth.

cinamom.

abrotan. an. Unc. B.

Terantur cum aceto & F. Trochisci, magnitudine fabæ, quorum Drach. j. manè & vesperi exhibeatur cum Unc. iij. oxymelitis.

Utile est & hoc:

℞. *Ammon. aceto dissol. Scrup. j.*

essent. zedoar. Scrup. ij.

aqua cinamomi Unc. B.

veronic. Unc. ij.

flor. chamamel. Unc. iij.

Misce pro 2. dosibus.

Cum autem malum sit diuturnum & contumax, usus medicamentorum continuandus, & medicamenta sæpe repetenda, simulque permutanda, ne materia uni assuescat. Per intervalla quoque theriacæ Drach. B. vel Scr. ij. exhibeantur. Utiles quoque

Medicamenta sæpius repetenda & mutanda.

Oxymel helleborat. Gesneri.

Attenuantia, incidentia & detergentia.

Humidantia.

Quoque sunt millepedæ seu aselli, ut
etiam supra dictum, quorum & Ga-
lenus. 7. de comp. med. s. l. in fine
mentionem facit; feruntque *Ὠνά-
ρισον* & vulgatum Græcæ plebecu-
læ hodie esse medicamentum ad
pulmones infarctos à crassis humo-
ribus liberandos.

Vel ℞. *Hyssopi,*

veronica

scabiosa

marrub.

origan.

pulegii,

cardui benedicti, an. M. j.

rad. ireos Drach. vi.

zinzib. Drach. j. ℞.

agaric. albi ℞. Unc. ℞.

Infunde in aceti vini ℞ j. ℞.

aqu. veronica,

cardui bened. an. ℞ ℞.

Stent in vase vitreo obturato lo-
co calido per triduum, deinde lento
igne coquantur & exprimantur.

Colat. ℞. ℞ j. ℞.

mell. opt. ℞ ℞.

Coqv. lento igne ad sirupi for-
mam, qui aromatizetur *cinamomo,*
caryophyllis & *calamo aromatico* in-
petia ligatis. Dantur manè 2. vel 3.
cochlearia. Crato, *consil. 29.*

**Syrupus Augeni de he-
lenio.**

*Syrupus
Augeni de
helenio.*

℞ *Rad. helenii,*

polypod. q. in vino albomacerat.
ana Unc. ij.

passul. Corinth. Unc. ℞.

sebesten N. xv.

farfara,

pulmonaria,

fol. satureie,

calamimb. an. M. j.

fol. sabaci unum magnum,

glycyrrh. Drach. ij.

sem. urtica,

bombacis, an. Drach. j. ℞.

Coq. in mulsa ad remanentiam.
℞ j. ℞ & cum pari quantitate sac-
chari F. Sirupus, cui *oleum sulphuris*
addi potest.

Vel ℞. *Rad. gentian.*

helen an. Drach. vi.

ireos.

galange, an. Drach. iij.

agaric.

spice, an. Drach. j. ℞.

sacch. albi Unc. ij.

F. Pulvis.

Vel ℞. *Hyssopi sicci,*

semin. anisi, un. Unc. j.

glycyrrh Unc. ℞.

sem. fenicul.

cinamom. an. Drach. ij.

cardamomi Scrup. ij.

ireos Florent. Drach. v.

sacch. ad pondus omnium.

F. Tragea vel cum melle

Electuarium.

Laudatur & Diabutyrum Bene-
dicti Victor. Faventini.

℞. *Butyri recent. benedicti Unc. iij.*

caricor. pingv.

nucleor. pini,

dactylor.

amygdal. amar. an. Unc. ij.

succi glycyrrh.

tragacanth. an. Unc. j.

kyssop.

ireos,

thymi,

*Diabuty-
rum Bened.
Victor. Fa-
ventini.*

satureia,

satyria,
prassij,
pulegij,
sem. urtic. an. Unc. ℞.
cinamom.
zinzib.

pyrethri, an. Drach. iij.

caryophyll.

galang.

piperis nigri,

sem. anisi,

carvi,

cardamomi, an. Drach. ij.

ligni aloes,

nucis moschat. an. Drach. j.

aqv. mellis ℥ iij.

Caricas, passulas, dactylos bene
contusos in aqua mellis triduo infun-
de postea lento igne coque & suc-
cum fortiter exprime, cui succo ad-
de butyrum & præterea mellis despu-
mati ℥ vii. & iterum lento igne
unica ebullitione ebulliant, iterum-
que colentur. Colaturæ adde nu-
cleos pini & amygdalas bene contusas
& in mortario omnia diligenter mi-
see: quibus reliqua omnia subtiliter
pulverisata, ut & pulmonis vulpis sub-
tiliter pulverisat. Unc. ij. insperge, &
super igne miscendo. F. Electuarium
de quo Unc. ℞. manè, meridiè & ve-
speri exhibeatur.

Vel *℞. Conserv. betonic.*

βοτρυός, an. Unc. ij.

violar.

loch. de pino, an. Unc. j.

pulmon. vulpis prepar. Drach. j. ℞.

extract. glycyrrh.

ireos, an. Scrup. j.

Cum *sirupo de byssop vel capill. & is,*

F. *Electuarium. Dos. Drach. ℞.*

Et commodum fuerit, si superbi-
 batur haustus juris galli decrepiti
 cum herbis pectoral. & ligno Gua-
 jaco facti.

Vel *℞. Pinear. mundat. Drach. ij.*

radis. ireos.

glycyrrh. ana Scrup. ij.

tragacanth. Drach. ℞.

sem. anisi,

faniculi,

urtica, an. Scrup. ℞.

radic. angelicæ Drach. ℞.

cinam. Scrup. iv.

styrac. calam. Scrup. ℞.

sacch. penid.

candi, an. q. s.

Cum *aq. scabiosæ & faniculi,*

F. *Rotulæ vel Morsuli.*

Utile est & sequens medicamen-
 tum.

℞. Radic. irid. Florent.

helenii, an. Unc. ℞.

pulpa dactylor. & passular man-

datar. ana Drach. iij.

Cortic. arantior. siccor.

citri siccor. ana Drach. ij.

benzoes. Drach. j.

croci Drach. ℞.

Infunde bidui spatio in spiritu
 vini optimè rectificato. Postea li-
 quor per inclinationem separetur,
 cui adde *sacch. candi pulv. q. s. spiri-*
tum vini accende, & liquorem con-
tinuò agita, donec flamma spontè
extincta liquor olei ferè consisten-
tiam aquirat, cui adde ol. sulphuris
q. s. ad gratam aciditatem.

Alia

Alia etiam medicamenta, supra in paroxismo exhibenda, propofita hic locum habent, eorumque ufus cont nuari potest. Si verò materia aliunde, feu ex hypochondrijs, feu venis communicetur, ea ex iis locis conveniente modo evacuanda & à pectore avertenda, & ne iterum generetur, curandum.

Externa.

Cum iatennis medicamentis externa conjungenda. Illinendum, nimirum pectus oleo amygdal. dulcium, chamamel. anethino, cheirino, liliorum alborum, ru taceo, additis mucilagibus & piæguedinibus emollientibus & discutientibus :

Ut R. *Ol. amygdal. dulc.*

lilior albor.

rutac. ana Drach. vj.

adipis gallinæ.

ansaris, ana Unc. ß.

mucilag. sem. fenigræ. cum aquæ tussilag. extractæ Drach. iij.

pulv. rad. ireos,

helenii,

croc. ana Scrup. j.

Cera parum.

M.

Vel R. *Sem. carvi,* Unc. iij.

anisi,

summit. absinth. ana Unc. ij.

Pulverisatis adde *mice panis simi-*
laginei Unc. iij.

mell. crudi Unc. iv.

terebinth. Unc. ij.

Coq. in vino ad consumptionem vini.

F. Emplastrum, applicetur calidè pectori & dorso.

Intopicorum tamen horum usu

observandum, ne cutis pori occludantur: ideoq; emollientibus commodè medicamenta attenuantia ac poros aperientia, & nirri aliquid admiscetur.

Nonnulli etiam in malo inveterato & quod nullis aliis medijs cedit, cauteria actualia adhibent, secundum collum, pectus & dorsum, circa medum vertebrarum & costarum; de qua uestione videatur Aëtius, *tetrab. 2. serm. 4. cap. 57.*

Si à catarrho malum sit vel foveatur, ejus ratio habenda, & ut supra, *lib. 1. part. 2. cap. 34. de catarrhi curatione,* diximus, in brachijs fonticulos excitare utile est.

Pectore expurgato, danda opera, ut per exsiccantia & absorbentia reliquæ in pulmone absumantur: in quem usum pleraque medicamenta humorem crassum è pectore expurgantia adhibentur, à quibus tamen hic fortiora & magis siccantia eligenda. Cum enim, ut antea dictum, in principio & præparantia & expectorantia validius siccantia non sint satis commoda, quia tenui parte absumptâ crassior relinquitur & induratur: ubi materia per incidentia & attenuantia præparata, ut & per expectorantia convenientiæ vacuata fuerit, reliquum postea tutius per validius siccantia absumere licet. Qualia sunt, *belexium, arum, scilla, Nicotiana, ammoniacum, sulphur, benzoe, theriaca, Mitbridatum.*

Vel R. *Rad. ireos* Unc. ij.

heleni,

ari, ana Unc. j.

scilla,

Cauteria actualia.

Exsiccantia.

stilla.

angelica, ana Unc. ℞.

glycyrrh. Unc. j.

hyssop.

fatūreia,

pulegii,

marrub.

calamintb ana M. j.

sem. feniculi,

anisi, ana Drach. ij.

urtic.

eruca,

carbam. ana Drach. ℞.

*Sirupus de
Nicotiana
na.*

Coq. & cum melle vel saccharo,

Fiat Sirupus. Sub finem adde

croci Drach. ℞.

Utilis est & Sirupus de Nicotiana :

℞. *Nicotiana secca* M. iij.

hyssop.

marrubii,

calamintb. ana M. ℞.

capill. ♀.

scabios. ana M. j.

caricar.

dactylor. ana N. x.

rad. angel.

fenicul. ana Unc. ℞.

sem. fenic.

anisi, ana Drach. iij.

urtic. Drach. ℞.

rad. ireos Drach. x.

Coqv. in aq. ℞ iij.

Et addito melle & saccharo,

Fiat Sirupus.

Vel ℞. *Rad. belenii*,

aristoloch rotund. vera,

glycyrrhiza ana Unc. ℞.

sar. saporilla Unc. j.

fol. hyssopi,

origani,

L. II.

prassii,

russilaginis,

scabiose ana M. j.

sem. fenigraci,

urtica, ana Unc. ℞.

dactylor.

caricar. pingv. an. nr. x.

passular. exacinat. Unc. j.

Coq. ad remanentiam ℞ iij. adde

succi scylla Unc. ij.

sacchari q. s.

Coq. f. q. & addendo subfinem:

balsami Orientalis

vel *Liquidambra* Unc. ij.

Fiat Sirupus.

Laudatur & ros Solis, si ei cum

femine botryos, glycyrrhiza & mar-
rubio S. V. affundatur.

Vel fiat hoc Eclegma :

℞. *Ammoniaci aceto scillit. dis-*
soluti Drach. ij.

sem. nasturtii,

urtic. ana Drach. j.

flor. sulphur. Drach. ℞.

croci Scrup. j.

pulmon. vulpis. preparat.
Drach. ij.

Cum oxymel. scillit.

Fiat Electuarium.

Vel hic Pulvis :

℞. *Rad. ireos*,

glycyrrh.

belenii, an. Drach. ij.

ari Scrup. ij.

cinamom. Drach. ij.

sem. urtic.

nasturt. ana Drach. j.

pulmon. vulp. prepar.

Drach. ij.

croci Scrup. j.

Vu

flor.

flor. sulphur. Drach. j.
benzoës Scrup. ß.
sacch. candi Drach. vj.
 Fit Pulvis.

Vel R. *Flor. sulphur. vel lactis sulph.* Drach. ß.
benzoës Scrup. ß.
fecul ari Drach. ß.
rad. ireos Drach. j.
croci Scrup. j.
sacchar. candi Drach. vj.
 Fiat Pulvis.

Vel R. *Ammoniaci* Drach. j. ß.
eroci Scrup. ß.
flor. benzoës gr. v.
extract. glycyrrh. q. s.

Fiant Pillulæ xxx. Dentur manes, 6; 7

Vel R. *flor. sulphur.* Drach. j.
extract. bielen. Scrup. j.
sacchari albis. in aq. tussilag.
dissolut. Unc. iij.
ol. anisi gr. iij.

Fiant Rotulæ.

Vel R. *Spec. diureos simpl.* Drach. j.
diatragac. calid. Drach. ß.
balsam. sulph. Scrup. ß.
sacchari in aqu. scabies. dissolut. Unc. v.
ol. anisi gut. v.

Fiant Rotulæ.

Vel R. *Lact sulphur.*
flor. benzoës gr. vj.
ammoniaci gr. iij.
croci Scrup. ß.
margarit. prepar. Scrup. j.
magister. oculor. ℥.
moschi ana Scrup. ß.
sacchar. candi Drach. ij.

Fiat Pulvis, de quo, quantum cu-

spide cultelli bis capi potest, detur in ovo forbili vel aqua scabiosa.

Est & efficac decoctum ligni Guajaci, sassafras, sarsæ parilla, si pectoralia addantur, non quidem ad sudores ciendos, sed ad reliquias materię in pectore absumendas.

Ut R. *Ligni Guajaci* Unc. iij.

sarsæ parilla vel ligni *sassafras*
 Unc. j. ß.

Infundantur horis 2 4. in aq. ℔. iij.

Deinde adde

conserv. violar.

botryos, ana Unc. ij.

dactylor. N. x.

Coq in balneo vase clauso.

Colatura exhibeatur.

Ad easdem reliquias absumendas utiles etiam sunt suffitus ex thure, myrrha, mastiche, styrace, benzoë, gummi juniperi, Nicotiana, cinamomo & similibus. Nonnulli etiam arsenicum suffumigiis istis admiscendum censent, sed malè, ut postea, *quest. 6.* dicitur.

Hæc tamen omnia ferè humorem crassum & viscidum spectant. Si verò ab humore tenui & seroso sit asthma, sæpius evacuandus. Postea etiam per sudonifera discutiendus.

Si à tuberculo, vel grandine aut calculo in pulmonibus genito, aut siccitate pulmonis hoc malum proveniat, qua ratione curatio instituenda sit, ex iis, quæ supra, *part. 2.* de morbis pectoris dicta sunt, pateat. Nam si tuberculum sit sanguineum, citò suppuratur & rumpitur etiam sine medicamentorum ope, idq; ex puris excreatione, febris & anhelationis

Curatio Asthmatis à tuberculo, grandine vel calculo.

tionis remissione cognoscitur, & tum hydromelite, aliisque medicamentis, quæ in pleuritie sunt proposita, ad extersionem utendum, neuley relinquatur. Si verò tuberculum crudum sit & coctu difficile, medicamenta calefacientia, attenuantia & absumentia, quæ supra sunt proposita, etiam hic locum habent. Quod si tandem in abscessum mutetur tuberculum, abstergentia requiruntur. Hinc Galenus, 4. de loc. affect. c. ult. ad absumenda talia tubercula utitur Athanasia, theriaca & similib. valdè exiccantibus medicamentis, Vix tamen aliquis talium ægrorum, sanitati restituitur.

Dieta.

Dieta.

Quia asthma plerumque à causa frigida & crassa ortum habet, victus ratio sit calefaciens & attenuans, de quo postea, *quest. 7.* dietur. Aër nimirum, quem inspirat æger, sit calidus, siccus, attenuans, liber & perflatilis. Ideo etiam in cubiculo in quo æger degit, suffumigia frequenter fi-
ant ex styrace, thure, myrrha, benzoe, moscho, ambrâ. Vitetur verò aër frigidus & humidus & crassius. Cibuseasdem qualitates habeat; ita tamen calefacientia & attenuantia moderanda, ut humectantia quædam admisceantur, ut materia facilius expectoretur. Nam si cibus & potus exhibeatur, qui solum calefaciat, attenuet, & simul siccet, facile fieri potest, ut humor majorem crassitiem acquirat, & tenacius asperis pulmonis arteriis adhærescat. Ideoque

cibi condiantur salvia, satur eia, thymo, hyssopo, foeniculo, baccis juniperi & cinamomo, & imprimis croco. Utiles quoque sunt passulæ, amygdalæ dulces, pineæ, pistacia, & imprimis commodum est jus galli decrepiti cum hyssopo & croco, atque aliis pectoralibus. Melliti quoque cibi non inutiles sunt, si æger alias eos ferat. Vitentur verò cibi adstringentes omnes & crassi succi, ut pisces, legumina, caro suilla, lac & caseus.

Potus sit vinum tenue, subdulce, vel mellicratû, in quo thoracica medicamenta cocta sint. Possunt etiam cerevisiæ fieri cum salvia, hyssopo, roremarino & similibus. Utilis etiam potus est decoctum ligni Guajaci. Æger sitim non ferat, sed largius bibat; quia humectatione indiget ad eam, quæ jam incisa & detersa est in pectore, materiam tussi ejiciendam, ut docet Galenus, 7. de comp. med. sec. loc. cap. 36. Unica tamen vice & cum cibo potus copiosus non assumatur; cum repletus potu nimio ventriculus difficultatem spirandi parere soleat, sed, si opus, cibo jam concocto potus aliquid sumatur. Somnus sit nocturnus moderatus. In paroxysmo somno, quantum potest, æger abstineat, aut si vires imbecillæ somnum requirant, brevis sit & interruptus. Dormiat æger capite & pectore nonnihil elevato. Utilis est & ambulatio ante cibum, & frictio patium extremarum. Vehementia autem exercitia, quod humores commoveant,

omnino intermittenda. Vitentur animi perturbationes, ira & omnis nimius animi ac corporis motus; cum humores commovere & paroxysmum accerere soleant. A Venere etiam abstinendum agro.

QUÆSTIO I.

An humor asthmatis causa habeat etiam quandoque extra bronchia pulmonum?

An humor asthmatis causa habeat quandoque extra bronchia pulmonum,

Alexander Massariæ Avicennam reprehendit, quod statuat, humorem asthmatis causam contineri quandoque etiam extra bronchia pulmonum in ramis lævium arteriarum, quarum propagines multæ per pulmonem distribuuntur, fluiturque, si in pulmonibus obstruantur propagines lævium arteriarum, non asperæ arteriæ, cor laborare, pulsusque fieri inæquales, minimeque asthma excitari, nisi bronchia pulmonum simul obstruantur.

Verùm enim verò materiam asthmatis causam quandoque etiam extra bronchia pulmonum in aliis pulmonis vasis, imò in ipsa pulmonis substantia consistere, multæ Medicorum observationes docent. Ita Hollerius in quodam pulmonem tanquam spongiam imbutum multo humore pituitoso inventum esse scribit. Et patet id ex eo, quod qui asthmate laborant, non continuò cum stertore & sonitu respirant, neque etiam semper tussunt, aut si

tussiant, tussis tamen sicca est; quod minimè fieri deberet, si materia in asperis pulmonum arteriis semper consisteret. Nam aër materia transiens & displodens sonitum & stertorem excitat, & quicquid in aspera arteria ejusque ramis existit, tussim excitare solet, ut postea, in capite detussi, dicitur. Et licet verum sit, lævibus arteriis affectis mutatio nota in pullu fieri: tamen & respiratio tunc quoque affici potest, si obstructio illa tam magna sit, humorisque tanta copia, ut & asperas arterias comprimat, angustioresque reddat; docentque hoc satis paroxysmi asthmatici, qui per intervalla materiam agitã in vasis excitantur. Ideoque sive materia in lævibus arteriis consistat, & asperas comprimat, sive in utroque arteriarum genere consistat, simul & asthma & pulsus inæqualitatem parit. Et ipsa origo asthmatis, de qua, *quæstione sequenti*, dicitur, satis docet, causam asthmatis potius in venis & pulmonis substantia, quam asperis arteriis contineri.

QUÆSTIO II.

An asthma frequentius à Catarrho, an verò ab Humore crudo è venis in pulmonis effuso excitetur?

Vulgata opinio est, frequentissimè à cerebro frigido & humido atque excrementis abundante materiam pituit-

An asthma frequentius à catarrho, an verò ab

pituitosam ad pulmones descendere, atque ibi hærentem asthma parere. Verùm etsi non nego, quandoque post catarrhos aliquid pituitæ in pulmone restare, ejusque bronchia obstruere, & asthma excitare posse? tamen rarius hoc fieri existimo, sed frequentius asthma generari puto ab humoribus crudis circa epar, imò in universo venoso genere collectis, & per venam arteriosam in pulmones effusis. Etenim si materia à cerebro descendens causa asthmatis esse debet, necessarid catarrhus asthma præcedere debet, atque tussim adesse necesse est; quod tamen non semper observatum. Etenim, si vel leviter saltem aspera arteriæ afficiuntur, tussis excitatur, ut postea, ex capite de tussi, patebit. Nonnulli quidem; ut Zecchius; *consult. 12.* aliam hujus rei causam reddere conantur, statuuntq; tussim in asthma, quandoque non excitari ob partium spiritalium æqualem intemperiem, quæ cum tristem sensum non inducat, etiam tussim non excitet. Cum enim spirandi organa ex longa patiendi consuetudine in morbosum, quendam habitum commutata ferè sint, æqualique intemperie cum humore per omnem partem æqualiter disperso afficiantur; novum dolorem seu molestiam non sentire, atq; ita tussim non excitari, nisi quando nova accedit materia, vel prior certo loco collecta & commota vias exasperando, & aëris ingressum & egressum præpediendo novam affert molestiam,

Verùm cum idem Zechius, *conf. § 8.* causam, cur asthma non semper cum stertore & sonitu fiat, hanc reddat, quod materia non semper in asperis, sed quandoque in lavisbus pulmonis, arteriis consistat, causam eandem hic etiam multo rectius afferre potuisset, quàm istam æqualem intemperiem. Neq; enim quæ tussim excitant, saltem ob intemperiem, quam inducunt, id præstant, sed etiam, quia aëris ingressum prohibent; quod ipse consistitur; id quod materia asthmatis, si in bronchiis pulmonis hæreret, perpetuò faceret, & ita perpetuò tussim exciteret, eodè modo, ut gradines tussiculam perpetuam excitant, neque longa patiendi assuetudine ullus talis habitus induci potest. Sunt & alia, quæ idem probant. Refertidem Zecchius, *conf. 18.* Cardialem Pallottum, astmaticum simul urinæ ardore & difficultate laborasse, & ita quidem, ut cum urinæ ardor & difficultas urgeret, spirandi difficultas interim evidenter imminueretur, & rursus cum majore impetu, straguriâ cessante, repeteret. Quod certè indicio fuit à communi causa hæc duo mala provenisse, & vitiosos & crudos humores, qui antea è venis ad pulmones ruentes asthma faciebant, postea ad renes & vesicam transmissos difficultatem urinæ excitasse. Et licet non omnibus astmaticis urinæ difficultas & ardor adsit: tamen durante accessione ægri urinas crassas & turbidas mingunt; quia scilicet humorum

crassorum & crudorum in venis agitatorum pars etiam ad renes & vesicam ruit. Arguit idem & hoc, quod asthmatici plerumque sunt cachectici, ut de eodem. Cardinale Palotto refert Zechius, pef desque tandem asthmaticis penè omnibus intumescunt; quod indicio est, causam asthmatis circa epar potius contineri, sive ibi ob epatis imbecillitatem generetur, sive ab utero in foeminis, quibus menses suppressi sunt, sanguis eò mittatur. Neque id ideo fit, quod pulmones epar refrigerent, cum si diligenter signa omnia perpendamus, crudorum humorum in venis cumulatorum signa adsint. Insuper idem & hoc probat, quod asthma interdum citra tussim desinit, nec materia excreatur & è pectore ejicitur, dum scilicet ea vei per halitum digeritur, vel per urinæ vias expurgatur, aut in venas recurrit. Sicut & hoc id persuadet, quod suppressis mensibus & hæmorrhoidibus ac aliis consuetis evacuationibus, asthma nullo præcedente catarrho, succedit. Quod tandem & hoc confirmat, quod Aretæus inter signa imminentis asthmatis flatu in præcordiis, & eructationes præter rationem recenset; quæ procul dubio à materia cruda in hypochondriis, agitata proveniunt. Neque enim, ut nonnulli volunt, flatu hi proveniunt, quod ventriculus ob pulmonis congestum afficiatur. Nam Aretæus eos non inter signa asthmatis, quod diu duravit, & in quo pulmonis temperies valde labefactata est, sed

incipientis asthmatis signa recenset, ubi pulmones non ita labefactatos esse credibile est, ut ventriculum refrigerare possint. Materiam autem hanc, quæ è venis in pulmones effunditur, non semper crudam & pituitosam, sed quandoque etiam ferrosam esse, non sine ratione statuit Carolus Piso.

QUESTIO III.

An asthma semper sit sine Febre?

Vulgata est opinio, asthma sine Febre esse, & differre asthma à respiratione illa laza, quæ fit in febribus, quod illa sit ob usum auctum, hæc verò saltem ob vasorum angustiam.

An asthma semper sit sine febre.

Suspectam tamen habet hanc doctrinam Carolus Piso, de morbis à colluvie serosa, pag. 220: cum febris in nonnullis etiam sensui sese prodatur, etsi calor non sit siccus & acer, sed halituosus plerumque, humidusque & blandus. Etsi verò urinæ sæpe sint copiosæ in asthma, ac tenues, & instar aquæ perspicuæ, atque ideo dissimiles urinæ familiaribus & propriis febrium putridarum, suspicionem absentia febris prabeant: tamen id familiare febribus, quæ ab humoris serosi fervore fiunt, esse putat, idemque in arthritide, aliisque à fluxione & fervore humoris serosi morbis accidere posse. Idque etiam historiis aliquot adductus comprobatur.

Et

Et omnino non est de nihilo hæc Caroli Pisonis sententia. Etsi n. sæpe febris absit, cum humor est crassior, aut tuberculum aliquod adest: tamen ubi à sereso humore asthma originem habet, quale plerumque circa insignes temporum mutationes in quibusdam ei obnoxiiis excitatur, tum febrem aliquam simul adesse, experientia testatur: sed est ea blanda & halitiosa, qualis etiam alios morbos à fervore & motu serosi humoris orros, ut arthritidem, catarrhos, & hujusmodi fluxiones alias comitatur.

QUÆSTIO IV.

An Purgantia in paroxysmo asthmatico conveniant.

Disuadent id nonnulli eam primum de causa, quod humor, qui asthma excitat, crassus sit, viscidus, neque evacuari facile possit, nisi prius præparetur, & postea sensim ac per vias evacuetur; id quod etiam in aliis morbis pituitosis faciendum.

Deinde ob suffocationis periculum, quod maximè urget, cum metuendum sit, ne, si medicamenta purgantia exhibeantur, materia à medicamento agitata non ad ventrem inferiorem, sed potius ad locum affectum confluat, atque ita suffocationis periculum augeatur.

Contra vero Carolus Piso, statim post sanguinis detractionem purgationem avertendi gratiã instituentiam censet: cum non nisi cum pe-

riculo suffocationis purgatio protrahi possit, & humor ipse per se factus sit fluidus, neque magno apparatu indigeat.

Verùm distinctione hic opus est, & humoris uatura consideranda. Si enim humor sit crassus & viscidus, sine fructu in initio statim instituitur purgatio, isque potius agitur, quam educitur, atque hinc paroxysmus augetur. Si verò humor sit tenuis & serosus, atque è venis in pulmones effundatur, quod præsupponit Piso, commodissimè mox in initio instituitur purgatio.

QUÆSTIO V.

An jus Galli decrepiti asthmaticis conveniat?

Jus galli decrepiti non solum cum pectoralibus coctum ad alterandam & expectorandam in asthma materia, sed etiam cum purgantibus ad purgandum in omnibus fere Medicorum, post Arabum tempora, libris præscribitur. Unus, quod sciam, Ludovicus Septalig, *animadvertens medicar. l. 6. num. 27.* id, tanquam noxium rejicit, utpote quod experientia non respondeat, & rationi adversetur: scribitque, se Mediolani ubi frequenter exhibetur à Medicis præsertim secundum descriptionem Benedicti Victorii Faventini, in Empirica, id aliquoties irritò successu exhibuisse. Obesse autem potius, quam prodesse, hisce de causis pu-

An jus galli decrepiti asthmaticis conveniat.

tat,

An purgantia in paroxysmo asthmatico conveniant.

tat. In longa, inquit, ebullitione nitroſa illa partes, quibus maximè prodeſſe juſ galli veteris creditur, tanquam terreſtres, ſubſident, atque in percolatione reſciuntur, viſcidae & glutinoſa crassa. tum & præpingues, ex cute, pedibus, alarum extremis, muſculofis denique & nervofis partibus provenientes, maximè remanent. Quæ de cauſa non ſolum non adjuvare materiæ ex peſtore excretionem, ſed craſſiore & viſcidior materia, & antecedente & conjuncta cauſa, reddita, humorem contumaciorum magisque rebellem ad excernendum reddere. Neque etiam quæ cum gallo coquuntur, aliquid prodeſſe putat. Quæ enim pro ſolvenda alvo adduntur, agaricus, ſena, ſem. carthami, cum pauciſſimam admittant ebullitionem, vim omnem purgandi perdere ex longa coctione; alterant etiam, ut capillis & alia, cum vires ſuas in ſuperficie poſitas habeant, ex longa coctione eas amittere; alia, ut origanum, botryn, farſaram, ex longa coctione putrilaginoſa evadere.

Verum enim verò hæc, quæ ex Ludovico Septalio protuli, non tanta videntur, ut ideo à communi opinione ſit recedendum. Etenim à multis hæcenus Medicis obſervatum, juſ galli decrepiti in aſthmate profuiſſe. Neque refert, quod Septalius id aliquoties irritò conatu exhibuit. Incidit enim forſan in aſthmaticos desperatos, quibus omnia, etiam efficaciffima remedia, fruſtrà adhibentur. Rationes verò, quæ ab

ipſo afferuntur, etiam quod debent, non perſuadent. Quæ ut rectius intelligantur, juſ galli decrepiti Benedi. Victor. Faventini, quod allegat, prius proponendum. Ita autem habet ejus deſcriptio:

R. Gallum antiquum ad minimum trium annorum, quem flagellato & multum defatigato, poſtea decollato & ſine aqua deplumato, ac viſceribus mundato, & vino forti eluito, parumque ſalito: Deinde

R. ſeminis carthami,

aniſi,

ancibi, an. Drach. ij.

rad. helenii,

iridis,

fol. hyſſop.

praſi, an. Unc. ℞.

glycyrrh.

paſſul. enucleat. an. Drach. vi.

tartari albi, Unc. j.

pulmon. vulgæ putriſati

Drach. ij.

Omnibus hiſce craſſo modo contuſis venter galli repleatur, galluſq; in aqua ℞. xxx. coquatur, donec caro ab offibus ſeparetur. Deinde facti colaturâ cum forti expreſſione, colatura in frigido loco relinquitur, ut quod ſeculentum eſt, ſubſideat, pars verò clara ſeparetur & uſui reſervetur.

Primò ergò verum quidem eſt, quod vis juris galli decrepiti in partibus quibuſdam nitroſis & abſtergendi vi præditis conſiſtat. Hoc autem falſum, quod Septalius opinatur, illas partes nitroſas ſubſidere, & poſtea, tanquam fæculentas, abijci.

Etenim

Etenim terrestres quidem, crassæ, viscosæ ac feculentæ subsident; nitrosæ autem propriè terrestres non sunt, sed salis suo modo quæ claro liquori permiscetur salis more, non subsident. Deinde etsi verum sit, coctione nimia vim tam purgantem, quam alterantem dissipari: tamen, hoc facilè præcaveri potest, si in vase clauso & duplici in balneo ferventi fiat decoctio; & tum minus aquæ, cum nihil absumatur, affundendum. Aut si hac coctione vim omnem ex gallo extrahi non posse, sed coctione in vase aperto opus esse quis existimet, gallus primò solus coquatur, deinde in decocto in vase clauso infundantur vel ebulliant medicamenta purgantia & alterantia. Pinguedo etiam facilè separari potest.

QUÆSTIO VI.

An Arsenicum suffumigiis in asthmaticis curandis rectè admisceatur.

Plerique Medici post Arabes inter suffumigia, quæ ad exiccandas & absumendas reliquias materiæ in asthmaticis adhibent, etiam Arsenicum admiscere jubent: sed quàm rectè, non video. Notum enim est, arsenicum esse summè venenosum. Sunt quidem nonnulli, inter quos etiam Vascus; qui id excusare eodem modo volunt, quod in exigua quantitate admisceatur, aliisque medica-

mentis castigetur, & suffitu ejus fa-cultas elicta non adeo corrosens, malignaque existat; cum venosæ qua itates non in partibus tenuibus, igne resolutis, sed in crassioribus ac terrestribus insint.

Verùm enim verò hoc modo se non expediunt. Primò enim Medici non in parva quantitate arsenici pulverem admiscerent, sed ad pondus omnium. Imò etiam in parva quantitate nocere potest. Deinde thus, myrrha & similia, quæ admiscerentur, venenosam arsenici vim corrigere non valent. Præterea notissimum est Chymicis, etiam fumos arsenici, dum calcinatur, esse summe noxios; nec partes heterogeneæ sunt in arsenico, ut aliæ sint terrestres & crassæ, aliæ volatiles. Nam dum arsenicum calcinatur, in fumos, ut pote totum volatile, resolvitur, qui summè venenosi & noxii sunt. Ergo arsenicum omnino in ejusmodi suffumigiis o-mittendum.

Error verò inde manavit, quod vocabula Sandarax Arabum, & Sandaracha Græcorum, malè confusa sunt. Sandarax enim Arabum, vulgò vernix, gummi juniperi est, vi eximia siccandi præditum; unde Arabes in suffitibus illis, qui ad reliquias humorum in pulmone in asthmaticis absumendas adhibentur, illud rectè præscripserunt. Sandaracha verò Græcorum, arsenicum rubrum est. Cùm ergo, qui in Arabum scripta inciderunt, sandaracem Arabum, & sandaracham Græcorum idem esse putarent, malè pro gummi

An Arsenicum suffumigiis in asthmaticis curandis sit admiscendum?

juniperi, quod Arabum sandarax est, a senicam, seu Sandaracham, Græcorum, quæ a senici species, est, substituerunt. Scio equidem nonnullos id prob. dum suscipere, ipsos etiam Græcos sua sandaracha, id est, arsenico in seffumigis hisce usus fuisse, & si quæ obtineant, tamen quibus maligna arsenici qualitas non ignota est, non facile eos imitabuntur.

QUESTIO VII.

*An Victus attenuans si-
mulq; tenuis asthmati-
cis conveniat?*

*An victus
attenuans
simulq; te-
nuis asth-
maticis
conveniat?*

Movent nonnulli questionem, an victus attenuans asthmaticis conveniat, & in ea solvenda multum laborant. Nam et si Galenus, in principio libri de attenuante victu, scripserit, soli victus ratione attenuante, sine ullis medicamentis, difficiles respiraciones, arthritides, epilepsias & alios morbos diuturnos se sanasse: tamen in contrarium adducunt Hippocratem, qui, 1. aphor. 4. scribit: in morbis longis victum tenuem & exquiritum semper parum tutum esse.

Verum res plana est. Aliud enim *λεπτή διαίτα*, victus tenuis est, de qua Hippocrates, aphor. allegato aliud *λεπτογυστα* καὶ *λεπτογυστική*, victus attenuans, vel attenuandi vim habens. Nam *λεπτή διαίτα*, victus tenuis, solum victus formam ac quantitatem respicit, cum scilicet ægro cibis co-

quæ fœcilis, & quidem in exigua quantitate, & minus ferè, quam possit concoquere, offertur: cui opponitur diæta *ἀδωγέγη*, plenior victus, qui scilicet. majore copia exhibetur: diæta verò *λεπτογυστική* solum qualitatem respicit, & victus attenuans est, qui viscidos & crassos humores in corpore extenuat, cui in crassans victus opponitur, qui crassos humores in corpore nostro gignit, ut docet Galenus, loco allegato. Et agunt de tenui diæta, cum alibi, tum lib. de victu rat. in acut. Hippocrates & Galenus, De victu verò attenuante agit Galenus peculiari libello, de eo conscripto, describitque ibi cibos attenuantes, quod sensus mordèant & acres sint, cibosque illos, lib. alleg. Galenus enumerat & describit. Et tales cibos asthmaticis utiles esse nullum dubium est; an verò victus tenuis conveniat, valde dubium est, cum, ut, aphor. alleg. Hippocr. docet, in morbis longis parum tutus sit.

Vasculum equidem hanc, quam ipsa lingua Græcæ proprietates suggerit; solutionem non probat, victumque attenuantem & tenuem re ipsa non differre statuit; ideo, quod victum attenuantem constituentia alimenta, cum tenuia & debilia sint, alimentum copiosum victumque plenum præbere non possunt, aut si adeo magna quantitate exhibeantur, ut copiosum nutrimentum æquare, valeant, a facultate concoqui non possunt.

Verum

Verum enim verò diversa planè victus ratio est, tenuis & attenuans; cum, ut dictum, tenuis victus saltem formam & quantitatem, attenuans qualitatem respiciat. Et diverso planè sine diæta tenuis & attenuans instituantur. Finis diætae tenuis est, ut natura à coctione morbi ad coctionem cibi non avocetur; ideoque paulò minus cibi exhibetur, etiamsi cum aliqua virium jacturâ id fieri videatur. Attenuantis verò victus finis est, ut cibi qualitate humores crassi attenuentur, atque ita, quod forsân medicamentis fieri non poterit, quotidiano cibi usu præstetur. Interim nullo modo in victu attenuante requiritur, ut de consueti quantitate aliquid subtrahatur. Etsi hoc etiâ attendendum sit, ut æger ejusmodi cibi copiâ sese non oneret, & plus assumat, quàm concoquere possit. Et omnino victus attenuans non semper tenuis est, & cibi, qui victum attenuantem constituunt, etiâ diætâ plenam præbere possunt, sicut hoc ex allegato Galeni libro, *de victu attenuante*, patet, ubi, *cap. 8.* aves montanas pisces saxatiles, carnem gallinarum, perdicum carnes, quæ victum plenum præbere possunt, in attenuante victu admittit. Ideoque si asthmaticis aviculæ montanæ, perdices, gallinæ ac similes cibi, qui victum incrassantem non præbent, præcipuè cum hysso, satureia, thymo & similibus, dentur, victus erit is

attenuans, non
tenuis.

CAPUT III.

De Suffocatione seu Strangulatione.

AD læsam seu potius abolitam & interceptam respirationem pertinet & Suffocatio, cujus species est Strangulatio, de qua aliquid in specie dicendum.

Suffocatur autem homo, cum aer ventilando calori cordis necessarius non attrahitur, fuliginesque calidæ expiratione non emittuntur.

Fit hoc 1. cum viæ aëri attrahendo dicatæ occluduntur; quod fit interdum ore occluso seu obstructo, simulq; naribus mucò obturatis, unde interdum apoplecticis & Epilepticis periculum suffocationis imminet.

2. Si fauces, præsertim circa laryngem, occluduntur, id quod fit in tumoribus musculorum faucium, laryngis, glandularum, columellæ, sicut & in luxatione vertebrarum cervicis.

3. Si asperæ arteriæ caput seu rimula illa per quam aër ingreditur, à re quacunque obstruatur. Etsi enim hoc facile non fiat, sed natura ob imminens summum periculum, per tussim magno conatu omnia talia excutere conatur; tamen si res ita pertinaciter & fixè rimulæ illi inhæreant, suffocationem inducunt. Ita Hadrianum Pontificem à musea in fauces involante suffocatum esse, historiæ referunt; aliosq; præaëcinis, infantes quosdam nummis seu

*Suffocatio
seu strangulatio.*

Causæ.

aliis rebus deglutitis suffocatos esse, ex historiis patet. Potest referri huc suffocatio ab aqua. Quamquam Platerus ob defectum aëris eam fieri putet.

4. Ipse quidem asperæ arteriæ ductus non facile obstruitur; cum sit satis patens: à vi tamen externa collo constricto, ut fit in strangulatione, via omnis spiritui intercipi potest. Et notabilis est hic historia, quam in viro quodam docto observavi. Is enim cum cerasa comederet, accidit, ut cerasa nucleis inasperam arteriam incideret, & in pulmonem ipsum delaberetur, atque ibi etiam quandam gravitatem pectoris exciteret; post aliquod verò tempus accidit, ut nucleum illum pituita tenaciter involutum cum vehementi tussi rejiceret. Præterea fungorum quorundam esus, ut & alia venena strangulare solent; quod proculdubio fit, cum ob membranam, quam œsophagus habet cum aspera arteria & larynge communem, laryngis rima contrahitur & coarctatur. Ita ex medicamento sursum ac deorsum purgante ferè suffocatus Unctor apud Harpalidum, *lib. 7. epidem.*

Accidit etiam in apoplexia suffocatio, cum motu thoracis omni & membrorum respirationi inservientium læso nulla sit respiratio.

Tandem etiam in catarrho subito & confestim ad pulmones ruente suffocatio fieri potest, qui catharrus idcirco Suffocativus appellatur, de quo, *lib. 1. part. 2. in fine* dictum.

Pertinet huc & aer, qui attrahi-

tur, ventilando calori ineptus & suffocans, qualis est ille, qui è carbonibus accensis, ut & qui ex cloacis sentinis & puteis exhalat; cujus rei exempla duo habet Christoph. à Vega, *Artis med. lib. 3. f. 5. cap. 8.* & aliquot etiam Marcellus Donatus, *de hist. med. mirab. l. 2. c. 6.* Disputatur quidem hac de re inter Medicos, ut etiam, *lib. 1. part. 1. cap. 7.* dictum est, an magis cerebrum, an verò magis pulmones & cor afficiantur. Et quidem Marcellus Donatus, *loco alleg.* cerebrum præcipuè affici statuit. Et negari non potest, cerebrum & spiritus animales affici, ut exempla ab eodem allegata testantur. Quidam enim postea resoluti sunt, quidam delirarunt. Verùm nec hoc negandum, organa respirationi dicata simul affici. Aër enim istis fumis infectus calori cordis ventilando ineptus est: cujus rei indicium est, quod nonnulli periculo suffocationis cessante febrì correpti sunt.

Pertinet huc & illa suffocatio, cujus Aretæus, *lib. 1. c. 7. de caus. & sign. acut. morb.* mentionem facit, cujus etiam supra, *part. 1. c. 24. de Angina,* mentionem, fecimus, quæ fiat spiritus prava conversione ad calidissimum & siccissimum, nulla corporis parte inflammatione laborante. Et si verò alii aliter hac de re disputent, & in loco illo Aretæi explicando multum laborent: tamen commo- dissimè mihi explicari videtur, si dicamus, spiritum sæpe ita esse inflammatum, calidum & siccum, ut ei refrigerando aer externus, qui spiritu attra-

atrahitur, non sufficiat. Cui hoc ad-
di potest, quod spiritus ille habere
potest pravam qualitatem & in-
signem exuccandi & constringendi
vim, ob quam organa spirationis
constringuntur & coarctantur, ut re-
spiratio libera fieri non possit. Simi-
lem huic affectum describit Hippo-
crates, 4. *de rat. vi& in acut. text. 31.*
ad 35. cum quo tamen catarrhus fuit
conjunctus.

Prognosticum.

Strangulati aut suffocati, non ta-
men mortui, ad se non redeunt, quo-
rum circa os collecta spuma appa-
ret, 2. *aph. 34.* Non tamen hoc uni-
versaliter verum est, ut Galenus, *in*
com. addit: Nonnulli, quibus stran-
gulatis spuma circa os apparuit, sibi
sunt restituti, ut etiam duo exempla
observavit Christop. à Vega, *loco al-*
leg. quamvis id rarò accidat.

Curatio.

Cùm verò morbi plerique à quibus
istæ suffocationes pendent, suprâ
cum curatione explicati sint, saltem
hic, quomodo strangulatis & aquâ
& fumo suffocatis succurrendum
sit, dicemus.

Quæ laqueo penè strangulati sunt,
iis laqueo soluto acetum cum pipe-
re, aut pulegium tritum, vel semen
urticæ cum vino aut mulso, vel aro-
mata cum vino propinanda sunt, &
collum lanâ oleo irino calente ma-
didâ involvendum. Possunt etiam
commodè exhiberi aquæ epilepticæ,

vitzæ, cinamomi, & reliqua, quæ ad
manum sæpe sunt.

Eadè etiam iis, qui ex vapore
cloacarum, puteorum, cavernarum,
seu fumis carbonum suffocantur, ex-
hibenda, ut & ea, quæ suprâ, *lib. 1.*
part. 1. cap. 17. sunt proposita.

Si verò ex submersione in aquam
quis suffocationis periculum incur-
rat, is aquâ ereptus moveri debet,
& capite deorsum inclinato ac pedi-
bus elevatis, ac pennâ oleo intinctâ,
vel digito ori immisso vomitus pro-
vocandus; vel exhibeatur decoctum
hordei, ficuum, glycyrrhicæ, adje-
cto butyro & saccharo; vel decoctum
florum chamæmeli cum cêrevissa.
Postea verò vinum meracius vel
mulsa exhibenda, & etiam aliquæ
aquæ vitæ. Simul æger in calido con-
clavi servandus, & suffimigia institu-
enda, sorbitiones quoque decocto
farinæ cicerum exhibeantur.

Si suffocatio à fungis venenatis
immineat, vomitus statim concitan-
dus decocto raphani tum oxymeli-
te, vel salis vitrioli Drach. ß. cum
oxymelitis Unc. iij. propinanda. Po-
stea absinthium & melissa in vino in-
fundantur, & vinum exhibeatur.

Cum Pausaniæ puellam, *lib. 7.*
epid. suffocatio ex fungi esu apprehendisset, ei profuit mulsa calida
epota, & vomitio balneumque cali-
dum. In balneo subgum vomitio-
ne rejecit, & cum cessatura essent
symptomata, sudore
detenta est.

Ex vaporibus seu fumis suffocati.

Ex submersione in aquam.

A fungis venenatis.

Prognosticum.

Curatio.

Laqueo strangulati quomodo curandi.

CAPUT IV.

De Vitis Vocis & Ser-
monis.Vitia Vocis
& sermonis.

Cum in homine aer, quem spirando attrahimus & efflamus, non solum ventilando cordis calori, sed & voci & sermoni formando inserviat, ordo postulare videtur, ut post respirationis vitia etiam de Vitiis Vocis & Sermonis dicamus.

Non omnia
sermo vox
est.

Non verò omnis sermo vox est, sed qui solum ab animalibus provenit, & quidem, ut Julius Cæsar Scaliger, de causis ling. lat. c. 4. definit, est vox sonus ex ore animalis: sermo verò dispositio vocum articulatarum, ad interpretandum animum. Et omnis vox, ut, ebidem, Scaliger docet, est ab animi affectu.

Vox ani-
malibus
cur data?

Est enim data animalibus ad expressionem voluntatis. Neque tamen omnis vox articulata est, sed multæ voces ab affectu proficiunt, quæ sunt inarticulatae, ut gemitus & sibilus venatorum.

Vox articu-
lata.

Est autem vox articulata, quæ scripto excipi atque exprimi valet; inarticulata, quæ non. Et articulas voces à brutis non excludit Scaliger, cum ovium voces adeò clarè scribi possint ut ab ipsis vocabulum apud nos sumptum, balare. Et sit, ut pleræque brutorum voces non sint articulatæ: ad animi tamen affectum significandum compositæ sunt; de quo Lucretius, lib. 5.

An etiam
sit brutorum.

— quod secla ferarum,
Dissimiles soleant voces variare, ciere,

Cum metus, aut dolor est, & cum jam gaudia gliscunt,

Quippe etenim licet e rebus cognoscere aperis. (lossum)

Irritata canū cum primum magni amoris
Mollia victa fremunt, duros nudantia
dentes,

Longè alio sonitu rabie districta mi-
nantur,

Et cum jam laerant, & vocibus omnia
complent. (rentant,

At catulos blandè cum lingua lambere
Aut ubi eos jaectant pedibus morsug. pe-
tentes, (baufus,

Suspensos teneros nituntur dentibus

Longè alio pacto gannitu vocis adulat,

Et cum deserit baubantur in aedibus, aut
curi.

Plorantes fugiunt submissa corpore pla-
gas.

Verum de humana voce hic agere nobis propositum est. Etsi verò vox ex aeris e pectore efflacione fiat: tamen non qualibet efflacio vocem parit. Si enim sit illa lenis, saltem sit exspiratio sine voce. Ut verò vox fiat, vehementiore efflacione opus est. Neque tamen omnis vehemens efflacio vox est: neque tussis propriè vox nominatur, sed quæ sit anima & voluntate dirigente ad sensus animi patefaciendos.

Materia autem vocis est aer seu spiritus, qui exspirando emittitur & ad organa vocis aliditur.

Materia
Vocis.

Organa verò vocis & sermonis formandi quod attinet, equidem ad aërem efflandum etiam requiritur pulmo & muscui thoracis, ut & arteria aspera, quæ aëri transitum præbet

bet

bet verum propria instrumenta vocis edendæ non sunt.

Quod primò ex eo patet, quòd, si infra caput arteria incidatur, exspiratio quidem fit, sed non vox editur, quæ non fit nisi aère per asperam arteriam caput seu laryngem, & quidem per ejus rimulam, emissio. Atque ita larynx proprium & primum vocis formandæ organum est. Atque idè etiam rerum opifex laryngi varios musculos tribuit, ut pro libitu ejus rimula dilatari & contrungi possit. De cujus constitutione, artificiosissimâ vi deantur. Anatomici, & inter eos præcipue Hieronymus Fabricius ab Aquapend. *lib. de larynge & vocis organis.* Esti verò vocis organum primum sit rimula illa laryngis seu *γλωττις*; tamen ad vocem articulatam & inprimis sermonem formandum non sufficit illa aeris è pulmone per rimulam laryngis efflatio, sed præterea requiritur gurgulio, qui inde plectrum vocis nominatur, lingua, palatum seu oris coelum, quod appellant, dentes. Unde videmus, si partium partium aliqua desit, vel vitiosa sit, ut gurgulio præfectus seu erosus, lingua præcisa seu alio modo vitiosa, si palatum ulcere perforatum, si dentes elisi sint, seu exciderint ex his omnibus vitiis vocem vitari.

Differentia.

Sunt autem variae vocis differentiae. Aliæ quidem naturales voces, ut sunt magna seu grandis, & parva; lenis, aspera, acuta, gravis, de qui-

bus non nostri instituti, sed Physicæ est, agere: aliæ voces præternaturales, cujus etiam differentiarum multæ ab Autoribus recensentur, & ab aliis aliter. Verum commodissimè voces p. n. secundum differentias actionum lazarum distinguuntur, quod scilicet vox vel aufertur, vel immittitur, vel depravatur. Vocis defectus à *φωνία* appellatur, cum scilicet hominè vocem edere non potest: qui verò loqui non potest, mutus dicitur: qui difficulter verò loquuntur, *μωυιλδοι* nominantur. Depravata verò vox est, rauca, obscura, tremula, abrupta, clangosa, de quibus postea in causis dicitur. Pertinet huc & Balbuties & omne illud vitium, cum homo sermonem non facit, & non nisi cum magno conatu ac crebra hesitatione, inchoare potest.

Causæ.

Cum autem ad vocem & sermonem formandum concurrant larynx, ejus muscoli, & qui in inferuatur nervi recurrentes, aspera arteria; & ad aeris efflationem pulmo, & thorax cum suis musculis præterea lingua, columella, palatum, dentes necessarii sunt: vocis & sermonis laesi causæ in his quarrendæ sunt.

Primo ergo vocem abolitam & interceptam ac imminutam quod attinet, tollitur seu imminuitur vox vel principio nervorum affecto, vel vocalibus instrumentis, vel deficiente vocis materia. Vox & ser-

mo aboletur ob cerebrum, nervorum principium, affectum in apoplexia, epilepsia, cerebri concussione & commotione; ut & in syncope, & uteri suffocatione ac similibus affectibus, ob quos spiritus animalis influxus prohibetur. In primis vero in affectu illo, qui *κατ' ἐξοχὴν ἀπώγια* appellatur, & neque ad apoplexiam, neque ad epilepsiam commodè referri potest, sed inter eos quidam affectus medius videtur. Quem etsi in praxi sæpe observaverim, ut ex historiis annotatis, quas suo loco proponam, patebit, descriptum tamen invenire hactenus apud Autores non potui, nisi nuper apud Adrianum Spigelium, *lib. 2. de Semitere, cap. 16.* his verbis: *Est morbus in Germania & Pannonia frequens, quem Austriaci, Moravi, & Styri Timorem appellant, inter apoplexiam & epilepsiam quodammodo ambigens. Cadunt enim velut apoplectici sine sensu, non autem motu privantur, neque tamen convelluntur, ut epileptici: aliquando sterunt, nec tamen discussio morbo paralytin alicujus membri incurrunt.* Si tamen causæ magna sit vehementia, in apoplexiam vel epilepsiam degenerare potest, tandemque aliquos hoc modo affectos subito ut apoplecticos mortuos vidi. Talis *ἀπώγια* etiam procul dubio est, quæ fit ex ebrietate, de qua Hippocrates, *5. aph. 5.* Oritur autem ferè à consensu partium infernarum, & va-pore narcotico spiritus animales in cerebro sopiente, seu perturbante; &

propterea commodissimè inter affectus cerebri refertur.

Instrumentorum verò vocalium causa vox & sermo aboletur seu imminuitur, cum laryngis membrana madescit, & humectatur ab humoribus à capite defluentibus.

Deinde si laryngis rimula angustior redditur seu occluditur à tumore, & compressione ut in angina, & luxatione vertebrarum cervicis fieri solet.

Tertiò, cum muscoli laryngem moventes seu resolvuntur, seu vulnerantur, seu contunduntur.

Quartò, ubi nervi vocales & quicunque voci edendæ inservientes inciduntur, divelluntur, interceptuntur, refrigerantur aut quocunque modo læduntur. Ita refert Galenus, *1. de loc. affect. cap. 6.* cecidisse quandam ab alto in terram, ita ut dorsus initium affligeretur, eumque tertio die, exiguum admodum vocem edidisse quarto die omnino obmutuisse, resolutaque simul fuisse crura manibus illæsis, sed neque spirationem amisisse, neque difficulter spirasse. Cum enim tota sub cervice spinalis medulla esset resoluta, accidit thoraci, ut per septum transversum & musculos supernos numero quidem sex, moveretur: quippe nervi ex spinali medulla, quæ in cervice est, ipsi adveniunt. At intercostalium musculorum nervi, per quos exsufflationem fieri diximus, omnes affluerant. Cum itaque frustra Medici negotium subirent circa cru-

ra quidem, utpote resoluta, circa guttur verò propter vocis affectum: eundem id interdixit, atque affecto duntaxat loco curationem adhibuit. Proinde finitã tandem spinalis medullæ inflammatione, à septima die vox restituta est juveni, & crura motionis facultatem recuperaverunt. *Ibidem* refert, fuisse quendam, qui cum ex cervice strumas in profundo excinderet, ac inter secandum quoddam vas, membranas non specillo secaret, sed unguibus eveleret, imprudens ob ignorantiam simul nervos recurrentes distraxit, atque hoc pacto quidem puerum liberavit à strumis, sed mutum reddidit. Alium pariter in puero strumas secantem, laeso altero nervo recurrente, ipsum semimutum fecisse. Similem historiam recitat Amat. Lusitanus, *cent. 2. cur. 70.* Mulier illyrica, inquit, quæ ad caput montis habitat, cum strumam à Gallica scabie originem ducentem in collo haberet, mendicum quidem officio Medici fungentem pro sua valetudine accersivit, qui indiscretè cum pro ea propulsanda multis usus esset medicamentis, ita sublimatum, ut ejus refecaret radices, loco indidit, à quo alter nervorum ex pectore recurrentium, qui vocem effingunt, inibi corrosus est, unde ipsa paulatim raucescens vocem verè in totum amisit.

Quintò, si aspera arteria incidatur, etiam vox & sermo perit; cum spiritus voci & sermoni formando necessarius desit: quod etiam fit, si

aspera arteria comprimatur; quod fit in strangulatione.

Tandem ob defectum materiæ vox perit, vel imminuitur, vel, ut modò dictum, cum aspera arteria vulneratur, aut compressa spiritui transitum non concedit, seu ob thoracis musculos resolutos. Ejus rei exemplum habet Galenus, *3. de loc. affect. cap. 1.* de quodam, qui nullo in vocalibus instrumentis vitio existente, sed musculis intercostalibus ob casum ex alto resolutis, vocem amisit.

Idem fieri potest, si iidem muscoli & membrana costas succingens vulneretur & perforetur. Cum enim tum thorax contrahi non possit, vocis etiam materia, spiritus, qui efflatur, desit. Non tamen semper ob musculorum intercostalium læsionem vox tota perit, sed solum cum læsio illa magna est. Aliàs enim pro læsionis magnitudine vox saltem ex parte amittitur. Præterea pulmonis vitio idem evenit, qui si sanie vel humore repletus sit, aut aliàs debilis, ut fit in catarrhis suffocatis & tabe, vox valde imminuitur.

Accidit idem cum pauca sit efflatio, & spiritus deficit, ut in deliquio, syncope, uteri suffocatione. Quia verò ad sermonem formandum etiam lingua facit, sermo etiam ob linguæ motum impeditum læditur, de quo suprã, *lib. 1. part. 3. s. 5. cap. 7.* dictum. Unde etiam citra vocis læsionem locutio interdum aboletur; id quod fit in mutis in privata

resolutione linguæ, qui tamen vocem quandam inarticulatam edere possunt; & fit hoc ob nervi, qui ad tertiam conjugationem tendit, vitium. Quod si magnum sit, & præcipuè si vitium sit à prima conformatione, auditus tum ferè simul, ob illius cum dicto nervo communicationem, læditur; unde plerique, qui sunt muti à nativitate, simul surdi sunt. Idem accidit, si de fluxio aliqua & humor in musculos linguam ac larynges, moventes decumbat. Reliqua videantur, loco allegato, de motu linguæ impedito.

Causas vocis depravatæ quod attingit, sunt nonnullæ congenitæ, & à natura quibusdam est vox aspera; quæ cum propterea à nonnullis inter naturales vocis differentias numeretur; saltem de iis vocum differentis p. n. agemus quæ à causis p. n. proveniunt.

Vox rauca

Et quidem frequentissimè accidit vox rauca quæ fit à membrana, quæ laryngem & asperam arteriam investit, p. n. affecta, exasperata & inæquali reddita. Cum enim aspera arteria levis facta sit, & si ea bene sese habeat, vox lenis & moderata edatur: si illa naturalis lævitas & æqualitas tollatur, inæqualiter etiam, aer allisus repercutitur, atque inde vox rauca efficitur.

Ejus causa interna.

Accidit hoc primo à nimia humiditate vocis hoc organum irri-gante; id quod frequentissime à catarrho à cerebro delabente, & in organa vocalia irruente accidit, qui in specie Branchus appellatur; de

quo Hippocrates, 3. aphor. 13. *Est aestiva & æquilonia; autumnò verò pluvioso & australi, vehementes capitis dolores in hyemem incidunt, & tussis & brachii seu raucedines, & gravædo, nonnullis etiam tales expectantur.* Diende idem accidit à tussi vehementi, qua arteria ob crebram materiæ rejectionem exasperatur; id quod in phthisicis & thoracis suppuratione accidere solet. Idem præstant humores & ulcera vocalium instrumentorum. Unde lue Venerea laborantes vocem raucam habent. Atq; hæ causæ internæ sunt.

Externæ causæ sunt clamor nimius & vociferatio, quæ similem affectionem membrana laryngis & asperæ arteriæ inducunt læsitudini inflammatoriæ in musculis. Aer quoq; frigidus inspiratione attractus, ut & succus, venenatus; & vaporibus, fumis, & pulvere inquinatus arteriam exasperandi vim habet. Idem præstat potus aquæ frigidæ, vini vel austeri vel meracioris nimius, cibus & potus salis & acres.

Externa.

Vox obtusa seu tenebricosa & turbida, ut nonnullis appellatur, fit à pituita crassa & viscida, quæ organis vocis adhærescit, vel abscissione collicellæ.

Vox obtusa.

Vox tremula fit ex virtutis imbecillitate, cum ob defectum spirituum natura organa respirationis æqualiter movere non potest, id quod in quibusdam febris accidit. Interdum idem evenit, ubi in musculos laryngis seu linguæ & nervos his iuservientes humor aliquis decum-

Tremula.

bit;

bis, partesque illas relaxat quasi; id quod ebriis accidere solet. Fit idem etiam ex timore, cum calore & spiritibus ad cor recurrentibus, tum alia partes, tum etiam respiratori & voci edenda interuenientes his destituta officio suo recte fungi non possunt; unde & qui valde timent, pedibus & manibus tremunt.

Abrupta. Abrupta vocis etiam Hippocrates, 4. de rat. viſt. in acutis, text. 33. mentio nem facit, quam, in lib. de Coacis praeotionibus, effractam nominat. Habet autem ea ortum ex imbecillitate facultatis moventis, & organorum qui spiritus efflationi interuiunt. Ut n. si is, qui folles, quibus organa musica insunt, movent, sit debilis, nec aequaliter moveat, sed aliquandiu quiescat, sonus interrumpitur ita si musculus, qui aeri, qui vocis materia est, efflando interuiunt, ob imbecillitatem a movente aliquandiu cessent, fit vox interrupta.

Tarda. Vox tarda fit, cum humor in spinalem medullam & nervos musculis thoracis interuenientes effunditur. Tum enim facultas supprimitur, ut liberè thoracem movere non possit.

Clangosa. Vox clangosa est subrauca, sed acuta ferè & sonora, qualem pleraque animalia, quae collum habent oblongum, ut grues, edunt. Habet ortum hæc vox, ut Galenus, 7. de usu part. cap. 7. i. prorrhet. com. 1. text. 3. & 17. docet, a siccitate nimia laryngis & asperæ arteriæ, & defectu humiditatis, qua naturaliter arteria irrigatur, & quasi lævigatur; id quod

fit in febribus ardentibus & phrenitide.

Tandem referunt etiam inter causas raucedinis & vocis vitiatæ lupi conspectum, si is hominem obvium prior adspiciat; quam vulgo opinionem etiam Virgilius secutus est, dum scribit:

Lupi conspectus vitiatæ vocis causa.

Vox quoque Marini Jam fugit ipsa: lupi Marini videre priores.

Unde etiam habet ortum proverbium. *Lupus in fabula*; quo utimur, cum is, de quo sermo, supervenit, & ita presentii suæ sermonem interrumpit: de quo varii variè disputant, & alii aliam huius affectus causam reddere conantur. Verùm prius hic rō dū, & an sese res ita habeat, quam rō dion inquirendum censeo.

Eadem ferè ob causas sermo & locutio vitiatæ.

Causæ sermonis vitiatæ.

1. Quidem ob instrumentorum vocalium & laryngis præcipuè vitium. Nam si vox sese non bene habet, nec sermo bene sese habet; de cuius causis modò dictum.

2. Propter motum linguæ impeditum; de quo supra, part. 1. huius libri, cap. 9. diximus.

3. Ob labiorum, dentium, palati vitium.

De Balbutie & balbitate ejusque causis agit Galenus & Alii auctores, ad aphor. 32. sect. 6. & docet Galenus, quod *ἰσχυρὸς & τραυλίζων* non vocis, sed linguæ vitium sit, cum scilicet lingua eas voces, quæ per T & R scribuntur, articulatè proferre non potest. Idque accidere, quia

Balbuties.

lingua sit molliore ac humidiorē, temperaturā ac constitutionē quam ob causam pueri balbutiunt; cum musculi molliores & infirmiores linguam satis stabilire non possint, comodo, ut in ambulando titubant. Inde etiam ebrii balbutiunt.

Signa diagnostica.

Signa vocis
& sermonis
vitiati.

Vox & sermo ac locutio læsa, & quodam vitium sit, faciliè ab auditibus cognoscitur. Causæ verò signis cognoscendæ. Et quidem externæ faciliè ex relatione ægri atque adstantium cognoscuntur. Internæ etiam suis signis patefiunt. Si raucedo sit à catarrho, is adfuit, vel adhuc adest, qui faciliè patet. Si à phthisi seu pure & sanie in pectore contentâ & tussi crebrius rejecta raucedo oriatur, etiam signa ejus aderunt. Ita etiam aliarum causarum, à quibus vox seu aboletur, vel immittitur, seu depravatur, signa in morbis, à quibus illa pendent, explicantur.

Prognostica.

Prognosti-
ca.

1. Raucedo orta à causis externis seu evidentibus facilius curatur, quam quæ à causis internis sit.
2. Branchi & coryzæ in valde senibus coctionem non admittunt. 2. aph. 40.
3. Vocis vitium, quod sit à columellâ abscissâ vel erosâ, lingua mutilatâ, dentibus elisis vel elapsis,

nisi factitiū substituantur, non curatur.

4. Ita & motus linguæ inhibitus à ruptione vel contusione nervi, non sanatur.

5. Raucedo per annum vel duos confirmata, vix sanatur.

6. Impeditus motus linguæ in pueris superveniente adolescentiâ & juventute interdum cessat, absumptis & exsiccatis superfluis humiditatibus.

7. Balbi alvi profluvio maximè corripuntur, 6. aph. 32.

8. Raucedines, quæ ob suppurationem vel tabem fiunt, ferè mortem futuram indicant.

9. Cum voce tremula alvi præter rationem solutio in morbo acuto, lethalis. Cum enim vox tremula fiat ex insigni debilitate virium, si alvi profluvium accedat, vires magis dejicit.

10. Voces clangosæ malæ, & vacillatio mentis cum voce clangosa, linguæque convulsiones cum tremore, & voces ipsæ obmutescentes, mentis alienationem significant. In Coacis.

11. Vox effracta ex hypercatharsi ob musculorum thoracis convulsionem, periculum portendit.

12. Αὐωϊαὶ cum singultu pessimæ, 1. prorrhetic. com. 1. text. 23.

Plura ex voce vitiata in febribus prognostica videantur apud Hippocratem, in Coacis prænot. & libris prorrheticis.

Curatio

Curatio
raucedinis.

Curatio Raucedinis.

Cum vocis & abolitæ & diminutæ ac depravatæ variæ causæ sint, etiam curatio varia pro causarum varietate instituenda. Cum autem morbi illi, à quibus vocis & sermonis vitia pendent, jam ante explicati sint pauca hic dicenda restant.

Etenim si cerebri vitio malum hoc accadat, curatio exiis, quæ, *lib. 1. de apoplexia & paralyfi explicata* sunt, patet.

Cæterum quoque supra, *lib. 1. c. 9.* de linguæ motu impedito, ejusque causâ & curatione actum. Dicitur, *ibidem*, de faucium & dentium morbis: *parte verò secunda*, de asperæ arteriæ, pulmonis & thoracis morbis: Quos qui curaverit, simul & vocis & sermonis vitia, quæ ex iis morbis pendent, tollet. Ideoque saltem quædam de raucedinis curatione hic adjiciemus, cum vox obtusa & similes eandem ferè curationem habeant. Vox verò cingosa, cum ferè cum febribus acutis conjungatur, ab earum curatione & hujusmodi curatio dependet.

Primo ergo si raucedo à catarrho dependeat, irrigante & inæqualia reddente vocis organa, primo danda opera, ut catarrhus removeatur, quo præsentè vix raucedo tolli potest. Quæ ratione autem catarrhus curari debeat, dictum, *lib. 1. par. 2. cap. 34.*

Deinde danda opera, ut asperitas & inæqualitas à catarrho in ducta tollatur, & præcaveatur, ne, si catar-

rhus adhuc fluat, ab eo amplius vocis organa exasperentur, quod præstant medicamenta Attæriaca ab usu dicta.

Si ergo catarrhus sit frigidus & tenuis, medicamentis calefacientibus, siccantibus & lenientibus opus est ut diatraga cantho calido, melle rosato cum sirupò myrtino mixto, succo glycyrrhizæ, amygdalis dulcibus.

Si verò materia sit crassa & viscida, incidentia, abstergentia, simulque lenientia & vocis instrumenta, lavigantia requiruntur, quæ parantur ex caricis, uvis passis, melle, hyssopo, glycyrrhiza, succo brassicæ cum melle mixto, thure, myrrha, croco, terebinthina, saccharo penidio, cubebis cum passulis tritis mixtis. Et si pituita sit viscida, etiam oxymel scilliticum admisceri potest. Convenit etiam hic lohoh sanum & expertum, de althæa, de pino, de caulibus, sirup. de glycyrrhiza, de hyssopo, pilulæ seu trochisci de benzoe.

Utile etiam est sequens Eclegma:

℞. *Succi præssis bene deparatis*
Unc. ij.

sacch. penid. Unc. j.

oxymel. s. vel, si majori incisione opus sit, scillit. q. s.

F. Lambile.

Vel ℞. Pomum, & seminibus exemptis repleatur myrrha, croco, thure, & assetur, ac manè & vesperî comedatur.

Vel R̄. *Succ. glycyrrhiz* Unc. ℞.
croci Drach. j.
myrrb.
eburis ana Drach. j. ℞.
gummi tragacanth.
Arab. ana Drach. iij.
carnis trium dactylorum,
vini dulcis q. ℞.

F. Pilulæ sub lingua tenendæ.

Matthias Lobelius sirupum de erysimo, quod laudat. simum arteriacum nominat, commendat, scribitq; se ejus usu juvenulam decennali raucedine laborantem curasse, & alios diuturna & prope invicta raucedine laborantes erysimi usu restitutos fuisse.

R̄. *Erysimi totius recentis* M. vj.
rad. helenii,
tussilag. succo adhuc prægnantium,
glycyrrh. ana Unc. ij.
borrag.
cichor.
capill. ℞, ana M. j. ℞.
flor. cordial.
anthos,
stæch. vel *beron.* ana M. ℞.
sem. anisi Drach. vj.
passul. mundat. Unc. ij.

Coquantur in ℞. q.

aq. bordei. & *hydromelitis,* &
succi erysimi, Unc. vj. ad
 ℞. li. vel iij.

Colaturæ adde *sacchari* q. ℞.

Fiat Sirupus.

Vel R̄. *Rad. glycyrrh.*
albhæ, ana Unc. iij.
ireos,
sal. erysimi M. iij.
tussilag.

prassii recentium, an. M. ij.
sem. psylli,
cydonior ana Unc. ℞.
jujub. N. xij.
passul. enucleat. Unc. ij.
cubebæ. Drach. j. ℞.

Coquantur, & cum ℞. q. *sacchari,*
 Fiat Sirupus.

Quod si catarrhus sit calidus & tenuis, frigida incrassantia & lenientia requiruntur, ut diatragacanth. frigid., conserva rosar., viol., diacodium, sirup. & lohoh de papavere, Sirup. rosar. violar., de jujubis, myrtinus.

Si à pure in pulmone contento raucedo ortum habeat, ad morbum quidem præcipuè cura dirigenda; simul tamen lenientia & laxigantia asperam arteriam modò enumerata usurpanda.

A causis externis fit raucedo, iisque siccantibus & calefacientibus. Leviter itaque refrigerantia & lenientia usurpanda, ut diatragacanth. frigid., conserva rosar., viol., sirup. & lohoh de papav. de jujub. & similia.

Si ab aère, potu vel aliâ causâ frigid., calefacientia, modò in raucedine à pituita proposita, usurpanda.

Tandem si à nimia vociferatione clamore & vocis intentione sit excitata raucedo, conveniunt hinc medimenta Arteriaca dicta, quòd scilicet peculiariter asperæ arteriæ & laryngis affectibus conveniunt. Parantur autem ex amylo, tragacantha., gummi Arabico, glycyrrh. sacchar. cando & penidio, passulis, dactylis, jujubis, sebèsten, amygdal. dulc. mucilag.

Syr de erysimo.

Apure.

A causis externis.

cilag. althææ: unde fiunt sirupi, jubinus, capillor. ♀, de althæa. de glycyrrh. & similia.

Vel ℞. Mucilag. sem. althææ Unc. j. ℞
 conferv. viol. Unc. iij.
 amyli Unc. ij.
 sacch. in aqua rosar. solut. q. s.
 F. Lohoh.

Vel ℞. Tragacant.
 gummi Arabic. ana Drach. j.
 sirup. jujub.
 violar. ana q. s.
 mucilag. sem. althææ Drach. ij
 F. Lohoh.

Atque hæc imprimis in principio conveniunt Ubi rauco jam imminuitur, ut humiditas in parte relicta absorbatur, exsiccantibus. discutientibus & exsurgentibus, sed sine acrimonia. opus est. Qualia parantur ex terebinth melle, amygdalis amaris, iride; styrace, croeo, myrrha.

Ut ℞. Gummi juniper.
 tragacanth. an. Drach. ij
 sacch. penid. Unc. j.
 succi glycyrrh. Drach. ij.
 tburis Drach. j. ℞.
 styracis calamita Drach. j.
 croci Scrup. j. Cum melle,
 F. Eclegma.

Utile etiam est eclegma de succo brassicæ antea propositum.

Vel ℞. Hord. excoct.
 pass. enucl. ana Unc. j.
 glycyrrh. Drach. ij.
 caricar. ping. N. vi.
 capill. Veneris,
 byssop. ana M. j.

sem brassic. Drach. j.
 pinearū non rancidarū Unc. ℞.

Coquantur in s. q. aquæ puræ.
 Colaturæ pro qualibet libra ad
 demellis despumat.
 sacchari albi, ana Drach. vj.
 Misce, de quo sapius aliquid bibendum.

Plura videantur apud Galenum,
 7. de compos. medic. sec. loc. cap. 1 Aetium,
 tetrabil. 2 serm. 4 cap. 51. & 52.

CAPUT V.

DE TUSSE.

AD depravatos organorum vocis respirationis motus Tussis quæ Tussis.que pertinet, atque inter eos motus est tussis, qui quidem à natu sūnt, irritata tamen & coacta, atque à causâ morbificâ stimulata ad expellendum id, quod molestum est; cujusmodi motus habetur oscitatio, pandiculatio, sternutatio, singultus, ut docet Galenus, lib. 2. de causis & sympt.

Est nimirum tussis motus depravatus seu vehemens efflatio, à veloci pulmonis & thoracis contractione edita, ut id, quod spirandi organis molestum est, excutiat. Seu, ut Avicennas definit? Tussis est motus Naturæ, quo conatur expellere, quicquid lædit, è partibus pulmonis, & partibus proximis pulmonum. Sicut enim in sternutatione cerebrum, in singultu & vomitu ventriculus: ita in tussi thorax insurgit, & plurimo spiritu in pulmonem immisso, forasque iterum celerimè exploso, atque impetu

impetu quodam id, quod molestum est, expellere conatur. Etenim aspera arteria, & ejus ramuli per pulmonem sparsi tunicâ intus obducti sunt, cui exquisita vis inest sentiendi ea, quæ molestiam pulmoni creant, ita ut minimum quodque in asperam arteriam illapsum statim sentiat. Atque ita tussim nihil excitat, nisi quod hanc membranam, quæ intus asperam arteriam, ejusque ramos investit, afficit. Sic igitur irritatus pulmo non solum ipse movetur, sed & in auxilium musculos thoracis & diaphragma sibi adhibet, & quod sibi molestum est, expellere nititur.

Causæ.

Causæ.

Atque ita causa proxima tussis est, quicquid pulmones, asperamque arteriam, & quidem membranam, qua intus investitur, afficere potest. Quæ autem id præstant, causæ sunt variæ, ut mox dicemus. Ad duo tamen genera referri possunt. Vel enim hoc præstant, quia angustiam in respirationis organa pariunt, vel quia mordicant, asperitatemque inducunt, atque adeo quocunque modo molesta sunt.

Causas, verò omnes tussis, seu angustiam pariendo, seu irritando quocunque modo id præstant, in classes quaedam digeremus & ordine enumerabimus.

Et 1. inter causas tussis est intemperies, & quidem sola ac sine materia etiam tussim excitare potest, sed levio- rem, quam quæ est cum mate-

ria. Et frequentissimè quidem & majorem tussim parit intemperies frigida, ut pote quæ pectori maximè inimica est, quæ excitatur ab aère frigido, de quo Hippocrates, [3. aphor. 23. Hyeme morbi laterales, pulmonis inflammationes, raucedines, suffes fiunt; & ibidem, aphor. 5. Aquilo tusses movet: potu aquæ frigidæ, & præcipuè ex nive soluti, medicamentis frigidis seu assumptis, seu thoraci applicatis. Excitat etiam tussim intemperies calida, sed minorem, qualis est, quæ febribus ardentibus supervenit, quæque, ut est apud Hippocratem, 6. epidem. sect. 2. text. 24. est arida & parum irritans, & quæ non fit, nisi quando loquitur aut hiat.

Quando autem non loquuntur, neque hiant, non tussunt. Siccitas autem præcipuè cum frigiditate conjuncta exasperando & irritando tracheam tussim excitat. Hinc, ut Hippocrates, 3. aphor. 5. scribit, Aquilo tusses movet fauces exasperando, & ut Paulus Ægineta, lib. 3. cap. 28. docet, in Aquilonaribus constitutionibus non pauca, neque contemnendæ tusses fiunt. Humiditas autem, ut qualitas minimè omnium, activa, & quæ potius lenit, quam exasperat, vix tussim inducit; nisi forsitan inæqualiter, primùm inducatur, ubi breviter levissimam quandam tussiculam excitare potest, quod tamen rarum. Et dictum est supra de causis, quæ intemperiem pulmonis inducere possunt.

Deinde tussim excitat materia

quæ.

quæ cunquē in pulmonem & asperam arteriam incidit, aut in ea præter naturam continetur. Materia autem hæc varia est, catarrhus nimirum à capite defluens; atque ita omnes causæ, quas supra, lib. 1. catarrhum excitare posse diximus, etiam tussim excitare valent: ut & humor, aliquis in cerebro collectus, qui per accessiones febrium movetur, & à calore febrili funditur; de quo Hippocrates, in *Coacis*. *Qui circa accessiones tussunt, & leniter resudant, malignè habent, Et, ibidem; Ex insania in raucedinem cum tussi fit abscessus.* Sicut & materia parotides excitans: de quo idem Hippocrates eodem libro, & in *prophet.* *Abscessus ad aures solvunt tussiculæ cum sputationibus.* Idem efficit sanguis è vase in pulmone rupto fluens, vel erosâ in pulmones irruens. Item humor in pulmone collectus in phthisi, peripneumonia, & vomica pulmonis; vel aliis vicinis partibus communicatus; ut in pleuride & hydrope pectoris fieri solet. Pertinent huc & grandines, calculi, ac vermiculi in pulmone geniti. Idem præstant etiam res externæ in trachæam illapsæ.

Cùm enim spiritu, quem trahimus, diu carere non possimus, organa, per quæ ille admittitur, vacua esse decet. Ideoque nè aliqua substantia præter aerem in asperam arteriam ejusque ramos per pulmones dispersos ingrediatur, caput asperæ arteriæ epiglottide seu operculo quodam Creator sapientissimus munivit, ut sic quidem aeri ingressus pa-

teat, à cibi verò potusque pondere depressum esculentis & potulentis aditum denegat, ut Galenus, 4. *de usu part.* cap. 8. docet. Quod tamen si fortuito fiat, ut interdum inter loquendum & ridendum, & infantibus inter lac sugendum accidere solet, periculum suffocationis inde imminet, à quo ut natura sese liberet, vehementissimam tussim excitare, nec prius desistere solet, quàm omnid, quod molestum est, excusserit.

Tertio inter causas tussis est soluta unitas vasorum in pulmone, si ve illa sit vulnus, si ve ulcus & erosio.

Quarto excitatur tussis, dum in pleuride materiæ aliquid ad pulmones mittitur, vel ob membranarum consensum pulmones irritantur. Pertinent huc & diaphragmatis inflammatio & tubercula in spina enata; quod gibbis familiare est, teste Galeno, 6. *aphor.* 46. Imò ipsa luxatio vertebratum dorsii.

Ex quibus omnibus colligitur, tussim propemodum omnium thoracis & pulmonis morborum symptoma inseparabile esse, ut pleuridis, peripneumoniæ, vomicæ pulmonis, sputi sanguinis, phthisis, & similia.

Causæ verò extra pulmonem & thoracem consistentes, & quæ ita per *συνταξιν* tussim efficiunt, etiam variæ sunt.

Quinto nimirum tussis excitatur epate, liene, ventriculo intumescente aut inflammato, ut & in hydrope, si ve id fiat, quod pulmo comprimitur,

mitur, sive quod obstruitur, aut molestatur à matetia ad pulmonem redundante, sive quod partium vicinarum membrana affectæ membranas organorum respirationis in consentum trahunt & velliant, sive quod vapores aliqui ad organa respirationis transmittuntur, eaque sive obstruunt, sive mordicant id quod etiam interdum in febribus accidere solet.

Externa. Externæ tandem causæ etiam variæ sunt.

Sextò enim præter aëris intemperiem, ut & potus ac medicamentorum qualitatem, quæ asperæ arteriæ intemperiem inducunt, tussim excitare valent causæ aliæ quoque externæ, irritando & exasperando nimirum asperam arteriam, ut fumus, pulvis, & ut Avenrhois, 3. coll. cap. proprio monet, præcipuè pulvis ex lino, dum pectinatur, & ex veteri tritico, dum cribro excutitur. Pulvis item & vapor calcis, & metallorum ac mineralium. Quò pertinent austera, acida, adstringentia, pinguis & rancida præcipuè, ut nuces, & oleum rancidum. Vocis item intentio nimia. Referendi huc & lumbrici ac vermes in intestinis & ventriculo geniti, qui ipsi etiam tussim excitant, vapores, ut nonnullis placet, putridis & malignos ad pulmones mittendo, vel, quod probabilius est, membranam œsophagi vellitando, quæ membranam asperam arteriam investientem in consentum trahit. Profundior etiam styli purgatorii in aures immissio

tussim excitat, communicatâ scilicet hac irritatione tracheæ per nervulum quinti paris utriq; parti communem.

Differentia.

Primò est tussis differentia secundum magnitudinem. Nam datur tussis quædam planè exigua, aut potius ad tussendum quidam impetus, & tussendi initium, quod Græcis κέρχυνθον dicitur. Ut enim vomitum nausea præcedit, ita tussim κέρχυνθον, ut docet Galenus, 2. de causis. symp. c. 4.

Deinde tussis alia est arida & sicca, quæ ἀπὸ ψύξης facit, nec pituitam citat. ut Celsus, lib. 4. cap. 4 habet: alia verò humida. Sicca seu arida est, in qua nihil exspuitur, atque fit hoc, vel quia causa, quæ tussim excitat, non in organis respirationis hæret, vel, licet ibi hæreat, inepta est ad excretionem. Prius accidit, cum aspera arteria vel intemperie afficitur, vel exasperatur, vel membrana asperam arteriam & ejus ramos investiens vellitur à vaporibus ab inferioribus ascendentibus, sive comprimitur, aut à vicinis membris affectis in consentum trahitur, vel tenuis paucusque humor à capite destillat, aut aliunde transsudat, ut Galenus, 4. a phor. 54 docet. Posterius verò accidit, ubi in respirationis instrumentis humor hæret, qui ejici non potest, vel quia ob lentorem & crassitiam bronchiis pulmonis nimis tenaciter adhæret, vel quia

obis.

ob tenuitatem inter ejiendum dis-
spoditur à spiritu, ut & in pulmonem
relabatur, ut Galenus, *1. epid. comm.*
1. text. 12. docet. Humida tussis est,
quando humor aliquis tussiendo eji-
citur, atque oritur ab aliqua medio-
cris consistentiæ materia pulmones-
& tracheam irritante, quæ cum spi-
ritu tandem expellitur.

Tertiò tussis aliqua vehemens est,
quæ suppressi nequit; alia mitis. Ve-
hementis Hippocrati, *Onesidors* no-
minatur, atque oritur ab humore
magna vi destillante, vel ulcere or-
gana respirationum obsidente, vel
ab abscessu genito ibidem, vel ab
empyemate.

Mitis fit ab intemperie organo-
rum respirationis; vel ab asperitate
faucium & tracheæ, vel à pulvere,
& aliis exasperantibus, ut & ab am-
biente aere, ut docet Galenus, *6. epid.*
comm. 2., apb. 24.

Quartò tussis quædam frequen-
ter molestat, & ferè continuò æ-
grum affligit, quædam per certa in-
tervalla corripit, prout causa tuf-
sim excitans nunc semper præsens
est, nuac per intervalla colligitur &
recurrat.

Verùm præcipuæ & ad curatio-
nem maximè cognitu necessaria
sunt differentiæ, quæ à causis desū-
muntur. Ideoque secundum caus-
arum differentiam postea etiam cu-
rationem in certa quædam capi-
ta distinguemus.

Signa diagnostica.

Tussis ipsa adeò evidens sympto-
ma est, ut signis ad ejus cognitionem
opus non sit. Verùm cum causæ,
à quibus excitatur, variæ sint, omni-
no signis opus est, quibus illæ co-
gnoscentur, ne Empeiricorum mo-
re cum ægri damno cuilibet tussi
quodvis remedium applicetur. Signa
ergo causarum, ut supra eas recen-
suimus, explicabimus.

Ab intemperie nuda primò si fit
tussis, abest catarrhus, aliique mor-
bi, qui materiam tussis causam sup-
peditant, vel etiam in consensum
pulmonem trahere possunt: con-
trà præcesserunt causæ, quæ intem-
periem aliquam pulmonis iuducere
potuerunt, quæ ipsæ etiam, *hoc ca-
pite, & supra, part. 1. hujus libri, de*
intemperie pulmonis enumeratæ
sunt. Adest difficultas spirandi,
tussis ipsa est sicca, nec ita vehemens
& pertinax, facillè quoque suppri-
mitur.

Qualis autem intemperies sit caus-
sæ imprimis, quæ præcesserunt, vel
ad sunt, indicabunt, juvantia item
& nocentia. Etenim si à frigidita-
te sola sit tussis, cohibito spiritu non
solum reprimitur sed & sanatur,
Auctus enim tum in organis respi-
rationis calor intemperiem illam
corrigit, ærotique aliis etiam cali-
dis, ut potu & cibo, juvantur, frigido
offenduntur. Ideoque ægri calidum
aërem amant, & linteolo manibus &
ori admoto, spiritum trahunt, ne

Signa.

mox frigidus aëris impulsu tussis irriteretur; ut hac de re scribit Galenus, *6. epid. comm. 2. t. 2. 4.* Sitis etiam abest in hac intemperie.

Contra si tussis sit ab intemperie calida, sitis molesta est, quæ potius aëris frigidi inspiratione, quam potu frigido sedatur, ut docet Galenus, *art. med. cap. 64.*

A catarrho tussis proveniens, è signis catarrhi supra, *lib. 1. propositis*, patet, tussisque est vehementior & perseverans. Si verò absque catarrho à materia in pectore contenta tussis concitetur, aderunt morbi tales, ut pleuritis, peripneumonia, empyema, phthisis, grandines, calculi, vermes, hydrops pulmonis, & similes morbi, in quibus materia tussim excitans colligitur, qui supra, *part. 1. bujus libri*, explicati sunt.

Quæ tussis quibusdam intervallicis, ut bis terve anno affligit, ex irruente destillatione proficiscitur: quæ verò continenter, aut minimâ intermissione fatigat, aut vitiosam pulmonum affectionem, aut obstructionem veterem, aut aliam stabilem intus causam habet.

Si verò asperitas à causis externis inducta sit, ut à fumo, pulveribus, cibis vel medicamentis exasperantibus, illæ per se patent. Si tandem morbi extra thoracem, pulmones in consensum trahendo quocunque modo, tussis causa sunt, ut hydrops, ventriculi, epatis, lienis tumores & inflammationes, affectus illi ex suis signis patent.

Prognostica.

1. Tussis frequens & diuturna, *Prognostica.* plerumque ad sanguinis sputum perducit, teste Avicenna, propter vehementem thoracis motum, à quo ruptura vasorum pulmonis, metuenda est; ac præsertim in adultis, quorum membra duriora concussionis violentiæ non ita cedunt. Quod si materia tussi non ejiciatur, intus putrescens vel febrem putridam aut hecticam gignit, vel ulcus excitat. In prægnantibus talis tussis ab ortu cedere solet.

2. Tussis vehemens interdum suffocat, non tam re aliqua obstructa, quam iteratâ sine intermissione valida efflacione, & quod aer inspiratus, priusquam ad cor perveniat, è pulmone mox iterum eliditur.

3. Tussis valida pectoris pulmonisque partes calefacit, ideoque febrem accendit & sitim auget. Quæ verò exiguæ tusses sunt, ac per longiora intervalla excitantur, tantisper membra illa concutiunt, donec ad ea humiditas aliqua irruens deferatur, quo fit, ut ægri intus siticulosi reddantur. Galenus, *6. epid. Comm. 2. text. 24.*

4. Tussis caput nihil juvat. Galenus, *2. de sympt. causis, cap. 4.* ac si violenta fuerit, ipsum replet, *6. epid. f. 3. text. 18.* Neque enim, ut sternutatio, motum cerebri in expellendo juvat, sed ipsi potius nocet.

5. Tussis ex intemperie organorum

rum respirationis periculosa equidem non est: Negligi tamen non debet; sicut exemplo docet Galenus adolescentis, qui ex tussi à causa frigida dimidiam heminam sanguinis rejectit, § *meth. med. cap. 13.*

6. Tussis ex catarrho periculosior est, quàm ab intemperie nudà, & si frequens ac diuturna sit, ad sanguinis sputum sæpe deducit, teste Avicenna. imò experientiâ, propter vehementiorem thoracis motum, à quo ruptura vasorum pulmonis metuenda est, præsertim in adultis, quorum membra duriora motui violento non cedunt; aut si materia tussi non rejiciatur, intus putrescens vel febrem, vel ulcus & hinc phthisin generat. Periculosa etiam est tussis, si materia è capite destillans tenuis & acris est. Nam si retineatur in pulmone intus putrescens pulmonem erodit & exulcerat, sive ejiciatur, tussis violenta metum affert, ne vas aliquod rumpatur. Galenus *6 epid. com. 3. text. 18.* Ideoque diligenter est laborandum, ut destillationes tales acres à pectore avertantur, ne hominem in talem deducant.

7. Tusses etiam à catarrhis in senibus periculosa sunt quoniam in iis non maturantur. *2. aphor. 40.* & ut Galenus inde recte colligit, eos usque ad mortem comitantur.

8. Hydropi si tussis superveniat, malum, *6 aph 35.* Serosa enim humiditas ita tum augetur, ut contineri tota in abdomine nequeat, sed pars quaedam in thoracem, & aspe-

ras pulmonis arterias transponatur.

9. Tussis, quæ ex vicinarum partium consensu oritur, per se periculosa non est, sed sublatis illis morbis earumque causis tollitur.

10. Tussis à fumo vel alia causa aspera arteriæ inæqualitatem & asperitatem inducente absque periculo est, & ferè causa ablata cessat.

11. Tusses infantium diuturnæ & vehementes deterrimæ; quoniam respirationem & somnum impediunt. Sæpe etiam ex multâ agitatione febres acutas & epilepsiam excitant. Non rarò denique herniam.

12. Qui gibbi ex asthma & tussi ante pubertatem fiunt, ii statim moriuntur. *6. aph. 46.*

13. Tusses in febribus abscessus futuros sæpe prænunciant, non quod ipsa materia ex pectore ad articulos decumbat, sed potiùs, quod febres, quæ tales tusses habent comites, in abscessus terminantur; de quo videtur Hippocratem, *2. epid. f. 2* & Galenum, *in com.* ubi verba enarrat: *Quæ tussi parùm & nihil notabile rejiciebat, ei manus dextra & crus sinistrum resoluta sunt.*

14. Tusses in febribus cum destillatione conjunctis quando exacerbantur, febriles accessiones instare indicant, & aliquando malum significant, ut Hippocrates docet, *in Coacis*, dum scribit: *Qui circa accessiones tussiunt: ac leviter desudant, malignè habent; ii scilicet, qui vehementer tussiunt, ita, ut tussi vehementi vires*

deiciantur, somnusque turberetur, ut ex fatigatione magna circa collem & frontem sudare incipiant.

15. Febres cum tussi si solvantur, tussis verò remaneat, recidiuæ periculum minatur,

fit. id quod sæpe accidit, cum tussis tam vehemens est, ut ne vasa rampantur, metuendum sit, aut ne à continuis vigiliis febris accendatur, aut timeudum sit, ne in gravida abortus aut in infante ruptura accidat. Tum igitur danda opera, ut tussis sedetur.

Indicationes.

Indicationes.

Ad duo in omni tussis curatione attendendum. primò ad causam, quæ tussim excitat; secundò ad ipsam tussim. Causæ tussim excitantes cum variæ sint, ut ex iis, quæ de causis dicta sunt, patet, quælibet etiam peculiarem indicationem supeditat. Intemperies nimirum per contraria alteranda; si à catarrho sit tussis, curatio catarrhi modo, lib. i. descripto, instituenda. Si à materia citra catarrhum in pectore hærente, ut pure, grandine, vel vermicibus fiat tussis, materia illa ejicienda. Si à causâ externâ exasperante tussis proveniat, causa illa amovenda, & aspera arteria læviganda. Si à partium vicinarum morbis, & pulmonis seu compressione, seu irritatione fiat tussis, morbi illi conveniente modo curandi.

Ipsam verò tussim quod attinet, etsi, ut alia symptòmata, etiam commodissimè tollatur causâ sublata, & propterea si mitis sit tussis, ipsa neglecta à causæ ablatione curationis initium faciendum sit; tamen sæpe tussis tam vehemens est, ut omnem curationem Medici quæ consilium ad se trahat, & postpositâ causâ, ipsi statim succurrendum.

Tussis, quatenus talis, Curatio.

Cum verò tussis illa vehemens sit ab asperitate aliqua in aspera arteria, ejusque ramis, & irritatione organorum respirationis, quæ naturam ad expulsionem stimulat; duobus omnino modis tussis mitigari potest, vel asperitatem leniendo & lævigando, vel sensus acrimoniam obtundendo, & quasi sopiendo. Prius præstant paregorica, aut lenientia dicta medicamenta, quæ lentore quodam viarum respirationis asperitatem æqualem reddunt, qualia sunt, lactis omne genus, amyllum, pitisana, oleum amygdalarum dulcium, tragacantha, gummi Arabic. mucilag. sem. cydon. psyllii, sirupus de jujubis.

Curatio tussis quatenus talis.

Sensus verò acrimoniam retundunt & tollunt papaver, & medicamenta ex papavere parata, ut sirup. de papav. & diacodion; ut & ex opio confecta, quæ somnum inducunt, & sensus acrimoniam obtundunt, qualia sunt, theriaca recens, Philonium Roman. pilulæ de cynoglossa, trochisci de carabe, laudanum opiatum.

Curatio

Curatio
tussis ab
intempe-
rie.

Curatio tussis ab In- temperie.

Qua ratione intemperies tra-
cheæ & pulmonis curanda sit, supra,
part. 1. hujus libri cap. 1. & 2. dictum,
quæ omnia etiam in hac tussis spe-
cie curanda locum habent. In tussi-
nimirum ab intemperie frigida aër,
in quo versatur æger sit calidus, spi-
ritus retineatur, ut ab eo pulmones
incalescant, cibus & potus sint ca-
lidi, atque imprimis utile est vinum
generosum subdulce. Exhibeatur
succus de glycyrrh. & de hyssopo.
Topica pectori applicentur, pectus-
que inungatur oleo chamæm, lilior.
albor. & similibus. Eodem modo
intemperies reliquæ curentur, ut, loco
allegato, dictum.

Curatio tussis à Ca- tarrho.

Qua ratione catarrhus seu mate-
ria ad pectus ruens evacuanda, a-
vertenda, derivanda, intercipienda
sit, supra, lib. 1. de curatione catarrhi,
dictum. Frustra enim in tussi cu-
randâ laboramus, nisi catarrhus, e-
jus causa, prius sistatur & tollatur.
Hic ergo nihil aliud restat, nisi ut
dicamus, quid materia, quæ in pec-
tus illapsa est, requirat.

Cum autem materia illa sui eva-
cuationem indicet, compertum qui-
dem est, materiam è pectore etiam
per urinam & alvum evacuari posse:
verùm id rarissimè, & in aliis potius
pectoris affectibus, quàm tussi acci-

dit. Ideoq; nullus alius commodior
modus est, quàm ut materia in pec-
tus illapsa per tussim rejiciatur.

Medicamenta autem, quæ hoc præ-
stant, inæqualitatem & asperitatem
leniunt, & humectant, & humores
ad expulsionem aptos reddunt, viasq;
disponunt, ut minore cum dolore
rejiciantur; sopitam item & imbeci-
llem facultatem ad ejiciendum
per tussim materiam stimulant, quæ
medicamenta, ἀπνευσιὰ & βρυχία
nominantur, quæ tamen pro diver-
sitate materiæ habent aliquam va-
rietatem.

Sirupus catarrhalis vel pectoralis D. Casp. Kegleri.

Sirupus
catarrha-
lis D. Casp.
Kegleri.

R. Rad. polypod. Unc. j.ß.
glycyrrh. rasa.
farsara, ana Drach. vj.
herb. salvia,
hyssop.
betonic. ana M. ij.
prassii M. j.ß.
sem. 4. frig. maj. c. cort. con-
quass. Unc. 8.
bombac. Drach. iij.
passula. enuc. Unc. j. ß.
sebesten Unc. ij.
juzubar. Unc. j.
caricar. N. vij.

Bulliant. l.a. in aq. hord. ad tertias,
Cirea finem add.

sol. sena Alex. s. ß. Unc. ij.
zingib. Scrup. 8.
agar troch. Drach. iij.
turbit. gummi. Drach. ij.

Hucus

Acatarrho.

Hujus colatura clara ℞. ℥iij.
 postea add.
 sacch. candi ℥j.
 croci Scrup j.

Denuo coq. parum ad sir. consistentiam.

Ultimò depuretur per residuum & clarificetur.

Aqua catarrhalis.

℞. Herb. veronic.

scabiosa ana M. j.

capilli ♀.

byssopi.

adianti b. nigr.

fragar.

meliss.

marrub. ana M. iij.

rad. ireos.

angelic.

eryng.

glycyrrh. ana Unc. j.

myrrha Drach. ij.

croci integr. Scrup. ij.

piperis alb. Darch. j.

caricar. N. viij.

scilla prep. Drach. ij. Scrup. ij.

passular. min. Unc. iij.

sem. lini.

fenigraci, ana Drach. iij.

Infund. cum spir. vini puriss ℥vij.

aq. fragor.

scabios. ana ℥j.

aceti vini ℥j.

Distillentur per M. B.

Curatio tussis à Materia calida, tenui & acri.

Si ergo materia sit calida, tenuis & acris, post universalia illa præstidia evacuantia, revellentia, intercipientia, & catarrhum sistentia, utendum est medicamentis refrigerantibus, humorem incrassantibus, acrimoniam ejus obtundentibus, atque omnino eum concoquentibus, & ad mediocrem quandam crassitiem redigentibus, & ad exclusionem præparantibus, arteriamque asperam lenientibus. Cum enim, ut Galenus, 3. de rat. vict. in acut. t. 2. ait, aër tanquam manus sit, quæ sursum humores è pulmonibus effert, sputum, ut non nimis crassum & viscidum esse decet, quodque visci instar organis respirationis adhærescat; ita nec nimis tenue esse oportet. Tenuis enim humor inter tussientium ab aère disploditur, & non eijcitur, sed in pulmones relabitur. Galenus, 2. de caus. sympt. c. 4. 6. epid. f. 3. t. 18. 4. de loc. affect. cap. 8. 2. de cris. cap. 10. Talia medicamenta sunt sirupus de jujub., de violis, de papavere. diacodion Montani mucilago sem. psyllii, cydon., succus glycyrrhiz, cum amylo, conserva rosarum & violar. cum bolo Armeno, emulsio seminis papaver. albi.

Sirupi.

℞. Hord. M. B.

sem. 4. frigid. major. ana Drach. j.

papav. albi Drach. ij.

glycyrrh. Drach. j[℞].

jujub. N. x.

Coq. in s. q. aquæ f.

Colaturæ ℞. Unc. x.

A materia calida tenui & acri.

Sirupi.

Adde

Add. *fir violar.*

de jujubis,

de papav. ana Unc. ij.

M. pro 4. dosibus.

Vel *fir. juiub.*

sebesten, ana N. xv.

passul. Unc. β.

glycyrrh.

sem. alb. ana Drach. ij.

cydon. Drach. j.

rad. alb. Drach. ij.

Coq. in aq. bord. f.

Colaturæ *β. ℥j.*

fir. viol.

de jujub. ana Unc. ij.

Misce.

Alius sirupus contra tussim.

β. Rad. tussilag.

glycyrrh. rasz, an. Drach. v.

belenii,

althæe,

ireos Florent. an. Drach. iij.

fol. malve tum radiib.

capill. ♀.

tussilag. ana M. j.

violar.

veronic.

scabios. ana M. β.

bordei mundi M. j.

Ebulliant aliquones, add,

byssop. M. j.

sem. malv.

cydonior. ana Drach. j.

fenic. Drach. β.

ficum ping.

dactylor. ana N. iij.

jujubar.

L. II.

sebesten, ana N. v.

uvar. passar. ab arillis mundat.

Unc. j.

Decoq. omnia cum aq. f. ad ℥j.

Factâ colatura cum forti ex-
press. add.

fir. de glycyrrh.

de jujubis, ana Unc. j.

capill. ♀, Unc. β.

sacchari candi albi Unc. j.

penidii, q. f.

Ebulliant ad consistent. Sirupi,

Alius:

β. Rad. glycyrrh. Unc. β.

tussilag. Drach. iij.

althæe,

belenii, ana Drach. jβ.

herb. capill. ♀.

endiv.

scabios. ana. M. j.

fol. tussilag.

betonic.

byssopi,

veronic. ana M. β.

bordei mund. M. j.

ficum,

dactylor. ana N. iij.

jujubar,

sebesten, ana N. v.

passular. sine arill. Unc. β.

flor. violar.

borragin.

cicborii,

malve, ana P. j.

sem. cydonior

malve,

cucumer. ana Drach. j.

Coq. in aq. scabiose & tussilag.
ana q. f.

Colaturæ *β. ℥j. & Unc. ij.*

A a a

Add.

Add. *fr. de jujub.*

*de glycyrrh. ana Unc. ℞,
capill. ♀ Unc. j.
sacch. candi,
penid. ana Unc. j.*

Coq. ad formam Sirupi.

*Rotula & Trochisci
sublinguales.*

*Trochisci
sublingua-
les.*

Sublingua teneantur rotula dia-
tragacanth. frigid., diapenid., tro-
chisci bechici aibi.

Vel ℞. *Boli Armena prepar. ver.*
Unc. j. ℞.

*amyl. Drach. j.
gummi Arabic.
tragacanth. ana
Drach. ℞.*

*sacch. candi,
penid. ana Drach. ij.*

Cum mucilag. *sem. psylli aq. ros. ex-
tract.*

F. Trochisci sublingua tenendi.

Vel ℞. *Confect. diacodi Mesue cum
sacch. parat.*

*spec. diatragac. frigid.
sacch. penid. ana Drach. ij.
boli Armena Drach. ℞.*

Cum sirupo *myrrino*, aut *muci-
lagine tragacanth.*

Fiant Trochisci sublingua tenendi.

Vel ℞. *Spec. diatragac. frigid.*
Drach. ij.

*boli Armen. Drach. ℞.
sacchar. in aqua rosar. so-
lut. Unc. iij.*

Fiant Rosulae.

Pastilli vel Trochisci contra tuf-
sim:

℞. *Pulv. glycyrrh. el. Unc. ij. ℞.
sem. 4. frig. maj. ana Scrup. ij.
anisi,*

fenic. ana Drach. ℞.

spec. diapenid.

diatreos, ana Scrup. j.

sacch. penid. Unc. j.

Cum infus. *tragacanth. cum aqu.
byssopi.*

Fiant Trochisci.

Eclegmata.

℞. *Conserv. viol.*

nymph. ana Unc. ℞.

spec. diatrag. frigid.

*diapenid. f. spec. ana
Drach. ℞.*

succi glycyrrh. Drach. j.

tragacanth. Drach. ℞.

Cum sirup *jujub.*

Fiat Lohoh.

Vel ℞. *Conserv. ros.*

viol. ana Unc. j. ℞.

spec. diatrag. frigid. Drach. j. ℞.

boli Armena prepar. Drach. j.

Cum sirupo *de papav.*

Fiat Lohoh.

Vel ℞. *Mucilag. sem. alb. Drach. vi.
sem. psylli Drach. ij.*

amygdal. dulc.

pinar. mundat. ana Unc. ℞.

sacch. penid.

amyl. ana Drach. ij.

spec. diatrag. frigid. Drach. j.

gummi Arab.

succ. glycyrrhiz. ana Drach. ℞.

sem. 4. frigid. major. ana

Scrup. ij.

papav.

*Eclegma-
ta.*

*papav. alb.**lactuc. ana Scrup. iiii.**cydon. Drach. ʒ.*Cum *sirupo violar.*

Fiat Lohoh.

Narcoticis non utendum, nisi quando metus est, ne vel vas ruptur in pectore ex vehementi illa & continuo affligente tussi, vel vigiliis continuis febris accersatur, viresque deiciantur. Tum enim pilul. de cynogloss. theriac. rec., Phil. Rom., laudan. opiato uti licet.

Extra etiam inungatur thorax hoc vel simili Linimento.

R̄. *Ol. viol.**amygdal. dulc. ana Unc. ij.**mucilag. sem. pŷyllii cum aqu.**rosar. extract. ana Unc. ʒ.**cera alba q. s.*

Fiat Linimentum.

Ubi materia in pectore hærens satis inspissata est, ab hujusmodi remediis cessandum, ne nimio eorum usu crassa reddatur, & ad excernendum ineptior, sed tum ad detergentia accedendum, ut *sirup. de glycyrrh.*, *capill.*, *Veneris*, & similia.

Curatio tussis ab Humore pituitoso.

Si a materia frigida & lenta sit tussis, post universalia illa supra, *lib. i. de catarrho.* proposita, utendum est calidis attenuantibus, incidentibus & abstergentibus, ut *capill. ʒ. bys-*

sep. fœniculo, scabiosa, belenio, & aliis pectoralibus calidis, & ex iis compositis, sirup. de capill. ʒ. de byssopo, & glycyrrh. de prassio, oxymel. simpl. compos. scillitico, cum aqua byssopi, capill. ʒ. prass. scabiosa.

Ut R̄. *Ficum.* N x.*glycyrrh. rasa,**passul. ana Unc. ʒ.**sem. anisi**fœnic. ana Drach. ij.**capill. ʒ.**byssop. ana M. j.*

Coq. in aq. purâ

Decoctum melle vel saccharo dulcoretur. Utile etiam est lohoh sanum & expertum, & de pulmone vulpis.

Ad inveteratam tussim Actius commendat *mellis, butyri*, ana Unc. iiii, *cumini pulveris.* Dra. h. j. Mellis despumato butyrum admisceatur, simulque calefactis cuminum inspurgatur, & ægro delingendum, cochlear præbeatur.

Vel R̄. *Cumini.**piperis,**sem. urtic. ana Unc. j.*

Trita subigantur cum mellis despumati sextario, & parumper fervefacito, opponantur ad usum, & cochlear delingendum offeratur.

Laudatur & hoc:

R̄. *Pulegii,**piper.**byssop.**calam. ana Unc. ij.**p. rosul. Unc. j.*

Mellis despumati sextarium. M.

A A A 2

Aqua

Aqua pe-
toralis
calida
Dorncrei-
lii.

Aqua pectoralis calida

Dorncreilii.

Rx. Rad Enula Unc. j.
polypod. q. mandi,
pimpinell. ana Unc j.
althæa,
myrrhid. ana Unc B.
aristolochie rotund.
Drach. iij.
pœonia masculi. decrefcente
Luna in signo piscium
collecta,
ireos Illyric. an. Drach. ij B.
zingib. Drach. j.
asparagi,
apii, ana Drach. ij.
herb. capill Vener.
byssopi,
carduiben.
veronica. (M iij.
pulmonaria maculos. ana
sem. fanigrac.
feselios ana Drach. ij.
anisi Drach. iij.
quatuor frigid. major. ex
cortic. ana Scrup. iv.
carthami Drach. iij B.
lini Drach. ij.
flor. eordial. ana M. B.
ficuum ping. recent. N. vij.
passul. major. enucleat. Unc ij.
dactylor. ping. enucleat. N. xij.
jujubar.
sebesten, ana paria ix.
succ i glycyrrh. s q. aqu. scordii
dissoluti Unc. j.

Pulverisanda pulverisentur sub-
tilissime, reliqua vetò incidantur &
contundantur minutim, & infun-
dantur.

aq. scabios.
marrub. ana ℥ iij.
feniculi,
betonic.
tusslag.
cardus Mariz,
Nicotiana, ana ℥ j.

Stent in infusione in loco calido
per octiduum, vase aliquoties singu-
lis diebus agitato, deinde ad

mellis passul. Corinthiac. ℥ B.
cruci Orientalis Drach B.

Misce & destillentur igne lentis-
simo in B. M.

Pro usu quotidiano in tussi idem.
Aëtius ficus siccas pingues in vino
dulci meraco madefacta unj cum
vino exhibet. Alii ficus ad ignem
partim tostas sub noctern. devorare
jubent.

Utile est & hoc.

Rx. Succ tusslag. ℥ B.

mucil. sem. vel rad. alth. ex
tract. cum aq. bord. Unc. ij.

Cum sacch. penid.

Fiat Lohoh.

Utilis est & radix tussilaginis
melle condita.

Plura hujus generis vide etiam
part. 2. hujus libri cap. 4. de angustia
arteriarum asperarum pulm. & apud
Galenum, 7. de compos. med. sec. loc.
cap 3 & in lib. euporist.

Ut efficacissimum in materia cras-
sissima sequens Electuarium com-
mendat Mercatus.

Rx. Succ tusslag. Unc. ij.

rad. pulegi Unc. j.

apii

apiivirid Mj.
Infundantur in ℥j. *mellis opt.*
aceri ℥ss.

Coq. lento igne, & facta expref-
fione adde *praedictum succum*, & *sc-*
nigraci *sepius antea loti decoctum*
pond. Unc. x.

Mitridat. aut *iberiac.* Drach. jss.
Porrige summo mane & ante coe-
nam cochl. ij quibus admiscere po-
tes.

fir. de praß.
de byssop.
lobah de pino.

Rotule contra tussim propueris.

℞ *Spec. diaircos. f.*
diatrag. frig. an. Drach. jss.
extr. glycyrrh. Drach. ss.
emula Scrup. ss.
sacch. cand. albi Drach. iij.
albi in aq. scabios. dissolut.
Unc. vj.

Fiat conf. in Rotulis
Extra pectus inungatur hoc vel
simili Unguento :

℞ *Mucilag. sem. alib.*
senigrac. ana Unc. ss.
butyri recent.
axung. gall. ana Unc. j.
bdelli;
styracis, ana Drach. ss.
croci Scrup. ss.
ol. lilior. albor.
amygd. dulc. ana Unc. ij.
cera q. f.

Fiat Linimentum.

Tandem reliquæ exsiccantibus &

detergentibus absumenda; ut etiam
supradictum,

Detergentia tamen & exsiccantia
non sint nimis calida nec acria, ne
dissipata parte humoris tenuiore
crassior remaneat. Ideoque Avi-
cennas monet, ut ubi ob pituitæ
crassitiem nihil exspuitur, hume-
ctantia addantur.

Celsus ovum sorbibile præbet cum
paucis sulphure. Est etiam descri-
tio antidoti dia sulphuris apud Sera-
pionem, *de antidot. cap. 8* quod ad
tussim, sputum sanguinis & asthma
commendat; & apud Mesuen, *de*
antidot. cap. 3. Recentiores flores
sulphuris, lac sulphuris & balsam.
sulphuris exhibent, cui & benzoen
& ejus flores addunt.

Exempli gratia :

℞ *Flor. sulphur.* Drach. ij.
spec. diatrag. fr. Drach. jss.
diairees Drach. j.
croci Scrup. j.
ol. anisi gut. xi i.
sacch. in aq. tussilag. & scabiosa
dissol. Unc. vj.

F. l. a Rotulæ.

Vel ℞ *Rad. ireos Florent.*
helenii,
tussilag. ana Drach. ss.
benzoe Scrup. ss.
flor. sulphur. Drach. j.
croci gr. vij.
cori aurantior Scrup. ss.
sacch. albiss. in aq. tussilag. solut.
Unc. iij & Drach. ij.

Fiat conf. in Rotulis, instillando
spir. terebinth. gut. v.

Pulvis pectoralis, seu pulmoniacus.

- R. *Glycyrrh. rase* Drach. iij.
sem. anis.
fenic. ana Drach. .ß.
spec. diatr. fr. Drach. j.
diureos Drach. ß.
flor. sulphur. Scrup. ij.
pulm. vulpi præp. Scrup. iß.
sacch. candi albi Linc. jß.

Fiat Pulvis.

Ad tussim & pectus roborandum commendantur pulmones animalium, præcipuè vulpis; unde & lo hoh paratur, quod in officinis proficit. Item ex pulmone vulpis, a di-tâ salviâ, hyssop capill. & similib. thoracis aqua destillatur, atque saccharo dulcorata propinatur. Laudatur & pulmo cervinus, si cum gula sua exsiccat in furno & pulverisatus cum melle exhibeatur.

Curatio tussis à reliquis causis.

À reliquis causis.

Si verò absque catarrho à materia in pectore contenta tussis exci-tetur, id quod in pleuritide, peri-pneumonia, phthisi, calculis pulmo-nis fieri solet, curatio è suis locis, atque ex iis, quæ supra de his affe-ctibus dicta sunt, petenda. Ita & reliquæ tussis differentiæ, quæ ab asperitate & inæqualitate arteriæ, vel consensu diaphragmatis, aut irritatione pulmonis in morbis vi-cinorum viscerum excitantur, qua-ratione curandi sint, ex iis, quæ supra de iis dicta sunt, & suo loco dicen-tur, patet.

Diatra.

Diatra.

Si tussis sit, ab intemperie frigida,

æger degat in aëre calido, seu natura tali, seu arte parato. Utendum ci-bis calidis & pectoralibus calidis ac aromatibus conditis. Potus sit vi-num generosum dulce vel mulsium. Inter bellaria utiles sunt pineæ & pistacia. Si ab intemperie sicca sit tussis, humectante diatra utendum, butyro, oleo amygd. dulc. cum sac-charo, malva, borrag. Galenus, 7, de loc. affect. cap. 3. commendat aquæ dulcis tepidæ balneum, scribit-que, se tragædos, guttur & asperam arteriam cantu & vocis intentione resiccata habentes, hoc modo hu-mectasse & curasse. In catarrho ci-bi sint dulces, lenientes, & pectus dilatantes; vitentur omnia amara, acra, salsa acida, acerba. In causâ calida convenit prisana hordea-cea, malva, emulsio amygdal. dulc. & sem. 4. frigid. major. Lac capri-num & vaccinum, si febris absit. Potus sit aqua saccharata. In fri-gida causâ utatur æger calidis vel temperatis. Panis sit bene fermentatus, & semine fœniculi ac anisi con-ditus, Potus sit hydromel. Æger temperanter vivat, viter somnum, mox à cibo, & diurnum.

QUESTIO I.

An tussis sit solum ab angustia tracheæ arteriæ, & ejus ramorum?

Plures esse tussis causas, ex superioribus patet, Veruntamen in eo omnes

An tussis sit solum ab angustia

*tracheæ ar-
teris Cæcus
tumorum?*

omnes conveniunt, quod aliquam-
pulmonibus molestim creant.

Verum quo modo, non omnes idem sentiunt, Nonnulli quidem omnes illas causas tussim excitare statuunt, quod angustiam aliquam in asperis arteriis pulmonum creant. Verum si causas, quas supra proposuimus, consideremus, manifestum evadet, non solum angustiam pulmonum, sed etiam dolorem aliquem & molestiam sensum in organis respirationis tussim parere, quo modo partes membranosa vicinæ affectæ, ob consensum, quem habent cum membrana asperam arteriam intus investiente, tussim excitare solent. Cum enim membrana hæc sit exquisitissimo sensu prædita, si vicina aliqua membrana distendatur, vellicetur vel quocunque modo molestè afficiatur, membrana hæc in consensum tracta & ipsa objectum ingratum & dolorificum percipiens, illud excutere nititur, tussimque excitat. Arque id manifestè in tussi ab inemperie nuda patet, ubi nulla angustia adest, sed sensus saltem molestus in aspera arteria. Idem etiam ex eo manifestum fit, quod, ut supra dictum, stylus purgatorius auri profundius immissus tussim siccam excitat, non angustiam pariendo, sed saltem ob membranam communem asperam arteriam irritando. Idem etiam clarum evadit ex similitudine, quam habet tussis cum sternutatione & singultu, quæ symptomata excitantur

solummodò vellicando & molestiam pariendo partibus. Idque Galenus etiam multis in locis docet, ut, 2 de sympt. causis. cap. 4. de differ. morbo. c. 7. Et præcipue 2. de simpl. med. facult. cap. 16. ubi tussim excitare posse docet omne, quod asperæ arteriæ molestum est.

QUÆSTIO II.

An aliquid in pulmonem ex ore delabatur?

Solet & hoc loco hæc controversia moveri, an aliquid ex ore in asperam arteriam illabatur? Nam negare id videtur Hippocrates, 4. de morb. & Galenus, 4. de usu partium cap. 8. ubi docet, ne aliqua substantia præter aërem in tracheam ingrediat, laryngis caput & rimulam epiglottide seu operculo quodam tegi, ut sit obturatum, sed non omnino aëri saltem viam concedens, ab ingredienti c. bi potiusque pondere depressum lingua ipsa magis conclusum esculentæ potulentæque substantiæ aditum non præbeat. Hinc etiam si mica panis vel potus portunculæ inter mandendum vel loquendum bibendumve ad arteriam asperam deferatur, tussis continua excitatur, donec excutitur.

Contrà verò in pulmones aliquid influere, ipsa experientia docere videtur. Testatur enim Hippocrates, in libell.

*An aliquid
in pulmo-
nem ex ore
delabatur?*

in libell. de corde, si quis sui vel alteri peccati aquam cœruleo colore tinctam sitienti bibendam dederit, deinde statim laryngem ejus secuerit, colore eò infectum guttur inventurum esse. Quod idem Galenus, 8. de plac. in fine, docet. Et videtur antiqua hæc fuisse sententia; unde illud Alcæi: τάρχε ἀνδρῶνας ὄνω τὸ γὰρ ἀσέγγυ ἐπιτέλλεται. Riga pulmones vino: nam canicula aërum exoritur. Deinde nisi aliquid in pulmonem descenderet, frustra eclegmata, sirupi, trochisci & rotula sublinguales à Medicis in thoracis affectibus præscriberentur. Tandem videmus sæpe multa excrementa in pulmonibus subsistere, quæ tamen ut & interdum magna sanguinis copia, sine suffocationis periculo per asperam arteriam rejiciuntur.

Verùm sciendum, etsi rimula laryngis epiglottide claudatur, quia tamen non exactè clauditur aut non nihil laxatur; ubi ea, quæ utilia sunt, admitti debent, impossibile non esse, portionem aliquam potus & medicamentorum in eam fluere, quod si sensim & lentè fiat, etiam tussim non excitat. Neque enim respirationis viæ tum angustiores redduntur, ut docet Galenus, 8. de plac. Hippocr. & Plat. in fine, & 2. de simpl. med. fac. c. 17. Si quid vetò in ipsam cavitationem, & quidem conferatim irruat, tussim, & si magnum sit, etiam suffocationis periculum tum maximè suboritur, cum laryngis rimula occluditur. Ubi verò res asperæ arteriæ cavitationem illapsa

est, non ita suffocationis periculum timendum; cum canalis ille satis amplius sit; tussis tamen inde excitatur. Et, ut modò dictum, si calculi, si pituita crassa, si pus, si sanguis, & quidem sæpe magnâ copiâ, è pulmone per asperam arteriam rejici potest sine suffocatione: etiam sine ejusdem periculo aliquid in illam labi potest. Notabilis hujus-rei historia est cujus etiam suprâ, c. 3. hujus partiæ, facta mentio. Anno 1620. vir quidam doctus, cum cerasa arbore decepta in horto comederet, atque subito strangulationis & suffocationis periculum cum maxima tussi conjiceretur, nucleum cerasi in guttur illapsum, & tussis & strangulationis causam esse existimans, chirurgum, qui illum eximeret, accersivit; verum, cum chirurgus nullum nucleum deprehenderet, & suffocationis periculum cessaret, tussis verò nihilominus perseveraret, in eam opionionem venit, nucleum nullum in guttur illapsum fuisse, sed hoc symptomâ ex catarrho subito & vehementi provenisse. Deambulaverat verò in horto tempestate pluviosa, & aliàs catarrhis valde obnoxius erat. Duravit ista tussis per tres septimanas, & per intervalla quædam ægrum valdè afflixit, quo tempore etiam dolorem quendam gravativum in dextra thoracis parte deprehendebat. Tandem cum noctu vehementer integram horam tussivisset, nucleum illum pituitæ crassæ adhærescentem tussi rejecit, atque ita tussis libera est.

*Convulsio
diaphrag-
matis.*

*Convulsio diaphrag-
matis.*

Ad motus depravatos organo-
rum respirationis pertinet & con-
vulsio diaphragmatis, quæ ploranti-
bus infantibus accidere solet, cum,
scilicet ex nimio animi affectu spiri-
tus in lachrymando eò effunduntur,
& cum spiritibus aliquid materiæ,
quæ nervos ad diaphragma tenden-
tes irritat. Verùm cum causâ illa
evidenti sublata sponte hoc sympto-
ma cessare solet, de eo nihil ampli-
us hic addimus.

CAPUT VI.

De Dolore Pectoris.

DE pleuritide equidem, quæ
membranz costas succingentis
inflammatio est, doloremque insi-
gnem cõjunctum habet, diximus su-
pra. Verum cum alii adhuc dolo-
res pectoris denunt, de iis in genere,
hoc loco agendum, qui tamen in ge-
nere sæpe pleuritidis nomine veni-
unt. Cum enim membrana costas
succingens densissima sit, & exquisi-
to sensu prædita, non solum ipsa
priusario afficitur, verum etiam cum
vicinorum musculorum membra-
næ vellicantur & afficiuntur, ipsa fa-
cile in consensum trahitur, & inde
dolor excitatur; imò membranise-
tiam musculorum externorum affe-
ctis dolor sortitur, unde pleuritidis
vocabulum hoc modo & in genere
pro omni dolore lateris accipitur, &

pleuritis alia vera, alia notha est.
Pleuritis vera ex inflammatione
membranz costas succingentis ori-
tur, de qua supra diximus: Notha
verò varias causas habet.

Primo excitatur cum sanguis per
ramos venæ axillaris in externa tho-
racis spatia, & in externos musculos
thoracis illabatur; quæ tamen in-
flammatio ob continuitatem pro-
paginum venarum externarum &
internarum sæpe in veram pleuriti-
dem permutatur.

Secundò, dum materia à capite per
cervicem & homoplatas in muscu-
los externos laterum decumbit.

Tertiò, cum spiritus flatulentus
membranas costarum & musculo-
rum thoracis distendit. Atque ac-
cidit hoc facilius, si vociferatione &
labore, tussi, vel aliis motibus mus-
culi pectoris distendantur, ac flatus
eò commoveantur, & si pectus re-
frigeretur. Unde sæpe contingit,
ut si pectus post validos motus de-
nudetur, & frigori exponatur, subitò
rales dolores excitentur, qui quiete
& calore mitigantur.

Quartò, quando membranz pecto-
ris in morbis epatis & lienis median-
te diaphragmate deorsum cum do-
lore trahuntur. Aetius, *terab. 2 s. 4. c.*
ult. affectionis cujusdam meminit,
quæ pleuritis non sit, specie tamen
pleuritidis fallat, quæ ex victu crudo
& crasso oriatur, cum cumulus in
corpore humor crudus & lentus
subitò in vacuum thoracis spatium,
aut in pulmonem ruat, membranisque
adhærens dolorem distendendo in

*Pleuritis
duplex.*

*Pleuritis
notha.*

ferat cum magna spirandi difficultate. Verum credibilius est, in musculorum membranas humores tales, & præcipue serosos & acres effundi, quam in ipsam cavitationem thoracis. Sæpe enim accidere solet, ut serosi, interdum etiam maligni humores ex venis in externos lateris musculos effundantur, & gravissimos sæpe dolores, non tamen diuturnos efficiant, & quidem sine inflammatione. Ita memini infantes aliquot gravissimos dolores in pectore perpeffos esse, antequam morbilli erumperent, qui morbillis erumpentibus postea cessarunt. Aliquoties etiam observavi, ex scabie intempestive curata pectoris dolores & nothas pleuritides ex salis & serosis humoribus sine inflammatione excitatas fuisse, sed qui non fuerunt diuturni. Idem accidit sæpe in febribus malignis, ut & in scorbuto. Nec solum humores, sed & vapores hos dolores excitant, uti à vermibus putrescentibus elevati.

Verum, quod diligenter notandum, dolores pectoris imprimis in scorbuticis & hypochondriacis familiares sunt, qui non solum ex humoribus & flatibus per venas, sed & per arterias transmissi ortum habent, & maxima sæpe fluxionum pars in corpore nostro per arterias perficitur. Cum enim lien quinto plures arterias, quam venas habeat, si in eo, & circa eum, vitiosi humores cumulentur, fieri non potest, quin in arterias maximam partem deriventur. Cum vero arteria à natura potens sit, à vi-

tiosa materia lacescitur, ad expellendum facile surgit, & ut eam ad pectus detrudat, facilis via est per arterias intercostales. Hæ enim à trunco arteriæ magnæ descendente oriuntur, & per costarum spatia excurrunt, & cum in membranosa & nervosa loca desinant, imò propagines quasdam per foramina nervorum ad spinalem medullam & ad musculos dorsi vertebris incumbentes restantium transmittant, facile dolores gravissimos in pectore, flatu & vapores per arterias eò transmissos excitare per se manifestum est.

Signa diagnostica.

Dolor ipse pectoris per se notus *Signa.* est, & ex ægrorum querelis patet. Cum vero dolores pectoris à variis causis ortum habere possint, signis ea discernendæ sunt. Quæ pleuritidis veræ signa sint, supra, de pleuritide, dictum. Reliqui vero dolores pectoris & nothæ pleuritides à verâ non difficulter discernuntur.

Nam in verâ pleuritide signa omnia pathognomonica, quæ supra recensuimus, adesse necesse est, quorum si unum absit, ea pleuritis notha est, non verâ. Deinde in nothâ pleuritide signa omnia, quæ ad sunt, sunt ferè mitiora. In nothâ enim pleuritide febris vel nulla ad est, vel mitior ad est. Respiratio e- quidem, si dolor sit vehementior, parva est & frequens; cum per validam respirationem dolor irritetur:

non

non tamen tam parva & frequens est, ut in vera pleuritide. Tussis nulla adest, nisi forsitan aliquid à capite desillat: & nihil cruenti, præfertim tussis, æternitur. Pulsus neque tensionem habet, neque duritiem; dolor neque ad jugulum, neque ad hypochondria sese extendit. Locus manu pressus dolet, inflammatis intercostalibus musculis externis, vel musculis costis incumbentibus. Nonnunquam & tumor apparet, qui suppuratus per cutem erumpit, teste Galeno, 5. de loc. aff. c. 3. Si à flatu dolor est, vagus est, neque perpetuus, sed per intervalla recurrens.

Si à catharro dolor est, in cervice & scapulis primùm percipitur, postea in latus descendit, ubi tactu exacerbatur, & versus inferiora descendit, nec in uno loco subsistit. Dolores ab humore fetoso plerumque paulò acutiores sunt, sed febris fetè abest, suntque vagi, & scabies, vel similes morbi præcesserunt vel ad sunt. Si à maligna materia est dolor, febris malignæ signa adsunt, si à scorbutico, & ejus signa aderunt.

Prognosticum.

Prognosticum.

Quid in vera pleuritide præfigendum sit, supra de pleuritide, dictum est. Reliqui dolores pectoris minus periculosi sunt, & faciliùs curantur.

Curatio.

Curatio.

Et quidem ut aliarum partium dolores commodissimè curantur caus-

sà sublata; ita & pectoris dolores. Verùm quia nullum symptoma est, quod plus agrum afficit, quam dolor, in omni etiam pectoris dolore, si vis vehemens sit, danda opera, ut dolor mitigetur, quod præstant Anodyna. Hinc Hippocrates, 2. de rat. vitæ. in acut. in pleuritide fomentis statim in initio unitur, aqua nimirum tepida, aut sale & nilio torrefactis & sacculo conclusis. Hodie plura alia adhuc in usu sunt; ut:

℞. Fol. malvæ,
parietar.
branc. urs. an. M. j.
sem. lini.
sanigr. aua Drach. ij.
flor. chamæm.
sambuc. an. P. j.
Coquantur in aqua.

Colatura calida vel spongia, vel linteolo triplicato lateri dolenti applicetur.

Vulgatam est hodie decoctum florum chamæmeli cum lacte in vesica pectori applicatum.

Vel ℞. Parietariam, coq in oleo chamæmelino, & loco dolenti applicetur, quod efficacissimum est remedium. Utilis est & lacculus fursure plenus, si in decocto florum chamæmeli prius ebullierit.

Et omnino dolorem sedare utile. Nam dolore sedato non tantus fluxus humorum, affluxus; cum dolor fluxioni occasionem præbeat, ut Galenus, 13. meth. med. c. 3. docet. Idemque; ubi vel pleuritis est parva, aut etiam si sit paulò major, si corpus sit purum,

& externa potius caussa morbo originem dederit, vel si signum aliquod deficiat, Medicumque dubium reddat, an sit vera pleuritis, an verò febris aliqua, cui dolor pectoris ex humore seroso & acri, vel flatu conjungatur, fomentis statim uti licet.

Quibus de caussis Hippocrates procul dubio, loco allegato, fomentis uti præcepit, & re ipsa tentavit, 3. epid. f. 2. in historia Anxionis, quod & Galenus, *ibidem*, confirmat. Nam ut solùm exploraret fomentis, an dolor fuerit à flatu, non est credibile. Nam dolorè pectoris à flatu provenire, ex febris absentia, pulsû & exsiccatione nulla agnoscere non difficile est. Si verò certum sit, pleuritidem esse veram, ægrique corpus sanguine abundare, aut viciosis humoribus refertum esse, ante venæ sectionem & purgationem fomenta tutò non adhibentur. Nam, ut Galenus; 6. aphor. 31. docet, fomenta quidem dolorem leniunt non nihil, aliam tamen fluxionem excitant.

Quod verò caussas doloris pectoris attinet, dolor, qui à vera pleuritide venit, qua ratione curandus sit etiam supra dictum.

Si verò pleuritis sit notha ab inflammatione in musculis intercostalibus externis, aut iis etiam, qui costis incumbunt, vena primò etiam secatur, si cætera consentiunt. Postea fots fiat ex violaria, parietaria, malva, flor. chamæmel. mèlilot. summit. anethi, rosæ rubris. Veluturpetur tale Unguentum:

℞. Pingv. gallin.

butyri recent. ana Unc. j.
pulv. chamamel. Drach. j.
ol. rosar. amygdal. dulc. Unc. ℞.
cera q. l. M.

Vel ℞. Ol amygd. dulc.
violar.

lilior. albor. an. Unc. ij.

butyri rec. Unc. j.

pingued. gallina Drach. vi.

cera nova q. l.

F. Unguentum.

Interdum inflammatio in cutem erumpit, teste Galeno, 5. de loc. aff. cap. 7. in fine, ubi danda opera, ut tumor suppuretur; & suppuratio adjuvanda emplastro diachylo f. & aliis convenientibus medicamentis, & nisi tumor spontè rumpatur, aperendus est.

Qui ex destillatione è capite per cervicem in pectus dolor ortum habet, is catarrho sublato tollitur.

A flatu frigido & crasso si sit dolor, venæ sectio omnittatur, ne materia crudior, dolorque major reddatur, si signa simul plethoræ adsint. Fomentis verò ille discutitur è floribus chamæmeli, fol. rutæ, semin. cumini.

℞. Flor chamæmel.

sambuc. ana p. j.

summ. anethi una cum semine
an. Unc. ℞.

sem. feniculi,
cumin.

rutæ ana Drach. j.

℞. F. Saccus intersutus, qui vino irroretur.

Efficaciora sunt calamintha, pulegium, thymus, rosmarinus, folia lauri,

lauri, faniculæ, alchymilla, bace juniperi, sem. nigellæ.

Extenuatis ita flatibus, tempestivum erit, quatuor aut sex digitis sub loco dolente cucurbitulam magnam sine scarificatione ac cum multa flamma bis aut ter affigere, ut extractus spiritus flatulentus dissipetur.

Interim universalia præsidia non omittenda. In dolore ab humore seroso & præcipue maligno ea, quæ supra à proprietate pleuritidi prodesse diximus, hic locum habent, ut sem. card. Mariæ, card. bened. oculi cancri, aqua cardui Mariæ, card. bened. aqua & sirupus papaveris erratici.

CAPUT VII.

De Sputo Sanguinis.

ATque hæc sunt symptomata actionum læsarum, quæ organis respirationis accidunt. Symptomata in excretis quod attinet, inter ea primum est Sputum Sanguinis. Et verò in genere sputum sanguinis, Græcis αἰμώωπις, omnem sanguinis per os rejectionem significat, etque ita eam etiam, quæ sanguis à capite, gingivis, palato, & faucibus, œsophago, ventriculo, liene & locis vicinis per os rejiciatur: tamen proprie αἰμώωπις seu sanguinis sputum, de quo hic agimus, est sanguinis cum tussi, ex partibus respirationi dicatis, rejectio. Et quanquam etiam, quæ in pleuritide, & peripneumonia sit sanguinis rejectio hoc nomine appella-

ri possit: tamen in specie ea solum sanguinis cum tussi rejectio, quæ citra harum partium inflammationem accidit, sanguinis sputum seu αἰμώωπις appellari solet. Est nimirum sputum cruentum symptoma è genere excretorum, quæ toto genere sunt præter naturam, è pulmone & vasiscus. Quanquam enim naturaliter in sæminis, tum viris sanguis per hæmorrhoidas evacuari solet: tamen naturaliter è pulmone evacuari non solet.

Causæ.

Cum sanguis præter naturam rejici non possit, nisi vas aliquod præter naturam patefiat, hic etiam nisi vas aliquod in pectore aperiatur, sanguinis sputum excitari non potest. Morbi autem, ob quos vasa aperiuntur, sunt ἀνασφουσις & διασφουσις, & quidem πρῆξις. ruptio præcipue, ad quam etiam referri potest contusio, ut & vulneratio seu incisio venarum. Διασφουσις enim, erosionem, seu exesionem ab humoribus acris quod attinet, à Platero, *tomo. 3. prælib. 2. cap. 8.* hæc non recipitur. Nam cum exesis pulmonum vas & pulmonum substantia simul erodatur, sensimque hoc fiat, moxq; ulcus inde sordidum potius, quàm sanguine madens prodeat, phthisis, potius, quàm hæmoptoica passio exoritur: cui tamen, uti in aliis ulceribus, sanguinem interdum, cum impelluntur, exsulantibus, cruenta exspuitio aliquando jungi potest. Διαπρηνσις, verò vix sputum sanguinis inducit.

Causæ.

Sputum sanguinis.

Hi autem morbi à quibus causis oriuntur, supra, hoc libro, parte 2. c. 6. de apertura vasorum pulmonis, dictum, ut ea hic repetere opus non sit.

Hoc saltem hic addimus, non semper pulmonibus primario affectis, sed sæpe secundario quasi, sputum sanguinis excitari, sicut idem sanguis & per vomitum hoc modo rejicitur, transmissus scilicet ab epate, & vena cava, à liene, ab hæmorrhoidibus, utero, per nares effluere consuetus, ut ex Galeno, de vena scilicet. advers. Erasistratum cap. 5. & 6. Artzō, lib. 2. de causis & sign. acut. morb. cap. 2. Cello, lib. 4. cap. 4. Avicenna, lib. 3. fen. 10. tr. 3. cap. 5. Aetio, tetrabib. 2. ferm. 4. c. 59. videre est, & ipsa experientia testatur. Et quidem observatum est, interdum per intervalla quædam sanguinem è pectore quasi criticè sine omni incommodo rejici, & à retentorum menstruorum malis, atque aliis, quæ ex sanguinis copia proveniunt, incommodis liberare. Ita refert Plinius, lib. 11. cap. 38. Volusium Saturninum omnibus annis stato tempore sanguinem expuisse, & nihilominus ad annum 90. vixisse. Et novi virum nobilem plethoricum in vicino Anhalidatu, qui per intervalla sæpe è pulmone sanguinem copiosum sine omni incommodo rejiciebat, in senectute verò per eandem viam quotidie magnam pituitæ copiam sine omni damno rejiciebat, qui nihilominus ad summam senectutem pervenit.

Differentia.

Differentia sputi sanguinis sunt Differentia.

1. Ab excreto. Potest is sanguis esse sincerus, vel cum aliis humoribus mixtus; isque putridus, vel non, alioque colore, sapore, consistentia, præditus, copiosior vel paucior.

2. A parte, unde prodit, à vena scilicet vel arteria, eaque vel pulmonis vel pectoris, ut vulgò docetur. Quod tamen à venarum in convexo pectoris reserationibus aut lationibus sputum sanguinis oriri possit, Cl. Plateus, loco allegato, non concedit, sed sanguinem illic subsistentem corrumpi, & vel phthisin, vel empyema tandem inducere scribit. Quia de re quid sentiendum sit, supra, de inflammatione pleuræ, dictum.

3. à Causa efficiente, quæ est vasorum vel anastomosis, vel diarexis,

Signa diagnostica.

Signa sputi sanguinis etiam supra, Signa. part. 2. cap. 6 sunt proposita. Hoc loco ergo saltem explicanda restant, quibus sanguinis ex aliis partibus effusi per os rejectio, ab è thorace aut pulmone exeuntis sputo distinguitur, ne in prognostico vel curatione fallatur Medicus. Principio ergo modus rejectionis attendendus, an scilicet cum tussi, vel sine tussi rejiciatur; præterea ejus copia consideranda. Est enim sanguis, qui à thorace prodit, omnis tussi rejicitur?

tur; tamen non omnis, qui cum tussi rejicitur, è pectore prodit. Nam si sanguis confertim è capite, & naribus in fauces & gutturis partes dilabatur, etiam tussim excitat. Ideoque si sanguis paucus cum tussi rejiciatur, signum quidem est, à thorace provenire. Si verò multus cum tussi rejiciatur, cum tum æquè à capite & thorace provenire possit, signis id discernendum est, quæ sanguinem è capite floentem indicant; quæ sunt, si sanguis simul è naribus fluat, vel nuper fluxerit, si ægro hæmorrhagia narium consue- ta sit, eaque jam suppressa, si ex ore & naribus simul sanguis rejiciatur, (dum modò & alia signa adsint. Nam aliquando & sanguis è pulmonibus erumpens ascendit in fauces & per os ac nares rejicitur) si rubor, calor & dolor capitis adsit, si tussis in principio sit vehementior, dum scilicet sanguis per asperæ arteriæ caput transit, quam dum aliquid confluit. Si sanguis sit nigrior, crassior & copiosior, ac qui primò excernitur, spumâ omni careat, reliquus verò parum spumosus sit, qui scilicet arteriam ingressus nigrescit, & egressus agitatur; si adsit palati titillatio; si sanguinis sputum percipitur ante tussim, si crebra adest sputio, & omnino thoracis affecti signa absunt.

Si verò hæc signa absint; aut post casum, percussionem, clamorem, magnum, tussim vehementem, similesque causas, sputum sanguinis sequatur, è pectore provenire in-

dicio est. Si verò sine tussi sanguis vomitu vel screatu solo rejiciatur, certum est eum à thorace non provenire, à quocunque etiam loco prodeat; quod definire hujus loci non est. Videatur Galenus, 4. *de loc. affect. cap. 5.*

Porro si à partibus respirationi dicatis rejiciatur tussi sanguis, duo amplius inquirenda sunt; 1. à quâ parte determinata sanguis proveniat; cum partes respirationi dicatæ sint plures. 2. à qua causa.

Ergo si levissima tussi & screatu potius quàm tussi, sanguis rejiciatur, isque paucus, & parum spumosus, & cum obscuro aliquo doloris sensu, ab aspera arteria prodire indicio est. Si v. majori cum tussi, majore quantitate & cum majore spumæ copia sanguis rejiciatur, à pulmone provenire argumentò est, cum aliter in asperam arteriam è substantia pulmonis provenire non possit. De qua Hippocrates, 5. *aph. 13. Quicumque spumosum sanguinem expuunt, is è pulmone eductio.* Quanquam verò ex aliis partibus sanguis profluens ex viscidæ & aereæ substantiæ permixtione spumosus fieri possit: tamè ex toto spumosum esse, solius sanguinis, qui ex pulmone provenit, proprium est. Et quidem cum plurimum spumat, è pulmonis bronchiis erumpit: cum verò totus fere spuma est, secundum partes internas & externas, non tantum in superficie spumas habens, è pulmonis substantia provenit. Qui verò è pectore sanguis rejicitur, lividus est ac nigricans ac multum alteratus

alteratus; cum à loco longinquo ^{pro}veniat, & extra vasa diutius immoratus sit. Dolor etiam in aliqua parte thoracis percipitur. Contrà sanguis, qui è pulmone exit, est tenuis, floridus, spumofus, ut dictum, & citò rejicitur, ac sine dolore. Qui è membranis exit, paucus est, sputo permixtus, & cum tussi molesta, ac dolore pectoris.

Causarum verò signa quod attinet, dictum est de iis supra, p. 2. c. 6. Videatur etiam Galenus, 4. de loc. affect. c. 5. Aretæus, l. 2. de causis, & sign. acut. morb. c. 2.

Hoc saltem addendum, diligenter inquirendum esse, num privato pulmonis vitio sanguis rejiciatur, an verò aliunde, ab epate scilicet, liene, vel quòd consueta aliqua sanguinis per uterum, hæmorrhoides, hæmorrhagiam narium, evacuatio suppressa sit, & is ad pulmones transmittatur. Neque enim ea, quæ hætenus proposita sunt, & ab Autoribus proponi solent, id satis determinant. Nullum autem hic habetur signum pathognomonicum, sed σοχασμῶν artificioso opus est, exercitatumque id Medicum requirit, qui ex antea observatis id colligere possit, & præcipuè per negationem & remotionem aliorum. Si enim signa & indicia, quæ pectus primario affici indicant, abfuerint vel omnia, vel multa, atque alterius partis in corpore affectæ, quas modò enumeravimus, signa adsint, probabile est, sanguinem, qui sputo rejicitur, non ob privatam pulmonis vitium rejici,

sed aliunde ad pulmonem transmitti. Quod magis confirmatur, si, antequam sanguis erumpere incipiat, dolor aliqua in parte in ventre inferiore, circa epat scilicet, lienem, uterum, vel alibi percipiatur.

Addendum tamen & hoc, si ab aliis partibus sanguis ad pulmones mittatur, non solum per pulmonem eum rejici, sed observatum est, sputum & vomitum sanguinis uno tempore accidisse, naturà superfluum sanguinem partim ad pulmones, partim ad ventriculum propellente.

Prognostica.

1. Ut sanguis ex quacunque parte profusus mortem afferre: ita etiam si è pectore multus effundatur, hominem interimere potest. Si tamen sedetur sputum sanguinis, sæpe in tabem transit.

2. Etsi verò omne sanguinis sputum periculo planè non vacat: tamen aliud alio periculosius est. Primò quidem ratione causæ, de quo supra, loco modo allegato, prognost. 1. 2. 3. 4. dictum.

3. Deinde loci affecti ratione. Nam sputum sanguinis, quod ex pectore provenit, minus periculosum est, quam quod ex pulmone. Et ex pectore sanguinis rejectio triplex beneficium habet præ ea, quæ sit in pulmone, 1. quia vasa pectoris minora sunt. 2. sanies in spatium & cavitatem pectoris effunditur. 3. quia pectus magis carnosum est, quam pulmo; ideoque ulcera pectoris faciliùs carne replentur.

4. Sanguis

4. Sanguinis sputum principale magis periculosum est, quam non principale, quale est in pleuritide; quia non principale rupturam apostematis significat, ac pus evacuari denotat.

5. Sanguinis è pulmone rejectio, quæ intra tres dies non curatur, superveniente phlegmone, incurabilis redditur, Galenus, 5. *meth. med. cap. 13. & 14.*

6. A sanguinis sputo puris sputum malum, 7. *aphor. 15* quod scilicet ab inflammato & eroso pulmone provenit. Id enim raro aut nunquam curatur; cum phthisis inde, & tandem mors sequatur, teste Hippocrate, *ibid. aph. 16.*

Indicationes.

Indicationes.

In sputo sanguinis indicatio præcipua est, sanguinem sistere; quod fit, si sanguis ad partem non confluat, vel vas, è quo sanguis erumpit, claudatur, vel utrumque præstetur. Ideoque si vitium sit à causa interna, ea tollenda; sanguis nimium copiosus, & ad partem affluens, revellendus; calidus & acris refrigerandus & mitigandus; humores biliosi & acres evacuandi; ipsum, verò vas, è quo fluit sanguis, occludendum. Et quidem si ab anastomosi sit sputum, vas obturandum, & adstringendum. Si verò vas sit ruptum, urire atque agglutinare oportet. Sin erosum, sarcoticis simul opus est, quod deperditum regeneretur. Si à *Μεμνησθησ* provenit, desiccare, & incrassare convenit,

L. II.

Concretus etiam sanguis in pulmone, si quis adsit, dissolvendus & detegendus.

Curatio.

Ideoque ad duo omnis curatio hic dirigenda, ut sanguis fluens sistatur, & vas, quod sanguinem effundit, occludatur. Quæ quomodo præstanda sint, supra, *loco allegato. de apert. vasor. pulmon.* explicatum, quæ hic non repetimus. Pauca saltem addemus.

Curatio

Et primò quidem generales quasdam regulas in sputo sanguinis curando observandas.

1. Revulsio sanguinis fluentis fit per phlebotomiam, frictions, ligaturas, & cucurbitulas. Et quidem, venæ sectio plerumque fit in brachio; quandoque tamen in talo, in mensium suppressione, de quo infra, *in questione*, dicitur.

2. Mala sanguinis qualitas corrigatur & temperetur. Si tamen ab acri sanguine & bilioso humore referto sit vasis erosio vel aperitio, purgandus est ab initio statim biliosus humor, ne dum eum alterare & temperare studemus, malum augeat & gravius reddat. Purgantia tamen non sint calida & fortia, ne acrimoniam humorum augeant, eosq; valde commoveant. Quæ de causa aloë & scammonium non usurpanda.

3. Inflammatio in ea parte, ubi sanguis exit, omni ingenio prohibeatur.

4. Crumi sanguinis dissolvantur.

ccc

tur.

tur. Ad quod etsi acetum utile sit; solo tamen & sincero eo non utendum; cum partes exasperet, tussimq; excitet, & fluxionem augeat. Ideoq; vel melle aut saccharo dulcorandum, vel aliis diluendum.

5. Vitentur, quæ listunt, aut nimium adstringunt, ante avertentium usum. Nam sanguinem intro in pulmones impellunt, unde ejus putrefactio pulmonisque ulcera sequuntur. Ideoque remedia ex adstringentibus & agglutinantibus mixta sint, ita quidem, ut in aperto per anastomosis vase adstringentia, in rupto glutinantia, & citra mordacitatem siccantia superent.

6. Topica frigida valde esse non debent. Frigida enim non solum pectori inimica sunt, sed & sanguinem intro pellunt, atque fluxionem augent.

Opiata.

Deinde hoc monendum, si reliqua, quæ loco allegato, proposita sunt, medicamenta ad sanguinem sistendum non sufficiant, ad opiata accedendum, & Philonium Romanum, requies Nicolai, pilul de cynoglossis, aut laudanum opiatum exhibendum; cum aqua portulacæ vel plantaginis aut horum sirupis; quorum usu sanguis ad motum torpidior redditur, somnusque concitatur, ne perpetua tussis pulmones vehementes concutiantur. Galenus prima mox die medicamentum dia spermatum dictum ante somnum exhibuit, aut theriacam recentem quatuor mensium. Referrî huc potest aqua contra sputum sanguinis Dorncrei-

lii, in dispens. quæ non tantum sanguinem, qui in pulmones, aut in capacitatem thoracis se effudit, sistere, sed etiam jam effusum & concretum tutò dissolvere, & blandè ac leniter expurgare perhibetur, si Unc. iij. dosi cum sirup. de symphyto Fernelii vel sir. myrtin compositi Uuc. ʒ. sumatur. Est autem talis.

Rz. Rad. symphyt. majoris Unc. ij.
 plantaginis, Drach. ij.
 tormentille, Drach. vj.
 pimpinellæ, Drach. j.
 herb. bursæ pastoris,
 prunellæ,
 polygoni,
 consolida mediæ,
 sanicula cum radicib. ana
 M. ʒʒ,

flor. rosar. rubr. M. j.

trochisc. de terra sigillata Drach. j.

Pulverisanda pulveriscentur subtilissimè: herbæ verò & flores minutim incidantur & contundantur ac iufundantur in

aqua symphyti major.

plantag.

bursæ pastor. ana ʒʒ.

pectoral frigid. lib. ʒʒ.

scabios.

marrub. ana ʒʒ.

oxymellis compos. Unc. iij.

Misce & stent in infusione in loco calido per octiduum, vase quotiè aliquoties moto; deinde destillentur in alembico virreo per M. B. igne lentissimo.

Possent fortasse & ea hîc usurpari, quæ occulta proprietate sanguinem

nem

nem sistere dicuntur, quæ suprà *lib. 1. part. 3. sect. 4. c. 8.* de hæmorrhagia narium proposuimus, & inter ea radix nigellæ, de qua in Practica Kentmanni M. S. hoc habetur :

R. Rad. nigellæ, & si quis habet fluxum sanguinis narium, da ei ad masticandum, & postquam masticaverit, impone naribus, restinguit sanguinem; hoc similiter facere poteris in vulnere, sed magis appropriatum naso.

Historiam curatæ à se mulieris nobilis habet Galenus, *5. meth. med. c. 13.* quæ ex catarrho & hinc sequenti rursi vehementi sanguinis sputo laborare cæperat, proculdubio ob catarrhum & tussim vehementem, vase rupto: quæ exemplum nobis præbere potest curandi sputum sanguinis ex catarrho simplici sine pulmonum erosione. Mulieris hujus, cum statim prima die Galenum consuluisse, capiti, post usum clysteris a cris, frictionum & vinculorum. applicavit medicamentum calidum è stercore columbino. Post horas tres medicamento illo amoto ægram in balneum deduxit, quia cum illa jam prius per inediam evacuata esset, timendum non erat de fluxione nova concitanda, & caput balneo incalescens ipsum quoque à pectore revellebat. Postea fructum autumnalem austerum dedit, post, sorbitionem, quæ cibata fuit. Tandem dormituræ theriacam quatuor mensium exhibuit, ut fluxura per noctem ad pectus materia interciperetur & alteretur. Sequentibus die-

bus eadem penè administravit, nisi quod tertia die mel coctum exhibuit, quo materia in pulmone ad expectorationem seorsim præpararetur, & pro sorbitione cremorem ptisanæ concessit. Quarto die, cæteris non mutatis, theriacam vigentis ætatis dedit, cum fluxio jam cessasset. Quinto autem die, postquam ægram præcedenti tempore in quiete tenuisset, pectus per tussim expurgare cœpit, dehinc rursum capiti emplastrum calefaciens & siccans apposuit, ut materia catarrhi planè exhaustiretur.

Meminit, *ibidem*, adolescentis, qui non è catarrho ex capite, sed ex refrigeratis spiritus instrumentis tussicam sanguinis rejectione laboravit. Ei primo mox die sanguinem, misit, eum fricari & ligari iussit, medicamentum diaspermaton ad vesperam exhibuit, & pro cibo sorbitionem. Secundo die iterum bis sanguinem detraxit, ceratum è thapsia, pectori toti admovit, vesperi id auferens, diaspermaton quoque & sorbitionem dedit. Tertio die, postquam ceratum è thapsia per tres horas apposuisset, hominem lavit, cremore ptisanæ ac pleniore aliquo cibo nutrit, sed vesperi diaspermaton dedit. Quarto denique die instrumentis respirationis ad temperiem iterum redactis, & vacuato toto corpore pectus tussi expurgare aggressus est: theriacam exhibuit vigentis ætatis, & ægram tandem ad Tabias, prohibendo ibi lacte, misit Vide Galenum, *5. meth. med. cap. 12.*

Diata.

Diata.

Diata ratio etiam supra exposita est, hoc saltem addimus. Caelius Aurelianus & Autor libri de subfiguratione, empirica & alii prohibent aspectum rerum rubrarum, ne, imaginatione commota, sanguinis fluxus concitetur. Neque enim de nihilo est, imaginationem & spiritus ab aspectu rerum externarum moveri. Nimirum & tenebrae & color niger timorem incutit, ac tristitiam excitat; contra color albus & lucidus exhilarat; unde etiam colorubeus, cujus natura in fulgore quodam consistit, spiritus non parum commoveret, notumque est, elephantos, tauros, gallos Indicos rerum rubrarum aspectu ad iram concitari. Animi pathemata, praesertim ira, qua sanguinem & spiritus commoveret, studiosè vitentur.

QUESTIO.

An in Sputo cruento sanguis semper è brachio, an verò etiam è talo & cruribus, praecipue in foeminis, mittendus sit.

Galenus equidem *s. meth. med. cap. 8* in sputo sanguinis internam cubiti venam secat, eamque sequenti die repetit. Alexander tamen *Tr. Illianus, lib. 7. cap. 1.* etiam venam in talo sectam se sanguinem misisse

Unde in sputo cruento sanguis praecipue mittendus ?

& multò magis profuisse, quam in cubito scribit; cum sanguinem ad longinquas partes avocantia fortiorum multò revulsionem efficiant. Mesues & Avicenna distinctione uti videntur, & in praeservatione rectius ad inferiores partes sanguinem retrahi, in curatione verò è cubito mitti censent. Nonnulli tamen sunt è quibus Valescus de Taranta, & Hieronymus Capivaccius, qui etiam in curatione saphenam secandam existimant. Videturque his favere Hippocrates, *3. aphor. 32.* dum scribit: *Mulieris sanguinem evomenti menstruis erumpentibus solutionem fieri.*

Verum enim verò rectissime hic sentire videntur Mesues & Avicenna, dictumque est supra de pleuritide; non semper licere ad remotissima revellere, sed ubi in morbis pectoris praesentaneo auxilio opus est, venam in brachio esse aperiendam. Ideoque cum vel nondum ad pectus sanguis decubuit, sed fluxurus meditatur, aut parum omnino affluit, providentiae & praeservationis gratia, ad remotissima sanguinem revellere, & venam in talo aperire licet. Ubi verò materia jam affluit, & adhuc copiosè affluit, ut inflammationis metus sit, vena in talo secta nimis tardum auxilium affert; sed tum in cubito vena aperienda, ut de pleuritide dictum.

In mulieribus verò mensium habenda est ratio, ut pote quorum fluxus eas à morbis multis praeservat & liberat. Distinctione tamen opus

opus est. Cum enim menses stato tempore fluentes mulieribus proficiunt, alio vero tempore facile concitari non possunt; si mulieri sputo sanguinis, seu ex suppressione mensium, seu absque ea, laboranti menses jam instent, vena in talo aperienda est. Ita enim Medicus socias naturæ operas præstat, atque in sanguinis ad uterum revulsione naturæ Medico se coniungit. Atque hoc sensu accipiendus est allegatus aphorismus Hippocratis. Si verò fluxus mensium nondum instet, distinctione iterum utendum. Nam si

accumulatum esse constet, nondum vero magnus ejus sit ad pectus fluxus, tum æque in foeminis ac in viris è talo sanguis mittendus. Si verò ad pulmones magnus ejus sit impetus, magna tamen ex suppressione mensium etiam in uteri venis sit ejus copia, ex utrisque venis quidem sanguis mittendus, veruntamen si mensium fluxus nondum instet, in cubito primùm vena aperienda; cum præsentaneum & subitum, quod vena in talo aperta præstare non potest, auxilium requiritur.



LIBRI II.

P A R S IV.

De Morbis ac Symptomatibus Cordis.

CAPUT I.

De Morbis Pericardii.

Restant tandem in hoc secundo libro morbi & symptomata Cordis. Cum autem cor sit vitæ principium, caloris nativi fons, primum vivens & ultimum moriens, ac cæteræ corporis partes ex eo sanguinem, spiritus ac calorem vitalem accipiant, atque actiones suas exercere non possint, nisi calore & spiritu à corde sint perfusæ; omnino cordis actiones ad vitam summopere sunt necessariæ. Ideoq; etiã natura cor maximè ab omnibus injuriis tuetur, & cor vitali calore copioso præditum maximè omnibus injuriis resistit, & noxia à se repellit, & hinc rarius quam aliæ corporis partes, morbis afficitur. Suntque etiã morbi cordis difficiles cognitu, atque plerumque non nisi in mortuis anatomè deprehenduntur. Et si cor paulò gravius præter naturam afficiatur, mortem id homini accersere solet. Est nihilominus cor etiã multis morbis obnoxium. Et cum cor membrum tam nobile ac necessarium sit, peculiari capsula tegitur, quæ pericardium vocatur. Ideoque morbi alii ipsius cordis, alii pericardii, de quibus seorsim

dicendum. Symptomata verò præcipua sunt palpitatio cordis, virium imbecillitas, ac lipothymia & syncope.

De Aqua in pericardio Aucta & Deficiente.

Aqua quædam secundum naturam, ut in aliis animalibus, ita in homine reperitur in pericardio; id quod non solum docuit Hippocrates, in libello de corde, sed & ex vivorum animalium sectione patet.

Aqua in pericardio aucta.

Hanc tamen aquam interdum præter naturam Augeri, ut cor, non liberè moveri, & ita palpitationis cordis causa esse possit, docet Galenus, 5. de loc. affect. cap. 2.

Contra si ista aqua præter naturam Deficiat, causa marasmi esse solet.

Deficiens.

De Vermibus in pericardio.

Vermes aliquando in capsula cordis seu pericardio genitos fuisse observatum est, annotavitque aliquot ejus rei historias Schenckius.

Vermes in pericardio.

Difficiliter

Difficulus autem cognoscuntur, & raro exactè, nisi post mortem. Solet autem tales ægros infestare cordistremor, anxietas, animi deliquium & syncope, ac plerumque tandem ægri subita morte extinguuntur. Si ergo talia symptomata adsint, & medicamenta cordialia exhibita nihil proficiant, vermem talem adesse suspicari licet.

Nonnulli Lunaticæ cujusdam passionis mentionem faciunt, quæ ex vermibus in pericardio ortis pueris & infantibus accidat, unde ii sæpe semimortui appareant. Verùm mihi probabilius videtur, hoc quicquid e si symptomatis, quod infantibus accidit, ex vermibus provenire in intestinis genitibus, & in ventriculo ascendentibus & orificium ventriculi molestantibus, quod etiam *cardia* appellatur.

Contra vermes autem in corde commendatur allium, observatumque est, vermes, qui in mortuis in capsula cordis reperti sunt, necatos fuisse succo allii, dum in circumlucido uderentur. Utile est & hoc:

R. *Succum allii, raphani, & nasturtii,* & exhibeatur.

Ad Lunaticam verò illam passionem, quæ ex vermibus in capsula cordis ex nonnullorum opinione, aut potius ex vermibus orificium ventriculi seu cardiacam molestantibus oritur, commendatur tanacetum. Ramuli ejus tenues in umbra siccentur & addantur sequentis pulveris Drach. ij.

R. *Rad. gentiana,*
peonia, ana Drch. ij.
myrrha Drach. j.

Fiat Pulvis.

Pulvis hic aqua humectetur, & ori infantis inangatur.

Defectus pericardii.

Aliquando planè Deest pericardium. Id quod observavit Columbus, qui, *lib. 15. anat.* refert, se discipulum in Romana Aeademia secuisse, cui pericardium deerat: itaque subinde in syncope inciderebat, & mortuo similis conspiciebatur, quo genere morbi etiam exanimatus est.

Tumores pericardii.

Tumores etiam in pericardio prehensi sunt. Galenus, *5. de loc. aff. cap. 2.* scribit, se simiam quandam quæ in dies emaciebatur, post mortem secuisse, & cæteris omnibus partibus salvis, invenisse in pericardio tumorem præter naturam, qui humorem in se, qualem hydatides emittere solent, contineret. Atque in gallo quodam se vidisse aliquando cordis tunicam scirrhoso tumore affectâ, perinde ac si plures membranae crassæ involutæ altera alteri fuissent. Unde conjecturam sumit, homines similibus affectibus obnoxios esse posse. Quem secutus Petrus Salius Diverfus, *de morb. variis c. 4.* colligit, idem in homine accidere posse. Nam si quis emacietur, nulla præsentè destillatione, nec spuro vel cruento vel purulento, nullâq; naturalium partium ita-

lata

lafa videatur, ut hinc macies & atrophia subsequi posset, suspicari licet, posse hoc accidere ex pericardio male affecto. Etsi enim membrum per se non sit nobile: tamen quia cordi proximum est, id in consensum trahit & afficit. Affectus autem hic ut difficulter cognoscitur, & non nisi conjecturâ, ita curatu est impossibilis, scribitque Petrus Salius Diverfus, *loco alleg. A.* etsi multa tentârit, nihil profecisse, omnesque tandem tabe consumptos & emaciatos, ultimò quadam accedente levi febriculâ, cui syncope conjungebatur, interiisse.

Vulnera, Putredo, & Corruptio pericardii.

Vulnera & putredo pericardii.

Vulneratur etiam interdum pericardium, interdum exulceratur, & putrescit. Galenus, *7 de administr. anatom. c. 13.* refert, se in puero quodam in palaestra iecto, & inflammationem in pectore passò, regione pectoris detecta & osse exciso nudum cor invenisse, utpote cujus involucrium putraerat. Ita ex Francisco Rota, *de torm. vulner. cap. 23.* refert Schenckius, in suppurato quodam totum forè pericardium corruptum deprehensum fuisse.

Benivenius, *de abdit. morb. causis. c. 5.* narrat, quandam in pericardio vulneratum sua cura convaluisse. Et Cardanus, *in comm. ad 18. aph. l. 6.* Hippocrat. refert, se partem pericardii vidisse ablata, ægrumque tamen sanatum, sed suspiria alta duxisse, nec multis annis supervixisse.

Notabile est & hoc, quod ex observat. Johan. Bauhini refert Schenckius, in cadavere quodam dissecto pulmonem repertum fuisse planè consumptum, thoracis cavitarem plenam putrido & concreto sanguine, in pericardio verò plus quàm mensuram puris albi contentam fuisse, totâ cordis superficie absumptâ & extenuatâ. Symptomata, quæ passus est, erant tussis, febricula, dolor in thorace, & in anteriore ventris parte, difficilis respiratio, paucis diebus ante mortem deliquitum animi, mens constabat. Verùm quia Medici opera in his parùm præstare potest, plura de iis non addimus.

Historia pulmonis planè consumpti.

CAPUT II.

De Cordis Intemperiebus.

Intemperies cordis calida.

FRæquentissimè cor intemperiem calidam patitur, & quidem à causis externis & internis: & omnes causæ, quæ febrem excitare solent, etiam intemperiem calidam cordis excitant; cum nulla febris excitari possit, nisi cor prius incalescat. Causæ tamen, quæ intemperiem calidam cordis excitant, non verò in toto, miiores sunt; & quamvis cor per animi affectus & alias causas etiam per se incalescere possit: tamen per consensum aliarum partium sæpissime intemperiem calidam contrahit; & præcipuè à partibus inferioribus

Intemperies cordis calida.

Causa.

ribus

ribus incalescit, è quibus vapor calidus cordi communicatur. Ideoque de causis intemperiei calidæ cordis multa hic addere opus non est, cum satis de iis in doctrina de febribus dictum sit.

Signa.

Cognoscitur intemperies calida cordis præcipuè ex actionibus ejus mutatis; respiratio fit magna, celer, frequens, pulsus similiter est celer, frequens; magnus si vires sufficiunt; adest propensio ad iram, calor adest præter naturam, & in totum corpus diffunditur, halitus, qui ore egreditur, calidus est, ut ferè palatum, linguam & labia exsiccet. Præcesserunt causæ cor calefacientes; juvant frigida, nocent calida.

Prognostica.

Quò major autem excessus est caloris, eo morbus periculosior est, patetq; id maximè ex effectis, & virium robore vel dejectione; de quo de febribus dictum.

Curatio.

Curationem quod attinet, calida intemperies refrigerantia indicat. Ubi primò in genere monendum, extremè frigida vel nimis cor alterantia non usurpanda esse. Cum enim cor caloris nativi fons sit, & majorem calorem, quàm nullà pars alia corporis, obtineat, & ab eo vita hominis pendeat, caloris studiosè fovendus, nec quicquam adhibendum, quod ipsum extinguere possit, ut pote quo extincto mors sequitur. Deinde quia cor spiritus vitales generat, suaveolentia cordi maximè utilia sunt.

Medicamenta autem cor refrigerantia sunt, *acetosa, flor. rosar. violar. nymphaea, flor. borrag. bugloss., succus*

L. II,

citri, limonum, granat. cerasor. poma odorata acidiuscula, fructus ribes. berber. rubi Idæi, citri, C. C. terra sigillata, bolus Armena, corallia, margarita.

Ex his parantur alia medicamenta.

Interna.

Aquæ, rosar. violar. nymphaea, borrag. bugloss. fragor.

Sirup, acetosif. citri, granator., acetosif., acetosell. de succo ribes, berberis, belen., nymphaea, borrag., cerasorum, coralliorum.

Conservæ, rosar. borrag. nymphaea, viol. acetosif., acetosell. flor. aurantior., citri.

Condita, caro citri, cerasa, ribes, berberis.

Species diamargarit. frigid.

Rotulæ, & morsuli manus Christi perlat, diamarg. frigid., de succo citri, ribes, berberis.

Aqua cordialis.

R. Conserv. fl. bugloss. borrag. violar. rosar. nymphaea.

cort. citri, ana Unc. ij.

spec. el diamarg. frig.

de gemm. an. Drach. ij.

diamb. Drach. j.

croci Drach. jss.

sem. citri,

oxalid.

cydonior. an. Drach. iij.

4 frig. maj.

scariola, an. Scrup. j.

lactuca Drach. ss.

herb. lactuca,

oxalid.

D d d.

portu-

portulac,
endiv. an. M. f.

Addendo.

caponem exenteratum, purga-
tum & incisum, ut decet.

succi acetosell:

citri,

granator. ana Unc. j. β.

agu. rosar.

borrag,

bugloss.

meliss. ana ℥ j.

Incidentur & contundantur ac
miscantur in mortario lapideo &
postea lento B. M. calore destillen-
tur.

Externa.

Externa.

Eadem pleraque extra applicari
possunt. Unde fiunt.

Epithemata, ex aqua rosar, nymph.,
acetorosal, santalo, margarit coralliis,
quibus aliquid camphoræ additur.

Sacculi, ex herbis, floribus, & foliis
antea enumeratis cum serico rubro
vel albo & floccis panni coccinei.

Olea, rosar, violar, nymphae.

Unguenta, rosar. santalinum.

Talia autem Topica commodis-
simè ad sinistram partem applican-
tur. Etsi enim cor in medio pectoris
sit situm: quia tamen thorax in me-
dio planè ossæus est, commodè ibi
non possunt penetrare. Circa papil-
lam verò sinistram, quò pars inferior
cordis vergit, facilius penetrant.

Victus ratio medicamentis re-
spondeat.

Si verò cum materia calor con-
jungatur, & quidem si sanguis abun-
det, is evacuandus; si bilis, expun-
ganda sirupo rosar, solut. & viol. soli

pulp. tamarind; manna triphera
Persica.

Intemperies cordis

Frigida.

Rarius verò cor intemperie frigi-
da laborat. Cum enim sit calidum
membrum, caussis frigidis fortiter
resistit. Aliquando tamen etiam fri-
gida intemperie corripitur, quam in-
ducit retentio excrementorum frigi-
dorum, & vapores frigidi ex aliis
partibus ad cor adscendentes. Animi
perturbationes, præcipuè mæror &
timor, quibus calor cordis torpidior
redditur, & penè suffocatur, immo-
dica exercitia, otium nimium, ob-
quod spiritus torpent, & calor remit-
titur. Cibi & potus; ut & medica-
menta frigida, aer ambiens frigidus,
sive inspiratione attractus, sive ob-
vestium defectum pectore nudo ex-
tra ad cor penetrans, ut & nimia plu-
viarum ad pectus appulsio. Et omni-
no omnes morbi, qui interitum ho-
mini afferunt, cor tandem refrige-
rant; cum mors ab extinctione cali-
di innati cordis proveniat.

Intempe-
ries cordis
frigida.

Cognoscitur intemperies cordis
frigida ex cordis pulsu parvo, tardo,
raro, & respiratione simili, aerq; qui
expiratur, frigidus percipitur. Et
si sit excessus frigoris magnus, & ca-
lor cordis jam penè extinctus, cor-
pus universum frigidum sentitur.
Præcesserunt causæ cor refrigeran-
tes; juvant calefacientia cor, nocent
refrigerantia.

Curatur autem intemperies cor-
dis frigida calefacientibus. Sunt
autem medicamenta cor calefacien-

lia simplicia, melissa, ocymum, rosma-
rinus, card. benedict. calaminta, rad.
helen., angelic. flor. rorismarini, tunicis,
lavendul. lilii convall. sem; citri,
grana alchem. lignum aloes. Aromat.
ta pleraq; cinamom. caryophyll. zedoar.
ma is; nux moschat., ambr., moschus.

Atq; ex his varia componuntur.

Interna.

Interna.
Aque & spiritus, meliss. rorismar.
flor. citri, aurantior. cinamom.

Conserv. anthos, meliss. tunicis, la-
vendula, tilior. convall.

Sirupi, tunicis, meliss. lavendula,
cinamomi, cortic citri.

Condita, cortices citri, aurantior,
rad. helen., nuc. jugland.

Olea destillata, citri, meliss., cina-
mom., caryophyll. macis.

Species & confectiones aromati-
ca, diamargarit. calid., confect de
hyacintb., species cordiales, diamosch.
diamb. diaxyloales, aromat. caryo-
philat., & præcipue confect. alchem.
tberiacæ itidem & Mubridatum.

Externa.

Externa.

Eademq; pleraq; etiam extra ap-
plicantur, ut postea dicetur.

Ex his porrò varia composita
sunt:

Aque vitæ omnis generis, quæ pas-
sim extant, aque virtutum, aqua. car-
bunculi dicta, elixir vitæ Matthioli. Vi-
deantur Institut. l. 5. p. 3. sect. 3. cap. 5.

Vel paretur talis Aqua.

R. Meliss. M. ij.

ocymi M. j.

flor. anthos,

cordial.

tunic. an. M. ß.

cortic. citri Unc. ß.

sem citri Drach. ij.

caryophyll. Drach. iij.

cinamom Unc. j.

ligni alses,

macis,

zedoarie an. Drach. j.

croci Drach. ß.

moschi,

ambr. ana Scrup ß.

Affundatur vini Malvatici q. f.

Digerantur aliquandio, postea destil-
lentur Detur ab Unc. ß. ad Unc. j.

Rondeletii Aqua & Julebus:

R. Cord. porci N. ij.

cervi vel bovis N. iij.

caryophyllor.

galanga mai & min.

sem. basilici, ana Drach. iij.

flor. bugloss.

borrag. an. p. ij.

anthos p. iij.

Macerentur in vino malvat. & de-
stillentur in vitro. Aqua servatur usui.

R. Aque prædest. Unc. iij.

facch. parum.

F. Julebus.

Aqua virtutis.

R. Rad. bugloss. Ital. Unc. iv.

fl. borrag

bugloss. ann Unc. ij.

rorismar.

croci, ana Drach. j.

succi cydonior.

malor. Borstorff.

citricū corti. incis. an. Unc. j ß

vini Rhenani albi lb iij.

aq. umeliss.

D d d 1.

berrag.

Rondeletii
aqua.

Julebus
eiusdem.

Aqua virtutis.

borrag.
bugloß. ana ℥. ℞.

M Stent in infusione per dies 10.
in loco calido, postea fiat destilla-
tio.

*Aqua cardiaca D. Ge-
orgii Leuschneri.*

*Aqua car-
diaca D.
Leuschne-
ri.*

℞. Fol. basilic. c. floribus,
meliss. ana M. j. ℞.
pulegii,
mentha,
fl. rosarum rubr., an. M. j.

borrag.
bugloß. j
tunic.
paonia,
violarum,
betonica, an. M. ℞.

fem. meliss.
basilici,
cubeb. ana Drach. j.
caryophyllor. Drach. ij.
zedoar.

galanga,
enule.
doronici. ana Drach. j℞.
macis Scrup. ij.
santali citrini,

albi, an Drach. j. ℞.
ligni aloes Drach. j.
cortic. citri exsicc.
aurantior. an. Drach. ij. ℞.
cinamom. acutissimi Unc. j.

Hisce contus. & conquass. super-
fund.

vini Rhenani puri ℥. v.

Stent infusa hor. xxxvi. ad cine-
res calidos, postea destillentur f. a. in
B. adjicianturq; tandem.

Fol. auri N. v.

(æstate sumantur recentia & viridia
& medietas tantum vini.)

Aqua virtutis alia:

℞. Galang.

zingib.

caryophyll.

granor: Paradis, an. Drach. iij

cubeb.

piperis longi, an. Drach. j. ℞.

macis,

nuc. mosch. an. Drach. ij. ℞.

ligni aloes Drach. iij.

cinam. el.

cortic. citri, an. Unc. ℞.

calam. arom. Drach. j. ℞.

rorismarini,

salvia, an. Unc. j.

fl. lavend. Drach. vi.

ruta Drach. ij.

rosar. rubr.

borragin. an. Unc. ℞.

fol. lauri Unc. ℞

Contund. & infund. in vini boni
mens. iij.

Destillentur. f. a.

Alia.

℞. Rorismarini,

meliss.

basilici,

pulegii,

serpilli, an. M. j.

cortic. citri exter. Unc. j.

ligni aloes,

santali citrini,

rhodii rasp. an. Drach. j. ℞.

caryophyll. Drach. iij.

croci Scrup. j.

stica Celtica,

Indic. ana Scrup. j.

nuc. mosch. Drach. j. ℞.

cortic. cydonior. recent. Unc. j.

Concisa infund. per dies 3. ad Solem, vel in loco calido in

aqv. rosar.

spirit. vini opt. an. ℥ j ℞.

aceti rosar. ℥ j.

Destillantur postea in M. B. In destillato liquore dissolve,

moschi. q. s. ad gratiss. odorem.

Vel suspendatur moschus in alembici rostro.

Alia.

℞. Fl. lilii convall. M. ij.

lavendul.

cichor. an. M. j.

cardamomi utr.

galang.

cyperi rotund.

macis,

nuc. mosch.

ligni aloes,

piperis longi,

nigri,

maslich.

zingib. ana Drach. j. ℞.

cinamomi Unc. ij.

vini sublimat. ℥ ix.

Infundantur per aliquot dies, postea destillantur.

Elixir vita.

℞. Cinamom. elect. Unc. vi.

caryophyllor.

cardamomi,

ligni aloes opt. an. Drach. j℞.

santali citrini Drach. ij.

nuc. mosch.

macis, ana Drach. j.

Pulverisatis mediocriter omnibus adde.

spirit. vini puriss. ℥ vii. ℞.

Et permixtis omnibus in vitreo vase clauso orificio ita reserventur per mensem, singulis diebus ter quaterve agitando & commiscendo. Postremo die, ubi perfecte referint, percolentur, & colaturæ benè claræ add.

sirup. è cortic. citri ℥ j. ℞.

moschi,

ambra, an. Scrup. ℞.

Reservetur, in vitro bene obturato.

Aliud.

℞. Cinamom. elect. Unc. ij.

zingib. Drach. vi.

caryophyllor.

nuc. mosch. ana Drach. ij.

gran paradisi Scrup. ij.

cal. aromat. Unc. ℞.

galang. Drach. j.

℞ rosar. Unc. j.

rorismar. Drach. iij.

cort. citri Unc. j. ℞.

majoran.

meliss. an. M. j.

ligni rhodii Drach. iij.

santali citrin. Drach. ij.

rubr. Unc. j.

vini sublimati ℥ xii.

Infund. per mensem; deinde colentur, & colaturæ claræ add.

sir. de cort. citri,

mixt. cydonior. ana. ℥ j℞.

Misce.

Electuaria.

℞. Conserv. borrag.

bugloss.

anthos.

Ddd 3

tunic

tunic. ana Unc. j.

ros. Unc. ℞.

cortic. citri condit. Drach. vi.

nucis mosch. condit. Drach. j.

pulv. caryophyll. Scrup. ℞.

Cnm frup. tunic.

F. Electnar.

Rotule & Morfuli:

℞. Spec. diamb.

diaxylo aloes, an. Drach. j.

ol. cinamom.

citri, an. gutt. iij.

confect. alchem. Scrup. j.

facch. in aqua rosar. solut. Unc.

ijj.

F. Rotulæ.

Illinantur ambra in aqua ros. dif-

sol. gr. iij

℞. Spec. diamb.

aromat. caryophyll.

diamosch. dulc. an. Scrup.

ij.

lapid. bezoar. Scrup. ℞.

cortic. citri condit. Drach. ij.

facch. albi in aqua rosar. dif-

sol. Unc. iij.

F. Morfuli.

℞. Amygd. dul.

pistaciõ. an. Unc. j.

pinear. Drach. vi.

carn. citri cond. Unc. j.

nuc. mosc. in fnd. cond. Drach. vi.

cort. citri cond. Drach. iij.

zingib. in fnd. cond. Unc. ℞.

macis Drach. j.

cinamomi Drach. j. ℞.

Fructus macerentur per noctem
usam in aq. rosarum & atomata
cum eis inciduntur & frangantur
mediocriter. Add.

facch. albi. Unc. xx. in aq.

rosar. dissolut.

In sine admisce,

masch opt. g. ix.

ol. cinamomi gr. vi.

F. I. a. Morfuli deaurandi. *Externa.*

Ex medicamentis hætenus enu-
meratis etiam externa varia com-
ponuntur.

Epithemata.

℞. Aqu. flor. aurantior.

melis.

anthos, an. Unc. ij.

carbunculi,

virtut. an. Unc. j.

spirit. rosar. Drach. j.

confect. alchem. Drach. ℞.

cortic. citri siccor. Scrup. ij.

croci Scrup. ℞. M.

Balsama & Linimenta:

℞. Ambra liquida,

olei nucis mosch. express.

confect. alchem. an. Drach. ℞.

olei destill. citri,

melis. an. Scrup. ℞.

F. Linimentum.

Sacculus:

℞. Flor. anthos,

cordial.

melis.

lavendul. an. M. ℞.

cortic. citri siccor.

caryophyll.

macis, an. Drach. j.

Cum sindone rubro,

F. Sacculus.

Intemperies cordis

Humida.

Inteu-

Intemperies cordis humida.

Intemperies cordis humida fit à caussis, quæ aliàs totum corpus humectare possunt. verum non facile eam recipit; cum sit valde calidum & siccam. Præcipuè verò aer humectandi vim habet. utpotè qui per pulmones ad cor penetrat, nebulosus scilicet, crassus & humidus. Humectat etiam totius corporis intemperies, humida, qualis est in anasarca.

Cognoscitur ex talibus caussis, quæ præcesserunt; ex effectis item, ut pulsu molli, & toto corpore humidiorè.

Curatur siccantibus medicamentis hæc intemperies, qualia sunt omnia calida modò proposita. Omnia enim talia siccandi vim habent.

Exsiccant præterea cor humidum, quæ frigida sive temperata sunt, *margarita, corallia, C. C. os de corde cervi, bolus Armena, terra sigillata, lapides pretiosi*

Diæta medicamentis respondeat.

Intemperies cordis

Sicca.

Cor siccant corporis atque animi motus nimii, curæ, mœror & sollicitudines, vigiliæ nimix unde quibusdam ex hæcè caussis mortuis cor tanquam pyrum tostum inventum fuisse historiæ testantur, aer calidus & siccus, qualis est in locis montanis, & sæpe etiam maritimis, cibi & potus siccandi vi præditi, inprimis vini potentis usus, medicamenta ejusdem generis, febris biliosa, tu-

mores pericardii, & aliæ caussæ, quæ febrem hecticam inducere valent.

Cognoscitur siccitas cordis à caussis his, si præcesserint; sequitur verò totius corporis, & imprimis pectoris extenuatio, pulsus est durus.

Curatur verò humectantibus, *borrag. bugloss. violis. semin. frigid. major. passulis, amygdalis.* Prodest etiam balneum aquæ dulcis tepidum. in quo malva, althæa, fcenum græc. cocta sint. Fomenta etiam pectoris ex iisdem parantur, post quæ pectus unguatur ol. amygdal. dulc. viol. mulag. semin. althææ. malvæ.

Diæta etiam sit humectans, & omnino curatio & diæta talis instituenda, qualis hecticis convenit.

Morbi totius substantiæ

Inprimis verò & frequenter cor à morbis totius substantiæ seu formæ, ut appellant, vel qualitatum occultarum, infestatur. Pleraque enim venena, quocunque modo in corpus sese insinuent, cor hoc modo afficiendi vim habent; de quibus suo loco dicetur, & etiam libro 2. *Insit. part. 2. c. 12. & de peste* dictum.

Cognoscuntur autem hi morbi à caussis, quæ præcesserunt, ad tales morbos producendos idoneis. Et si de caussis ejusmodi non constet, ex effectis deprehenduntur, quæ supra vires caussarum manifestarum sunt graviora, ut anxietas & inquietudo, subita & summa virium dejectio, animi deliquium, & syncope; pulsus summa imbecillitas, &

inæqua-

Morbi totius substantiæ.

Intemperies cordis sicca.

inæqualitas. Maculæ hinc inde in corpore erumpentes, & similia symptomata, quæ pestilentibus ac venenatis morbis sunt propria.

Morbi autem hi longè sunt periculosissimi, & hominem inopinatò sæpe jugulant.

Curantur autem hi morbi alexipharmacis. Et quidem cuilibet veneno suum alexipharmacum opponendum; de quibus in Institut. lib. 5. part. 1. s. i. cap. 21. & de Peste dictum, ac suo loco, de venenis, dicitur. In genere, & præcipuè si de natura veneni non constet, antea enumerata usurpanda, & inter composita theriaca & Mithridatium.

Elect. Bertrucii confortans cor in omni causa.

Elect. Bertrucii.

*Rj. Smaragd.
hyacinth,
sapphir. ana Drach. ß.
auri & argenti puri foliati, ana
Drach. j.
margarit. perforat. & non perforat. Drach. jß.*

bugloss.

meliss.

flor. borrag.

ocymi,

zedoar,

been alb. & rubr.

caryophyllor.

ligni aloes

zingiberis,

cinamomi, elect. ana Une. ß.

serici contusi, non combusti,

cubeb.

cardamom.

calami aromat.

spica,

galang.

mosch.

camphor.

os. de C. 6.

amb. ana Drach. j.

corall. alb.

rubr.

santal.

rosar.

spodii,

myrobalan. belliric.

terr. sigill.

coriand. ana Drach. ij ß.

Terantur omnia subtiliter, & pro qualibet uncia specierum sumatur sacch. albiss. ℥j.

Fiat Elect. Deauretur.

Cum etiam ad calidum nativum & naturalem corporis constitutionem conservandam spiritus vitales pertineant, atque hi etiam varia vitia pati possint, etiam de iis hoc loco dicendum esset. Verùm de iis postea de lypothymia & syncope dicitur.

CAPUT III.

De reliquis cordis Morbis.

PRÆter morbos intemperiei & totius substantiæ, qui cor frequentissimè infestant, adhuc alij morbi cordis dantur, qui, quia rariores & raro curabiles, eos uno hoc capite conjungemus.

Reliqui morbi cordis.

Sinistri

*Sinistri cordis Ventriculi defectus.**Sinistri cordis Ventriculi defectus.*

Cordis ventriculum sinistrum in quibusdam defuisse, vel planè exiguum fuisse, observavit Columbus, *anat. l. 15.* ut & septum, quo ventriculi cordis distinguuntur, cartilagineum.

*Cor hirsutum.**Cor hirsutum.*

Quosdam cor hirsutum habuisse, annotavit Plinius *l. 11. nat. hist. c. 25* Valerius Max. *l. 3. c. 6. Benignus de abdit. morb. & curat. caus. c. 83.* Antonius Muretus, *l. 1. variar. lect. c. 10.* Amat. Lusitan. *cent. 6. curat. 65.* Omnes autem hi, qui cor hirsutum habuerunt, fuerunt audacissimi & famosi latrones.

*Vermes, Calculi & alia præter naturam in corde reperta.**Vermes calculi &c. in corde reperti.*

Vermes aliquando in pestilentibus febribus in ventriculis cordis fuisse genitos, audivisse se ab hominibus fide dignis, qui hujusmodi ægrotantia corpora secuerint, refert, Vidus Vidius, *cap. de morbis cordis.* Idem etiam scribit, quod lapides in corde fuerint geniti, se neque audivisse neque legisse. Referunt tamen id alii quam plurimi. Hollerius; *comm. 1. in lib. 6. sect. 2. aph. 4. Coac. prædict. Hippocr.* Scholiographus in Hollerium, *ad cap. 29. & 50. lib. 1. de morb. intern.* Jacotius, *comm. 1. l. 6. sect. 2. aph. 4. Coac. Hippocr. & comm. ad aph. 52. l. 3. sect. 2. Coac. Hippocr.*

Et in Maximiliani II. Imperatoris
L. II.

corde inventi sunt tres lapides, ut refert Wierus, *de præstig. demon. lib. 4. cap. 6.* Et Erasius, *in consil. & epist. à Scholtzio collectis.* Atque horum alii palpitationem cordis frequenter passi sunt, alii urinam purulentam, per multos dies, simò menses, salvis renibus & vesicâ, minxerunt.

Carnosas quoque excrecentias in corde dextro ventriculo vel sinistro repertas fuisse in iis, qui dolorem cordis & syncopen passi fuerunt, & pulsùm intermittentem habuerunt, refert Vesalius, *l. 1. c. 5. de hum. corp. fabric.* Benivenius, *de abdit. morb. & curate aus. c. 35.*

Cordis Tabes.

Cor quoque in quibusdam contabuisse & exsiccatum fuisse, observatum est. Idque etiam ex tumore pericardii accidisse, antea, *c. i. dictur.* Ad cordis verò tabem prodesse succum raphani, ex Ægyptiorum traditione refert Plinius, *hist. nat. lib. 19. cap. 5.*

*Cordis tabes.**Situs cordis mutatus.**Situs cordis mutatus.*

Cor etiam Situs quandoque mutasse observatum est, ut in Livono illo Witebergæ, cujus supra, *lib. 2. part. 2. cap. 15.* mentio facta est.

Vulnera cordis.

Cor etiam interdum Vulneratur & quidem ut Galenus, *s. de loc. aff. cap. 1.* scribit, si ad ventrem cordis vulnus penetret, procius magno cum sanguinis fluore hominem, mori necesse est. Idque præcipue si sinister ventriculus cordis fuerit vul-

Vulnera cordis.

E e e neratus,

neratus, Si verò non adventrem, usque pertingat, sed in cordis substantia constiterit, vivere ita affectus non solum ea die sed etiam sequenti nocte potest. Vid. lib. V. part. 4. cap. 3.

Apostemata & Ulcera.

Apostemata
& Ulcera.

Imò cor Apostemata & Ulcera pati potest, quæ tandem hominem subito per syncopen tollunt. Quia tamen brevi tempore contrahi non potuerunt, inde etiam ægri tales frequentissimè lipothymia fuere obnoxii, collegitque hujus rei exempla. Schenckius, in observ. med Refert quoque Henricus Smetius, miscell. l. 10. se vidisse in Mercatoris cujusdam dissecto corpore dextrum cordis sinum interiore sui parte durum, exasperatum undique & quodam modo squamosam, quo in loco continebatur frustum condensati humoris pituitosi, lentis, albicantis, longitudine medii digiti, crassitie pollicis, sanguini mistum. Verùm quia talia non nisi post mortem demum deprehenduntur, nec curationem recipiunt, plura de iis non addimus.

CAPUT IV.

De cordis Palpitatione.

Cordis pal-
pitatio.

Atque hi sunt morbi, quos cor patitur. Restat, ut de symptomatibus, quæ in ejus actione accidere solent dicamus, palpitatione scilicet, & animi deliquio ac syncope. Palpitatio Græcis *παλιός* vocabulo generatim accepto, est *Πασηλη*

p. n. in quacunq; corporis parte, quæ distendi & dilatari, iterumque concidere potest, cujusmodi sunt partes molles, ut cutis & subjecti huic musculi, quarum hi non obscuras cavitates habent, inter cutem autem & musculos etiam spacia quædam interjecta sunt, in quibus materia palpitationem efficiens colligi & contineri potest. Causa enim palpitationis ita generaliter acceptæ est halitus crassius, qui in parte collectus cum exitum non reperiat partem, attollit, quæ suâ gravitate iterum, concidit. Atque ita ad hunc motum seu palpitationem generaliter dictam natura præter expulsionem materiæ nihil confert, neque palpitationis hæc voluntariæ virtutis & organorum hujus actio est, aut motus ex voluntario & naturali mixtus, qualis in tremore, sed simpliciter *ωσπερ Φύση & ἀπὸ παθητικῆς* à sola causa morbifica partem dilatante & attollente. De quo videatur Galenus, in lib. de tremore palpitatio. & convuls. c. 4. & 5.

Deinde tribuitur etiam eadem appellatio motui cordis præter naturam, qui *παλιός* & palpitationis cordis nominatur. Nonnulli etiam, teste Galeno, s. aph. 65. per *καρδιαγμον* cordis ipsius motionem crebriam & celerem, palpitationi similem intellexerunt, quam alteram *καρδιαγμὴ* speciem Erotianus, alii notham palpitationem faciunt. Verùm propriè *καρδιαγμός* & *καρδιαλγία* oris ventriculi affectiones sunt, oræ ab humore acri & mordace, quam partem.

Antiqui

Antiqui καρδιαν dixerunt. Παλμος & palpitatione cordis à nonnullis etiam tremor cordis & saltus cordis & formido cordis appellatur. Distinguunt quidem nonnulli, inter quos Mercurius, inter tremorem cordis, & palpitationem cordis, quod palpitatione à solo morbo fiat, tremor verò à morbo & facultate; deinde quod palpitatione in ipsius partibus proveniat, quæ dilatari possunt, tremor verò in instantum, quæ voluntarie moveri possunt. Verùm errandi causa pluribus ista fuit, quod palpitationis, ut & tremoris, vocabulum univocè cordi & aliis partibus competere existimant; quod tamen falsum. Nam sunt plurimi in ea sententia, cordi quoque tale quid accidere posse, quale in cute & musculis fit, à spiritu & flatu frigido & crasso, à quo impletum iterumque evacuatum cor moveatur, instar utrius, in quibus tale aliquid à liquore violenter infuso vel spiritu inflato & rursus compresso contingit. Verùm magna palpitationis in partibus externis, & palpitationis cordis est diversitas. Cutis enim & partès externæ nullo modo sponte se dilatant, sed solum à causis morbificis in altum elevantur & atolluntur. Cor verò cum facultatem insitam, quæ dilatetur & contrahatur, habeat, palpitatione cordis sine motu ejus fieri non potest. Neque enim credibile est, cor, cujus motus proprius ad vitam summam necessarius est, & quo cessante, vires omnes collabuntur, instar utris vel vesicæ, à flatibus distendi posse. Hoc enim si fieret, cordis naturalem mo-

tum cessare necesse esset. Et frustra à nonnullis hic multa loca è Galeno congeruntur quibus probare conantur, palpitationem cordis fieri non à natura, sed à morbo, aut potius causa morbifica. Galens enim in iis locis omnibus tantum de palpitatione in cute & partibus externis, non verò de palpitatione cordis, quæ alterius naturæ est, loquitur. Et ipse Galenus, 2. de sympt. causis, cap. 2. palpitationem cordis & arteriarum ab aliarum partium palpitatione discernit. Atque hinc etiam accidit, ut Autores alii aliter de cordis palpitatione vel tremore sentiant, nonnulli etiam planè falsa dogmata habeant. Alii enim in specie eum saltum cordis motum, qui fit à causa cor molestante, seu ab expultrice cordis stimolata ad expellendum id, quod cordi molestum est, palpitationem cordis appellant. Imò nonnulli specialissimè cordis palpitationem ad eum saltum motum depravatim restringunt, qui fit à materia crassa & flatulenta cor gravante, & quidem nonnulli, ut dictum, eodem planè modo, ut in cute, in corde à flatu palpitationem fieri docent,

Alii verò omnes motus cordis depravatos nomine palpitationis cordis comprehendunt, sive sint parvi & tremuli, sive magni & cum saltu quodam. Hinc nonnulli palpitationem & cordis aliam faciunt legitimam & veram, aliam notham; & legitimam eam saltum nominant, quæ fit à vapore crasso, ab aliis autem causis ortam notham appel-

ant. Sed sufficiens causa nulla est, cur non & illa palpitatione, quam ex vulnere ortam describit Forestus; quæ tam vehemens ac violenta fuit, ut etiam extra domum, in qua æger decumbat, à transeunte si fenestræ aures admitteret, exaudiretur, & illa, quam Fernellius thoracis vicinas costas effregisse, vel de sua sede depulisse scribit, aut quas Hollerius recenset, legitimæ & veræ cordis palpitationes nominari non debeant.

Ideoque definimus *palpitationem cordis motum depravatam pulsantis cordis facultatis, simulatam & irritatam à re molesta, & usu ejus actionis aucto*. Quamquam enim in febris in æstu vehementiore & aliis causis nonnunquam etiam cor vehementius movetur: tamen nisi motus ille insignis sit & depravatus, palpitatione cordis non dicitur.

Causa.

Causa

Irritatur autem facultas motrix tribus de causis, nimirum à re aliena & molesta, quam cor expellere nititur, spirituum vitalium defectu; & caliditate præter naturam.

Prima ergo palpitationis causa est alienum & molestum quid cordi occurrens, quod à se amovere cupit. Et quia hæc causa frequentissimè facit, ut cor ita moveatur, ut ejus motus depravatus appellari possit, reliquæ verò duæ sæpius vehementem aliquem motum potius, quam depravatam efficiant, non nulli, ut dicunt, palpitationem cordis in spe-

cie appellant, quæ fit à causa cor gravante, sive ab expultrice, cordis stimulata ad expellendum id, quod cordi molestum occurrit. Dum n. cor gravatur & in motu impeditur, fit, ut pulsans vis, dum valida est ad expellendum id, quod molestum est; conciteretur, & subito ad motum instigaretur, vel resarciat motum impeditum, uno majore pulsu, vel utraque de causa motum vehementiorem efficiat, aut si vis imbecilla sit, pulsus parvos & crebros faciat. Neque mirum est, quod à corde tam vehementes motus proficiuntur. Cum enim cor principium vitæ sit, vim etiam expultricem, quam ulla alia pars, robustiorem habet, quæ nihil, quod cordi damnum inferre possit, tolerat. Ideoque quotiescunque ipsi aliquid molesti occurrat, contra illud vehementissimè insurgit, & hinc edit motus vehementissimos.

Sunt autem causæ, quæ cor molestante & expultricem ejus stimulare possunt, variæ. Primò vapores & flatus non solum copiosi, sed & qualitate manifesta, vel occulta, vel utroque modo cor molestantes, cordis palpitationem, excitant. Unde à venenis, ut & in febribus malignis & pestilentibus, ab humorum putredine & corruptione palpitatione cordis excitatur. Hinc quoque evenit, ut foeminis mensium suppressione laborantibus, & qui melancholia hypochondriaca laborant, cordis palpitationes familiares sint. Per arterias n. mesentericas, & quæ

Causæ cor molestantes

& quæ multæ per lienem diffunduntur; itemq; ex utero pravi vapores cor subeunt, cujus vis irritata vehementiore palpitatione nititur, quod noxium est, expellere. Hinc etiam evenit ut in corporis motu nimio, ira, metu, tristitia, astu, balneis, Venere, nimio vini potentioris potu, inedia, palpitatione cordis præcipuè in dispositis excitetur. Ira enim, gaudium, timor, non solum sanguinem & spiritus, sed & humores ac vapores quietos commovent; quod idem & corporis exercitia præstant, & leve exercitium in iis, qui huic malo obnoxii sunt, palpitationem cordis excitat.

Deinde humores putridi, acres, calidi, vel etiam copiosi cor molestant & gravare possunt. Qualem sanguinem in arteriis ex summo calore veluti retorridum biliq; atræ cognatum, seprehendisse testatur Fernelius. De qua etiam re videatur Platerus, *lib. 2. Pract. cap. 11* qui prolixè hac de re agit, & palpitationem cordis, quæ virginibus menstruorum suppressione laborantibus familiaris est, ad hanc causam refert. Malim tamen in pravo & foetido vapores causam referre palpitationis cordis in virginibus causâ suppressorum menstruorum malum habitum acquirere, quam cum Platero in copiam sanguinis fervidi & biliosi, qui cum cachexia, ac malo corporis habitu vix consistere potest. Alias non negarem, retorridam ac inflammatam in hypochondriis, & in arteriis effusam bilem atram cordi

communicari posse, cujus malignitate & acrimonia cor irritatum vehementiore hunc motum edat. Id em tamen à pravis vaporibus ex eodem humore elevatis fieri potest.

Funt & cordis palpitationes, dum humiditas illa in pericardio incrementum sumit, ut cor premat & gravet. Huc pertinet sanguis, qui interdum in vulneribus ad cor effunditur, quod accidit proculdubio juveni illi apud Forestum, *lib. 17. observ. 1.* de quo antea dictum. Molestant & cor tumores in pericardio excitati, sive illi sint scirrhusi & humoris expertes, sive humorem in se contineant. Refert Platerus, in quodam, diuturniore cordis tremore è medio sublato, osseum quiddam & cartilagineum in corde deprehensum fuisse. Et Schenckius, *lib. 1. obs. 214.* refert, in Sacerdote quodam, qui à teneris unguiculis usq; ad annum 42. quo mortuus est, palpitatione cordis laboraverat, in cordis basi carnis excresecitiam repertam fuisse, quæ sex drachmas ponderaret, & alterum coreulum representaret. Refert quoque Dodonæus, *in annot. ad cap. 35. observ. Benzenii*, se callum in arteria magna loco cordi proximo observasse. Unde palpitatione orta est per multos annos durans. Huc etiam referendi vermes, quos in capsula cordis genitos causam palpitationis cordis fuisse referunt. Nonnunquam etiam externum, quid cordi occurrere potest, quod illud pungat, rodât & rumpat.

Secundò, si ob inediam, vel morbos vehementes spiritus subito aut nimium dissipantur, vel per animi affectus, iram, gaudium, metum, pudorẽ spiritus subito hinc inde propellantur ac dissipantur nec ut par est, in totum corpus distribuantur: ut huic defectui cor occurrat, & quod sui officii est, omnibus partibus spiritus necessarios suppeditet, ejus motum intendi, vehementioremque reddi necesse est. Hinc quibus aliàs spiritus desunt, & qui debiles ac huic morbo obnoxii sunt, iis vel leve exercitium cordis palpitationem accersere potest.

Tertiò si calor præter naturam in corde augeatur, non solum spiritus intus absumuntur & dissipantur, sed & accenduntur, ac propterea motus cordis & arteriarum augetur; ut, quod absumitur, restituatur & calor refrigeretur. Fit autem hoc à causis tum internis, tum externis irã, motu. Ita observavit Platerus, juvenem quendam admodum calentem, cum in exercitio pilæ irã corripèretur, atq; ita duæ causæ cõjungerentur ita palpitatione cordis affectum fuisse, ut cù recolligere se non posset, nec hi motus remitterent, subito extingueretur.

Hæc duo tamen causarum genera posteriora valde excedere oportet, si cordis palpitationem excitare debent. Aliàs enim saltem vehementiorem aliquem, non verò depravatum, arteriarum & cordis motum excitant. Ideoq; nonnulli, ut dictum, primùm solum causarum genus admittunt, utpote quod fre-

quentissimè palpitationem cordis excitare solet.

Et omnino frequentior est palpitatione cordis, quæ fit per consensum aliarum partium, quàm quæ per primarium cordis affectum oritur. Habet enim cor cum pluribus partibus corporis consensum, & ab iis vapores ac flatus & humores recipere potest. Ab uterò quidem per arterias cum spermaticas, tum hypogastricas, quæ à corde ad uterum descendunt; à liene, per arterias frequentiores per lienem dispersas, id quod scorbuticis non rarò accidit; ab epate, per arterias ad epar tendentes, & venam insignem dextro ventriculo cordis insertam, à pulmone etiam per communia vasa.

Differentia.

Differentiæ ex hæcenus dictis ferè patent, & à causarum varietate præcipuè petuntur. Pater ex iisdem affici cor vel per idiopathiam, cum causa morbi in ipso corde aut ejus vasis consistit, vel κατὰ συνπάθειαν, cum aliunde communicatur ex utero, liene & aliis partibus.

Differen-
tia.

Signa diagnostica.

Malum hoc etiam ab ipso ægrotò proditur & cognoscitur, manūque supra cordis regionem apposita deprehenditur. Estq; hic motus in corde aliàs debilior, aliàs validior, & nonnunquam tam validus & vehemens deprehensus fuit, ut ab adstantibus audiretur, ut refert Christ. à Vega, *art. Medic. lib. 3. c. 8.* & quidem etiam ex intervallo, ut ex Fo-

Signa.

resto

resto dictum, aut ut costas vicinas cordi effringeret, vel sua fede dimoveret, aut in arteria *avesiana* pomi magnitudine efficeret. Quiete hoc malum remittit; exasperatur motu, æstu, balneo, ira, crapula, usu vini potentioris, Venere. Caussarum autem varietatem discernere non ita facile est. Si à vapore & flatu originem ducat cordis palpitationis, repentina fit accessio, & à levi corporis motu excitatur, ac facilius quoque discutitur; respiratio est difficilis, sæpe accedunt tremor in genis, oculorum tenebræ, sonitus aurium, & non rarò circa aliquam partem dolor, qui sponte statim cessat, percipitur. Qualis autem flatus sit vel vapor, ex humorum signis cognoscitur, cum vapor humoris, è quo elevatur, naturam referat & retineat. Si verò humor sit causa palpitationis, non ita subito humor invadit, & diutius durat, quàm cum à vapore palpitationis ortum habet. Qualis autem humor sit, ex signis humorum abundantium facile innotescit. Et omnino siue humor siue vapor ab aliis partibus communicetur, ex partium illarum affectuum signis cognoscitur, & in primis affectio hypochondriaca & mensium suppressio in feminis latere non possunt. Difficilis aqua in pericardio abundans cognoscitur. Malum tamen etiam est continuum, & ægri conqueruntur, cor in aqua quasi detineri & suffocari, tandemque emaciantur, ut hæctica correpti. Si humores sint pravi, corrupti, maligni, venenati, magna varietas in pulsu ap-

paret, præcipuè in magnitudine & parvitate. Magna enim est naturæ pugna. Accedit lipothymia, atque alia signa humorum venenatorum & malignorum adsunt. Si ab alia substantia cor gravante & premente est palpitationis, tum motus valde est præternaturalis, & inæqualiter ac præternaturaliter cor quasi exsilit, ut vel propulset, quod molestum est, vel ibidem motu diastolæ majori resarciat. Atque tales causæ facile è suis signis patent. Si tumor sit causa palpitationis, notabilis in cordis pulsu apparet varietas, motus valde è naturali statu recedit; ferè inæqualis ac inordinatus est. Et si tumor sit calidus, maxima in corpore erit inflammatio, sitis magna, difficilis respiratio, accedit lipothymia, & tandem mors sequitur. Si autem tumor durus sit in pericardio, motus est continuus, & æger sensim sine manifesta causa & evidenti contabescit. Si caro vel simile quiddam cordi à primo ortu adnascatur, palpitationis quoque à primo ortu ad mortem usque hominem comitatur.

Si verò ex spirituum defectu palpitationis cordis excitetur, patet hoc non solum ex causis, quæ præcesserunt, spiritusque dissipaverunt & consumperunt, verum etiam ex eo, quod pulsus crebrior est, & interdum celer, simulque parvus, ob virium imbecillitatem.

Tandem si ob caliditatem nimiam præternaturaliter palpitationis cordis accidat, cognoscitur id ex signis febris, aliisque causis calefacientibus; & præter frequentiam & celeritatem in pulsu

magni

magnitudo adest, dum vires constant. Præterea motus hic paulatim depravatur, & major est ac vehementior in diastole, quam systole.

ducat, ægriq; tales raro evadunt, sed citò moriuntur.

Indicationes.

Prognostica,

Prognostica.

1. Palpitatio cordis omnis periculosum & non contemnendum malum est, ob læsum cordis motum, quo vita conservari debet, & quæ frequenter ad syncopen deducit, tandemq; hominem è medio tollit. Docetq; Galenus, 2. aph. 41. § 5. de loc. affect. c. 2. omnes, qui juvenes, aut in declinante ætate sani subito, sine ullo manifesto symptomate, palpitatione cordis correpti sunt, omnes ante senectutem mortuos esse, alios per febres acutas, alios cum sani degenerent subito syncope correptos, alios etiam citra syncopen apoplectico more. Frequens enim palpitatione signum erat, cor & partes vicinas debiles fuisse.

2. Palpitatio per idiopathiam cordis periculosior est, quam quæ sit per sympathiam: quæ item ab interna causa, quam quæ ab externa, nisi magna sit externæ causæ vehementia, ut veneni & ictus violentia.

3. Malum hoc sæpius recurrens tandem hominem jugulat, & quidem si à pericardio affecto proveniat, hominem lente enecat, & ad tabem deducit.

4. Si proveniat à soluta unitate vel tumore cordis, malum desperatum & insanabile est.

5. Periculosum quoque est, si à causa venenata & maligna originem

Curatio autem, ubi malum curam suscipit, ad duo imprimis dirigenda. Primum est, ut causa quælibet, pro ut natura ejus postulat & indicat, tollatur. Alterum, ut cor familiaribus & calorem ejus innatum foventibus roboretur. Nonnulli censent, & quidem ex Galeni, ut opinantur, sententia, omnes palpitatione cordis laborantes adjuvari sanguinis missione. Verum & ipsa hæc sententia à veritate aliena est, & falsum, Galenum hoc scripsisse. Non enim Galenus, 5. de loc. affect. c. 2. omnes palpitatione cordis laborantes adjuvos phlebotomia scribit, sed omnes, qui juvenes aut in declinante ætate constituti sani repente cordis palpitatione correpti sunt, eos scilicet, qui palpitatione cordis laborabant ex sanguine vitioso cor opprimente, aut ex flatu crasso vel frigido, vel eum plethora pura aut impura, quæ adjuvat impetum hujus flatus ad cor, aut ejus generationem per oppressionem diminuto calore, aut etiam impediebat sua præsentia usum remediorum sanantium calidorum. Si verò palpitatione cordis sit ex frigidis, pituitosis, crudisq; humoribus, sanguinis missio non convenit; cum humores in illo sanguine detracto crudiores reddantur: sic & in aliis causis, quas non tollit venæsectio, sanguinem non mittere inutile est.

In licationes.

Curæ

Curatio palpitationis cordis à Flatu & Vapore.

Curatio palpitationis cordis à flatu & vapore. Venæ sectio

Sed ut de hisce in specie secundum causarum varietatem dicamus, primò si à flatu & vapore cor molestante sit palpitatio, sanguisq; simul redundet, vena aperienda est. Alioquin enim calidis flatibus discutientibus commodè uti non possumus, quin potius calidiorum usu materię affluxus ad cor augeretur. Aperiatur autem vena vel in dextro vel sinistro brachio, prout pulsus in hoc vel illo brachio magis inquietus est, & pro redundantia ejus ac virium robore sanguis emittatur. Utile quoque foret, crurum venas aperire, ut materia deorsum retrahatur, præsertim in fœminis, quibus à mensibus suppressis malum originem habet. Licet & cucurbitulas cruribus affigere.

Hæmorrhoides.

Hæmorrhoides, si provocari possint, magnum in hoc malo auxilium afferunt; cum vix commodiore via sanguinem evacuare tum liceat.

Reliqua quod attinet, cum flatus & vapores ab humore sui generis foveantur, humores vitiosi tollendi medicamentis, non violentis, sed lenibus sæpe repetitis, ut materia per *Diapason* tollatur. Et cum malum hoc multorum morborum, inprimis melancholię hypochondriacę & mensium suppressorum utriusque morborum comes sit, curatio ad illos morbos dirigenda, cordialibus semper additis.

L. II.

Postea vapores discutientia & corroborantia exhibeantur, & ex iis nunc calidiora, nunc frigidiora, ut causa morbi requirit. Monetq; Avicennas, in omnibus morbis cordis fugienda esse vehementer calefacientia, quæ vires cordis dissolvunt; vehementer refrigerantia, quæ calorem labefactant, & spirationem difficilem reddunt; vehementer adstringentia, quæ fulgines & excrementa retinent. Quæ autem cor calefaciunt, quæ item refrigerant, supra, de intemperire cordis, sunt proposita. Temperata sunt, *aurum, margarita, corallia, os de C.C., lapides pretiosi, bezoar, bolus Armena, terra sigillata.*

Vapores discutientia & corroborantia.

Oleum citri quoq; cum conserva aliqua vel alio modo exhibita valdè efficax est ad flatus crassos discutendos & cor roborandum. Insignem quoque vim habet rhaponticum verum Scrup. ij. pondere exhibitum cum vino, aut vinum, in qua eadem radix macerata est.

Oleum citri in hoc malo valdè efficax.

Vel *R. Conserv. meliss.*

Electuaria:

anthos.

bugloss. an. Unc. j.

cortic. citri condit.

rad. condit. scorzonera ana

Unc. ß.

spec. diamosch dulc.

diambre, ana Scrup. j.

confect. alchem. Drach. j.

Cum syrupo tunic.

F. Electuarium.

Aliud.

Vel *R. Conserv. boragini,*

tunic. an. Unc. ij.

Fff

cor-

Humorum evacuatio.

confect. alcherm.

theriac. an. Drach. j.

spec. elect. de gemm.

aromatic. ros.

lactia Galeni, an. Scrup. j.

Cum sirupo bugloss. & de cortic. citri

F. Electuarium.

Electuarium Langii:

Elect. Lan-
gii.

Rx. Conf. ros. Unc. iij.

fl. tunic. Unc. j.

meliss. Unc. ℥.

spec. diamarg. frig. Scrup. iv.

galange Scrup. j.

cinam. interior. Scrup. iv.

garyophyllor. Scrup. ij.

doronic. Scrup. j.

succin. alb. Drach. ℥.

nuc. mosch. condit. Drach. ij.

zinzib. condit. Unc. ℥.

cortic. citri,

pinear. præpar. ana Drach. ij.

sem. melonum Drach. j.

manus Christi cum perlis Unc. ℥.

marg. præpar. gr. v.

fol. auri N. iv.

Cum sir. acetos. citri.

F. Elect.

Sirupi &
potiones.

Vel Rx. Confect. alcherm. Drach. ij.

lapid. bezoar,

margarit. præpar. an. Scrup. ℥.

ol. citri gutt. iij. M.

Detur Scrup. ℥. vel unus cum aqua vel
sirup. borrag.

Vel Rx. Aqu. flor. borrag. in balneo de-
stillat. Unc. vi.

flor. citri Unc. ij.

sirup. flor. borrag.

tunic. an. Unc. j.

spiritus rosar. Drach. ij.

agu. cinamomi Unc. ℥.

carbuncul. Drach. ij.

magister. perlar. Scrup. j.

confect. alcherm. Drach. ℥. M.

Detur cochlearia duo vel tria.

Extra quoque applicentur sacculi
de melissa, flor. lavendul. rorismar. bor-
rag. bugloss & aliis supra enumeratis
cordialibus parati, ac vino albo &
aqua rosar. irrorati.

Ut Rx. Flor. rosar.

rorismar. an. Drach. ij.

lavend. Drach. j.

sem. angelic.

cortic. citri,

caryoph.

cinamom.

mactis, an. Drach. ℥.

croci Scrup. j.

moschi,

ambra, an. gr. vi.

Cum sindone rubra.

F. Sacculus.

Aut applicetur epithema ex aqua
rosar. melissa, lavend., borrag., card. be-
nedict., cinamomi, carfuncul., vel me-
lissa viridis contrita & aqua rosar. ac
malvatico irrorata super latere igni-
to calefacta cordi applicetur. Inungi
etiam potest cordis regio oleo citri,
melissa, caryophyll., mactis, cinamomi,
vel solis, vel cum unguento rosaceo
mixtis.

Rx. Unguent. rosar. Unc. ℥.

ol. citri Scrup. ℥.

cinamom.

caryophyll. an. gutt. vi.

mosch.

ambra, an. gr. iij.

M. Fiat Liniment.

Vel

Vel ꝑ. *Ladani puri* Unc. ʒ.

Syrac. calamita,
terebinthin.

maslich. an. Drach ij.

ol citri,

caryophyll.

cinamom. an gutt.vi.

mosch.

ambr. an gr iij.

Subigantur in mortario pistillo calido, addendo subfinem.

ol. nucis mosch expr^{ss} Scrup. ij.

F. Emplastrum.

Vid. Vidius, lib. 7. de cur. membr. c. ult. p. 292. cucurbitulas sine scarificatione applicare jubet, usq; magnam in discutiendis ac digerendis flatuosis spiritibus, qui in partibus internis inclusi continentur, inesse scribit.

Sunt & odoramenta valde utilia; cum via non longa ad cor tendant, viresq; valde reficiant.

℞. *Fol. meliss.*

ocymi caryophyllati, an. Drach. ij.

cortic. citri,

santal. citrini,

caryophyll. an. Drach. j.

croci Scrup. ʒ.

ambr. gr. vi.

moschi gr. iij.

Ligentur in nodulo & irrorentur aqua cinam. & rosar. Vel Balsama ex enumeratis modò oleis olfacienda naribus illinantur.

Tandem in hac palpitationis cordis specie, quæ à flatibus provenit, opera danda, ut materia flatuum distrahatur, & propterea clysteres purgantes & resolventes status sapius injiciantur.

Curatio palpitationis

cordis ab Humore.

SI palpitationis cordis ab aqua in pericardio contenta originem habeat, ea evacuanda & absumenda, ac cor roborandum est.

Curatio palpitationis cordis ab humore.

Nonnulli hinc etiam venesectionem præcipiunt, sed malè. Tantum enim abest, ut venesectione eam evacuet, ut potius ad augendam faciat, calore debilitato.

Venesectione.

Quidam purgantibus humores aquosos utuntur, verum crassam antecedentem & humores serofos in corpore, quæ aquam augere possunt, talia evacuant: ipsam verò aquam in capsula cordis contentam evacuare non valent. Itaq; efficacissima hinc sunt medicamenta aquam illam abumentia & discutiencia tam interna quàm externa.

Purganti & humores serofos.

Inter interna sunt *confect: al. berries, spec. diambrae, diamoschi, arom. rosati, theriaca, Michridat.* & alia cordialia calidiora, ut; *decoct: ligni Guaiaci, sarsaparill. sassafras cum corticibus citri.*

Aquam in pericardio discutiencia interna.

Extra verò utile est, panem calentem à furno regioni cordis applicare, item spongiam vel linteam triplicatum decocto vel aqua aliqua cordiali discutiendi & exsiccandi vim habente madidum.

Externa.

℞. *Spec. aromat. rosati.*

diamosch. an. Drach. ij.

pulv mac.

carioph.

cortic. citri, an. Drach. j.

flor. bugloss.

F ff 2

citri,

citri, an. Unc. ℥.

F. Sacculus ex sindone rubro, qui vino albo irroretur & cordis regioni applicetur. Simul odorata medicamenta cordialia naribus admoveantur & cibus admisceantur.

Vesicatorie.

Nonnulli vesicatoria cordis regioni applicant, quæ quomodo è cordis capsula per spatium thoracis in cavitatem, in musculos & cutem aquam, attrahere possint, non video.

Curatio palpitationis cordis ex humoribus aliunde transmissis.

Quæ verò ex humoribus è ventre inferiore transmissis oritur cordis palpitationis, eandem ferè curationem habet, quam ea, quæ ex flatibus provenit. Et omnino si palpitationis cordis per consensum fiat, præcipua curationis ratio est, ut pars affecta, quæ eam communicat, diligenter curetur.

Purgatie.

Iraque primò universales corporis purgationes instituendæ, & vel vena aperienda, vel humores vitiosi expurgandi, vel utrumque agendum, pro humoris peccantis & membri materiam suppeditantis natura & ratione. Humores etiam ad cor ruentes revellendi. Hercules Saxonia hoc Electuarium commendat, ad humorem tam pituitosum, quam melancholicum in hypochondriaca affectione & cordis palpitatione:

Rx. Meliss.
ocymi,
bugloss.
borrag.
beronic.,
agrimon.
puleg. an. M. j.

cortic. citri Unc. ℥.

sem. citri Unc. j.

earyophyll.

cinamom.

ligni aloes,

matic. an. Drach. j.

fol. sen. elect. Unc. vi.

Epithymi,

polypod. q. an. Unc. iij.

mirebalan. cbebul.

citrin. an. Unc. j.

passul. enucleat. ℥ j.

Aromata ligentur in nodulo, & omnia bulliant in f. q. aquæ ad dimidiæ partis consumptionem, vel, quod commodius est, dimidium saltem aquæ, quæ aliàs ad coquendum summi solet, affundatur, & in vase clauso in Balneo per triduum macerentur, exprimantur & clarificentur.

Hinc addepulp. prunor. ℥ j.

cinam. cl. Unc. ℥.

jacch. albi q. s.

Coquantur ad justam consistentiam, vel potius saccharum sufficienter inspissatum addatur.

Ad materiam revellendam in diuturnis & frequentibus cordis palpitationibus cauteria & vesicatoria vel brachiis, si materia à capite defluat, vel cruribus, si palpitationis cordis sit per essentiam, aut à partibus inferioribus ad cor transmittatur, utilia sunt.

Cauteria & vesicatoria.

De vesicatoriis tamen hoc monet Mercurialis, ne cantharides usurpentur, cum vim malignam & cordi adversam habeant, sed potius ranunculus, stamula Jovis, sinapi & similia.

Cautela.

Hinc

Corroborandum,

Hinc corroborandum medicamentis modò enumeratis, & inter ea inprimis lapide Bezoar, margaritis, lapid. pretiosis. Et quidem in materia frigida, theriacam, præsertim extra adhibitam, valdè commendat. Mercurialis, narratque, Maximilianum Imperatorem, cui palpitatione cordis familiaris erat, sibi retulisse, se nullum remedium theriacà melius invenisse.

Nonnulli quadrupedum & avium corda, ut cervi, bovis, porci, turturis commendant, & præferri massæ peculiari proprietate prodesse docent. Valleriola, lib. 4. obs. 6. succum ex vervecum cordibus cum caryophyllis sine liquore ullo in vase duplici paratum commendat. Qualis succus & ex aliorum animalium cordibus parari; hincque hæc Aqua additis medicamentis cordialibus destillari potest:

R. Cor cervi vel bovis N. j.

melis. M. j.

flor. cordial. M. ℞.

cortic. citri Unc. ℞.

sem. ocymi Drach. ii.

caryoph.

cinamom.

santal. citrin. ana Drach. j.

croci Drach. ℞.

Affundatur vini q. s. ac destillentur. Aliæ duæ descriptæ existunt in Institut. lib. 5. part. 3. sect. 3. c. 9. p. 1352.

Efficaciores sunt aquæ simofchi, ambre, ana Scrup. ℞. in alembico suspendantur.

Mercatus hanc commendat:

R. Corda turturum N. ij.

cervorum vel bovis N. iij.

caryophyll.

galangæ, ana Drach. ij. ℞.

macis Drach. ij.

flor. bugloss.

borrag. an. p. j.

rorismar. p. ij.

Affundatur vini q. s. Stent per noctem, postea destillantur.

Efficax est & elixir cordiale in Institut. loco allegato, p. 1359. propositum, Ut & hæc Aqua-

R; Flor. borrag,

ror ismar.

rad. bugloss. ana Unc. iiij.

croci Drach. j.

succi cydonior. ℥ ℞.

Vini q. s. Stent in infusione per dies 14. postea destillantur. Dosis ab Unc. ℞. ad Unc. j. cū Unc. ij. vini albi generosi vel malvatici in causa frigida; in causa calida cum aqua borraginis. Vel propinetur hoc Vium:

R; Rad. belen.

angelic.

zedoar

galangæ

scorzon. ana Drach. ij.

cortic. citri Unc. j.

caryophyll.

cinamom. ana Drach. ij.

sem. coriandr. prepar. Unc. ℞.

flor. anthos Drach. ij.

melis. M. j.

Affundantur vini albi ℥ xvij. Plura talia vide apud Pondeletium, l. 2. c. 17. Johan. Langium, l. 3. epist.

Curatio palpitationis

cordis à reliquis causis.

Fff 3

Sià

*Curatio
palpitationis
cordis à
reliquis
causis
A Vermibus.*

Si à Vermibus in capsula ejus palpitatio cordis fiat, vermes interficiendi, ut supra, *de vermibus in capsula cordis genitis* dictum. Ad eandem autem evacuandos & lapis Bezoar adhibetur.

A Spirituum defectu.

Si à Spirituum defectu sit palpitatio, curatur spiritus reficientibus & corroborantibus, inter quæ imprimis, si morbus id patitur, utile est vinum odoratum, & aquæ ac spiritus cordiales, quorum hætenus facta est mentio.

*A calore
nimio fe-
brili.*

Quæ ex Calore nimio & in Febribus accidit cordis palpitatio, tollitur medicamentis calorem febrilem temperantibus, & iis, quæ supra, *de intemperie cordis calida*, proposita sunt.

Dieta.

Dieta.

Victus ratio à medicamentis non discrepet. Aër sit purus & alteretur cordialibus compositis, prout causæ ratio id postulat. Eodem modo cibus & potus sese habeat, qui causæ adversetur, cor verò roboret. Si causæ sit frigida, flatus crassi, materia melancholica, cibo attenuante & cal-faciente opus est; & propterea cibi condiantur aromatibus, & aliis cordialibus calidis. Vinum sit tenue, odoratum, & ad dulcedinem vergens, vel cerevisia clara & defecata, qui potus herbis & aromatibus convenientibus condiri possunt. In causæ calida cibi condiantur acetosis cordialibus, ut succo citri, limonum, arantiorum granatorum, acetosæ, ribes.

Potus sit aqua hordei cum succis

hisdem & eorum sirupis aut cerevisia tenuis. In spirituum defectu nihil utilius vino odorato, quod subito spiritus reficit. Animi & corporis motus nimii, vigiliæ, exercitia nimia, Venus præcipuè, ira, tristitia, alique animi perturbationes vitentur.

CAPUT V.

De Virium Imbecillitate.

VT in palpitatione cordis ejus palpitatio depravatur: ita quandoque accidit, ut eodem modo ejus & arteriarum motus imminuatur: quod malum vulgò virium imbecillitas, Germanis Schwachheit, appellatur. Est enim virium nomine etiam aliæ functiones intelligantur: tamen præcipuè vitales actiones per eas accipiuntur; & propterea hoc loco de ea agere placet. Itaque Virium defectus & Imbecillitas dicitur, cum vires vitales, atque cordis & arteriarum præcipuè læduntur. Adest quidem & tum motus impotentia, sed differt ea ab ea motus impotentia, quæ, *libro 1. part. 2. cap. 26* fuit explicata, quod illa, viribus & actionibus cordis salvis, nervoso genere imprimis affecto, accidit; hæc verò potissimum corde læso & spiritibus deficientibus ortum habet, unde labe illa etiam animali facultati communicatur, dum spiritus vitales animalium materia, non sufficienter generantur, nec calidum nativum omnium partium influente calore & spirituum vitalium influxu satis fovetur. Hinc in hæc

*Virium
imbecillitas.*

hac virium, imbecillitate universum corpus actiones suas difficulter perficit; & ægrè etiam movetur, partibus non resolutis, ut in motus impotentia, sed languidis & conquassatis. Arteriarum quoque motus seu pulsatio tunc etiam imminuitur; nec eæ, ut solent & debent, dilatantur, sitque pulsus vel parvus, vel languidus, vel tardus, vel rarus vel intermittens, vel obscurus, aut miurus, aut formicans, aut vermiculans, prout imbecillitas hæc major vel minor est. Eodem modo ut arteriarum motus, ita & cordis motus sese habet. Estque hæc virium imbecillitas maxima paulò ante mortem in agone dicto.

Causse!

Imbecillitas autem hæc ortum habet à spiritu & calidi innati seu substantiæ spirituosæ, à quo vita & robur partium dependet, defectu. Spiritus autem hic insitus cum foveatur à spiritu vitali, in sinistro cordis ventriculo genito, & per arterias in universum corpus diffuso, qui inde influens spiritus dicitur: si primò spiritus ille vitalis non satis copiosè & rectè à corde in partes omnes infuset; insitum etiam, atque hinc omnes totius corporis vires debilitari necesse est. Qua ratione autem & quibus de causis spiritus vitales deficiere possint, *capite sequenti*, dicitur, scilicet, quod vel non generantur, vel quod generati dissipantur aut suffocantur. Quæ causæ omnes etiam hic locum habere possunt, nisi quod in lipothymia & syncope spiritus vitales penè toti & subito cessant;

in virium verò imbecillitate pauciores, quàm debent, partibus communicantur.

Deinde cum spiritus insitus non solum influente foveri debeat, sed etiam humido primigenio, quod appellatur, cui insideat, tanquam pabulo indigeat, si humidum istud deficiat & imminuatur, etiam spiritum insitum debilitari, & vires labefactari necesse est.

Tertiò fietiam ipsa spirituosa partium substantia, seu spiritus insitus vel calor innatus dictus imminuitur in toto, virium in toto corpore imbecillitas sequitur. Accidit autem hoc ab iisdem causis, quæ spiritum influentem dissipare vel suffocare possunt, quæ *capite sequenti*, proponuntur. Fit nimirum cum humidi primigenii, tum caloris insiti, seu, ut utrumque uno nomine complectamur, calidi insiti imminutio à nimia Venere, sanguinis, & aliis evacuationibus, quæ spiritus dissipant; dolore nimio; animi affectibus, & præcipue timore & mœstitia diuturna; morbis acutis & longis, imprimis febribus, quæ & cordis & omnium corporis partium humidum primigenium exhauriunt, & calidum nativum dissipant; calore & æstu externo; labore & exercitio nimio; frigore nimio; ut & etis, quo calor natus quasi suffocatur & torpidus redditur; humoribus vitiosis, qui per totum corpus diffunduntur, & calidum nativum opprimunt, unde insolita virium debilitas imminentium morborum

Causse.

borum signum esse solet; venenis tandem & venenatis qualitatibus, quæ cordi & calido nativo totâ substantiâ adversa sunt.

Signa diagnostica

Signa.

Ipsium malum per se patet, ægriq; de virium omnium debilitate conqueruntur. Causæ verò ex iis, quæ præcesserunt vel adsunt, cognoscuntur, & capite sequenti, etiam explicabuntur.

Prognosticum.

Prognosticum.

Quid autem periculi portendat, id omne ex causarum gravitate vel levitate æstimandum. Prout enim, causa, quæ virium debilitatem inducit, gravior vel levior est: ita etiam virium imbecillitas plus vel minus periculi portendit.

Indicationes.

Indicationes.

Curatio in duobus consistit, primo ut causæ, si adhuc adsint, tollantur, nimirum si evacuatio aliqua nimia sit, supprimatur; si à dolore spiritus dissipentur, ut is leniatur & mitigetur; si ab animi affectu nimio, ut ei modus adhibeatur; si morbus vel febris adsit, curetur; si immineat, humores vitiosi expurgentur; si ex otio calor torpeat, corpus exerceatur; si à qualitate maligna calor destruat, ea expugnetur. Secundo ut calidum insitum & spiritus vitales influentes conserventur.

Curatio.

Curatio.

Quæ ratione autem causæ istæ tollendæ sint, aliunde & ex sequenti quoque capite patet. Quapropter

saltem hic, qua ratione calidum insitum & spiritus influentes conservari, instaurari & augeri possint, dicemus: etsi etiam supra, de Intemperibus & morbis cordis, hæc de re dictum sit, quod ibi videri, & huc transferri potest. In medicamentis tamen exhibendis ad causas simul respiciendum, ne, dum spiritus reficere volumus causam augeamus. Ideoque in imbecillitate virium à febre acuta vel hectica calefacientia & exsiccantia non conveniunt, sed temperata exhibenda.

Utilia autem hæc sunt imprimis medicamenta cordialia supra proposita, è quibus pro causæ ratione convenientia eligantur. Ideoque hic composita quadam saltem proponemus; è quibus cuilibet morbo commoda eligi poterunt. Imprimis verò gratum odorem spirantia spiritus valde recreant; præcipuè si aliorum odoratorum vi imprægnentur, qualia sunt, moschus, ambra, cinamomum, caryophylli, macis, crocus, zedaria, cortices citri, lignum aloes, santalum, styrax, ladanum, rose, viola, lavenderula, rosmarinus, spica nardi, melissa, ruta, salvia &c. Utile etiam est acetum, præcipuè ex malvatico, & imprimis rosæ, fl. lilior. convallium, ruta, pulegio, succo rubi, Idem imprægnatum.

Odorata spiritus reficiunt.

Aqua odorifera cordialis pro naturis calidioribus.

Re Caponem, absconde caput & pedes, exenteretur, & pinguedo removeatur. Incidatur minutim & affundatur atque addatur,

Aqua cordialis pro calidis.

aq. buglosse,
 cortic. citri,
 borrag.
 cichorii,
 acetosel,
 rosar. ana canth. f.
 flor. stachad. Arabic.
 chamamel. Romani,
 borrag.
 buglosse, ana M. j.
 spec. aromat. rosati,
 diatrion. santal.
 cinamom. acutiss. ana Unc. f.
 santali citrini odoriferi Unc. j.
 pomor citri recent. N. iij.
 Incidantur incidenda minutim, fiat-
 que destillatio secundum artem :
 datur ad placitum sumentis ab *uncia*
semis ad unciam unam.

Aqua instaurans dicta.

R. Juris capi & cordis bovis vel cer-
 vi simul perfectè cocti mens. j.
 vini malvatici, ℥ ss
 pomum arantium vel limonium,
 vel aliud ut dictum, diffictum
 in partes, unum vel duo.
 rad. galange.
 fol. melisse, ana Drach. j.
 cinamomi Unc. f.
 caryophyll. Drach. ij.
 sem. coriandr,
 ocymi,
 flor. rosar. rubr.
 scabiosa,
 bugloss. ueriusq; an. Drac. j.
 croci Scrup. j.
 rasura C. C.
 eboris, ana Drach. j.
 Misce; eliciatur Aqua.
 Quæ per se datur, vel ceteris
 commixta.

L. II.

**Aqua odorifera pre-
 tiosa :**

R. Flor. lilior. conwalli. M. ij.
 roser. rubr. opt. M. vj.
 lavendule M. j.
 borrag.
 bugloss. ana M. ij.
 fol. salvia,
 majorana,
 byssopi,
 rorismarini, ana M. iij.
 melisse,
 mentha crispæ, ana M. j.
 cinamom acutiss.
 cubebar.
 styrac. calamita, ana Unc. j.
 macis,
 piperis long.
 cardamomi minor.
 nuc. mosch.
 garyophyll. ana Unc. f.

Tulis & incisim minutim, ac re-
 sitis in centharum magnum, affunde
 vini malvatici & aq. rosar. opt. ana
 canth. ij. digerantur ad triduum, quo-
 tidie ter agitando : de hinc fiat destil-
 latio igne lentiss. & in capitulo vel
 rostro ponatur arab. moschi ana
 Drach. f. cum sindone rubr. Detur
 imbecillo vel naturæ vel vi morbi
 cochleare unum sæpe, & humecten-
 tur in hoc destillato linthea pura, quæ
 admoveantur cordi, temporibus,
 pulsibus ac naribus.

**Aqua vite odorifera
 pro naturis frigidioribus
 & adultis :**

R. Spiritus vini rectificati ℥ ij.
 croci,
 caryophyll.

Ggg

granor.

granparadis,
 nuc. mosch.
 macis,
 cinam.
 mastiches,
 cardamomi,
 zedoaria,
 cubeb.

rosar rubr. ana Drach. j.

Pulverisentur crasso modo, fiatq;
 infusio ad octiduum, dehinc fiat co-
 latura citra expressionem, & adde-
 miva cydonior. Unc. vj. Misce. Datur
 pro vice cochlear. unum: roborat
 stomachum, epat, sp enem, & cor,
 renibus etiam in expellenda serosita-
 te vires addit: potest mane, ac sero
 sumi ante somnum.

Alia aqua odorifera:

R. Flor rosar. opt. recent. Unc. vj.
 spica nardi vulgar rec.
 berb. rorismar

majoran. ana Unc. j.
 basilici,
 thymi,

satureia. ana Unc. ℞.

sortic. citri recent. Unc. ij.

ligni aloes odoriferi,

cinam. elect. ana. Unc. j.

garyophyll. Unc. ℞.

rad. ireos Florent. Drach. vj.

storaac. calam.

ase dulcis ana Unc. ℞.

vini malvatici,

aqua rosar. ana ℞ iij.

lavendul.

meliss. ana ℞ j.

Viridia incidantur, arida vero in
 pulverem redigantur. Solique ex-
 ponantur per 7. vel 9. dies; deinde

destillentur lento igne in vase dupli-
 ci. Preparanda est hæc aqua tempo-
 re activo: datur intra corpus uncia
 semis, extra eâ pulsus & nares hume-
 scentur: potest etiam manibus irro-
 randis ac lavandis adhiberi.

Iulebi & potiones:

R. Consect. Alkermes Scrup. j.
 pulv. diamarg. frig. Drach. ℞.
 sir. de acetos. citri Unc. ℞.
 de papavere Drach. iij.

Cum aq. rosar.

bugloss. & cinamomi,
 Fiat Potio.

Hæc & in doloribus hominem
 prosternentibus utilis, auctâ præser-
 tim sir papaverini quantitate.

Alia, quæ est in veneno

sumto conveniet.

R. Consect. de hyacinth. Drach. ℞.
 sir. acetos. citri Unc. j.
 aq. scabios.

meliss. ana q. ℞.

Fiat Potio.

Rotulæ manus Christi & diamar-
 gariti frigidi sint in frequentu usu,
 vel rotulæ & morsuli supra, *partis*
 hujus cap. 2. propositi.

Vel parretur talis Mistura:

R. Pulv. sacob. optim. q. ℞.

Humescetur probè cum aqua ci-
 namomi optima, quo nonnihil flui-
 dum reddatur saccharum, cui adde
 aliquot guttas spiritus vitrioli pro ace-
 tosite manifestâ; ulterius admis-
 ce.

el. cinamomi gutt. iij.

caryophyllorum gutt. ij.

macis,

leni tempora hæc vox inventa, & in specie tribuitur graviori malo, quam est *λειποθυμία* & *λειποψυχία*. Hæc enim inter has voces genuina est differentia. Nam, ut docet Galenus, *de art. curativ. ad Glauc. lib. 1. cap. 14. λειποθυμία* est syncope imperfecta, & præterea syncopen semper præcedit, atque in *λειποθυμία* sensus nondum planè aboletur, & in ipso paroxysmo ægri vident, audiunt & intelligunt, quæ audiunt, licet non possint nutu aut signo demonstrare cogitationes. Præterea, ut Aëtius, *te-trab. 2. serm. 1. cap. 101.* docet, in *λειποθυμία* ægri non sudant, in syncope verò sudationes accidunt, quæ ideo etiam syncopticæ dicuntur. Cû enim in syncope vires magnoperè prosternantur, & calor ad interiora refugiat, humidum partium solidarum rectore destitutum ad exteriora defluit. Ac frigidi sunt ii sudores, quia calor naturalis regens partes solidas in syncope vel exinguitur, vel extinctioni proximus est; quod à partibus illis profluit. In lipothymia verò sudores non exeunt; quia vires in hac non ita collabuntur. Quidam tamen hanc Aetii sententiam & differentiam non simpliciter admittunt, putantque, etiam in lipothymia aliquando aliquem sudorem accidere posse, & in syncope corpus ita dispositum esse posse, ut vix aliquis sudor erumpat.

Lipothymia
 & syncope
 non solum
 gradibus
 differant.

Sunt quidem nonnulli, qui lipothymiam & syncopen non solum majoris & minoris ratione discrepare putant; & longè majorem esse differentiam existimat Mercatus, atque

lipothymiam esse affectum cerebri, & in ea solum & primario cerebrum offendi, seu esse casum subitum animalis potentia; qui fiat retrocedentibus spiritibus animalibus ad cerebrum ipsum, quo accidat, ut instrumenta sensum & motus spiritibus destituantur, atque ita actiones suas exequi non possint: syncopen verò esse proprium cordis affectum, & in eo cor primùm pati, & hinc ob dependentiam, quam cum corde habent, alias actiones omnes lædi. Verum falsa & tanto viro indigna est hæc opinio, & in lipothymia non tam spiritus animales, quam vitales læduntur, id quod symptomata, quæ in lipothymia adsunt, & causa, quæ eam excitant, ac cor, non cerebrum afficiunt, solumque à causis syncopes magnitudine differunt, satis docent. Ideoq; in omni lipothymia pulsus (quanquam Mercatus sine ratione contra experientiam id negat) aliquo modo læditur, nec planè salvus est. Quod verò simul facultas animalis afficitur, ideo fit, quia spiritus animales salvi esse non possunt, si vitales rectè sese non habent, cum illi ex his generentur. Quapropter lipothymia non cerebri, sed cordis affectus est, in quo sensus & motus ideo læduntur, quod spiritus vitales cerebro non communicantur.

Cælius Aurelianus & Aretæus, in *inscriptione cap. 3. lib. 2. de morbis acutis*, cardiacam in genere appellat. Quia tamen *καρδία* non solum eorum; sed & orificium ventriculi significat, in specie nonnulli eam syncopen, quæ

quæ oris ventriculi consensu fit, cardiacam appellant. Alii verò & magis propriè eam syncopen simpliciter cardiacam vocari debere censent, quæ primario cordis affectu fit, eam verò, quæ ex oris ventriculi fit consensu, stomachicam esse nominandam, ut docet Galenus, *5. de loc. affect. c. 2. 12. meth. med. cap. 5. 5. de vitæ ratione in acutis text. 59.*

Definitio.

Est ergo animi deliquium, ut Galenus, *12. meth. med. cap. 5.* definit, præceps virium lapsus, id est, subita actionum vitalium, & consequenter animalium, imminutio, sicut syncope penè earum abortio, ob spirituum vitalium vitium, & denegatum in aliis partes influxum.

Causæ.

Itaque pars primario affecta est Cor. Causa proxima est spirituum vitalium, sine quibus cor, nec ulla alia pars in corpore suas actiones edere potest, subitus defectus; id quod subita hujus mali invasio testatur. Spiritus autem vitales ad alias partes non influunt vel quia non generantur, vel quia generati dissipantur & dissolvuntur aut suffocantur. Non generantur, vel defectu materiæ, vel generatrice eorum facultate sese non rectè habente. Deficit materia in nimia sanguinis evacuatione. Quanquam & tum spiritus simul dissipentur. Quò etiam facere potest calor intensus & perseverans, qui non solum spiritus dissipat, sed & eorum materiam absumere potest. Spiritus autem vitales ex tenuissi-

ma sanguinis parte generantur, quæ à calore magno & diuturno absumitur, idque in iis facilius accidit, qui humores tenues, & corpus ad *Alce. Φόρνω* aptum habent; de quo Galenus, *12. meth. med. cap. 6.* Facultatis autem generatricis causa spiritus non generantur, cum ipsa cordis substantia, quæ spiritus generat, sese rectè non habet; quod fit in morbis, qui temperiem cordis valde immutant, calidamque ejus nativum absumunt, quales sunt febres syncopicae, malignæ, pestilentes, colliquantes, hæctica. *μαρρομάδες*, item morbi compositionis, & solutæ unitatis, qui si sint paulò graviores, à syncopæ ad vitam nullus datur regressus, sed hominem jugulat.

Spiritus verò generati absumuntur & dissipantur ac corrumpuntur, variis de causis. Primò spiritus corrumpuntur aut certè insigniter mutantur & afficiuntur à maligna ac venenata cordis ac spiritibus vitalibus peculiariter adversà materiâ, sive illa in corpore generetur, id quod accidit in febribus in lignis, aut cum vermes in aliquo loco stabulantur, vel sanguis menstruus, aut alius humor corruptus alicubi in corpore delitescens putres ac malignos vapores ad cor mittit, sive extra adveniat, id quod fit, cum aer malignus & venenatus vel venenum admotum, vel morsu aut ictu animalium venenatorum corpori communicatur. Quò pertinent & peculiare antipathia, cum quidam rerum aliis non ingratarum odorem, conspectum, vel præsentiam sese non possunt, sed eâ de

causâ animo deficiunt. Deinde à corde avertuntur, resolvuntur & dissipantur spiritus vitales variis de causis. Nimirum calor insignis spiritus ad exteriora evocat & dissipat. Quò pertinent febres ardentes, æstus aëris, balnei, corporis motus nimius, perturbationes animi nimix, ira, *περηχάρεα* seu effusum gaudium, quo alios syncope correptos, alios mortuos esse legimus, vigilia, fames & inedia diuturna, Venus nimia, dolores vehementes, colici, oculorum, dentium, oris ventriculi & aliarum partium, inprimis earum, quæ magnum cum corde consensum habent, evacuationes nimix, vel sanguinis per nares, uterum, hæmorrhoides, vulnus; phlebotomiam, vel humorum excrementitiorum, per vomitum, alvum, urinam, sudores; quæ excretiones, imprimis si cum dolore conjungantur, id quod fit in dysenteria, vires valde prosterunt; aut si abscessus subito rumpatur; de quo Hippocrates, 7. aph. 8. *At tuberculi intus ruptione exsolutio, vomitus & animi deliquium accidit*; aut si hydropicorum aquæ aut empycorum pus subito evacuat. Et ut spiritus facilius dissipentur, facit corporum & humorum naturâ in iis, qui tenues succos habent, ut facilius exhalent, & *διὰ φόνου* patiantur; de quibus Galenus, 12. meth. med. c. 6.

Tertio suffocantur & obruuntur spiritus vitales, vel cum spiritus & sanguis subito ad cor confluit, quod fit in febre syncopali, ex humore

crudo cum oris ventriculi offensione, de quo Galenus, 12. meth. med. c. 3 & consternatione nimia & repentina, quam Græci *ἐκλυσι* nominant, Galen. 12. meth. med. c. 5. vel in vulneribus partiû vicinarum vel cum vapores crassi à ventre inferiore attolluntur, & humores crassi ac frigidi arterias replent, ut spiritus liberè moveri non possint, vel cum circa cor & membra vicina copiosè fuliginæ cumulantur, & læsâ respiratione non expelluntur.

Hiscæ causis hæctenus enumeratis addit adhuc aliam. Carolus Pison, de morbis ab illavie serosa, cap. de morbis thoracis, statuitque, etsi causæ hæctenus enumeratæ omnes absint, tamen accidere posse syncopen, quæ hominem in momento ferè jugulet, ab interceptione seu obstructione nervi sexti paris cordi implantati, ab humore seroso è cerebro repente in eum defluente. Docet enim cor accepto à cerebro motus principio moveri, ideoque si ætate florente vel consistente & in corporibus calidis & humidis & *ὁσάριος* serosa in capite colluvies abundet, & in principium nervorum irruat, ac vel guttula saltem ejus in nervum cordi insertum aberret, spiritu animali non denegato, cordis motum subito intercipi, hominemq; inopinatè mori. Quod ante ipsum etiam docuit Piccolominius, qui statuit, nervulos illos exiles, qui à sexta conjugatione cordi inseruntur, ei vim motoriam præter sensum tribuere.

Verùm in hac opinione illud magnum paradoxum est, motum cordis

dis pendere à facultate animali, & non sui generis ac peculiarem esse, qui vitalis dicitur. Et si ab hoc nervulo obstructo fieret non solum syncope, sed & mors, accidere idem deberet, ubi in apoplexia totum nervorum principium affectum. At videmus in Apoplecticis nihilominus cor moveri & pulsus durare, Et experientia etiam se didicisse scribit Spigelius, falsam esse Piccolominei sententiam, cum plurimum animalium corda exempta è corpore abscisso penitus nervo aliquandiu mota fuisse observavit. Ideoque cuilibet perpendendum relinquo, annon illi, quorum, ut syncope subito extingtorum, allegat historias Carolus Piso apoplexiâ forti extincti fuerint, & memini aliquos iis similes, quos Piso describit, habitu scilicet corporis carnosio, ætate consistente, subito concidisse, & nullum verbum protulisse, ac post horas non multas mortuos fuisse, qui tamen revera fuerunt apoplectici, cum motus cordis & pulsus in iis permanerit aliquandiu, facultatis verò animalis affectæ signa evidentiâ adfuerint.

Differentia.

Differentia illa, quæ secundum majus & minus est, non ita magni momenti est, cum curationem non ita variet. Magis illa attendenda, quæ à causarum diversitate sumitur, & quod alia sit per primarium cordis affectum, alia per consensum uteri & lienis. Nimirum quinque, quæ curationem variant, differentia sunt attendendæ; quarum tamen singulæ

rursus aliquas particulares differentias habent.

Prima est, cum materia spiritibus generandis subtrahitur quocunque modo; quod præcipue accidit in corpore raro, & quod humores tenues habet, qui facile dissolvuntur.

Secunda, cum ob morbum aliquem cordis œconomia ejus & spirituum generatio læditur.

Tertia, cum maligna & venenata materia spiritus corrumpit, vel insigniter mutat, seu in corpore genita, in febribus malignis, seu extra communicata; quò pertinet & opiorum usus.

Quarta, cum spiritus dissipantur & absumuntur à calore nimio, motu corporis & animi, vigiliis, inedia, evacuationibus immodicis, abscessuum eruptione, & aquarum sub cute evacuatione confertim facta, doloribus.

Quinta, eum suffocantur spiritus vel ab humore crudo in febre synopali aut animi consternatione, aut a vaporibus, seu intra genitis, seu extra communicatis.

Signa diagnostica.

In lipothymia, quæ synopen necesse est, pulsus est languidus, parvus, inæqualis, facies pallore suffunditur, ex recurso spirituum & sanguinis ad interiora: qua de causa & extrema frigent, oculis tenebræ suffunduntur, aut viride vel flavum quid is observari videretur. Sudor sæpe diaphoreticus apparet, præcipue circa frontem; quoniam partes calore destitutæ humiditatem continere nequeunt

Signa.

Differentia.

nequeunt, & cerebrum aliqua ex parte compatitur: frigidusque erumpit, quia per cutim ob revocationem caloris ad interna refrigeratam transit. Quæ signa omnia diligenter attendenda sunt, cum utilissimum sit imò summè necessarium imminentem syncopen prævidere, ut quantum fieri potest, præcaveri possit. Nam sicut Menon, filius Zoar, aut, ut refert Rabbi Moses, 6. *aphor.* qui syncopen non prævidit, aut prævisam annuñciaverit, hominis mortui homicida est.

In syncope verò symptomata hæc omnia vehementiora sunt, pulsus quo ad sensum cessat, mentis actiones & motus sensusque corporis ac vox quoque perit.

Quod ad signa causarum, humorum tenuitas & corporis constitutio ad *Νεφροσιν* apta suis signis cognoscitur, & tales præcipuè syncope corripiuntur, si febris accedat, vel ambientis æstus; atque in his celeriter facies Hippocratica apparet, ut docet Galenus, 12. *meth.* c. 6. Humores maligni in corpore geniti, aut venena extrà quocunque modo communicata è suis signis patent. Causæ resolventes à suffocantibus non ita difficulter discerni possunt. Si enim corpus extenuatum sit, & causæ etiam spiritus dissipantes præcesserint, ex spirituum resolutione & dissipatione, homo plus justo edat aut bibat, frigidorum ac crudorum humorum signa adsint, aut phlegmone vel obstructio, vel dolor circa cor adsit, aut *περὶ τῆς αἰτίας* materiæ subita ad partēs illas facta sit, aut repentino timo-

re aut terrore homo consternatus sit: suffocati spiritus argumento est.

Ex cuius autem partis vitio cor afficiatur, ex cuiusque propriis accidentibus, quæ syncopen necessariò antecedunt, cognoscitur. Ex utero v.g. si syncope prodeat, uteri affecti signa sunt. Ex affecto ventriculo si proveniat, præcesserunt oris ventriculi dolor & morsus, & nausea, vomitus, & ejus generis signa alia. Et quidem si ob flavam bilem os ventriculi molestantem accidat, cognoscitur ex majore oris ventriculi dolore, ex vellicatione, anxietate, oris amarore, siccitate & siti. Idem de aliis partibus esto judicium.

Si verò nullum alicujus partis affectæ est indicium, nullusque alius affectus, nec febris, nec inflammatio, nec alicujus partis affectæ signa adsunt; ex primario cordis affectu lipothymiam provenire indicio est.

Quid autem mali cor patiatur, cognoscitur ex ægri facie, modo, quo in syncopen incidit, & ex his, quæ præcesserunt. Ex spirituum corruptione, aut venenatâ aut maligna alteratione si sit syncope, livida & valde frigida apparent extrema, facies pallida & plumbea est, nec tamen collapsa, respiratio non ita est immutata, licet sit frigida, præcessit subitus ægri lapsus, & si venenum sumserit, vel ab animali venenato morsus vel ictus sit æger, nec id latere potest.

Ex spirituum dissipatione syncopen provenire, ut dictum, cognoscitur ex iis, quæ præcesserunt, labore & exercitio nimio, dolore vehementi,

mente, vigiliis & similibus causis.

Ex spirituum suffocatione fieri cognoscitur, si causa ista non præeserunt, æger plurimis & crassis humoribus abundet, adsit ventriculi anxietas, & nausea, cum præcordiorum tensione ac dolore.

Ex quibus omnibus syncopen à cognatis affectibus discernere facile est. Distinguitur syncope ab epilepsia, quod licet interdum animi deliquium, aut potius quædam animi seu sensuum perturbatio epilepsiam præcedere soleat, nulla tamen adest in syncope convulsio, sicut in epilepsia. Ab apoplexia verò differt, quod in apoplexia pulsus insigniter non mutatur, nisi morte instante. Ab uteri strangulatu, quod in ea auferatur respiratio, sed non pulsus, cum contra in syncope pulsus ad sensum penitus auferatur, respirationis autem difficultas tanta non adsit. Interdum tamen cum suffocatione uteri syncope conjungitur, atque tum pulsus interdum non percipitur.

Prognostica.

1. Qui sæpe & sine manifesta causa animo linquntur, ii repente moriuntur. Hippocrates, 2. aph. 41.

2. Omnis syncope mala; sed pessima, quæ sit in corpore debili, quæ vetusta, quæ confirmata. Cognoscitur autem syncopen esse confirmatam & consummatam, quod color faciei viridis apparet, & collum, ut in strangulatis, invertitur. Avicennas, 3. canon. sen. ii. tract. 2. c. 6.

L. II.

3. Syncope, à qua homo non restituitur, post irrorationem faciei cum aqua rosarum, post vini exhibitionem post ptarmica etiam, lethalis est.

4. Cor primaria affectione laborans auxilium non admittit, puta phlegmone, erysipelate, dyscrasia vehemèti, per febres acutissimas, vulnera præsertim sinistri ventriculi. Per consensum verò affectum à cerebro, epate, ore ventriculi, à subita & vehementi animi perturbatione, curationem recipit, nisi vires planè dejecta sint. Paulus Aegineta, lib. 3. c. 37.

5. Syncope ex cordis intemperie simplici mitior est, quàm quæ ex instrumentariis ejus morbis, aut soluta unitate oritur. Simplex etiam spirituum animalium alteratio minus offendit, quàm eorundem suffocatio aut resolutio & evacuatio.

6. Syncope, quæ sit ab intemperie cordis frigida vehemèti, ægerrius curatur. Nam à nulla alia corporis parte calor naturalis cordi communicatur, sicut cor, quod est caloris principium, calorem aliis communicat.

7. Qui ob magnam humorum crudorum copiam febricitantes in syncopen incidunt, si ventriculus & epas in his inflammatum fuerit, desperata salus est. Similiter qui ob humores tenues omninò concidunt per febres, & ventriculum aut epas inflammatum habent, viribusque languent, in his celeriter lethalis constitutio in facie apparet. Galenus, 2. meth. med. c. 3. & 6.

H h h

8. Non

Syncopes à cognatis affectibus differentia.

Prognostica.

8. Non statim salus promittenda, cum quis à syncope sibi redditur. Nam si pulsus non redit, nec calor vividus; & æger frigidus semper manet, mox in lyncopen relabitur.

9. Syncope, quæ ex immodicis evacuationibus, timore, tristitia, aut alia evidenti causa provenit, minus periculosa est, quàm quæ ab interna orta est.

Indicationes & Curatio.

Indicatio-
nes & cu-
ratio.

Curatio autem syncopes in duo tempora dividitur, unum paroxysmi, alterum intermissionis. In paroxysmo ut æger excitetur & reviviscat, quasi, primò spiritus conservandi, fovendi & instaurandi sunt; secundo facultas animalis atque vitalis excitanda; tertio causæ, quæ spiritus lædunt, tollendæ sunt, pro quarum diversitate diversa præsidia requiruntur. Si spiritus non generentur, ob nutrimenti defectum, corpus quamprimum nutrimento reficiendum: si non generentur ob cordis aliquem morbum, ei, quantum possibile, occutrendum: si spiritus corrumpanitur, vel causæ maligna alterentur, illæ causæ per contraria tollendæ: si dissipentur & resolvantur, non solum per odora menta & alimenta spiritus instaurandi & fovendi, sed & causæ illæ, quæ spiritus resolvunt, tollendæ. pori corporis, ne nimia fiat resolutio, claudendi, evacuationes immodicæ sistendæ, dolo-resleniendi, & reliquis etiam causis occutrendum. Si à spiritu

suffocatione fiat syncope, materia ad cor affluens revellenda; si copiosa sit, evacuanda; si cruda & crassa, alteranda.

Primùm ergo quod attinet spiritus conserventur, roborentur, foveantur, & ad naturalem statum reducantur cum internis, tum externis auxiliis. Nimirum aqua rosacea, vinum, acetum, aqua cinamomi, carfunculi, moschus, ambra & similia alia cordialia admovenda, iisque facies irroranda & tempora illicenda. In paroxysmo tamen observandum r. ut in morbis calidis frigida usurpentur, rosæ & earum aqua, violæ, flores citri, santalum, acetum. In frigidis autem morbis calida. Licet tamen in frigidis aliquid de calidis admiscere ob spiritus subito reficiendos. 2. In foeminis odora menta suavia naribus non admoveantur, sed potius graveolentia, ut castoreum, ruta, ne uteri suffocatio conciteatur, atque ita periculosius malum reddatur. Cordis quoque regioni epithemata, fomenta, sacculi, inunctiones ex cordialibus, theriaca, Mithridatio, oleo citri. spiritu aliquo vel aqua cordiali admovenda. Atque hic etiam valde utilis est melissa vino odorato vel malvatico conspersa & in latere calente calefacta, atque cordis regioni imposita. Exhibendum simul vinum generosum vetus, aut panis eo madidus. Vix enim aliquid magis & citius vires, quàm vinum reficit. Quanquam verò aliàs & extra paroxysmum iis, qui inflammatione viscerum aliqua laborant

aut

aut capite dolent vel simili malo in-
festantur, vinum uon conueniat : ta-
men in ipsa syncope, in qua univer-
sum corpus refrigeratur, plus urgent
spiritus reficiendi, quam illæ causæ
prohibere possint. De delectu autem
vini in syncope videatur Galenus,
12. meth. med. c. 4. Si verò sit causa
frigida, non solum vinum conue-
nit, sed & moschus, ambra & aro-
mata, confectio alkermes, sirupus
de corticibus citri, confectio diam-
bræ diamoschi usurpari potest, &
in primis ad spiritus subito reficien-
dos plurimum possunt aquæ & spi-
ritus cordiales passim descripti, qua-
les liquores etiam suprâ, cap. 4. & ca-
pite præcedente fuerunt propositæ.
Inter eas autem facilè primum lo-
cum obtinet Aqua vitæ alba Dres-
densis; quæ quia nimis operosa visa
fuit, ad istum modum à D. Andrea

Dòrero correctæ & contractæ est :

R. Spirituum honorum seqq. lento igne
seorsim paratorum ex vino :
Spir. vini moschatellini,
Maluatici,
rub. maturi & veteris, ana
Canth vt.

beton.

melß.

rorismarin.

veronica,

card. bened.

menth. erisp.

absinth vulg.

hyssopi,

salvia minor.

artemisea rub.

& ligno tamarisci,

è cerasis,

fruct. punor, sylvestris

uvarum passarum,

flor. sambuci,

è baccis juniperi,

cortic. aurant.

citri, ana Canth. iij.

euphrasia,

scolopendr.

ruta, ana Canth. j.

Hiscæ spiritibus commistis adde

radic. enule.

pimpinell.

polypodii, an. Unc. iij.

meu,

valeriana, ana Unc. j.ß.

fol. salvia minor. Unc. j.

scolopendr.

menth. crisp.

pulegii,

matricaria, ana Drach. vi.

nucl. persic. s. a. præp. Unc. ij

Relinque in infusione per tridu-
um. Colat adde panes triticeos perse-
ctæ & coctos, & è farina optima paratos,
N x. ita, ut singuli pugnum æquent
humanum, frangantur è clibano ex-
tracti feruentes adhuc minutim, re-
linquantur iterum in infusione per
triduum. Fiat postea destillatio in a-
rena, moderato igne, ita, ut tantum,
quod spirituosum est, separetur &
colligatur. Reseruetur diligentissi-
mè hoc destillatum, ne exhalet.

R. præterea caponem annum sum cor-
pulentum, ac suspendio enecatam N. j.
cum perdicibus duabus bonis, aut phasi-
ano bono, N j deplamentur sine aqua,
exenterentur, in frustra dividantur,

II h h 2

remo-

remota pinguedine omni, ac vino
Rhenano bono abluantur, Præpara-
tis hoc. modo adde

cinamom. elect.
caryophyllis.
galanga,
zingiber.
macis, an. Drach. vi.
nuc. mosch. N. v.
gran. parad.
piper. long.
cardamom.
cubeb. an. Drach. iij.
croci Scrup. ij.
sem. & rad. pæon. an. Drach. vi.
fol. major. Drach. ij.
amygd. dul. excort. Unc. iij.
passul. Corinth. Unc. iij.
zybebar. Unc. j. ß.
sacch. cand. Unc. ij.
zedoar. Unc. ß.
manne Drach. x.

Affunde postea vini Malvat. & A-
lacanth. opt. q. s. ad perfectam co-
ctionem in duplici vase instituen-
dam. Ubi sponte post coctionem
sufficientem refrixerit decoctum, in-
cidantur minutissimæ carnes capo-
nis & phasiani & contundantur pro-
bè. Fiat deinde destillatio lenta in a-
rena.

Cui destillationi porrò commisce
destillatum de panibus triticeis, adde
intuper spirit. vini moschatellin. opt.
Canth. iij. Adde præterea sequentes
species in duplo:

caryophyll. Unc. j.
nuc. moschat.
macis,
piper. long.

nigr. an. Drach. vi.
rad. aristoloch. long.
calam. aromat.
diptam. alb.
caryophyllat.
torment. ll.
angelica,
bistorta,
levistici,
*rhabarbar. per. noctem prius seor-
sim infus. in vini Rhenani q. s.*
zinzib. an. Unc. ß.
styrac. calam. ingran. Drach. vj.
santal. alb.
rub.
citrim. ana Drach. vi.
croci Drach. ij.
sem. anisi.
fenicul.
coriandr. præp.
aquilegia,
carvi, ana Unc. ß.
ligni aloes,
carpeobalsami, an. Unc. j. ß.
cinamom. Unc. ij.
lignirosaci Drach. x.
oss. de cord. cerv. N. vj.
pomum citrium recens. N. j.
matr. perlar. præp. Unc. j. ß.
st. stachad. Arab. Drach. x.
primul. veris Unc. ij.
borrag.
bugloss. an. Drach. vi.
liliconval. recent. Unc. j. ß.
peonia,
anthos,
tunicis plen.
violar.
rosar. rub. incarnatarum.
spica,

laven.

*lavendula,**nymph. alb.**centaur. minor. an Unc j.*

Adde porrò

*spec. aromat. caryoph. Mesue,**diarrhodon. abb. cum moscb. &**campb.**diamargarit. frigid.**calid.**latitia Galeni,**dianthos,**dlacinamom. ana Drach. ij.*

Stent in infusione per 9. dies, Fiat deinde per organa vitrea destillatio accurata, & postrema in M. B. ita, ut tantum, quod spirituosum est, colligatur.

Tertia pars sine moscho & ambra conficienda & reservanda.

reliquis duabus partibus adde,

*moschi opt. aq. rosar. bona prius**soluti, Unc. ß.**ambre pari modo prius solut.**Drach. v.*

Et sic perfectum est hoc opus, reservetur & custodiatu diligentissime in organis vitreis bene munitis.

Secundo spiritus excitantur & ad exteriora revocantur extremorum frictionibus, corporis consulatione, acclamatione, nomine aegri inprimis expresso, frictionibus linguæ & palati ore diducto cum theriaca & aqua cinamomi & similibus. Si tamen à spirituum dissipatione sit syncope, frictiones & ligaturæ non conveniunt, sed æger quiescat.

Tertio quod caussatum diversitatem attinet, de qua Galenus, *ad Glaucon. c. 14.* si Spiritus non gene-

rentur ob nutrimenti defectum, corpus quam primum reficiendum, quod commodissime fit vino & pane vino madido exhibito, quo simul spiritus reficiantur, ut diximus.

Si syncope accidat, quod humores tenues adsint, qui facile exhalant, corporisq; habitus rarus sit, odora- mentis & cibis boni succi fiat instauratio corporis. Corporis præ- tera summa cutis densanda est oleo rosaceo, myrtino, massichino, cydo- niorum; aerque corpus ambiens re- frigerandus, Cibi sint, qui non fa- cile dissipantur, ut sorbitiones ex alica & similibus, de quo videatur Gale- nus, *12. meth. med. cap. 6.*

Si ob morbum aliquem cordis accidat syncope, morbo contraria, ut supra dictum, & cordi amica me- dicamenta exhibenda.

Si ex spirituum alteratione & cor- ruptione fiat syncope, & quidem qualitas vel aura venenata ab utero communicetur, inferiora fricentur, cucurbitæ ad coxas & pubem ponan- tur, pessi subdantur, & alia, quæ in suffocatione uteri fieri solent, pera- gantur. Si fiat à materia maligna & venenata, ut in vomitu ærugino- so, ea exhibeantur, quæ materiam il- lam eluant, & humores temperent, postea cordialia medicamenta ha- tenus proposita exhibeantur. Si venenum haustum sit, alexipharma- ca convenientia exhibeantur. Si à morsu animalis venenati accidat, ite- dem alexiteria usurpentur, & parti- la sæ cucurbitulæ scarificatæ, aque- alia venenum evocantia apponan- tur.

tur. Eodem modo & aliis causis malignis resistendum.

Si à spirituum resolutione syncope fiat, cum id rursus variis de causis, ut dictum, accidere possit, singularem habenda ratio, & modus, quo causa agit, considerandus, atque adversus illum pugnandum. Est enim omnes evacuationes nimie spiritus dissipant: alio tamen modo compescenda evacuatio, si per sudorem nimium fiat; alio, si ab alvi fluxu; alio, si à vomitu; alio, si à sanguinis profusione. Calor ergo si sit nimius, per contraria temperandus & alterandus. Si ab immodica evacuatione accidat syncope, evacuatio sistenda, ægerque odoribus, cibo, potu, somnoque ac quiete reficiendus. Cohibetur evacuatio frictionibus, ligaturis, cucurbitulis in adversum administratis; ut in hæmorrhagia narium friceatur, & ligentur inferiora, cucurbitulæ sine scarificatione apponantur, suris & hypochondrio dextro, si à nare dextra, in sinistro, si in sinistra fluat sanguis & administrantur alia, quæ hæmorrhagiam narium sistere solent. Ita mensum profluvium debito modo sistatur. In hypercatharsi dentur cibi & medicamenta adstringentia, theriacæ non admodum vetustæ Drach. ß. vel Drach. j. cum aqua plantaginis. Concilietur somnus, qui omnes evacuationes sistit, excepto sudore. In syncope autem, quæ fit evacuationibus nimis, corpus frigidis non conspergendum, neque alia frigida & cutim adstrin-

gentia adhibenda; cum talia humores intrò pellendo fluxiones augeant.

In sudore largo neque frictiones, neque ligaturæ locum habent, sed ea, quæ cutim adstringunt. Facies igitur irroretur aqua rosarum; collum, thorax, axillæ, inguina inungantur oleo rosaceo, myrino, cydoniorum: æger quiete cat olfaciat frigida; assumatur sirupus granatorum, citri, limonum, ribes, acetosellæ. In ruptione subita apostematis instauratio fiat cibus, odoribus, quiete. Si à vehementi dolore syncope accidat, qui & per se spiritus resolvit, & per accidens, vigiliis immixtis removeatur ille anodynus, & causa doloris tollatur; & si à stomacho syncope oriatur, quod nausea indicat, atque æger faciliè natura sua vomat, vomitus proderit. De quibus Galenus, 12. *meth. med. cap. 4, 5, 7, 8.*

Si tandem ex suffocatione spirituum fiat syncope, ad ambitum corporis spiritus revocandi, frictionibus, ligaturis, cucurbitulis & alis externis partibus adhibitis. Et quidem, si ex plenitudine fiat syncope, venæ sectio primùm instituenda, ut suffocationis periculum avertatur, cum sanguinem evacuando, tum revelando, præsertim si sanguis cū impetu ad vitales partes feratur. Quando enim in hoc casu mittitur sanguis, perinde fit, ac si quis exiguo igni, qui sub strue lignorum suffocatur, aliquid de lignis subtrahat, ut ignis reviviscat; qua similitudine Galenus uti

utitur, 4. de rat. victus in acut. aph. 121. Aperiatu autem basilica, ut à fonte sanguis educatur; nisi à mensibus suppressis morbus sit, ubi vena tali aperienda, modò malum det inducias, Sanguis autem iteratis vicibus mittatur, ne vires una vice nimium labefactentur.

Ex crudorum succorum copia genita syncope, ubi os ventriculi simul affectum est, & habitus ac calor, qualis ferè hydropicorum est, apparet, nec phlebotomiam, nec purgationem sustinet æger, sed vacuatio convenit per frictiones deorsum factas, primò crurum, deinde brachiorum & spinæ dorsi, quotidie aliquoties iteratas, quæ & calefaciunt & discutiant. Post frictiones inunctio fiat cum oleo aliquo laxante, quale est chamæmelinum & anethinum. Mulla primis diebus datur, aut oxymel cum decocto hyssopi, origani & similibus. A cibo alio absteineat æger, si vires ferant, ut per inediam humores crudi coquantur. Quia tamen pulsus subito ad imbecillitatem mutatur, panis ex vino exhibeatur ad vitandum præsens periculum: postea ad abstinentiam redeat æger. Aer neque calidus nimium sit, ne liquati humores ad eor confluant, neque nimis frigidus, ne concoctio, & discussio materiæ impediatur. Epithematis cordis non utendum, nisi materia prius concocta & discussa fuerit. Videatur etiam Galenus, 13. meth. med. cap. 3.

Si à repentino terrore & metu syncope oriatur, ne ex affluxu sanguinis obstructio aliqua in vasis, aut inflammatione excitetur, evacuatio debita instituat ad periculum illud prohibendum.

Extra paroxysmum curam quod attinet, danda opera, ut auferantur illæ causæ, quæ iterum possent syncopen excitare, viresque debilitatæ reficiantur, & cor roboretur. Ideoque in syncope, quæ ex veneno, nimis evacuationibus, ac re calido, siccitate provenit, illa ipsa, quæ in paroxysmo requiruntur, etiam extra illum locum habent: neque aliquid novi ferè agendum. Si autem ex dolore sit syncope dolores leniendi, & causæ dolorem excitantes tollendæ. Stupefacientibus tamen cautius & parcius utendum; eodem modo etiam purgantibus, si ea ob causæ rationem necessaria sunt, virium semper habenda ratio, & in omnibus medicamentis, quemcunque etiam causam respiciant, admiscenda sunt cordialia. Si ex inflammatione oriatur, extra paroxysmum seu syncopen ipsam, vinum non est dandum. Si acris tenuisque materia ventriculum laceffat, aloë & pilulis alophanginis evacuari potest, vel decocto tamarindorum cum manna, & sirupo rosarum laxativo. Sic enim & causæ morbi tollitur, & ventriculus roboratur. Ita & aliis causis omnibus debito modo occurrendum per convenientia medicamenta.

Dieta.

Aër ab omnibus inquinamentis purus sit, atque alteratus cordialibus pro causarum diversitate. In paroxysmo, vel imminente hoc, aër frigidus sit, ubi malum est à causa resolvente: moderate sit etiam frigidus, ubi à causa suffocante, ob refrigerandi corpus necessitatem, ne calor extinguatur. Cibus quoque secundum causarum diversitatem conveniens ordinandus. Vinum extra paroxysmum non convenit, ubi plethora adest, aut calor vehementior, & febris ardens, aut inflammatio interna alicujus visceris, aut delirium aut dolor gravis. Galenus in syncope ex crudorum humorum copia, vel ex flava bile, vel ex succis tenuibus & facile exhalantibus, vinum concedit tenue, boni odoris, & quod celeriter mutatum in corpus distribuatur, sed nec tum insigniter eum febricitare, ægrum oportet, nec phlegmone in ternâ affligi.

In syncope verò à resolutione probatur vinum odoratum, ut & juscula carniū consummata, gelatinæ. & confusa, qualia in Institutionibus, *lib. 5. part. 3. sect. 3. cap. 2.* sunt proposita.

In syncope à spirituum corruptione & alteratione in febris pestilenti, aut à causa aliqua venenata, vinum vel juscula condiantur succo citri, acetosæ, melissæ, terrâ sigillata, margaritis, & similibus.

Somnus in syncope ex resolutione & evacuatione periculosus est; quia debilis calor intro revocatus syncopen auget. Et proinde per somnum æger assidentibus diligenter observandus est, nec statim post syncopes solutionem ad somnum est admittendus. Nocet quoque ubi syncope est ex materia venenata, rapiendo venenum ad cor. Utilis est in syncope ex materia cruda, eam coquendo, quam vigiliæ temperatæ postea discutunt.

F I N I S.

INDEX RERUM.

Catarrhi cum spūto sanguinis curatio 18	Cor refrigerantia medicamenta 395
Cordis intemperies calida 394. ejus causse. <i>ibid.</i> signa, prognostica. & cu- ratio. 395. <i>dieta.</i> 396	<i>interna</i> <i>ibid.</i> <i>externa.</i> 396
Cordis intemperies frigida 396. ejus causse signa, curatio. <i>ibid.</i>	Cornua in dorso. 303
Cordis intemperies humida. 400 ejus causse, signa & curatio. 401	Costarum luxatio. 304 ejus symptomata & curatio. <i>ibid.</i>
Cordis intemperies sicca 401. ejus causse, signa, & curatio. <i>ibid.</i>	Costarum fractura. 304 ejus signa <i>ibid.</i> prognostica, curatio 305 <i>dieta.</i> 306
Cordis motus an pendeat à facultate animali. 429	Costarum numerus vitiatu <i>s</i> <i>ibid.</i> tu- mor. <i>ibid.</i>
Cordis palpitatio. 404. ejus definitio 406. causse <i>ibid.</i> differentia, signa 408. prognostica, indicationes 410 <i>dieta.</i> 416	D.
Cordis palpitationis à flatu & vapore curatio. 411	Dens aureus pueri Silesii. 50
Cordis palpitationis ab humore cura- tio. 413	Dens quomodo ad extractionem præ- parandus. 43
Cordis palpitationis ab humoribus a- liunde transmissis curatio. 414	Dentes canini elapsi non renascuntur. 32. maiores nunquam excidunt. <i>ibid.</i>
Cordis palpitatio à vermibus. 416. à spirituum defectu <i>ibid.</i> calore nimio febrili. <i>ibid.</i>	Dentes in palato enati. 34
Cordis substantiæ morbi, 401	Dentes non extrahendi nisi vacillent. 26
Cordis tabes, 403	Dentes sine violentia evellendi ratio 27 in extractione dentium quadam ob- servanda. <i>ibid.</i>
situs mutatus. <i>ibid.</i>	Dentes sordidi 47. caussa curatio <i>ibid.</i>
vulnera. <i>ibid.</i>	Dentes soli ex ossibus extra alveolos prominent. <i>ibid.</i>
apostemata & ulcera. 404	Dentium casus. 32 ejus caussa <i>ibid.</i> signa, prognostica curatio. 33
Cordis ventriculi, sinistri defectus. 403	Dentium connexio inter se 34. cum ma- xilla. <i>ibid.</i>
Cor hirsutum. <i>ibid.</i>	Dentium corrosio & caries. 23. ejus caus- sa <i>ibid.</i> curatio. 24
Cor molesti ante caussa. 406	Dentium dolor 25. ejus caussa <i>ibid.</i> si- gna, prognostica 37. indicationes & curatio 38 <i>dieta.</i> 43
Cor calefacientia medicamenta. 397 <i>interna</i> , simplicia composita <i>ibid.</i> & seqq. <i>externa</i> simplicia 397. com- posita. 400	Dentium dolorem à proprietate sisten- tia. 43
	Dentium elongatio. 27

D. en-

ET VERBORUM.

Dentium fistula.	24	ejus causa ibid. differentia, signa	285
Dentium immiratio.	28	prognost. 282. curatio	284. diæta
Dentium mobilitas & vacillatio ibid.			286.
ejus causa interna ibid. externa & violentia ibid. curatio.	ibid.	Excrescentiæ carnosæ in corde reper-	407
Dentium numerus auctus.	34		F.
Dentium situs vitiatus.	ibid.		
Dentium surdes actophi.	ibid.	Facus ex hydragyro corrumpit den-	
Dentium stridor 46. ejus causa, prognostica ibid. curatio.	47	tes.	24
Dentium structura siccata.	312		G.
Dentium stupor 45. ejus causa, ibid. curatio.	ibid.	Gibbositas 293. ejus species.	ibid.
Dentium usus.	22	Gingivæ carne denudata.	54.
Dentium ultra 63. annum ætatis renatorum historia.	23	Gingivæ excrescentes & laxæ.	51
Diabutyrum Bened. Victor. Faventini.	336	Gingivæ in oculis.	57
Diaphragmatis inflammatio. 221. ejus signa, ibid. prognost. & curatio.	222	Gingivarum imminutio mobiliari dentium causa.	31
Diaphragmatis tumores frigidi ibid. signa prognost. & curatio 223. Diæta	224	Gingivarum inflammatio 55. ejus signa, prognostica curatio.	ibid.
Diaphragmatis vulnera 224. an sint sanabilia.	ibid.	Grandines in pulmone geniti 188. illorum cause signa, ibid. prognostica, curatio.	189
Diaphragmatis vulnerati in studioso Livono Witebergæ historia.	ibid.	Grumes sanguinis in pectore resolutio medicamenta 181 quo tempore sint exhibenda	182
Diuretica in hydrope pectoris utilia sunt.	292	Gurgulionis inflammatio & exulceratio 77. cujus cause signa, prognostica ibid. curatio 78 diæta.	82
Dolor infantium dentientium.	44	Gurgulionis laxatio 76. ejus curatio.	74
Dracunculi 302. eorum causa 203 signa, curatio.	ibid.	Gutturum illapsa ut eximenda.	88
E.		H.	
Έκλυσις d fere a λεπνοθυμία & λεπνοψυχία.	421	Nasenschar	9
Electuarium Bererucii confortans cor in omni causa.	402	Hirundinum pulvis contra anginam	122
Empyema.	280	Humorum pleuritidem parientium signa.	231
		Hydrops gutturis.	137
		111 2	Hydrops

INDEX RERUM

<p>Hydrops pectoris 189. ejus causa 290. <i>differentia, signa prognost. curatio</i> 291. <i>dieta.</i> 293</p> <p>Hydrops pulmonis. 193</p> <p style="text-align: center;">I.</p> <p>Jus galli decrepiti purgans 186. 208 334. 346</p> <p>Juvenibus cur phthisis familiaris. 177</p> <p style="text-align: center;">K.</p> <p>Ka? i?w quid? 242</p> <p style="text-align: center;">L.</p> <p>Labia curta 9. curandi ratio duplex <i>ibid.</i></p> <p>Labia leporina <i>ibid.</i> illorum curatio. <i>ibid.</i></p> <p>Labia livida. 11</p> <p>Laborum fissurae 4. eorum causa 5. dif- <i>ferentiae ibid. signa prognostica, indi-</i> <i>cationes ibid. curatio.</i> 6</p> <p>Laborum inflammatio 4. cancer ibi- <i>dem & 8. ejus curandi ratio peculi-</i> <i>aris.</i> <i>ibid.</i></p> <p>Laborum perverio 10. ejus causa 2. <i>ibid.</i></p> <p>Laborum tremor. <i>ibid.</i></p> <p>Laborum tumor 3. nativus <i>ibid.</i> à ve- <i>nenis ibid. durus.</i> 4</p> <p>Laborum tumores aridi. <i>ibid.</i></p> <p>Laborum ulcera 7. causa, signo, pro- <i>gnostica & curatio ibid. Dieta.</i> 8</p> <p>Laborum usus. 3</p> <p>Laborum vulnera. 8</p> <p>Laxium pulmonis arteriatum an- <i>gustia 172. ejus causa, signa 174. pro-</i> <i>gnostica, indicationes & curatio. 175</i></p> <p>Αερωροσολια 110</p> <p>Linguae vitia. 22</p> <p>Lipothymia vide syncope.</p>	<p>Lipothymia & syncope quomodo dif- <i>ferant.</i> 422</p> <p>Lipothymia an sit affectus cerebri <i>ibid.</i> <i>an in ea spiritus animales potissimum</i> <i>afficiantur?</i> <i>ibid.</i></p> <p>Lumbago 299. ejus curatio. 301</p> <p>Lunaticâ passio ex vermibus in peri- <i>cardio orta.</i> 393</p> <p>Lupi conspectus vitiosa vocis causa. 357</p> <p style="text-align: center;">M.</p> <p>Maxilla inferior capiti adnata. 11</p> <p>Maxillae cum capite connexio. 58</p> <p>Maxillae fractura. 61</p> <p>Maxillae fractura oris tottura causa. 15</p> <p>Maxillae inferioris immobilitas, 61. si- <i>gnâ & curatio ejus.</i> <i>ibid.</i></p> <p>Maxillae inferioris junctura soluta. 58 <i>ejus prognostica ibid. curatio.</i> 59</p> <p>Maxillarum fungi. 58</p> <p>Maxillarum luxatio 59. ejus signa, pro- <i>gnostica ibid. curatio.</i> 60</p> <p>Maxillarum syderatio. 58</p> <p>Mediastini inflammatio 220. ejus caus- <i>sa, signa prognost. 220. curatio dia-</i> <i>ta.</i> 221</p> <p>Mitesser. 302</p> <p>Mucronatae cartilaginis prolapsus 306. ejus causa manifesta 309. obscu- <i>ra ibid. symptamata ac signa 310</i> <i>prognostica 311. curatio.</i> 312</p> <p>Mucronatae cartilaginis prolapsus <i>an sit morbus fictitius? 307. qualis</i> <i>sit morbus? 310. hujus morbi nomen</i> <i>& natura 306. quae partes in hoc</i> <i>morbo afficiantur.</i> 309</p> <p style="text-align: center;">N.</p> <p>Nigellae radix fluxum sanguinis si- <i>stic.</i> 387</p>
---	---

ET VERBORUM.

<p>Nutricum incuria in infantibus fasciis constringendis. 295</p> <p style="text-align: center;">O.</p> <p>Odonovayoyōs seu forceps dentarius plumbeus in templo Apollinis suspensus, 27</p> <p>Odorata spiritus rescidunt. 418</p> <p>Oleum citri in palpitatione cordis val- de utile. 411</p> <p>Oleum lini in pleuritide, epidemia al- vum movit. 246</p> <p>Oris apertio laesa. 11. ejus caussa, signa & curatio. ibid.</p> <p>Oris diffortio. 13. caussa ibid. remota 14. signa. 15. prognostica & cura- tio. 16. Dieta. 18</p> <p>Oris foetor 70. ejus caussa ibid. signa, prognostic. 71. curatio. 72</p> <p>Oris hiatus 113. ejus caussa, prognostica & curatio: 112</p> <p>Oris inflammatio 61. ejus signa ibid. curatio. 62</p> <p>Oris perversio ex resolutione nervo- rum. 15</p> <p>Oris ulcera & ꝀꝀai. 62. 68 eorum caussa 63. differentia. 63. si- gna, prognostica ibid. indicationis 65 curatio in infantibus. 66. in adultis 67. Dieta. 69</p> <p>Orhopnoea. 320</p> <p>Oscitatio. 12. ejus signa, prognostica ibid. curatio. 13</p> <p>Ossa in pulmonibus genita. 188</p> <p>Ossis palati corruptio, 69</p> <p>Ova in dorso. 303</p> <p>Oxymel belleboratum Gesneri. 335</p> <p style="text-align: center;">P.</p> <p>Pastinaca marinae radius dentes ex- cidere facit. 43</p>	<p>Paralysis & convulsio in tortura oris in- terdum junguntur. 15</p> <p>Paralysis in inflammatione pulmonis. 155</p> <p>Pectoris dolor 379. ejus signa 380. pro- gnost. & curatio. 381</p> <p>Pediculi in dorso. 303</p> <p>Pericardii aqua aucta vel deficiens. 392</p> <p>Pericardii corruptio. 394</p> <p>Per cardii defectus. 393</p> <p>Pericardii putredo 394. tumores. 393. vulnera. 394</p> <p>Phthisis definitio 200. ejus subiectum i- bid. caussa 20. differentia 203. signa incipientis 204. perfecta ibid. prognos- tica 206. indicationes 207. curatio 208. Dieta. 215</p> <p>Pleuritis 225. ejus caussa proxima 226. remota 227. differentia 229. signa ibid. tempora 232. signa differentia- rum 22. prognost. 232. indicat. 236. curatio 237. Dieta. 254</p> <p>Pleuritis vera 379. notha. ibid.</p> <p>Pleuritidis vera & nothae differentia. 230</p> <p>Pleuritidis & peripneumonia differen- tia. 231</p> <p>Pleuritidis a diaphragmatis inflamma- tione discrimen. ibid.</p> <p>Pleuritidis ab epatis inflammatione dif- ferentia. ibid.</p> <p>Pleuritidis salutaris terminatio 234. signa salutis in pleuritide 236. signa mortis. ibid.</p> <p>Pleuropleuritide ante annum 14. vena non secanda. 239</p> <p>Pleuriticorum victus a veteribus ac- curate prescriptus. 254</p> <p>Ptyalimus 18. ejus caussa 20. signa pra- gnost. ibid. curatio. 21</p>
---	---

INDEX RERUM

Pulmonis vasorum apertio quot modis fiat 176. ejus signa prognostica 178. indicationes 179. curatio 180. diata. 186	Pus in empyemate sensim evacuandum. 286
Pulmo quomodo evacuetur? 148	R.
Pulmo repletus. 163	paracides. 4
Pulmonis cancer. 217	Raucedo vide vocis vitia.
Pulmonis hydatides. 193	Raucedinis à catarrho curatio 359. à pure 360. à causis externis. ibid.
Pulmonis inflammatio 150. ejus causa, ibid. differentiæ 152. signa 153. prognost. 156. indic. & curatio 159. diata. 161	Rectitudo quid? 242
Pulmonis intemperies 145. ejus causa signa 146. prognostica 147. indicationes & curatio 148. diata. 149	Regum galliæ in curandis strumis vis 135
Pulmonis morbi in numero desiciente. 190	Respiratio quomodo ledatur? 386
Pulmonis sphaecelus. 217	Respiratio læsa in genere 315. causa. 316
Pulmonis turberula 190. cruda & suppurata ibid. causa ibid. signa ibid. prognostica & curatio. 192	S.
Pulmonis ulceris causa proxima 201. mediata 202. signa 204. prognostica 206. curatio 208. Diata. 215	Salivæ defectus! 21. signa prognostica & curatio. ibid.
Pulmonum ulcera peculiaria. 217	Salivæ & sputi differentia. 18
Pulmonum cum latere coalitus 193. ejus causa, signa 194. prognost. cura 195	Salivæ generatio 19. usus. ibid.
Pulmones refrigerantia 148. calefacientia 149. siccantia ibid. humectantia ibid.	Sanguinis fluxus è dentibus. 50 labris. 10 gingivis. 53
Pulmonum vulnera 195 signa vasorum pulmonis vulnerat: 96 signa carnis pulmonis vulnerata ibid. prognostica. ibid. indicat & curatio 197. diata 199	Schwachheit qualis sit morbus. 416
Pulmonis vulnerati historia. 196	Sermonis vitia. vide vocis vitia, an omnis sermo vox sit? 352
Pulmonis planè consumti historia 394.	Sermonis viciati causa. 357
Pus & respirationis differentia. 35	Spasmus Cynicus. 13
Purgantia si diutius continuantur, mutanda sunt. 381	Spasmus Cynicus ex abscisso furunculo ortus. 15
	Spinæ cordis contusio. 298 fractura. ibid. vulnera ibid.
	Sputum sanguinis 383. causa ibid. differentia 384 signa ibid. prognostica. 386 indicationes & curatio 387. diata. 390
	Sputum sanguis in muliere à Galeno curati historia. 387
	Stran-

ET VERBORUM.

Strangulatio 349. ejus causa ibid. prognostica, curatio.	351	rentia 364. signa 265. prognostica 366. indicationes 368. diætæ.	376
Strangulati laqueo quomodo curandi	ibid.	Tussis quatenus talis curatio.	368
Strumæ in gutture 128. causa ibid. signa, prognostica, curatio.	130	Tussis ab intemperie curatio.	369
Suffocatio vide strangulatio.		Tussis à catarrho curatio ibid. à materia calida tenui & acri. 370. 26 humore pituitoso 373. à reliquis causis.	376
Suffocatio spontanea servi Barbari.	315		
Suffocati ex vaporibus seu fumis ut curandi 351. ex submersione in aquam	ibid.	V.	
ibid. à fungis venenatis.	ibid.	Venæ cavæ ramulus à Nicolao Sanmi- chelio observatus.	273
Synopes vox an Hippocrati in usu fuerit?	421	Venæ lectio curissimum pleuritis auxili- um.	238
Synopes definitio 423. causa ibidem differentia, signa 325. prognostica 432. indicationes & curatio.	433	an purgationi in pleuritide sit prefe- renda?	238
Synopes à cognatis affectibus differ- entia.	432	Vermes in pulmonibus geniti. 188. caus- a ibid. curatio.	189
Syrupus de belenio Angenii,	336	Vermes dorsæ.	302
Syrupus de erysimo Lobelii.	360	Vermes in peritardio 392. signa & cu- ratio.	293
Syrupus catarrhalis Kogleri.	369	Vermes in ipso corde reperti.	403
		Verrucæ in gutture & lingua.	70
		Vertebra prima capiti adnata.	357
		Vertebræ primæ luxatio.	293
		Vertebrarum cervicis luxatio ibid. ca- rundem subluxatio.	ibid.
		Vertebrarum dorsæ luxatio 293. ejus differentia 295. causa externa ibid. interna ibid. signa 296. prognostica curatio.	297
		Vertebraarum quassatio.	294
		ejus curatio.	298
		Vesiculæ in pulmonibus genitæ 188. ea- rum curatio.	189
		Virium imbecillitas 416. ejus causa 417. signa, prognostica, indicationes & curatio 418. diætæ	421
			Vocis

T.

Tabes dorsalis.	299
ejus differentia.	ibid.
Thoracis fistulæ 278. illarum differen- tia ibid. signa, prognostica ibid. cura- tio.	279
Thoracis vulnera 274. duplicia. ibid.	
Thoracis vulnerum penetrantium signa ibid. prognostica 275. curatio 276. diætæ.	278
Tonsillarum inflammatio & ulcera 82. causa, signa, prognostica 83. cu- ratio 84. diætæ.	87
Tussis definitio 361. causa 362. diffe-	

DE RERUM ET VERBORUM.

Vocis organa.	352	torum.	<i>ibid.</i>
Vocis vitia <i>ibid.</i> differentia illorum 353.		Vox obtusa,	356
caussa <i>ibid.</i> signa 358. prognostica <i>i-</i>		Vox rauca 356. ejus caussa <i>ibid.</i> curatio	
<i>ibid.</i> curatio.	359	<i>vide rancedo.</i>	
Vox animalibus cur data.	353	Vox tremula 356. aurupta 357. clango-	
Vox articulata <i>ibid.</i> an etiam sit bru-		sa <i>ibid.</i> tarda <i>ibid.</i>	

F I N I S,



WITTEBERGAE,

Typis JOHANNIS RÖHNERI Typogr. Acad.

ANNO M. DC. XXX X.



